Q. HORATIUS FLACCUS, EX ANTIQUISSIMIS VNDECIM LIB. M. S. ET SCHEDIS ALIQUOT EMENDATUS, &...

Quintus Horatius Flaccus, Jacques : de Crucque

Digitized by Google

6
17-a
12

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
16 D
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6 - 17 a 12

19/19-e-8
e
/14

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. HORATIVS FLACCVS,

EX ANTIQVISSIMIS VNDECIM LIB. M. S. ET SCHEDIS

aliquot emendatus, & plurimis locis cum Commentariis antiquis expurgatus & editus, opera IACOBI CRVQVII Meſſenij apud Bruganos politioris litteraturæ profeſſoris publici.

Eiuſdem in eundem enarrationes, obſeruationes, & variæ lectiones, cum aliis quibuſdam & indice locupletiſſimo.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ANTVERPIAE,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROMISSA A MVSIS HORATIO NOVA COLLYRIA,

AD VIRVM CLARISSIMVM IOANNEM DE Vooegt, D. de Sonnebeke, Geluvelt, &c. & Prætorem ſummum Caſſeyriæ Iprenſis, I. Cruquius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MECVM neſcio quid locutus antè
Noctis quàm ruerent tenebræ inertes,
In ſomnis rapior leueis per auras
Anxius, querulus, vagus, tremẽſq́.
Ad quoſuis ſtrepitus inanis vmbræ:
Quid me ſomne pater, quid, heu, fatigas?
Inuides miſeris quietem ocellis,
Et fratri dare me locum ſopori?
Vis me præcipitem dare in ruinam
Altis de ſcopulis feriſq́. prædam?
Hoc nolint ſuperi, vetent Camœnæ
Quarum ſacra colo, nouem ſorores.
Hæc ego titubans pauore plenus
Dum vagor, miſero nec vlla ſpes eſt
Tantæ ſollicitudinis leuandæ:
En, velut nebulis repentè abactis,
Per ſomnum ſpecies mali minaces
Vaneſcunt ſubitò, quieta mens fit:
Tanti ignarus ego boni quis auctor,
Aut quo numine mẽs ſibi acquieſcat,
En ſedere nouem tenaci in herba
Ad fontis ſcatebras amœnioris.
O quæ forma decens nitore puro,
Digna Apolline, digna patre ſummo:
Vos ne me aſpicitis benigni ocelli,
Vos ô Pierides mei lepores,
Vos ne me miſerũ & meos dolores
Lenitis, gemitumque ſubleuatis?
Felices animæ quibus ſuaue
Et cantare melos datis iucundum:
Hos nulli ſtrepitus fori, nec vrbis
Splendores recreant tumultuoſi:
Sed vobis comites adeſſe Muſis
Gaudẽt, & Veneris beare amores,
Et molleis cithara modos ſonare,
Tibiaque animos ad aſtra ferre,
Heroumq́. ducumq́. alacriores.
Hæs inter video ſenem ſeuerum,
Cui vultus tumidis rubens ocellis
Ceu collyria iam recens inunctis
Turgebant modicum genæ dolentes:
Hic ego attonitus ſtupere primùm,
Cui tãtum ſuperi dediſſe Muſarum
Intereſſe choro, quis hic beatus

Digitized by Google

In dulci Aonidum ſinu cubaret:
Riſit intuitus meum ſtuporem,
Accepitque chelyn, fideſq. notis
Aptauit numeris quibus Latinas
Cantauit Lalagen, Phrynen, Lydenque.
Hic ego: O Venuſine Apollo ſalue,
Qui primus Pariis modis vetuſtis
Ornaſti Latium parens λυρῳδος:
Te amplecti volupe eſt, & eſſe tecũ,
Nec non Auſonio leuare plectro
Quicquid afficit aut graue aut moleſtum:
Non me diuitiæ laborioſæ,
Non opes miſeræ breueſq. honores,
Aut quæ turba leuis ſequi laborat,
Sed quæ pauperies iuuat pudica,
Tranquillatque animum ſui capacẽ:
Te ſequi liceat, tuoque ductu
Muſarum irriguos adire fonteis,
Spirituque nouæ imbui camœnæ,
Vt tecum celebrem canamq. tecum
Nympharum atque nouem decus ſororum.
His cùm deliciis fruor, ſubinde
Ludibundus abit, fugitque ſomnus,
Et me deſeruit rogantem inunctis
Quid collyria profuiſſe lippis
Credat Monſtrolij polita verba:
Attuliſſe quidem mali leuamen,
Sed læſiſſe manus acerbiores,
Qui nuper melioribus reiectis
Nonnulla inſeruit minus probata
Per parùm medicam remiſſionem,
Hac rubere genas acerbitate;
Sed ſperare nouam breui medelam,
Quæ tollat maculas nihilq. lædat,
Certò pollicitas hoc eſſe Muſas.

V. V. CLA.

V. V. CLARISSIMIS
BVRGIMAGISTRIS,
AMPLISSIMOQVE SENATVI
Brugano, Iacobus Cruquius Meſſinius
S. P.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SCIO me, Senatores ampliſſimi, nihil agendo nihil efficere poſſe: verùm an quid agendo, quod velim conſequar, in dubio eſt animus. Brugæ, velut natale ſolum, me iam olim capiunt: quæ politia ne celebriores, an antiquitate nobiliores ſint, incertum eſt. Politiam quidem nemo laudatiſſimam neſcit, ſed de vrbis ipſius antiquitate, nihil eſt adhuc in euulgatis litterarum monumentis quod certò quis afferat, quando ea condita ſit; omitto nomen ipſum Brugarum, cuius originem definire tam eſt incerti laboris quàm dicere qui primi eam terram quaſi bolum faucibus Oceani maris ereptam colere, & eam antè ne cœperint an multò poſt natalitia Redemtoris noſtri tempore: nam cuius inſequaris veſtigia, χρονογράφος adhuc nemo vulgatus eſt. Meyerus noſter lib. 2. Annalium Flandriæ ſcribit, anno poſt natum Chriſtum octingent. ſexageſimo ſexto Balduinum Comitem Diui Donatiani Remorum Pontificis reliquias Brugas comportaſſe, eique Diuæ priùs Virginis ſacellum conſecraſſe, & Burgum, id eſt, caſtrum muniuiſſe aduerſus Danos. Rurſus eodem lib. Anno, inquit, octingenteſ. octogeſimoprimo Bruggam Caſtellum Caluus Comes ab Aldenburgo euerſo lapidibus emuniuit aduerſus Danos. Sed vnde Caſtrum eò loci, & à quo priùs ædificari cœptum, nulla mentio, ne in Chronicis quidem Flandricis, ex quibus & ipſum Meyerum, & eo ætate priorem Maſſæum ſua de rebus Flandricis deſcripſiſſe non dubito. Quæ ſi fide digna iudicabimus, in eiſdem certè iam inde ab anno ſexcenteſ. vigeſimo ſexto non incelebre Brugarum nomen inueniemus, quas Liderico Clotarius Galliæ rex cum filia Idonea tradidit protegendas vnà cum nonnullis aliis vrbibus ſeptemtrionalis Belgicæ. Verùm in denſa rerum caligine, vt neceſſe eſt, ne impingas, palpitando progredi, ita narrando quoque quæ minùs comperta

Digitized by Google

ſunt propter ignorationem rerum geſtarum, quid aliud quàm coniectu-ris vtâre vero quàm maximè conſentaneis,ne fabulari videâre,maximè ſi in eo nomen profiteâre tuum? Atqui quando nobis id non agitur, ſatis erit ea de re pauca ſignificare, & quibuſdam quaſi notis indicibus præire aliis ad preſſiùs inquirendum ſi quid, quod eò facit, alicubi ſit vel in Romanis vel Gallicis ſcriptis, ex quibus certiùs exordia Brugarum, antiquitáſque cognoſci deſcribiq́ue poſſint: ex Romanis quidem veriùs, ſi qua rerum poſt Cæſarem in Gallia geſtarum ſcripta extarent, cui poſſe conſiderem, vt qui in caſtris ſuis erant apud Belgas donec à finitimis eiecti loco cederent. C. enim Trebonium Cæſar in Italiam abiens, in Belgio cum quatuor legionibus collocat, inquit Aul. Hircius, quas non prius ſtationes ſuas deſeruiſſe dixerim, quàm per luxum, ſegnitiémq. Romanorum in præceps iret imperium; vicinæque gentes, caſtrorum præſidiis expugnatis, proxima quæque inuaderent. In Chronologis eſt videre Clodium Franciæ regem primum in Samarobrinos & Neruios impetû facto Romana præſidia obtriuiſſe, anno, vt ſcribunt, à Chriſti natalitiis plus paullò quàm quadringenteſimo. Quæ res, ſi nihil aliud, nobis ſaltem ponit ob oculos, ad ea vſque tempora in Belgis Romanos ſua caſtra habuiſſe, quas arces poſteri & Burgos nominauerunt. Quod etiamnum confirmant antiquiſſima quædam Chronica Flandrica ſcripta manu, quæ ante annos plus minus ſedecim mecû communicauit Arnoldus Woulardus Blanckeberganus, vir doctiſſimus, à patre ſibi ad tempus vſui data, in quibus ea in primis quaſi per manus tradita legi deſcripta quæ ab omni vetuſtate in oris Oceani noſtri geſta erant, aliis nec audita Chronographis nec lecta: ex quibus ſedulò notaui hanc oram noſtram maritimam limitaneis arcibus, quos Burgos nominant, olim valde fuiſſe nobilem, & Brugas noſtras in earum medio Leauburgum fuiſſe nuncupatum, nec non habuiſſe à Borea Oſtburgum; ab Euro, Roburgum; à Meridie Aſtburgum, & à Zephyris Altburgum. In his autem Oſtburgum, Roburgum ſeu Raburgum, vel, vt ſcribit Meyerus ex antiquis marmoribus, Rodenburgum, & Altburgum, vel, vt nunc nominatur, Aldenburgum, ſic nota ſunt omnibus, vt in iis hîc depingendis tempus inutiliter terere non arbitrer opus eſſe: ſed Aſtburgum & Leauburgum non perinde cognita noui. Quam ob rem ſi idiomatiſmo noſtrate veluti manu ductus eò veniam, vt non omnino à vero diſſona commemorem, nolim mihi eſſe vitio, ſi quid alij noſtram commentationem ſubſecuti vero propius hariolentur. Eſt vicus quidam non pro-

cul

Digitized by Google

cul Brugis ad Meridiem, feudum D. à Maldeghem, obſcurus quidem nunc & infrequens, vulgò nominatus Aſſebzouck/ ſed ob antiquitatem nobilior opinione, vel pontis eius argumento qui noſocomio Brugis Diui Ioannis proximus ab hoc feudo dependet. Hunc vicum olim fuiſſe Aſtburgum non temerè, vt opinor, coniecero, ſi paucis immutatis vocis eius etymo locus detur: & profectò locus is hinc aperta planitie longè lateque patente conſpicuus, illinc paludibus munitus caſtris metandis eſt aptiſſimus; quarum paludum gratia credo Aſtburg antiquum à poſteris mutatum in Aſtbrouck. Leauburgum autem συγκοπτῶς, nunc Brugas eſſe & Chronica illa nominatim referunt Leauburg, pro Leuacoburg, vt autumo: & Cæſar quinto Commentariorum belli Gallici, eò loci conſtituit Leuacos, quos inter Neruios numerat Grudiis, Pleumoſiis, Gordunis, ſeu Gondunis (vt habent antiqua ſcripta Cæſaris) finitimos. Inter quos mari certè viciniores ipſis Leuacis fuere Grudij, à grutando ſeu rutando dicti, id eſt, ab aquarum canalibus publicis, qui in mare exeunt, purgandis fodiendisque, quod gzupten eſt Flandris mari proximis; vnde gruptgelt/ & Domus à Gruythuyſe Brugis nobilitate antiquiſſima. Mihi quoq. perſuadeo nomen adhuc nobis ſupereſſe eorum quos Grutenos, ter Gzouwe Flandricè vocamus, ſupra Oſtburgum foſſis, & aquæductibus agricolis plerisq. nimis nobileis. Pleumoſij verò partim ad Auſtrum Liſam vſq. fluuiũ, partim ad Occiduum ferè Morinos vſq. incolebant, dicti Becano noſtro à cœni tarditate, vernaculè leu moſe. Equidem legi in manuſcripto Cæſare Cleimoſios nominatos, quod magis arridet, à tenacitate terræ, quę Flãdricè Clept/ quaſi Clepſ moſe dicitur. Gordunos, vel potius Gondunos (vt eſt in antiquis ſcriptis) Leuaci ad Auſtrum habebant & Notum cum Centronibus & Mempiſcis, quos cum Meyero Becanus Gandenſeis, Curtracenſeis & Tiletanos nunc appellari coniectat. Sed ad Cæſarem reuertor, qui Neruios & Bauacos commemorat & Leuacos ab excubiis agendis. Bauacos quidẽ ſuperiores nunc in Hannonia pro comperto habemus & animis potenteis & armis, quaſi Bouacos dictos, Flandricè, de bouen oft vpper wake/ contra inuaſionem Remorum & finitimorum, vt videre eſt apud Cæſarem. Leuacos autem inferiores, vbi nunc Brugæ ſitæ ſunt, olim Leuacoburgum, & pòſt per metatheſin ſyncoptôs Leauburgum, non à Leone, ne quis erret, propter Sigillum Brugenſe, quod Leonem quaſi ponteis perreptantem præfert, ſed à vernaculo Leagwake oft neer wake/ quæ Latinè ſunt inferiores excubiæ, quæ in ea Neruiorum ditione ſtrenuè agebãtur aduerſus Hibernos, Sco-

cos,

tos, Britannos, Danos, alióſque maritimos hoſteis. quod nec diffiten-
tur vulgati Chronographi, nec certè à vero diſſidet, argumento tot ar-
cium à ſe non procul exſtructarum, inter quas Leuacoburgum quaſi
φρούραρχον medium locum tenuit, à præfecto fortaſſe Neruiorum, qui
cohorteis ſubſidiarias ad vim tranſmarinam propulſandam tamquam λι-
μενάρχα in aliis arcibus diſpoſitas habuerit. Sunt qui ſcribunt ex Altbur-
gi à Normannis diruti ſaxis Bruggam munitam contra Danos: ſed hæc
mihi nugæ videntur & mera figmenta; nō enim id temporis Caſtrorum
munitiones & oppidorum ex ſaxis, ſed ex arboribus, palis, trabibus, pe-
ctinatim ſerratimve aut cancellatim reuinctis fiebāt aggeſta terra. Qua-
re contrà iudicarim ex acceſſione, incremento, frequentiaque Leuaco-
burgi finitima quæque loca auſpicatiora fuiſſe, interiiſſeque ſimul. Hîc
enim pons erat in æſtu maris Oceani ligneus, vulgo dictus de Leaubrug-
ſtock/ quaſi Leuacorum pons, qui non procul à cœnobio Dominicanorū,
nunc de Muelle brugghe/ prima fortaſſe fuit occaſio nominis Brugarum:
hac trāſire neceſſe erat Pleumoſiis ſeptemtrionalibus, Morinis viciniſq;
populis Aduaticos, Batauos, Cattos, Germanóſque adeuntibus: cetera
namq; loca ob ſiluarum denſitatem, ferarum multitudinem & paludes
erant inacceſſa. Inter hunc pontem certè & Burgum, vt in iis ſcriptis in-
ueni, erant hoſpitibus, aduenis & iter facientibus tuta ab omni incurſu
diuerſoria, quæ vndique caſtris defenſa, ſenſim, vt fit, in vicos excreuere.
Hæc exordia prima fuere ciuitatis Bruganæ, Europæ totius olim Empo-
rij nobiliſſimi, ea gentium nationumq; ex omnibus orbis partibus mul-
titudine ita celebris, omniumque rerum copia, vt non immeritò à maio-
ribus ſit dictus μικρόκοσμος. Verùm enimuerò hac in expoſitione ſi plus
æquo prolixior fortaſſis extiterim, veniam merebitur, confido, antiquita-
tis illuſtrandæ ſtudium, quò natura propendet, meque præter inſtitutum
verboſiorem facit. Ceterùm ex ciuibus quantumuis etiam barbaris per-
egrè redeuntibus nemini non amicum credo ſuæ patriæ vel fumum ſur-
gentem è longinquo cernere. Quanto ergo gratius viris politioribus pa-
triæq; amantioribus eſſe neceſſe eſt nunc flammam nonnullam ſoli na-
talis propius velut emicantem ex fumo cognoſcere? Quòd autem ita ſit,
& quòd nulla flamma primi ortus huius vrbis, nedum fumus adhuc ap-
paruerit, teſtatius eſt omnibus, quàm hac de re πολυλόγον lubeat agere.
Quod nec mirum cuiquam videri debet; inferioris namq; regionis Bel-
gicæ poſt Cæſarem nullam inueniri notam perſuaſum habeo, niſi quam
cum fide Chriſti & Pontificum martyrum ſanguine inſignitam poſteri
litteris

litteris mandarunt. Quæ ſanè laus Chriſtianæ religioni præter cetera debetur, vt quæ morum barbarie feritateque gentis Belgicæ fugata ſimul & humaniorem cultum & litterarum monumenta introduxit, adeò vt ei accepta quoque referre ſit æquum, quantulacumq tandem ſint ea quę cum fide Catholica, religione, ſanctiſque patrum traditionibus in Commentarios Belgicos relata ſunt. Verùm quid hoc monſtri ſit, demirari ſatis nequeo, quòd Haltræ vici ignobilis & Maldeghem multò meminerint antè Chronologi vulgati quàm Brugarum, & in iis non niſi cuiuſdam ſacelli Deiparæ virginis à Liderico Comite incepti, & à Balduino perfecti, vt ſcribunt, conſecratique; in quo ſex ordine Anachoritæ ſacra facere erant ſoliti, vt habent ſcripta Chronica: Burgum autem multò antè conditum, & eius auctorem quæ obliuio ſepeliuerit, non ſatis aſſequor, niſi velimus crebras maris inundationes vnà cum incolis vniuerſa monumenta abſorbuiſſe, eaque de cauſa nunc culta ea loca fuiſſe, nunc à cultoribus relicta. nulla namque in iis oris maris Oceani æſtuaria ampliora, commodiora, nauibusq. receptandis tutiora fuiſſe quàm vbi nunc Brugæ ſitæ ſunt, ſatis pòſt docuit eò loci mercatorum concurſus vndique memoratiſſimus celeberrimúſque; vt omittam quod Bilibaldus Pirkeymerus tradit, littoris Belgici præſidia, Odoacro duce, quorum maiores in eius æſtuaria miſſi fuerant à Iulio Cęſare, in Italiam demigraſſe, Romaq. capta per annos non paucos imperium inuaſiſſe. Sed & Merouæi Francorum regis tempore dicitur Arturus Britániæ Ruteniam incurriſſe, eamq. deprędatus eſſe, quæ haud dubiè tunc in ęſtuariis maris noſtri tractus erat à Pleumoſiis Leuacisq. Aduaticos vſque: iidem namq. Cæſari fuere Ruteni, Gruteni & Grudij ex eodem etymo priſcis dicti Retani, à retando, id eſt, foſſis canalibúſque fodiendis purgandisque; de quo Agellius lib. II. cap. 17. vbi & Retam pro arbore videre eſt. ſed contrà docet Becanus in Aduaticis eſſe foſſam quam vulgò nominamus **een Riepe**/ quod quidem ita eſſe nobis argumento eſt vicus olim frequentiſſimus Monachoreta, **de moneke Riepe** Flandricè nominatus, non procul ab vrbe Brugana. Quæ cùm ita ſint, Patres clariſſimi, poſt ſcintillantem nunc huius vrbis originem, reliquum eſt vt ad Politiam veſtram reuertar; quæ cùm in vrbis commenſione, diſpoſitione ornatuque, tum erga bonos omneis humanitate, munificentia, hoſpitalitate, æquique & iuſti adminiſtratione tanta ſic innotuit omnibus, vt qui eam dicendo ſe credat illuſtriorem facere, is, me hercules, eadem opera in meridie Soli ſplendenti lucernam præferat: quid enim eſt in exſtructionibus ædium turritis, vicorum & ἐμπο-

** ἐμποϱευτῶν

ἐργαστῶν commenſu conuenienti, platearum amplitudine munditieque, retarum multitudine, pontium infinitate, quod ſpectatorem non cogat obſtupeſcere? ea profectò fuit maiorum prudentia, ea cura, vt nihil omittendum iudicarint quod non ad decorum modò & vtile, ſed ad conſeruationem quoque & ſalutem ſuorum poſterorum pertinere crederent, idque ad œconomiæ rationem, à qua non ignorabant politiam omnem ſuam conſiderationem, diſpoſitionem, gubernationem, omnem denique ordinem accepiſſe, quam illa quidem id vſu rerum humaniſque neceſſitatibus exigentibus multò poſt tempore ſubſecuta eſt; in qua ſi naturæ conuenienter oportet viuere, patremfamilias in primis opus eſt locum quærere conſeruandæ naturæ quàm maximè idoneum, deinde prohibere quæcumque nocere poſſunt incommoda. Quod quàm ſit à maioribus veſtris factum ſedulò, locus ipſe loquitur: nam vbi minùs contagia ſerpere, & ea non protinus extingui videas, ſi vel minima naſcenti cura morbo fuerit adhibita? an non hoc declaret aëris puritatem bonitatemque, & ſoli ipſius naturam minimè vliginoſam, nec exhalationibus nec euaporationibus peſtiferis obnoxiam? quare quid poteſt in ſolo natali deſiderari optatius? Rurſus olim domus eò laudabilior erat quò vicinos haberet meliores: quod quidem opus erat ſapientis patrisfamilias, vt qui cùm vita & moribus, rectaque familiæ inſtitutione vicinos ad bene agendum nocendumq. nemini ſuo exemplo inuitabat: tum ſi quos deprehendebat durioris eſſe ceruicis, quàm qui ſic flecti poſſent; hos ad virtutem concordiamque inter ſe benignè hortando, illos donis promiſſiſque demerendo, alios minis ab iniuria cuiquam facienda deterrendo, omneis & ſibi & inter ſe beneuolos, amicos & commodos, ſuamque villam à bona vicinia commendatiorem efficiebat. Quid? ad eum ne modum reſpublica veſtra à maioribus conſtituta à vobis nunc adminiſtratur? Profectò niſi inuidus, diffitebitur nemo vos ita in foro, quantum tempora patiuntur, in ciuium tranquillitate, ſecuritate, atque vnitate promouenda, imò non adeò nuper Flandriæ rebus tantùm non deploratis cum ſociis veſtris ſubueniendo (ſcio me non vanè nec arroganter dicere) ſic, inquam, communitatem veſtram à maioribus, auis, abauis, atauis religione & probis moribus condecoratam, legibus munitam, fortiter armis defenſam, veſtra ſapientia, conſilio, moderatione geritis ornatiſque, vt non vos modò, ſed auitæ quoque in vobis virtutes καὶ τὸ πατρικὸν δίκαιον principatum gerant, adeò vt verè dici poſſit, τοσαύτην ἐν τῇ πόλει ταύτῃ ἔχειν τὴν φρόνησιν ὥσπερ δύναμιν ἐν σώματι τὴν ψυχήν: ita ſingu-

ſinguli in officio ciues, quoad eius fieri poteſt, vt in corpore bene compoſito habiliq́ue membra ſingula retinentur; ita boni ſuis præmiis, mali mala cruce afficiuntur. Quod profectò fieri neceſſe eſt in omni beata feliciq́ue Republica, vt ea bene ſtabilita legibus regatur. Cuius rei maiores veſtri patreſq. ſibi probè conſcij cenſuerunt in laudabili politia eam curam eſſe primam, vt ab infantia liberi ingenuè educati liberaliter inſtituantur: οὐ μικρὸν γὰρ, inquit Ariſtotel. διαφέρει τὸ οὕτως, ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ τὸ παμπολὺ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. Nec fefellit eos ſua ratio: nam & docti homines in primis curandum eſſe ſcribunt in florenti Republica, ne ſeditionibus & ciuium contentionibus agitetur, ἔσεται δὲ τοῦτο, αὐτὸς ἔφα, αἴκα τὰ παθέα τὰς ψυχὰς παιδεύηται τῶν νεῶν καὶ ἐς τὸ μέτριον ἄγηνται: affectuum namque moderatio cum doctrina, legibus, & inſtitutis virtuti in animo ſedem parat, qua fulcitur populi maieſtas, deuinciuntur animi ciuium, conſeruatur ſalus omnium, res, fortunæ, liberi, vxores, parentes, amici, ſacra & profana omnia in tuto magis exiſtunt, quàm ſi vallo duplici foſſaque communiantur. Quid? an aliter ſuos Spartanos Lycurgus ſtatuit inuictos? Aliáne via Athenięſes hoſtibus quidem in bello formidabiles, domi verò diſciplinarum omni genere exculti floruere? Sed quis neget Romanos niſi virtute rerum dominos extitiſſe? Non aliam certè vos viri ſapientiſſimi bene gerendæ reipublicæ formam à maioribus acceptam, hactenus de propinquo imitatos expreſſiſſe, ſunt indicio litteræ liberales & diſciplinarum genera; quibus nihil excoli humanius in hac vrbe veſtra, nihil expoliri accuratius, nihil effici perfectius, teſtes ſunt diuinarũ rerum, teſtes politioris litteraturæ tam Græcæ quàm Latinæ profeſſiones publicæ; teſtes ludi litterarij plurimi & frequentiſſimi, in quibus ſic paratur pueritia, ſic exercetur adoleſcentia & probis moribus ad virtutem componitur, vt vbiuis gentium verſentur, inter cetera facilè dignoſcas ingenia Brugenſia. Quid quòd viri quidam doctiſſimi Brugas Athenis conferant ingeniorum fecunditate, artificum præſtantia & doctorum virorum multitudine? quæ vna certè cauſa eſt cur tantos in ſummis difficultatibus, & tam diuturnos progreſſus habuerit hæc ciuitas, ſuaque erga omnes populi facilitate & comitate ſibi maiores indies polliceri non metuit; quæ tanta eſt, vt vel inuitos ad ſe adducat, adductos deuinciat, deuinctos foueat, ornet, amplificet. Quare, pro meo in rem veſtram publicam officio, & pro veſtro erga me ſtudio, quid aliud, quàm vt eiſdem natu nunc maioribus ſcribendo proſim quibus olim viua voce, vt confido, fui non inutilis, & ea ratione, quæ hic inſtitui paria

 faciam.

faciam.nam ſi quæ ad originem huius vrbis faciunt, ignorationis obſcurata nebulis nonnihil primus illuſtraui, ſi nomen eius adhuc non auditũ, ſi loci ſitum ab omni antiquitate Belgica in Borealibus Neruiis nobiliſſimum fuiſſe oſtendi; certe his æqua lance ad omnimodam reipubl. illuſtrationem debet appendi, qui noſtra opera à puero, quaſi data manu, rectam virtutis omniſq́. humanitatis viam docti ſunt ingredi, vt ij nunc viri ex ſcriptis cum Hercule cognoſcant ad honoris apicem quantum poſſit cum viribus coniuncta prudentia: & quid id ſit cum Iano à fronte ſimul & occipitio ſapere. Contrà, quanta ſit exiſtimationis, famæ, nominis & gloriæ pernicies, μανίζειν καὶ γυναικίζειν. Quam cùm hanc tum illam vitæ viam cùm nemo ex antiquis ſcriptoribus Horatio velut in tabulis effigiatam intuentibus feliciùs exhibeat, nemo vitia accuratiùs inſectetur, nemo bonos mores viuaciùs edoceat, cum Commentariis antiquis ex pluribus ſcriptis manu magno ſtudio conſarcinatis, & noſtris aliquantò planiùs, vt arbitror, quàm prius elucidatum & illuſtratum vobis, Ampliſſimi patres, dedico & gratitudinis ergô mancipo; vt qui me non pœnitendo ſtipendio ad vos Brugas Louanio arceſſitum liberaliter & honorificè proſecuti ad alacrius deuorandum quicquid eſt in eiuſmodi litteraria profeſſione laborioſi tædij, non dubitaueritis id inſuper honorario munere dignari: quam munificentiam veſtram, vt de nobis taceamus, & loquuntur exteri multiſque prçconiis efferunt, & vicini quique populi & ſocij veſtri cum admiratione ſuſpiciunt, adeò vt aſſerant cordatiſſimi quique, vel geneſin huius loci vel genium ipſum in id inclinari, vt efficiat huius vrbis non ciueis modò, ſed incolas quoque beneficos, liberaleis & humanos. Accipite itaque, Senatores prudentiſſimi, hos Cruquij veſtri labores reipubl. Bruganæ cauſa ſuſceptos, ea fronte & animi promtitudine qua & patres veſtri plerique & vos ipſi nonnulli docentem libenter audiuiſtis & familiariter eſtis amplexati. Valete, & feliciter Remp. veſt. gerite. Kalend. Auguſt. Anno cIↃ. IↃ. LXXVIII. Brugis Flandrorum.

V. V. amplitud. addict.

I. Cruquius.

AD LE-

AD LECTOREM BENEVOLVM.

IN ANTIQVIS Commentariis iam pridem in quartum Odarum, Epodos & Satyras euulgatis, lector candide, nónullos intelligo, & non poſtremæ notæ viros ſubſannare, atq. adeò reiectare dictionem hanc, Commentator, quaſi minus idoneam, nec ſatis, vt enarratorem notet, Latinam: quod, etiamſi non penitùs infitier; tamen ſi diligentius animaduertant noſtrum ea in re conſilium & epiſtolam ad lectorem olim lib. Odarum quarto præpoſitam candidiùs pellegant, æquiores certè nobis eos fore crediderim. Nam quis eum nominet honorificè, quem ne nouit quidem? vt taceam ea quæ euolui in Horatium ſcripta vix vllo honore digna, ſed ita lacera, manca, mutila, lacunoſa, & tantum non carie, vetuſtateque deperdita, vt ex iis vix hos Commentarios conſarcinauerim. Quid? quòd auctoris nomen opera nulla conſequi potuerim? In editis olim per Henricum Petri operibus Horatij, inter innumeros ferè explanatores legere quidem eſt virorum doctiſſimorum Acronis & Porphyrionis numeros & nomina, ſed in pleriſque eis adſcriptis miror atque deteſtor non oſcitantiam typographi, vt quem fortaſſe mucoſum fecit lucri craſſus odor, ſed ineptos cuculos, qui tantos viros non reueriti, ſuæ ſtupiditatis labe non puduit aſpergere. Facilè coniicio eos in eiuſcemodi librarios incidiſſe, quales per aliquot annos validè nos exercuerunt; at hoc vehementer abominor, tam præcellentibus ſcriptoribus eos tantam barbariem nuncupaſſe. Quod certè ne facerem, & iudicarem ex doctis enarrationibus nihil quàm cucullata ſupereſſe commenta (præter admodum pauca à nobis magno labore nunc ab aliis ſeparata,) ea non enarratoris, ſed Commentatoris eſſe volui. Deinde cùm quatuor legerim Horatij interpretes, Porphyrionem, Acronem, Modeſtum, & Scaurum; nec vllis Blandiniis, Tonſanis, aut aliis ſcriptis appoſitum nomen alicuius: quid cui, quæſo, adſcriberem? Fecerint hoc alij typographi, vt ſuos typos plauſibiliores redderent; noſtrum ſanè non fuit tam ſtultè te lectorem ludere, tibique pro theſauris carbones oſtentare. Ceterùm te, amice, monitum volui noſtra culpæ verſus Horatij in tribus Odarum primis ad noſtram lectionem non eſſe emendatos; nam typis præfectus ad exemplar ſibi propoſitum ſuum ſatis officium fecit, non etiam ad correctionem noſtram, quod fore mihi perſuaſeram neſcius artis typographicæ, quam nunc video primùm rectam quidem curare ad exemplar præſens characterum poſitionem, non etiam ad notas interpretationis, quam legere vt laborioſum, ita nimis eſſent editioni ingrata moræ diſpendia. Quare vt in commune conſulerem, curaui initio ea ad manum eſſe, in quibus præſertim in iam dictis libris Odarum à vulgatis editionibus propè diſſentimus. Itaque noſtros labores boni conſule & vale.

LECTIONES NOVÆ
IN VERSIBVS HORATIANIS.

LIBRI PRIMI ODARVM.

ODE 11. lege per parentheſin (*ſeu plureis hiemes*, &c. vſque ad τὸ, *ſapias*.

Ode 12. *quid prius dicam ſolitis parentis laud.*

Ead. ode ad finem, *Orientis oris*, leg. *ore.*

Ode 15. leg. *Teucer te Sthenelus.*

Ode 17. lege, *metuunt colubras nec Martialeis Haduliæ lupos.*

Ode 23. leg. *Inuleo.*

Ode 25. leg. *facilis mouebat.*

Ode 27. leg. *Chimæra.*

Ode 28. leg. *denſentur funera.*

Eadem, leg. *fors & debita iura.*

Ode 32. leg. *poſcimur.*

Ode 35. leg. *heu.* & paullò poſt, *manum iuuentus.*

Et ead. ad fin. leg. *diffingas recuſum.*

Ode 37. leg. *contaminato congrege.*

Ode 38. leg. *ſub arta.*

LIBRI SECVNDI.

ODE 3. leg. *moriture Gelli.*

Ead. leg. *Ramis. Quid? obliquo laborat.*

Ead. leg. *nimium breuis flores amœnos.*

Ode 9. leg. *Querqueta.* &, *vrgues.*

Ode 10. leg. *vrguendo.*

Eadem lege, *fulgura.*

Ode 12. leg. *flagrantia detorq.*

Ode 13. leg. *Colcha.*

Eadem lege, *Boſphorum.*

Eadem leg. *legeſq; deſcriptas.*

Ode 14. leg. *tinguet pauiment.*

LIBRI TERTII.

ODE 2. leg. *Anguſtam amicè.*

Ode 3. leg. *Hercules eniſus.*

Eadem leg. *Inrepertum.*

Eadem leg. ad fin. *ductore Phœbo.*

Ode 5. leg. *direpta.*

Ode 6. leg. *Moneſis.*

Ode 8. leg. *rape latus.*

Ode 11. leg. *voltu.*

Eadem, leg. *Impiæ? nam quid potuere maius: Impiæ? ſponſos*, &c.

Ode 16. lege & ſic diſtingue, *& perrumpere amat ſaxa potentius. Ictu fulmineo.* &c.

Eadem leg. *demerſa exitio.*

Ode 23. leg. *Phidyle.*

Eadem leg. *robiginem.*

Ode 24. leg. *mare publicum.*

Eadem leg. *materiem mali.*

Ode 25. leg. *aut quos.*

Eadem leg. *conſilio.*

Ode 27. leg. *ego quid timebo.*

Eadem leg. *Vtilis Europa*, per diphthon.

LIBRI QVARTI.

ODE 1. leg. *Porphyreis.*

Ode 2. leg. *Quem ſuper notas aluere ripas.*

Ode 6. leg. *leuis Agylleu.*





C. V. NICOLAO A' BRIARDE D. DE LEYSELE, &c. ET FRANCONATIVM DECVRIONI PERPETVO IACOBVS CRVQVIVS S. P.

BRVGAS quidem, quantum in me fuit, V. ampliſſ. illuſtraui in Epiſtola ad Senat. Brugenſ. verùm in nomine cùm non parum ambigerem, nec mihi perſuaderem eis à ponte quem legi nominari **Reaubrugſtock/** id nominis inditum, conſului virum clariſſimum doctiſſimumque Ægidium Wiitſium I. C. Regi Hiſpaniarum à conſiliis Flandriæ, quem pro familiaritate & litterarum inter nos communicatione non ignorabam antiquitatis in primis oppidi Brugenſis eſſe peritiſſimum. Is itaque hoc in veteribus Brugenſium monumentis inuentum Sigillum Gandauo ad nos miſit, quod ab Huberto Goltzio noſtro tam à fronte quàm tergo delineatum hîc à Chriſtophoro Plantino vides expreſſum. Frons autem ſeu facies aduerſa cum hac inſcriptione, *Sigillum Brugenſis oppidi*, habet diuæ Virginis ſacellum auctum & ornatum à Balduino Ferreo primo Flandrorum comite, cum porta arcis ſeu Burgi, cui ſupernè affixus leo eſt repens per tabulas ſeu ponteis, hodiernum Brugenſe ſigillum: Supra portam quidem excubiæ, infra verò pons eſt ſublicius ingentis magnitudinis ad Romanum morem

palatio-

palationibus adactus & firmatus : A tergo verò Sigilli cum hac inſcriptione, ***Secretum de Brugis***, eſt Arx ſeu Burgus, opus antiquum, vt non dubitem eſſe Romanum cum vallo, foſſa, porta, & ponte vel argumento inſcriptionis Latinæ, quo ſermone in cauſis & rebus publicis ferè vtebantur Galli, donec iugo Romano excuſſo cœpere barbariſſare. Quod etiamnum indicant duo lilia Arci vtrimque appreſſa, reiectis fortaſſis Aquilis; nam & Brugæ tandem non oppidum, ſed villa dicta eſt (alluſione ad *vile*, vocabulum Gallicum) poſt antiqui huius ſigni abolitionem ; quod factum eſt annis abhinc plus trecentis, in conſeſſu publico tam Eccleſiaſtici quàm Politici ſtatus virorum principum Bruganæ Reipubl. præſente populo. Quòd autem Brugæ ab hoc ponte ſublicio denominatæ ſunt, teſtantur Chronica Bertinica, mihi, ex indicio Wiitſij, vſui nunc data à viro tam pio quàm docto D. Petro Adornæo I.C. apud diuum Donatianum Brug. Canonico, ſcripta anno milleſimo quadringenteſimo quarto ex chartis Albini Baiuel. quorum dictionem galliſſantem ſic reddidi aliquantò Latiniùs : Cùm Balduinus Ferreus ſæpius in hac arce, & diutiùs hæreret (forſitan ad piratas propellendos) plures eò concurrere, aut mercium vendendarum (quos Mercemannos nominant Chronica) aut alia tam publica quàm priuata cauſa, in ore cœpit eſſe omnibus, Eamus ad pontem, **laet ons gaen naer de brugge**/ qui ſermo longè lateque ſparſus vſurpatúſque prima fuit & origo vera nominis Brugarum. ſic Chronica præter alia quibus hîc non eſt opus. Ceterùm de libera veſtra Republica qui Franconatus dicitur, Ambactus quondam Brugenſis (vt volunt quidam) vnde nomen hoc ſortita ſit, anquirere quidem, ſed inuenire non licuit : nam nec Meyerus, diligentiſſimus Flandricarum rerum ſcriptor, habet; nec Maſſæus quicquam ad eam rem notatu dignum : Francum quidem Brugenſe nominat Meyerus non ſemel, ſed vnde Francum veniat, nulla mentio. At dabo tamen aliquando omnem operam, vt vel coniecturis vero quàm ſimillimis, vel certis argumentis eius appellationis originem reperiam. Qua in re, vt mihi ne deſis, obteſtabor te, atque adeò obſecrabo; vt quem non latet me per omne genus ſcriptorum tam veterum quàm recentium inſtar apis volare, tibique quaſi prægustando ſumere quicquid ad rerum locorumque cognitionem facere poſſe iudicas. Vale.

Q. HORATII FLACCI ODARVM LIBER PRIMVS.

AD MÆCENATEM.

Alium alio teneri ſtudio, ſe verò Lyricorum verſuum ſcribendorum.

Ode 1. *διαςολικὰ ἢ πραγματικά.*

MAEcenas atauis edite regibus,
O & præſidium, & dulce decus meum:
Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegiſſe iuuat: metaq́; feruidis
Euitata rotis, palmaq́; nobilis
Terrarum dominos euehit ad Deos.
Hunc, ſi mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum, ſi proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis,
Gaudentem patrios findere ſarculo
Agros: Attalicis condicionibus
Numquam dimoueas, vt trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta ſecet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium, & oppidi
Laudat rura ſui: mox reficit rateis
Quaſſas, indocilis pauperiem pati.
Eſt qui nec veteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolido demere de die
Spernit, nunc viridi membra ſub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput ſacræ.
Multos caſtra iuuant, & lituo tubæ
Permiſtus ſonitus, bellaq́; matribus
Deteſtata. manet ſub Ioue frigido
Venator teneræ coniugis immemor:
Seu viſa eſt catulis cerua fidelibus,
Seu rupit teretes Marſus aper plagas.
Me doctarum ederæ præmia frontium
Dis miſcent ſuperis: me gelidum nemus,
Nympharumq́; leues cum Satyris chori
Secernunt populo: ſi neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polymneia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quòd ſi me lyricis vatibus inſeris,
Sublimi feriam ſidera vertice.

COMMENTATOR.

MAecenas atauis edite regibus. Ode *διαςολικὴ μονόκωλος*, qua Mæcenatem alloquitur, indicans alies alia delectare, ſe autem lyricorum carminum ſtudio teneri. *atauis reg.* Dicitur enim Mæcenas duxiſſe originem ab Etruſcis regibus, & cõtemſiſſe ſenatoriam dignitatem, manſiſſe autẽ ſemper in equeſtri ordine. In commemoratione parẽtum & laudatio eſt, vt Virg. Qui tanti talem genuere parentes? & vituperatio, vt Iſmarus aut Rhodope aut extremi Garamantes. *O & præſidium.* Quoniam ei præſidio fuit Bruto à Cæſare ſuperato: nam per ipſum liberatus fuit, ita vt Auguſtus ei culpã condonaret. Deinde Mæcenas ei multa donauit. *& dulce decus.* quia principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt. *ſunt quos curr.* Sunt quos delectat inire curule certamen. Exponit autem varia hominum ingenia, & non vnas omnium voluntates, ne ſit arrogantiæ quod ſibi poëticam videatur vendicare, cùm ſingulos quoſq. rerum aliarum diuerſus habeat amor. *puluerem Olymp.* Agonalem puluerem excitare curſu. Circenſes agonici in honorem Iouis Olympici ſunt inuenti apud Eliden: vnde Virg. hic & ad Elæi metas. *Olympicum.* Olympias autem dicebatur tempus quinq. annorum, ſi quidem expletis quatuor annis, quinto quoq. anno celebrabatur feſtiuitas in honorem Iouis Olympici, ab Olympia campo ſic dicti: In illa autem feſtiuitate omnia genera ludorum certaminúmq. exercebantur, & nunc equis, nunc curribus certabatur, quos cur-

ſus omneis vno verbo notauit dicens, curriculo. & quia terminus ponebatur, ad quē ita curſu flecterent, ne eū tangerent, ait meta euitata. *feruidis.* vertigine ipſa calentibus. *euitata.* ſic circumuitata, cum è circuita ne offenderentur. *palmáq; nob.* quia nobileis facit ipſa victoria, & diuinis honoribus conſecrat. *terrarum dom.* factos. *ad deos.* ad Capitoliū cum palma triumphanteis. *mobil. turba* Quiriteis ait mobileis, referens ad vulgi leuitatem, nam facile mouetur: vt Virg. feruétq. animis ignobile vulgus. Loquitur autē de iis qui fauorē vulgi captantes, optēt ea ingreſſi ſunt theatrū plauſum ſibi dari à populo: ſic enim excipiebantur in theatrū principes, de quibus populus bene ſentiebat, hos enim plauſus ter geminos honores appellat. *ter geminis.* finitus numerus pro infinito, id eſt, multis: aut etiam ter geminis, id eſt, tribus honoribus primis, Quęſtura, Pręture, Cōſulatu. *Illum ſi prop.* Zeugma ab inferiori, repetendū enim verbum dimoueas. *Attalicis.* id eſt, regiis opibus. Attalus autem rex Pergamorum fuit, à quo hæres inſtitutus eſt pop. Romanus. Eſt autem ſenſus: Cuicumq. ſemel agricultura placuit, cœpítq. de agris ſuis frumentum reponere, nullis præmiis ei perſuadeas, etiam ſi regias opes promittas, vt nauta fiat. *de Libycis* ſpecies pro genere. ab excellentia. *verritur.* colligitur, trahitur. *findere.* colere, fodere. *ſarculo* genus ferramenti ruſtici, quod Græci τὸ σκαλίδιον vocant. *Cypria.* abuſiuè, pro quacumq. naui: ſiue quia validiores fiant ex ligno Cyprio, ſpeciem pro genere poſuit. *Myrtoum.* à Myrtilo auriga auxiliario Pelopis in Hippodamiæ certamine: quem, quòd peteret ex pacto vxoris ipſius Hippodamiæ primum oſculum, in pelagus præcipitauit, ex cuius ſupplicio nomen accepit. *pauidus.* proprium epitheton nautarum. *Luctantem.* confligentem. *Icariis.* Icarus Dædali filius, pennis ſole reſolutis, quas cera illigatas patris arte ſumſerat, in mare corruit, & nomen impoſuit mari Icario. *mercator.* mercator cùm tempeſtatem in mari patitur, optat ruſticam vitam, & in patria ſua rura colere, abhorrens tempeſtatem; mox vbi euaſerit periculum, eandem petit vitam. Quo argumento ſignificat omneis amare vitam cui aſſueuerunt. ordo eſt: mercator metuens luctantem Icariis fluctibus Africum, otium & oppidi ſui rura laudat, mox reficit rateis. *mox.* ſup. tamen. *quaſſas.* violentia Africi venti diſiunctas & laceras. *indocilis.* indoctus, impatiēs. *eſt qui nec.* ordo eſt, eſt qui nec ſpernit, &c. Dicit alios lautiore vita delectari, & cōuiuiis apparatis, vt continuare diei poſſint aliquam partem. *nec ſpernit.* amat. liptote. vt Virg. munera nec ſperno. *Maſſici.* Maſſicus mons eſt in Campania, vbi optima vina naſcuntur. vt Virg. atqui non Maſſica munera Bacchi. *ſolido.* integro. *demere.* ſup. vt non intermittat, ſed in lætitia continuet vnā partem diei. *viridi.* amœno loco & conuiuii apto. *ſtratus membra.* Synecdoche. vt, oculos ſuffuſa nitentes. pro eo quod eſt, habēs membra ſtrata, &c. *lene caput.* apud fontem ſcaturientem. *leue.* leniter fluentis, quo ſtrepitu ſuadet ſomnum. *aquæ ſacræ.* omnis enim fons in origine ſacer eſt. *multos caſt.* exercitum militare. vt, Iuuat euaſiſſe tot vrbeis Argolicas. *lituo.* litui acutus eſt ſonus, tubæ grauis. Inter tubam & lituum hoc intereſſe inueni apud antiquos ſcriptores, quòd Lituus equitū eſt & incuruus; Tuba verò peditum & directa. *deteſtata.* execrata propter mortem filiorum: quia in bello iuuenes & adoleſcētes animoſitate temerarij ſunt periculorū contemtores. vt Virg. vota metu duplicant matres. *ſub Ioue.* ac per hoc ſub cælo acri nocturno tēpore, quo feris tenditur. Dicit autē alios ſtudio venandi plerumq. in ſiluis pernoctare relictis coniugibus. *teneræ coni.* aut delicatæ, aut nuper in matrimonium acceptæ. *fidelibus.* ſagacibus, ſilentium in inueſtigando ſeruātibus. Virg. & odora canum vis. Lucret. fida canum vis. *teretes.* de terete fune factas. *Marſus.* Sabellus. ſpeciem pro genere poſuit. Virg. detemq. Sabellicus exacuit ſus. maiores enim forma, & ferociores eſſe dicuntur. *præmia.* poëtarum ſcilicet, quia poëtæ edera coronantur. Virg. Paſtores edera creſcentem ornate poëtam Arcades. deinde: atq. hanc ſine tempora circum Inter victrices ederam tibi ſerpere lauros. Dicit ergo diuinum ſe honorem per poëma adeptū. *miſcent.* nam poëtæ diis quodammodo ſimiles ſunt, propter ſua ſcripta quæ ſunt immortalia. *Nympharúmq leues.* ferè Lyrici carminis materia eſt, de amoribus, nemoribus & fontibus, ac ſi qua ſunt his ſimilia aut proxima. *ſecernunt pop* à vulgo ſeparant & vilioribus, ac per hoc ſublimē faciunt. *Euterpe tib.* hæc vna Muſarum eſt, & interpretatur bene delectans: hæc tibiam inueniſſe dicitur in qua ſonus eſt vocalis. *Polymneia.* Hęc etiam vna eſt Muſarum dicta quaſi multæ memoriæ. & eſt Epentheſis, ſicut in illo Virg. alituū pecudúmq. genus Polymneïa cantat. *Lesboum.* à Lesbo inſula dictum propter Alcæum poëtam. *barbiton.* Lyram maiorem ſeptichorden. *Lyricis.* qui omnes Græci erāt, nam primus poëta Lyricus Latinus fuit Horatius. *inſeres.* id eſt, ô Mæcenas, ſi me recipies in numerū Lyricorum poëtarū, ad cælos vſq. euehar.

CRVQVIVS.

HVius odes argumentum eſt; Alium alio ſtudio recreari, eoq. præcipuè, cui iam aſſueuit, ſine alterius cura, quantum is aut doleat, aut rebus ſuis delectetur. Horatiū verò nihil optare magis, quàm vt poſſit ad lyram ſua carmina decantare.

decantare. *Mæcenas.* Exordiũ à natalibus Mæcenatis, cum grata beneficij, atq. accepti honoris commemoratione, vt qui per Mæcenatẽ ſit Auguſto gratus factus & familiaris. De Mæcenate ſic ſcribit Cornelius Tacitus lib. 5. Cæterum Auguſtus bellis ciuilibus Cilnium Mæcenatem equeſtris ordinis, cunctis apud Romam atq. Italiam præpoſuit, &c. *atauis.* atauus eſt tata aui, id eſt, pater, vt pueri vſurpare ſolent, inquit Feſtus. Quin etiamnum hodie apud Angiam Hannoniæ vrbem vulgus paſſim non alio nomine patres & matres dignantur quàm tatæ & mammæ. *edite regibus.* ortus enim eſt Mæcenas ex duodecim Etruriæ lucumonibus, id eſt, regibus ſeu principibus viris: filius autem fuit Menodori, qui Cæſari contra Pompeium fuit auxilio, cui Menippus pater fuit filius Cæcinnæ regis Etruſcorum, qui fuit atauus Mæcenatis. Propert. li. 3. Martial. lib. 11. ſic & poſtea lib. 3. odarũ: Tyrrhena regum progenies. *O & præſid.* exclamatio, arguens animi gratitudinem. *præſidiũ.* præſidiũ eſt quod pro vtilitate & ſalute alicuius auxilij gratia præponitur, ait Feſtus: ſubſidiũ, quod poſtpoſitum eſt ad ſubueniendum laborantibus. fuit autem Mæcenas Horatio & ſalutis & dignitatis auctor apud Auguſtum: nec non amicus vtilis in prædiis & villis ei largiendis. *ſunt quos.* ἐισὶν οὓς, Helleniſmus. Enumeratio earum rerum quibus pleriq. omnes in vita delectantur, qui apud homines ſunt aliquo numero, quibúſq. vita humana ferè benignius toleratur: Quid enim eſt in hominum conuerſatione magnopere ſuſpiciendum: imò potius, quid non vel ipſa propè morte grauius, ſi tollis è medio honeſtum, vtile & delectabile? Hoc itaq. primum exemplum eſt ab honeſto, eorum, putà, qui præclaris ſuis conatibus ambiunt immortaleis fieri diiſq. proximi. *Olympicum.* de quatuor Græcorum ludis celebribus, vide quæ notauimus od. 2. lib. 4. *Collegiſſe iuuat.* colligere puluerem, eſt palæſtritarum lucta ſeſe & curſu exercitantium; κονίζειν. vide Epigram. lib 3. εἰς ἀγωνιστὰς κονιόντες πεδίοιο, inquit Heſiodus. τοῦτ' ἐστι τρέχοντες, ait Interpres, ἐκ γὰρ τὸ τρέχειν ἡ κόνις ἤγουν χῶμα ἐγείρεται. id eſt, inter currendum namq. puluis, ſiue terra excitatur. Itaq. curriculo puluerem colligere, eſt currendo puluerem cumulatim in altũ concitare ſeu iacere. Niſi mauis colligere puluerem, eſſe ſordidari puluere inter currendum ſeu pugnandum: vnde ode 6. huius lib. dicit Merionem nigrum puluere Troico; id eſt, ſordidatum puluerulentúmq. Cæterùm de puluere vide oden 6. lib. 4. Hic, ἐκ παραδρομῆς, crediderim ſub Olympici pulueris nomine non tam Græca ſpectâre, quàm quæ in circo maximo certamina fieri ſolebant, ad imitationem fortaſſè Olympicorũ ludorũ: nam & in circo ſpectantium clamor, & plauſus ad cælos vſq. euehebatur, adeò vt non rarò imperatorum & ducum imagines habitu triumphali Deorum ſacris immiſtæ, populi erga principes ſtudio, in ſpectaculis efferrentur: Quò pertinere videntur ea, Terrarũ dominos euehit ad Deos. id eſt, diis æqualeis facit. Terrarum autem dominos, quos alios, quæſo, hic accipias præter Romanos, iuxta illud poëtę, Romanos rerum dominos gentémq. togatam? Quare nõ parum miror Glareanu hic ponere amphibolíã, Dominoſq. terrarum hic Deos quoq. dici poſſe. De ludis autẽ Circenſibus vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. & Marlianum, lib. 3. cap. 17. *Hunc ſi mobilium.* ſic habent 4. cod. Blandinij. reliqui, nobilium. ſed aliud mihi placet magis, propter factiones ſpectantiũ & acclamantium. vide Alexandrum dicto cap. *tergeminis.* id eſt, plurimis honoribus extollere, ſdq. ambitione populari. & hæc ſimplex interpretatio, nullis obnexia calumniis, mihi certè probatur in primis: Nam ſi tergeminos honores cum Porphyr. vel Acro exponemus Quęſturã, Prętutam & Conſulatũ; vel, vt alij volunt, Aedilitatẽ, Præturã, & Conſulatum; quid ad hæc Plutarchi reſpondebimus Problematis Romanis, Τίτος κοίντιος οὕτως ἦν εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἐπιφανὴς ὥστε πρὸ δημαρχίας καὶ στρατηγίας καὶ ἀγορανομίας ὕπατος αἱρεθῆναι. id eſt, Titus Quintius tam erat ſtatim ab initio præclarus, vt ante Tribunatum, Præturã & Aedilitatem conſul deſignatus ſit? *illum ſi prop. cond.* Exemplum ab agro colendo frugibúſq. percipiendis, quod eſt & vtile & honeſtum, ſed laborioſum. *proprio.* ἰδίῳ. hellenicôs, pro poſſeſſiuo ſuo. *Libycũ.* id eſt, fertilibus & fecũdis. κατ' ἐξοχὴν Libyæ ſeu Africæ prouinciæ; quę quã diues ſit frumenti, prętter naturalium rerũ ſcriptores eius rei teſteis locupletiſſimo, nobis argumẽto ſunt ἀγάλματα, ſiue εἰκόνες numiſmatũ Africanę Prouincię. *areis.* agris latis, planis & apricis: Area namq. ruri ager eſt Iuriſconſultis de verborum ſignificationibus. *gaudentem* Glareanus, nouum, ait, hic genus incipit: quaſi hoc rei ruſticæ ſtudium diuerſum velit eſſe à iam dicto; ſed quo id conſilio ab alio ſegreget, non ſatis aſſequor, niſi fortaſſe velit, condere proprio horreo omne frumentum Libycum, non tam agricolationis, quàm auaritiæ ſpeciem præ ſe ferre: quod & ſi nõ omnino videri poſſit à vero diſſentaneum, ſi eorum verborum propriam habeas rationem: nimirum ſi quis lucri gratia ingentem frumenti Libyci copiam coëmtam, in horreum ſuum congregarit, tamen malim tribus his verſibus continuis vnicam comprehendi agriculturæ curam. *trabe Cyp.* alludit ad nauem trabicam,

bicam,

bicam, quæ trabibus connexa eſt; de qua apud Feſtum. De Cypro, vide quæ adnotauimus in 1. oden lib. 4. *dimoueas.* demoueas, legit Lambinus; quod & ſi non improbem, tamen ſeruo antiquam lectionem, tum propter conſenſum omnium codicum ſcriptorum, tùm quòd parum intereſſe videam. *luctantem Icar.* exemplum ab vtili, ſed moleſto & periculoſo q. Qui mare nauigant, inquit Eccleſiaſt. 43. enarrant eius pericula, & audientes auribus noſtris admirabimur. Eſt autem Helleniſmus, ſic enim Græci παλαίω σοὶ, luctor tibi, pro tecum; lepida metaphora luctæ ventorum & vndarum inter ſe. *otium & opp.* non otium ſui oppidi, vbi nullum eſt otium, ſed nihil quàm negotium, & vita ſollicita, vt ſcribit Saty. 6. lib. 2. ſed otium & rura ſui oppidi. id eſt, otium ruſticum ſiue agriculturam, vitam tranquillam, & ab omni tumultu remotam, quam eadem Satyra nominat, Iucunda obliuia vitæ ſollicitæ, id eſt, vrbanæ. *rates.* apta dictio trabi Cypriæ, rateis enim vocant, inquit Paullus, tigna colligata quæ per aquam aguntur: hinc ratitus quadrans, quod in eo & triente ratis fuerit effigies, vt nauis in aſſe. *indocilis.* Helleniſmus, pro indocilis ad patiendum ſeu patiendi. id eſt, impatiens pauperiei. *pauperiem.* pauperies non eſt inopia vel egeſtas, ſed victus tenuis & facilè parabilis, non luxurioſus, vt Ecloga 2. lib. 2. Nec dum omnis abacta pauperies epulis regum. *eſt qui.* ἐστιν ὃς. aliud vitæ genus, à iucundo quidem, ſed parum laudabili, nimirum voluptate corporis, qua peſte nulla capitalior hominibus à natura data eſt, inquit Archytas Tarentinus. *Veteris.* vini commendatio à vetuſtate: παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δὲ ὕμνων νεωτέρων πίνδαρος ἐπαινεῖ, ait Athenæ. lib. 1. *Δειπνοσοφ.* id eſt, antiquum quidem vinum, ſed florem deprædicans recentioris Pindarus collaudat Epharmoſto Olympiis. Nam antiquum non voluptati ſolum, verum etiam ſanitati magis confert, quòd cibum melius digerit, & cùm ſit tenue, facilè diſtrahitur, præſtat robur corpori, ſanguinem rubicundum facit, facilè diſtribuitur, & ſomnum præbet non perturbatum. *Maſſici.* vini. Certant, inquit Plin. lib. 14. cap. 6. Maſſica æquè ex monte Gaurano Puteolos Baiáſq. ſpectantia. vide eundem lib. 3. cap. 4. de montibus Maſſicis & Gauranis. Hæc vini laus eſt à loco. *nec par. ſolid. d. d. d.* dies hic nō tam eſt illa dimenſio cæleſtis ab ortu ſolis ad occaſum intra horas duodecim æqualeis, tam æſtate & hieme, quā aliis anni partibus Romano more, quàm diurni operis tam priuati quàm publici: ſic enim diis placitum ſcribit Horatius, vt inuocato matutino patre, homines operum primos vitæq. labores inſtituant: & ante eum Heſiodus in operibus & diebus: vnde dies operoſi dicti. Solidus autem dies totus eſt & integer, adminiſtrandis, ſine intermiſſione, rebus dicatus. Itaq. demere partē de ſolido die, eſt aliquot horas ab agēdis rebus, quaſi furto ſublatas, dare voluptati, nimirū aut indulgēdo genio Venerique, aut turpi otio, ſomnóq. dulci & grato. *demere.* demimus propriè partē de toto, ſed adimimus totū ipſum. *membra ſtratus.* habitus hic eſt hominis deploratæ voluptatis. Moſchus: αὐτὰρ ἐμοὶ γλυκὺς ὕπνος ὑπὸ πλατάνῳ βαθυφύλλῳ, καὶ παγᾶς φιλέοιμι τὸν ἐγγύθεν ἦχον ἀκούειν ἀχεῖ ſac. periphraſis fontis ſcaturientis. de diuinitate autem aquæ, lege Ludouicum Cælium lib. 27. ca. 5. Quòd autem fons omnis ſacer ſit Seruius adnotauit lib. 7. Aeneid. nullus enim fons, inquiens, nō ſacer eſt propter attributos eis deos qui fontibus præeſſe dicuntur. *multos caſtra.* aliud vitæ genus bellicoſum. à delectabili quidem, ſed vitæ vſu & exercitio firmatum: quod etiamnum cum honeſto coniunctum eſt tantiſper dum pro patria & libertate geritur; ſatius enim eſt honeſtè emori, quàm turpiter viuere ſeruiréque. Euripides Andromache: κατθανεῖν γὰρ εὐκλεῶς ἢ ζῆν θέλοιμ' ἂν δυσκλεῶς γε. hoc eſt, mori enim cum laude quàm viuere malim cum ignominia. *manet ſub.* venatio non modò iucunda & vtilis corpori exercendo, verum etiam multis nominibus ſemper commēdata: vtilitatem autē eius domi belliq. vide apud Xenophontē lib. de venatione, atq. primo de Cyripędia. *ſub Ioue f.* periphraſis aëris nocturni, qui vt humidior eſt, ita & frigidior. Cur autē per Iouem ſcriptores aërem circumſcribāt, quæ Iuno quoq. nominatur, ἥρα, id eſt, terra vel aër etiam auctore Platone quaſi ἐρατὴ, id eſt, amabilis, an hoc fiat ex Stoicorum ſententia, qui cùm vnum tantum naturæ deum aſſerant, eius nomina variari dicant pro actibus & officiis, ζεὺς ἄρσην γίνεται, ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη, inquit Orpheus Appuleio teſte, quod ipſe ſic vertit, Iuppiter & mas eſt & femina neſcia mortis. *venator ten.* vide quanta ſit aſſuetudo vitæ cum delectatione, quæ incommoda commodis, dura mollibus anteferat: Quid enim mollius & commodius quàm cum tenera placidáq. vxore domi cubare? cōtrà, quid durius & incōmodum magis, quā de nocte ſub cælo excubare, feráſq. non ſine magno valetudinis vitæq. diſcrimine captare? *catulis.* deminutiuum pro primitiuo canibus, puta venaticis, quibus feras inſequuntur venatores. alij autem ſunt odori ſiue ſagaces, qui rimantur ferarum cubilia, eáſq. excitāt: alij leporarij, qui lepores inſectantur. Duo hic notantur venationis genera, alterum in inſequendis, alterum in feris illaqueandis irretiendíſq. *plagas.* plagæ, retia rara, Virg. nimirum ex denſo & craſſo

craſſo ſunt connexa, quibus ſaltus & maiorum ferarum cubilia ſtabulaq. cinguntur à venatoribus. *rupit plagas.* effugit ruptis plagis. *me doctarum.* Núc per contentionem deſcribit, quo ſtudij genere ipſe potiſſimum recreetur, quod pro antiquo de gloria decertandi more ad Olympicos ludos ſpectare videtur: Ibi namq. ceteris lucta, curſu, ſaltu cõtendentibus, Muſici quidem cantando, poëtæ verò deſcribendis heroum laudibus palmã captabant. vide oden 2. lib. 4 *doctarum front.* periphraſis Synecdochica, pro poëtis edera coronatis. *ederæ præm.* epexegeſis. Quod autẽ ſertis ederaceis poëtarum capita ſint redimiri ſolita, hinc ſumtum videtur, quòd vt ederæ folia commanducata agant homines in furoris quandam ſpeciem, teſte Plutarcho Problem. ita in poëtis motus eſt quidam diuinus, quo agitati ſæpe furibundis ſimiles ea canunt quæ ad ſe reuerſi vix aſſequuntur. *diis miſcent.* familiarem & amicum diis reddunt. hinc eſt illud Ouid. 6. Faſtor. Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo, Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet; Fas mihi præcipuè vultus vidiſſe deorũ, Vel quia ſum vates, vel quia ſacra cano. Quin & aras & deorum ſtatuas olim non niſi ſua fronde ornari fas erat. Ita poëtæ edera coronati, diuinóq. furore rapti, cum diis verſari, diuiníſq. ſeſe dignos honoribus eſſe credebant. *gelidum nemus.* vmbroſum, opacum, propter arborum denſitatem. Nemus autẽ hic accipe per metonymiam pro diis Siluanis & Faunis, iis enim cum nymphis immixtum dicit ſe cõuerſari & canere carmina. *ſecernunt popul.* id eſt, ſemotum ab vrbanis rebus, popularíq. ſtudio, quod tumultu & trepidatione plenum eſt, ſibi me vendicant, ſinq. otio ſecreto ſecum viuere faciunt. *ſi.* id eſt, quia Muſis ita viſum eſt, quarum fauore & munere diuina hæc beneficia conſecutus ſum. Modeſta de ſeipſo ſententia ad vitandam inuidiam. *tibias.* tibia flatu ſonum edit, cuius vſus olim in funere præcipuus erat. vide Polyhiſtorẽ. *Euterpe coh.* Dulcis enim tibiarum concentus vehementer afficit animos delectárq. Innuit autem Euterpen Muſam carminis ſuauitatem & gratiam ſibi non denegare. *nec Polyhymnia.* ſic habent cod. Bland. vetuſtiſſimi: cui lectioni Soſipater aſſentitur lib. 4. Barbariſmus, inquiens, fit adiectione, cùm vna pluréſve litteræ non neceſſariæ iniiciuntur. videtur itaq. velle υ. poſterius iniectum ſine mutatione ſignificationis, verúmq. nomen eſſe Polymneia, vt veniat ἀπὸ τῦ πόλυ καὶ μνείας, quaſi multa memoria: fingũtur enim Muſæ Iouis & memoriæ filiæ. Quod ſi ita eſt, omnino eſt neceſſe pænultimam ει in ι longã mutatã eſſe communẽ, vtpote quòd vocalẽ præcedat, vt vult Hepheſtio. Verũ enimuero nihil prohibet dicere eã dictionẽ compoſitã eſſe ἀπὸ τῦ πόλυ καὶ ὕμνος, nam πολύϋμνος, id eſt, multicinis, eſt inuenire apud Ariſtophanem. Sed & Phornutus πολύμνεια δ' ἐςὶν ἡ πολυύμνητος ἀρετὴ, ἢ πολλοὺς ὑμνοῦσα. id eſt, Polymnia eſt multicina virtus, aut potius multos prædicans. hæc namq. eſt, ait Diodorus, quę cantus ſuauitate poëtas reddit gloria immortaleis. *tendere.* hoc ad fides pertinet quibus barbiton ſeu barbitos tenditur, plectríſq. ſiue radiis percutitur: hinc Halicarnaſſeo lib. 7. βάρβιτα κίρκειν. *Lesboum.* à loco, nimirum Leſbo inſula, ſdq. propter Alcæum & Sappho egregios Lyricos ex ea inſula oriundos; ſic enim poſtea, age, dic Latinum barbite carmen Lesbio primum modulate ciui. *barbiton.* tendere barbiton propriè hoc dictum eſt; nam apud Athenæ. lib. 4. βάρβιτος ὄργανον ἐντατὸν καὶ πολύχορδον. id eſt, inſtrumentum eſt intenſum & multarum chordarum. Itaq. tendere barbiton eſt quod Græcè dicitur βαρβιτίζειν. *quòd ſi me Lyr.* κατ' ἐξοχὴν effert Mæcenatis iudicium in diſcernendis carminibus Lyricis, eúmq. tamquam criticũ ſtatuit, adeò vt fateatur aliis ſe ſatis commendatum iri, modò ab ipſo vatibus Lyricis adnumeretur. *Lyricis vatib.* Græcis, putà, qui numero nouem celebrantur, Pindarus, Alcæus, Sappho, Steſichorus, Ibycus, Bacchylides, Simonides, Alcman, Anacreon. Ipſe autem Horatius primus Latinorum fuit. *Inſeres.* ſic habẽt duo Bland. & cod. Carr. Inſerere autem metaphoricôs eſt adnumerare. *ſublimi feriam.* hoc eſt, ad tuas laudes nihil aliud mihi accedere poſſe iudicabo, niſi vt Deus fiam, & tamquam ſidus inter homines reſplendeã: aut ſublimi feriam ſidera vertice. id eſt, ero in oculis omnium, ero omnibus admirationi: nã quæ ſunt & fiunt in ſublimi, ab omnibus cernuntur ſuſpiciuntúrq. vide adagium, cælum digito attingere.

AD DIVVM AVGVSTVM, de ira vindictáq. deorum propter necem Iulij Cæſaris.

Ode II. προσευκτική.

IAM ſatis terris niuis, atque diræ
Grandinis miſit pater: & rubente
Dextera ſacras iaculatus arceis
Terruit vrbem.
Terruit genteis, graue ne rediret
Sæculum Pyrrhæ noua monſtra queſtæ,
Omne cùm Proteus pecus egit altos
Viſere monteis:
Piſcium & ſumma genus hæſit vlmo,

Nota quæ ſedes fuerat columbis,
Et ſuperiecto pauidæ natarunt
Aequore damæ.
Vidimus flauum Tiberim, retortis
Litore Etruſco violenter vndis,
Ire deiectum monumenta Regis,
Templaq́; Veſtæ:
Iliæ dum ſe nimium querenti
Iactat vltorem: vagus & ſiniſtra
Labitur ripa, Ioue non probante, v-
xorius amnis.
Audiet ciueis acuiſſe ferrum,
Quo graues Perſæ meliùs perirent:
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara iuuentus.
Quem vocet Diuûm populus ruentis
Imperî rebus? prece qua fatigent
Virgines ſanctæ minus audientem
Carmina Veſtam?
Cui dabit parteis ſcelus expiandi
Iuppiter? tandem venias precamur
Nube candenteis humeros amictus
Augur Apollo.
Siue tu mauis Erycina ridens,
Quam Iocus circumuolat, & Cupido,
Siue neglectum genus, & nepotes
Reſpicis auctor.
Heu nimis longo ſatiate ludo:
Quem iuuat clamor, galeæq́; leues,
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hoſtem.
Siue mutata iuuenem figura,
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ, patiens vocari
Cæſaris vltor:
Serus in cælum redeas, diuq́;
Lætus interſis populo Quirini:
Néue te noſtris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat. heic magnos potiùs triumphos,
Heic ames dici pater, atq; princeps:
Neu ſinas Medos equitare inultos
Te Duce Cæſar.

COMMENTATOR.

IAM *ſatis terris niuis atq.* Metrum Sapphicum hendecaſyllabum tribus verſibus, quod conſtat trochæo, ſpondeo, dactylo & duobus trochæis, hoc modo: Iā ſa.tis ter.ris ni vis.atq. diræ, &c. vel aliter ex Epitrito ſecūdo, choriambo & Bacchio. Quartus autē verſus eſt Adonius dimeter ex dactylo & ſpondeo. ſic, terruit. vrbē. *Iam ſatis.* Poſt occiſum in Senatu C. Cæſarē à Caſſio Brutóq. & aliis cōiuratis, plurimæ niuis & grandinis tēpeſtates, multáq. portenta viſa ſunt. Tiberis etiá inundatione Romā laborauit, ita vt prodigij loco haberetur. Hæc autē omnia vult videri facta in vltionem occiſi principis, eorúmq. pœnā, qui cædis auctores extiterant. Hāc autē oden ſcribit in honorem & gratiam Auguſti vltoris. Sic & Virg. Extinctū Nymphæ crudeli funere Daphnin. & alibi: Ille etiā extincto miſeratus Cæſare Romā. *diræ*. metuendæ, à furiis tractu quæ diræ dicuntur. vt, & diræ vltrices. & diratū verbera noſco Lethalémq. ſonū. *rubente.* fulmen tenente. *dextera.* omnes manubiæ albæ & nigræ Palladis eſſe dicūtur: Iouis rubeæ & ſanguineæ. *ſacras.* id eſt, in ſacras arceis, tēpla deorū & regū ædeis monumentáque: vel etiā ſacras arceis Capitoliū nominat. *Terruit gent.* timere fecit. *Pyrrhæ.* vxoris Deucalionis, ſub quibus fuit diluuium. *noua monſt.* per noua monſtra indicat diluuiū, propter hoc quod ſequitur, genus piſcium hæſit ſumma vlmo. *Proteus.* belluarum marinarū paſtor. Hunc autē dicit diluuio marina armēta in mōtibus pauiſſe. de quo Virg. Immania cuius armenta & turpeis paſcit ſub gurgite phocas. *pecus egit alt.* omne animal præter hominē veteres pecus nominabāt. *hæſit vlmo.* naturæ cōtraria dicit diluuio contigiſſe, ſcilicet, vt in arboribus hærerent piſces, & damæ ſilueſtreis in aquis natarent, quas Virg. maſculino genere dixit; Cū canibus timidi venient ad pocula damæ. Diluuio facto cū tantū Parnaſſus emineret, Deucaliō & Pyrrha quo modo repararetur genus humanū, Apollinē conſuluerūt: Qui dum reſpōdiſſet vt poſt tergum iacularentur oſſa matris, cognouerūt Terram eſſe rerū matrē: Itaq. iaculante mox Pyrrha lapides, puellæ; Deucalione, mares nati ſunt. Iuuenal. Deucalion lapides vacuum iactauit in orbē, Et manibus nudis oſtendit Pyrrha puellas. Virg. Hinc lapides Pyrrhæ iactos Saturnia regna. *flauū.* turbidū & arenæ colore flauū. vt Virg. Vorticibus rapidis & multa flauus arena. *retortis.* aut propter turbines dixit, aut propterea quòd in cāpum exibat, & nō ſolito alueo in maria: nā maris aſſurgē:is violētia Tiberis repulſus inundauit. *Etruſco lit.* id eſt, Tyrrheno mari, quò influit Tiberis. *monumenta reg.* regiá dicit Numæ Pompilij qui ad Veſtæ ſuā habuit regiam. Cic. de eadem ſic ait: Nu-

ait: Nuper ad regiã me pæne confecit. *Iliæ.* matri Romuli, vxori ſuæ. Ilia, Ennio auctore, in amnẽ Tiberim iuſſu Amulij regis Albanorũ præcipitata eſt: antea enim Anieni matrimonio iuncta fuit. Hic autem loquitur quaſi Tiberi potius nupſerit. *querenti* conquerenti, querelas apud ſe deponenti de morte Cæſaris ſuæ gentis hominis. *vagus.* non recto meatu fluens, effuſus & errans per ripas ſuas. *ſiniſtra.* aut infauſta, aut qua parte pronior alluit agros Romanos. *non probante.* vix permittente. *vxorius amnis.* variæ de Ilia poëtarũ ſunt opiniones: ea autẽ mater Romuli fuit, quẽ ex Marte ſuſcepit, quæ mortua ad ripã Anieni fluminis ſepulta dicitur qui in Tiberim cadit: & quia aquis abundans Anio cineres Iliæ detulit in Tiberim, ideo dicta eſt ipſa nupſiſſe Tiberi. hinc dictus eſt amnis vxorius, qui ſe ad eius querelã iactauit vltorem cædis. Vxorius aũt dicitur vxori deditus. vt. pulchrámq. vxorius vrbem Extruis. *audiet.* ἀκούσιτος. *ciueis acuiſſe fer.* maiorũ pugnas propter bella ciuilia: nã Auguſtus percuſſores Cæſaris in Aegyptum vſq. perſecutus eſt. *quo.* ſup. ferro. *graues P.* infrenes. *melius.* potius quã ciues. *rara iuuent.* pauci poſteri: quia in bello ciuili ſub Cæſare & Põpeio, & poſtea ſub Auguſto & coniuratis Caſſio Brutóq. ipſi ſe Romani mutuis vulneribus confecerunt. *quem vocet.* trãſitio per aſyndetõ, & per ſubauditionem ergo, aut ſimilis coniunctionis, vt ſit ordo, ergo quẽ vocet diuũm populus, &c. nam auerſos dicit ſuperos propter tãtum facinus, & vota gentis Romanæ ſpernere. *fatigent.* inſtanter & impensè rogent. vt, diuóſq. in vota fatigent. *minus aud* id eſt, nõ audientẽ hymnos & preces ſupplicantium. *cui dabit.* id eſt, cui deorũ faciet Iuppiter poteſtatem delendi malũ quod patrauerunt Romani in occidendo Cæſare? *Iuppiter.* iuuans pater. Iouis mite nomẽ eſt. vt Luca. nam mitis in alto Iuppiter. *tandem v. pre.* Conuertitur ad Apollinem in gratiam Auguſti, is enim bello Actiaco Antoniũ oppreſſit. Virg. hæc cernens arcum intendebat Apollo. *nube cand.* melius nube candenti, quàm candenteis humeros. *amictus.* candidis nubibus velatus, vt qui videri poſſit, nõ amicti enim dij nequeũt conſpici. *augur Apol.* hæc propter Auguſtum dicit, qui ſe Apollinis filium volebat videri. *Erycina.* Erycina autem Venus ab Eryce monte dicta eſt, in quo maximè colebatur. hæc ad Auguſtum pertinent & gentẽ Iuliam, quæ à Venere ducebat originem. vt Virg. Hunc tu olim cælo ſpoliis orientis onuſtũ Accipies. &, Erycino in litore ſedes Fũdatur Veneri Idaliæ. *ridens.* propitia, nam Veneris numen non vſq. adeò mite eſſe ſolet: irata enim aliquando Solis filias perſecuta eſt. videtur autem alludere ad illud Homericũ φιλομειδὴς ἀφροδίτη. *Sive neg.* ad Martem hoc dirigit, quẽ inuidioſè arguit genus ſuum, id eſt, Romanos neglexiſſe, quòd paſſus ſit eos bello ciuili deuaſtari. *auctor.* Mars propter Iliam Romuli matrem. Virg. viden, vt geminæ ſtãt vertice criſtæ, Et pater ipſe ſuo ſuperum iam ſignat honore. *ludo.* ludum pro bello poſuit, hic enim videtur eſſe ludus Martis. *quem iuuat.* Martẽ enim & bellicus clamor & ſplendentia tela delectant. vt, iuuat ire & Dorica caſtra Deſertóq. videre locos. *Mauri.* Maurum pro cuiuſlibet bellicoſæ gentis viro ponit, ſpeciem pro genere. *Siue mutata.* Adulatur Auguſto, Mercurium eum eſſe dicens, cuius ipſe parens per Troianos fuiſſe dictus eſt. vt Virg. At Maiam, auditis ſi quicquã credimus, Atlas: Idem Atlas generat cæli qui ſidera torquet, Sic genus amborũ ſcindit ſe ſanguine ab vno. Ordo autem horum verborum eſt: ô tu ales Mercurij filius almæ Maiæ patiens vocari Cæſaris vltor, imitatus in terris iuuenem Auguſtũ mutata figura, venias precamur. *alme.* almæ filius Maiæ, periphraſis Mercurij. Virg. hæc ait & Maia genitũ demittit ab alto. *ſerus.* ſuauiter optat Auguſto, vt diu viuat, & ſero diuus fiat. *iniquum.* iratum, contrariũ, indignantem peccatis noſtris, & propterea ocyus nos fugientem. *ocyor aura.* pro ocyus tollat, σχῆμα ὑπαλλαγή. *princeps.* iuxta morẽ p incipum virorũ, qui patres patriæ dicũtur. *Medos* Parthos, à quibus Craſſus occiſus eſt, quo cæſo ortũ eſt bellũ ciuile: Luca. Vmbráq. erraret Craſſus inulta.

CRVQVIVS.

IN gratiã Auguſti quas terroris pœnas & Romani ciues & exteræ nationes dedere irato Ioui, fingit eas accidiſſe propter Iulij Cæſ. miſerandam cædẽ; argumento ſumto ab aërea tempeſtate, Tiberina inundatione, & bellorũ ciuiliũ cõtinuatione. quod cũ vitio ciuiũ eueniſſe dicat, Ioui ſupplicat vt vel Apollinẽ, vel ex Iulia gente aliquẽ, vel Mercuriũ (quẽ facit Auguſtũ mẽtiri mutato vultu) cælo demittat, qui ſcelere parentũ expiato, tãdẽ pace inter ciueis cõpoſita, diu regnet, hoſteíſq. Romano ſubiiciat imperio. *Iã ſat.* Exordiũ à tacita obteſtatione, & enumeratione pœnarũ, quas Ioui diuíſq. ceteris vult luiſſe Romanos, ob Cæſarẽ indignis modis cæſum. *diræ grand.* propter irã deorũ. dirus enim, inquit Feſtus, dei ira natus θεοχόλωτος *pater.* ἀντονομασία, pro Ioue. ſic Virg. 1 Geor. Ipſe pater media nymborũ in nocte coruſca Fulmina molitur dextera. *& rubẽte dex.* Si Iuppiter grãdinet ſimul & fulminet, calamitatem præſignari voluit antiquitas. ſcribit aũt Cõment. Iouis quidẽ rubras eſſe manubias, Palladis verò albas & nigras. Alex. ab Alex. ſolius ait Iouis rubras, ceterorũ aũt deorũ albas & nigras eſſe manubias. ſic Tu eo vocabulo dicta deorũ fulmina: ſed & exuuiæ ab hoſtib⁹ captæ,

ſpoliáq. etiam manubiæ nominatæ ſunt, eò quòd manu caperentur, vt habet Agellius ex aliquorũ ſententia. Nannius autem noſter arbitratur dictionẽ coniungi ex manu & vi, aut à manu & *βία*, vt ſit hybrida dictio. Ego certè puto *μανουβία* eſſe purum putũ Græcum nomen, coaluiſſéq. *ἀπὸ τοῦ μαντεύω*, id eſt, iudico; & *βία*, id eſt, virtus & potentia: nam vt dij fulmine hominibus ſuam potentiam declarant, ita viri principes detractis ab hoſtibus ſeu aduerſariis ſpoliis eis ſe potentiores iudicant. Ceterùm Tuſcorũ vates nouẽ Deos fulminatores eſſe litteris prodiderunt, vt habet Plin. in naturali hiſtoria: atq. vndecim fulminum genera, Iouem autẽ tria eiaculari, alia quidem conſilij, quæ & monitoria placidáq. vt ſcribit Feſtus, ſeu læta, nimirũ quæ emicabant poſt conceptum de re aliqua agenda conſilium: Alia verò auctoritatis, quæ diis conſciis cum fragore quodam poſt rem iam peractam bonum vel malum prænunciabant: Poſtrema autem, ſtatus, quæ deorũ etiam ſuperiorum conſilio, præter expectationem omnium ſuperueniebant, ignitáq. violenter diſcutiebant adurebántq. nõ ſine ſignificatione ſtatus publici priuatíq. mutandi: qualibus fulminibus ait hic Horatius ictas eſſe arceis ſacras, ciuéiſq. territos. Quod autem ad ſtatus commutationem ſpectat per eiuſmodi fulmina prænunciatam, ſcribit Dion. in Auguſto: ego verò ex iis omnibus quæ temporibus Cæſaris & Antonij acciderunt hoc vnum referam, quo commutatio rerũ, vt ego arbitror, ſignificabatur: flumina quædam in Italia in contrarias parteis fluxiſſe: quædã prorſus exaruiſſe, &c. Rurſum in eodem: Cornelio autem & Valerio Meſſalla conſſ. magni terræ motus facti ſunt, Tiberis põtem diſturbauit, fecítq. vt vrbs ſeptem dies nauigaretur, &c. Profectò ob has cauſas ego crediderim in honorem Cæſaris iam Diui hunc hymnum ludis Apollinaribus pueros manibus amplexos ceciniſſe ad aras viuo Cæſari conſecratas. ſic & lib. 2. epiſt. 1. Præſenti tibi maturos largimur honores, Iurandáſq. tuum per nomen ponimus aras. & ode 5. lib. 3. præſens Diuus habebitur Auguſtus, &c. *iaculatus arceis.* id eſt, ſacras arceis icit fulmine, & terruit vrbem, id eſt, ciueis vrbanos, per metonymiam continens pro contento. *Pyrrhæ.* vxoris Deucalionis, qui in Attica Cecrope regnãte, iis imperabat qui circa Parnaſſum montem habitabant, Euſebio teſte Chronicis, ſub quo trimeſtre diluuium fuiſſe in Theſſalia ſcribit Xenophon in æquiuocis. anno mundi 3675. Euſebio auctore; ſi potius non credamus id vniuerſale, Noéq. fuiſſe Deucalionem: Scribit enim ex antiquis fabulis, quę prę ſe ferunt hiſtoriam, Plutar. in eo libro vbi brutis ait ineſſe vim rationis, Columbam ex arca emiſſam indiciũ Deucalioni præbuiſſe ſubſidentium aquarum ceſſantiúq. hiemis. Huc facit quod Apollodorus lib. 1. memoriæ prodidit: poſt, inquiens, vbi prolem æneam tollendam Iupiter cenſuit, Deucalion Promethei conſilio fabrefacta è lignis arca, in eámq. ad vitam tranſigendã rebus neceſſariis impoſitis, cum Pyrrha ingreſſus eſt; mox Iupiter largè effuſis de cælo imbribus maximam Grętię partem cooperuit, vt quicquid in ea mortalium foret, interierit præter admodum paucos, &c. hunc legito. *noua monſtra.* rem nouam, inſolitam, nec vnquam antea viſam: nam monſtra pro monſtratione poni neceſſe eſt, phocas enim & delphinos in mõtibus paſci, & damas natare, eſt pręter naturã. ſic & Virg. mõſtra deûm refero, pro monſtratione. *pecus egit.* egit viſere, Helleniſmus, pro eo quod eſt, eduxit ad videndum, *ἤγε ἐπισκέπτεσθαι*, ad inſpicienda paſcua inſolita incognitáq. *pecus.* marinum. nimirũ phocas, vitulos, &c. quæ maris belluæ non impropriè pecoris nomine comprehenduntur, ſpirant enim & dormiunt in terra herbáſq. depaſcuntur. quod eis cùm ſit cum terreſtribus commune, addit Horatius id quod per inundationẽ eis præter ſolitum accidit, putà, vt in montibus noua pabula perquirerent. *piſcium ge.* ceteri piſces minori mole corporis. *hæſit.* adhæſit vlmo ſumma, ad imitationem auium in ſummis arboribus ædificantium. *columbis.* ſilueſtribus, turturibus, palumbibus. Virg. Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes, Nec gemere aërea ceſſabit turtur ab vlmo. *ſuperiecto paui.* hoc eſt, damæ pauidæ natarunt ſuper æquore iecto. id eſt, eiecto in terram euerſóq. per *ἰλάσιλυσιν*. *Vidimus.* *διατύπωσις* inundationis Tiberinæ poſt cædem Iul. *retortis vnd.* retro in caput, & ſurſum verſus actis ſeu repulſis iam inde ab Etruſco littore, id eſt, Tyrrheno mari ire deiectum monumenta, &c. Influit enim Tiberis in Tyrrhenum mare: Itaq. *τὸ* retortis participium paſſiuũ (quod commodiſſimè in ablatiuo cõſequentiæ ponitur, vt notat Linacer) accipitur actiuè, vt hic ſit ſenſus: vidimus Tiberim retorquentem ſeu retorquendo vndas ſuas ab oſtiis Tyrrheni maris Romam verſus, ire deiectum, &c. & hoc modo iactat ſe vltorem Cæſaris. *Violenter.* an vndis violenter retortis, an per ſynchyſin violenter ire deiectum? *templáq. Veſ.* Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 2. poſt multa tradit Numam Pompilium ædem Veſtæ condidiſſe extra Romam quadratam, medio inter Capitolium & Palatium loco, vnis mœnibus vtroq. colle circumcluſo, quæ quidẽ rotunda fuit, eò quòd terra quæ rotunda eſt, Veſta dicta ſit, quòd rebus omnibus veſtiatur, aut quòd vi ſua ſtet, vt ait Ouid. in Faſtis. *ἑστία* Græcè, teſte Cic. de

natur.

natur. deorum, id eſt focus, ignis, domus. vel παρὰ τὸ ἱσᾶσθαι, quòd prima domos ædificauerit, vt vult Diod. Siculus. vel τὸ ἧσθαι, quòd vbique coleretur, eiúſque ſimulacra ſedentis habitu fingerentur. An autem ædes Veſtæ templum fuerit; negat Agellius in noct. Att. cuius cauſam tradit Seruius, nimirum quòd ea non fuerit auguſta, id eſt augurio conſecrata, ne Senatus eò conueniret vbi virgines erant; at atrium eius erat auguſtum quod erat Numæ regia. Quod & Plutar. Numa, inquit, regiam iuxta Veſtę templũ condidit, vbi maiorem temporis partem morabatur, aut ſacris vacans, aut ſacerdotes docens. Non placet itaq; quòd Seruius ſcribit ædem Veſtę fuiſſe Numæ regiã. Quare tẽpla Veſtæ hic καταχρηστικῶς accipi debẽt pro atrio Veſtæ. Sed de tẽpli origine & ſignificatione varia, Varro de ling. Lat. li. 6. in princip. *Iliæ dum ſe* αἰτιολογία Tiberis commoti à querelis coniugis Iliæ, à qua Iulia gens dicitur originẽ ducere. *Iactat.* magnificè promittit & arrogãter gloriatur, μεγαληγόρει. Sic Propert. li. 4. ad Lenam: Si cantica iactat comes & voces ebria iunge tuas. *Ioue non prob.* indignante quòd iniuſſus hoc feciſſet, ad arbitriũ duntaxat & querelas Iliæ coniugis, nec veritus iram Iouis, ei morem geſſiſſet, hinc vxorius molli vocabulo notatur, quod præter honeſtum ſuis affectibus indulſiſſet. hæc autem ad Iouem Capitolinum referenda ſunt, quò etiamnum Tiberis inundatio pertingebat. *Audiet ciu.* ab ijs quę necem ſigna antecedebãt tranſit ad ciuilia bella, quæ eãdem ſubſecuta ſunt ab Auguſto confecta in vindictam Iulij, eorum hinc ſumpta cauſa, quòd nihil conuenientius duceret, quàm necem auunculi vlciſci tueríq. acta, vt habet Sueto. in Auguſto. *quo graues.* quo ferro. cauſa materialis pro effectu, id eſt, quibus armis, & per metalepſin, quibus bellis. *graues Perſæ.* hoſtes pop. Romani: poſterior verſus explicat priorem per reticentiam. *graues.* ab armorum genere. hi namq. Sarmatarum inſtar ferreis laminis, aut præduro corio conſerto muniti, turmíſq. inſtructi, mirum dictu, quanti roboris, quátæq. formidinis exiſtant. *Perſæ.* quos hic Perſas, in extremo verſu huius odes Medos nominat, ex quibus Parthos intellige. hi namq. ita vicini fuere, vt & Parthi Perſicè viuerent, & Ecbatana metropoli Medorum, imperiíq. Medici capite, pro ſua aliquando regia Parthi vterentur, vt ſcribit Strabo li. vndecimo; qui iam ferè ad ſolidam Romani nominis imperiíq. gloriam erant reliqui. Oroſ. lib. 1. cap. 2. Archoſia, Parthia, Aſſyria, Perſida, & Media &c. generaliter Parthia dicitur; quamuis ſcripturę ſanctæ vniuerſam ſæpe Mediam vocent. Ceterum Parthi quàm fuere graues, quæúe damna dedere Romanis in cædendo M. Craſſo, Antonióq. fugando, ſcribit Appia. in bello Parthico. *vitio parent.* quod hic vitium. i. cauſam dicit bellorum ciuilium, Cic. pro Marcello (vt de alijs locis taceam) in primis ambigit quo id nomine exprimat, fatum ne, an errorem, an culpam nominet ciuium. Sic etiam epodo 7. furor ne cæcus, an rapit vis acrior, an culpa reſponſum date? *rara iuuentus.* propter multitudinem cæſorum ciuium. vide Plutar. in Cæſare. *quem vocet.* δέησις cum addubitatione: quod more hominum facit in rebus malis, ſemperq, in deterius vergentibus, cùm nihil amplius aut remedij ſupereſſe aut conſilij ſentiũt, ad preces & vota confugiunt, deiſq. tutelaribus inuocatis ſe ſuáq. commendant. ἀπαπόρησις autem ſiue addubitatio qua hic vtitur, eſt quædam παρασκευὴ, ſeu præparatio ad id quod inſtituit, nimirum vt Auguſtum diuum faciat, qui rebus iam propè deſperatis in tempore ſuccurrat, ciuiliq. tumultu ſedato, omnem belli molem vertat in hoſteis Parthos. *rebus.* res autem imperij ſunt libertas & maieſtas populi, auctoritas dignitáſq. Senatus cum poteſtate: nam res imperij eſt imperium ipſum ex ſuis partibus conſtitutum. hic taceo merum & mixtum imperium ab Vlpiano definitum. *prece'q.* Synecdo. pro precibus. *fatigent.* modi potẽtialis, pro fatigare debent, hoc eſt, etiam importunè exorent. *Virgines ſac.* Veſtales, Veſtæ conſecratæ ad preces publicas. de his vide Plutar. Numa. Agell. lib. 1. cap. 12. Alex. ab Al. lib. 5. cap. 12. *minus aud.* obſurdeſcentem. per liptoten. *carmina.* hymnos & preces. ſic Ouid. Carmine dij ſuperi placãtur, carmine manes. *Veſtam.* propter ſceleratam necẽ cognati ſui Iulij Cęſar. vide Ouid. 3. Faſt. Ortus ab Aenea tangit cognata ſacerdos numina, cognatum Veſta tuere caput &c. loquens de Auguſto. & in fine 4. Faſt. Aufert Veſta diẽ, cognati Veſta recepta eſt limine, ſic iuſti conſtituere ſenes. loquens de Palatio, vbi Auguſtus ſuam domum habuit, teſte Sueton. Tranq. & Ouid. eodem loco, State Palatine laurus, prætextáq. quercu ſtet domus, æternos treis habet vna domus. nimirùm Veſtam, Apollinem, & Auguſtum. *cui dabit.* διαπόρησις alia propter iratum Iouem. *tandem venias p.* δέησις ad Apollinem, vel potiùs ad Auguſtum ſub nomine Apollinis cuius filius fuit, quòd Attia eius mater ſine vlla dubitatione aſſeruit, ea nãq. in Apollinis templo obdormiſcens, rata eſt cum dracone ſe commiſceri, nec non peperit expletis ad pariendum menſibus, eadémq. nocte Octauius ſolem ex vulua vxoris oriri in ſomnis vidit. vide Dionem Nicæum & Suet. in Auguſto. *nube cand.* in ſignum propitiationis, candida namq. fauſta ſunt, vt contrà, nigra infauſta. cãdenteis habent omnes ſcripti cod. atq. ita eſto ſynchuſis. alij malunt le-

 lunt le-

lunt legere candenti, quod non damno. *augur Apol.* vates. μάντις. hinc Delphis Pythius nominatur quòd eò proficiſcebantur homines τοῦ πυνθάνεσθαι. i. ſciſcitandi de ſuis rebus gratia. *Erycina ridens.* poſt patrem Auguſti (Apollinem vt ſuprà) inuocat matrem Aeneæ (à quo Iuliorum familia) Erycinam Venerem, cui Romæ extra portam Collinam magna mole templum extructum ferunt in inſigni porticu Syracuſis expugnatis à Marcello, vt quidam tradunt. vel, vt alij, à Q. Fabio Maximo, eóq. deam ex Eryce monte Siciliæ eſſe tranſlatam Sibyllini carminis monitu: hanc autẽ meretrices Romæ colebant, vt ſcribit Ouid. in Faſtis, Nomina vulgares Veneris celebrate puellæ, multa profeſſarum quæſtibus apta Venus. *quam locus.* comites, beneuolæ Veneris, Cupido, Iocus, Gratiæ. &c. *ſiue neglectum.* δίνεις ad Martem auctorem. i. progenitorem Romani generis ex Ilia quæ peperit geminos Romulum & Remum, quo nomine Romanos vocat genus & nepotes i. eius progeniem. ita namq. ſcribit Liuius in initio ſuæ hiſtor. Ea belli gloria eſt pop. Romano, vt cùm ſuum conditoríſq. ſui parentem Martem potiſſimum ferat &c. Argumentum autem hoc eſt à pietate parentis in ſuos poſteros. *neglectum.* à te. i. reiectum ex oculis tuis & contemptum habitum. *reſpicis.* opitularis & faues: nam dij intuentes adiuuare putantur. *heu nimis* πάθος à diuturnitate & grauitate bellorum ciuilium. *longo* diuturnitas belli notatur. *quem iuuat.* explicatio ſudi Martialis à ſuis comitibus, clamore, galeis. i. armis & vultu truci. Statius 7. Thebaid. comites Martis enumerat, ſtationem, amentiam, neces, iram, metũ, inſidias, diſcordiam, minas, furorem crudelitatem, mortem. *acer.* vultus truculentus, horridus. Lucret. lib. 6. de vultus diſpoſitione eorum qui mortem iam inſtare vident. perturbata mens animi in mærore metúq;, triſte ſupercilium, furioſus vultus & acer: credo etiam ad truculentiam pedites Mauros induiſſe leonum, pardalium & vrſorum pelleis, vt ſcribit Strabo lib. 17. *ſiue mutata.* Apoſtrophe ad Mercurium, quem non ſine aſſentatione, mutato vultu fingit eſſe Auguſtũ, vt qui ei cognatus erat per Aeneam: Maia namq. à Ioue vitiata Mercurium peperit, eius autem ſoror ex Atlante patre Electra à Ioue compreſſa Dardanum in lucem edidit, cuius filius fuit Erichthonius, ex quo Aſſaracus, qui Capyn genuit ex quo Anchiſes Aeneæ pater, vt videre eſt Aeneid. 8. *iuuenem.* Auguſtum, nam auctore Suetonio Dalmaticum per ſe bellum geſſit adoleſcens adhuc, & Antonio deuicto Cantabricum. præterea Dion Nicæus eum memoriæ prodidit decem & octo annos natum cum Hirtio conſule contra Antonium bellum geſſiſſe. *patiens vocari* ad imitationem Græcam, patiens vocari vltor, pro patiens te vocari vltorem. ſic Iſocrates, καὶ σεαυτὸν ὡς ἄνθρωπος ὢν ὑπομιμνήσκῃς. i. & te ipſum vt homo exiſtens memineris, pro, & teipſum vt hominem eſſe memineris. Demoſthe. ἐν τῷ παραπρεσβείας, εἰ μὲν γὰρ ἅπαντα ὅσα ὑπέσχεθ᾽ ὑμῖν ἐκ τῆς εἰρήνης γίγνεσθαι, καὶ τοσαύτης ἀνανδρίας καὶ κακίας ὁμολογεῖτε ὑμεῖς εἶναι μεστοί. i. ſi quidem enim quantacumq. perſuaſiſtis vobis ex pace contigerunt, &c. tanta ignauia malitiáq. fatemini vos eſſe pleni, pro vos eſſe plenos. Quod quidem fit quando nominatiuus poſt infinitiuum horum verborum dico, ſentio, aio, & ſimilium, ponitur pro accuſatiuo, nã eiuſmodi verba & ſenſum infinitiui ſolùm requirunt, & eadem eſt perſona agens finiti verbi & infiniti. Tale eſt illud in Andria; Quæ ſeſe optauit inhoneſtè parare diuitias, potiùs quàm in patria honeſtè pauper viuere, pro, ſe pauperem viuere. Lucanus quoq; ſed paullò duriùs, Tutúmq. putauit iam bonus eſſe ſocer. i. ſe eſſe bonum ſocerum. Ouid. 13. Metam. Sed enim quia rettulit Aiax eſſe Iouis pronepos. i. ſe eſſe Iouis pronepotẽ. de Triſtib. lib. 2. acceptum refero verſibus eſſe nocens. i. me eſſe nocentem. hanc autem phraſim cùm non ſatis intelligeret Deſpaut. eſſe Græcam, dicebat in eiuſmodi infinitiuum nominatiuum, nũc ſubintelligi accuſatiuum. hunc conſulito in Syntaxi, in commentaries, Eſſe pareis optat caſus &c. *ſerus* ἀντιμεγία patris, ſerus pro ſerò. precatur Auguſto ab formis & vultu Mercurij, longam & felicem vitam, vel eius ἵλεως καὶ ἵλαρος, propitius & familiaris interſit & viuat in republica, non grauis & moroſus, quales ſunt domini in ſeruos, ſed lætus & humanus, quales ſunt parẽtes erga liberos. hoc autem nomen, Dominus, auerſabatur cane peius & angui: Itaq; Valerius Meſſalla id mandantibus cunctis, quod bonum, inquit, fauſtúmq. ſit tibi, domuíque tuæ Senatus conſentiens cum populo Romano, te conſalutat patriæ patrem &c. legito Suet. in Auguſt. *Quirini.* cod. Carr. habet Quirino, ſed o, mutatam ini, indicat & ſuperſcriptio τὸ Romano, & aperta litura. *noſtris vit.* odiis, ambitionibus, contentionibus. *iniquum.* iniquè noſtra vitia ferentem. *ocyor aur.* ocyor quàm pro arbitrio noſtro, eóq; ingratior. Neſcio an eò alludat quod credidit antiquitas, nimirum deos primum cum hominibus familiariter egiſſe; at poſtea dolos eorũmq; fraudeis & cetera vitia cùm ferre nequirent, iis deſertis in cælos rediiſſe. vide Heſio. in oper. & dieb. *tollat.* è cõſpectu noſtro, ínq; cælum ſubuehat. *hic magnos.* προτροπή, ab honoribus publicis ob res bene geſtas, hoſteiſq; legitimos bello ſanguinolento debellatos. de triumphandi modo & ordine legito Plutar. in vita Æmilij. & Alex. ab

lex.ab Alex.lib.6.*hic ames.* Zeugma ornatum eleganti anaphora. *pater atq; p* ab humanitatis,beneuolentiæq; titulis,de quibus paullò ſuperius. *Medos eq.* per Medos & Perſas ſuprà diximus notari Parthos,qui quaſi toto terrarum orbe vel domito vel pacato omnium oculis ſignarētur,atq; in eos ſolos omnis vigor imperij Romani vertendus eſſet,quippe quos priſtina vlciſcendæ Craſſianæ cædis cōſcientia mordebat,vltrò ſigna,quę Craſſo interfecto abſtulerant, ad Cæſarem remiſerunt, regiſſq; obſidibus traditis firmum fœdus fideli ſupplicatione meruerunt.hæc Oroſ.lib.6 cap.21. *equitare.* in equis ſecurè agere & militare: Nam Medorum & Perſarum pedeſtri pugna nihil ignauius.

AD NAVEM QVA VIRGILius Athenas vehebatur.

Ode III. προσφωνητικὴ.

SIC te Diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ,lucida ſidera,
Ventorumq; regat pater,
Obſtrictis alijs,præter Iapyga,
Nauis,quæ tibi creditum
Debes Virgilium,finibus Atticis
Reddas incolumem precor,
Et ſerues animæ dimidium meæ.
Illi robur,& æs triplex
Circa pectus erat,qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus,nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſteis Hyadas,nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriæ
Maior,tollere,ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum,&
Infameis ſcopulos Acroceraunia?
Nequiquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras: ſi tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
AVDAX omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem ætheria domo
Subductum,macies,& noua febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum.
Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt.
Cælum ipſum petimus ſtultitia: neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Iouem ponere fulmina.

COMMENTATOR.

SIC *te Diua potens Cypri.* Metrum primo verſu Glyconium conſtans ex ſpondeo & dactylis duobus.hoc modo:Sic te. Diua po.tens Cypri.ſecundo Aſclepiadeum. Ad nauem autem loquitur,qua Virgilius Athenas petebat, ei ſupplicās vt eum incolumem perferat:quare ipſam beneficis ſideribus commendat. *Diua potens.* ſalutare Veneris ſidus eſt. *fratres Hel.* Caſtor & Pollux regant. *lucida ſid.* χῦμα ἐπιξήγνητε. fratres enim Helenæ ſunt lucida ſidera. *pater.* Aeolus rex vētorum. *præter Iap.* Iapyx vētus eſt flans ex Apulia vtilis Athenas petentibus. Græcè Argeſtes nominatur. *creditum.* commendatum. in datiuo. Virg.anni ſpē credere terræ. *Atticis.* Athenienſibus. *& ſerues ani.* ſuauiter hoc dictum eſt ſecundum illam amicitiæ definitionem qua plurimùm vtuntur, φιλία ἐστι μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν. *illi robur.* execratur eum qui primus lucri gratia ſit auſus nauigandi periculo ſeſe committere.habet autem hic quiddam Homericum, χάλκεον δέ μοι ϛῆθος,id eſt ferreum pectus. acſi diceret, illi pectus erat ſine mente. *triplex.* ferreum & indomabile.verbum tractum à fœneratoribus, quorum auaritia & ſpe lucri vel commercij inuentum ſit nauigium. *commiſit.* credidit.Terent.ouē lupo cōmiſiſti. *præcip. Afric.* impetuoſum. *triſteis Hya.* pluuialeis,tēpeſtuoſas,nebuloſas.vt,& pluuio contriſtat frigore cælum. *nec rabiem.* vim. *Noti.* Notū hic ſupra omneis ventos extulit,quia in Hadriatico mari pręcipuè dominatur.Ideo *arbiter* dicit, id eſt dominator,quòd quaſi ad arbitrium ſuum vel tolluntur fluctus vel placantur. *Adriæ.* maris Adriatici. Eſt autē Adria ciuitas & portus,vnde dictum eſt Adriaticum mare. *tollere.* commouere.vt,& mulcere dedit fluctus & tollere ventos *mortis t.gr.* genus mortis.tres autem gradus mortis definiuntur,fatum,caſus,genitura.

 fato: vt,

fato. vt, ſtat ſua cuiq; dies. genitura, vt merita nec morte peribat, ſed miſera ante diẽ. Caſu, vt, ſternitur infelix alieno vulnere. Stoici, caſu, ſeu neceſſitate; Epicurei, fato; Pythagorici genitura hominem mori dicunt. Quam mortem inquit, potuit abhorrere, qui monſtra maris, & aſperrima ſaxa ſine lacrymis videre potuit? *infames ſcop.* propter atrocitatem naufragiorum. *Acroceraunia.* ἐπιθετικῶς. Epiri iuga, montium ſic dicta, quòd ob ſuam altitudinem frequenter fulmine icuntur. ἄκρον enim ſummum ſignificat, & κεραυνὸς fulmen de his Virg. Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta. *nequicquam.* fruſtra. *Deus abſci.* ac ſi diceret: numquid ſine ratione ſeparatum eſt mare à terra? cùm illud elementum periculis, hoc voluptatibus plenum ſit? *abſcidit.* ſeparauit. *prudens.* prouidens. *non tangenda.* non debere vada nauigiis periculoſa accuſari, cùm nauis ipſa nec fieri, nec viui eſſe debuerit. Virg. Illiditq; vadis, atq; aggere cingit arenæ. vada autem dicta ſunt, quod vix vlla profunditate ſui vadari, id eſt, pedibus tranſiri poſſunt. *audax.* temeraria, omnia faciens patiénſq; lucri cupiditate. *Iapeti genus.* periphraſis patronymici Iapetides, nam Prometheum notat Iapeti filium, qui quòd ignem Iouis furatus eſſet, dicitur hominibus attuliſſe, & terris inueriſſe multas calamitates. *ætheria domo.* ad imitationem Heſiodi qui ſcribit, cùm ignis è cælo furtim à Prometheo ſubreptus eſſet, ad ſuas è terra fictas ſtatuas animandas, Pandora à Ioue in terras demiſſa eſt, quę patefacto dolio, ab Epimetheo, omnium malorum genera, quæ in dolio incluſa fuerant, dicitur attuliſſe mortalibus. *ſubductum.* ſubreptum, furto ablatum. *terris incubuit.* terras inuaſit, vt nec in ſuo elemento quieti viuerent qui aliena tentaſſent. *cohors.* ac ſi diceret, multa morborum genera ad vindictam temeritatis in terras miſſa. *ſemoti.* tardè venientis. tardam dicit neceſſitatem, propter mortem per febreis acceleratam, ea enim niſi poſt multa ſæcula venire ſolebat. *corripuit.* accelerauit exitium. vt, corripuere viam interea, qua ſemita mõſtrat. *Vacuum.* apertum, cuius pennis experiendi hominibus nulla cauſa fuit. Virg. Iam vacuo lætam cælo ſpeculatus. & alibi: Præpetibus pennis auſus ſe credere cælo. *Nil mort. ard.* nil difficile. *Cælum ipſ.* quod ſolum ſibi acceperant numina, quaſi etiam id ipſum poſſint humani auſus attingere, niſi fulmine prohiberentur. *petimus.* optamus, expoſcimus. Virg. Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petiuit. *neque per noſt.* id eſt, non patimur illum quieſcere. Quidam enim gigantes conati ſunt ipſum cælo deiicere. Virg. & coniuratos cælum reſcindere fratres.

CRVQVIVS.

SIC *te diua potens Cypri.* Virgilium Athenas vehenti naui precatur felicem curſum. Quod vt fiat optatius, eam quaſi ex pacto obligat, vt eũ ſuæ fidei concreditum, tantiſper diis ventiſq; fauentibus conſeruet, dum voti compotem reddat Athenis incolumem: ab eo autem quòd non niſi ingenti dolore animi poſſit auelli, argumento ſumpto, in hominum temeritatem vehementius inſurgit, qui dum ſuæ libidini, vel diis inuitis, faciant ſatis, nihil intentatum relinquunt, vt id præter naturam, ius, faſq; nefaſq; ſuis vſibus accommodent, non aquam, aërem, cælum, deniq; non deos ipſos. *ſic.* adiurantis eſt. de quo Linacer in ſua partium recta ſtructura: nam per Proſopopœiam cum naui agit de fide crediti, precaturque vt eam ſtudioſè liberet. *Diua pot.* Periphraſis Veneris Cypriæ, à Cypro inſula celebratiſſima vbi præcipuè colebatur: hinc Cypri potens dicta eſt, quaſi dominatrix; ſic enim Latinè vtimur, potens mẽtis, impotens animi. de Cypria Venere, & eius inſulæ virginibus, quo pacto in littore dotalem pecuniam ex corporis proſtitutione quærebant, legito Lactãt. lib. 1. Iuſtinum, & commentarios in Pompon. Melã in dictione Salamis. Veneris autem ſtella nauigantibus idcirco propitia dicitur, quòd è mari nata ſuum etiam quoddam in vndas habet imperium. hinc Neptunus 5. Aeneid. Fas omne eſt Cytherea meis te fidere regnis vnde genus ducis. *fratres Hel.* periphraſis geminorum Caſtoris & Pollucis, διοσκούρων ἀρωγετάντων in Epigramm. quòd ſint nautarum opitulatores. *lucida ſid.* nautis ſua luce beneuola: his enim Neptunus poteſtatẽ fecit naufragis auxiliandi: Hyginus li. 2. Arnobius igneis ſeu fulgores marinos nominat. Plinius autem geminas eſſe ſtellas ait nautis ſalutareis, & nauigationis proſperæ nuncias. *Ventorumq; p.* periphraſis Aeoli nimborũ tempeſtatũq. potentis, id eſt, regis; 1. Aeneid. vide Palæpha. de non credendis hiſtoriis, quo pacto exponat illud Homeri Odyſſ. κ. de vẽtis Vlyſſi ab eo datis, inque vtre concluſis præter Zephyrum. quò alludit Horatius inquiens, *obſtrictis aliis pr. Iapyga.* ait enim Homer. ἔνθα δέ μοι βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα, id eſt, hic (in vtre ex corio bouis nouennalis) concluſit vias ventorum rudentium: ſed paullò pòſt ait, αὐτὰρ ἐμοὶ πνοιὴν ζεφύρου προέηκεν ἀῆναι. id eſt, ſed ventum Zephyrum emiſit vt flaret. mutauit autem Horat. κατέδησε in participium obſtrictis, id eſt, vinctis ſeu concluſis ἐν τῷ ἀσκῷ, id eſt, vtre. deinde quem nominat Iapyga, Zephyrus eſt, vt ſcribit interpres Apoll. 2. in eũ verſum, ἀλλ' ἐνὶ καὶ ἀργέσταο παρ' αὖσον ἐπιπνείοντος ἵκοντο &c. ἀργέσταο τοῦ ζεφύρου οὕτω λεγομένου· ἄρχεται δὲ

πνεῖν...

πνεῖν ἀπὸ θερινῆς δύσεως. id eſt, incipit autē flare ab occaſu æſtiuo. Præterea Ariſtot. de mundo: καὶ τῶν ζεφύρων ἀργέστης μὲν ὁ ἀπὸ τῆς θερινῆς δύσεως πνέων, ὅντινες καλοῦσιν ὀλυμπίαν, οἱ δὲ ἰάπυγα. id eſt, & ex Zephyris Argeſtes quidem qui flat ab occaſu æſtiuo, quem aliqui nominant Olympiam, alij verò Iapyga. *quæ tibi cred.* notato lepidiſſimā actionem, qua veluti ex conuentionali ſtipulatione cum naui agit de credito ſibi Virgilio Athenis præſtando ſaluo & integro. *Illi robur &* . inſurgit cum vehemēti ſtomacho in eum qui primus maris vndis infirmo nauigio ſic auſus experiri, hac data occaſione; quòd amiciſſimo Virgilio carendum eſſet: eſt autem ἀγανάκτησις; conuenitq; cū eo quod in Epigramm. pinus de audacia humana conqueritur, ἄνθρωποι τόλμης ὄυνεκα φειδόμενοι. *robur & æs.* durities animi indomita. alluſio ad loricam, quam induti equites cataphracti erant inuicti: ea autem à loris, auctore Varrone, nomē habet, quod primum ex corio crudo confici ſolebat: At poſtea ex laminis æneis ſeu ferreis triplici ordine ſquammatim cōſeri cœpit. hinc illud Statij, triplici ſeruabant pectora ferro, nam tergo tunc nullus erat metus &c. *qui fragilem t.* χίοις ὀνομάτων. *primus.* An Argo fuerit, an alius: Lādinus hoc loco. *nec timuit.* expolitio pectoris ferrei eius qui primus mare nauigauit, à periculis ventorum & ſiderum. Tale eſt illud Sopho. in Antigone, πολλὰ τὰ δεινὰ κοὐδὲν ἀνθρώπου δεινότερον πέλει, τοῦτο καὶ πολιοῦ πέραν πόντου χειμερίῳ νότῳ χωρεῖ περιβρυχίοισιν περῶν ὑπ᾽ οἴδμασι. Quod Kattalerus noſter doctiſſimè ſic reddidit: Plurima vbiq; ſtupenda videmus, ſed nihil æquè ſtupendum ac hominem natura parens protulit vnquam; Ille canas æquoris obruentibus ratem fluctibus tranſire aquas, dū ſæuit notis hiems proteruis non horret. *decertantē.* colluctantem, helleniſmus. ſic ode 1. Luctantem Icariis fluctibus Africum. *triſtes.* vel proprio epitheto ob mortem fratris Hyantis in venatione à leone interfecti, vel ab effectu, quòd in ſuo ortu & occaſu ingenti concitata pluuia nauiganteis efficiant triſteis. Virg. Arcturum pluuiáſque Hyadas. *Hyadas.* vel ab ὕω, id eſt, pluo, vt habet Cic. 2. de nat. deor. vel ab ὑῶν, id eſt, ſuibus, hinc etiā Suculæ nominatę Latina voce; vel ab Hyante fratre. fuere autem ſeptem, Ambroſia, Eudora, Pedile, vel, vt alij, Palide, Coronis. Poliſſo, Phyleto, Thyene, quæ & Pleiades, quòd ex Pleione nympha Oceani filia & Atlante ſint natæ. Vide Hyginum lib. 2. in Tauro. *rab. Noti.* venti Auſtralis, qui dictus eſt ab humiditate, ſicut Auſter ab hauriendo. Ouid. vltima Eleg. lib. 1. de Triſt. Fuſcabátque diem cuſtos Erymantidos vrſæ, aut Hyadas ſæuis hauſerat Auſter aquis. *νοτὶς* autem *νοτίδος* ſignat humiditatem. *arbiter Adr.* quaſi Adriaticum mare vel tempeſtuoſum eſſe, vel tranquillum debeat ad eius venti arbitrium. arbiter autem propriè iudex eſt datus rebus priuatis diiudicandis. *tollere ſeu pon.* Illuſtrat rabiē Noti, qui rapit mare Adriaticum in ſuam ſententiam, ſiue ad commouendos aquarum fluctus, ſiue ſedandos. Eſt autem hic ellipſis coniunctura, ſiue. *ponere.* τιθέναι ad imitationem Græcam, moderari, regere, componere. *freta.* cod. Carr. habet fretum. *quem mortis.* Expolitio duri pectoris à contemptu mortis & periculorum maris: monſtra namque marina nimirum grandia cete non rarò naueis ſubuertunt; quas etiam diſſolui neceſſe eſt ſi in marinos ſcopulos impingant. *qui ſiccis ocul.* Zeugma cum anaphora. *turgidum.* Bland. cod. omnes habent turbidum, cū Mart. & Carr. quod mihi videtur aptius, quia non omnibus inturgeſcens mare ita ſub oculos cadat metumq; concitet vt turbidum; vt omittam multò ſæpe antè inturgeſcere nautáſque à nauigando deterrere quàm fluctus & vndæ exoriantur. Imo mare nonnunquam intumeſcit non ſubſequente tempeſtate; quemadmodum ira tumidus animus non ſemper exit in iras, mitigari namq; & leniri poteſt interna tumoris cauſa ſubito vel erumpente euaneſcenteq; vel contraria impedita. *infameis ſcopul.* horrendos & nautis pertimeſcendos ob frequentia naufragia, δυσώνυμοι, mali & nominis & ominis, κακώνυμοι. *nequicquam.* ὀνειδισμὸς ingratitudinis humanæ ob beneficium à Deo acceptū, qui in hominum gratiam potiſſimū, ſeparauit aquas à terra, vt viuere & aſpirare poſſent. vt habetur 1. cap. Geneſeos. *ſi tamen.* εἴπερ γε, εἴπερ ἄρα, ἐπειδήπερ, ſi quidem, quandoquidem, quia. *diſſociabili.* diſſociando, quem opus erat ſeparari à terra, nimirum ad ſalutem hominum, & ceterorum animantium, quæ ad vſum humanum terræ pabulo nutriuntur. ſic omnes adhuc docti τὸ diſſociabili ſunt interpretati. Sed quid ſi ad maiorem de ingratitudine, impietatéque in Deum expoſtulationem, reddamus τὸ diſſociabili, id eſt, valde ſociabili? nam vt terra & aqua elementa inter ſe ſymbola, ita ad rerum generationem alterum alterius indiget, vt neutrum ſine altero reipſa ſit? *impie rat.* Metonymia, pro inuentore inuentum, naues pro hominibus impiis in ordinationē diſpoſitionemque Dei. *non tangenda.* fugienda trāſuehuntur. *audax om.* Epiphonema in deteſtationem temeritatis humanæ. hic vult Becanus noſter vir eruditionis omnigenæ in ſuis Croniis per genus Iapeti Horatiū ad imitationem Pindari nona ode Olymp. nominare mortaleis: Nam quòd Græci Iapetum omnium mortalium crediderint antiquiſſimū, iccirco omneis homines Iapetioni-

das nominarunt, alios Prometheos, à prouidentia, alios Epimetheos, ab inanimaduertẽtia, alios Atlantes, à ferendo labore. alios Menœtios, à morte quæ manet omneis Iapeti filios. hunc legito. *perpeti.* ſuff. rre pertinaciter. in quo ex conſequenti facilè ſubintelligas, facere; nullum enim eſt patiẽs ſine agente. *Iapeti genus.* diductio theſeos in ſuas hypotheſeis, primum exemplo temeritatis ſumpto à Prometheo, cuius fabula de igne æthereo Ioui ſubrepto præter Hyginu lib. 1. & Fulgentiũ in Mythologicis, & alios, legito Heſiodum in operibus mox ab initio, κρύψε δὲ πῦρ, τὸ μὲν αὖθις ἐῢς πάϊς Ἰαπετοῖο, ἔκλεψ' ἀνθρώποισι Διὸς παρὰ μητιόεντος ἐν κοίλῳ νάρθηκι, λαθὼν Δία τερπικέραυνον. quæ ad verbum ferè ſic reddidimus: ignem ſemouit, quem mox ſatus Iapeto aufert conſulto ab Ioue ſurreptum mortalium ad vſum, inque caua occultat ferula clam fulmine claro. *Iapeti genus.* πάϊς Ἰαπετοῖο Heſiodo. *ignem frau.* furto, quod eſt alienæ rei fraudulenta contrectatio, nimirum inuito domino, vt habet Iuriſconſultus. huc facit illud Fulgentij ad illudenda poëtarum fabulamenta, 1. lib. Mythologicon de Prometheo vbi ait: Nulla quęrantur vltrà terris munimina, dum vſq; in cælum furta peruenerint: aut, quæ ſecuritas erit argenti & auri, vbi flamma potuit inuolari? *ignem etheria do.* Heſio. χαίρεις πῦρ κλέψας καὶ ἐμὰς φρένας ἠπεροπεύσας; σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισι. τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακόν. id eſt, ignem ſubreptum, me deceptum quoque gaudes? at tu poſteritáſque tua mala multa lueris; nam pro igni ſublato ingentia damna reponam &c. *ether. d. f.* auxilio Mineruæ, quæ inter oras ſeptemplicis clypei hærentem Prometheũ in cælum detulit, vbi Phœbi rotis clam ferulam applicans ignem furatus eſt: quem cùm lutei figmenti pectuſculo appoſuiſſet, animatum corpus reddidit. Heſiod. autem cum Hygino de eo igni agunt qui mortalibus erat vſui, cùm coquendis carnibus cibíſq; condiendis, tùm ſacrificiis adolendis. *macies & no.* hoc autẽ eſt quod ait Heſio. ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα ἐσκέδασ', ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά. id eſt, at mulier (Pandora) manibus ſublati tegmine doli ſeminat in vulgus curas triſteiſq; graueiſq;. vide adagium, Malo accepto ſtultus ſapit. ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται, πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα. id eſt, atqui homines inter mala plurima ſemper oberrant, plena eſt terra malis, nec non maria vndiq; plena. *macies.* nõ ea quæ ἀτροφίαν ſubſequi ſolet, verùm quæ vel ex calore corpus ipſum depaſcente, vel frigore nutrimentum idonea concoctione deſtituente naſcitur, quæ cauſæ ferè ſunt febrium, morborũmque aduentantium. vide Pantinum in Celſum, lib. 1. cap. 8. *noua feb.* inaudita, quia nulla morborum genera fuiſſent antea: nã vt pòſt paullo ait Heſio. ὥστε θεοὶ δ' ἔζωον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες, νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ ὀϊζύος· οὐδέ τι δειλὸν γῆρας ἐπῆν. αἰεὶ δὲ πόδας καὶ χεῖρας ὁμοῖοι τέρποντ' ἐν θαλίῃσι, κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων. θνῆσκον δ' ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι. id eſt, tamquam dij vixere animo meliore beati, non labor aut ærumna grauis, triſtiſque ſenecta his aderat manibus fortes pedibúſq; valẽtes ſacris certabant epulis extra omnia damna, morte quaſi ſomno domiti. *tarda necesſ.* quæ vltronea nec niſi plenis annis maturáq; ſenecta aderat. *expertus vacuum.* alia hypotheſis à Dædalo ſumpta. *vacuum aëra.* qui philoſophis nõnullis dicitur inane, quos ſecuti poëtæ, nominant aëra vacuum, quòd in eo nihil appareat. ſed hac de re legito 4. Phyſic. Ariſtot. de loco & vacuo. Sic Virg. in Sileno: Nãque canebat vti magnum per inane &c. Ouid. 4. Metamor. Sic celeri miſſo pręceps per inane volatu terga feræ preſſit &c. *Dædalus.* Dædali fabulã, quæ omnibus eſt decantatiſſima, legito apud Palępha. de fabulis. *non homini.* ad volatum, ſed auibus, quibus volare ita proprium eſt vt hominibus ingredi. *perrupit Acheron.* Tertia hypotheſis de Herculis ad inferos deſcenſu Mercurio duce per Tænarum, ad extrahendum Cerberum tricipitem inferorum excubitorem. quam fabulã inter alios Apollodorus lepidiſſimè cõmemorat lib. 2. cuius interpretationem ſi requiras, legito Palępha. de fabulis. hoc autem obiter notandum eſt, Horatiũ hoc exemplũ pauciſſimis adſcripſiſſe temeritati, quòd Epicureo more rideat & ſuperos & inferos Deos: quemadmodum ſequenti ode, Iam te premet nox, fabulæq; manes. Cod. Bland. Mar. Carr. hic habent, perrupit Acheronta, ſine copula que. *Herculeus l.* id eſt, Hercules. vt virtus Scipiadæ, Scipio. mitis ſapientia Lælij, Lælius. lumen Stertinium, Stertinius. *Nil mortal. ar.* ἄγαν ἄληπτος in nimiam hominum confidentiam cum admiratione. 4. Bland. habent, nil mort. ardui eſt. *Cælum ipſum p.* alludit ad Titanum fabulam. de qua Diod. & Apollo. lib. 1. *ſtultitia.* temeritate & imprudentia. *noſtrum ſcel.* ſcelus hîc impietas eſt in Deũ & naturam, hoc enim, ait Cic. eſt Gigantes cum diis bella gerere, homines diis & naturæ repugnare. *Iracunda Iou.* σύγχυσις, pro iracundum Iouem. *ponere.* ἀφαίρεσις pro deponere. à fulmine autem iaciendo Iupiter κεραύνιος, id eſt, fulminator cognominatur.

Ad L.

AD L. SEXTIVM DE VERNO tempore.

ODE IIII. παραινετικὴ, συναςτῆτως.

SOLVITVR *acris hiems grata vice veris,*
& Fauoni:
Trahuntq; ſiccas machinæ carinas:
Ac neq; iã ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni:
Nec prata canis albicant pruinis.
Iã Cytherea choros ducit Venus, imminēte Luna:
Iunctæq; Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terrã quatiunt pede, dũ graueis Cyclopũ
Volcanus ardens vrit officinas. (myrto,
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.
Nũc & in vmbroſis Fauno decet immolare lucis,
Seu poſcat agna, ſiue malit hædo. (tabernas
PALLIDA *mors æquo pulſat pede pauperum*
Regumq; turreis. ô beate Sexti,
Vitæ ſumma breuis ſpē nos vetat inchoare lōgã.
Iam te premet nox, fabulæq; Manes,
Et domus exilis Plutonia: quò ſimul mearis,
Nec regna vini ſortiere talis,
Nec tenerũ Lycida mirabere, quo calet iuuentus
Nunc omnis, & mox virgines tepebunt.

COMMENTATOR.

SOLVITVR *acris hiems.* Ode dicolos, metrum Phaleucium dicitur ſiue Archilochiũ, quia frequenter eo vſus eſt Archilochus: conſtat prior verſus ex ea parte Heroici verſus quæ dicitur Bucolice, quia neceſſe eſt vt quartus ſit dactylus, & tribus trochæis termınetur. hoc modo: Soluitur. acris hi.ems gra.ta vice.veris. & Fa. uoni. ſequens verſus Iambico trimetro minor eſt vna ſyllaba; habet enim quinq; iambos cum abundante ſyllaba; hoc modo: trahunt.que ſic.cas ma.chinæ.cari. nas. quòd ſi dixeris carinulas, erit integer trimeter. Aliter. primus verſus cõſtat ex quatuor pedibus heroicis, & tribus trochæis. Secundus Archilochius dicitur ex pentemimeri Iambica & tribus trochæis. ſic: trahunt.que ſic.cas machi.næ ca. rinas. Hæc autem Ode ad L. Sextium conſularem ſcribitur, in qua veluti deſcribens verni temporis gratiam cohortatur ad lætiorē indulgentioremq; vitam, admonens mortem omnibus ęqualiter imminere. *ſoluitur.* molleſcit. *acris.* acris nomē cõmune eſt, & in neutro genere habet acre; acris hiems, acre ſinapi. aliquando autem in maſculino habet acer, vt acer equus. *acris hie.* aſpera, infeſta. *Fauoni.* Fauonium ventum, qui Zephyrus Græcè nominatur, veris tempore flare Virgilius teſtis eſt qui ſicait in Georgicis: Vere nouo gelidus canis cùm montibus humor liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit. *trahuntq;.* de nauibus dicit, aut ad reparationem, aut propter hiemem ſubductis etiam competenti tempore ad nauigationem in maria reductis. *arator.* mutari etiam dicit vſum vitæ mutatione temporis. Virg. Ante focum ſi frigus erit, ſi meſſis in vmbra. *canis.* candentibus. *albicant.* albeſcunt. *Iam Cyth.* clementia temporis etiam inuitari dicit animos ad ludum, ita vt de nocte ſaltationibus vacent, Venerią;. *imminente L.* appropinquante. *Iunctæq; Nymp.* Gratię tres ſunt, quæ nudæ pinguntur, quia fides aperta & ſimplex eſſe debet & nõ callida ſimulatione. per Nymphas mulieres intelligi voluit, per Gratias virgines: Iſta enim tanquam Epicureus dicit, ſuadēs voluptuosè viuendum pro fragilitate vitæ, nec prætermittendam ardente Venere lætitiam. *alterno terr. q. p.* pro ſono cantilenæ ad rhythmũ pedem ferientis. *graueis.* pro operis labore. *nitidum cap.* vnguentis delibutum. *impedire.* coronare. *ſolutæ.* à frigore. nam ſoluta terra, id eſt, aperta iam vere intelligitur, quia pro tēpore & pateſcit & clauditur. Virg. vere tument terræ. & de hieme: rura gelu tunc claudit hiems. Aliàs etiam ſolutas terras dicimus liberas. i. incultas. ſic Virg. cùm de agricultura loquitur, ait, exercetq; frequens tellurem atq; imperat aruis. Item de inculta: atq; iniuſſa vireſcunt gramina. *nunc & in vmb.* quia expleto anno & nouo redeunte reddenda ſunt vota diis agreſtibus. Virg. tunc agni pingues, & tunc molliſſima vina. *pallida.* Epitheton mortis, eò quòd pallidos faciat. *regumq; turr.* pro altioribus domibus poſuit, vt tabernas pro humilioribus. *Vitæ ſumma.* ſupputatio. ſummam autem pro paucorum annorum numero poſuit. Virg. ſed fugit interea, fugit irreparabile tempus. *Manes.* dij boni dicebantur, vnde & mane tractum putant, nam mane apud antiquos bonũ dicebatur. Aut manes, id eſt, inferi, aut ſomnium potiùs quã inferi, qui omnino ſunt fabuloſi, vnde Virg. perq; domos ditis vacuas & inania regna. *regna vini.* nõ accipies per ſortem regna vini, id eſt, magiſteria conuiuiorum, quę talorum iactibus ſortiri ſolebãt antiqui: quod & Plautus ſignificat in Captiuis & in Aſinaria. *domus exil.* propter vmbras. *tenerum.* delicatum. *Lycidam.* puerum à te adamatum. *calet.* quem impatienter amat. *mox.* paulló poſt. *tepebunt.* frigebunt, marceſcent.

GRV-

CRVQVIVS.

SOLVITVR *acris h.* Luculenta planè hæc Ode eſt, & omni ex parte Epicurea, qua Seſtiũ ad hilaritatem vitæ iucunditatemq́; inuitat ab amœnitate verni temporis: at ſuo more videtur eũ mordere clanculum, vt qui vitæ ſpe longioris vteretur victu parciore & minus alacri: Quod ne faciat hortatur ab æqua omnibus morte, a vitæ breuitate, & inanibus Poëtarum fabulis de diis inferis. In hac & aliis odis quibuſdam videtur imitatus Anacreuntis carmen *εἰς τὸ ἔαρ.* quod ſic incipit: *ἴδε πῶς ἔαρος φανέντος χάριτες ῥόδα βρύουσι*, id eſt, vide ô vt ineunte vere Charites roſis abundant. huius argumenti quoq; eſt Ode 9. huius lib. & 7. lib. 4. In inſcriptione vulgati codices aliqui habẽt, ad P. Sextium. ſed legendum eſſe ad L. Sextium, vt habẽt cod. Bland. iam certum eſt ex Dione, qui ſcribit, anno 730. Auguſtum ſeſe abdicaſſe conſulatu, inq́; ſuum locum ſubſtituiſſe L. Seſtium Bruti ſtudioſiſſimum. Vide comment. Sigonij in faſtos & triumphos Roma. Ex Blandinio codice antiquiſſimo, non ſine magna moleſtia, reſtitui hãc oden diuiſis ſuis modis & numeris, à nemine adhuc obſeruatis nec cognitis, quod ſciam. quæ hunc in modum diſtingui & legi debet, *διαιρέτως.*

SOLVITVR *acris hiems grata vice*
Veris & Fauoni:
Trahuntq́; ſiccas machinæ carinas.
Ac neque iam ſtabulis gaudet pecus,
Aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus
Imminente Luna,
Iunctæq́; Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede,
Dum graueis Cyclopum
Vulcanus ardens vrit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput
Impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.
Nunc & in vmbroſis Fauno decet
Immolare lucis:
Seu poſcat agnam, ſiue malit hædum.
Pallida mors æquo pulſat pede
Pauperum tabernas,
Regumq́; turreis. ô beate Seſti;
Vitæ ſumma breuis ſpem nos vetat
Inchoare longam:
Iam te premet nox, fabulæq́; manes,
Et domus exilis Plutonia:
Quò ſimul mearis,
Nec regna vini ſortiere talis:
Nec tenerum Lycidam mirabere
Quo calet iuuentus
Nunc omnis: & mox virgines tepebunt.

EST autem metrum tricolum, cuius primus verſus eſt Alcmanius dactylicus tetrameter acatalectus, quatuor pedibus conſtans, poſtremo tantum dactylo, reliquis dactylis & ſpondeis miſtim. Alter Trochaicus Ithyphallicus eſt, conſtans dimetro brachycatalecto. Tertius eſt iambicus Archilochius, conſtans dimetro acatalecto. Iudicet lector doctus quid hic præſtiterim in ſtudioſorum gratiam. *Soluitur acris h.* grata commutatio mortalibus hiemis aſperæ in ver amœnũ. tale eſt illud, Diffugere niues, redeũt iam gramina cãpis, &c. Ode 7. lib. 4. *ſoluitur.* alludit ad hiemale frigus, cuius vis eſt conſtringere corpora, quæ verni caloris beneficio, Zephyriſq́; redemptoribus, quaſi decuſſis vinculis à frigore liberantur. *acris hiems.* frigus acre, mordax, vrens. Lucret. lib. 4. acre ferit frigus. Virg. penetrabile frigus adurit. Qua autem ratione modóq; frigus acre & vrens dicatur, diſputat Cæl. Rhodiginus. *Fauoni.* per apocopen. ſunt autem Fauonij vẽti veris comites, vt habet Ode 12. lib. 4. *trahuntq́; ſic. mach.* Machinæ quæuis inſtrumenta humano ingenio artéq; inuẽta, quibus moles aliqua ſuo loco moueri poteſt. *μηχαναὶ* Græcè. puluinos nominat Iſidorus lib. 19. Pollux, *νεολκῶν σκεύη*, inquit, *φάλαγγες, φαλάγγια, ὁλκοί, ὑφοί.* Subductio nauis ſeu tractio *νεολκία* Græcè, Machinatio Iul. Cæſari nominatur 2. lib. de bello ciuili. Machinatione nauali, Phalangis ſubiectis ad turrim admouent. his itaq; inſtrumentis machinæ nomine comprehenſis, naueis ſub hiemem in littora ſubduci, atque iterũ vere aduentante in mare reduci, ſeu retrahi poſſunt. Phalãga, Nonio teſte, eſt lignum teres & rotundum, quo ſuppoſito moles quæcumq; voluitur, een rolle Flandricè. Pollux lib. 7. *τὰ τῶν νεῶν ξύλα, οἷς ὑποβληθεῖσιν ἐφέλκονται αἱ νῆες φάλαγγες.* inſtrumentum vtile, atq; adeò neceſſariũ fabris omnibus. Innuit autem hic verſus nautas initio veris parare nauigationem. *ac neque iam ſt.* ver tempus opportunum paſcendo pecori, & agris ad ſementem colendis. *nec prata canis.* ſignificatio hiemis non affectæ modò, ſed etiam penitus confectæ, ex hiberni cæli effectis euaneſcentibus; pruina namq; ex effectis frigoris humi albicare ſolita iam deſinit, terra vireſcit herbis ſuccreſcentibus, inq́; florem exeuntibus. hoc itaq; argumentum eſt ab amœnitate terræ, quæ poſt pruinam recreat oculos nimia bruma graueis. *iam Cytherea nouos.* argumentum à ſerenitate aëris & cæli. nam poſt fugatas de nocte nebulas, Luna clara luce inuitat ad laſciuiam matronas, & virgines ad ſaltus, riſus, iocos, cantus, & id genus (incaleſcente Venere) corporis oblectamenta: Sunt enim periphraſticôs hæc accipienda, ita vt Nymphas quidẽ mulieres

mulieres comtulas, auctore Commentatore, Gratias verò virgines delicatulas interpretemur. Quo pacto quoq. Vulcanum ardentem internum in corpore calorē, Cyclopes, mareis, graueis teſteis licet intelligere: nullum enim anni tempus, præter vernum procreationi & petulantiæ eſt accommodatius, vt Phyſicis Medicíſq. eſt conteſtatum. *imminente Luna* ſupra caput lucente. Hæc eſt metalepſis hiemis præteritæ, quæ nebulis adductis ſidera contenebrat, quibus clarè lucentibus, & cum tenebris nebulæ, & hiemis rigor fugiſſe cenſetur. Imminere hîc eſt capiti impendere, ſeu ſupra caput volui, quod manifeſtò deprehendi nequit, niſi ſudo & puro cælo: hinc fit quòd imminere ad id quod eſt lucere ſignificanter transfertur. *Iunctæ Nym.* de Gratiis vide quæ adnotauimus ad oden 7. lib. 4. *Alterno ter.* periphraſis chori Venere duce, alternis enim nunc poſito, nunc ſublato pede ad numeros ſaltare, eſt choros ducere. Quatere, pulſare, pellere pede terram, ſaltare eſt. *grauen Cyclop.* per officinas Cyclopum alludit ad Aetnam montem, cui à Ioue Cyclopes ſubiecti finguntur, cùm Vulcano veris tempore cudere fulmina, ad cuius radicem Vulcano templum dicatum traditur, in quo canes excubitores, piis quidem omnibus ad ſacra ingreſſis abblādiebantur, impios verò magno latratu auerſati, non patiebantur ingredi. *nunc decet* poſt epulas ad focum per hiemem lari celebratas, nunc inuitat in aprico vt cœnitēt, & pro antiquo cōuiuandi more ab Ionibus accepto, auctore Valerio Max. myrto ſertiſq. floreis redimiti capita, in frōdoſis ſiluis ſacra Fauno faciant, ſiue agnam poſcat, id eſt, periphraſtic. puellam, ſiue hædum, id eſt, puellum, innuens vtriuſq. ſexus amorem: quod apertè quoq. ſatis exprimit poſtremis duobus verſibus. *caput imped.* Hoc eſt, myrteum ſertum capiti imponere. Sic Anacreon: *ἐμοὶ μέλει μύροισι καταβρέχειν ὑπήνην: ἐμοὶ μέλει ῥόδοισι καταστέφειν κάρηνα, τὸ σήμερον μέλει μοὶ, τὸ δ' αὔριον τίς οἶδεν*, id eſt, curo delibutam vnguento habere barbam, ſed implicare curo meos roſis capillos, hodierna curo tantum, quis cras futura nouit? Fuere autem myrti tria genera Catone teſte, nimirum nigra, candida, coniugula. Plin. lib. 15. cap. 29. Impedire propriè à vinctis pedibus ſumtum, ſicut & expedire ei contrarium, ſignificat detinere; at hic cum eo conſentit quod eſt redimire, coronare. *aut flore.* ſerto ex floribus cōcinnato. Crineis autem textilibus ſertis redimire, potaréq. moris erat menſis præcipuè ſecundis, vbi conuiuæ iam vino laſciuiores, dulciariis luxuriarentur: ſic enim Dicæarchus apud Athen. lib. 14. ἄγει (de ſecundis menſis) *ἦν πολλὰ δ' ἀπαντᾶν ἐν τοῖς δείπνοις πεπλεγμένα δ' ἐν-τίθεσθαι τράπεζα προσεγίνετο, καὶ στέφανοι, καὶ μύρα, καὶ θυμιάματα.* Inter multa autē coronarū genera duo ſunt quæ varietate ſola placere ſcribit Plin. lib. 21. ca. 9. quarū aliæ flore cōſtant, aliæ folio. *ſoluta.* vt enim frigoris eſt conſtringere, ita caloris eſt conſtricta concretáq. diſſoluere. *vmbroſis.* frondoſis. *Seu poſcat agnam.* ſic habēt duo codices Bland. quos ſecutus ſum. Carr. codex habet, *Seu poſcat agnam, ſiue malit hædos.* Præter agnam & hædum Fauno Deo Latino, atque adeò ſemideo, Halicarnaſſeo teſte, etiam capra immolabatur à Romanis, fortaſſis ob id quòd eum quoq. Pana vocitarēt. *Pallida mors.* ab æqua omnibus morte. ſic Cornel. Gallus, Omnibus eſt eadem leti via, non tamen vnus eſt vitæ cūctis exitiíq. modus, hac pueri atq. ſenes pariter iuuenéſq. feruntur, hac par diuitibus, pauper egenus erit. *pulſat pede.* allegoricôs ab humano more pulſandi foreis occluſas: id eſt, ſine vllo diſcrimine moriuntur diuites & pauperes. *tabernas.* tabernæ ædes ſunt humiliores, quæ fiunt ex tabulis, non, vt quidam putant, quòd tabulis claudantur, inquit Feſtus. *regúmq. turres.* hæc dictio ferè pro diuitibus & principibus viris ab Horatio poſita eſt. *turreis.* pro turritis ædibus, & in ſublime ædificatis. *Vitæ ſumma.* à vitæ breuitate hortatur ad indulgendum genio. *ſumma.* pro vitæ ſpatio, pro annorum paucitate, nimirum iam inde ab exordio ad finē vſq. vitæ. metaphora ſumta ab accepti rationibus impenſiq. *inchoare ſpem.* hoc eſt ſibi vitam diuturnā polliceri, protendere, ſperare, ſpē fouere. *iam te premet.* ab imminentibus vitæ fatis ſuadet alacriter vtendum rebus præſentibus. *premet.* opprimet. *nox.* perpetuus ſopor, tenebræ perpetuæ; hæc enim filia Chaos eſt Heſiodo teſte: *ἐκ χάεος δ' ἔρεβός τε μέλαινά τε νὺξ ἐγένοντο*, id eſt, at chaos & noctem peperit Erebúq. tenebras. *fabuléq; Manes.* id eſt, per ἓν διὰ δυοῖν, manes fabuloſi, qui dij ab Auguribus inuocantur, quòd eos per omnia manare crederent: éoſq. deos ſuperos & inferos dicebant, inquit Feſtus. Manes autem dicti ſunt quaſi benefici boni & fauſti, quòd mors ſapientioribus quàm vita melior iudicetur. de Manibus plena ſunt omnia & philoſophorum & poëtarum ſcripta. *domus exilis.* exilis hic pleno opponitur, pro inani & vacuo. ſic & Virg. pérque domos ditis vacuas & inania regna: vanæ namq. ſunt vmbræ, nec loco circumſcribi queunt. Quid ſi domus Plutonia exilis, ſepulcrum ſit anguſtū & paruū, nimirum paucorū pedum, pro modulo corporis eius quod continet? *ſimul* vtitur Horatius hac voce, ſimul, ferè per ellipſin, ac, atq. pro poſtquam. *meare.* migraueris, euanueris, *ἀναθυμιᾷς*. meare namq. verbum iis proprium eſt quæ ſenſim labendo pereunt; ſic homo viuendo diu paullatim

euaneſcit, fitq. vmbra, vt volunt antiqui poëtæ. *regna vini.* apud Græcos olim in ſympoſiis præfectum cõuiuij talis ſortiri moris erat, qui latis legibus pocula conuiuis æqualia pro arbitratu ſuo maiora, vel minora imperabat. Arrianus in Epicteto, ἐν σατουρναλίοις λέλογχε βασιλεὺς προστάσσει, σὺ πίε, σὺ κέρασον σὺ ἄπελθε, σὺ ἐλθὲ, &c. hoc eſt, in Saturnalibus ſortitione facta rex imperat, tu bibito, tu infundito, tu abito, tu venito, &c. Meminit & Tacitus lib. 13. feſtis, inquiens, Saturno diebus inter alia æqualiũ ludicra regnũ luſu ſortientium, euenerat ea ſors Neroni. hic itaque conuiuij præfectus & rex, βασιλεὺς, & princeps conuiuij dictus eſt. Ciceroni magiſter, regnum quoq. magiſterium. Varroni, Nonio teſte, modiperator. Horatio arbiter bibendi, conuiuator, cõuiuij præbitor. Plutarcho in Apopht. συμποσίαρχος vbi ait, Ἀγησίλαος ὁ μέγας παρὰ πότον ποτὲ λαχὼν συμποσίαρχος, ἐρωτηθεὶς ὑπὸ τοῦ οἰνοχόου, πόσον ἑκάστῳ προσφέροι. εἰ μὲν πολὺς οἶνος ἐστιν ἔφη, ὅσον ἕκαστος αἰτεῖ· εἰ δ᾽ ὀλίγος ἐξ ἴσου δίδου πᾶσιν. hoc eſt, Ageſilaus ille magnus, in cõuiuio aliquãdo ſorte factus ſympoſiarcha, interrogatus à pocillatore, quantũ cuiq. vini propinaret: ſi quidem multum vini ſit, inquit, quantum quiſq. deſiderat; at ſi parum ſit, ex æquo propinato omnibus. *ſortiere talis.* iactu talorum, in quibus aut numeri, aut, quod magis cũ Polluce crediderim, ipſorum facies ſeu forma ſine notis vllis: aut ſenionem ſeu Venerem, aut vnitatem ſeu canem referebat: Venerem quidẽ felicem, Canem verò infelicem: Quatuor certè numero, quòd eſſent quadrilateri, iaci ſolebant. & vt Venus erat cùm nullus eadem forma talus apparebat, ita canem fuiſſe cenſuerim, quando idem omnibus & vnus erat vultus. Teſſeris autem tribus, quos cubos nominat Ageſilaus, quòd eſſent hexagonæ, notatis antiqui, vt nos quoq. nunc, vtebantur eburneis. De talis autem hoc monitum volui lectorem præter Venerem & Canem, in iis etiam apud Plautum & vultures & baſiliſcos notatos fuiſſe; vultures quidem infelices, baſiliſcos verò fauſtos. *Lycidam mir.* hæc ſunt amoris illicia. *mox virg. tep.* frigidiores erunt, quàm vt te iam ſenio propè & frigore confectum accendere ſuo calore poterint. Lambinus poſt Aſcenſium multò aliter hunc locum interpretatur, quod mihi parùm placet.

AD PYRRHAM.

Ode V. προσφωνητική.

QVIS multa gracilis te puer in roſa
Perfuſus liquidis vrget odoribus
Grato, Pyrrha, ſub antro?
Cui flauam religas comam,
Simplex munditiis? heu quoties fidem,
Mutatóſq. Deos flebit, & aſpera
Nigris æquora ventis
Emirabitur inſolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea:
Qui ſemper vacuam, ſemper amabilem
Sperat, neſcius auræ
Fallacis. miſeri, quibus
Intentata nites. me tabula ſacer
Votiua paries indicat vuida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

COMMENTATOR.

QVIS *multa gracilis.* Metrum duobus verſibus Aſclepiadeum, tertio Pherecratium, quod cõſtat ſpõdeo, dactylo, ſpõdeo. hoc modo grato, Pyrrha ſub antro. quarto Glyconicum, conſtans ſpondeo & duobus dactylis. hoc modo: cui flauam religas comam. *quis multa.* Percontatur Pyrrham cũ qua olim cõſueuerat iocari, quo amatore nunc fruatur iuuene: & munditias eius laudans, quaſi calliditatis ipſius ignarus, ait ſe quoq. in amorem eius implicitum ſuſceptis votis tandem euaſiſſe. *gracilis.* delicatus, tenuis, tener. vnde, & vmbræ ibant tenues. Sed graciles & teneri ſolent eſſe adoleſcẽtes & puellæ. *perfuſus liq.* delibutus vnguentis pretioſis. *grato.* propter odores vnguentorum *antro.* fornice, vbi proſtare ſolebant. *cui fla. r.* cui comeris *ſimplex mund.* incompoſita & inornata quidem, ſed animo doloſa. *heu quot.* allegoricôs hæc dicuntur: ſignificat enim tempeſtatũ modo mobileis eſſe meretricum blanditias. *flebit.* quòd mutata felicitate, miſer deludetur ab ingrata meretrice. *mutatóſq. deos.* iratos, nõ propitios, incõſtanteis. ſic Luca. ô facileis dare ſumma deos, eadémq. tueri difficileis. *nigris.* contrariis. *æquora.* meretricem fallacem & inconſtantem; cui nihil fidendũ. vnde Virg. méne huic confidere monſtro, & cæli toties deceptum fraude ſereni? &, Eia age rumpe moras, varium & mutabile ſemper femina. *inſolens.* inconſuetus & inexpertus amorem meretricium. *aurea.* blanda, pulchra, propitia. *vacuam.* ſibi ſoli paratam contemtis aliis. *amabilem.* ſuo amori deſeruientem. *aura fall.* mutabilitatis femineæ. *miſeri quib.* mira varietas: Nam cũ dicit eos miſeros quibus placebat adhuc non probata, ſe quaſi felicem & beatum prædicat, qui iam euaſit eius fraudulentiam. *me tabula ſa.* Allegoria à naufragis ſumta, qui naufragia in tabulis depicta circumferre ſolent ad obuios ad miſericordiã commouendos. Quin & veſteis cum quibus euaſerunt, in tẽplo Neptuni aut alterius Dei marini ex pa-

ex pariete pendere ſolent ad voti ſolutionē. Iuuenal. naufragus aſſem dũ rogat, & pictà ſe tēpeſtate tuetur. Virg. ſeruati ex vndis vbi figere dona ſolebant. *vuida*. melius quã humida. *Deo*. Neptuno.

CRVQVIVS.

Quis multa gracilis. Horatius non æquo fert animo Pyrrham violata fide ſe, vel reiecto, vel, pro ſolito more, non admiſſo, iam alij puero ſuã dare operã: quare eius vafritiem ſimplici quadam fucatáq. munditia cultúq. cõtectam, nec non magnifica ipſius promiſſa cõfert auræ ventóq. fallaci: Ipſam verò Pyrrham procelloſis vndis, minimég. tutis, quibus adoleſcentes imperiti rerum, meretriciæq. fraudis ignari, ante tempus implicitì irretitíque, non minori rerum omnium, & nominis diſcrimine ſeſe eripere queunt, quàm ſolent naucleri facto naufragio incolumi vita vix enatare, Neptunóq. ſua vota ſoluere: quare Horatij exemplo in memoria ſemper habeant adoleſcentes, nihil fidendum eſſe procacibus id genus & doloſis meretriculis. *gracilis puer*. tenerè mollitérq. educatus, impubis, rerum imperitus, tenero & gracili corpore, decipi facilis, ætati puerili proximus: cuiuſmodi puerum deſcribit in arte poëtica ad Piſones, Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto gaudet equis, canibúſq. & aprici graminis cãpi, cereus in vitiũ flecti, monitoribus aſper. *in multa roſa*. in odoribus ad laſciuiam prouocandã. Fortaſſis intelligit ῥοδωνιτίαν λοπάδα, id eſt, genus odorati edulij & ſcitamenti in quo roſæ intritæ in olla ad menſam ferebãtur. de quo Athen. li. 9. Plin. lib. 21. ca. 19. de roſa, inquit, diapaſmata fiunt ad ſudores coërcendos, ita vt à balneis inareſcant corporibus, deinde frigida abluantur, &c. Quicumq. enim odores ex arida materia conſtãt, Græcè διαπάσματα, ex liquida verò διαπλάσματα nominantur. videto quæ ſcripſimus in Satyram 2. lib. 1. quid ſi ad ῥοδωνιτίαν λοπάδα eum alludere dicamus? vide Athen. lib. 9. *liquidis odo*. vnctionibus, quibus totum ſæpe corpus oblini ſolebat; quę διαπλάσματα nominata iã diximus. innuit fortaſſe ῥοδοσάγματα, id eſt, vnguenta roſacea. *vrget*. Venereum verbum, pro auidè amplectitur. *Pyrrha*. vox ficta à flauo capillitio; vnde ſubdit, cui flauam religas comam. *grato*. propter lucrum vtile. *antro*. innuit tacitè eam fuiſſe lupã meritoriam: antra namq. & luſtra ferarum ſunt propriè: hinc transferuntur ad lupanaria, & meretricũ fornices, in quibus quaſi antris nunc latent, nunc proſtant impudicè ad captandam prædam. auſim conijcere hanc Pyrrham in Subura cum ceteris ſuæ ſortis meretriculis habuiſſe domiciliũ fornicatum. *cui fl. r. com*. hoc eſt, in cuius adoleſcentis fraudem crineis flauos habes floribus religatos? ſic ode 11. lib. 4. Eſt ederæ vis multa, qua crineis religata fulges: alludit autem ad etymon Pyrrha. etiam ſi non ignorẽ flauam comã Romanis fuiſſe meritoriã, tamen magis placet à capillorũ flauedine eam circumſcribi: video namq. Horatio ad formæ pulchritudinem plus cõmendari capillos nigros: ait enim ode 32. huius lib. Et Lycũ nigris oculis, nigróq. crine decorum. Iterum ad Piſones, ſpectandum nigris oculis, nigróq. capillo. Martial. ſimiliter, Sit moro cama nigrior caduco. Appuleio quoq. in amica Photide grata eſt crinũ nigredo coruina. quare flauã interpretare pulchrã. ſic ode 4. lib. 2. Phyllidem flauã commendat. Lege illic adnotata. *ſimplex mund*. habens ornatũ corporis & formæ non magnificum & luxurioſum, ſed ſimplicem & vulgarem: habens ſupellectilem non ſumtuoſam, ſed pro tenui fortuna mundam, elegantem, laſciuaq. Veneri ſatis commodam. *heu quot fid*. pathetica exclamatio in adoleſcẽtem miſerum, quem Pyrrha nunc ſuis illecebris detinet captiuum, tantiſper ei ſuauis & iucunda benignáq. futura, dum habet quod donare poſſit. *fidem*. promiſſa de amore conſtanti, adoleſcenti data, veróq. *mutató q. deos*. Venerem cum ſuis aſſeclis, nimirum Gratiis, riſu, ioco, facilitate, liberalitate, oſculis, & id genus aliis, quæ taleis amores comitari ſolẽt, citóq. mutari. *aſpera nigris*. Allegoria. Nam per æquora aſpera expoliens quod dixit, mutatos deos, notat Pyrrham iam ſerenam & placidam, paullò pòſt, mutatis ventis ſecundis in aduerſos, id eſt, fauore, ſtudio, beneuolentia, amore ceteriſq. cõmutatis, animum eius immanem futurum ferocémq. nec vllis rebus placabilẽ, quod cum ad ſtuporẽ vſq. admiraturũ dicit, eò quòd ſit inſolens & neſcius auræ fallacis, id eſt, calliditatis & inconſtantiæ meretriciæ. *aſpera nigris*. ſynchyſis, pro, æquora nigra ventis aſperis. ſic enim plurimũ apud Homerum Il. ά. μελαίνει δὲ τὸ πόντον ὑπ' αὐτῆς. Il. ψ. μέλαν δὲ ἑ κῦμα κάλυψεν. Odyſſ. δ. ὑπὸ ζεφύροιο μελαίνῃ φρικὶ καλυφθείς. ſic & alibi Lyric ęquoris nigri fremitus. *intentata*. an per auxeſin præpoſitionis, in, pro valde tentata, an per ἄρνησιν, pro non; reuera neſcio vtri miſeriores, an qui capti ſuis adhuc exuendi, an qui penitus exuti ſunt omnibus? Certè fatetur Horatius ſe poſterioris eſſe ſortis, & propè nudum ex tanta voragine vix emerſiſſe. *nites*. nitere ad munditiem pertinet. *me tab. ſac*. ab euentu ſuo docet, quàm ſint miſeri adoleſcentes, qui ſe impudicarum blandimentis illaqueari ſinunt. ſumta metap. à naufragis. *tabula vot*. quã voui mediis in periculis, nimirũ vt votiua ſit pars ſeu tabula nauis fractæ qua enatauit. *ſacer paries*. ſynecdoche, id eſt, ſacrũ Neptuno ſacellum, cui ex naufragio ſeruati ea conſecrant cũ quibus enatarunt. *vuida*. ſecutus ſum in hac voce codices Bland. & Diuæi. ceteri habent humida.

AD M. VIPSALIVM Agrippam.

Ode VI. ὑποθετική.

SCRIBERIS Vario fortis, & hoſtium
Victor, Mæonij carminis alite,
Quam rem cumque ferox nauibus, aut equis
Miles te Duce geſſerit.
Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec grauem
Peleidæ ſtomachum, cedere neſcij,
Nec curſus duplicis per mare Vlyſſei,
Nec ſæuam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia: dum pudor,
Imbellisque lyræ Muſa potens vetat
Laudes egregij Cæſaris, & tuas
Culpa deterere ingenî.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Dignè ſcripſerit? aut puluere Troico
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydeiden Superis parem?
Nos conuiuia, nos prœlia virginum
Sectis in iuuenes vnguibus acrium
Cantamus vacui: ſiue quid vrimur,
Non præter ſolitum leues.

COMMENTATOR.

SCRIBERIS *Vario fortis.* Metrũ tribus verſibus Aſclepiadeum, quarto Glyconicum. Scribit autem ad M. Agrippam, cuius res terra mariq. geſtas ait, non niſi à Vario optimo poëta deſcribi poſſe: Suum autem ingenium ludo deditum, impar eſſe talium metrorum, nec res bellicas canere poſſe. fuit autem Varius Tragœdiographus nobilis, nec nõ Eclogarum ſcriptor Horatij Virgiliiq. contubernalis. *Mæonij car. al.* Homerici carminis ſublimitate. Inter opiniones quæ de natalibus Homeri feruntur, hęc vna eſt, quòd aut ex Mæonia fuit, aut Mæonis filius. *quam rem cumq.* tmeſis, pro quamcumq. rem. ordo talis eſt: Quamcumq. rem ferox miles geſſerit te duce nauibus aut equis, ô Agrippa, ſcriberis à Vario victor hoſtium; nos tenues nec conamur dicere hæc, nec conamur dicere grauem ſtomachum Pelidæ neſcij cedere, id eſt, inuicti, ferocis; nec conamur dicere dupliceis curſus Vlyſſei per mare: nec conamur dicere ſęuam domum Pelopis, dum pudor & Muſa potens lyræ vetat deterere laudeis egregij Cæſaris & tuas culpa ingenij. *Pelidæ.* Achillis à Peleo nati. *ſtomachum.* ſtomachus pro ingenti ira ponitur. *cedere neſcij.* inuicti, & ferocis. vt rumpantur neſcia vinci pectora. *curſus duplices.* Amphibolon eſſe poteſt, aut duplicis in genitiuo caſu, id eſt, callidi: aut dupliceis in accuſatiuo, propter errores decem annorum: Nam dum alij Gręcorum duces capta Troia poſt annos decem reuerſi ſunt, Vlyſſes ſolum poſt viginti propter errores domum reuerſus eſt. *ſæuam Pelop. do.* Notæ ſunt fabulæ de Tantali genere, ex quo Pelops ortus eſt: deinde Atreus & Thyeſtes, poſtea Oreſtes. quorũ ſcelera in Tragœdia deſcripta ſunt à Vario ſtylo ſublimi. hinc Virg. Nã neq. adhuc Vario videor nec dicere Cinna digna. *conamur tenues.* extenuat vireis ſuas dicens, nos tenues non audemus grandia. *imbellis.* non apta ad res bellicas decantandas. *culpa.* tarditate. *deterere.* indecenter dicere, & ex conſequenti, minuere; nã quæ deteruntur, cõminuuntur. *adamantina tun.* lorica. alluſit ad viros indomabileis, quiq. nullo bello ſuperari poſſunt: ſumta comparatione ab adamantis lapidis duritie. *nigrum.* pulucrulentum & ſqualentem certaminis magnitudine. notatur fortitudo Merionis. *aut ope Pall.* Nam Diomedes auxilio Palladis cõtra Venerem dimicauit, eámq. vulnerauit, quoniã Pallas fauebat Græcis. *Tydiden.* Diomedem. *Superis parem.* diis æqualem. *nos conuiuia.* nos vacui, id eſt, à negotiis liberi, cãtamus conuiuia voluptatibus plena, id eſt, ſcribimus. *ſectis in iuuen.* in os iuuenũ ad repugnandum reſectis vnguibus ac præparatis. *quid vrimur.* amamus aliquid. vritur enim qui amat. Virg. Vritur infelix Dido. *non præt. ſo. l.* non præter ſolitum leuis eſt qui vritur, nam omni tempore eſt inconſtans, quod amatoribus proprium eſt.

CRVQVIVS.

SCriberis *Vario fortis.* Per occupationem purgat Horatius ſeſe apud Agrippam de rebus bellicis ab eo confectis pro dignitate à ſe & rerum magnitudine deſcribendis, vt quem neq. pateretur natura vehementius aſſurgere, nec ferret aliud ingenij vis & facultas ipſa, quã amatoria ad citharam leuioráq. modulari. Sed quaſi aliud agens Cęſarem & Agrippam tanta dexteritate cũ ſummis totius Græciæ & inuictis principibus committit, Achille putà, Vlyſſe, & ceteris, vt ex horum immortali gloria ex indomita fortitudine, quanta laude digni ſint Romani illi principes, facilè quiuis intelligat. *Scriberis.* Scribere magnorũ & in eruditione præcellẽtium virorum propriũ eſt: hinc auctores quiq. optimi, ſcriptores nominantur; qualẽ Horatius hic Variũ celebrat ab Epici carminis excellentia,

ſentia, adeò vt eum dicat alitẽ Mæonij carminis, perinde ac ſi non dubitet eum in inſigni cantu, id eſt, in ſublimi ſcribendi genere Homero æquiparare: Quod & Quintil. in Thyeſte approbat. hîc me non latet Eraſmum in adagio, Meliores nanciſci aueis, alitem hic interpretari augurium & omen; aliósque in eadem eſſe ſententia: verùm nihil vetat alitem quoque metaphoricôs eſſe poëtam quì canendo, id eſt, Heroica deſcribendo Homeri inſtar in altum fertur. *fortu.* inuictus & ſtrenuus imperator. Laus à militari fortitudine. Scribit etiamnum Paterculus, Agrippam virtute, labore, vigilia, periculo inuictum. *Mæonij carminis al.* hoc eſt, Homerici ſeu Heroici carminis vate, ita vt Varius ſit ales Mæonius, id eſt, Homericus, cantu & ſententia ſublimi. *ferox.* ſynecdochicôs pro copiis indomitis: à feritate namque, Nonio teſte, ferox dicitur. *nauibus.* teſtatur Sex. Pompeius bello nauali ad Liparas ab eo victus & penitus fractus: qua gratia ab Auguſto donatus eſt corona Roſtrata, auctore Plinio. Ceterùm de rebus ab Agrippa geſtis terra maríq. legito Dionem, Appianum bell. ciuilium lib. 5. Oroſium lib. 6. cap. 18, 19. *nec grauem Pel.* hoc eſt, non conamur ſcribere Iliada, in quibus implacabilis Achillis animus graphicè ab Homero depingitur, præcipuè in erepta ſibi Briſeide. *Peleidæ.* per antonomaſiam, pro Achille Pelei & Thetidis filio. *cedere neſcij.* cedere hic eſt placari, exorari, ad miſericordiam flecti. ſic ode 14. lib. 2. ſcribit Plutonem illacrymabilem. *nec curſus.* id eſt, Odyſſeam periphraſticôs. in quibus dupliceis Vlyſſis curſus deſcribit, id eſt, errores varios, pérq. maria ſpatioſa latos. quod eo dico, quòd Homerus à Troia capta, in reditu difficileis Vlyſſis labores decantauit, non etiam in aditu Troiam verſus, vt exponit Commentator & alij; nimirum dupliceis, id eſt, aditum ad Troiam, reditúmq. in patriam. verùm cùm viri quidam docti de aditu hoc dici non poſſe aduerterent, legunt *duplicis*, id eſt, verſuti & callidi, pro Epithetis Homericis Vlyſſi datis. Quam quidem ſententiam etſi non improbem, tamen conſenſum omnium, quos vidi, ſcriptorum codicum in τῷ dupliceis, nolui vili facere. Sed quid ſi per dupliceis intelligamus bis decennaleis? eſt enim vero cõſentaneum priori decennio dum Troia premeretur obſidione, Vlyſſem, dum liceret, nauigio proxima quæque Troiæ loca inſpexiſſe. diſpiciat lector doctus. *ſæuam Pel. d.* alludit ad Thyeſta Tragœdiam à Vario conſcriptam in eius cõmendationem. *domum.* progeniem. filios Pelopis Atreum & Thyeſtem fratres notæ inter ſe crudelitatis, vt fabulantur poëtæ. *tenues grand.* modeſta παρῄτησις ab ingenij tenuitate, & naturę verecũdia, à qua ſibi datum negat ſublimia dicere. *Imbelle.* erat enim lyra conuiuiis aptior quàm rebus bellicis: ea namq. à conuiuatore ſingulis ordine conuiuis oblata, ſi ab aliquo recuſaretur, is habebatur indoctior. *lyræ Muſa po.* Lyrica Muſa, quæ lyræ præeſt; Polyhymnia: quam ode 1. optat ſibi tendere barbiton. *Quis Martem.* ἐξέτασμα, ad expolitionem eius dictionis, grandia, qualia ſunt heroum geſta. *Martem.* viros Martios, imperatores, duces. *tectum tun. adam.* indutũ munitúmq. lorica & armis duriſſimis: metaphora ab adamante lapillo indomitæ duritiei; ἀπὸ τοῦ δαμάζω, καὶ ἀδάμας, id eſt, domo. Alludit autẽ ad illud Iliad. ά. ἐπὶ νῆας ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων, id eſt, ad naueis Achiuorum loricatorum. χαλκοχίτων enim eſt habens æneam loricam. *puluere Troio.* ode 1. dixit puluerem Olympicum colligere. eum locum videto. *Merionen.* Idomenei patruelem & aurigam, virum fortiſſimũ. Homer. Iliad. 7. Eum enim facit ἀτάλαντον ἐνυαλίῳ, id eſt, æqualem Marti. *ope Palladis.* Homerus toto ferè libro 5. nihil aliud quàm deſcribit ſedulitatem, gratiam & amorem Palladis erga Diomedem, quando non ſemel inducit eam his verbis affari Diomedem, τυδείδη διόμηδες ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ, id eſt, Tydide Diomede meo gratiſſime cordi. Eum namq. non tutata modò eſt, ſed & iuuit & animauit in Martẽ Venerémq. Quod Virg. quoque lib. 11. ita cecinit, ferro cæleſtia corpora demens appetij, & Veneris violaui vulnere dextram. *Tydiden.* ſic habẽt 3. cod. Bland. *Superis parem.* animo & fortitudine diis non inferiorem, ἀτάλαντον θεοῖς, vt habet Homerus. *nos conuiuia.* explicat quod ſuprà dixit, nos tenues: cõuiuia nãq. & amores ſunt in re tenui, id eſt, argumenta ſcribendi præbent humilia lyræ cõuenientia. *prælia.* amantium contentiones & luſus, facetè admodum alludens ad heroum geſta, ſe quoq. in prœliis verſari dicit, ſed non duris & ſanguinolentis, ſed mollibus & amatoriis, in quibus non opus eſt ferro & armis adamantinis, ſed vnguibus, iiſq. reſectis, ne vulnerentur amantes. aliâs enim vngues arma ſunt muliebria.

AD MVNATIVM PLANCVM de Tiburtina regione.

Ode VII. παραινετικὴ καὶ εὐκτικὴ.

LAVDABVNT *alij clarã Rhodon, aut Mitylenen,*
Aut Epheſum, bimariſue Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Inſigneis, aut Theſſala Tempe.

Sũt quibus vnũ opus eſt, intactæ Palladis vrbem
Carmine perpetuo celebrare, &
Vndiq; decerptam fronti præponere oliuam.
Plurimus, in Iunonis honorem,
Aptum dicit equis Argos, ditéſque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſsit campus opimæ,
Quàm domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & vda
Mobilibus pomaria riuis.
Albus vt obſcuro deterget nubila cælo
Sæpe Notus, neque parturit imbreis
Perpetuos: ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam, vitæq; labores
Molli, Plance, mero: ſeu te fulgentia ſignis
Caſtra tenent, ſeu denſa tenebit
Tiburis vmbra tui. Teucer Salamina, patrémq;
Cùm fugeret; tamen vda Lyæo
Tempora populea fertur vinxiſſe corona,
Sic triſteis affatus amicos.
Quò nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus, ô ſocij, comitéſque.
Nil deſperandũ Teucro duce, & auſpice Teucro:
Certus enim promiſit Apollo
Ambiguam tellure noua Salamina futuram.
O fortes, peioráq; paſsi
Mecum ſæpe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus æquor.

COMMENTATOR.

LAVDABVNT *alij claram Rhodon.* Metrũ Heroicum. primus verſus Hexameter Heroicus catalecticus. Sequens Alcmanius Dactylicus tetrameter acatalectus, qui & Phaliſcus appellatur, eò quòd ex quatuor pedibus vltimis conſtet verſus Heroici. Munatium Plancum alloquitur, conſularem virum, Tiburtem origine, in cuius gratiam dicit, cùm diuerſis poëtis ſtudium ſit, diuerſas inſulas oppidáq. certorum numinũ gratia celebrare carminibus, ſibi Tibur eſſe laudandum, cuius voluptate capiatur & amœnitate, nec non Albuneæ Nymphę eiuſdem vicini nemoris deę: vnde Virg. lucóſq. ſub alta conſulit Albunea. Tibur autem Tiburnus condidit, à quo nomen eſt ciuitati; hic fuit filius Catilli, filij Amphiarai, vt, Catillúſq. acérq. Corax. Hortatur autem Plancum vt curas voluptatibus relaxet exemplo Teucri Telamonij. *claram.* eo quod ſoli ſit expoſita. *Rhodon aut Mit.* maritimæ Græciæ ciuitates, altera in Rhodo inſula, altera in Leſbo. *bimariſve Corinthi.* quia ad Iſthmon poſita Ionio & Aegæo mari alluitur. *Vel Baccho Th.* ordo eſt, vel Thebas inſigneis Baccho, vel Delphos inſigneis Apolline. hic enim apud Thebas Dionyſius vt Delphis Apollo colebatur, à quibus etiam loca ſortiuntur honores. *Theſſala Tempe.* Tempe amœna loca ſunt Theſſaliæ. eſt autem numeri pluralis inflexum. *ſunt quibus.* acſi diceret, vnum ſtudium eſt aliquorum laudibus Athenarum dicẽdis operam darę, & inde gloriam quærere. Athenas autem vocauit vrbẽ Mineruæ, quia ἀθῆναι ἀπὸ τῆς ἀθήνης, id eſt, à Minerua nomen eſt. *carmine perpet.* aut vno metri genere, aut non immixtis aliorũ laudibus. *Vndiq. decerptam.* ex omnibus collectam. ordo eſt: præponere fronti oliuam vndiq. decerptam. *aptum dic.* laudat. Aptum autẽ Argos genere neutro ſingulariter dicit; nam plurale Argi eſt maſculinum. Homerus appellat ἄργος ἱππόβοτον. *ditéſq. Mycenas.* Sicut Athenas quidam laudant in Mineruæ honorem; ita & Argos Mycenas alij in honorem Iunonis. *tam patiens Lacedem.* quia in aris Dianæ adoleſcentes verberibus immobiles cędebantur: poſt matricidium namq. Oreſtes furibundus, adiit oraculum Apollinis de ſanitate acquirenda: reſpondit oraculum eum poſſe ſanari, ſi è Taurica regione Dianæ Scythicæ ſimulacrũ auferret: profectus itaq. in Tauricam, vbi ſoror eius Iphigenia Dianæ ſacerdos, aduenas immolabat, ab ea eſt agnitus, cui parcens interrogauit cur veniſſet: re itaq. cognita, ipſa cũ fratre quem ſecuta eſt, ſimulacrũ abſtulerũt, delatúq. in Italiã illud collocarunt in nemore Aricino Dianę ſacro: At poſtea quã videretur Italis numẽ immite & aſperum, illud orientem verſus miſerũt, atq. à Lacedæmoniis ſuſceptũ eſt; ſed ij quoq. veriti ne aut crudelitatem aut ſæuitiam aliquã Diana in ipſos exerceret, hoc ſtatuerunt vt iuuenis eius aras aſcenderet, quem alius tamdiu loris cæderet, donec ſanguis è viſceribus in aras manaret, atq. ita numini ſatisfieret. *Lariſſæ.* Lariſſa ciuitas Theſſaliæ, à qua & Achilles Lariſſæus dictus eſt. Virg. quos neq. Tydides, nec Lariſſæus Achilles. *percuſsit.* magna delectatione animum ferijt. *opimæ.* fertilis. *domus.* nemus amœnum & delectabile, conſecratum vnà cũ fonte Nymphæ Albuneæ, vnde nomen accepit. Virg. 7. lucóſq. ſub alta conſulit Albunea nemorum quæ maxima ſacro fonte ſonat. *præceps Anio.* per deuexa cadens & rapidus. *Tiburni.* Tiburnus conditor Tiburis eſt. cuius fratres meminit Virg. inquiens, Catillúſq. acérq. Corax Argiua iuuentus. *vda mobil. pomar.* diſcurrentibus riuis irrigua. *Albus vt obſ.* albũ

Notum

Notum Græci compoſitè λευκόνοτος, id eſt, ſerenum appellant. *detergit nub.* fugat & purum aërem facit; ventus enim eſt ferens ſerenitatem. *aſſiduo:* nubilo. *molli mero* ſuaui & leni: Nam vino in obliuionem veniunt curæ, & triſtitia fugatur. *fulgentia.* ſplendentia, aut luce coruſcantia: ac ſi diceret, ſeu militiæ fueris, ſeu domi. *Salamina.* Salamin ciuitas Telamonis: hic ſuis filiis Teucro & Aiaci ad Troianum bellũ proficiſcentibus legem poſuit, vt alter ſine altero non rediret: Aiace itaq. peremto, quòd per dolum Vlyſſis in iudicio armorum victus eſſet, cùm ipſe corpus Achillis liberaſſet: Teucer memor imperij paterni, & patrem patriamq. fugiens reſponſo Apollinis, cum ſociis in Cypro condidit ciuitatẽ: Hunc fugientem dicit Horatius hortatum eſſe comites ad pocula & vino conſolationis gratia triſtitiam mitigaſſe. *vdu Lyæo.* Hypallage: ipſum enim Teucrum vino vdu fuiſſe intelligi oportet. *populea* propter animi fortitudinem; hæc enim arbor Herculi eſt ſacra. *O ſocij.* ordo eſt: ô ſocij & comites ibimus quocumq. feret nos fortuna, melior parente, ea enim dabit patriam, quã pater negat. *auſpice.* ſponſore; ad Apollinem reſpicit, cuius reſponſi promiſſa ſequebatur. *certus.* non fallax, veridicus. *ambiguam.* duplicem; quòd altera in Cypro, altera in Attica regione eſſe dicatur, à qua puiſus alteram cõdidit. Virg. ſimiliter ambiguam duplicem poſuit, agnouit prolem ambiguam geminóſq parenteis. *noua.* incognita, peregrina. *peioráq.* Virg. ô paſſi grauiora. *iterabimus.* iterum nauigabimus.

CRVQVIVS.

LAudabunt alij claram Rhodon. Huius odes argumentum generis eſt demonſtratiui rerum. Alius alia de cauſa concedit vrbeis & loca quæq. pulcherrima multis efferre laudibus, ſibi verò ait in primis commendari Tiburtinam regionẽ, propter Albuneę fontis, & Amenis fluminis in aquarum decurſu lenem ſtrepitum, luci amœnitatem, & pomariorum irrigationem, idq. ad eò inuitandũ Plancũ; & vitæ tædium diſcutiendum: Nam ex Epiſtolis Cic. familiar. & Vellæi Paterculi lib. poſteriore pro comperto eſt L. Munatium Plancum L. f. proconſ. ciuili tumultu mirabiliter agitatum fuiſſe: Nam C. Cæſare interfecto, primum à Senatu & republica cum Octauio fortiter ſtetit; M. Lepido pontifice maximo, M. Antonium iã hoſtem à Senatu iudicatum, intra ſua caſtra recipiẽte: Poſtea, neſcio quo iudicio, niſi quòd recta non legerit, inquit Paterculus, defecit ad Antonium, à quo in contubio cùm eſſet refrigeratus, transfugit ad Cæſarem: Cuius tandem vitæ ſtatum tædiúmq., & ob fortunæ mutabilitatẽ, rerũ amplius gerẽdarum pęnè deſperationem cognoſcens Horatius, eum ſolatur amicè, hortatúrq. vt animum ſeruet in omnem euentum fortem, integrum & incõcuſſum domi belliq. Ceterum ad exemplum Teucri Telamonij ſuadet, ſi non Romæ, vt Tiburi vitam finiat, hilariter viuat, & vini potu ſuauioris obliuiſcatur malorum omnium præteritorum. *claram Rhod.* præclaram & nobilem portubus, viis, mœnibus, legum præſtantia, rei naualis peritia, artium liberalium, & in primis eloquẽtiæ, ſtudiis, &c. aut claram, hoc eſt, perpetuis ſolis illuſtra tam radiis, numquã enim, teſte Solino, ita cælum nubilum eſt, vt in ſole Rhodos non ſit. Eſt autem ea inſula ſoli ſacra, qui puellæ Rhodiæ amore captus, Rhodon ab ea nominauit. *Mitylenen.* Mitylenen in Lesbo erexit ex Amazonibus vna Myrina nomine, eámq. de ſororis nomine, quæ vnà militauerat, Mitylenen nominauit Pittaco ſapiẽte nobilem. vide Diodorum Siculum. *aut Epheſum.* Hæc item Diodoro teſte ab Amazonibus in Aſia extructa eſt, magnæ Dianæ templo nobilitata. *Corinthi.* Corinthus vrbs ære & figulina celebratiſſima: Achaiæ totius emporium nobiliſſimũ. vid. Strab. lib. 8. *bimaris.* ἀμφιθάλασσος à ſitu loci. ea namq. inter duo maria Ionium & Aegæũ in Iſthmo hinc ex Italia, illinc è Græcia nauigãtibus commodiſſimè prominebat. Strabo lib. 10. *mœnia.* hoc ad opticen ſpectat, ea namq. in altis rupibus obliquè diſtorta & aſpera nauigantibus erat admirationi; hinc dicta ſupercilioſa Corinthus, Strabone teſte lib. 8. *Baccho Thebas.* Thebæ in Bœotia à Cadmo conditæ Bacchi fuere patria ex concubitu Iouis cum Semele Cadmi filia. vide hac de re prolixam narrationem Apollodori lib. 3. *Apolline Delph.* Delphi & Elatea in Phocide ciuitates duæ clariſſimæ, Delphi, propter templum Apollinis Pythij, & oraculum vetuſtate inſigne. Strabo lib. 9. Delphi Cephiſo flumine, Caſtalio fonte, & Parnaſſi iugis celebres. Solinus. ſic dicti à Delpho Neptuni filio. Vide Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2 *Theſſala Tempe.* Peneus fluuius inter Oſſam & Olympũ decurrens, collibus dextra læuáq. molliter curuis, nemoroſis cõuallibus Theſſalica facit Tempe: Solinus. videto Strab. lib. 9. Generatim autem loca quæuis amœna, molli gramine virentia, fontibus irrigua, arboribus cõſita vmbroſáq. (qualia inter conuallcis ferè eſſe ſolent) propriè Tempe eſſe dicũtur. *ſunt quibus.* εἰσὶν οἷς. helleniſ. *vnum.* vnicum. *intactæ Pall. vr.* periphraſis Athenarum, quæ cur ἀπὸ τῆς ἀθήνης dicta ſit, conſulito Apollod. lib. 3. & Stephanũ περὶ πόλεων. *intactæ.* inuiolatæ, virginis. *carmine perp.* an Epico, non etiam Lyrico? *Vndiq. decerptam.* Quos legi codices ſcriptos, omnes habent, *Vndiq. decerptam fronti præponere oliuam.* Aliqui

Aliqui nuper typis euulgati legunt, *Vndiq. decerptæ frondi præponere oliuam*. Quæ lectio ſumta eſt ex emendatione Palmiana, Garçano teſte: Nec ab ea diſſentit Lambinus contra Turnebum, qui antiquam ex vnanimi veterum ſcriptorum conſenſu ſuo loco reſtituendã cenſet. Cui certè ſubſcribo; & ne multis onerem lectorem in commemorandis ſcriptis aliorum ſuper hoc verſu, quæ prolixa ſunt, & in multis à λόγοις nõ multùm diſſentanea, non temerè (meo iudicio) crediderim per decerptam oliuam vndique, notari coronam oleaginam detonſam; vt Virg. 3. Georg. Ipſe caput tonſæ foliis ornatus oliuæ dona feram, &c. Erant enim apud veteres coronæ tonſiles, quas hic poëta noſter decerptas vndique, id eſt, detonſas circumcirca vocat, vt eſſent foliis breuioribus ornatioribúſq.: quod olim fieri ſolitum notat obiter Epiſtola pænultima li. 1. Ac ne me foliis ideo breuioribus ornes, &c. Quod autẽ pertinet ad nouũ loquendi genus, præponere fronti, id eſt, dare omnem operam ſcribendo, vt fronti præponatur, hoc eſt, vt frons coronetur ornetúrque, ſynecdochicôs pars pro toto. Quid tantopere vetat hoc cõcedere Horatio, cui longè alia libenter annuimus? *plurimus*. Enallage numeri, pro plurimi, multi. *aptum equis*. alendis paſcendíſque. hinc ἱππόβοτον Homero, ſiue ἱππότροφον. de Argis autem & Mycenis vide Strab. lib. 8. & Melam lib. 2. vbi ait: At in Argolide Argos & Mycenæ & templum Iunonis vetuſtate & religione percelebre. *patiens Lacedæ*. epithetõ ab educatione & diſciplinæ gloria: quã Spartanam, emphaticôs, nominabãt, vtputà, ſeueram, inediæ, frigoris æſtúſq. & malorũ omnium domi belliq. tolerantem, mollitieiq. minimè indulgentẽ, adeò vt non temerè Gorgo Lacæna Leonidis vxor, peregrinę cuidã dicẽti μόναι τῶν ἀνδρῶν ἄρχεται αἱ λάκαιναι, id eſt, ſolæ viris imperatis ô Lacęnæ, reſpõderit, μόναι γὰρ τίκτομεν ἄνδρας, id eſt, ſolæ namq. viros parimus. Plutar. in Lycurgo. Legito Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25. Strab. lib. 8. *Lariſſæ opimæ*. epitheton à paſcuorum fecunditate. Strabo lib. 9. Regionem autẽ hanc ceteróſq. Perrhebos Lariſſæi in ſuã ditionem redegerunt iuxta Peneum conſidenteis, illorúmq. vicini fertiliſſimã quidem paſcentes agri partem, &c. Homerus in catalogo, ἱππόθοος δ' ἄγε φῦλα Πελασγῶν ἐγχεσιμώρων, τῶν οἳ Λάρισαν ἐριβώλακα ναιετάασκον. id eſt, Hippothous populos ducit turmáſq. Pelaſgûm, hos quicumq. tenẽt Lariſſę fertilis arua. fuere autẽ tres Lariſſæ, Cumana, Pelaſgica, & Cayſtriana. Strabo lib. 13. *percuſſit* ſic legitur in omnibus ſcriptis cod. & vera eſt lectio cõtra Nebriſſenſem, qui in eo Terẽtij, Perculſit ilico animũ, vult, perculſit, eſſe Latinum: vbi codex eſt corrigendus, nec minus quoq. Taciti, vbi legitur, Ingens rerũ tumultus perculſit ciuitates. *Quam domus Albuneæ*. fons Albuneæ Nymphæ ſacer, vbi Plancus villã habuit Albunea fonte & amœniſſimo loco percelebrem, quæ ab Albunea nympha nomen ſortita dicuntur. Sed quid ſi hæc omnia ab Albulis aquis denominata cẽſeamus? ſcribit enim Strabo lib. 5. Albulas quaſdam aquas multis ex fontibus prope Anienem ſcaturire, quas Tibullus Albana flumina intelligit. *præceps Anio*. Strabo li. 5. In Romę verò conſpectu ſunt Tibur, Præneſte, & Tuſculum. Tibur quidem Herculeum eſt & Cataracta, id eſt, deſcenſus quem facit Anio, vbi nauigabilis eſſe incipit, cùm è ſublimi in profundam vallem præceps defertur, & per vrbi ipſi vicina nemora. *Tiburtini luc*. ſic habent 4. codices Blãdinij. ex quibus propter antiquitatem reſtituendus eſt Virg. cũ Seruio 7. Aeneid. Fratris Tiburni dictã cognomine gentem. Et Solinus cap. 8. vbi habet, Catillus enim Amphiarai filius, poſt prodigialem patris apud Thebas interitũ, Oeclei aui iuſſu cum omni fœtu vel ſacro miſſus treis liberos in Italia procreauit, Tiburtum (corruptè pro Tiburum) Coram, Catillũ: Qui depulſis ex opido veteribus Sicanis, à nomine Tiburni fratris natu maximi vrbem vocarunt. Item Plin. lib. 16. cap. 44. vbi Tiburto conditore, pro Tiburno, poſitum eſt. *pomaria*. cod. Carr. habet pomœria: quæ dictio non minùs accõmoda mihi videtur, quàm τὸ pomaria: ſed iudicet lector eruditus. *Albus vt obſ*. κατὰ ὁμοίωσιν ex affectione cæli varia pro qualitate Noti, nunc humidi pluuiíque, nunc ſereni nebuláſq. fugantis, monet Horatius Plancũ, pro fortunæ inconſtantia luſúq. in rebus mortalium, vt ſoletur ſeſe vbicumq. locorũ vixerit, præſenti animo ferat quicquid acciderit, genio indulgeat, vitámq. finiat hilariter. *deterget*. ſic omnes Bland. Carr. Mald. Sil. Buſl. ſed Mart. habet detergit: ſed priorem lectionem ſeruaui. *ſæpe Notus*. ferè autem deterget Notus nubila cęlo, fugátq. pluuiã, quando ſolem ad occaſum vergentem præcedit, eique ſubſeruit tantiſper dum humidum illud frigúſq. nocturnum calore diurno abſumtum fuerit, inducta ſiccitate per attenuationem aëris humidioris: Contrà, quando Notus ſolem ſubſequitur, occaſum verſus, aut Fauonius incidens in Notum lationi eius aduerſus eſt, plurimùm videbis incraſſari aërem, pluuiámq. gigni; hoc enim modo beneficio ſolis priuatus ſuæ naturæ relinquitur, humoréq. & frigore incraſſatus in pluuiam deſinit. *Perpetuos*. tres Bland. habent perpetuo; *ſic tu ſap*. ἀπόδοσις ὁμοίου κατὰ προτροπήν. τὸ ſapiens, ad futura pertinet, id eſt, tu futurus ſapiens. *Triſt. vitæq; l*. alludit ad duros Planci caſus difficileſq.

leſſque in ciuili tumultu, de quo ſuprà in exor-
dio. *molli Planco mero.* molle merum eſt maturum
deliniensq́. *μάλακος οἶνος*, molle vinum & dulce.
fulgentia ſig. de militaribus ſignis Plin. lib. 10. cap.
4. Romanis, inquit, eam (aquilā) legionibus C.
Marius in ſecundo conſulatu ſuo propriè dicauit:
Erat & antea prima cum quatuor aliis: Lupi, Mi-
notauri, equi, aprîq. ſingulos ordines anteibant
&c. hunc legito. Vegetius de re militari lib. 2. cap.
13 primum ſignum totius legionis (inquit) eſt a-
quila, quam fert Aquilifer: Dracones etiā per ſin-
gulas cohorteis à Draconariis ferūtur ad prœlium
&c. lib. 3. cap. 5. ſcribit tria eſſe ſignorum genera,
vocalia, ſemiuocalia & muta. quæ poſtrema huic
loco ſeruiētia numerat inquiens, muta ſigna ſunt
Aquilæ, Dracones, vexilla, flammulæ rufæ, pinnę
&c. hunc videto: ſed videtur inter cetera notare a-
quilam, quam C. Marius argenteam magis ha-
buiſſe fertur quàm auream. Sed quid ſi ad Numi-
na locum hunc pertinere velimus quæ ſolebant
imperatores in exercitu præferre, veluti C. Cæſar
Venerem victricem: Pompeius Herculem inui-
ctum; eius filius in Iberia pietatis inſigne? *tenent.*
detinent, delectant. *Teucer Salam. pat.* *ὁμοίωσις καὶ
παράδειγμα.* Hortatur enim Plancum, quaſi aliud
agēs, vt inſtar Teucri Telamonij, relicto Antonio
ad Cæſarem transfugiat: quod eum quoque fe-
ciſſe ſcribit Velleius Paterculus. *patremq́;.* Telamo-
nem Aeaci ex Endeide cum Pēleo fratrem. Cete-
rùm de Telamonis fuga cum fratre ex Aegina pa-
tria propter interfectum Phocum; déque Tela-
mone qui Salamina regnum à Cychræo Neptuni
Salaminéſque filio acceperat: de Aiace ex Peri-
bœa Alcathoi Pelopis filia: & Teucro ex Heſiona
Laomedontis, Podarces poſtea Priami nominati,
ſorore: lege Apollodorum lib. 2. & 3. Velleius au-
tem Paterculus initio prioris voluminis, Teucer,
inquit, non receptus à patre Telamone, ob ſegni-
tiam non vindicatæ fratris iniuriæ, Cyprum ad-
pulſus, cognominem patriæ ſuæ Salamina conſti-
tuit. *cùm fugeret.* τὸ cùm eſt aduerſatiua coniū-
ctio, non temporis aduerbium, pro quamuis; quo-
niam ſubſequitur τὸ tamen. ſic Cic. lib. 2. epiſtola
vltima ad Cælium: Quæ cùm eſſent incerta, ex-
iſtimaui tamen faciendum eſſe &c. Item: Satis ne
conſtanter facere videamur, qui cùm præcipi ni-
hil poſſe dicamus, tamen aliis de rebus diſſerere
ſoleamus. Item pro Deiotaro: cùm in omnibus
cauſis grauioribus C. Cæſar &c. tamen in hac ita
me multa perturbant &c. *Lyæo.* proprium huic
loco epitheton. Bacchus enim Lyæus dictus eſt
ἀπὸ τοῦ λύω, quod eſt ſoluo ſeu libero: vinū enim
Teucrum liberauit & nimio metu & ſolitudine
fugę. *populea f. v. cor.* Figulus, Lambinus & alij po-
puleam coronam cenſent adſcribendam fortitu-
dini: quaſi Teucer poſt magnos ad Troiam ex-
antlatos labores ea ſe corona dignatus fuiſſet. Nec
ab hac ſententia Turnebus multū diſſentit: atqui
non video quid in fuga ſit laudis, quæ priùs res
bene geſtas nebula turpitudinis obſcurare poteſt:
niſi hoc Demoſthenicum aliqua gloria dignum
credamus, *ἀνὴρ ὁ φεύγων, καὶ πάλιν μαχήσεται.* id eſt,
vir fugiens denuo pugnabit. Qua de cauſa Tur-
nebi altera ſententia conuenientior apparet, quæ
Teucrum vult dolore ſuppreſſo ſpem vultu ſimu-
lare, ſocióſque ſperare iubere. Quod autem de
Bacchantium coronis adducit ex Demoſthene pro
Cteſiphonte, parum placet: non enim populea
corona hîc quid Bacchicum, ſed Herculis ſacra
denotat, quem ſibi Teucer & ſociis propitiare ſtu-
det, vel inuito patre Telamone: malè namq; for-
midabat Teucer ne & Hercules ſibi infenſus eſſet
propter Aiacis interitum: eius enim ad Iouē pre-
cibus Telamoni ex Periboea vxore nata eſt pro-
les maſcula, putà, Aiax: cui hoc nominis eſt indi-
tum, quòd poſt preces Herculis repentè Aquila
viſa eſt, vt ſcribit Apollodorus lib. 3. Teucer itaque
vinctus corona populea ſacra facit Herculi vnà cū
ſociis, quaſi iam certus ex Apollinis reſponſo de
fauore ipſius. præſentis itaque loci hæc ſententia:
Quamuis Teucer non ſine dolore metúque pa-
trem Telamonem fugeret, tamen dulci Lyęo cu-
ras diſſoluit, corona populea caput ornauit, Her-
culíque ſacra fecit. *triſtein.* renitenteis ac inuitos
propter exilium patriæ. ſic Terent. in Eunucho,
Inuitat triſtis, manſit ibi. *melior fort. parent.* *δείνωσις
διὰ προτροπὴν παρηγορικήν.* *ô ſocij.* laborum &
conſiliorum. *comitéſque.* itineris, profectionis, na-
uigationis. *nil deſperandum.* *παράκλησις* à fortitu-
dine: quæ vna atq; adeò præcipua eſt ex ijs rebus
quas in ſummo imperatore ducéque requiri ſcri-
bit Cic. pro lege Manil. nimirum ſcientia rei mili-
taris, fortitudo, auctoritas, felicitas. *Teucro duce.*
ἑτέρωσις perſonæ, pro eo quod eſt, meo ductu &
auſpicio: Maiores enim, inquit Seruius, omnia
gerebant auſpicato. Valla lib. 6. cap. 1. ait auſpicē
hîc propriè ducē notare. *certus enim promiſ.* ab oracu-
li certitudine. hinc ſunt illa, *ὡς ἐκ τρίποδος, τὰ δ' ἐκ
τρίποδος.* Apollinis enim oracula quōdā apud mor-
taleis ſummam fidem & auctoritatē obtinuerunt.
ambiguam. binominem, ſiue mauis, præclaram &
excellentem; hoc enim & *διώνυμος* notat: aut etiā
periculoſam: non rarò namque res parum tutas,
dubias appellamus: atque hac ratione eſt alluſio
ad oraculum Apollinis, qui licet in reſpondendo
ſit certus, tamen obſcura ſunt & ambigua eius o-
racula. de hac autē Salamine Strabo lib. 14. poſtea
eſt Achiuorum acta, quò primū Teucer applicuit,

BIBLIOTECA

is qui in Cypro Salamina condidit, à patre (vt fertur) Telamone pulſus. *ô fortes p.q.* παράκλησις à tolerantia præteritorum, quorum memoria eſt animo gratiſſima. hinc eſt illud Poëtæ, forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. *peioráq; paſſi.* ô paſſi grauiora, inquit Poëta. *Viri.* ἄνδρες. *nunc vino pell.* προτροπὴ, ab effectu vini, qua monet vt omni metu formidinéque valere iuſſis, ſeſe animóſque forteis parent, ad ingentia nauigationis pericula iterum ſubeunda, quæ per ingens æquor intelliguntur.

AD LYDIAM DE SYBARI.

ODE VIII. ἐρωτικὴ.

Lydia dic, per omneis
Te Deos oro, Sybarim cur properes amando
Perdere: cur apricum
Oderit campum, patiens pulueris atq; Solis.
Cur neque militaris
Inter æquales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis.
Cur timet flauum Tiberim tãgere? cur oliuũ
Sanguine viperino
Cautius vitat, neq; iam liuida geſtat armis
Brachia, ſæpe diſco,
Sæpe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet, vt marina
Filium dicunt Thetidis ſub lacrymoſa Troia
Funera, ne virilis
Cultus in cædẽ, & Lycias proriperet cateruas?

COMMENTATOR.

Lydia *dic per omneis.* Metrum eſt Choriambicum, quod conſtat ex Choriambo & Bacchio. ſic: Lydia dic per omneis. Secundus ex Epitrito ſecũdo, duobus Choriambis & Bacchio. hoc modo, te Deos o.ro Sybarim. cur properas. amando. Inuehitur autem in Lydiam non vulgaris formæ meretricem, & ſibi aliquando dilectam, cur ita Sybarim iuuenem diligat, vt eum ab omni exercitio honeſto ſui amore deſiſtere faciat; qui ſic apud eam lateat, vt apud virgines Lycomedeas olim Achillem latuiſſe ferunt: quod ζηλοτυπόντως in riualẽ dicit. Ordo eſt: ô Lydia dic oro hoc quod interrogo, per omneis Deos, cur properas amando Sybarim perdere. *amando.* amore. *perdere.* non per ἀντίφρασιν, ſed verè. vnde, vt vidi, vt perij. *campum.* Martium. *apricum.* amœnũ. *patiens pul.* Olym. *flauum.* turbidum inundatione. Virg. & multa flauus arena. *Tiberim.* natare, quod adoleſcentibus inter ſumma erat virtutum & exercitationis ſtudia: vnde Lucan. nec frangit nando violenti verticis amnem: ad inſigne ſcilicet virtutis. *cur oliuum ſ. v.* cur non exercet palæſtram, quam tractantes oleo corpus vngebant. *Gallica nec lup.* equorum Gallicorum ora. Lupata autem frena ſunt aſpera. Virg. & duris parere lupatis. *liuida brachia.* vſu aſſiduo & armorum pondere. *diſco.* poſinactum dicebant certi ponderis diſcum, quo iuuenes in agone contendebant. fortiſſimus autem ſic iudicabatur, qui diſcum vltra deſignati ſpatij finem proieciſſet; ita & miſſilibus certabatur. ordo eſt: neque iam geſtat liuida brachia armis ſæpe expedito diſco trans finem, ſæpe iaculo nobilis. *Filium dicunt.* ſupp. latuiſſe. per σύλληψιν Achillem dicit à Thetide matre abſconditũ metu belli Troiani. *Lycias cateruas.* Lycij fuere Troianis auxilio. Hic pro Troianis poſuit. Poëta, Vnam quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem. *proriperet.* raptim vel temere traheret.

CRVQVIVS.

Non potuiſſet Horatius cum Bacchio conuenientius Bitum, vt aiunt, cõmittere, quã Lydiam meretriculam delicatam mollemq; cum Sybari adoleſcente penitus effeminato luxúque perdito, ad hanc rem vocibus appoſitiſſimè confictis; hinc à Lydis inſatiatæ libidinis; illinc à Sybaritis gente, faſtu, luxúq; & deliciis notabili. Itaque nihil hic fere agitur aliud quàm quod ἐν ἐρωτικοῖς ἐρωτηματικῶς Lydiæ per Deos ſupplicat, vt parcat adoleſcenti, quem tamen non ignorat ipſam eſſe mollitiem, & ad nihil minus aptum, quàm ad arma campeſtria tractanda, adeóque in Venerem propenſum, vt ſi poſſit ſeruari, nolit tamen. Quod dum agit, adoleſcentemque ridendo notat, ſatis ex obliquo ſubindicat quibus ſtudiis, exercitationibúſque iuuentus nobilis ſit occupanda, ne ante tempus otio, luxu & amoribus corrũpatur. *Lydia.* δέησις ἐρωτική. *Deos oro.* Venerem, Cupidinem cum ſuis aſſeclis, de quibus ſuprà Ode 5. mutatóſque Deos fle. non ſolent enim id genus homines qui vacant amoribus, niſi per ſua numina obteſtari & rogare. *Sybarim.* Iuuenem adeò delicatum, vt ſit ipſa mollities. hoc enim notat σύβαρις συβάραδες Græcè. *perdere.* ἐρωτικῶς, an non qui ſeruat inuitum idem facit occidenti? amari namque à Lydia, ſeruari erat Sybari, non perdi. Sed an Lydia properet eum perdere, quem meretricio more, lento ſtudet igni conſumere, eiúſq; bona edere? at, vt ſeriò loquamur, properat eum

eum perdere; quòd adoleſcentiæ nõ parcat, cuius inconſtantia omneis & corporis & animi neruos frangit, effetamq́; reddit ſenectutem. *amando.* tuis fucatis amoribus, illectamentis Venereis, & mille fallendi modis, cogis amore tui alium eſſe à ſe. De τὸ amando, an participium ſit præſentis temporis paſſiuum, paſſiuè tantum ſignificans, quod mihi quidẽ omnino videtur, an participiale verbum, tam actiuæ quàm paſſiuę ſignificationis, quod aliis probatur, conſulito Linacrum lib. 1. de ſtructura Latini ſermonis. *cur apricum.* in campo Martio corporis exercitamenta omnibus adoleſcentibus patriciis commendatiſſima, qualia per enumerationem ſubiicit. *patiens pul.* εἰρωνικῶς: imo impatientiſſimus laborum, modò res ipſa nomini reſpondeat: Quid enim Sybari, id eſt, luxui cum puluere & æſtu? de curriculo & puluere videto oden 1. huius lib. & oden 6. lib. 4. *neque militaris.* enumeratio exercitiorum campeſtrium. *militaris.* militari more tractans arma cãpeſtria. *æquales.* ætatibus & ſtudijs pareis. cod. Maldeg. habet, militares. *Gallica ora.* Synecdochicôs, pro equis Gallicis, qui quãto duriores buccas habẽt & collum breuius, tanto indigent freno duriore, præſertim qui duris locis nati ſunt, ij origine frigida dureſcunt, & aſperitate locorũ difficultatéque redduntur quodammodo feri. *frenis lupatis.* duris & aſperis, ab inæqualitate dentis lupini: quare hoc quoque freni genus etiam lupus nominatur Ouid. in Triſtibus, Et placido duros accipit ore lupos. *temperet.* coërceat, ſibi parere doceat. *Tiberim tan.* tranare: ideo namque Romani veteres (inquit Vegetius) campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo iuuentus poſt exercitium armorum, ſudorem, puluerémq́; dilueret. *cur oliuum.* Periphraſis luctæ. oliuum autem non oleum, ſed τὸ κήρωμα denotat, id eſt, vnguentum quod ex cera fit oleo ſubacta, quo palæſtritæ in lucta vtebantur. *ſæpe diſco* vide Saty. 2. lib. 2. *nobilis.* εἰρωνικῶς. perinde acſi dicat, minimè cognitus, eò quòd non expediuiſſet, id eſt, vltra metam conſtitutam iecisſet. *Quid latet.* cur non prodit in publicũ: ſed inter meretricias illecebras emolleſcit peritque. *vt marinæ f.* ab impari. nam Sybaris inter meretrices latet & perit: Achilles autem latebat, vt ſeruaretur. Calchas enim vates Troiam ſine eo capi nõ poſſe prædicauit: at Thetis mater, quòd eo in bello filium interiturũ præuidiſſet, veſte & habitu muliebri indutum, & in Scyrum inſulam delatum, Lycomedi pro puella incorrupta virginéque cõmendauit: Sed Vlyſſes apud Lycomedem eum eſſe ſimul ac intellexit, tuba vſus inuenit, & ad Troianum bellum ſecum perduxit. legito Apollod. lib. 3. *filium Thetidis.* Periphraſis Achillis. de Thetide autem Nympha Nerei filia, ex qua natus eſt Achilles, cui prius Ligyron (quòd mammis labra minimè admouiſſet) quàm ex igni à patre Peleo raptus eſſet, nomẽ erat; quare Iupiter eam voluit mortali viro iungi; deinde, quo pacto Peleus Achillis pater, Chironis conſilio eam comprehendit, detinuitque, lege Apoll. lib. 3. *ſub lacrymoſa Tro.* ſub, potius hic circa notat, quàm paullò antè, vt facile eſt cognitu lectori docto. *viriles cultus.* erat enim amictu puellari ad Lycomedem deductus, vt ſuprà notatum eſt. cod. Bland antiquiſſ. habet expreſſè ſuprà notatum, virileis eſſe accuſatiui caſus: quod ſi admittendum quis duxerit, neceſſe erit referre ad Lycias cateruas, non etiã ad τὸ cultus metri cauſa.

AD THALIARCHVM HIEmem voluptati aptam.

ODE IX. παραινετική.

VIDES, vt alta ſtet niue candidum
Soracte, nec iam ſuſtineant onus
Siluæ laborantes, geluq́;
Flumina conſtiterint acuto?
Diſſolue frigus, ligna ſuper foco
Largè reponens: atque benigniùs
Deprome quadrimum Sabina
O Thaliarche merum diota.
Permitte Diuis cetera: qui ſimul
Strauere ventos æquore feruido
Deprœliantes, nec cupreſſi,
Nec veteres agitantur orni.
QVID ſit futurum cras, fuge quærere: &
Quem Fors dierum cumque dabit, lucro
Appone: nec dulceis amores
Sperne puer, neque tu choreas,
Donec virenti canities abeſt
Moroſa. nunc & campus, & areæ,
Lenéſque ſub noctem ſuſurri
Compoſita repetantur hora.
Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellæ riſus ab angulo,
Pignúſque dereptum lacertis,
Aut digito malè pertinaci.

COMMENTATOR.

VIDES vt alta ſtet niue cand. Metrum duobus Alcaicum; quod conſtat ex cęſura pentemimeri Iambica & duobus dactylis. ſic: *vides.vt al. ta ſtet niue. candidum.* Tertius eſt dimeter iambicus hype.catalectus, id eſt, ex duobus dijambis, vel ex quatuor iambis & ſyllaba.hoc modo: ſiluæ. laborantes.gelu.que. Quartus Pindaricus,ex duobus dactylis & duobus trochæis.ita: flumina.conſtite rint a.cuto.Inter Pherecratium & Pindaricum hoc intereſt. Pherecratium conſtat ex ſpondeo,dactylo,ſpondeo: Pindaricum ex duobus dactylis & duobus trochæis.Inuitat autem Thaliarchum ad vitam iucundiorem,nimirum vt luſibus ætati ſuæ conuenientibus vtatur.*ſtet.* cooperiatur, & plenum ſit.vt,ſtant lumina flammæ.Item, & iã puluere cælum ſtare vident.Ennius, ſtant puluere campi.Item,Stant & iuniperi & caſtaneæ hirſutę.*Soracte.*mons eſt in Faliſcis Flamineæ vicinus, in quo Apollo celebatur,vt,Summe Deum ſancti cuſtos Soractis Apollo. *onus.* niuis pondus. *laborantes.* ponderis magnitudine. *conſtiterint.* concreta ſunt nimio frigore. *acuto.* adurente & pungente magnóque. *ſuper foco.* vt,gemina ſuper arbore ſidunt. *largè.* copioſè,pro foci capacitate. *benignius.* liberalius ſolito. *depromo.* hauri,propina. *quadrimum.* quatuor annorum. *diota.* vas eſt vinarium duas anſas habens,quaſi duas auriculas, vnde nomen habet:aliud eſt quod Magganũ dicitur,vas vinarium ex ligno confectum. *permitte d.c.* omnes ſollicitudines alias committe ordinationi numinum. *ſimul.* ſimul ac, poſtquam. *ſtrauere.* pacauere,placidos fecere. Virg. ſterneret æquor aquis remo vt luctamen abeſſet. *æquore feruido.* mari concitato. *agitantur.* non commouentur,ſedato ventorum flatu. *quem fors dierum cumq.* tmeſis,pro quemcumque. Hortatur vt ſingulos vitæ dies in lucro ponamus, & hilariter ac lætè viuamus,eò quòd mors quotidie nobis imminet. *fuge quærere.*hoc dicit in vituperationẽ Matheſeos, quæ quantò plus de futuris cogitamus,tantò magis cruciat expectatione & inquiſitione futurorũ. *adpone lu.* habe pro lucro. *puer.* dum puer es, noli ſpernere dulceis amores. *choreas.* choreæ à choro dicũtur. *virenti.* tibi iuueni & adhuc ætatis bonæ. *moroſa.* difficilis cũctatione & varia deliberatione. *campus &c.* planus ad ludũ locus. *lenes.* placidi. *ſuſurri.* tacita & amatoria colloquia. *compoſita,* ſtata, cõſtituta. *repetantur.* à te. *nunc & lat.* ordo eſt: nunc & gratus riſus proditor puellæ latentis ab intimo angulo repetatur à te. Exprimit morem puellarũ, quæ verecundiam libidini commiſcentes, ita fugiunt amatores inſequenteis,ſeſéque abſcondunt vt riſu vltrò ſeſe prodant. Virg. & fugit ad ſalices, & ſe cupit antè videri *proditor.* manifeſtator. Virg. tectúſque recuſat prodere voce ſua quemquã aut opponere morti. *pignúſque d.l.* nonnunquã enim puellæ meretricio ritu contrectant manus amatorum,qui aut armillam de brachio,aut annulũ de digito ſinunt eripi, vt eum repetẽdi habeãt occaſionem. *dereptum.* abſtractum,auulſum. *malè pertinaci.* ſubdolè.nam fingunt ſe retinere velle,quod volunt ſibi adimi, vt iuſtam cauſam habeant repetendi.

CRVQVIVS.

VIDES *vt alta.* Ab incommodis hiberni cæli,putà,frigore, niuibus, pluuia, tempeſtate monet Thaliarchum Horatius vt futurorum cura longè valere iuſſa,ad luculentum focum largius vinum bibat,corpori indulgeat, amoribus vacet, iocíſque puellaribus animum recreet, dum fert ætas vegeta & anni florentes: Exorditur à deſcriptione hiemis *διὰ ὑποτύπωσιν*. cuius aſperitatem vult eſſe cauſam vitæ iucundioris ad imitationem Alcæi poëtæ Lyrici, cuius hæc carmina recenſet Athenę.lib.10 *δειπνοσ. ὕει μὲν ὁ ζεὺς, ἐν δ' ὀρανῷ μέγας χειμὼν, πεπάγασι δ' ὑδάτων ῥοαί. κάββαλλε τὸν χειμῶν', ἐπὶ μὲν τιθεὶς πῦρ, ἐν δὲ κιρνὰς οἶνον ἀφειδέως.* id eſt,pluit quidem Iuppiter,& in cælo magna tẽpeſtas,concreueruntque aquarum fluxus:exturba hiemem,impoſito quidem igni, ſed vino immixto non parce. *ſtet.* ſtare rebus inanimatis tribuitur erectis,quàm diũ non cadunt,inquit Valla; vt arbor ſtat,domus ſtat; hic autem eſt è longinquo apparere. *alta.* multa & denſa. *Soracte.* Soracte mons eſt in agro Faliſcorum,inquit Plin. ad quẽ fons eſt latitudine 4.pedũ,qui ſole exoriente exundat feruenti ſimilis,ex quo aues quæ guſtauerint iuxtà mortuas iacere ſcribit ex Varrone. *nec iam ſuſtineant onus.* Synchyſis elegantiſſima,ex pari quodammodo ſignificatione verbi ſuſtineant cũ ſua negatione,& participij laborantes, in hac ſententia: Siluæ non ſuſtinentes onus niuis,laborant, id eſt,fatiſcunt,franguntur, *οὐκ ἀντέχοντες πόνῳ.* ſic Ouid. 2. Metam. Atlas en ipſe laborat, vixque ſuis humeris candentẽ ſuſtinet axem. ſimili Metaphora dicit poëta 6. Aeneid. gemuit ſub pondere cymba. *gelúque flum.con.* *διατύπωσις* frigoris ingentis.flumina autem conſtant,id eſt,concreſcũt, conſtringuntúrque supernè,ſed infernè continuo fluitant,modò ſcaturigo ſit fontana. *acuto.* acutum ſiue intenſum gelu, *κρυμὸς* Græcè, dixit ad imitationem Pindari Ode 1. Pythiis, *νιφόεσσ' Αἴτνα πάντοτες χιόνος ὀξείας τιθήνα.* id eſt, niuoſa Aetna per totum niuis acutę nutrix.vide ſuprà Ode 4. in initio. *diſſolue.* *παρηγορῶν*: Hortatur enim vt frigus calore pellat, nam vt frigoris eſt conſtringere, ita

caloris

caloris constricta diſſoluere. κάθθαλε τὸν χειμῶνα dixit Alcæus. *ligna ſuper fo.* ἐπὶ μὲν τιθεὶς πῦρ, pro ἐπιτιθεὶς, per tmeſin imponens ignem. *largè.* ἀφειδίως, ſeu ἀφειδῶς, largiùs, benigniùs, liberalius, profuſiùs. *deprome quad.* veteres in teſtis, vaſis, doliis, ligneis, fictilibus vina in lacunis, apothecis, horreis repoſita ſeruabant, ex quibus ea depromebant largius aut parcius, pro menſæ & conuiuarum ratione. *quadrimum.* commendatio vini à vetuſtate. *ô Thaliarche.* Eſt autem θαλιάρχης τῶν [illegible] Athen. lib. 2. qui nominatim cõuiuas vocat ad diſcumbendum, Plinio dictus vocator. θαλία, conuiuium hilarum & iucundum, vnguentis, floribus, omniſque voluptate conditum: hinc θαλιάζειν Plutar. in Sympoſ. ἐπὶ φιλοφρόνως, καὶ ἱλαρῶς συνεῖναι ἀλλήλοις ἐν οἴνῳ. id eſt, amicè & hilariter inter ſe conuiuari vinumque potare. *diota Sabina.* διώτη, ſic enim ſcribi debet, non etiã δυώτης per υ. quod per aureis, id eſt, anſas ferebatur; οὖς namque aurem deſignat. An autem diota vas fuerit maiuſculũ, in capacitate conſentiens amphoræ, quæ quadrantal erat antiquis, capiens quadraginta ſextarios teſte Feſto, videto Lazarum Bayfiũ de vaſculis. Lambinus autem hunc locum interpretatur, deprome, id eſt, prome de diota Sabina; quaſi diota vas vini repoſitorium fuiſſet, quod nõ apparet ex Polluce: quo autem vinum hauritur, inquit, vrceus, hydria, amphora, cotyle, cantharus, cyathus &c. quare ex huius ſententia, diota erit hauriendi vaſculum, quemadmodum & amphora, vt ſenſus ſit, deprome, id eſt, hauri merum quadrimum diota Sabina, fortaſſis ex Mággano (quod in comment. poſui ex ſcriptis) quod erat vas vini lignarium. capacius interrepoſitoria. Et profectò mihi perſuadeo hunc locum ita expoſitũ ab Acrone aut Porphyrione fuiſſe corruptum ab ineptis hominibus. *permitte* d.c. ἐπιτρέπειν, qua figura ita vehemẽter confidimus aliis, vt quicquid de rebus noſtris conſtituant, eis pareamus. Quod monet Thaliarchum vt faciat, diuiſque ſuarum rerum cura mandata, ſecurè & bellè vitam degat; in illorum non etiam ſua eſſe poteſtate ventos regere, mare feruidum procelloſumque tranquillare, aërem mitigare, à corporibus noſtris eius iniuriam propellere, ceteráque pro ſuo numine adminiſtrare, quæ miſeros animos non rarò multùm ſollicitant afficiuntque. hic agit Horatius Stoicũ, quãdo vult deos curare mortalia; aliâs Epicureũ, nimirum Sat. 5. lib. 1. inquiens, namque deos didici ſecurum agere æuum &c. *ſtrauere ventos.* ab effectu demonſtrat rerum & temporum viciſſitudinem diuis eſſe permittendam, metonymicôs. *ſtrauere v.* tranquillarunt, mitigarunt, ſopiuerunt. *feruido.* hoc epitheton rapit τὸ æquor in ſignificationem non ſuam, nimirum vt ſignificet idem quod fretum: mare namque dicitur æquor, vbi æquatum, id eſt, ſedatum eſt, nec vndis commotũ. *depræliantein.* Metaphor. ſic ſuprà Ode 1. Luctantem Icareis fluctibus Africum. & Ode 3. Africum decertantẽ Aquilonibus. aut depræliantеis, id eſt, prœliari ceſſanteis, nimirum iam ſtrati à diis. *nec cupreſſi.* ceſſante cauſa ceſſat effectus, ventis iam ſopitis non mouentur arbores. *quid ſit futur.* ἀποτρέπει τῶν μελλόντων. Grauis quidem hæc eſt ſententia, & planè diuina, ſed aliò quàm ad ſuum finem deſtinata. Idem namque Chriſtus ſeruator noſter Matthæi 6. præcipit iis qui piè benéque viuere, & interni pluſquam externi hominis velit habere curam: Sed Horatius hanc ab animo trãſfert ad corporis voluptatem ἐπικουρικῶς, vt docent ſubſequentia. *quem fors dierum.* ab incertitudine vitæ ſuadet lætitiã & ludos procaces. tale eſt illud Anacreontis Teij: ὡς οὖν ἔτ' εὐδί' ἐστι, καὶ πῖνε, καὶ κύβευε, καὶ σπένδε τῷ λυαίῳ, μὴ νοῦσος ἤν τις ἐλθῃ λέγῃ σε μὴ δεῖ πίνειν. id eſt, age ergo dũ fauet fors, ludo vaca atque talis, & libato Lyæo, hoc ne morbus repentè dicat, ſatis bibiſti. Fors, legendum eſt ex omnibus ſcriptis antiquis: eſt autem Fors τύχη δαίμονος, id eſt, Dei voluntas, numen diuinum, Deus ipſe naturæ auctor & conſeruator. *lucro appone.* adde, adnumera. propter incertitudinem euentus. alluſio quædam ad aleæ iactum. *puer.* hæc vox non ita ætatis ac beneuolentię & blandientis. ſic & τὸ παῖς nonnunquam Græcè capitur. *canities moroſa.* deſcriptio ſenij ab effectu. *moroſa.* querula moleſtáque. *campus, & areæ.* Loca Romæ in quibus ſe Romana iuuentus exercebat. &, *ſub noctem.* paullò ante noctẽ in vmbra veſpertina, paullò ante cœnam. *Nunc & latentis* χαρακτηρισμὸς ludi iocique puellaris & adoleſcentis. *latentis.* deliteſcere ſe ſimulantis. Sic & Cor. Gallus, erubuit vultus ipſa puella meos, & nunc ſubridens latebras fugitiua petebat, non tamen effugiens, tota latere volens, ſed magis ex aliqua cupiebat parte videri, lætior hoc multò quod malè tecta foret. *riſus.* per Zeugma à ſuperiori, nimirũ verbi, repetatur. *Pignúſque dereptum lac.* ſup. repetatur: in eum namque finem hoc fit à puella, vt ad eam redeat adoleſcens honeſta ſcilicet de cauſa. dereptum, autem legendũ eſt ex codicibus Bland. duobus, non direptum, vt vulgo. *Pignúſque de.* armilla, aut potius cubitale βραχιόνιον, hoc enim mollius erat ornamentum brachij, magíſque Venereum, vt 3. Saty. lib. 2. de Polemone. *digito.* puellæ, vel adoleſcentis. *malè pertinaci.* laſciuientis in reluctando, ſed molliuſculè: aut valde tenaci, ſed ſimulatè, quò magis vrat animum.

AD MERCVRIVM.

ODE X. εὐχαριστική.

MERCVRI *facunde, nepos Atlantis,*
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus, & decoræ
More palæſtræ:
Te canam magni Iouis, & Deorum
Nuntium, curuæq; lyræ parentem,
Callidum, quidquid placuit, iocoſo
Condere furto.
Te, boues olim niſi reddidiſſes
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra,
Riſit Apollo.
Quin & Atreidas duce te ſuperbos
Ilio diues Priamus relicto,
Theſſalóſque igneis, & iniqua Troiæ
Caſtra feſellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgáque leuem coërces
Aurea turbam, ſuperis Deorum
Gratus, & imis.

COMMENTATOR.

MERCVRI *facunde, nepos Atlantis.* Metrũ Sapphicum Hendecaſyllabum, cum Adonio. Mercurium laudat primùm à natalibus, vt & Virg. Æneam, qui tanti talem genuere parentes. deinde ab eloquentia, inquiens, Qui feros cultus. ſic & Iulium Florum epiſt. 1. à iuriſprudentia & arte poëtica, ſeu linguam cauſis acuis, ſeu ciuica iura reſpondere paras, ſeu condis amabile carmẽ, prima feres ederæ victricis præmia. *facunde.* orationis inuentor. *nepos Atlantis.* ex Maia Atlantis filia. *feros cultus.* incompoſitos hominum mores. *voce for.* eloquentia & oratione. *catus.* doctus. *more pal.* notum eſt Mercurium haberi inuentorem ſermonis, palæſtræ, lyræ & furtorum. *decoræ.* pulchræ. Virg. & crineis flauos, & membra decora iuuentæ. *magni Iouis.* χῆμα λέξεως. vt Virg. Amphitryoniadæ magno diuíſque ferebam. *nuntium.* interpretem. Virg. nunc etiam interpres diuûm, Ioue miſſus ab alto, teſtor vtrumque caput, celeres mandata per auras detulit. *lyræ par.* ipſe namque dicitur lyræ inuentor & Apollo Caducei. *callidum.* ingenioſum, doctum. *iocoſo furto.* dulci. vt, Vulcani, Martiſque dolos & dulcia furta, id eſt, adulteria. iocoſum autem nominat propter præſtigiorum inuentionem, quæ inuenit in bobus Apollinis ablatis. *te boues.* ſenſus eſt, tu abegiſti boueis Apollinis paſcentis pecus Admeti regis, & cùm tibi minaretur ſagitta, niſi eas reddidiſſes, volenti telum proferre, pharetram præſtigiatura ademiſti. ordo eſt, niſi reddidiſſes olim boueis amotas per dolum, Apollo viduus pharetra, dum terret minaci voce te puerum, riſit. *Atreidas.* Agamẽnonem & Menelaum. *Priamus.* Priamus Mercurio duce per caſtra Græcorum venit ad Achillem, à quo redemit corpus filij ſui Hectoris. Virg. exanimúmque auro corpus vendebat Achilles. *iniqua.* inimica Troiæ. *pias.* iuſtas. *lætis ſedibus.* campis Elyſijs. *virga aur.* Virg. tum virgam capit, hac animas ille euocat Orco pallenteis, alias ſub triſtia tartara mittit. Virgam autem dicit Caduceum, quam accepit ab Apolline lyra ei tradita: hac autem vtuntur legati pacis; nam qui pacem ambiũt, oratione vtuntur, cuius ipſe Deus eſt: hinc caduceatores dicti, qui pacem petunt: quemadmodum fæciales, qui bella denuntiant. Græcè autem ἑρμῆς dicitur, ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας. *leuem.* vanã, vmbratilẽ.

CRVQVIVS.

MERCVRI *facunde, nepos.* Hymnus Mercurij, à natalibus, facundia, ab officio ſuperis & inferis debito, ab inuentione lyræ & artis magiæ. Eum namque in primis laudat Horatius hic, quòd ſit lyræ parens; alibi, quòd ſe tutatum ereptúmque ciuili tumultu ſeruarit incolumem. *feros cultus.* agreſtem & belluinam vitam: homine certè immanior nulla fera eſt, ſi affectibus ſuis relinquatur, vt habet alibi D. Auguſt. de ciuitate Dei. *hominum recentum.* primorum, qui à poëtis finguntur è terra geniti, feri & truculenti. hinc eſt illud Virg. Terrea progenies, duris caput extulit aruis. præterea Horat. Saty. 3. lib. 1. Cùm prorepſerũt primis animalia terris mutum & turpe pecus, alij interpretantur recentum, id eſt, nuper natorum. equidem malim interpretari recentum, id eſt, eorum qui feritate mutata per eloquẽtiam Mercurij nuper induerant humanitatem. *Voce formaſti.* hoc ad animos pertinet, qui eloquẽtia primùm à feritate deterrendi, mitigandíque, deinde paullatim ad manſuetudinem flectendi erant, monendíque ad humaniorem vitæ modum. auris enim quam ferit eloquentia, ſenſus eſt doctrinæ ex Philoſophorum ſententia: per eam nãque inſtillantur in animos præcepta moralia, quæ exercentur palæſtra; quod ſubindicans ait Horatius, *decoræ more palæſtræ* ea namque decora palæſtra non eſt eorum quibus pars vitæ in oleo, pars in vino

in vino cõſumitur, qui cura corporis mentem obruunt, (vt Quintiliani verbis vtar) ſed eorũ qui decenti motu & geſtu corporis vitam colunt, honeſtéque & ciuiliter cum aliis verſari ſtudent: non enim ſatis eſt ad benigniorem vitæ conſuetudinẽ, ſapere animo & eloquentia valere, ſed & moribus politicum eſſe neceſſe eſt, vt ea quæ ſunt animi reluceant in corpore: hæc autem palæſtra decora etiam χειρονομία nominatur à Quintiliano lib. 1. inſtit. Orat. cap. 19. quem legito; non enim parũ facit ad huius loci declarationem. *te canam.* ab officio. *magni Iouis.* ἄγγελον, ad diſcrimen διὸς ὑποχθονίου. *nuntium.* alluſio ad epithetõ διάκτορος. Iouis nuntius. *curuæq; lyræ.* ab inuentione lyræ. de differentia lyræ & citharæ, aut cõuenientia potius, penes eos eſto contentio, qui ex profeſſo de muſicis inſtrumentis ſcribunt. Mihi certè ex idiomatis Italico, Alemanico, Gallico, Flandrico lyra adhuc ſuum nomen habet integrum, nimirum qua mendici vicatim ſtipem quæritare notum eſt, een lyre. namque & incurua eſt, & ἀγκυλωτὴν figuram præ ſe fert intuenti propius. Citharam volunt eſſe vulgo nominatam teſtudinem, à forma teſtæ eius animalis, χέλυν, een luyte, Ciſthre, veele, aut potius Citherne, quæ vox à Cithara paucis immutatis, deducta videtur. *iocoſo.* lepido, feſtiuo, non amaro. *furto.* boum Admeti regis, quos Apollo diuinitate priuatus paſcebat. Metamorp. 2. Ouid. *te boues olim.* declaratio furti. *per dolum amo*per furtum iocoſum: eos namque vaganteis longiùs in ſilua furtim occuluit: iccirco ſcribit Suid. eum κλωπὸν nominatũ. *puerum.* ſeruili alicuius aſſumta forma. Scribit Iulianus Aurelius Mercurium adhuc in cunis vagientem ſagittas Apollinis interuertiſſe. & ſunt qui ex hoc loco id eum ſcripſiſſe contendunt, quod mihi neutiquam probari poteſt: non enim puerum, id eſt, infantem hoc feciſſe vult Horatius Mercurium, ſed quaſi ſeruulum ſiue bubulcũ. *riſit Apol.* alluſit ad verbum μειδιάω, ſubrideo, ſiue placidè rideo. *ſuperbos.* ſic enim Achilles Priamũ ad ſe duce Mercurio accedentem alloquitur, οὐ γάρ κεν τλαίη βροτὸς ἐλθέμεν, οὐδὲ μάλ' ἡβῶν ἐς στρατόν. id eſt, nemo auſit mortalis venire quantumuis etiam adoleſcens in caſtra &c. Il. ω. Quibus verbis oſtendit Græcos Hectore peremto & audentiores factos & potentiores. *diues Priam.* in redimendo filij ſui Hectoris corpore, magnificentiſſimis Achilli datis muneribus opes ſuas facilè declarauit. *Priamus.* Laomedontis ex Strimone Scamandri, vel Placia Atrei filia (vt habet Apoll. lib. 3.) filius, prius Podarces, poſtea ab Heſione ſorore Telamonis vxore à ſeruitute redemtus Priamus dictus eſt, tamquam emtus: Heſione namq; pro redemtione fratris, demtum è capite ſuo flammeũ aureũ dedit Herculi. Apoll. lib. 2. *Theſſaléſq;.* nocturnas excubias. *fefellit.* latuit, ἔλαθε. *animas pias.* ex Orco euocaras. *ſuperis deorũ.* genitiuus partitionis. ſic Plin. ouorum oblõga, nigræ lanarum. Helleniſmi ſpecies.

AD LEVCONOEN MATHEmaticam.

ODE XI. πραγματική.

Tv ne quæſieris ſcire, nefas, quẽ mihi, quẽ tibi
Finem Di dederint, Leuconoë: nec Babylonios
Tentaris numeros, vt melius, quidquid erit, pati:
Seu plures hiemes, ſeu tribuit Iupiter vltimam:
Quæ nunc oppoſitis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. ſapias, vina liques, & ſpatio breui
Spem longã reſeces. dũ loquimur, fugerit inuida
Ætas. carpe diẽ, quàm minimũ credula poſtero.

COMMENTATOR.

Tv *ne quæſieris ſcire.* Metrum Choriambicum pentametrum, quod conſtat ex ſpondeo, tribꝰ choriambis & Pyrrichio ſeu iambo. hoc modo: tu ne. quæſieris. ſcire nefas. quem mihi quem. tibi. *nefas.* tmeſis, id eſt, malum eſt. *nec Babylonios.* Mathematicos, vt qui conantur comprehendere finẽ vitæ ſuæ numeris. Babylonij aſtrologiam inueniſſe dicuntur, per quam geneſis alicuius colligitur. *vt melius.* ſup. poſſis. *ſeu plures.* Synecdochicos, à parte totum, ex hieme annum. *vltimam.* poſtremam, vnam tantum. *ſapias.* ſup. ſi. *reſeces.* neceſſe eſt bibendo omnem curam pellas. *breui.* propter breue ſpatium vitæ. *carpe.* fruere præſenti die, nihil credens poſtero diei. *quã minimum.* pænè nihil.

CRVQVIVS.

Tv *ne quæſieris ſcire.* Suadet Leuconoæ, ne curioſè figuris Chaldæorum Mathematicis in altitudinibus, declinationibus, oppoſitionibus, aſpectibus &c. ſiderum, planetarumque inter ſe ad futurorum prædictiones ita adhæreat, vt ea vera indubitatáque eſſe credat: & ea de cauſa moleſtiſſimis ſeſe cogitationibus impiè maceret: id inquam ſuadet ab impoſſibili, vt ſic dicam, quòd hominibus id noſſe denegatũ ſit: ab euẽtis enim ſigna & diuinationes ſine vlla certitudine meræ ſunt coniecturæ. Qua de cauſſa hortatur à vitæ breuitate celeritatẽ que, vt ijs inquiſitionibus miſſis indulgeat animo, viuatque hilariter. *tune quæſ.* ſecunda perſona, tu, expreſſa eſt diſcretionis gratia: quòd indignum ſit ei qui natura candido eſt ingenióque

nióque lepido (quod ſonat vox λευκονοῦ) inutilibus ſe curis vaniſque ſtudiis, vt nimis attenuet. *quæſieris ſcire.* ex ſcriptis Bland.& Mart. codice cõiunctim legenda ſunt, quęſieris ſcire. nefas enim per ſe ponitur per tmeſim, vt eſt in Bland. atq; ita quærere, velle eſt, ſiue contendere. at ſi infinitum ſcire adiungas τῷ nefas; τὸ quærere capietur pro compoſito anquirere. *finem.* vitæ curriculum, felix ne, an infauſtum; & mortem vita dignam, maturamne, an contrà. *Leuconoë.* codex Mart. habet Leucothoë. quam lectionem Landinus quoq; videtur agnoſcere, ſed aliam ei præfero. *Babylonios.* κατ' ἐξοχὴν Chaldæos indicat à loco. erat enim in Syria vrbs Babylon metropolis, loci amplitudine, murorũ altitudine latitudinéque decantatiſſima. *tentaris.* experiri volueris in geneſi tua ex horoſcopo deſcribenda. *numeros.* numerorum namque cognitione opus eſt in ſiderali ſciẽtia, ad natalitia prædicta, propter horoſcopi dimenſionem & aſpectum ad alia ſidera planetáſque &c. *vt melius.* variè locus hic exponitur. Linacer & Eraſmus & qui hos ſecuti ſunt, Horatium aiunt ἑλληνίζειν, & τὸ, vt pati, pro, vt patiaris, poni, Græcis enim familiare eſt concinnumq; infinitum modũ loco ſubiunctiui apponere particulæ ὡς, cui Latinè reſpõdet τὸ vt, πλικὸν, hoc modo, ὡς μᾶλλον τὸ συμβησόμενον πάσχειν, id eſt, vt melius quicquid acciderit patiaris. Muretus per interrogationem exponit, quàm melius eſt pati quicquid euenerit? Lãbinus accipit, vt, ſiue ὡς συγκριτικῶς, pro tamquam, in hanc ſententiam, tamquam melius ſit ferre quicquid futurum eſt. Quas enarrationes vt omnino non improbo, ita noſtram quoq; apponam doctis inſpiciendam: videtur mihi Horatius alludere ad etymon vocis Leuconoë, quo nomine hanc orationem, vt melius quicquid erit pati, iudicaui pertinere ad verbum ſapias; ita vt intermedia circũſcribantur parentheſi, quæ ſic ſcripta inueni in Blandinio codice vetuſtiſſimo, Mart. Maldeg. Sil. Quare hęc ſic explicanda & ordinanda cenſeo: O Leuconoë ne, nimiſquam par eſt, ſollicita eſto in inquiſitione longitudinis vitæ breuitatíſue, vt ſapias melius pati quicquid erit, vt vina liques &c. nobis enim ſcire non licet, quid Iupiter de vita noſtra ſtatuat, ea ne breuis futura ſit an longa. Et hoc ipſum eſt (vt opinor) λευκονοεῖν, id eſt, λευκὴν ἡμέραν διάγειν, id eſt, iucundam lætamque vitam viuere: & in hac interpretatione τὸ ſapias pro cogites debere accipi demonſtrant ſequentia ad finem vſque huius odes, quæ Mathematicorum ſapientia neglecta, ad eam hortantur quæ in voluptate ſita eſt, vitæque amœnitate. Sic ad Ictium epiſt. lib. 1. capitur ſapias, nil paruũ ſapias, id eſt, cogites. Reddit itaque hæc verba, ὡς νοεῖς μᾶλλον, ἤτι λευκότερον φέρειν τὸ συμβησόμενον .i. vt ſapias melius ſiue cogites iucundius ferre quidquid euenerit, vt vina liques, id eſt, deprompta vina guſtãdo pitiſſandóque quaſi per guttur coles, & vt ſpem longam, id eſt, viuendi deſiderium, quod in annos multos exoptas, reſeces, eximas animo tuo penitúſque euellas ſpatio breui, id eſt, vitæ breuitate, quamtumuis etiam longa eſt, homini felici breuis eſt &c. *ſeu plureis hie.* hæc per parentheſin legenda iam nunc monui ex cod. ſuprà ſcriptis. *ſeu plureis hiem.* hiemes plures & vltima, capiuntur vniformiter, pro toto anno, per Synecdochen; quod controuertit Lambinus, negátque hic ita fieri poſſe, propter relatiuum quæ, continuò ſubſequens; nõ enim vltima hiems, id eſt, annus dici poteſt debilitare ſaxa, ſed hiems, id eſt, tempeſtas hiberna, inquit. verùm hic ſecutus eſt ſuos & vulgatos codices. mei autem Blandinij habent, qui, nimirùm Iupiter debilitat &c. atq; ea lectio, meo iudicio, ſanior eſt: Quis enim dicat hiemem, id eſt, tempeſtatem debilitare ſeu frangere mare, id eſt, vndam ſeu fluctus marinos? vnda namque tempeſtate nõ frangitur, ſed increſcit magis atq; augmentatur. Quin etiam iuuat lectionem noſtram quod ad finem ἐπῳδῶν reſpondet Canidia: non ſaxa nudis ſurdiora nauitis Neptunus alto tundit hibernus ſalo; iudicet lector. *oppoſitis.* ad oppoſitos pumices, id eſt, ad rupeis vnda maris exeſas. Pumicis autem modos treis vide apud Plinium lib. 36. cap. 21. *dum loquimur* conſentit huic illud Perſij, Viue memor leti, fugit hora, hoc quod loquor inde eſt. *inuida.* Metaph. ab inanimato ad animatum. *carpe diem.* à fructibus maturis. ſic Mart. Viue velut rapto, fugitiuáque gaudia carpe.

DE LAVDIBVS DEORVM & hominum.

ODE XII. προσφωνητική.

QVEM virum, aut heroa, lyra, vel acri
Tibia ſumes celebrare Clio?
Quem Deum? cuius recinet iocoſa
Nomen imago,
Aut in vmbroſis Heliconis oris,
Aut ſuper Pindo, gelidóue in Hæmo?
Vnde vocalem temere inſecutæ
Orphea ſiluæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapſus, celeréſque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris

Ducere

Ducere quercus.
Quid prius dicam ſolitis parentum
Laudibus: qui res hominum, ac Deorum,
Qui mare, & terras, variiſque mundum
Temperat horis?
Vnde nil maius generatur ipſo:
Nec viget quidquam ſimile, aut ſecundum:
Proximos illi tamen occupauit
Pallas honores.
Prælijs audax neque te ſilebo
Liber, & ſæuis inimica virgo
Belluis: nec te metuende certa
Phœbe ſagitta.
Dicam & Alciden, puerōſque Ledæ,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit:
Defluit ſaxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntq́; nubes,
Et minax, quòd ſic voluere, Ponto
Vnda recumbit.
Romulum poſt hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an ſuperbos
Tarquini faſceis, dubito, an Catonis
Nobile lethum.
Regulum, & Scauros, animæq́; magnæ
Prodigum Paullum, ſuperante Pœno,
Gratus inſigni referam Camena,
Fabriciumq́;.
Hunc, & incomtis Curium capillis
Vtilem bello tulit, & Camillum
Sæua paupertas, & auitus apto
Cum Lare fundus.
Creſcit occulto velut arbor æuo
Fama Marcelli: micat inter omneis
Iulium ſidus, velut inter igneis
Luna minores.
Gentis humanæ pater, atque cuſtos
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæſaris fatis data: tu ſecundo
Cæſare regnes.
Ille, ſeu Parthos Latio imminenteis
Egerit iuſto domitos triumpho,
Siue ſubiectos Orientis oris
Seras, & Indos:
Te minor latum reget æquus orbem,
Tu graui curru quaties Olympum,
Tu parum caſtis inimica mittes
Fulmina lucis.

COMMENTATOR.

QVEM *virum aut heroa.* Metrum Sapphicum Hendecaſyllabum cum Adonio. In hac ode, quæ ad imitationem Pindari ſcripta eſt, exordiũ velut propoſitio eſt incerti cuiuſdam argumenti; nam dubitat quid potiſſimum decantet, deorum ne cæleſtium laudes, an Romanorum virorum & fortium ducum. at cùm laudat omneis, fingit ſe ancipitem per oratoriam παράληψιν; maiori tamen ſtudio in Auguſti laudes contendit, quem ſecundũ à Ioue vult eſſe in terris. *quem virum.* fortem & inſignem ducem. *aut heroa.* principem, ſemideum. ordo eſt: ô Clio quem virum aut quẽ heroa ſumis celebrare lyra aut acri tibia, id eſt, acutè ſonanti? quem Deum cuius imago recinit nomen aut in vmbroſis oris Heliconis montis, aut ſuper Pindo, vel in gelido Hæmo, vnde ſiluę ſunt temerè inſecutæ vocalem Orphea morantem rapidos lapſus fluminum materna arte, & celereis ventos, & blandum ducere auritas quercus canoris fidibus. *ſumis.* contendis. *Clio.* vna ex nouem Muſis. *recinet.* reddet, recinendo reſpondebit. *iocoſa imago.* Echo. quia velut ludens reſpondet. *Heliconis.* Parnaſſo monte Muſis ſacro in Bœotia. *Pindo.* Theſſaliæ monte. Luca. Pindus agens gemitus. *Hæmo.* monte Thraciæ. *vocalem.* vocales omneis dicuntur qui claram vocem habent. *temerè.* inordinatè, confusè, facilè. *inſecutæ.* ſup. ſunt. *arte materna.* muſica: fuit enim Orpheus Calliopes Muſæ filius. *morantem.* retardantem. *lapſus.* decurſus. *Blandum duc.* Græca figura. vt, Callidũ quidquid placuit iocoſo Condere furto. *auritas.* audax metaphora, quaſi quercus audiendi ſenſum habuerint, & eas cantu demulſiſſet Orpheus. *ducere.* poſt ſe & oblectare. *quid prius?* interrogatio. *dicam ſolitis.* ſupp. cum. reſponſio. *ſolitis par. lau.* quibus laudibus vſi ſunt parentes, id eſt maiores. *Temperat.* diſtinguit & regit. *horis.* anni partibus, vere, æſtate, autumno, hieme. *Vnde* à quo. Virg. vnde genus ducis. &, genus vnde Latinum. *Nec viget q.* quia Iupiter eſt ſuper omnia ſine comparatione. *ſecundum.* iuxta Aruſpicum reſponſa, qui Iouem fulminis in cælo volunt primam, ſecundam & tertiam tenere. *Proximos illi.* proximam Ioui Mineruam dicit, id eſt, virtutem & ſapientiam Deo vicinam. *Prælijs aud.* propter

multa ab eo bella geſta, deinde propter vini vſum quod viris addit animos. *ſæuis.* Periphraſis Dianæ à venandi ſtudio. *neque te ſil.* tranſitio Rhetorica. *metuende c. P ſ.* propter Nioben quę cum filiis peremta eſt. Apollini autẽ & Dianæ certæ & ineuitabiles ad feriendũ ſagittę ſunt, vt pote numini. vnde, nec dextræ erranti Deus abſuit. *certa.* ineuitabili. *Alciden.* Herculem. *puerόſque Le.* Caſtorem & Pollucem Ledæ filios. *hunc equis.* Caſtorẽ equeſtri prœlio. *illum.* Pollucem ceſtuum pugna, ſeu pedeſtri prœlio. *ſimul.* ſtatim ac. *refulſit.* reſplenduit. *alba ſtella.* candida, ſerena benigna: nã dum oritur, tempeſtates ſedat. huic ex cõtrario reſpondet nigrum cum lacte venenum, id eſt, inimicum. *defluit.* fluit de ſaxis præcipitata pluuia. *concidunt.* ceſſant. *fugiunt ꝗ; nub.* fugantur. *voluere.* dij ſeu pueri Ledæ. *recumbit.* ſternitur quæ intumuerat vento, fit quieta. *Romulum p. h* ordo eſt: dubito an prius memorem poſt hos Romulũ an quietum regnum Pompilij, an ſuperbos faſceis Tarquinij, an nobile letum Catonis. ad hæc autem Romanos duces & nobileis prętereundo commemorat, vt Auguſtum cunctis præferat. Romulus vrbis Romæ conditor fuit. Numa Põpilius à Curibus Sabinis ad regnum euocatus ſacrorum inuẽtor. Tarquinius quoq; ex virtute magnus; ſed hic Priſcum voluit, non Superbum; nam faſceis ſuperbos, hoc eſt, nobileis dixit. Cato dum mortuo Pompeio apud Vticã obſideretur, amore libertatis manu ſua ſe peremit, vnde & Vticenſis vocatus eſt. Regulus autem cùm Afros viciſſet, ab eiſdẽ cum paucis captus eſt: quem cùm Carthaginienſes Romam pro commutatione captiuorum miſiſſent, acquieſcenteis Romanos petitioni hoſtiũ, ſuo conſilio reuocauit: hunc Pœni, dum ſacramẽti memor reuertiſſet, ſectis palpebris, vigiliis perpetuis necauerunt. Paullus & Terentius Varro conſſ. aduerſus Annibalẽ miſſi ſunt; hi apud Cannas Apuliæ vicum, exercitus Romani grandi clade, ſuperati ſunt. Paullus poſtquã tanto viro collegæ ſuorum ſtragem vidit, ſe perimendum hoſtibus dedit. Fabricius quoque magnis præmiis à rege Pyrrho tentatus dum pauper cenſu eſſet, corrumpi non potuit. de quo Luca. Quo te Fabricius regno, quo vẽdidit auro. Curius paupertate clarus ex agro ad conſulatum euocatus, numquam totó dit cæ'atiem propter inuidiam præturæ. Camillus de exilio reuerſus victores Gallos vrbe pepulit. & ad internecionẽ cecidit, victorque ſua ſponte redijt. *Pompili r.* magna enim pax fuit eius tẽporibus. *ſuperbos f.* nobileis & magnificos, vt referatur ad Tarquinium Priſcum, non ad Tarquinium Superbũ, indignum cuius laudes decantentur. *Catonis.* Iunioris, eius ſcilicet qui ſe Vticæ interemit. *Scauros.* nobileis Romanos, qui & Cenſores & conſules fuerunt. *Prodigum.* Paullũ Aemilium vitæ contemptorem. *gratus.* memor. *Fabriciumq́;.* Luſcinium. *hunc.* Fabricium. ordo eſt: hunc & Curium incomtis capillis, & Camillum vtilem bello. tulit ſæua paupertas & auitus fundus cum apto lare, id eſt, conueniens fundus & domus eius tenuitati. *incomtis.* impexis. *Vtilem b. t.* Luca. fecunda virorum paupertas fugitur. *ſæua.* magna. ſæuus vbi Aeacidæ telo iacet Hector. *creſcit occ.* incrementa enim arborum non apparent, niſi poſteaquam increuerint, ita occultè augmentantur. *Fama Marcelli.* C. Marcellum dicit Octauiæ ſororis Cæſaris Auguſti filium, qui puer mortuus eſt. Virg. 6. Aen. ſi qua fata aſpera rumpas tu Marcellus eris. Alij M. Marcellum ſignificari putant, qui apud Nolanam ciuitatem Annibalem in fugã compulit; cuius inſidijs poſtea circumuentus occiſus eſt. *Iulium ſid.* Virg. ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum: intelligit itaque C. Cæſaris ſtellã. *velut inter ig.* pulchra comparatio. *gentis hum.* Periphraſis Iouis per Apoſtrophen. *fatis.* per fata. *tu ſecundo.* id eſt, ſit ſecundus à te, ſcilicet vt tu in cęlo, ille regnet in terris. *Parthos Lat. im.* inuadere minantes ditionem Romanam, cùm infeſti eſſent Romanis ſociis. Latium itaque pro imperio Romano poſitum eſt: ſic & Virg. Imbellem auertis Romanis arcibus Indum, id eſt, à ditione Romana. Cæſari itaque Auguſto mirabilem indulget honorem; permittens quidem Ioui tonare & fulminare, modò Cæſar ipſo auctore regat orbẽ terrarum, ſecundus ab ipſo. *egerit.* ſubegerit. *domitos.* ſubactos, ſubiugatos. *æquus.* iuſtus. ordo eſt: ille æquus minor te reget latum orbem. *tu graui.* ex opinione vulgari. ordo eſt: tu quaties Olympum graui curru, tu mittes inimica fulmina parum caſtis lucis. *quaties* tonabis. *parum caſtis.* pollutis.

CRVQVIVS.

QVEM *virum.* Vt à rerum geſtarum magnitudine collaudet Auguſtum, ſuis viribus quaſi diffidens Horatius *ἐρωτηματικῶς* ſibi adſumit Clio Muſam, cuius ope commemoratis prius Deorum, heroum & virorum fortium laudibus, qui Romanam politiam inſtituerant, ornarant, auxerant, & nunc conſilio prudentiáque, nunc armis & fortitudine conſeruarant, velut aliud agens inſinuat ſeſe in Auguſti laudes pæne diuinas: vt qui cum Ioue diuiſum haberet orbis totius imperium, ita vt ipſe quidem terræ, Iupiter verò cœlis dominaretur. *Quem virum.* *ἀποστροφὴ ἐρωτηματικὴ* ad Clio, Muſarum vnam. *lyra.* carmine lyrico moderato & ſuaui. *acri tibia.* epico carmine ſublimi & canoro

numero-

numeroſóque. Subindicat autem modeſtè, ſe quidem lyra poſſe prædicare Auguſtum, alios verò tibia, id eſt, heroico verſu, puta Variũ, Virgilium & id genus poëtas, vt ait Ode 6. ſuprà, Scriberis Vario for. & epiſt. 1. lib. 2. *celebrare Clio.* hoc enim Clio datur, vt celebret, memoret, laudet fortium virorum geſta, eáque donet immortalitate: iuxta illud Virg. Clio geſta canens tranſactis tempora reddit. ἀπὸ τοῦ κλέω, ὑμνῶ, laudo, decanto. *quem Deum.* cod. duo Bland. cum Mart. Mald. & Diu. habent dium. alij Deum, quod rectum eſt. *recinet.* ſic habet cod. Bland. antiquiſſimus, atque etiam *ſumes.* ſed neſcio quis pro e, ſecunda vocali maculata conatus eſt formare i, tertiá vocalẽ, ſed non ita dextrè vt deprehendi nequeat. alij habent ſumis, & recinit. Eraſmus putat legendum recinat. *iocoſa im.* Periphraſis ſoni ſeu vocis repercuſſæ reflexæue, quæ Græcè ἠχὼ nominatur, à verbo ἠχέω, id eſt, reſono. *aut in vmbroſ.* ἀκαρίθμητοι locorum quæ & Muſis ſacra ſunt Apollinique, & apta voci repercutiendæ, cùm propter ſiluas, tum propter conualleis. Moſchus in Epitaph. Bionis ἀχὼ δ' ἐν πέτρῃσιν ὀδύρεται, ὅττι σιωπῇ κοὐκέτι μιμεῖται τὰ σὰ χείλεα. *vmbroſis.* opacis, arborum denſitate. *oris.* conuallibus. *vocalem.* facundum & eloquentem. *Orphea.* de Orpheo quod fabulantur poëtæ, quem ſic Muſica præſtantem fuiſſe canunt, vt arbores & ſaxa poſt ſe canẽdo traheret, Horatius in Arte poëtica ad Piſones id dilucidè ſatis interpretatur, adeò vt ei meritò quiuis acquieſcat. Quòd autem Pauſanias de Eliacis lib. 2. ex relatu ſcribit eũ Aegyptium fuiſſe magum inſignem incantationibus, cùm in arboribus ſuo loco, tum ſaxis mouendis, id quod Horatius aliíque ἠθικῶς exponunt, ea profectò cõmenta fuere Ægyptij nugatoris; neq; enim Aegyptij vlli fuere Orphei, ſed Thraces; vt & Midæ omnes Phrygij: neque incantatores, ſed rara quadam & diuina ſapientia præditi: Ita vt non ſit à vero diſſentaneum, eum cum Amphione ceteríſque eius notæ viris fuiſſe ex poſteris filiorũ Noah. Qui ex confuſione Babel populum vagum, ferinóque ritu ſedibus incertis errantẽ, præceptis patrum & diuinis legibus reduxerunt in ordinem humaniorẽ. *arte materna.* fuit Oeagri & Calliopes filius, qui citharœdicam exercuit, auctore Apollod. lib. 1. *auritas q.* ab audiendi facultate: quercubus enim affingit longas & arrectas aureis, quò attentius Orphica myſteria & audiant & intelligant: quo etiam modo poſtea Satyris aureis acutas Ode 19. lib. 2. *fidibus can.* hinc ſuprà dixit vocalem Orphea. *parentis laudibus.* ſic habet cod. Bland. vetuſtiſſ. reliqui omnes parentum, ſed aliã magis probo: Nam vt lectionis perſpicuitatem omittã, fatetur apertè primas omnis laudis parteis Iouem meritò vendicare, vt qui ſit pater ἀνδρῶν τε θεῶν τε Homero teſte. parens, creator, conſeruator, gubernator omnium rerũ. *quid prius?* omnes cod. ſcripti hic interrogationis notam habent, nimirũ pro vulgata lectione, puta, parentum: Nam in antiquiſſ. Bland. ad marginem quoque adſcriptũ eſt, vel parentum, qua gratia non parùm miror expunctam non eſſe genuinam lectionem. parentis. *prius.* aut antiquius, aut potius, quàm ſolitas & ab omnibus decantatas laudes parentis Iouis. *res ho.* conſilia, conatus, facta, labores, magiſtratus, agriculturam &c. hic aduertito Horatium ſtare pro Stoicis contra Epicureos in cura mortalium. *deorũ.* ſacra omnia. *qui mare & terr.* mundum inferiorẽ ex elementis quatuor compactum temperat Iupiter, id eſt, ex æquatis partibus, quas varias horas nuncupat, circumagit ex ſententia Ariſtot. de mũdo, τίς γὰρ γένοιτ' ἂν ἀψευδία, ποία δὲ ἥτινα φυλάττουσιν αἱ καλαὶ καὶ γόνιμοι τῶν ὅλων ὧραι, θέρη τε καὶ χειμῶνας ἐπάγουσαι τεταγμένως, ἡμέρας τε καὶ νύκτας εἰς μηνὸς ἀποτέλεσμα καὶ ἐνιαυτοῦ. hoc eſt, ecquæ tandem vices tam ratæ eſſe poſſunt, quàm eſt exactè comparatus à natura tempeſtatũ anni tenor in orbem redeuntium omnium rerum fecundarum, æſtates ille quidem referens temporibus deſtinatis, ſimul dies ac noctes inoffenſis vicibus è quibus menſes annúſque conficiuntur? *Vnde nil maius.* quia eſt optimus maximus, inquit Cic. 2. de natura deor. à noſtris maioribus dictus, & quidem ante optimus, id eſt, beneficẽtiſſimus quàm maximus, quia maius eſt, certéque gratius prodeſſe omnibus, quàm opes magnas habere. *nec viget.* nec potens eſt, & vi agit quicquam ei ſimile & ſecundum, quia in agendo Iupiter potentiſſimus, fortiſſimus & celerrimus eſt. *proximos illi.* proximum in honore locum; ea namque è cerebro Iouis nata ſine matre nihil eſt aliud quàm diuina, incorrupta, & vera ſapientia, qua in primis cœtus hominum adminiſtrantur & gubernantur, vt qua duce ciuitates conditæ ſunt, leges latæ &c. deinde res omnes ordinatæ, diſtributæ, ornatæ & confirmatæ, prout ſummus ei pater imperauit. *prœliis audax.* Apoſtrophe ad Bacchum, qui ea de cauſa Liber dictus eſt, quòd deuictis hoſtibus ſe cum ſuis in libertatem vindicauit; quo etiam nomine & pater nominatur, quod nomen à Libero ferè indiuiſum eſt, auctore Curtio, vbi de Mero, Nyſa & Libero agit: nam vt patris eſt gignere, ita & liberare, tutari & conſeruare ſuos. *ſeuis inimica.* fingunt enim eam θηροκτόνον, id eſt, belluarum necatricem: ἐλαφηβόλον, ceruorum iaculatricem, & ὀρεσίφοιτον, montiuagam. vide Phornutum. *Phœbe.* Phœbus dictus ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν βίᾳ, quòd vi feratur: hinc Apollo ἑκη-

βίλος, procul feriens, ſagittarius, radiis enim in terras deſuper immiſſis, tanquam ſagittis nonnũquam metuendis, nimio calore corpora ita afficit vt peſtem inducat. *certa ſagit.* vocat Ouid. non euitabile telum. *alba ſtella.* διόσκουροι vide quæ adnotauimus Ode 3. ſuprà, lucida ſidera &c. *defluit ſaxu.* ab euentis ad ortum geminorum Caſtoris & Pollucis, quem comitatur maris & aëris trãquillitas. *fugiunt nub.* euaneſcunt & ſudum fit cælum. *minax.* tumida, in altum vento ſublata, quæ nautis minatur ſuo caſu naufragiũ. *quod ſic voluere.* ſic Diu. perlituram; reliqui omnes, quia ſic voluere, habent. *Romulum poſt hos.* collaudatis diis & heroibus, partim à potentia, partim à rebus geſtis, venit ad viros principes Romanæ reipublicę, quibus obiter pro meritis commemoratis, delabitur ad εὐχὴν, qua precatur Iouem, vt Cæſarem terris imperare ſinat. *Romulum.* Martis filium ex Ilia, qui primus rex Romanorum bello & armis rem parauit. lege Liuiũ & alios hiſtoriographos. *quietum Pompili.* Numa Pompilius alter rex Romanorum, qui armis paratum dominium, religione, pietate & bonis moribus ſtabiliuit, iccirco dicit quietum, quòd depoſitis armis omnia gereret. *Tarquini faſcen.* honorum inſignia regibus prius, poſtea conſulibus attributa. *Catonis.* Iunioris, ſeu minoris: de cuius morte quam ſibi ipſe conſciuit in Vtica quò ſe receperat, malè metuẽs Pompeianis partibus, videto Appianum Alex. lib. 2. bellorum ciuilium; Dionem; Plutar. *Regulum.* Marcũ Attilium Regulum imperatorem Rom. de quo præter ceteros lege Cic. lib. 3. de Officiis. *Scauros.* Scaurorum familia conſulari dignitate nobilis, alterum M. Aemilium Scaurum cum M. Cæcilio Metello conſulẽ anno v.c. 639. videto in Chron. cuius eſt quoque mentio in bello Iugurt. Alterum M. Aemilium Scaurũ Hortenſium conſulem cũ Ser. Sulpicio Galba, anno 646. Valer. Max. lib. 3. cap. 7. *animæq; mag.* magnanimum L. Aemilium Paullum, qui pro patria fundere animam nõ dubitauit ad Cannas contra Annibalem. legito Liu. lib. 2. deca. 3. *Fabriciumq;* Ga. Fabricium Luſciniũ primum conſulem anno 471. contra regem Pyrrhum. Iterum conſ. 475. Tertium conſ. anno 480. de cuius abſtinentia & continentia Val. Max. lib. 4. cap. 3. & de cenſoria eius nota lib. 2. cap. 4. *Curiũ.* M. Curium Dentatũ primum conſ. 463. Iterum conſ. 478. Tertium conſ. 479. de cuius abſtinentia Val. Max. lib. 4. cap. 3. de eius ſeueritate lib. 6. cap. 3. Item Cic. in Catone maiore. *incomtis capillis.* viri namq; fortis eſt, neglecto corporis cultu, animi curam gerere. *Camillum.* M. Furium Camillũ ſeptimum tribunum militum. Videto Glareani Chronologiã. Tit. Liu. lib. 5. & 6. primę decadis.

ſæua pauper. magna & laborioſa, qualem ferre decet qui auitum fundum colit exiguum & lari conuenientem, hoc eſt, frugalem, & moderatũ vitæ tolerandæ victum ſuppeditantem, qui ex agris quidem colligi poteſt, ſed nõ citra curam & continuũ ſtudium: quæ fundi colendi ratio vt Fabricios, Curios, Camillos clariſſimos, incorruptiſſimóſq. duces, imperatores, dictatores aluit, ita maioribus commendata fuit ante luxum & ambitionem, vt poſt confecta bella nihil eis fuerit antiquius, quã ruri agere, & aliquot agri iugera, auitũ certè fundum arare ad victum tenuem & ſobrium, quã hîc pro vulgi & ambitioſorum hominũ opinione ſæuam paupertatem nominat Horatius: quæ licet infelix videatur & abiecta, nutrit tamen μοχθοῦντ᾽ ἀμείνω τέκνα καὶ δραστήρια, inquit Euripides, id eſt, laboranteis liberos præſtãtiores & fortiores. *Luna minores.* Luna, inquit Varro, Græcum eſt; quare ne quis opinetur venire ἀπὸ τοῦ λαχνὴ, per ablationem χ, ſicuti ab ἀράχνης, araneus, venit ἀπὸ τοῦ λῆνος antiquus, deinde Doricôs λᾶνος. Apollonius li. 4. *creſcit occulto v. æ.* in Auguſti gratiam fortiſſimis imperatoribus adnumerat M. Claudium Marcellum eius ex Octauia ſorore nepotem qui in ædilitate vita ceſſit annos natus ſedecim, cuius nomẽ vult inclaruiſſe poſt mortem magis ac magis; non quidem ex rebus geſtis, ſed ab indole pręclara, quę in ædilitate ipſius magnam omnibus expectationem reliquerat. Malunt alij, hoc Lyrici dictũ pertinere ad M. Clau. Marcellum imperatorẽ contrà Annibalem & Pœnos à ſenatu miſſum, quem celebrat Tit. Liu. 3 deca. lib. 7. Iudicent docti. *occulto æuo.* occulta vi animę increſcit arbor, quæ niſi poſt augmentum ſenſu percipi nequit; hinc occultum æuum, quòd vis interna ſit occulta: quod facit ad maius miraculum increſcentis famę Marcelli poſt mortem, quaſi eum velit in Deorum cœtum relatum; eius rei eſſe auctorem, non etiam id eſſe humanum factum aut conſilium. huic conſentit Iuliũ ſidus micare inter omneis viros forteis, vt luna inter minores ſtellas, quòd is antea creditus ſit in Deorum numerum receptus. *Iulium ſidus.* alludit ad ſtellam crinitã, quę in Septemtrione apparuit per dies ſeptem, tantiſper dum Cæſar ei ludos publicos conſecrauit, auctoribus Plinio & Suetonio. *gentis huma.* εὐχὴ, qua poſt longam ἔκβασιν precatur Iouem pro ratione fatorum, vt curam habeat Cæſaris. *cuſtos.* à cura mortalium. *orte Saturno.* à natalibus. *Cæſa. fatis d.* ex ſententia Stoicorum qui ſtatuta fatorũ inuiolata ſeruari volunt etiã à diis immortalibus: vnde poëta, ſua Turnum Fata vocant, metáſque dati peruenit ad æui. *tu ſecundo Cæſ. reg.* Cæſare ſecundo, hoc eſt, imperij conſorte, ita vt tu quidem cælis, hic verò terris imperet, minor te, ſiue

te, ſiue Parthos ſubegerit, ſeu Seras & Indos, id eſt bella maxima difficillimáque confecerit, potentiſſimóſque & ab imperio Romano quàm longiſſimè diſtanteis hoſteis parere coëgerit. *Parthos.* de Parthis qui vltrò ſigna Craſſo cæſo ablata ad Cæſarem remiſerunt, regiíſque obſidibus traditis fœdus meruerunt: Oroſ. lib. 6. cap. 21. Velleius Patercul. lib. poſteriore; dum pacatur occidẽs, inquit, ab Oriente ac rege Parthorum, ſigna Romana, quæ Craſſo preſſo Orodes, quæ Antonio pulſo filius eius Phraates ceperant, Auguſto remiſſa ſunt. Luc. Florus 14. decad. lib. 127. P. Ventidius, ait, Antonij legatus Parthos prœlio victos Syria expulit. & lib. 128. addit, regemque eorum interemit. *iuſto domi. tr.* Eutropius lib. 7. Lucius Vẽtidius Baſſus irrumpenteis in Syriam Perſas tribus prœliis vicit: Parthorum regis Orodis filium interfecit, eo ipſo die quo olim Orodes Perſarum rex per ducem Surenam Craſſum occiderat: hic primus de Parthis iuſtiſſimum triumphum egit. de legatis & Indorum muneribus ad Auguſtum miſſis, legito eundem eodem loco. *ere.* ſic habent omnes cod. ſcrip. quos vidi. *te minor.* nimirum ſecundus à te. *æquus.* ſup. tibi, hoc eſt, non inuidens tibi primum locum in imperio cæleſti, modò in terris alterum ſortiri poſſit. *graui cur.* Periphraſis tonitrus. *parum caſt.* Periphraſ. fulminis. *inimica.* triſtia.

AD LYDIAM.

Ode XIII. ἐρωτική.

CVM *tu Lydia Telephi*
Ceruicem roſeam, cerea Telephi
Laudas brachia: væ, meum
Feruens difficili bile tumet iecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa ſede manent: humor & in genas
Furtim labitur, arguens,
Quàm lentis penitus macerer ignibus.
Vror, ſeu tibi candidos
Turparunt humeros immodicæ mero
Rixæ: ſiue puer furens
Impreſſit memorem dente labris notam.
Non, ſi me ſatis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbarè
Lædentem oſcula, quæ Venus
Quinta parte ſui nectaris imbuit.
FELICES *ter, & amplius,*
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulſus querimoniis,
Suprema citiùs ſoluet amor die.

COMMENTATOR.

CVM *tu Lydia Telephi.* Dicolos. Metrũ primo verſu Glyconium, ſecundo Aſclepiadeum. Scribit ad Lydiam amicam ſuam, moleſtè ferens riualem ſuum Telephum ab ea laudari. *Ceruicem roſ.* pulchram. vt Virg. roſea ceruice refulſit. *cerea.* aut mollia, aut in modum ceræ flexilia. *væ.* interiectio dolentis. *difficili.* ponit hoc epitheton iracundiæ quæ ſit implacabilis. *bile.* id eſt, iracundia, vt Iuuena. atque oculis bilem ſubſtringit opertis. Plaut. in Amphit. atra bili percita eſt. *iecur.* pro corde. ἀφελῶς, id eſt, ſimpliciter. *Tunc mens.* variis agitur cogitationibus, & color in diuerſa mutatur. *humor.* ſecretæ lacrymæ prodentes amoris nimietatem. *arguens.* demonſtrans, vt, degeneres animos timor arguit. *lentis.* diſertè, quaſi occultè ſæuientibus. *macerer.* conſumar. *ignibus.* amore. tale eſt illud Virg. eſt mollis flamma medullas, rurſum; & tacitum viuit ſub pectore vulnus. *penitus.* intus, internè. *Vror.* triſtor, aſpectu crucior, *Turparunt.* liuore reddiderunt deformeis. *immodicæ.* immenſæ. *mero.* per ebrietatem. *furens.* amoris impatientia. *notam.* ſignum, ſtigma. Ordo: vror, ſeu tibi immodicæ rixæ turparunt candidos humeros mero, ſeu puer furens impreſſit dente memorem labris tuis notam. *memorem.* per quam amoris recordatio ſeruaretur. *Non ſi me.* ordo eſt: ſi me ſatis audias, nõ ſperes perpetuum lædentem dulcia oſcula barbarè, hoc eſt, non ſperes ſcilicet illum perpetuum qui dulcia oſcula dedit crudeliter. *quæ Venus.* luxuria. *ſui.* amoris ſiue ardoris. *imbuit.* repleuit. *Quinta parte.* eleganter, quia in quinque parteis amoris fructus partitus eſſe dicitur, viſum, alloquium, tactum, oſculum, concubitum. vnde & Terentianum illud, iam extrema linea amare haud nihil eſt. *ter & amp.* id eſt, térque quatérq;. *irrupta.* indiſſolubilis. *copla.* nuptiæ. hæc propriè eſt duarum rerum. *nec malis.* ordo eſt: quos nec amor diuulſus malis querimoniis ſoluet citius ſuprema die, id eſt, ante vltimũ diem. *querimoniis.* iurgiis & litibus.

CRVQVIVS.

FINGIT Horatius ſeſe dolere & ferre grauiter Telephum riualem ſuum à Lydia commẽdari à forma corporis, quare illum vt odioſum faciat, monet eam ſtigmatis, quod mordendo labris eius impreſſerat Telephus, quaſi ea baſiandi ratio, non amorem ſed odium quoddam barbarũ futurum portendat: ſe verò non eo modo amare, teſtari ait iecur ira feruens ob ingratas ſibi laudes Telephi; varium mentis affectum in vultu apparentem, ex coloris immutatione & lacrymis amatoriis:

matoriis: atque adeò eam felicem fore ſecum, ex theſi ſubindicat, ſi vno te cõtenta vitam ſine querimonijs in ſuam peragat. Ceterùm ſibi conſultum velint adoleſcentes ab impoſturis & meretricum fallacijs, quos vbi ad ſe blandè pellectes, ſuis iam Venereis lacrymis irretitos tenet, alios ad ſeſe intromittunt, abblandiuntur, laudant, eos amare ſe ſimulant, quò plus accipiant, eóque viuos deglutiant. *Cùm tu Lyd.* Apoſtrophe ad Lydiam *ἐμφαντικῶς* τε, perinde ac ſi dicere velit, tu, quam me amare, & præ ceteris admirari credidi? *ceruicem roſ.* videtur periphraſticôs ſignificare *εὐτράχηλον* fuiſſe Telephum ex ſentẽtia Lydiæ, id eſt, pulchra & oblonga ceruice ſpectabilem. *cerea brach.* alludit ad amplexum *τὸ τραχηλίζειν καὶ περιπλέκειν. νε. ὑὲ, ἀπειλῇ βδελυρευόντων*, inquit Suidas. *tum et iecur.* iecur intumeſcere, mentem inconſtantem eſſe, interni ſunt affectus indignantis animi, qui coloris immutatione elucent in vultu. *tunc nec mens.* hic effectus eſt atræ bilis, ſeu ſucci melancholici circa cor efferueſcentis, mentem, putà, nõ manere certa ſede, ſed eſſe motam; quemadmodum Marium quendam commota mente fuiſſe ſcribit Saty. 3. lib. 2 qui Hellade percuſſa ſeſe præcipitauit: Nam melancholicus ille ſuccus ſi vehementius exardeſcat, naſcitur affectionis quædam ſpecies, quę medicis *ὑποχονδριακὴ* nominatur: ſed eo ſe modo extra ſe poſitum non fuiſſe oſtendit Horatius, inquiens, *humor & in genas.* Lacrymari namque nequeunt qui furore capti ſunt, eò quòd mens ſopita rerum diſcrimina neſciat, vſu rationis deſtituta. *manent.* ſic habent omnes manuſc. *humor & in ge.* ex amore doloris interni ſignum externum. *in genas.* ſunt autem genæ quaſi toruli quidam ſub oculis extantes, quæ lacrymis intumeſcunt. *furtim l.* nimia amoris impatientia, per alluſionem; ſunt enim amores dulcia furta: aut furtim, id eſt, etiam aliud agenti, & quodammodo inuito. *vror ſeu.* ἐξ *ἀντιτύπου* ſtudet Telephum adducere in odium Lydiæ: Quid enim Veneri cum ebrietate, quę nihil ſectatur præter audaciam petulantem, rixas, verbera, vulnera? *candidos humeros.* aſſentatio amatoria in odium Telephi, qui eos turparat. *immoditæ rixæ.* *ἐνθύμημα*, ex eo quod antecedit, ad id quod conſequi ſolet; non enim rixæ, ſed immodicæ, id eſt, modum excedentes, nimirum plagoſæ deformauerunt humeros Lydiæ. *mero.* ablatiuus efficientis cauſę, propter nimium meri potatum. *puer.* nota contemtus ab ætate puerili petulca, ſine vlla prudentiæ & conſtantiæ commendatione. *non ſi me aud.* *ὑποθετικῶς* diſſuadet Lydiæ amorem Telephi per inuerſionem; nam mordicare labrum in vſu Veneris, nõ eſt barbarè lædere, ſed prouocare & vehementer accendere Venerem: ſic namq; & aues ei ſacræ oſculando roſtra mutuo mordicant: huc facit illud Catulli eleg. 6. lib. 1: tunc ſuccos herbáſque dedi, queis liuor abiret, quem facit impreſſo mutua dente Venus. *felices ter.* Theſis amoris mutui, qua docet quàm ſint felices qui ſe amplexantur indiſſolubili amoris vinculo: quo tacitè exoptat ſibi ſociatam eſſe Lydiam. *diuulſus.* diuolſus, habent cod. Bland.

AD REMPVBL. BELLVM ciuile reparantem.

ODE XIIII. *παραινετικὴ, καὶ ἀλληγορική.*

O Nauis, referent in mare te noui
Fluctus. ô quid agis? fortiter occupa
Portum. nónne vides, vt
Nudum remigio latus,
Et malus celeri ſaucius Africo,
Antemnæq; gemant, ac ſine funibus
Vix durare carinæ
Poßint imperioſius
Aequor? non tibi ſunt integra lintea,
Non Di, quos iterum preſſa voces malo.
Quamuis Pontica pinus
Siluæ filia nobilis
Iactes & genus, & nomen inutile.
Nil pictis timidus nauita puppibus
Fidit. tu, niſi ventis
Debes ludibrium, caue.
Nuper ſollicitum quæ mihi tædium,
Nunc deſiderium, curáque non leuis,
Interfuſa nitenteis
Vites æquora Cycladas.

COMMENTATOR.

O Nauis referent in mare te noui f. Metrum tricolon duobus verſibus Aſclepiadeum, tertius, Pherecratius, quartus Glyconicus, qui tripodia dactylica dicitur. hæc Ode nihil quàm *ἀλληγορικῶς* per nauem deſignat Rempubl. Rom. quæ Bruto duce bellum pro libertate reparat contra Auguſtum. Alij volunt ab Horatio moneri Sextũ Pompeium Pompeij filium, ſed illud bellum vix ciuile fuit nominandum. Primum autem fuit, ídque grauiſſimum, inter Pompeium & Iulium Cæſarem: Alterum inter Auguſtum & interfectores C. Cæſaris Caſſium & Brutum, ſub quibus Horatius

Horatius militauerat, ſed poſtea ab Auguſto receptus, veniam ab eo meruit. *o nauis* alloquitur præterita tamquam futura. Nauis metaphoricôs accipitur, per cuius armamenta, & milites & diuerſas reipubl. vult ad miniſtrationes intelligi. *fluctus.* fluctus bellum ciuile vocauit. *portum.* pacem, ſecuritatem. Terent. ego in portu nauigo. *nudum latus.* nudatum fuga Pompeij & amiſſione exercitus. *malus c. ſ. Af.* per malum ſaucium, graue bellum intelligitur, propter Africum ventum tempeſtuoſum. vt, creberque procellis Africus. malum autem arborem in naui dixit, cui in ſummitate velum annectitur, & eſt maſculinū, vt, iubet ocyus omneis attolli malos. arbor autem fructifera eſt feminini generis, poma verò ipſius neutri, vt, aurea mala decem miſi. *gemant.* fragore & ventorū impetu vt, gemuit ſub pondere cymba ſutilis. *ſine funibus.* ſine adminiſtrationibus, aut ſine pecunia. *vix dura car.* mira figura pro ſuſtinere vim æquoris. *imperioſius.* tranſlatè, pro ſæuius, & violentius, & cuius vehementiæ obſiſti nō poſſit. *integra lint.* curſus integer ſine exercitu vel auxiliis. *lintea.* vela. vt, ni teneant curſus, certum eſt dare lintea retrò. *non dij.* quos iratos vult intelligi, propterea quòd denuò agatur de ciuili bello inſtaurando. *iterum.* ſicut ſub C. I. Cæſare oppreſſa malis Deos orauit. *preſſa.* oppreſſa. *voces.* inuoces. *Pontica pinus.* hæc ad nobilitatem & originē referuntur, aut reipublicæ aut Bruti. *nobilis.* an tu nobilis, an ſiluæ nobilis? ἀμφιβολία. *nil pictu.* ἀλληγορικῶς. ait nihil prodeſſe in bello ſtemmata & nobilitatis ornamenta. *tu niſi v. d.* ordo eſt: tu niſi caue, id eſt, caues, debes ludibriū ventis, id eſt, eris exercitium ventorū, hoc eſt, turpitudini & ludibrio ſubiacebis. vel, tu nihil debes ventis niſi ludibrium, caue. *nuper ſollicitum.* manifeſtè oſtendit ſe poëta nuper fuiſſe ſollicitū aut propter Brutū, aut rempublicam miſerè laceram ſub C. Cæſare. *interfuſa.* ſup. ſuadeo vt vites æquora inter nitenteis Cycladas fuſa. *nitenteis.* longè apparētēis. ſuadet itaque vt inter iniqua loca & vada tempeſtuoſa ſe cuſtodiat, id eſt, fugiat ciuilis belli conſilia. de iiſdem inſulis ſcribit Virg. ſparſaſq; per æquor Cycladas.

CRVQVIVS.

HORTATVR Romanos ciueis ad pacem & concordiam ἀλληγορικῶς, diſſuadens atq; adeò deteſtans ciuileis contentiones, quas renatas à ſenatu poſt Antonium hoſtem patriæ iudicatū, foueri promouerīq; cognouerat (vt qui ſub Bruto præturam geſſerat) litteris de libertate recuperāda datis ad interfectores C. Cæſaris: ſed ea conſilia non probat Horatius tum quòd nauis ſuo remigio, hoc eſt, Pompeio aliiſq; viris principibus rei bene gerendæ auctoribus ducibúſque deſtitueretur, tum quòd cetera nauis armamenta, hoc eſt, legiones, ſocij, auxiliares copiæ, aut inualida eſſent inutiliáque ferendis vndarum procellis, aut minus integra lacerá q;. *o nauis.* in duobus cod. Bland. huius odæ inſcriptio eſt, Ad rempublicā, in tertio, Ad nauē M. Bruti reparantem ciuile bellum, ſeu rempublicam. alij carent inſcriptione. Quare nō video cur inter ceteros vir acutiſſimi iudicij Quintilianus obdormiuiſſe videri debeat, quādo in perpetua hac allegoria nauem interpretatur rempublicam, in qua velut Holcade ciues omnes vecti, variis animi perturbationibus ſurſum deorſumque agitantur, ambitione, auaritia, ſeruitutis, tyrannidiſque metu, libertatis amore, pacis concordiæque ſtudio, ceteriſque id genus affectibus, quaſi marinis fluctibus iactati, aut immerguntur miſerè, aut enatant glorioſè. in hac itaque Brutus poſt C. Cæſarem trucidatum, vt ciueis in libertatē penitus aſſereret, non dubitauit hortatu Senatus huius nauis gubernacula ſuſcipere. *o nauis.* quaſi repentè perculſus metu futurorum malorum, diſſuadet in tam perturbato rerum ſtatu, iterum de ſumma rerum omnium fieri periculum per πρόσταξιν portus occupandi. *fortiter.* conſtanter, nullo tibi ſalutis alio ſcopo propoſito præter portū, id eſt, pacem & tranquillitatem. *nónne vides. ἀλληγορικῶς* per enumerationem partium nauis, oſtēdit eam ita eſſe imminutam & imbellem, vt vix vlla ſpes ſuperſit tanti maris vndis ſuſtinendis, id eſt, ita rempubl. eſſe exhauſtam, omníque ex parte labefactatam, vt vix par eſſe videatur alijs vllis bellis adminiſtrandis. *portum.* Quid ſi per portum intelligamus Octauianum Auguſtū, cui Senatus contra Antonium in primis detulit plurimùm, perinde ac ſi Brutum Caſſiumque deſideret cum Auguſto componere pacem? *remigio.* συνεκδοχικῶς, pro remigijs, id eſt, remigibus, vt præſidia, pro præſidibus, vigiliæ pro vigilibus &c. *malus celeri ſau.* videtur per celerem Africum notare Aegyptium regem; à quo, præter omnium opinionem, repentè Pompeius ſine miſeratione obtruncatus eſt: ab eo namque tamquam malo dependebant antemnæ, id eſt, Senatores & viri principes reliqui, poſt eum cæſum qui gemebant anxio pectore, cùm in Africa, tum per alias diſperſi prouincias, vt videre eſt apud Appianum. *ſine funibus.* ſine ærario, quod iam funditus erat exhauſtum, ſunt enim pecuniæ veluti nerui & funes belli naualis. *carinæ.* carina trabs nauis infima, ad quam, tamquam fundamentum, ceteræ nauis tabulæ figuntur τρόπις, στεῖρα, μέσον τῆς ἐμβολίδος, καὶ τὸ ἔμβολον, Polluce auctore. id eſt, medium proembolidis, id eſt, eminentis ligni cuſpidem ad proram nauis cui ro-

cui roſtrum affigitur, quo ſit impetus in hoſtileis naueis: Itaque per Carinas videtur innuere Romanas legiones, quibus, vt baſi, belli tota moles prouchebatur: dicta ἔμβολος Aeliano, παρὰ τὸ τὸν λαὸν ἐμβαίνειν, id eſt, ab impetu in hoſteis facto: eſt enim embolos acies cuneata directaq; tam pedeſtrium copiarum quàm equeſtrium. vide Polyb. lib. I. hiſtor. de trigona & cuneata claſſe. videtur autem in his verſibus exprimere illos Alcæi. πὰρ μὲν γὰρ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει, λαῖφος δὲ πᾶν ἄδηλον ἤδη, καὶ λακίδες μεγάλαις κατ' αὐτὸ, χαλῶσι δ' ἄγκυραι. id eſt, nam pelagus ipſam mali baſim occupat, & linteum omne euanidum iam, ac plurimæ laceræ partes in eo, laxantque ſe ancoræ. *lintea.* vela ſunt lacera, quibus opus eſt, ſi deſit remigium, id eſt, ſubſidia auxiliáque deſiderantur, ſi laborent legionarij ducesque. *non dij.* Caſtor & Pollux. vide Ode 3. ſuprà, Lucida ſidera. *ponticapinus.* à loco: quòd in Ponto pinus materiæ nobilitate ceteras facilè antecellerent. *& genus & nomē.* Quid ſi hoc ad Troianos referas, vnde Romani duxerunt originem? Sunt enim qui Myſos & Troianos primos rateis in Helleſponto excogitaſſe velint, quibus in Thraceis expeditionē pararēt. *nil pictis.* naueis antiqui picturare ſolebant, rubia præſertim, ſiue rubrica, terráue Lemnia, cuiā ante vſum picturæ. ſenſus eſt, nauibus validis & integris opus eſt, nō etiam ornatis, picturatiſve & fragilibus. *tu niſi ventis.* hoc eſt, nihil aliud quàm ventis eris ludus & iocus, id eſt, purpuratis, ambitioſis, & inflatis ducibus. Eſt autem Helleniſmus: ſic enim Græci, ὀφλεῖν ἢ ὀφλισκάνειν τὸν γέλωτα. i. rideri, ridiculum eſſe. Ariſtoph. Nebu. καὶ μὴ γέλωτ' ὀφλήσεις. i. nec derideberis. Demoſth. ὀφλεῖν ζημίαν id eſt, multari. *niſi ventis.* niſi pro quàm, per ἔλλειψιν τοῦ nil, hoc modo, tu nihil niſi ventis debes ludibrium. Terent. nihil volo aliud niſi Philumenam. Cicero: cura igitur nihil aliud niſi vt valeas. id eſt, quàm Philumenam, quàm vt valeas. Altera hic commentatoris interpretatio eſt abſurda, non enim τὸ niſi, apud idoneos ſcriptores imperandi modo inuenies appoſitum. *nuper ſollicitum.* hoc eſt, ô reſpublica, quę nuper cùm Pompeium veheres naufragum Caiumque Cæſarem victorem, fuiſti mihi tædium ſollicitum, quòd me & fori & iudiciorum tæderet, ſollicitumq; redderet cognoſcendi quorſum euaderes: nunc interfecto Iulio es deſiderium, vt poſt Antonium hoſtem patriæ dictum, tu Auguſtum cum interfectoribus C. Cęſaris Iulij concilies, recuperatáque nuper amiſſa libertate, in portu, pace & tranquillitate maneas, vitéſque æquora fuſa inter niteteis Cycladas, id eſt, difficillima quæque pericula, quibus ſufferendis metuo ne vires futuræ ſint pares. *Cycladas.* Cyclades inſulæ in Aegæo mari, nō quòd ſingulę, ſed quòd omnes quaſi in orbem diſſeminatæ appareāt, vnde & Sporades dicuntur. Plin. lib. 4. ca. 12. *Vites.* propter anfractus vndarum, iuxta litora quàm in pelago vehementiores.

NEREI VATICINIVM, de ruina Troiæ.

ODE XV. ὑποθετικὴ καὶ θρηνητική.

PASTOR *cùm traheret per freta nauibus*
Idæis Helenen perfidus hoſpitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, vt caneret fera
Nereus fata. mala ducis aui domum,
Quam multo repetet Græcia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor! quanta moues funera Dardanæ
Genti! iam galeam Pallas, & ægida,
Currúſque, & rabiem parat.
Nequiquam, Veneris præſidio ferox,
Pectes cæſariem, gratáque feminis
Imbelli cithara carmina diuides.
Nequiquam thalamo graueis
Haſtas, & calami ſpicula Cnoſij
Vitabis, ſtrepitumq;, & celerem ſequi
Aiacem. tamen, heu, ſerus adulteros
Crineis puluere collines.
Non Laërtiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Neſtora reſpicis?
Vrgent impauidi te Salaminius
Teucerq;, & Sthenelus ſciens
Pugnæ, ſiue opus eſt imperitare equis,
Non auriga piger. Merionen quoque
Noſces. ecce furit te reperire atrox
Tydeides, melior patre.
Quem tu, ceruus vti vallis in altera
Viſum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ.
Iracunda diem proferet Ilio,
Matronîſque Phrygum claſſis Achillei.
Poſt certas hiemes vret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

COMMENTATOR.

PASTOR *cùm traheret.* Metrum dicolon. primi tres verſus Aſclepiadei; quartus autẽ eſt Glyconicus. Sub perſona Nerei exponit imminentia Ilio ὑποθετικῶς. *Paſtor.* Paris. *Idæ.* Troianis, ab Ida monte. *perfidus.* quia in fidem amici hoſpitalitate violata, commiſerat. *ingrato.* otium autem ventis ingratum ſemper eſt, quia eorum natura ſemper eſt ſæuire & impetum facere. *obruit.* ceſſare fecit, compreſſit. *caneret.* prædiceret, vt, ipſa canas oro. *fera.* crudelia. *Nereus.* Neptunus. *mala aui.* malo omine, malo auſpicio ducis domum, ad quam repetendam omnis Græcia armabitur. *repetet.* requiret. *multo milite.* magno exercitu. *Græcia cõiurata.* inter coniurare & cõſpirare hoc intereſt, quòd conſpirare numquam ſit in perniciem alicuius, coniurare autem ſemper. Apud Aulidem enim promontoriũ ab omnibus Græcis Troiam nauigantibus iuratum eſt, quòd vnanimiter dimicarẽt donec Helenam nacti eſſent. vt eſt, Non ego cum Danais Troianam excidere gẽtem Aulide iuraui. *nuptias.* cũ Helena illicitas. *vetus.* antiquum. *Eheu.* dolentis. vt, heu quantæ miſeris cædes Laurentibus inſtant? *ſudor.* bellicus labor. ſignificatio futuræ cladis. *moues.* commoues. *Dardanæ.* Troianę. *galeam Pall.* bene primum Mineruam dixit adultero iraſci, vtpote deam caſtitatis, aut certè, quia in iudicio ſuperata eſt à Venere, Paride iudice. *ægida.* intelligit ſcutum Palladis, vnde Virg. in Troiæ euerſione, vt eam mõſtraret inimicam, ait, Iam ſummas arceis Tritonia, reſpice, Pallas inſedit nimbo effulgens, & Gorgone ſæua. *rabiem.* pro furore belli ponit rabiem. *nequicquam.* fruſtrà. ordo autẽ eſt: nequicquam pectes cæſariẽ præſidio ferox, vel amoris, vel Veneris: vnde in exprobrationẽ Veneris dictum eſt, me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter, aut ego tela dedi, fouíq. cupidine bella. ſenſus autem eſt, nec pulchritudo tibi, nec canẽdi ſcientia proderit; namq. hæ deliciæ mulieribus magis aptæ ſunt. *pectes cæſa.* ornabis. *graueis haſtas.* propter inceſtas nuptias. Virg. Funeſtæ iterum recidiua in Pergama tedæ. *calam ſp. Gnoſſ.* Cretenſis, de canna namq. ſagittæ fieri conſueuerunt. vt, pérq. ilia venit arundo. *celerem ſeq.* ad ſequendum velocem, ταχὺν Homero. *ſerus.* ſerò. *crineis p.c.* hoc eſt, cades, & capillorum pulchritudinem puluere inquinabis, vt, & fœdare in puluere crineis. *non Laërtiadẽ.* multos minatur exitialeis duces ei futuros, Vlyſſem, Neſtorem, Nelei filium. Vlyſſes autẽ Aſtyanacta puerum pręcipitem muro dedit. *Salaminius.* de Salamine ciuitate, Telamonis filius, frater Aiacis. *Sthenelum.* Capanei filius. Nireum bene vaticinantem facit Horatius, nam futura ponit quaſi præſentia. Lucan. hũc ego fluminea deformis truncus arena qui iacet agnoſco. *ſciens p.* doctus ad pugnandum. *imperitare eq.* domare equos. *non auriga.* Diomedis comes. *furit.* furore agitatur, ac per hoc diſcurrit vt te reperiat. *melior pat.* fortior, quia numina vulnerauit. *quem tu ceruus.* ordo eſt: quem tu mollis fugies anhelitu ſublimi, vti ceruus immemor graminis viſum lupum in altera parte vallis. *ſublimi.* per ὑπαλλαγὴν, pro ſublimi corporis parte, id eſt, ore edito. *mollis.* imbellis atq. inermis. *non hoc.* quod fugeres. *tuæ.* Helenæ, quã diligis. vt, Daphnímq. tuum tollemus ad aſtra. *iracunda.* ordo eſt, iracunda claſſis Achillei proferet diem Ilio & matronis Phrygum. *Achillei.* veterum declinationes iſta habẽt, Achillei, Vlyſſei, ab Achilleus & Vlyſſeus. *hiemes.* Synecdochicôs, pro annis. Virg. ternáq. trãſierint Rutulis hiberna ſubactis. & æſtates ſic poſuit, Nam te etiam ſeptima portat omnibus errantem terris & fluctibus æſtas. *Achaicus.* Græcus. *Iliacas.* Troianas.

CRVQVIVS.

PAſtor cùm traheret. Hæc ode, ſiue Nerei vaticinium, eſt veluti quædam διατύπωσις & apparatus virorum principum totius Græciæ ad Helenam pro ſacramento præſtito repetendã & obſidendam Troiam: quod Paridi cu exprobratione mollitiei ob raptam Helenam malum minatur extremũ & vrbis excidium, regníq. Troiani abolitionem. *paſtor.* διασυρτικῶς per eleuationem perſonæ, Paridem nominat paſtorem, vt qui in Ida monte pecudes aliquando pauerat. *traheret p f.* Paris enim in Spartam nauigauerat Iſic nem ſororem reductutus, vbi à Menelao rege hoſpitio acceptus, eius vxorem Helenam, iure hoſpitalitatis violato, raptam ſecum nauigio (vt ſcribit Homerus) abſtulit in Phrygiam. fingit itaq. Lyricus Nereum Deum marinum ventis ſopitis in reditu detinuiſſe Paridem, eíq. hoc vaticinium cecinisse. *Helenam.* ſic habent cod. Maldeg. Mart. & antiquiſſ. Bland. alij habent Helenen, cum vulgatis. *ingrato.* ex antitypo: otium namq. celeritati eſt oppoſitum. *fera fata.* exitium triſte & luctuoſum. *Nereus.* contendit Glareanus ex Porphy. vulgato, & Herodoto lib. 2. pro Nereo ſubſtituendũ Protea; quòd & Homero Proteus vaticinetur de rebus Troianis, & de Nereo nihil tale inuenerit: atqui fallitur; nam & Nereo vaticinandi ſcientia traditur ab Apollodoro lib. 2. de Nymphis Iouis & Themidis filiabus & Hercule, hæ, inquit, ipſi putà Herculi, Nereum indicant, cõprehenſúmq. ipſum dormientem, atq. omnigenas formas alternantem deuinxit, neq. illum prius abire per-

 miſit,

miſit, quàm ab eo vbinam mala illa, & Heſperides eſſent, edocuiſſet. Inſuper Heſiodus quoq. in Theogonia ſcribit, Νηρέα τ' ἀψευδέα, καὶ ἀληθέα γείνατο πόντος, πρεσβύτατον παίδων, αὐτὰρ καλέουσι γέροντα· οὕνεκα νημερτής τε, καὶ ἤπιος, οὐδὲ θεμιστέων λήθεται, ἀλλὰ δίκαια, καὶ ἤπια δήνεα οἶδεν. id eſt, Nereúmq. alienum à mendacio & veracem genuit Pontus, maximum natu filiorum, ſed vocant grandæuum, eò quòd verus atq; placidus, nec iuris & æqui obliuiſcitur, ſed iuſta & manſueta conſilia nouit. videto Iunium noſtrum Animaduerſ. lib. 4. cap. 22. *mala ducis aui d.* Nereus χρησμῳδεῖ, id eſt, carmine vaticinatur euentura Paridi Troianíſq. *mala aui.* auis pro omine; ex auibus enim veteres ad res agendas ſumebant auguria: hinc Augurum collegium apud Romanos, quorũ erat obnunciare populi conatibus. Inter aueis autẽ augurales aliæ dicebantur proſperæ & bonæ, quæ ſiniſtræ erãt; aliæ arculæ, ab arcendo; aliæ cliniæ, à difficultate, quia clinia vocabãt antiqui difficilia προσάντη: aliæ remores, à remorando: aliæ inebræ, enebræ, ab inhibendo: aliæ alteræ, quæ ſuperuenirent, & vitiũ auſpicio facerent: aliæ voſgræ, quæ ſe vellendo malũ facerent auſpiciũ, de quibus intellexit Statius, Vngue ſecant rabidæ, planctúmq imitantibus alis exagitant Zephyros, & plumea pectora cedũt. *multo milite.* ſynecdoch. *coniurata.* in portu Aulidis, Solino teſte, Eubœa inſula laterũ obiectu efficit Aulidis portum, ſæculis traditũ Græcæ coniurationis memoria. Præterea Mela, Aulis Agamemnoniæ Graiorũ claſſis in Troiã coniurantiũ ſtatio. Verùm Apollodorus lib. 3. ſcribit hanc coniurationẽ Spartæ factam Tyndareo patri Helenæ Vlyſſis conſilio: Quare vt hæc auctorũ controuerſia nemini ſit offendiculo, indicarim in Aulide priorẽ coniurationem iteratò inter Helenæ procos confirmatam fuiſſe, idq. poſtulaſſe Menelaũ Helenæ maritum. huius coniurationis quoq. meminit Sophocles in Philocteta οὐτ' ἔνορκος, &c. *veteri.* laus regni ab antiquitate. *eheu.* παθοποιΐα. *quantus eq.* vehemens ἐνέργεια ita namq. futura præcinuntur, vt ob oculos ea geri videantur. *iam galeam.* armatura Palladis ἀξιοπίστως propter illatã ſibi de pulchritudine iniuria. *egida.* Aegis, inquit Seruius, 8. Aeneid. ad eum verſum, Aegidáq. horrificam turbatæ Palladis arma, &c. propriè eſt munimentũ pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput, quod ſi in pectore numinis fuerit, ægis vocatur; ſi in pectore hominis, vt in antiquis imperatorum ſtatuis videmus, lorica dicitur. Cur autẽ Aegidis Pallas cũ Ioue particeps ſit, vide Phornutum. *currúſq. & rabida* διὰ δίνας id eſt, currus rabidos, id eſt, incitatiſſimos, omniáq. obuia cũ ἀρματοκτυπίᾳ ſecũ rapienteis & veluti rabie quadã deuaſtantes. *nequicquam ven.* ἐπικεχρόμενος: exprobrat enim Paridi nimiã in cultu & ornatu corporis mollitiẽ, citharáq. inter feminas canendi ſtudiu; ea namq. vitæ ratio non decet viros forteis; & nequicquã ferox eſt elatúſq. qui Veneris præſidio ferocit, nõ eſt enim ἄρεια, id eſt, Martialis. *pectes cæſar.* pectere cæſariẽ, ornare, & vnguento delibuere comam, hominis eſt effeminati: idcirco dixit ode 12. ſuprà, & incomtis Curium capillis vtilem bello tulit. &c. Athenæus lib. 1. Ὅμηρος ἰλ. γ ἔφη. δὲ τὴν τῶν μύρων φύσιν εἰδὼς οὐκ εἰσήγαγε μύροις ἀλειφομένους πλὴν τὸν Πάριν εἰς τὰς κάλλει στίλβοντα, ὡς καὶ ἀφροδίτη κάλλει τὰ πρόσωπα καθαίρει, id eſt, Homerus, inquit, poſtquã vnguenti naturam cognoſſet, nõ ij dixit vnguentis delibutos heroas præter Paridem, inter quos pulchritudine ſplẽdens, vt & Venus faciem illuſtrat. *imbellis cithara.* Homerus Ili. γ οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης, ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης id eſt, nõ citharæ ſtudium, Veneris neque munera proſint, ſi turpatus humi iaceas, & puluere plenus. *imbellis.* inepta rebus bellicis, vt quæ tubas & lituos requirunt, ſed apta menſis ad hilaritatẽ & ſaltus. vide oden 6. & 10. huius lib. *carmina diuides.* alludit ad verbum μερίζω τὸ μερίζω, quod eſt metiri, & metaphor. canere; hinc μέτρον, carmen, quia ſuis modulis & numeris dimenſum eſt: Itaq. diuides carmina, id eſt, ſuis numeris aptum carmen ad imbellem citharã canes. *grauem.* odioſas, metaphor. per hanc enim armorum militarium, & Græciæ principum enumerationẽ prædicit fruſtrà nunc laſciuire Paridẽ, thalamóq. nuptiali animos tollere, vt quem vel inuitum reluctantémq. neceſſe erit difficillima ferre, & grauiſſima quæq. mala. *calami ſpic.* quid ſi per ἐπεξήγησιν hæc interpretemur, quando haſtas, ſpicula, iacula ex calamis olim facta eſſe non ſit incertum: vt omittam à Vegetio lib. 2. cap. 15. in graui armatura numerari ſpiculũ, prius pilũ vocitatum, miſſile maius, ferro triangulo vnciarum nouem, haſtili pedũ quinq, & ſemis, ad cuius ictũ præcipuè milites exercebantur: quod arte & virtute directum, & ſcutatos pedites, & loricatos equites ſæpe tranſuerberat. hæc Veget. Quin & hæc haſta, lancea, ſpiculũ, iaculum, ſicut λόγχη, δόρυ, ἀκόντιον ſæpe cõfundit antiquitas. *ſtrepitúmq.* arma crepitantia, clamorẽ militarem, quæ ex diametro pugnant cũ quiete & mollitie thalami nuptialis. *celerem ſ. Aia.* Aiacẽ Oilei, Locrenſiũ ducẽ, quem ab haſtæ vibratione & velocitate 2. Ilia. in primis cõmendat Homerus. *ſerus.* ἀντιμερία *crineis.* [illegible] crineis quos tanto ſtudio pexiſti, oleo & vnguento obliniſti, poſt collines & deturpabis puluere. ſcribit Lamb. in cod. Tornæſ. ſe inueniſſe

inueniſſe cultus adulteros. Ego quoq. in duob. cod. Bland. & Maldeg. eam vocem inueni; ſed reliqui cũ antiquiſſ. Bland. habent crineis, quibus ardentior propter cæſariem pexam, & (vt vero eſt conſentaneum) vnguentis delibutã, vt ſit inſultatio amarulenta, & mortem minetur infamem propter fugam. ceteróqui puluis in bello & pugna non indecorus eſt habitus. *exitium.* propter raptum Palladium Ouid. canẽte, Illa nocte mihi Troiæ victoria parta eſt, Pergama tunc vici, cùm vinci poſſe coëgi. Ceterùm in tribus Cod. Bland. ponitur, tuę genti. ceteri gentis habent. *Pyliũ Neſt.* Græcorum omniũ qui ad Troiam venerũt ſapiẽtiſſimũ, quod teſtatur Homerus Ilia α. Pyliorum ducem. *Teucer te Sthenelus.* variãt hic ſcripta. cod. 3. Bland. cum Maldeg. habent Teucer te Sthenelus. alij Teucer & Stene. Sed nulli ſequuntur vulgarem lect. Teucérq. & Sthenel. cuius lectionis auctorem neſcio an inſimulem Mancinellum, qui viſus eſt hoc epithetõ Salaminius nolle dari Teucro, ſed fratri Aiaci ſubintelligendo, ad diſcrimen Aiacis Oïlei paullò ſuprà poſiti: verùm quàm nõ ſit hoc neceſſe, vt eo nomine vetus lectio immutetur, facilè docti intelligunt. Ego certè ſequor hanc, Teucer te Sthenel. cũ Lamb. *ſciens pug.* ἔλλειψις præpoſitionis, ſine, vt ſententia ſit, Sthenelus vrget te ſiue opus eſt pugnare, ſiue opus eſt equos gubernare, nõ auriga impiger. *Merionenq.* de Merione, vide ſuprà ode 6. *atrox.* ſæuus, immitis, aut potius, Feſto teſte, impauidus, ἀπὸ τοῦ τρεῖν metuere, per priuatiuum α. *Tydides.* ſic ſcribitur in Bland. vide oden 6. ſuprà. *melior p.* laus à natalibus, quibus ſua virtute præluxit: hoc autem ita eſſe ſcribit Homerus Il. δ. Sthenelum pro ſe & Diomede reſpondiſſe Agamemnoni, ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ᾽ ἀμείνονες εὐχόμεθ᾽ εἶναι. *quem tu ceruus.* εἰκὼν, perfectæ namq. inter ſe formæ conferuntur, Paris ceruo, Diomedes lupo. *iracunda.* propter ereptã ſibi ab Agamemnone Briſeida, non induci potuit vt pugnaret, tantiſper dum intelligeret Patroclum ab Hectore cæſum.

AD AMICAM.

Ode XVI. παλινῳδιατική.

O MATRE *pulchra filia pulchrior,*
Quem criminoſis cumque voles modum
Pones iambis: ſiue flamma,
Siue mari libet Hadriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem ſacerdotum incola Pythius,
Non Liber æquè, non acuta
Sic geminant Corybantes æra,
Triſtes vt iræ: quas neque Noricus
Deterret enſis, nec mare naufragum,
Nec ſæuus ignis, nec tremendo
Iupiter ipſe ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam vndiq;
Deſectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.
Iræ Thyeſten exitio graui
Strauere, & altis vrbibus vltimæ
Stetere cauſſæ, cur perirent
Funditus, imprimerétq; muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.
Compeſce mentem. me quoque pectoris
Tentauit in dulci iuuenta
Feruor, & in celeres iambos
Miſit furentem. nunc ego mitibus
Mutare quæro triſtia, dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animúmq; reddas.

COMMENTATOR.

O MATRE *pulchra filia pulchrior.* Metrum tricolon duobus verſibus Alcaicum, quod conſtat ex ſpondeo, iambo & cæſura, vel iambica pentemimere & duobus dactylis. hoc modo: O ma. tre pul. chra. filia. pulchrior. Tertius dimeter iambicus hypercatalectus. ſic: pones. iã. bis ſi. ue flam. ma. Quartus Pindaricus, cõſtat ex duobus dactylis & duobus trochæis. ſic: ſiue ma. ri libet. Hadri. ano. Cantat palinodiã, id eſt, cãtando reuocat quę ſcripſerat iratus in amicã Gratidiã. imitatus Steſichorũ poëtam Siculũ: qui quòd vituperationẽ ſcripſerat Helenæ, obcæcatus eſt, ſed poſtea Apollinis reſponſo laudem eius ſcripſit, & viſum recepit. cuius rei & in Epodo idem poëta meminit. Infamis Helenæ Caſtor offenſus vicem, fratérq. magni Caſtoris victi prece adẽpta vati reddidere lumina. Nihil autẽ, quod ad artificiũ pertinet, prætermittit, captat enim beneuolentiã, cũ illam pulcherrimã appellat, quo nihil gratius mulieri poteſt præſtari; deinde in quibus maledixit, pro eius arbitrio abolenda promittit. *pulchra.* facit cõparationẽ formoſæ ad formã meliorẽ. Antiqui tria hęc

 aſpirabant,

aſpirabant, pulcher, lachrimor & ſepulchrum. *quē a crimi.* timeſis, quemcumq. *criminoſis.* Criminoſa, quæ crimina inferant, crimen enim vitium eſt, ſed & cauſam quandoq. notat. Virg. & crimine ab vno diſce omneis. In hoc ergo confitetur delictum, quæ res ad iracundiam placandam vehementer facit: ſic Diuus ille Terent. ſe crucem meritum fatetur. Eſt autem quo ad id fieri poteſt, poſt confeſſionem adhibēda excuſatio, vt hic vbi in iram culpam reiicit: Scripſerat autem Iambicis verſibus, qui pes Iambus vehementiá adfert, inuectiuis valde accommodus; eo autē ſcribit Horatius ad Piſones vſum Archilochum, inquiens, Archilochum proprio rabies armauit Iambo, &c. hinc enim Archilochicum dicitur Iambicum carmen. *pones.* ſtatues. *ſiue flamma.* ſup. vis ponere modum, in vindictam. ſimile eſt illud Virg aut pelago Danaûm inſidias, ſubiectáq. dona præcipitare iubet, ſubiectíſq. vrere flammis. *Adriano.* Adriatico, ſpecies pro genere. *Dindymene.* à monte matrem deûm dicit. Virg. ite per alta Dindyma. Amoris ſe furore peccaſſe fatetur, & ſic ab exēplo probare vult, irā ob amorem non recipere moderationem magis quàm qui alieno furore bacchantur. *Pythius.* Apollo. à Pythone ſerpente à ſe interfecto. *Liber.* Bacchus, qui ſimiliter ſuos ſacerdotes furere facit. *acuta.* ſonora: à tinnitu metaph. Virg. Pelio tinnitu fugiens impleuit acuto. *Corybantes.* miniſtri matris deûm. *Noricus.* ſpecies pro genere: apud Noricos enim & probatiſſimum ferrum eſt, & gladij fiunt optimi: eſt autem Noricum in Illyria. Virg. tum ſciat aërias alpeis & Norica ſi quis caſtella in tumulis. *mare nauf.* naufragia faciens, quaſi naufragium. Virg. Caulonı́ſq. arceis, & nauifragum Scylacæū. *tremendo.* propter fulmina, vnde eſt, & mortalia corda per genteis humilis ſtrauit pauor, ille flagranti aut Athon aut Rhodopen aut Acroceraunia telo deiicit. *ruens.* impetuosè decidens. *fertur Prom.* fabula eſt. Prometheus cùm ex limo hominem fingeret, ex omnibus animalibus particulas, prout erat eorum natura, homini appoſuit, à leone vim ſumtam ſtomacho, & ideo iracúdia magis accendimur: timorem depromſit à lepore; à vulpe aſtutiam: ceteráq. à reliquis. Ordo eſt: Prometheus coactus fertur addere principi limo particulam deſectam vndiq. & appoſuiſſe noſtro ſtomacho vim inſani leonis. *vndiq.* ex omnibus animalibus. *iræ Thyeſten ex. g. ἀπὸ παραδείγματος.* id eſt, ab exemplo impij oſtendit quàm ſit atrox ira & exitioſa hominibus. Atreus autem & Thyeſtes fratres fuerunt, qui quoniā in ſeditione alter alteri nocere non poterat, in ſimulatā redierunt gratiam: qua occaſione Thyeſtes cū fratris vxore concubuit: Atreus verò ei filium epulandum appoſuit: Quod ſcelus & ſol fugiſſe narratur. Virg. Nec tam auerſus equos Tyrias ſol iungit ab orbe. & Statius, & caliganteis abrupto ſole Mycenas. *vltime.* vſq. ad euerſionem. *Hoſtile arat.* hoc eſt, hæc eadem cauſa fuit delendis vrbibus. hæc enim conſuetudo olim ſæpe fuit, vt tam condendis quàm euertendis vrbibus aratro ſigna fierent. de condenda Virg. Interea Aeneas vrbē deſignat aratro. de euertenda Cic. in Philipp. vt vexillum tolleret, & aratrum circumduceret. *inſolens.* ira cōmotus. *compeſce.* noli iraſcendo me imitari quem pœnitet. *pectoris t. f.* me quoque, inquit, iracundia calore iuuentæ magis accenſa in Iambos incitauit. *dulci.* voluptuoſa. *celeres iam.* epitheton. ſic in Arte poëtica, Pes citus, vnde etiam trimetris accreſcere iuſſit nomen Iambeis. & eſt aptiſſimus ad maledicendum. Catull. at non effugies meos iambos. *furentem.* ira. *mitibus.* blandiēdo, id eſt, mutare iracundiam cupio. *recantatis.* recantari carmina dicuntur, cū contraria probris fiunt carmina in eum cui maledixerimus, & laude corrigūtur. *animumq.* hoc eſt, ſpem mihi redintegrandi amoris facias.

CRVQVIVS.

O *matre pul.* Ob amoris fortaſſe vitium maledicis Iambis amicam læſerat Horatius, quā vt ſibi reconciliet, ſe quidem peccaſſe fatetur, ſed amouet à ſe cauſam criminis, eámq. in iram tranſferens poſtulat vt ſibi venia detur, quando id non odio, non maleuolentia, ſed ardore iuuentæ fecerit, pollicetúrq. omnia ſe facturum: & ne vlla ſit poſtea mali ſuſpicio, eius arbitratu aut flammis aut aquis ſuos Iambos perditurum, eóſq. triſteis & infauſtos, in leneis & iucundos cōmutaturum, vt eam ſibi beneuolam paret; ſed ea lege hoc ait, vt ipſa quoq. deſinat maledicere. Interim, vt hoc fiat, & ab ira ceſſare velit, multis exemplis docet, quā ſit ira grauis rebus omnibus nec non exitialis. *O matre p.* exordium à commendatione formæ, per comparationem & exceſſum. *quem criminoſ.* Vltronea vindictæ conceſſio, per tacitam culpæ confeſſionem. *modum pones.* ponere modum non numquā eſt moderari, ſed hîc eſt præſcribere rationem, qua velit mordaceis Iambos aboleri. *criminoſis.* criminatione, indignatione, mordacitate plenis, hoc eſt peculiare epitheton Iambis, ὡς γὰρ, inquit Suidas, ὁ ἴαμβος ἐκ βραχείας καὶ μακρᾶς, οὕτω καὶ ἡ ὕβρις ἐξ ὀλίγου ἀρχομένη πρόεισιν εἰς μεῖζον. id eſt, vt Iambus ex breui & longa, ſic contumelia ex paruis initiis cœpta, procedit ad maxima. *non Dindym.* execratio iræ ab effectis, vt quæ mentem alienat, quod docet ab exemplis. Dindymene, Tellus, magna mater, bona dea, Ops, Cybele, Berecyntia, &c. eadem poëtis dea eſt. hinc Catull.

dea ma-

dea magna, dea Cybele, dea domina Dindymi. *adytis.* ex adytis. Alludit ad ſpecū Apollinis Delphici, vbi in machina, quæ tripos dicebatur ſpecu ſuperpoſita conſiſtens ſacerdos Pythia, dei ſpiritu afflata, reſponſa dabat conſulentibus. vide Diodorum in Philippo. adytum autē eſt locus arcanus, ἀπόκρυφον μέρος τοῦ ἱεροῦ Herodoto lib. 1. ἄσυλον, adytum Virg. locus in templo ſemotus à vulgo, intactus, ſacer; Adytum locus inacceſſus in templo, ἀπὸ τοῦ α, καὶ δύω, id eſt, ingredior; quaſi ſine ingreſſu. vide Cæſa. belli ciuil. lib. 3. ad finem. *non quatit.* per ellipſin, ita. *incola Pyth.* non arbitror hanc eſſe periphraſin Apollinis, ab vrbe Phocidis dicta Pytho, ſed Pythium hic dici incolam à mente ſacerdotis quā incolit in dandis oraculis, tunc enim mentem eius quatit, id eſt, mouet & cogit ἐνθουσιάζειν: aliâs minimè. Pythius autem Apollo dictus eſt, aut à Pytho Phocidis vrbe, aut ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, id eſt, à ſciſcitando oracula, vt vult Phornutus; aut à Pythone ſerpente interfecto. *non Liber equè.* quatit Mænades ſeu Bacchas ſacerdotes in celebrandis Orgiis. *Corybantes.* ſacerdotes magnæ matris. vide adag. κορυβαντιᾶν in Chil. Eraſ. Lucret. lib. 2. Tympana tenta ſonant palmis & cymbala circum concaua, rauciſonóq. minantur cornua cantu, & Phrygio ſtimulat numero caua tibia mentem. hūc legito. *triſtes vt iræ.* redditio comparationis. triſtes iræ ab effectu. *deterret.* quia furor eſt alienatæ mentis, nulla timet pericula nec humana nec diuina. *fertur Promet.* lepida παρέκβασις ad iræ demōſtrandam originem; quod figmentum videtur prorſus Horatianum ad imitationem fortaſſis Heſiodi, qui Vulcanum fabulatur iuſſu Iouis Pandôram eo ferè modo è luto formaſſe, inſtructam variis immortaliū donis & artibus ad decipiendum Epimethea. *vim.* furorem, iram immoderatam. *ſtomacho.* τῇ καρδίᾳ ἡμῶν. *ſtetere.* extitere, fuere. ſimplex pro compoſito. *imprimeretq.* vt aratro vrbs condebatur, ſic aratro diruebatur. Qui vrbem, inquit Cato, nouam condit, tauro & vacca aret; vbi arauerit, murum faciat; vbi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat & portet, vt portam vocet. *inſolens.* glorioſus, Plauto interprete, ἀλαζὼν στρατιώτης, miles glorioſus. Comœdia. *compeſce men.* δίνησις. precatur vt iraſci deſinat, ab exemplo ſuo, conferens iræ cauſam in adoleſcentiæ feruorem. *nunc ego.* διόρθωσις διὰ παλινῳδίας. *dum mihi fias re.* id eſt, dūmodò tu quoq. recantes & mitiges opprobria conuiciáq. de me ſparſa, & iterum fias amica: ęquum eſt enim ſi cupiat Horatius lætis mutare triſtia, vt ea quoq. pari ſtudio ponat iram deſinátq. maledicere; vtq. Theocriti verbis vtar, ἀλλήλους φιλέωσι ἴσῳ ζυγῷ, id eſt, ſe mutuo ament pari iugo. vero namq. eſt conſentaneū, eam mente proterua multis iniuriis laceraſſe nomen Horatij, & fortaſſe grauioribus quàm ſuis eam Iambis Horatium, vt ſunt impotentes mulieres. Ceterùm hic ab aliis enarratoribus diſſentire me ſcio, hoc poſtremum παλινῳδεῖν adſcribens amicæ, non etiam Horatio, vt qui dixit, nunc ego mitibus mutare triſtia, ſed addit hanc legem, dummodo fias amica recantatis opprobriis, id eſt, tu quoq. recātes in me ſparſa cōuicia, mutatáq. ſentētia me redames. Iudicēt docti.

AD TYNDARIDEM.

Ode XVII. παραινετική.

Velox amœnum ſæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, & igneam
Defendit æſtatem capellis
Vſque meis, pluuióſque ventos.
Impunè tutum per nemus arbutos
Quærunt latenteis, & thyma deuiæ
Olentis vxores mariti:
Nec virideis metuunt colubros,
Nec Martialeis hædiliæ lupos:
Vtcumque dulci Tyndari fiſtula
Valles, & Vſticæ cubantis
Leuia perſonuere ſaxa.
Dij me tuentur: Dijs pietas mea,
Et Muſa cordi eſt. hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Heic in reducta valle, Caniculæ
Vitabis æſtus, & fide Teïa
Dices laboranteis in vno
Penelopen, vitreámque Circen.
Heic innocentis pocula Lesbij
Duces ſub vmbra: nec Semeleïus
Cum Marte confundet Thyoneus
Prœlia: nec metues proteruum
Suſpecta Cyrum, ne malè diſpari
Incontinenteis iniiciat manus,
Et ſcindat hærentem coronam
Crinibus, immeritámque veſtem.

COMMENTATOR.

Velox *amœnum ſæpe.* Metrum dicolon duobus verſibus Alcaicum, Tertius dimeter Iambicus hypercatalectus, Quartus Pindaricus.

Scribit autem ad Tyndaridem parænetice de laudibus agri Sabini, cui vt ſatisfaciat inuitat in fundum ſuũ quẽ in Sabinis habebat. *Lucretilem.* Hypallage. ad hunc modum ſcripſit Virg. Chaoniam pingui glandẽ mutauit ariſta. eſt ergo ſententia, Lucretili permutat Lycæum. Lucretilis autem mons eſt in Sabinis. *igneam.* feruidam. *defendit eſt.* remouet æſtus & prohibet. ſic, Solſtitium pecori defendite. *vſq.* ſemper, continuè. *pluuióſq. ventos.* frigora. pluuioſos, tempeſtuoſos *impunè* ſine dãno, ſine periculo. *arbutos.* Virg. dulce ſatis humor, depulſis arbutus hædis. *deuiæ.* errantes, paſcentes. vt, rara per incultos errant animalia monteis. *olentis.* fœtentis. vt, allia ſerpyllúmq. herbas cõtundit olenteis. &, graue olentia Centaurea. *vxores.* ἀκυρολογία. Virg. vir gregis ipſe caper deerrauerat, &, quem legere ducem & pecori dixere maritũ. *Martialeis.* Martis tutelæ dicatos. Virg. Martius à ſtabulis rapuit lupus. *hædiliæ lu.* hœdulorum ſepta. metony. continens pro contento. *vtcumq.* quandocumq. aut quotieſcumq. ordo eſt: ô Tyndari vtcumq. perſonuerunt valles, & leuia ſaxa cubantis Vſticæ dulci fiſtula, nec metuunt virideis colubras, nec hœduliæ metuũt Martialeis lupos. Faunus enim in honorem mei tuetur. *Vſtica.* nomen montis & vallis in Sabinis: eum autem cubantem ſuauiter dixit, ad reſupinam regionem attendens. ſic & in Epiſt. Continui montes, niſi diſſocientur opaca valle. *cubantis.* depreſſæ. vt, Megaróſq. ſinus, Tapſumq. iacentem. *leuia.* leuigata, plana. vt, Elicit illa cadens raucum per leuia murmur ſaxa ciet. &, tuta inde è leui rimoſa cubilia limo vnge fouens circum. *pietas m.* iuſtitia & carmen meũ diis placent. *ad plenum.* abundanter. *benigno cor.* largo dono terræ. ordo eſt, hinc tibi manabit ad plenum opulentia copia benigno cornu, id eſt copioſo & diuite. *hinc.* ex agro Sabino. *manabit.* abundabit. *rurum hono.* frugum terræ. *cornu* metaph. à cornu Fortunæ, quod Hercules detractũ Acheloo victor dicitur donaſſe Fortunæ, quod vulgó cornu copiæ dicitur, quo dicitur diuitias Fortuna conſueſſe largiri. *reducta.* ſecreta, refrigerata. vt, penitúſq. in valle reducta. *Caniculæ.* Sirij ſtellæ in ore Caniculæ, afferentis nimios calores. vt, findit canis æſtifer arua. *fide Teia.* lyrica, ſeu fidibus lyricis. Teia autem dicta eſt à Teio Anacreontis poëtę lyrici oppido, quod in Paphlagonia eſſe Salluſtius indicat, cũ de ſitu Pontico loquitur. Horat. in Epodo, Anacreonta Teium. fides autem dicuntur chordę, vnde & fidicinas Comici dicunt cithariſtrias. Repromittit ergo amicæ in agello ſuo ſe lyricum carmen decantaturum. *dices.* cantabis cithara. *vno.* Vlyſſe laboranteis aniore. *vitreámq. Cir.* pulchram. metaph. ab aquis. *innocentis.* lenis vini, & minimè caput lædentis. *Lesbij.* à loco, ab inſula Lesbo. Virg. quã vt Methymnæo carpit de palmite Lesbos. *Semeleius.* Matronymicum à Thyone, quæ & Semele dicta eſt, mater Liberi patris. ſenſus autem eſt, nõ ſunt per vini potationem futuræ inter nos rixæ. *diſpari.* tibi in amore non conſentienti. *incontinenteis.* petulanteis propter amorem. *hærentem.* conuenientem. *veſtem.* pro ornatu muliebri. Virg. collóq. monile baccatum, & duplicem gemmis auróq. coronam.

CRVQVIVS.

VElox amœnum. Sibi Tyndariden amicam cupit adeſſe in agro Sabino, eóq. multis eam argumentis inuitat. In primis à præſentia Fauni, quo numine dicit ea loca tuta eſſe, cùm ab iniuria cæli, tum ab infeſtis noxiíſque feris: deinde ab innocentia ſua diis grata: nec non ab agrorum fecunditate amœnitatéque. Poſtremo cũ hilaritate pollicetur omnem ſecuritatem, non ſine nota Satyrica Cyri cuiuſdã eius fortaſſe mariti moroſi. *velox.* Epitheton Fauno diiſq. Satyris accommodum, à caprarum veloci, & irrequieto curſu ſaltúq. finguntur enim Satyri pedibus caprinis. *Lucretilem.* fuit autem Lucretilis mons in Sabinis inter eos monteis quos Farfarus fluuius alluit, in cuius valle amœniſſima, multíſq. arboribus opaciſſima villã habuit Horatius, cuius ſitũ deſcribit epiſt. 16. lib. 1. ad Quinctium. *Lycæo.* Lycæus mons eſt in Arcadia Pani ſacer: pro quo Arcadico deo ſatis libidinoſo, verecundè Faunum Italum numen poſuit inquilinum & ſuæ gentis ſtudioſum: cum quo & Pico dæmone Numam verſatum ſcribit Plutarchus in eius vita. hoc autem facit Horatius, quò Tyndari citius perſuadeat vt ad ſe veniat. Securius enim diis cognitis, & inquilinis quàm exteris ſe committere credidit antiquitas. *igneã eſt.* ad ortum caniculæ. *pluuióſq. v.* notum ventum pluuioſum, & cum tepore humoris, non pecudibus modò, ſed omnibus etiam corporibus peſtiferum in autumno præſertim. *colubras.* ſic habent 4. Bland. cũ Diuæi & Maldeg. Siluiſq. nec mutare volui propter antiquitatem. *hæduliæ.* Hærent hic omnes enarratores. Aldus inter primos, cuius cõmentum mihi relatu nimis eſt prolixum: Deinde Glareanus in ſuis adnotationibus. at Lamb. etſi nuſquam repertam probat tamen hanc lectionẽ, admonitus, vt ſcribit, ab Aurato, qui ſagaci profectò iudicio (vt qui vir eſt in omni ſcriptorũ genere verſatiſſimus) ſuſpicatus eſt legendum eſſe hœdulij, vt ſit ὑποκοριστικὸν ab Hœdulus. at Lambinus tamen mauult hœduliæ, eò quòd in ſcriptis ferè omnibus offenderit hœdiliæ, vt & ego quoq. in meis, præterquã in duobus Bland. in quibus lituræ ſunt indicio manifeſto

prius

prius ſcriptum fuiſſe hœduliæ, & priorem pediculum litteræ u. mutatum in d. ab eo qui hœdilia quidem ab hœdo, non etiam hœduliæ ab hœdulo deriuari poſſe didicerat, vel audierat. Quæ temeritas barbari ſęculi in immutandis cùm litteris ſcriptorum codicum, tum ſyllabis peruertēdis, quantum detrimenti intulerit litteris & diſciplinis liberalioribus, magis hoc deprehenditur ab omnibus, quàm ab aliquo vel reſtitui pro dignitate vel corrigi poſſit: non enim dubito quin hæc fuerit antiqua & genuina lectio; eáq. vox hœdulia per primā flexionem tam fuerit olim vſitata, quā hœdile per tertiam. Quod & Nonius de colubra & colubro ſatis oſtendit. Hœduliæ itaq. id eſt, hœdulorum ſepta, non metuunt colubras, per metonym. pro hœdulis. *vtcumq. dulci.* fingit Horatius hic Pana (quē Faunum nominat vt ſuprà diximus) agri Lucretilis eſſe quaſi Deū ἀποτρόπαιον hoc eſt, auerruncanum, ſeu mali cuiuſcumq. propulſatorem, & omnis boni auctorem tutelarémq. adeo vt vbicumq. ad ſonitum eius fiſtulæ ſuauē, montes & valles reſonarent, hoc eſt, vbicumq. lupi, colubræ, ceteræq. ſilueſtres feræ eius numen præſentiámq. ſentirent, derepentè fugerent, liberámq. pecudibus & innoxiam paſtionem relinquerent. *dij me tut.* ἀντιλογία, cur apud Lucretilē ei ſint omnia tuta, ab innocentia deorúmq. cultu, & Muſarum ſtudio. *ruris honorum.* ruris honores appellat ruri naſcentia. laus agri à fecunditate. *reducta valle.* laus ab opacitate. *dices laborantem.* cantabis amatoria. Hellenismus, πονοῦμένους, παρὰ τὸ πονεῖν. Neſcio an coniiciam alludere ad Anacreonticum carmen amatorium de contentione amoris in Vlyſſem Penelopæ & Circes, quarum illa quidem Telemachum ex Vlyſſe, hæc verò Telegonum peperit. *innocentis p.* quia vina Lesbia erant tenuiora, adeò vt Alexis apud Athenæ. lib. 1. non οἶνον, ſed οἰνάριον, id eſt, vinulum Lesbium nominet, cui Bacchum ait tribuere ἀσύλειαν, id eſt, immunitatem, ſiue innocentiam. *duces.* aliud r ad illud Anacreontis πιὼν ἀμυστὶ hoc eſt, vno ſpiritu exhaurire pocula, ἀμυστίζειν, ſine reſpiratione bibere, drincken ſonder ſnupven *Thyoneus.* Bacchus, à Θυώνη, id eſt, Semele, παρὰ τὸ θύειν καὶ ὁρμᾶν καὶ μαίνεσθαι, id eſt, ſacrificando, irruendo, & inſaniendo: pollicetur nulla ſanguinolenta inter ipſos futura prœlia, etiā ſi hauriant amyſtida poculum, ſine interſpiratione, quando vina Lesbia ſua lenitate, ſi fortaſſe Venerem petulantiorem, non Martem tamen prouocent. *proteruum.* procacem, ferocem ob ſuſpicionem amoris alterius. *Cyrum.* hunc propter ſequentia, non temere dixerim maritum ſignificari, cum quo Tyndari non bene conueniebat, vt indicant ea verba malè diſpari, id eſt, valde diſſentienti: quis enim in amores non ſuos & proprios ita ſæuiat impunè vt vim faciat apertam? Diſparitatem autem inter Cyrū & Tyndariden cenſuerim in natura, ingenio & moribus: Cyrum nimirum, parcum, durum, ferocem fuiſſe, p ancq. Stoicum: Tyndaridem verò, lepidam, liberalem, candidam, & genialem atq. hanc eſſe cauſam diſſidij, nam diuerſos mores, diuerſa ſtudia ſequuntur. *coronam.* vide oden 4. ſuprà, ibi, flore quem ferunt.

AD QVINTILIVM VARVM.

Ode XVIII. παραινετικὴ καὶ πραγματική.

NVLLAM Vare ſacra vite prius ſeueris arborem
Circa mite ſolum Tiburis, & mœnia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus propoſuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines.
Quis poſt vina grauē militiā, aut pauperiē crepat?
Quis nō te potius Bacche pater, teq; decēs Venus?
At, ne quis modici tranſiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero
Debellata: monet Sithoniis non leuis Euius:
Cùm fas, atque nefas exiguo fine libidinum
Diſcernunt auidi. non ego te candide Baſſareū
Inuitum quatiam: nec variis obſita frondibus
Sub diuum rapiam. ſæua tene cum Berecyntio
Cornu tympana: quæ ſubſequitur cæcus amor ſui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcaniq; fides prodiga, perlucidior vitro.

COMMENTATOR.

NVLLAM *Vare ſacra vite.* Metrum monocolon Choriambicum ex ſpondeo, tribus Choriambis & Pyrrhichio ſiue iambo. Scribit ad Quintiliū Varum fidum ſibi amicū, laudans vinum Tiburtinū, & ſuadet vbi cōpetens tempus eſt, vt nullā arborē priuſquā vitē ponat. *prius.* potius, melius. *ſeueris.* plantaueris, poſueris. *mite ſolum.* fundum excultum. Virg. ea nec manſueſcit arando. *Catili.* ſuprà oſtenſum eſt Catilū & Coracem fratres eſſe Tiburni, cuius nomine Tibur conditum eſt. *ſiccis.* ſobriis, ieiunis, vino abſtinentibus, ſine quo rarò eſt lætitia. vt. adſit lętitię Bacchus dator, & bona Iuno. *mordaces al.* curæ, quæ mentē mordeāt & cruciēt. vt, hic tibi fabor enim, quādo hæc te cura remordet. *crepat.* cōmemorat, quod ſine vino nō ſolet. *Bacche pater.* ſup. crepat & laudat. *decēs Venus.* decora. Bacchus enim & Venus cōuiuiis aptiores ſūt & voluptatib⁹. vt, ſine Cerere & Baccho friget

friget Venus. *at ne quis mod.* moderati, parcè & moderatè bibiti. *Centaurea.* ne quis, inquit, unmoderatè bibat, exemplo ſunt Lapithæ & Centauri, qui in conuiuio Pirithoi hac ebrietate pugnam contraxerunt. Virg. Bacchus & ad culpam cauſas dedit ille furenteis, Cẽtauros leto domuit, Rhœcúmq. Pholúmq. & magno Hylæum Lapithis cratere minantem. ordo eſt: Centaurea rixa ſuper mero debellata cũ Lapithis, monet ne quis tranſiliat munera modici Liberi, & Euius non leuis Sithoniis monet. *ſuper mero.* propter vinum. vt, nec ſuper ipſe ſua molitur laude laborem. *Sithoniis.* Thracibus. vt, Sithonio Aquiloni. hi per vinolentiam etiam ad illicita ruunt. *non leuis.* litote, acſi diceret grauis & iratus. *fas atq. n.* licitum & illicitum. *exiguo fine.* nulla differentia, nullo diſcrimine. hinc Iuuenal. Inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit. *auidi.* in luxuriam proni propter ebrietatem. *Baſſareu.* Baſſareus dictus eſt Liber pater, à genere veſtis Baccharum: vnde & Bacchę, Baſſarides dictæ. Perſ. Baſſaris & lyncem, &c. Baſſaris enim genus veſtis eſt ad pedes vſq. demiſſæ. dictę à Baſſara loco Lydię vbi fit. Tali enim & numina vti volũt. vt, & pedes veſtis defluxit ad imos. & vera inceſſu patuit dea. *inuitum quat.* vltra modũ non bibam, non plus bibam quàm oportet. aut certè, inuitum quatiam ideo dixit, quia in ſacrorum renouatione commouebantur ſacra. Virg. qualis commotis excita ſacris Thyas vbi audito ſtimulant Trieterica Baccho Orgia. *ſub diuum rap.* non proferam in publicum myſteria tua, latentia alioquin & ſecreta. ſed per allegoriam hoc videtur dicere, ea quæ fidei meæ commiſſa ſunt, numquam ego ebrius factus prodam. *ſæua tene.* reprime. precatur autem Liberum, vt à ſe remoueat furoris incitamenta, quæ ipſa ſe ad inſaniam accendunt. *Berecyntio.* Phrygio. Berecyntus enim mõs eſt Phrygiæ. *quæ.* tympana. *cæcus amor.* propter ebrietatem inflatur animus, & ſe ipſum nemo cognoſcit. Cæcus epitheton eſt amoris perpetuum. vt, vulnus alit venis, & cæco carpitur igni. &, cæci ſtimulant auertere amoris. *attollens vacuum.* eleganter, quia ex ebrietate pleriq. ſibi plus arrogant quàm debent. vt & alibi, tu ſpem reducis mentibus anxiis viréſq. & addis cornua pauperi, &c. *vacuum.* vanum, plus ſibi arrogãdo quã oportet. *plus nimio.* plus iuſto. *prodiga.* perfida, & quæ cõmiſſum prodit arcanum. *perlucidior vit.* omnia laudans, ſicut per vitrum omnia videntur.

CRVQVIVS.

NVllam Vare ſacra. Quod Varus aut immodico litterarum ſtudio in ſe durior, aut nimia reipublicæ cura ſe cõficeret, vitis plantandæ commendatione cum monet amicè ad moderatũ vini vſum, quòd id vt modicè ſumtũ cũ hilaritate ſollicitudines abigit, vitæq. omne tædium diſcutit, ita immoderatius hauſtum furorem concitat, mẽtẽq. hominis alienat, eúmq. perdit funditus: quod docet exemplo Lapitharũ & Scytharum poſt pocula inſanientiũ. *Nullam Vare.* Expreſſit illud Alcæi apud Athenæ. μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω, id eſt, nullam aliam plantaueris arborem prius vite. *mite ſolum.* à natura ſoli. Mite autem ſolum Plin. lib. 17. cap. 5. ex Catone nominat terram teneram, quæ pulla vocatur, quæ temperatæ eſt vbertatis, mollis faciliſq. culturæ, nec madida nec ſitiens, poſt vomerem niteſcens, &c. *mœnia Catili.* omnes ſcripti codices habent Catilli, per l. geminatum, quemadmodum Virg. Catillúſq. acérq. Corax, &c. vter autẽ rectius, an ille per Epentheſin, an hic per Syncopen, videat lector. *ſiccis omnia nam d.* αἰτιολογία ἐνθυμηματικὴ ab effectis contrariis: Sobrietas enim triſtitiam parit & ſollicitudines: vſus vini moderatus inducit lætitiam, curáſq. propellit. *dura d. pro.* hoc eſt, ita natura comparatum eſt, in rebus quidem ipſis vt ſiccitatem comitetur durities, & mollities humorem: In corporibus verò humanis, ſiccus animus difficilis eſt, moroſus, triſtis, & grauis: vino madidus, facilis eſt, placidus, lætus & hilaris. *mordaces.* μελεδῶναι, αἳ τὰ μέλη ἔδουσαι φροντίδες, hoc eſt, curæ corpus abſumentes. hinc apud Sapientem Prouerb. 17. animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. *quis poſt vina.* ἐρώτημα ab effectis ἀποστροφίας ad confirmationem enthymematis. *poſt vina.* ad hilaritatem ſumta. *militiam à paup.* militiam & paupertatem generatim, pro ſummo quouis malo, maximéq. omnibus execrabili poſuit, eò quòd animus vino rigatus incaleſcénſq., nulla mala vitæq. incõmoda meminit, nihil enim quàm optima quæq. meditatur, feliciſſimáq. ſibi proponit & loquitur, quod notat hæc vox *crepat*, quæ ſine vllis lituris eſt integra in 4. Bland. ſic Lucret. ad finem lib. 2. laudat fortunas ſæpe parẽtis & crepat, hoc eſt, ſemper in ore habet. metaph. vide Noniũ. *quis non te p. Bac. p.* ſup. crepat & prædicat. *at ne quis.* ἀποτροπή. diſſuadet immoderatam vini potationem ab exemplo. *Centaur. monet.* Centauri Theſſaliæ populi παρὰ τὸ κεντᾶν τοὺς ταύρους dicti, quòd tauros ſtimularent. *Lapithis.* Lapithæ Theſſali, à quibus fugati & cæſi fuere Centauri, quòd in nuptiis Pirithoi vino incaleſcentes & ebrij nouam nuptam Hippodamiam rapere ſint auſi. Ouid. 2. amor. femina ſilueſtreis Lapithas, populúmq. biformem turpiter appoſito vertit in arma mero.

lege

lege Palęphatum. *diſcernunt.* duo cod. Blan. habēt diſcurrunt, quod non planè ineptum videri poterit, ſi interpretabimur diſcurrere metaphoricôs, pro leui quodam brachio, vt aiunt, præterire, perquirere, examinare, *διαδιδράσκειν*: quod ebriorū eſt. ſed videat lector doctus. *non ego te cand. Baſſa.* alludens ad ſacra Baſſarica ſiue Orgia, *κατ' ἀποστροφὴν*, pollicetur ijs ſacris ſe inuito Deo numquā interfuturum, hoc eſt, non bibiturum pluſquam ſatis eſt, niſi in *ἀρχιποσίᾳ* fortè cogatur ad æqualeis calices: iccirco ei abblāditur, vt ſe inter potādum à furore tutum præſtet; ô candide, inquiēs .i. ô bone Baſſareu &c. deſcriptionē autē Baſſaridū Bacchi comitum in celebrandis Orgiis, vide apud Ouid. lib. 3. Metamor. Bacchum autem dictum Baſſareum ſcribit Commentator à genere veſtis Baccharum &c. vnde Baſſara, Baſſaris, idos, Baccha ſacerdos Bacchi. Euſebius Baſſaram lyncis pellem nominat. Quid ſi Doricôs *ἀπὸ τῦ Ὕσια*, Bœotorum vrbe venire dicamus? aut potius *ἀπὸ τοῦ βήσσα*, id eſt, ſaltu, ſilua &c. vnde Doricè *βασσαρίω*, per ſaltus, ſiluas, campos, monteis diſcurro, vagor: vnde Baſſareus nominatus Deus, quando diuino eius furore agitati ſacerdotes Orgia celebrāt. *variis frondibus.* multis pampinis operta tectáque. *cæcus amor.* hi tres ſunt ebrietatis comites, *φιλαυτία, μεγαλαυχία, ἀπιστία*. *φιλαυτία* autem duplex eſt, hæc quidem *ἐπαινουμένη*, illa verò *ψεγομένη*. Ariſtot. 9. Ethicorū. hinc illud eſt Cic. in epiſt. niſi me communis *φιλαυτία* decepit. Eraſ. in Chil. *& tollens.* ſic omnia ſcripta. *vacuum verticem* caput inane, temerarium, ſine vlla prudentia. Synecdo. hinc vulgo dicitur, caput cerebro vacuum, homo incōſultus & imprudens. & ſic corpus ſine pectore, hoc eſt, ſine ſapientia, homo inſipiens.

DE GLYCERA. SE EIVS amoribus vti.

ODE XIX. ἐρωτική.

MATER *ſæua Cupidinum,*
Thebanaq́; iubet me Semeles puer,
Et laſciua licentia
Finitis animum reddere amoribus.
Vrit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore puriùs:
Vrit grata proteruitas.
Et vultus nimium lubricus adſpici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deſeruit: nec patitur Scythas,
Et verſis animoſum equis
Parthum dicere: nec quæ nihil attinent.
Heic viuum mihi ceſpitem, heic
Verbenas pueri ponite, turáque
Bimi cum patera meri.
Mactata veniet lenior hoſtia.

COMMENTATOR.

MATER *ſæua Cupidinum.* Metrum dicolon, primo verſu Glyconicum, ſecúdo Aſclepiadeum. ait ſibi renouari amorē Glyceræ, Veneris & Bacchi inſtinctu: idq́ue fieri nimia indulgentia, licētiáque. vnde Terent. omnes deteriores ſimus licētia. *ſæua.* crudelis. Virg. Crudelis tu quoque mater. ſic, Sęuus amor docuit natorum ſanguinē matrem commaculare manus. & alibi, vi ſuperū ſæuæ memorem Iunonis ob iram. Stat. Maternis ſæuus in armis. *Semeles.* Semele nomen eſt matris Dionyſij. *puer.* Dionyſius qui Thebis colitur. *laſciua lic.* otium quod ſemper in laſciuiam ſoluitur. *finitis.* neglectis & alienatis à me, denuò ijſdem incitari. *Glyceræ.* nomen amatæ puellæ. *ſplendentis Par.* Parius lapis candidiſſimus, ex quo ſigna multa fiunt. propterea Niueamq́ue Paron dixit Virg. Eſt autem nomen à loco *purius.* clarius. vt, ſtabūt & Parij lapides ſpirantia ſigna & alibi, argentum Pariúſue lapis circumdatur auro. *vrit.* ἐρωτικῶς. incendit: quia plerumque ipſa ſuperbia ac faſtidium mulieris, eam magis amatori commendat. Virg. Carpit enim vireis paullatim, vritq́; vidēdo femina. *grata proter.* aſperitas, procacitas, impudentia, quæ amantibus nonnumquam grata eſt. *lubricus aſpici.* aſpectu. mirè dictum: vultus enim cùm aſpicitur, in libidinem proclиueis facit viros. *Cyprum deſ.* Cypro inſula relicta, vbi Venus colitur, me totum occupauit. *nec patitur.* non ſinit me canere prœlia. dicit autē amore Veneris ſe & deliciis occupatum ſcribere bella non poſſe. *verſis.* verſis in fugam. ſic, & miſſam Parthi poſcunt in terga ſagittam. *quæ nihil att.* nihil pertinent ad amorem & Venerem. vt, Quin tu aliquid ſaltem potiùs quorum indiget vſus viminibus mollíque paras detexere iunco. *viuum mihi c.* altare factum de ceſpite viuo. *verbenas.* herbas ſacras. vt, verbenáſque adole pingueis, & maſcula tura. &, ex ara hinc ſume verbenas tibi. Verbena autem eſt herba virens. bene certè verbenas, ceſpitem, & tus requirit, quia Venus non placatur ſanguine. Virg. tum Venus; haud equidem tali me dignor honore. Itē, centumq́ue Sabæo ture calent aræ, ſertíſque recentibus halant. *mactata.* ordo eſt: Glycera veniet lenior, id eſt, manſueſcet, mactata hoſtia, id eſt,

facto ſacrificio: eam namque proteruam ſuprà dixit.

CRVQVIVS.

MATER *ſeua Cupidinum.* Ad gratiam Glyceræ ſingulariter demerendā, fingit Horatius ſe vel inuitum à tribus dijs potentiſſimis, Venere, Baccho, & Laſciuia ad certos amores cogi, nec ad multos pro arbitratu euagari poſſe: Quare Glyceram in primis admirari, eiuſque pulchritudine ita ſe incendi, oculorumque lubricitate rapi prædicat, vt nihil aliud cogitet, nihil agat aliud vel ipſius impulſu Veneris, quàm ſibi ſemper adeſſe velit. Quod vt fiat, ipſáque ei lenior adſit, omnia pueros parare iubet quę ad eam propitiandam facere poſſunt. *ſeua.* quod miris modis in amoribus crucientur amantes. *Cupidinum.* propter multos in amoribus & varios affectus, multi dicuntur eſſe cupidines, vt habet Phornutus. καὶ πλείους, ἴϛη δὲ ἔρωτες παραδίδονται διὰ τὴν πολυτροπίαν τῶν ἐρώντων, καὶ τὸ πολλοὺς πείθεις ὀπαδοὺς κεχορηγεῖσθαι τὴν ἀφροδίτην. id eſt, plures traduntur amores propter amorum varietatem, & multos eiuſmodi aſſeclas qui Venerem comitantur. tales autem ſunt, ludus, iocus, ſaltus, oſcula, cantus &c. rurſus amant iuuenes, amant viri, ſenes, puellæ, mulieres &c. *Thebanęq;* periphraſis Bacchi, qui primum ex Semele Thebani regis Cadmi filia, deinde ex femore Iouis natus fertur à Poëtis. Vide Apollodo. lib. 3. *iubet.* vult, cogit atque imperat. quinque codices ſcripti habent, *iubent & Semele. laſciua l.* ἀσέλγεια, ἀσωτία. laſciuia, luxus, comiſſatio. &c. *finitis a.r.a.* definitis, certis & conſtantibus. quod dicit, Glyceræ in amorem ſui pelliciēdi gratia: quòd ei gratius id fore intellexerat. Non me latet alios hunc locū enarrare, ita vt reddere animum finitis amoribus, eis ſit, ad amores neglectos redire. Verùm quod Glyceram inter alias deligat, alia ſententia mihi probatur magis: ſed libera ſit vnicuique ſua. *Vrit me Gly.* certi amoris ſignificatio ἐμφατικῶς κατ' ἐξοχὴν. *grata proterui.* cum eo conſentit Ode 9. aut digito malè pertinaci. *proteruitas.* πεγχίτεια, tam in lingua quàm moribus. *vultus n.l.* ſynecd. pro oculis mobilibus & petulcis. eſt autem Helleniſ. *vrens Venus.* alludit ad pulchritudinem & decorem Glyceræ. *Cyprum deſeruit.* videtur alludere ad hoc Alcman. κύπρον ἱμερτὰν λιποῦσα, καὶ πάφον περίρρυταν. id eſt, Cypro relicta placida, & Papho circumflua. *& verſis ani.* tres Bland. cod. habent, auerſis; quod per aſyntheton mihi videtur aptius. Sed quid hic conqueritur ſibi per amorem deſcribere prœlia nō eſſe integrum, quando multis alijs in locis hoc ſibi neget à natura datum? an hoc in Auguſti laudem, cui à Parthis erepta M. Craſſo, & M. Antonio ſigna militaria vltro tunc fortaſſe remiſſa ſunt? *attinent.* vnus cod. Bland. habuit attinet, quod litura indicat. *verbenas.* de verbena lege quæ ſcripſimus lib. 4. cap. 11. *bimi.* veteris atque optimi. *mactata.* Commentator, Venus, inquit, non placatur ſanguine, interpretaturque mactata hoſtia, id eſt, facto ſacrificio. Certum eſt, apud prius ſęculū incruenta omnia fuiſſe ſacrificia, herbáſque & fructus manu decerptos pro holocauſto diis oblatos, eorumque fumo & exhalatione litatum: quod & Pythagoras cenſuit, & Lycurgus apud Lacedæmonios inſtituit: verùm progreſſu temporis etiam cruenta ſacrificia in vſu eſſe cœpere. Veneríque, vt aliis diis, apud Tuſſas in Aegypto, vbi Venus cornuta colebatur, etiam vaccam; & in Nitriotica præfectura ouem immolatam eſſe. Sed & columbam Veneri ſacram eſſe conſtat: quam mactandam hic fortaſſe ſignificat, tùm laſciuiæ cauſa, vnde περιστερὰ παρὰ τὸ περισσῶς ἐρᾶν dicta eſt, quòd ſupra modum det amori operam: tùm vt conſtans & certus ei cum Glycera ſit amor, ex opinione Theologorum.

AD MÆCENATEM.

ODE XX. προσφωνητικὴ καὶ πραγματική.

VILE potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipſe teſta
Conditum leui, datus in theatro
Cùm tibi plauſus,
Care Mæcenas, eques: vt paterni
Fluminis ripa, ſimul & iocoſa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubum, & prælo domitam Caleno
Tu bibes vuam: mea nec Falerna
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

COMMENTATOR.

VILE *potabis modicis Sab.* Metrum Sapphicum hendecaſyllabum. Męcenatem inuitat ad cōuiuium, excuſans ſuam mediocritatem, promittenſque ei vinum Sabinum vile. Sed quod in amphoram miſerat, vt contraheret aliquid ſuauitatis; quod à ſe factum dicit eo tēpore quo ille in Theatro à

tro à populo laudabatur. *Vile.* minoris pretij. Virg. Si verò viciamque ſeres, vilemque faſelum. &, vilibus aut onerat pomis. aut vile ſcilicet tuo palato. ordo eſt: Care Mæcenas eques potabis vile Sabinum modicis cantharis, quod ego ipſe leui conditum Græca teſta, cùm datus eſt tibi plauſus in Theatro, vt ripæ paterni fluminis, ſimul & iocoſa imago Vaticani montis redderet tibi laudes. *Græca teſta.* amphora. *modicis.* paruis. *cantharis.* poculis. *leui.* ſignaui: contrarium eſt releui, id eſt, reſignaui, aperui, vt Terent. releui omnia dolia, omneis ſerias. *Mæcenas eques.* conſtat Mæcenatem in equeſtri dignitate manſiſſe ſua voluntate, dum ei facultas fieret ad altiora conſcendendi. *paterni.* propter patriam eius Tuſciam, vbi Tiberis oritur. Virg. quæ Tuſcũ Tiberim & Romana palatia ſeruas: Nam & Porſenæ dicitur fuiſſe propinquus. *iocoſa im.* Echo. Virg. ſaxa ſonant, vocis offenſa reſultat imago. *Vaticani.* Vaticanus mons nõ longè abeſt à Theatro Pompeij, quem cum ripis Tiberis ſimul reſonuiſſe memorat ad plauſum populi datum: clari namque viri & populo grati in Theatro & publicis ſpectaculis excipi ſolebant magno populi plauſu & acclamatione: contrà, improbi & mali exſibilari. *Cæcubum.* vinum Campaniæ regionis. *vuam.* metonym. pro vino. huic contrarium Plautus in Trinummo vinum pro vua poſuit. illud vinũ priuſquam coctum eſt, pendet putidum. *domitam.* preſſam. *nec Falernæ t. v.* indicat nec Falernum ſeſe habere, quod ei propinet, nec Formianũ, quæ illis temporibus fuere nobiliſſima. *vites.* metony. vina optima & probatiſſima. Virg. Rhętica nec cellis ideo contende Falernis. *Formiani.* à Formiis deriuatiuum.

CRVQVIVS.

VILE *potabis modicis.* Mæcenas iturus in Apuliam ſignificauit Horatio, ei ſe ante profectionem conuiuam eſſe velle: cui reſpondet Horatius, ſe quidem non habere vinum generoſum, ſed benigno tamen animo ei exhibiturum vinũ quod habebat Sabinum. De profectione in Apuliam mentio fit in Diuæi codice. *vile.* vulgare. alludit ad τὸ οἰνάριον, id eſt, vinulum, quod ſecundarium ſeu deficiens vertit interpres Pollucis. Nam de vinis Italicis ex ſententia Athenæi lib. 1. πάντων δὲ τούτων ὁ σαβῖνος κουφότερος, ἀπὸ ἐτῶν ἑπτὰ ἐπιτήδειος πίνεσθαι μέχρις πέντε καὶ δέκα. id eſt, inter hæc omnia Sabinum leuius eſt, ab annis ſeptem potui aptum ad annum vſque decimũ ſeptimum. de Sabinis coll'ibus in quibus crudum auſterumque vinum naſcitur, videto Plin. lib. 14. cap. 2. & de Vinaciola vua cap. 3. *cantharis.* Cantharus poculi genus eſt capacioris, vnde eſt illud Epigenis apud Athen. lib. 11. ἀλλ' οὐδὲ κεραμεύουσι νῦν τοὺς κανθάρους, ὦ τάλαν, ἐκείνους τοὺς ἁδρούς, πεπονικὰ δὲ καὶ γλαφυρὰ πάντες ὥσπερ αὐτὰ τὰ ποτήρια, ἐν τοῖ οἶνον πίομαι. hoc eſt, non fingunt nunc cãtharos, ô miſer, illos capaces, ſed modica & ornata omnes quaſi ipſa pocula, non vina bibenda ſint. Eſt autẽ Cantharus à figulo nominatus, vt eodem loco ait Philetærus. *Græca teſta.* vas fictile ad vina condenda perutile, quo id cumque nomine exprimas, amphora, metreta, ceramion: de quibus Budæ. lib. 5. de Aſſe. ſtamneium, ſtamnarium, de quibus Pollux. *Græca teſta.* Quod vile vocauit, iam non nihil commendat à ſua cura in eo condendo: deinde à vaſe Græco, in quo conditum ſeruabat. Sed an Græcæ commendatio ab arte figlina, ad vini conſeruationem, an à vino Græco, quo teſta priùs ea imbuta fuerit, diſpiciat lector non inſipidus. *leui.* Horatius indicat ſe eius vini fuiſſe conditorem ἀλειπτὴν, vel potius πιττωτὴν, qui cados pice illinit. *Cæcubum.* de vino Cæcubo, Caleno, Falerno, Formiano, Athenæ. li. 1. vt ſuprà de vino Sabino.

AD CHORVM PVERORVM puellarumque in Dianam & Apollinem hymnus.

Ode XXI. εὐχαριστική.

DIANAM *teneræ dicite virgines:*
Intonſum pueri dicite Cynthium,
Latonamq́ ſupremo
Dilectam penitus Ioui.
Vos lætam fluuiis, & nemorum coma,
Quæcumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Siluis, aut viridis Cragi.
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemq́ mares Delon Apollinis,
Inſignemq́ pharetra,
Fraternáque humerum lyra.
Hic bellum lacrymoſum, hic miſeram famem,
Peſtemq́ à populo, & principe Cæſare, in
Perſas, atque Britannos
Veſtra motus aget prece.

Commentator.

Dianam *tenere dicite virg.* Metrum duobus verſibus Aſclepiadeum, tertio Pherecratium, quarto Glyconicũ. Auguſtus ludos ſæculareis inſtituit, quibus hymni Apollini Dianæq́; dicebãtur à nobilibus pueris puellíſque, à pueris quidẽ Apollini, à puellis verò & virginibus Dianæ. idipſum hac Ode docet Horatius, hortaturq́; vt fiat. *dicite.* cantate. vt, cui nõ dictus Hylas puer & Latonia Delos. *intonſum.* crinitum. *Cynthium.* Apollinem, à Cyntho monte Deli, in quo natus eſt; vt, Cùm canerem reges & prœlia, Cynthius aurem vellit & admonuit. *Latonamq́; ſupr.* ſummo, maximo. Terent. Prô ſupreme Iupiter. &, Rex ipſe Iouis de gente ſuprema *penitus.* valde & familiariter. vt, penitus modò nõ genus omne peroſos femineum. *vos lætam.* ordo eſt: vos dicite lætam foliis, & coma nemorum quęcumque prominet, aut Algido gelido, aut nigris ſiluis Erymanthi montis Arcadiæ, aut nigris ſiluis viridis Gragi. & vos mares tollite totidẽ laudibus Tempe, natalemq́; Delon Apollinis, & humerum inſignem pharetra lyráque fraterna. *nigris.* vmbroſis. vt, ilice ſub nigra. *Delon.* in qua Apollo & Diana ſunt nati. *Gragi* Gragus mons eſt Lyciæ, in quo Chimæra fuiſſe dicitur. *Tempe.* loca Theſſaliæ, opacitate & Penæo flumine amœna, quæ in honorem Apollinis meritò laudantur, quòd ibi laurus plurima naſcitur. Virg. Speluncę viuíque lacus & frigida Tempe. *humerum.* Apollinis. *fraterna ly.* quam à Mercurio fratre & inuentore accepit. *hic bellum.* ordo: hic motus veſtra prece, à populo & principe Cæſare aget lacrymoſum bellum & peſtem, miſeramq́ue famem in Perſas atque Britannos. *lacrymoſum.* luctuoſum, lacrymabile. Virg. Siue Getis inferre manum lacrymabile bellum. *aget.* remouebit, auertet, abiget.

Crvqvivs.

Dianam *tenere dici. v.* Arbitror hunc hymnum à pueris puellíſque patrimis & matrimis in honorem Apollinis & Dianæ θεῶν ἀλεξικάκων decantatum fuiſſe ludis ſæcularibus ab Auguſto poſt hoſteis ſuperatos inſtitutis, vt rebus iã belli grauiſſimis adminiſtratis, cetera populo Cæſaríque tuta eſſent à bello, fame, peſte aliiſq; malis & incommodis. Ceterùm de ludis ſæcularibus (quæ huc mirè faciunt, legito quæ adnotauimus ad carmen ſæculare Horatij, Phœbe ſiluarumq́; po. &c. *Dianam.* Latonæ filiam ex Ioue: ea autem quo pacto Latonæ matri in Delo inſula parienti ſit obſtetricata, legito Apollod lib. 1. Præterea Phornutum & Iulianum Aurelium de cognominibus deorum. *tenere.* ab ætate. *intonſum.* πόλιος à Thebanis nominatus fuit, ἀπὸ τοῦ πολίου, quod pulchrum & album Heſychio auctore ſignificat, fingitur enim imberbis & longo capillitio: at Horatius hic expreſſit illud Pindari ἀκερσεκόμης, non raſus comam. *Cynthium.* Cynthius Apollo à mõte aſpero & ſublimi, qui Delo imminet. *lætam flumin.* quia gaudet venatione. vide Oden 12. ſæuis inimica virgo. *coma.* ſic habent cod. Mart. Maldeg. Diu. Sil. ſed 4. Bland comam. quod nõ placet. *Algido.* Strabo lib. 5. via Appia per Tuſculanos & Albanos ducitur montes ad oppidulum deſcendẽs Algidum &c. Eſt & eo loco montis nomen *Erymanthi.* mons in Arcadia inter flumina Erymanthus Erymantho monte demiſſus eſt. Solin. ca. 12. *Gragi* ſeu Cragi, vt habet Mela li. 1. cap. 15. mons in Lycia, vltra Xanthus flumẽ, inquit, & Xanthos oppidum mons Cragus, & quę Lyciam finit vrbs Telmiſos. *Tempe.* vide Oden 7. ſuprà, Theſſala Tempe. *peſtemq́.* peſtis ferè comes eſt famis Heſiod. in operib. τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν. id eſt, aſt alia his poſt damna adfert Saturnia proles peſtem vnà atque famem.

AD ARISTIVM FVSCVM de laude innocentiæ.

Ode XXII. προσφωνητική.

Integer *vitæ, ſceleríſque purus*
Non eget Mauris iaculis, neque arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis,
Fuſce, pharetra,
Siue per Syrteis iter æſtuoſas,
Siue facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.
Namque me ſilua lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, & vltra
Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem.
Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit æſculetis,
Nec Iubæ tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor æſtiua recreatur aura:
Quod latus mundi nebulæ, malúſque
Iupiter vrget:

Pone

Pone ſub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

COMMENTATOR.

INTEGER *vitæ ſceleriſque purus.* Metrum Sapphicum Hendecaſyllabum, tribus verſibus, quarto Adonium. Ad Ariſtium Fuſcum ſcribit innocentiam ſemper & vbique tutam eſſe, etiam inter feras ac loca inuia periculoſáque: cuius rei teſtimonium ipſe ac documentũ ceperat, cùm aliâs tùm præcipuè cùm Sabinis in agello ſuo ſpatiantem immanis lupus fugerit. *Integer vitæ.* ſic Virg. ô præſtans animi iuuenis. Integer vitæ, id eſt, innocens. *Mauris.* qualibus vtuntur Mauri. *grauida.* plena: etiam fertilis. vt, bis grauidæ pecudes, bis pomis vtilis arbos. *Syrtes.* Syrtes Africæ loca ſunt arenoſa, vel breuia vada, quà Cato duxit exercitũ. *æſtuoſas.* procelloſas, aut nimio ſole feruidas. Virg. & inhoſpita Syrtis. *inhoſpitalem.* vbi nemo habitat. *Caucaſum.* Caucaſus mons eſt Scythiæ. Virg. ſeu duris genuit te cautibus horrens Caucaſus. *fabuloſus Hyd.* fluuius Indię, de quo multa finguntur à Poëtis miranda. *lambit.* Metapho. à lingua, eò quòd leniter fluat, & ripas ſuas quaſi lambat. Virg. & Medus Hydaſpes. *namque me ſ.* ordo eſt: namq; lupus fugit me inermem in ſilua Sabina, dum cãto meam Lalagen, & vagor vltra terminum curis expeditis. *canto Lal.* laudes Lalagæ amicæ meæ. ſic Virg. Reſtitit Eurydicenque ſuam iam luce ſub ipſa immemor, heu, victúſque animi reſpexit. *vltra termi.* ſcilicet fundi mei progreſſus, lucorum voluptate oblectatus. *curis expeditis.* ſecurus. *portentum.* pro lupo poſuit. *militaris.* quia viros forteis & aptos militiæ gignit. Virg. hæc genus acre virûm Marſos pubemque Sabellam, aſſuetumque malo Ligurẽ Volſcóſq; Verutos extulit, hæc Decios, Marios, magnóſque Camillos. *Daunia.* Apulia, dicta à Dauno rege ſocero Diomedis. vnde, & Dauni miſerere ſenectæ. *latis.* magnis, vaſtis, & pro ſiluarũm magnitudine ferarum plenis. *eſculetis.* ab eſculo eſculetum, ſicut à pinis pinetum. *nec Iubæ t.* Mauritania. per regem ſignat prouinciã: Iuba enim rex Maurorum fuit; quæ regio & ſicca eſt & leonibus abundans: in cuius execrationem Virg. Italiam laudãs ait, At rabidæ Tigres abſunt, & ſæua leonum ſemina. *arida.* ſiticuloſa. Virg. hinc deſerta ſiti regio. *pigris.* frigidis locis Scythię. Virg. ſemper hiems, ſemper ſpirãtis frigora Cauri. *recreatur.* perflatur. *quod latus.* quam mundi plagam. *nebulæ.* caligines aëris. *malus Iupit.* Iouẽ pro tempeſtate ponere Poëticum eſt. ſic Virg. modò Iupiter adſit tertia lux claſſem Cretæis ſiſtet in oris. per nebulas denotat loca ſole carentia. Virg. plaga ſolis iniqui. Item, Tum ſol pallenteis haud vnquam diſcutit vmbras. Per malum Iouem tempeſtatem iniquam. *vrget.* comprimit. vt, cærulea glacie concretæ atque imbribus atris. *pone ſub cur.* in ardentibus ſolis æſtu partibus Africæ. *nimium prop.* vt, ſemper ſole rubens & torrida ſemper ab igni eſt. *domibus neg.* propter æſtum ſolis vehementem. *dulce r.* dulciter. dicit ſe amicam ſuam ſecurum & munitum innocentia inter omnia pericula poſſe cantare.

CRVQVIVS.

INTEGER *vitæ ſceleriſque p.* Qui bene ſibi cõſcius eſt, vitæque probitate & innocentia tamquam vallo foſſaque munitus, ei nihil ita graue & metuendũm eſſe debet, quod mentem à recto ſtatu dimoueat, non homines, non feræ, non tormẽta, non exilia in extremas vſque terras. *ſceleriſque pur.* per epexegeſin: is enim integra vita eſt, quã ipſe non interrupit, ſeu impurã contaminatamq; reddidit aliquo ſcelere & impietate cùm in alios tùm in patriam & religionem deóſque immortaleis. *non eget.* quia nihil timet, pro muro namque æneo habet innocentiam. *Mauris iaculis.* ſic habent 4. Blãd. & Diu. & ea genuina lectio eſt, Mauris pro Mauritanis; vt ſit epitheton: τὸ ἀκοντίζειν enim, hoc eſt, intorquere iacula, Mauris peculiare eſt. *neq. arcu.* id eſt, nõ eget armis Perſicis, quę inter cetera ſunt pręcipua, pharetra, ſagitta, & funda: A quinto namque vſq. ad 23 annum diſcunt ſagittare, inquit Strabo, lib. 15. huiuſcemodi certè armis ijs opus eſt qui per inuia, deſerta, inhoſpita, & ferarum plena loca ſunt iter facturi, qualia hic ſubiungit Syrteis, Caucaſum & ea quæ præterlabitur Hydaſpes. *per Syrtes.* de Syrtibus in terra ſabuloſis hoc intelligendum eſt, quæ calore ſolis & ſabuli ſiccitate, nimio plus efferuent, per quas iter facientibus ſidera cognoſcenda, quorum obſeruatione ductúque opus eſt, cùm ob feras & animalia venenoſa, tùm ob arenæ volubilitatem, quę vel minimo vento ita transfertur, vt quæ modò fuerint ardua, mox fiant depreſſa, & contrà. legito Ioannem Leonem in Africæ deſcriptione. *Caucaſum.* Caucaſus pars eſt Tauri montis. de quo vide Plin. & egregiam diſputationem Goropij in Indoſcythicis. *Hydaſpes.* Indiæ fluuius arenulas deuoluens aureas, atque in Indum fluuium Indię maximum ſeſe exonerans. vide Indoſcythica Goropij. *namque me ſil.* exemplum à ſua perſona. *nec Iubæ tellus.* Mauritania, ferarum, nouarumq; for-

marũ feraciſſima. hinc *λιβυκὸν θηρίον*, id eſt, Libyca beſtia, quod prouerbialiter Diogeniano teſte, dici ſolebat in hominem vafrum variiſque morib. notatum. *expeditu.* ſic habent 4. Bland. alij verò, expeditus. vtraq; lectio mihi videtur æquè commoda, ſed altera dilucidior, nimium expeditus curis, id eſt, liber à curis. Quid ſi curis expeditis legamus, id eſt, curis leuibus, amatoriis, facilibus, & voluptate plenis, quibus quaſi comitibus gratis & iucundis oblitus ſui vltra terminũ, id eſt, vlteriùs quàm propoſuerat, vagabatur exſpatiabaturque? ſic enim crediderim exponendũ illud, iaculo nobilis expedito, id eſt, promto & leui: & illud Catulli, ô quid ſolutis eſt beatius curis! *quale portentũ.* *σύγκρισις κατ' ἐξοχὴν*. quòd hic lupus cetera portenta ſua feritate facilè ſuperet. *Daunia.* Daunias habent 4. cod. Bland. videtur autem Daunia dici quaſi Daulia, à denſitate arbuſtorum. *δαυλὸς* enim denſus eſt. *Iuba tellus.* periphraſis Mauritaniç, à rege Iuba. *pone me pigris.* deſcriptio circulorum alterius borealis ſiue arctici, alterius auſtralis, ſiue antarctici, à frigore, nebulis, & aëris intemperie, &, vt Ouid. ſcribit, ibi eſt triſte ſolũ, ſterilis ſine fruge, ſine arbore tellus, frigus iners; illic habitant pallorque tremorque. *pigris.* ab effectu, nã frigus corpora torpere facit. *recreatur.* temperatur fugato rigore. *pone ſub curru.* Commentator videtur hic ſpectare tropicum Cancri: Quod etſi non omnino ſit abſurdum propter Syrteis æſtuoſas, tamen malim notari *ζώνην τοῦ κόσμου κεκαυμένην*. id eſt, zonam torridam, quæ ſola ex quinque, propter æſtum perpetuum, dicta & credita eſt antiquitùs inhabitabilis. At nunc temporis eam temperatam, vitæque humanæ in multos annos producendæ conuenientiſſimam, & norunt qui eò nauigarunt, & æquinoctij perpetui ratio ſatis demonſtrat. *curru nimium.* quod ijs contingit qui Sphæram mundi habent rectam: per zenith enim capitis eorum ſol bis in anno tranſit; vt docent Aſtrologi.

AD CHLOEN QVOD VIros fugiat matura viro.

ODE XXIII. *λογχιστικὸ.*

VITAS hinnuleo me ſimilis Chloë,
Quærenti pauidam montibus auiis
Matrem, non ſine vano
Aurarum, & ſiluæ metu.
Nam ſeu mobilibus veris inhorruit
Aduentus foliis, ſeu virides rubum
Dimouere lacertæ,
Et corde, & genibus tremit.
Atqui non ego te, tigris vt aſpera,
Gætuluſue leo, frangere perſequor.
Tandem deſine matrem
Tempeſtiua ſequi viro.

COMMENTATOR.

VITAS *hinnuleo me ſimilis.* Metrum duobus verſibus Aſclepiadeum, tertio Pherecratium, quarto Glyconicum. Ad Chloën ſcribit, quam cõferens hinnulo cùm ſit matura viro reprehendit, quòd ita viri cõtactum fugit vt hinnulus leonem aut tigridem; in quo eam errare docet; nam feras quidem ſeſe inſequi aſſerit, vt ſe mutuo lacerent & vorent; ſe verò eã vt amplectatur. *Vitas hinnuleo.* ordo eſt: ô Chloë vitas me ſimilis hinnuleo quærenti pauidam matrem in auijs montibus, nõ ſine vano metu aurarum & ſiluæ. *vitas.* fugis. *hinnuleo.* ceruino pullo. *auiis.* ſine viis, quà feræ diſcurrere ſolent. Virg. auia tùm reſonant auibus virgulta canoris. *nam ſeu mobilibus.* *ὑπαλλαγὴ*, pro veris aduentu folia mota inhorruerunt, id eſt, commota ſunt ac tremuerunt. *inhorruit.* conturbatus eſt. vt, inhorruit armos. Item, & inhorruit vnda tenebris. *virides ru.* epitheton. expreſſit colorem lacertarũ, quæ talibus locis latere conſueuerunt. Virg. nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos. *rubum.* rubus ſpecies eſt mori: ſic in Italia nominantur à ruſticis. *& corde & g.* animo & corpore. genibus autem tremere conſueuerunt qui capti ſunt. *atqui non ego te.* ordo eſt: atqui non perſequor ego te, vt aſpera tigris vel Gætulus leo. ſenſus eſt: non ita Chloë me timere debes, vt hinnuleus leonẽ, quia ille periculum vitæ à leone ſibi timet, ego autem non ea mente te proſequor, vt occidam ac vorem, ſed vt amplectar; quare non vt ille, ita tu matrem adhuc debes ſequi, cùm tu ſis id ætatis vt virum ferre poſſis. *frangere.* occidere & comminuere. *tandem.* ad proprium deſiderium pertinet. Virg. veniſti tandemque tuæ expectata parenti, vicit iter durum pietas. *tempeſtiua v.* iam matura & viripotens, coniunctionique apta: vt illud Virg. ad ſignificationem maturitatis, Et tempeſtiuam ſiluis euertere pinum.

CRVQVIVS.

VITAS *hinnuleo.* Hoc carmen planè eſt ludicrum, iocatur enim cum Chloë puella, quæ cùm ſit nubilis, non audeat tamen abſente matre in conſpectum venire viri, atque cum eo colloqui: ludit autem eam ab ætate minùs fraudulenta, hortaturque à diſſimili, ne credat eos eſſe feros,

ſeros, à quibus ad amores ambitur. *hinnuleo me ſ.* apta cõparatio hinnuli ad adoleſcentulã; nihil eſt enim timidius hinnulo. hinc natũ eſt Prouerbiũ, *τῆς κεμάδος δειλότερος*. i. hinnulo timidior: *κεμὰς* autẽ ex ſententia interpretis Homeri *ἐστὶ νεογνὸς ἔλαφος ἢ δορκάς*. i. pullus ſeu fetus hinnuli aut capreæ: *νεβρὸς* etiam dictus, vnde *νεβρίδες*, ceruinæ pelles: hinc *νεβρίδα φέρειν*, id eſt, pellem ceruinã geſtare, de vehementer timido pauidóque. inuleo habent omnia noſtra ſcripta. *pauidam matrem.* ceruam. epitheton naturale. *mobilibus ver. in.* Moretus de litteris inter ceteros optimè meritus non improbat hanc lectionem, *nam ſeu mobilibus vitis inhorruit ad ventum foliis*, inuentam, vt ait, in antiquis quibuſdam libris. Ego ſanè in vllis aut ſcriptis aut aliis eam non comperi. Quare omniũ conſenſu codicum quos videre contigit, hanc noſtrã ſeruandam cenſeo. me profectò latet qui eã mutarunt, an hoc argumento moti id fecerint, quòd veris aduentu minus ſint ornata foliis arbuſta, quorũ motu inhorreat vernũ tempus: qua gratia quoq; opinor Lãbinũ veris aduentũ credere veris comitẽ, putà Fauonium. Equidẽ totum pro parte poſitũ dixerim, nimirum ver pro vere pręcipiti vel adulto, quando iam & herbæ vireſcunt, & frondeſcunt arbores: tunc enim primùm & plantæ reuiuiſcere, & ſerpentes feræq; vireis ſumere incipiunt, vt canit Ode 7. lib. 4. *inhorruit.* inhorruit eſt hic *ἀντιπαθητικόν*. *atqui non ego.* diluit pauorem Chloës à diſſimili. *tandem de.* Hortatur à maturitate, vt virum ſequatur matre relicta.

AD VIRGILIVM, QVI mortem Quintilij deflebat immoderatè.

Ode XXIIII. *Θρηνητική.*

Qvis deſiderio ſit pudor, aut modus
Tam cari capitis? præcipe lugubreis
Cantus, Melpomene: cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quinctilium perpetuus ſopor
Vrget? cui Pudor, & Iuſtitia ſoror
Incorrupta Fides, nudáque Veritas,
Quando vllum inuenient parem?
Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quàm tibi, Virgili.
Tu fruſtra pius, heu, non ita creditum
Poſcis Quinctilium Deos.
Quod ſi Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanæ redeat ſanguis imagini:
Quam virga ſemel horrida
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Dvrvm: ſed leuius fit patientia,
Quidquid corrigere eſt nefas.

Commentator.

Qvis *deſiderio ſit pudor.* Metrum tribus verſibus Aſclepiadeum, quarto Glyconicum. Hæc Ode eſt *θρῆνος*, id eſt, lamentatio. Conſolatur autem Virgilium impatienter Quintilij amici ſui mortem lugentem. Senſus autem vel ordo eſt: ô Muſa da mihi præcepta carminis, quibus oſtendã; quis modus eſſe debeat deſiderio cariſſimi amici. *deſiderio.* amori. *cari capitis.* amici. *præcipe.* da præcepta. *liquidam.* puram, dulcem, ſiue canoram. Virg. tum liquidas corui preſſo ter gutture voces aut quater ingeminant. *pater.* Iupiter, Iouis enim & Mnemoſynes filiæ dicuntur Muſæ. ordo autem eſt: Melpomene cui pater dedit liquidam vocem cum cithara, præcipe lugubreis cantus, quis pudor aut modus ſit deſiderio tam cari capitis? *ergo Quintilium.* ordo eſt: ergo perpetuus ſopor vrget Quintilium, cui pudor & incorrupta fides iuſtitię ſoror, nudáque veritas quando vllum inuenient parem? *perpetuus ſopor.* eleganter metaphoricôs, perpetuũ ſoporem pro morte poſuit. ſic, ferreus vrget ſomnus. &c; tum conſanguineus leti ſopor. *iuſt. ſoror.* fides incorrupta bene eſt appellata iuſtitiæ ſoror. *nudáque ver.* bonum epitheton, quia nihil occulti habet, vt egeat tegumento, infucata & pura. *occidit.* mortuus eſt: occidiſſe autem & concidiſſe magnos & probatos viros dicebant antiqui. vt, Quin occidit vnà Sarpedon mea progenies. *fruſtrà.* in vanũ poſcis. vt, nil iam cæleſtibus vllis debentem. *creditum.* commiſſum & commendatum. Virg. auſus ſe credere cælo. vnde & homines animas à diis accepiſſe dicuntur, vt eas reſtituerent. *Quid ſi Threi.* ordo eſt: Quid ſi blandius Threicio Orpheo moderere fidem auditam arboribus, num redeat ſanguis vanæ imagini, quam Mercurius, non leuis recludere fata, precibus ſemel compulerit horrida virga nigro gregi. *Orpheo.* Orpheus Thrax fuit, qui licet cithara ſua ita commoueret arbores vt ſequerentur, Eurydicen tamen vxorem ſuam reducere ab inferis non potuit. Virg. reſtitit, Eurydicenque ſuam iam luce ſub ipſa immemor heu victúſque animi reſpexit, ibi omnis effuſus labor, atque immitis rupta tyranni fœdera. *blandius.* delectabilius. *fidem.* chordam citharæ. *vanæ imaginis* vmbræ.

vmbræ. Virg. & nunc magna mei ſub terras ibit imago. & , admonet in ſomnis & turbida terret imago. *ſanguis.* vita. Virg. purpuream vomit ille animam. *virga.* caduceo. vt, tum virgam capit, hac animas ille euocat Orco pallenteis, alias ſub triſtia tartara mittit. *horrida.* ſeuera. *non lenis.* difficilis. *recludere.* reparare. ſolita hoc figura dixit. vt, callidū quicquid placuit iocoſo condere furto. *fata.* vitá. *precibus.* ad preces. *nigro gregi.* Poëticè, pro vmbris. *compulerit.* congregauerit. vt, compulerantq; greges Corydon & Thyrſis in vnum. *durum.* ſenſus eſt, durum eſt tanti amici mortem ferre. *leuius fit.* leuigatur. Suadet patientia ferendum quod corrigi non poteſt. vt, Quicquid erit ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt. Terent. vt quimus, aiunt, quando vt volumus non licet. *nefas.* nefas pro illicito poſuit.

CRVQVIVS.

QVIS *deſiderio ſit pudor.* Accommodat Horatius ſe Virgilio, & affectus eius immoderatè dolentis mortem Quintilij, quantum poteſt, exprimit: Primùm erotematicôs inducit negare modum ſeruari poſſe in deſiderando Quintilio: deinde cùm nō poſſit id ab homine fieri, fingit eū depoſcere Melpomenen Muſam vt præcipiat, id eſt, præcinendo demonſtret, deſcribatque cantus lugubres, quibus deſideret, & ab inferis reuocet tā carū caput. mox quòd omnis moræ ſit impatiens, non expectat modulos Melpomenes, ſed acerbius exclamat, admiratúrque tam triſtem tanti viri caſum contigiſſe, non ſine tacita cum diis expoſtulatione, vt qui tam iuſtum virū meritò nollet mori. Poſtremo nimia quaſi lamentatione iā defatigato, miro artificio conſolationem parat, vel Muſa, vt aiunt quidam, vel Horatius, ei quidem concedendo, Quintilium quàm ipſi, flebiliorem eſſe nemini, ſed id ferendum eſſe, quod aliter fieri nequit. hanc ſententiā deſiderare videntur interpunctiones abruptę tam in ſcriptis manu libris, quàm vulgatis. Verùm quia in omnibus ſcriptis prǽterquā Diuæi & Maldeg. legitur lugubris, in caſu gignendi, non inſulsè, vt mihi quidem videtur, licebit hac interpunctione omiſſa, hæc verba, *Quis deſiderio ſit.* &c. dare Horatio, & eum precari Muſam, cùm non ſit animo dolenti facilè idoneum ſolatium applicare, vt lugubris cantus modum demonſtret præſcribatque in tam caro capite deſiderando, & ſic alloqui Melpomenen, ô Muſa cui pater vocem liquidam dedit cum cithara, præſcribe quis ſit pudor aut modus cantus lugubris deſiderio tam cari capitis. deinde quia dolor dolore alterius ſolet attenuari, & luctus euinci luctu, velut hoc conſilio à Muſa accepto exclamat acerbius, Ergo Quintilium &c. fingens ſe quoq; vehementer affici de tanti viri inopina morte, & hoc modo Virgilij ſubſeruiens affectibus, ait ei in primis quidem eſſe flebilem Quintilium, ſed condolendo caſtigat nimiam eius impietatem in repoſcendo Deos amiciſſimum Quintilium, cùm fieri non poſſit vt reuiuiſcat. Sed prior ſententia, neſcio quo modo, mihi probatur magis. diſpiciat lector. *tam cari capi.* condolentis amico appoſita dictio: carū namque caput nominare blandientis eſt; nec id niſi nobis amiciſſimis dicere ſolemus, vt & Græci φίλη κεφαλή. *lugubreis.* omnes ſcripti codices, præter Maldeg. habent lugubris, vt ſit caſus genitiui, quod & in Bland. antiquiſſ. adnotatum vidi, & conueniat cum τῷ cantus, in hanc ſententiam: ô Muſa Melpomene, cui pater dedit cum cithara vocem liquidam, præcipe quis ſit modus cantus lugubris, deſiderio, id eſt, ad deſiderandum tam caput carum, id eſt, amicum. hoc eſt, doce quantū deceat modeſtè lugendo, deſiderare amicum. diſpiciat lector doctus. *liquidam vocem.* alludit ad ἔτυμον τὸ μέλπομαι, id eſt, cano. *ergo Quintilium.* videntur hæc verba per indignationem ex abrupto pronunciari à Virgilio; ſic enim ſolent in clarā vocem ſubinde erumpere lamentaríque, qui interno ſecum vehementíque dolore anguntur; qualiter fingit hic affici Virgilium, tacitéque de morte Quintilij cum diis expoſtulare. *cui pudor.* laus Quintilij à pudore, fide & veritate. *multis ille bonis.* miro artificio concedit, aſſentiturque Virgilio lyricus flebilem eſſe mortem Quintilij: dolor enim dolore ſolet attenuari, luctúſque euinci luctu: condolendo itaque luctus minuendi præſtruitur occaſio, & is qui in mærore eſt, hoc modo ſolet verbis amici conſolantis habere fidem, minúſque ſentire ſe caſtigari: quod mirè hic fit ab Horatio, primum enim triſtitiæ mærorísque nimietatē corrigit, ab impietate in Deos, nutu quorum viuimus morimurque. deinde à mortis neceſſitate, quam nemo mortalis poteſt euadere. poſtremò, ab impoſſibili, vt aiunt; nam ne Orpheo quidem datum fuit Eurydicen vxorem ab inferis reducere. τὸ bonis, habent omnia ſcripta, non etiā, τὸ quidem, vt vulgati codices. attamen τὸ quidem, non arbitror temere reiectandum, nam ſequens verſus *nulli flebilior*, per aduerſatiuam ſubiicitur tamquam correctio. *tu fruſtrà pius.* monet eum diis non eſſe pugnandum, ne pro pietate in amicum ſit impius in Deos, quorum nutu cecidit Quintilius, non reuicturus vmquam pro arbitratu hominis. *Quid ſi Threicio.* exemplo à maiori docet Virgilium ſeſe macerare dolore inutiliter, vt qui nullis lamentis, nullis precibus fata vmquā

flectere

flectere poſſit, ne ſi dulciùs Orpheo quidē modulari valeat. In omnib⁹ manuſcrip. prçterquã Mart. legitur, *Quid ſi Thre.* Deinde, *num vana re.* Mart. autem ſequitur vulgatos, putà, *Quod ſi,* &c. Deinde, *non vanae re.* Equidem crediderim legendum, *Qui ſi Thre.* &c. propter τὸ *tu fruſtra pius,* &c. Iudicet lector. *auditam moderere.* appoſitiſſima propoſitio fabulæ: perinde ac ſi dicat, citiùs arbores tranſformaueris tuo cantu in homines, quàm ad ſuperos ab inferis Quintilium reduxeris. *non lenis* λιτοῖς. inexorabilis. *Lenis recl.* Helleniſmus. *durum ſed l.* γνώμη philoſophica, æquo animo ferendam eſt quod mutari non poteſt. *eſt nefas.* ἀθέμιστον, οὐ θέμις, Euripidi. vel ἀδύνατον, vt alij.

AD LYDIAM VETVLAM exprobratio.

Ode XXV. μεμπτικὴ.

PARCIVS *iunctas quatiunt feneſtras*
Ictibus crebris iuuenes proterui,
Nec tibi ſomnos adimunt: amatq;
Ianua limen,
Quæ priùs multum facileis mouebat
Cardines. audis minùs, & minùs iam,
Me tuo longas pereunte nocteis
Lydia dormis.
Inuicem mœchos anus arroganteis
Flebis, in ſolo leuis angiportu,
Thracio bacchante magis ſub interlunia vento:
Cùm tibi flagrans amor, & libido,
Quæ ſolet matres furiare equorum,
Sæuiet circa iecur vlceroſum,
Non ſine queſtu:
Læta quòd pubes edera virenti
Gaudeat, pulla magis atque myrto:
Aridas frondeis hiemis ſodali
Dedicet Hebro.

COMMENTATOR.

PARCIVS *iunctas quatiunt f.* Metrum Sapphicum hendecaſyllabum. quartus Adonius. In Lydiam meretricem rapacem & arrogãtem, ſed iam vetulam: quæ meritò ab amatoribus ſpernebatur quos olim contemſerat. Senſus eſt: Iuuenes qui aliquando feneſtras tuas ſaxis inceſſiuerunt, vt excitata ſomno iis aperires, iam te negligere incipiunt, & idcirco hoc nunc rarius faciunt. *parcius.* rarius. vt, parcius iſta viris tamen obiicienda memento. *iunctas.* occluſas. *quatiunt.* concutiunt. ἀφαίρεσις. *ictibus.* lapidum. *proterui.* inſolentes & ſuperbi. *adimunt.* tollunt. *amatq. ianua l.* miré. in limine ianua eſt, id eſt; clauſa eſt: propter infrequentiam amatorum: aperta autem ianua recedit à limine. *faciles.* aſſiduo vſu & frequentia amatorum. *minus & minus.* id eſt, quod olim ſolebant amatores tui dicere adoleſcentes, O Lydia, percute me, dormis longas noctes; Iam minus & minus dici audis, quia diſplices propter ſenectutem. *me tuo pere.* amatore moriente per amoris nimietatem. *mœchos.* pro amatoribus poſuit *leuis.* aut cõtemtibilis, aut nullius pretij. ordo eſt: ieuis anus flebis arroganteis mœchos inuicem in angiportu magis ſub interlunia Thracio vento bacchante. *arroganteis.* te dedignanteis. *angiportu.* in via anguſta quæ ducit ad portum. *Thracio* Aquilone, Borea. vt, Threicio Aquiloni. *bacchante.* furente. Virg. 4. Aeneid ſæuit inops animi, totámq; incenſa per vrbem Bacchatur. *ſub interlunia.* quia tum ferè concitantur tempeſtates, quo tempore tempeſtuoſo ipſa deſerta fleret ſola in angiportu. *ſub.* ante. Virg. 4. Geor. ſub lucem exportant calathis. *flagrans.* ardens. *furiare.* nouo verbo vſus eſt, quaſi in libidinis furorem vrgere, concitare: Equas autem magis ceteris animalibus in libidinem Veneream accendi Virg. teſtatur, dicens, Scilicet ante omneis furor eſt inſignis equarum. *vlceroſum.* libidinis indagatione commotum ex contemtu. *non ſine q.* querela: vt auaritiam meretricis oſtenderet. *edera v.* nam iuuenes amant puellas, & iuniores mulieres quas in edera & myrto voluit intelligi. *pulla.* ſuccreſcente & nouella. *aridas.* id eſt, anus & decrepitas mulieres, & ſic etiam ætate frigidas, vt Hebro glaciali ſint ſimiles. allegoria conueniens. *hiemis ſoda.* fluuio Thraciæ frigidiſſimo, nã vergit ad Septemtrionem, vbi, Virg. teſte, eſt ſemper hiems, ſemper ſpirantes frigora Cauri.

CRVQVIVS.

P*Arcius iunctas.* Arguit Lydiam imprudentię, eique vehementer inſultat, quòd in ætatis flore minus in memoria habuerit rerũ omnium eſſe viciſſitudinem: nam quòd vetula nunc contemta iaceat, deſeratúrq. ab omnibus, eam eſſe cauſam, quòd, cũ ambiretur ab adoleſcẽtibus ob formæ pulchritudinem, eos magno faſtu excluſerat: Itaq. nunc ridet, meritóq. viciſſim dicit eam fleturam, ſe ab adoleſcentibus deſtitui, quibus no-

ctu ſuperbè feneſtras præcluſerat. *parcius.* Inſultans Lydiæ gratulatur εἰρωνικῶς quietem nocturnam, qua caruit adoleſcentula ſæpius expergefacta ad excubantium ad eius fores iuuenum clamores, cantiones & turbas. *iactibus crebris* omnes ſcrip. habent iactibus, præter Diuæi, qui ſequitur vulgatam lectionem, quæ mihi quoq. ſuauior videtur. at non improbo tamen aliam. *quæ prius multum.* nota procacitatis meretriciæ, à frequenti motu ianuæ. *facilis.* ſic habent Bland. quos ſequor. alij, faciles, cũ vulgatis. *audis minus & mi.* hoc eſt, indies minuuntur lamentationes adoleſcentum, eò quòd rarius amoris ergô ad ianuam tuam noctẽ nunc ducant inſomnem. *inuicem mœchos.* dura exprobratio arrogantiæ, cum ſignificatione talionis, nimirum, ipſam quidẽ in publico, ſed infrequenti loco, ſub dio, aëre tempeſtuoſo, multis lacrymis imploraturam ſolamen amoris & exardeſcentis libidinis ab adoleſcentibus, quibus antea priuatũ concubitũ, in ſua domo mollem & delicatũ multis ſollicitata precibus denegauerat occluſis ſuis ædibus. Notat impudicã nec minus intemperantẽ meretricũ laſciuiam, quæ libidinoſa prurigine inflãmatæ ſi priuatim nõ detur, nõ erubeſcunt vel palã congreſſum appetere. *in ſolo ang.* ſolo, id eſt, derelicto & infrequenti: aut, quod magis placet per ſynchyſin, flebis ſola, id eſt, derelicta ab amatoribus, in leui angiportu, id eſt, vili & neglecto. *flebis.* οἰμώξεις. ad imitationẽ Græcorum. hoc eſt, miſera lues viciſſim pœnas iis quos antea cruciaſti. *interlunia.* interluniũ Lunæ eſt congreſſus, ſiue coitus Plinio: intermenſtruũ Varroni. ipſa tũc noctu ſilet: vnde Virg. Lunæ ſilentia: hoc tẽpus noctis eſt illuminũ Appuleio. hinc illuna caligo, & nox illunis eidẽ. *cùm tibi flag.* anus enim à primis annis intemperantes, cũ ſubit in animum præteritæ voluptatis, ita laſciuiunt pruriente libidine, vt in Venerẽ furere videantur: hinc dicit Lydiã more equarum pruritu libidinis agitari: alludens ad τὸ ἱππομανεῖν, id eſt, equire, ſeu equarum more ruere in Venerẽ: habent autẽ Græci ἀναλόγως à brutis ad nimiam laſciuiã exprimendam ſatis idonea verba, qualia ſunt κατριᾶν, hirciſſare, ſubare. ταυριᾶν, taurire. ἱππομανεῖν, equire. σκυζᾶν, catulire, &c. vide Adagiũ γραῦς κατρῶσα, id eſt, anus hirciſſans. *Læta quòd pubes.* αἰτιολογία, cur Lydia vetula ſe dolebit ab adoleſcẽtibus cõtemni. eſt autẽ à ſimili, ſemper enim ſimilẽ ducit Deus ad ſimilem, ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον: ſic puellis gaudẽt adoleſcentes, ob ætatis & amoris æqualitatem. vide Adag. Anus velut equus profundã habebis foſſam. *pubes.* ἥβη, κατὰ μετωνυμίαν dea pubertatis, pro puberibus ſeu iuuenibus: ἡβῶντες, puberes, qui iã attingunt annũ decimũ ſextũ. Pubes, inquit Paullus, adoleſcens: quinctiã pluriũ numerus eiuſdem ætatis. *pulla.* nigra. Ex Catone Plinius, vt ſuprà ode 4. ponit myrtum nigrã, candidam, & cõiugulam: hic autem nigrã myrtum poſitam credo, pro forma conſtante nec temerè pereunte, qualis eſt in puella color nigricans & ſubfuſcus non parum cõmendabilis: vnde dici ſolet Gallis, belle Brunette. *aridas frond.* nominat cutẽ laxã & rugoſam, membra & exſucca & flaccida, ornatúmq. corporis ætati minimè conuenientem.

AD MVSAS DE Ælio Lamia.

Ode XXVI. εὐχαριστική.

MVSIS amicus, triſtitiam & metus
Tradam proteruis in mare Creticum
Portare ventis: quis ſub Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ,
Quid Tyridatem terreat vnicè
Securus. ô, quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam
Pimplea dulcis. nil ſine te mei
Proſunt honores. hunc fidibus nouis,
Hunc Lesbio ſacrare plectro
Teq́;, tuáſque decet ſorores.

COMMENTATOR.

MVSIS *amicus, triſtitiam.* Metrum duobus verſibus Alcaicum, tertio iambicum hypercatalectũ, quarto Pindaricum. Hæc ode ad Aelium Lamiam ſcripta eſt, qua ſignificat doctum & virum bonũ triſti ſollicitudine & metu carere. vnde Iuuena. Neſciat iraſci, cupiat nihil. ordo autem eſt: Ego amicus muſis tradam triſtitiam & metũ ventis proteruis portare in mare Creticum, à quibus metuatur rex gelidæ oræ, & quid Tyridatẽ terreat vnicè ſecurus. *Creticum.* pro quouis mari, ſpecies pro genere. *ſub Arcto.* plaga ſeptemtrionali. *rex geli.* Aeolus. *vnicè.* præcipuè, valdè, ſingulariter. *quid.* quæ res. *Tyridatem.* Tyridates rex fuit Armeniorum ſiue Perſarum. *ſecurus.* ſine cura. *ô, quæ fontibus.* ordo eſt: ô Pimplea dulcis, quæ gaudes integris fontibus, necte flores, necte coronã meo Lamiæ. *integris.* plenis & incontaminatis. *Pimplea.* Muſę Pimpleides dictæ ſunt à monte Pimpleo & fonte Muſis ſacro. *nil ſine te.* aut quia ſine Muſa non multum honoris vult intelligi Lamiæ carmina ſua poſſe conferre, aut quia primus lyricum carmen

carmen

carmen Latinum ſcripſit. *fidibus.* chordis. Virg. 6. Aene. Threicia fretus cithara, fidibúſq. canoris. ordo eſt: decet te tuáſq. ſorores, id eſt, Muſas, hunc ſacrare nouis fidibus. *Lesbio p.* lyricis modulis. Leſbio autem dixit propter Alcæum & Sappho.

CRVQVIVS.

M*Vſis amicus.* Vt ſolent docti quando licet per ſtudia de rebus inter ſe variis cōferre, ita vero eſt conſentaneum L. Aelium Lamiam apud Horatium de reipublicę ſtatu multa eſſe conqueſtum, vehementérq. metuere ne in peius tandem ruant omnia. At Horatius rerū ſecurus eum iubet ſecum magno eſſe animo, quando ad nullū fortunę caſum viros deceat philoſophos, Muſarúmq. cultores, multū perturbari, tantum abeſt vt metuant non metuenda. vt qui ſola virtute niſi, omnia fortunæ ludicra iudicent ad ſe nihil pertinere. Itaq. precatur Muſas, quæ non gaudent niſi viris bonis & integris, vt Lamiam ſolentur & nouo ſecum carmine recreent, ſacrúmq. reddant æternitati. *triſtitiam & metus.* vterq. affectus perturbat hominem, alter ob malum præſens, alter ob futurum: his autem aduerſantur ſpes & lætitia. *tradam ventis.* tradere ventis, tradere obliuioni, obliuiſci. *quis ſub Arcto.* an hoc ad cæſas in Germania legiones vnà cum Quintilio Varo imperatore, quę ſtrages pænè fuit exitialis imperio Romano? an ea ſententia ſit Horatium non anquirere, fortiſne an ignauus rex Scythis plagæq. ſeptemtrionali imperet Romanis metuendus, an ſuo populo formidabilis? iudicet lector doctus. Eſt autem topographia à cæleſti ſigno Arcto; id eſt, vrſa, quæ maior quidem Elice, minor verò Cynoſura nominatur. vide Higinum, Proclum & alios Aſtronomos. *quid Tyridatem.* Apud Dionem lib. hiſtoriar. 51. ſub finem, non per υ, ſed per η legimus Τηριδάτην, Teridaten, quem hic ſignari credo. Scribit enim, per Syriam in Aſiam profectus (Auguſtus) hiberna ibi egit, ſimulq. & ſubditorum omnia negotia, & Parthicum compoſuit; coorta enim erat inter Parthos diſcordia, ac quidā Teridates contra Phraatem inſurrexerat. Deinde, poſt lacunā non paruā, ait: Tunc autem Antonio mortuo, cū Teridates victus in Syriam confugiſſet, Phraates victor legatos ad Cæſarem miſiſſet, iis Cæſar amicè reſpondit, ac Teridati quidem auxilium nullum promiſit, vt tamen in Syria verſaretur conceſſit. Legito Dionem ad finem vſq. lib. 51. *quid Tyri. ter.* hoc perinde ac ſi dicat, quid noſtra intereſt qui Muſas colimus, reges & potenteis ſuis affectibus miſerè exagitari perturbariq. *ò, quæ font. int.* Apoſtrophe ad Muſam Pimpleam. *fontibus integris.* per integros fonteis allegoricôs, viros bonos, cordatos & incorruptos accipe. alludit ad τὸ πίμπλημι, quod eſt impleo. *apricos.* pulcherrimos & odoratiſſimos, quales ſunt in aperto aëre ſoli expoſiti. *coronam.* necte ex apricis floribus ſertum. *meo Lamiæ.* L. Aelius Lamia cōſul fuit octauo anno poſt mortem Horatij cū M. Seruilio, anno vrb. cond. 755. ſi fides danda eſt βιογράφῳ ipſius Horatij. qui Lamia morti conceſſit Conſſ. Ser. Sulpicio Galba, Lu. Cor. Sylla, anno vrb. cōd. 785. de quo Cor. Tacitus annal. 5. Extremo, inquit, anni mors Aelij Lamiæ funere Cenſorio celebrata, qui adminiſtrandæ Syriæ imagine tandem exolutus vrbi præfuerat. Genus illi decorū, viuida ſenectus, & non permiſſa prouincia dignationem addiderat. *Pimplea.* πιμπληΐς, πιμπληΐδος, Muſa à Pimpla Macedoniæ mōte & fonte Muſis ſacro, vt habet Strabo, πίμπλεια. *ſine te.* ἄνευ μουσῶν. cui contrariū eſt, μετὰ μουσῶν, cum Muſis, ſeu Muſis propitiis & cœpta bene fortunantibus.

AD SODALEIS CONVIVAS ſuos, ne inter potandum rixentur more Thracum.

Ode XXVII. εὐκτική.

NATIS *in vſum lætitiæ ſcyphis*
Pugnare, Thracum eſt. tollite Barbarum
Morem, verecundúmq; Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino, & lucernis Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat! impium
Lenite clamorem ſodales,
Et cubito remanete preſſo.
Vultis ſeueri me quoque ſumere
Partem Falerni? dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.
Ceſſat voluntas? non alia bibam
Mercede. quæ te cumque domat Venus,
Non erubeſcendis adurit
Ignibus, ingenuóque ſemper
Amore peccas. quidquid habes, agè
Depone tutis auribus. ah miſer,
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma.
Quæ ſaga, quis te ſoluere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix illigatum te triformi
Pegaſus expediet Chimæra.

COMMENTATOR.

NATIS *in vſum lætitiæ*] Metrum duobus verſibus Alcaicũ, tertius dimeter iambicus hypercatalectus, quartus Pindaricus. Ad conuiuas ſodaleis ſuos de hilaritate. Senſus autem ſumtus ex Anacreonte lib. 3. ἄγε, δηὖτε, μηκέθ' οὕτω πατάγῳ τε κἀλαλητῷ σκυθικὴν πόσιν παρ' οἴνῳ μελετῶμεν. *natis*. ad hoc ſpecialiter inuentis & factis. ſic, animal propter conuiuia natum. Lucil. Iudicis Hortenſi eſt ad eam rem nata palæſtra. *Thracum*. gentem ſignificat per ebrietatem rixæ deditam. *verecundum*. verecundè tractandum. *prohibete r*. Hypallage figura, Bacchum prohibete rixis, id eſt, à Baccho prohibete rixas: vt apud Virg. accipite Aeneam, & tandem arcete periclis. *Vino & lucernis*. id eſt, conuiuiis nocturnis, quæ à veſpera inchoari conſueuerunt. Virg. & noctem flammis funalia vincunt. *acinaces* gladius Perſicus; ſed hic pro quolibet poſuit. Luc. decurrit Medica Suſis. Suſa autem propriè non Medicæ erãt, ſed Perſica. *immane*. per admirationem hoc dicit, hoc eſt, omnino non conuenit, nec aptus eſt lætitiæ barbarus animus. *lenite*. rixam & tumultum compeſcite, ſedate. *& cubitorem*. quaſi inſurgenteis ad rixam monet vt diſcumbant. *ſeueri Falerni*. auſteri. vt, nec cellis ideo cõtende Falernis. *frater Meg*. nomen adoleſcentis non exprimit. *Megillæ Opuntiæ*, Megilla Opuntia, ex Opunte oriunda. Opus, untis, vel Opois, entis, vrbs eſt Locridis. *vulnere*. vulnus pro amore. vt, vulnus alit venis, & cæco carpitur igni. *qua pereat*. quo ardeat amore. Virg. in Bucol. vt vidi, vt perii, vt me malus abſtulit error. *ceſſat vol*. ſup. confitendi. *non alia b*. ſub. niſi frater Megillæ ſuos amores narrauerit. *quæ te cumq*. meſis, pro quæcumq. *Venus*. id eſt, amica aut amor. Virg. parta meæ Veneri ſunt munera. *non erubeſc*. non ignobilibus, non pœnitendis. *adurit*. inflammat. *ignibus*. amoribus. vt, & cæco carpitur igni. *ingenuo*. nobili, nõ pudendo, nõ erubeſcendo, ſed laudãdo. non autẽ Venus omnis quæ domat hominẽ erubeſcenda eſt; ſæpius enim in amore nõ peccatur. *age*. cogit eum fateri quam diligat. *depone t*. id eſt, fidelibus depoſita ſeruãtibus, id eſt, ſecretũ tuũ mihi ſecurè cõmitte. *Ha*. ridentis. *quanta labor*. exclamat, quaſi in aurẽ ſibi eſſet confeſſus quã amaret, & ridendo miratur, quòd in tam procacem ſceleratámq. & rapacem amor eius inciderit. *Charybdi*. meretricia voracitate & auaritia. Terẽt. Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit. vnde & maris eam comparat voragini. *ſaga*. incãtatrix & malefica, ab eo dicta quòd ſatis agat, id eſt, quæ carminibus vel arceſſere poſſet mala hominibus, vel pellere. ordo eſt: quæ ſaga Theſſalis venenis poterit te ſoluere. *venenis*. herbis. Virg. Bucol. has herbas, atq. hæc Ponto mihi lecta venena ipſa dedit Mœris. *vix inligatum* implicitum. *Pegaſus*. vix te, inquit, ab hac Chimæra liberabit Pegaſus. Hic autem Bellerophontis equus fuit, cuius celeritate Chimæra dicitur interemta qui alas habuiſſe dicitur. Virg. alipedúmq. fuga curſum tentauit equorum. Quemadmodum ſuprà meretricem mari, ita hic Chimæræ comparat, quaſi multiformi belluæ, quæ leonis, capræ, & draconis capitibus emineret, flammis armata, ſicut meretrix dolis & incitamentis libidinum. variam voluit eam hac comparatione intelligi, & omnibus corporis partibus deformem.

CRVQVIVS.

NAtis *in vſum lætitiæ*. In conuiuiis vſum vini laudat moderatum, nimirum, qui ad lætitiam prouocet & iucunditatem, Thraces execrans moréṁq. barbarum, qui vino pleni turbas cient contentionéſq. & ſanguinolentas rixas: Hortatur itaq. ſodaleis vt in menſa ſint dextri, fruantúrq. poculis ad voluptatem & amatorios iocos; quos quaſi exemplo præit in ſciſcitandis ante pocula fratris Megillæ Opuntiæ gratis amoribus, quos vbi tutis eius auribus adoleſcens crediſſet, nihil quàm faceto riſu deplorat eius miſeriam, à voracitate monſtroſa eius meretricis, ab auaritia & inſatiabili libidine. *natu in vſum let. ſcyphis*. aut τὸ natis καταχρηστικῶς, pro formatis ficti q. aut τὸ ſcyphis accipi debet μετωνυμικῶς, continens pro contento, ſcyphus pro vino, quod ad exhilarandos animos natum eſt, non etiam ſcyphus, quo pugnare vetat, qui ab artifice fabricatus eſt ad capiendum vinum. Ceterùm quidam ſcripti cum vulgatis nonnullis habent Cyphis, alij ſcyphis; quorum alterum venit ἀπὸ τοῦ κύφος, ε, poculi genere excauati, quod & nauicula dicitur παρὰ τὸ κύπτειν: erat autem Herculanum poculum & poëtis & pictoribus: alterum à τοῦ σκύφος, εος. de quo vide Athen. lib. 11. *pugnare Thra*. nimirum ſcyphis: ſed furor arma miniſtrat; quod iis contingit, quibus immodica vini potatione emota mens eſt: Non autem in eum vſum nobis vinum natum eſt, non datum à natura, ſed, vt fit, nimia licentia deteriores ſimus, adeò vt quæ bene à maioribus inuenta atq. inſtituta ſunt tam ad diuinum cultum religionémq. quàm humanam ſocietatem ſtabiliendam, paullatim omnia in peius vergant. Quod eleganter apud Athen. lib. 2. docet Epicharmus notans deprauatos mores, ἐκ μὲν θυσίας, ἔφη, θοίνη· ἐκ δὲ θοίνας, πόσις ἐγένετο· χάριεν ὥς γ' ἐμοί· ἐκ δὲ πόσιος, κῶμος· ἐκ κώμου δ' ἐγένετο θυανία· ἐκ θυανίας, δίκη· ἐκ δὲ δίκης, καταδίκη· ἐκ καταδίκης πέδαι καὶ

σφάκε-

σφάκτλ☉ καὶ ζημία. id eſt, ex ſacrificio quidem epulum: ex epulo verò, orta eſt potatio, perpulchrè quidem, vt mihi videtur: ex potatione, iterum comiſſatio; & ex comiſſatione bacchatio: ex bacchatione item & laſciuia natalis eſt & iudicium: ex iudicio ſecuta eſt damnatio, ex qua prouenerunt compedes & gangræna & ærumnæ. *tollite bar. mor.* πεγρεγωτ. perinde ac ſi dicat, non decet vos probè educatos inſtitutóſq. & per humanam cõuerſationem meliora edoctos expolitóſq. barbariſſare tam compotando quàm contendẽdo. *Medus acinaces.* ἀκινάκης περσικὸν ξίφ☉, Perſicus gladius Herodoto in Polymnia, Suidæ, & aliis auctoribus: Cur autem Medum hic nominat, videto annot. ſuprà ode 2. *immaneq.* Helleniſmus: θαυμαστὸν ὅσον διαφέρει, id eſt, mirum in modum differt. ſic Plinius lib. 28. vulnera nodo Herculis præligare, mirum, quantum ocyor medicina eſt. Liu. lib. 1. mirum, quantum illi viro hæc nunciãti fides fuerit, &c. *impium.* diis & hominibus exeerandum; nimirum quo ſacra profanentur: cùm menſa olim inter res ſacras numerata fuerit, Plutarcho auctore in ſympoſiacis. *cubito remanete p.* alludit ad accubationem maiorum, quibus accubãdo ex lectis compotare moris erat. qua de re videto Saty. 4. & vlt. lib. 2. *vultus ſeueri* cõmodè vtitur hoc erotemate cum ad compeſcendum clamorem rixáſq. ſodalium, tum ad faciendam attentionem, vt intelligant qui debeãt eſſe & ſermones & mores conuiuales: quaſi lepidum aliquem choragum in hoc argumento ſeſe exhibens. Sunt qui non ἐρωτηματικῶς, ſed ex hypotheſi hæc dicta accipiunt, perinde ac ſi dicat, ſi velitis me vnà vobiſcum potare & non abire, valeant iurgia, valeãt clamores, & facere agamus, &c. verùm vt hanc nõ reiicio, ita aliam ex ſcriptis antiquis apponendam cenſui. lector deligat vtram velit. *ſeueri.* Falernum hic ſeuerum dici arbitror (non quòd inficier ab Athen. id natura denominari auſterum) ab effectu, quòd aſperos, triſteis & rixoſos ſuos efficiat ſodaleis. *partem Falerni.* me compotare, συμπίνειν. *dicat Op. f. M.* formula ſermonis conuiualis, qua mutatis animis ſodales in riſum ſoluantur. *quo beat. vul.* mirus in amore tropus eſt, qui, quẽ vulnerat & ſuo ictu perdit, beatum facere dicitur: an felicitatis eſt vulnerari & perire? Sed lectorẽ moneo vt legat Idyllium Moſchi de amore fugitiuo; & Propert. lib. 2. Quicumq. ille fuit puerum qui pinxit Amorem, &c. *ceſſat volun.* ἐρώτημα, vel hypotheſis, vt ſuprà monui. *vultu ſeueri. Quæ te cumq. do.* Cùm difficiliorem ſe præberet adoleſcens in ſuis amoribus fatendis, amicáq. nominanda, abblanditur, & ab indole cõmendat ingeniũ, vt qui non ſoleat niſi ingenuas formoſáſq. amore proſequi. *adurit ignibus.* hoc modo Moſchus: πάντα μὲν ἄγρια, πάνυ, πολὺ πλεῖον ὁ τοὶ αὐτῷ βαιὰ λαμπὰς ἐοῖσα, τὸν ἅλιον αὐτὸν ἀναίθει. id eſt, omnia ſunt crudelia, omnia, multò verò magis quæ ipſi eſt parua fax, ſolem ipſum perurit. *quicquid habes.* inſtat, &, vt vel ab inuito extorqueat nomen amaſiæ, pollicetur altum ſilentium. *tutis aur.* fido amico. *ha.* admirantis non ſine magno riſu: admiratur quidem, quod præter ſolitum peccauit, ridet autem nunc miſerum, quem paullò ſuprà beatum nominauit. omnes quos vidi ſcripti lib. habent, ha. præter vnum Bland. in quo ſcriptum eſt, ah. ſed non ſine litura. & quia hæc quæ tractãtur amatoria ſunt, iocoſa & ludicra, nec multùm dolenda, ſecutus ſum ſcripta potiora. *quanta labo.* quanto in periculo verſaris, metuendum ſanè, ne hæc vorago viuum te abſorbeat deglutiatq. metaphoricôs: Nam Charybdis eſt verticoſum & inquietum mare propter vndarum inter ſe concurrentiũ pugnã, inter rupium præcipites amfractus, nauigantibus valde periculoſum. vide Melã lib. 3. & Iuſtinũ. Eraſmus in adagio, Euitata Charybdi in Scyllam incidi, fabulã refert poëtis celebrem de muliere voraciſſima, quę ab Hercule in mare pręcipitata, quòd eius boues deuoraſſet, à Ioue in monſtrum verſa eſt, ſuam adhuc voracitatem ſeruans. Cod. Bland. vetuſtiſſ. cum Maldeghe. & alio Blandinio, habent, laborabas, quos non ſum ſecutus propter incommodam ſententiam. Alij ferè omnes habent laboris, ſine prępoſitione in. quod nec conuenit nec mihi placet. *meliore flamma.* humaniore amica, quæ mollius tecum & mitius agat. *quæ ſaga* Erotema ludicrum cùm ad riſum cõcitandum, tùm ad deterrendos adoleſcentes, ne temerè ſe credant quibuſuis amoribus, à quibus nõ ſaga, non magus, non deus, eos vbi maximè volẽt liberos ſtatuat, explicétq. inuolutos. Appoſita gradatio, quia neq. humanã neq. diuinã, ὑπερβολικῶς, potentiã ait ad mentẽ ſanã reducere poſſe ſemel amore perditos. *ſaga.* à ſagiendo, quæ multa ſcire vult, inquit Cic. de diuinat. li. 1. quæ & diuina dicitur. Sed & ſagas, & magos ait Columella lib. 1 5. vana ſuperſtitione rudeis animos infeſtare. De huius autem vocis origine Latina ne ſit, auctoribus Cic. Plin. & Feſto, an Aramæa aut Hebraica, legito prolixam ſimul & ingenioſam diſputationem Becani in Saxonica. *Theſſalis.* Theſſalia veneficiis infamis eſt Plinio. Luca. Appuleio, &c. *expediet Chimera.* Siſyphus Aeoli filius ex Merope Atlantis filia Glaucum genuit patrem Bellerophontis ex Eurymede, qui igniuomam Chimæram occidit natam ex Typhone & Echidna, auctore Apollodoro lib. 1. & 2. *Pegaſus.* Pegaſus aliger ex Meduſa & Neptuno Bellerophontem in altum

altum ſuſtulit, vnde Chimæram ſagittis interfecit. Apollo. lib. 2. Chimęra legitur in omnibus ſcriptis quæ ſecutus ſum, tamquam probatiorem ſententiam complectentia.

AD ARCHYTAM Philoſophum & Geometram.

Ode XXVIII. συλλογιστική.

Te maris & terræ, numeróq; carentis arenæ
Menſorem cohibent, Archyta,
Pulueris exigui prope litus parua Matinum
Munera: nec quidquam tibi prodeſt
Aërias tentaſſe domos, animóq; rotundum
Percurriſſe polum morituro.
Occidit & Pelopis genitor, conuiua Deorum:
Tithonúſque remotus in auras:
Et Iouis arcanis Minos admiſſus: habentq;
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demiſſum: quamuis clypeo Troiana refixo
Tempora teſtatus, nihil vltra
Neruos, atque cutem morti conceſſerat atræ,
Iudice te, non ſordidus auctor
Naturæ, veriq;. Sed omneis vna manet nox,
Et calcanda ſemel via lethi.
Dant alios Furiæ toruo ſpectacula Marti:
Exitio eſt auidis mare nautis.
Miſta ſenum, ac iuuenũ denſantur funera: nullũ
Sæua caput Proſerpina fugit.
Me quoque deuexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit vndis.
At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Oſſibus, & capiti inhumato
Particulã dare. ſic, quodcumq; minabitur Eurus
Fluctibus Heſperiis, Venuſinæ
Plectantur ſiluæ, te ſoſpite: multáq; merces,
Vnde poteſt, tibi defluat æquo
Ab Ioue, Neptunóq; ſacri cuſtode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Poſt modò te natis fraudem committere forſit.
Debita iura, vicéſque ſuperbæ
Te maneant ipſum. precibus non linquar inultis,
Teq; piacula nulla reſoluent.
Quamquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit
Iniecto ter puluere curras.

COMMENTATOR.

Te *maris & terræ numeróq.* Metrum primo verſu Heroicũ, ſecundus eſt Alcmanius tetrameter. Hęc ode ἐκ τῆς προσωποποιίας inducit corpus naufragi Archytæ ad littus expulſum cõqueri cũ nauta prętereũte de iniuria, niſi ab eo ſepeliatur. Fuit autem hic Archytas Pythagoricus Geometra & aſteroſcopos, omnia numeris dimetiens. *numero carentis arenæ.* vt, quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem diſcere quàm multæ Zephyro turbentur arenæ. *menſorem.* Geometram. *cohibent.* continent. *Matinum.* Matinus eſt vicus & mons Apuliæ, iuxta quem Archytas ſepultus eſt: ſiue, vt quibuſdam placet, vicus Calabriæ. *quicquam prodeſt.* nec profuit ad mortalitatis condicionem te perſcrutatum eſſe naturas rerum, & cælos ipſos contemplatũ. vt, quid labor aut benefacta iuuant. *occidit & Pelopis.* Tantalus ſcilicet Pelopis pater, epularum ſcelere deorum conuiua, à quibus pro funeſtis filij dapibus pœnas luit. Virg. 6. Lucent genialibus altis aurea fulcra toris, epulæq́. ante ora paratæ regifico luxu, Furiarum maxima iuxtà accubat, & manibus prohibet contingere menſas. *Tithonúſq. re.* Tithonus Laomedõtis filius Auroræ maritus in auras receptus fuit, id eſt, terris exceſſit & mortuus eſt. Virg. te potuit lacrymis Tithonia flectere coniunx. *Minos admiſſus.* Minos Cretenſium rex pręedicabat ſe cum Ioue colloqui, & conſilio eius cuncta agere; qui etiam propter iuſtitiam in regno ſuo adminiſtratam, apud inferos iudex a Plutone conſtitutus dicitur. Virg. 6. quæſitor Minos vrnam mouet. *Panthoiden iterum.* Nunc Pythagoram ſignificat, qui prædicabat ſe apud Troiam Euphorbum Panthoi filium fuiſſe, qui interfectus à Menelao iterum reuixit factuſq; Pythagoras, idq. eum cognouiſſe agnito clypeo quem in templo Euphorbus fixerat. hic autem & in Homerum dicitur renatus, poſtea in pauonem, & poſtremò in Ennium poëtam: & ideo dicit eum neruis quidem & cute mortuum, anima verò vixiſſe. *iterũ.* quia ſæpe mortuus eſt, tranſeũte eius anima in alios. *demiſſum.* in inferiora ex ſuperioribus. Virg. 2. Aen. demiſere neci, nunc caſſum lumine lugent. *clypeo.* per clypeum. *tempora teſt.* ordo eſt: teſtatus Troiana tempora refixo clypeo, te iudice, non ſordidus auctor naturæ & veri, nil vltra neruos atq. cutem conceſſerat atræ morti. *vltra.* præter. *teſtatus.* recordatus Troiana tempora refixo clypeo. *nox.* ſicut aura pro vita,

hic

& nox pro morte ponitur, vt & alibi, & in æternam clauduntur lumina noctem. &, ibant obſcuri ſola ſub nocte per vmbras. ſic contrà, aura pro vita. Sed reuocare gradum, ſuperáſque euadere ad auras, hoc opus, hic labor eſt. *calcanda.* intranda. *dant alios.* ait omneis quidem perire, ſed diuerſo mortis genere. *ſpectacula M.* eò quòd bellicus furor Martis ludus eſt. *exitio eſt auidum.* vorax, quòd demerſos ſorbeat. *miſta ſenum ac.* vt, matris atque viri defunctáq. corpora vita magnanimûm heroum pueri, innuptæq. puellæ. *ſæua caput P.* quòd omneis ſuſcipiat, quam nullus euadat. figura eſt hypallage, fugit Proſerpina, pro, fugiunt Proſerpinam. vt illud, Stant & oues circum, noſtri nec pœnitet illas, pro, nos illarum non pœnitet. *deuexi.* in deuexa parte cæli poſiti. Virg. conuexa polus dum ſidera paſcet. *comes Orionis.* ortus enim & occaſus Orionis tempeſtuoſi ſunt, ideo & comitem eius Notũ vẽtum dixit. Virg. 1. Aene. cùm ſubitò aſſurgens fluctu nimboſus Orion in vada cæca tulit. *at tu nauta.* hic Archytam inducit precari nautam, ne maneat inſepultus, ſed arenam iniiciat: Nam & in ſacris hoc genus erat ſepulturæ, vt, etſi non obrueretur, manu tamen plena, ter iacta terra cadaueri pro ſepultura eſſet, vt, aut tu mihi terrã iniice; namq. potes. ideo enim & particulam arenæ dixit. ordo eſt: At tu nauta, ne parce malignus dare particulam vagæ arenæ oſſibus & inhumato capiti, ſic plectantur Venuſinæ ſiluę quodcumq. minabitur Eurus Heſperiis fluctibus, &c. *ſic quodcumq.* adiurantis eſt. *Venuſinæ.* Venuſia ciuitas eſt Apuliæ confinis Lucaniæ, cuius ſiluas, quia ſunt immenſæ, pro quibuſcumq. poſuit. Admonet ergo, vt etiam ſi tempeſtas ſit, quæ taleis ſiluas plectat, ne omittat ſepeliendi curam. *multáq. merces.* hoc dicit, ne attentus ad lucrum omittat ſtudium iuſta ſoluendi. *æquo ab I.* propitio, proſpero. *Neptunóq. ſ. c. T.* vel quia Neptunus apud Tarentum deuotius colebatur, vel quia in tutela Neptuni fuiſſe dicitur, vel quia Neptuni filius Phalanthus apud Tarentum Herculi & Neptuno templa conſtituit, vt fortiter per fauorem Herculis faceret, per Neptunum feliciter ageret. *negligis.* id eſt, fraudem cõmittere leue eſſe putas, atqui hæc luent qui ex te nati erunt, id eſt, filij tui. *immeritis.* nihil peccantibus. *fraudem committ.* inhumati piaculum & ipſum & filios eius læſurum minatur. *debita iura v. q. ſ.* vt & ipſe tu pari caſu inſepultus iaceas. *manent.* expectent. *precibus non.* vltionem precibus ſuis promittit. *piacula nulla.* id eſt, nullo modo, nullis hoſtiis expiabis hoc ſcelus quod in me admittis. piacula autem dicebantur victimæ, quibus facinus expiabatur admiſſum. *feſtinas.* celeriter abire vis. *non eſt mora l.* Virg. hic tibi nequa morę fuerint diſpendia noſtri. *iniecto ter p.* vt, Manes magna ter voce vocaui.

CRVQVIVS.

TE *maris & terræ.* Vbique vehemens eſt Horatius in Mathematicos illos Babylonios aſteroſcopos, & id genus homines qui ſuis numeris & prædictionibus æquo plus addicti, non verentur polliceri de futuris vera dicere ſe poſſe indubitatáq.; homines vani & fallaces, reiq. publicę plerumq. parum vtiles: Quo nomine quoq. Horatius in hac ode Archytæ non omnino æquus eſſe videtur: vt cui nautam facit exprobrare eius naufragium, quòd ex Matheſi quam profitebatur id non præuiderat, aſtráq. ſibi portendere tam miſerandum mortis genus: hoc namq. ſi præſciiſſet, & euitaſſet, & honeſto funere iuſtiſq. cadaueri debitis non caruiſſet: verùm magno cum ſilentio ſuæ artis inducit Horatius vmbram ſatis indignanter & ex obliquo reſpondere nautæ, ſemel omnibus eſſe moriendum, cuiuſcumq. ætatis & condicionis fuerit; nec id vno mortis genere. Quod cùm ita ſit, petit à nauta ne ſinat corpus ſuum iacere in littore inſepultum, niſi malit ob neglectum ſepulturæ munus deos aliquando vindices experiri. *Te maris & terræ.* Nauta cadauer Archytæ alloquens, videtur id miſerari, ſed *εἰρωνεία* eſt, vt mihi quidem apparet. *Archyta.* Non me clam eſt, qui hanc oden adhuc enarrauerunt, eos omneis agere de Archyta illo Tarentino, philoſopho, mathematicóq. Pythagorico, cuius apud Laërtium in vitis philoſophorum mentio fit, qui cum Platone vixit familiariter: verùm vt ab iis non penitus diſſentio, ita non ſit mihi veriſimile Horatium à trecentis & amplius annis tam triſtem tanti viri exitum (eius artis pręcipuè gratia, quam propter incertitudinem non ducebat magni) nunc canere voluiſſe: Nam ode ipſa, ſi preſſius quis eam legat, tantum abeſt, vt commiſerationem naufragij cum grata commemoratione, Epitaphij vice, complectatur, vt potius irriſionem cum ſcientiæ diuinatricis vituperatione præ ſe ferat: Quàm enim hoc ab omni laude eſt vacuum hunc Archytam nominari menſorem terræ & arenæ ſine vllo proprio epitheto? Deinde an hoc non eſt improperare nimiam animi iactantiam, eum, putà, nunc coërceri contentúmq. eſſe, nihilq. vltrà deſiderare quã exiguum puluerem, qui viuus non terra, non mari, non cælis deniq. ipſis concludi potuit? poſtremò inducitur reſpõdere nautę per enumeratiõnẽ quidẽ alios magnos & excellenteis viros fato conceſſiſſe, ſed hoc facit

quaſi

quaſi aliud agens, non enim in numeris erratum eſſe, aut alias ignoratione incertum: néve ſe merſum ait, quod tamen ab eo factu oportuit, ſi non, quaſi ex obliquo & indignatione tacita cum nauta agere mallemet. Quas ob cauſas præter alias, ne nimium tædio, credideram Horatium in ſui temporis L. Tarutium (quem Tarentinum fortaſſis ab analogia nominarunt) Archytá inuehi, viru quidē Geometram, & in Chaldaica ſcientia, quá oderat Horatius, in primis eruditum, ſed ita vanum & in aſtrorum notis tam multa & admiranda ſibi adſcribentem, vt ad M. Varronis adhortationé, non modò diem & horá quibus vrbis Romæ fundamenta iacta ſunt, verū etiam conceptionis Romuli definire ſit auſus: adeò vt in eius viri tá portentoſam nugacitatem non dubitarit exclamare Cic. de Diuinat. 2. cuius verba licet prolixa, non pigebit tamē huc adferre, vt intelligat lector candidus ad aſſerendu id quod mihi cū aliis eſt controuerſium, me nō moueri temerè. L. quidē Tarutius Firmanus, inquit Cic. familiaris noſter, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, vrbis etiā noſtræ natalem diē repetebat ab iis parilibus quibus eam à Romulo conditā accepimus, Romamq. cū eſſet in iugo Luna, natā eſſe dicebat, nec eius fata canere dubitabat. O vim maximā erroris! Etiā ne vrbis dies natalis ad vim ſtellarum & Lunæ pertinebat? fac in puero referre, ex qua affectione cæli primū ſpiritum duxerit, num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus vrbs effecta eſt, potuit valere? hæc Cic. *prope litus.* Topographia, vbi corpus eius iacebat. *parua Mat. mun. cohib.* morantur te & detinent ne migres ad ſuperos. ex opinione maiorū hoc dictum eſt, qui credebant animas defunctorum vita, tantiſper incertis errare ſedibus, dū corpora honore ſepulturæ afficerentur. *parua munera.* parui momenti, ſumtus & moræ, vt ad finem ait, non eſt mora longa, licebit iniecto ter puluere curras. *Matinum.* Plin. lib. 3. cap. 11. ex Gargano, inquit, Matini, &c. quare arbitror littus Matinum fuiſſe ad Aufidum fluuium apud Venuſinos. *nec quicquam tibi pro.* tacita exprobratio curioſitatis in aſtris obſeruandis inſpiciendiſq. *occidit & Pel.* argumentū à minori. Reges nobiliſſimi, maximè longæui, iuſtiſſimi, doctiſſimi, mortui ſunt, egóne vnus eſſem immortalis? verùm hęc non eſt directa reſponſio ad ea quę nauta viſus eſt improperare Archytæ. *conuiuæ deor.* Tantali commendatio ab honoribus diuinis ad veritatem argumenti. huc facit illud Pindari Olymp. *od. α.* εἰ δὲ δή τιν' ἄνδρα θνατὸν Ὀλύμπου σκοποὶ ἐτίμασαν, ἦν Τάνταλος οὗτος, id eſt, ſi quem autem virum mortalem Olympi rectores honorarunt, fuit Tantalus iſte. *Tithonuſq.* Tithonum maritū potuit aurora viuacitate quidē donare, ſed immortalitate nō potuit. Hic autem, vt poëtæ fabulantur, à coniuge ſublatus in cælum, poſtquam eius ſucco perfuſus eſſet, ad tantam ſenectutē peruenit, vt longæuitatem pertæſus, optauerit in cicadam transformari: huic natum eſt adagium, Tithoni ſenecta; Tithono viuacior. *quamuis clyp.* notat Pythagoræ μετεμψύχωσιν planè ridiculam. de qua Ouid. Morte carent animæ, ſempérq. priore relicta ſede, nouis domibus viuunt, habitántq. receptæ, ipſe ego non memini Troiani tempore belli Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam hæſit in aduerſo grauis haſta minoris Atridæ; cognoui clypeum læuæ geſtamina noſtræ nuper Abanteis tēplo Iunonis in Argis. *iudice te.* Nautæ iudicium hoc de Pythagorica animarum transformatione defert vmbra Archytæ inuidiosè ad retaliationem vt videtur. *non ſordidus.* nitidiſſimus, clariſſimus, nobiliſſimus. per λιτότητ. *naturæ veriq.* ἐν διὰ δυοῖν, naturalis veritatis. de Pythagoræ induſtria & ſtudio, lege Val. Maxim. lib. 8. cap. 7. *ſed omnes.* Epilogus enumerationis, continens omneis quidē mori, ſed non vno mortis genere. *& calcanda ſemel.* huic reſpondet illud Propertij, ſed tamē huc omnes, huc primus & vltimus ordo, & mala, ſed cunctis iſta terenda via eſt. Vide Lucret. lib. 3. *furie.* ἐνυώ Bellona cum ſuis comitibus. vide ſaty. 3. lib. 2. *auidum mare.* omnes lib. ſcripti ſic habent, præter Sil. qui habet pauidis. huic lectioni reſpondet pænultima ode lib. 3. auarum mare. ſi pauidis legas, idem habes ode 1. lib. 1. pauidus nauta. deligat lector: parum namq. intereſt, an auidis, pauidis, an auidum legatur. *mixta ſenum ac iuu. d.* denſentur habent 4. cod. Bland. id eſt, conglobantur, & ſine delectu cumulatim moriuntur. & ſic legitur vſitatum veteribus ſcriptoribus, adeò vt Seruius in illo Virg. 7. Aeneid. totis agmina denſentur campis, ſcribat aliter non dici. Ouid. 2. Metamor. Tūc quoq. cantato denſetur carmine cælum. Plin. de menta: Ipſa aceſcere, aut coire, denſáriq. lac non patitur. Lucret. 1. lib. Nec tali ratione poteſt denſárier aër, atq. aliis in locis multis. *nullum ſæua cap.* quædā acclamatio. & cum eo conſentit, ſed omneis vna manet nox, &c. *Orionis.* Orionis fabulam quæ prolixa eſt, lege apud Palæpha. & Apollod. lib. 1. *comes Orio. Notus.* Orion namq. ſiue accliuis ſiue decliuis deuexúſve, id eſt, ſiue oriens, ſiue occidens ventos gignit & nimbos, qui ipſius comites dicuntur, quòd eum ſubſequātur. *Illyricis Not.* Firmum autem caſtellū, vnde hic Archytas Firmanus dictus, vergit ad Illyriā. *at tu nauta.* ψυχή. quã petit à nauta vt cadauer afficiatur honore ſepulturæ, cui gratitudinis ergò pollicetur omnia fauſta, felicem nauigationē & ex mercibus ingés lucrum.

eram. contrà, ſi negligat, & corpus inhumatum relinquat, comminatur omnia mala. *malignus.* Helleniſmus. κακόθυμος ὤν, id eſt, malignus exiſtens, difficilis & inuidioſus; cui contrarium eſt benignus, lætus, beneuolus, alacer, εὔθυμος, εὐμενής. Ne parce malignus dare, id eſt, velis hilariter & bono animo dare &c. *ſic quodcumq.* ominatur nautæ proſperum curſum, & Deos ei fore ἀλεξικάκους pro remuneratione beneficij. *Tarenti.* arbitror hoc nomẽ interpretibus occaſionẽ dediſſe de Archyta Tarentino loquendi: Equidem potius crediderim Tarenti mentionem hic eſſe factã, quòd cadauer eiectum eſſet in littus ſinus Tarentini, qui nauigationis circuitum habet comprehenſum ad miliaria ducenta & quadraginta, vt habet Strabo lib. 6. Aut fortaſſe quòd nauta Tarentum ſuum curſum dirigeret. Tarentum autem à Tara Neptuni filio nomen habet, qui duas aras, alterã Neptuno patri, vt mare haberet æquum, alteram conſecrauit Herculi, vt & diteſceret, & eius præſidio fortiter ageret; vnde etiam Tarentum Herculeũ dictum eſt. Virg. 3. Aeneid. vtrumque autem numiſma Tarentinum demonſtrat, in quo Taras Delphino inſidens, læua copiæ cornu oſtentat cũ Græca hac inſcriptione, τάρας. *negligis.* aut interrogatiuè, vt Blãd. hęc legẽda ſunt, negligis cõmittere? vili pendis nocere poſteris tuis hoc ſepeliendi munere mihi denegato? fors & debita iura ſepulturæ te maneant &c. aut aſſertiuè, vt tres cod. Mart. Sil. Maldeg. quorũ poſtremus habet forſan, reliqui omnes, fors &. alij coniunctim, alij diuiſim; cuius hæc erit lectio: forſan negligis committere fraudem nociturã &c. debita iura vicéſque ſuperbæ &c. prior certè lectio mihi magis placet, deligat lector. *poſt modo te natis.* id eſt, poſteris tuis. reſpondet ei dicto Theognid. ἐξοπίσω παισὶν, in his verſibus, ἀλλ' ὁ μὲν αὐτὸς ἔτισε κακὸν χρέος· οὐδὲ φίλοισιν ἄτην ἐξοπίσω παισὶν ἐπεκρέμασεν. *fraudem comm.* crimen peculiare, quod tota poſteritas luere ſolet, vt credebant veteres, donec eſſet expiatum. ſic apud Herodotum lib. 6. ἐν τῷ ἄγει ἐνέχεσθαι. id eſt, piaculari crimine teneri: hinc ἐναγεῖς, deteſtandi & execrabiles. *fors.* naufragij infortunium. *debita iura.* id eſt, iuſta ſepulturæ, debita cadaueri inhumato. *vicéſque ſuperbæ.* id eſt, pœnæ graues, auctore Priſciano. *quamquam feſtinas.* προκατάληψις feſtinationis. *iniecto ter pul.* Terræ autem iniectio, inquit Seruius, ſecundum Pontificalem ritum poterat fieri, & circa cadauer, & circa abſentium corpora quibuſdam ſollemnibus ſacris.

AD ICCIVM, QVI A PHILOſophia ſe ad militiam contulerat.

ODE XXIX. Ἀλκαϊκή.

Icci, beatis nunc Arabum inuides
Gazis, & acrem militiam paras
Non antè deuictis Sabææ
Regibus: horribilique Medo
Nectis catenas. quæ tibi virginum
Sponſo necato barbara ſeruiet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ſtatuetur vnctis,
Doctus ſagittas tendere Sericas
Arcu paterno? quis neget arduis
Pronos relabi poſſe riuos
Montibus, & Tiberim reuerti,
Cùm tu coëmtos vndique nobileis
Libros Panæti, Socraticam & domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

COMMENTATOR.

ICCI, *beatis nunc Arabum.* Metrum duobus verſibus Alcaicum, tertius iambicus dimeter hypercatalectus, quartus Pindaricus eſt. Ad Iccium, quem miratur Philoſophiæ ſtudio intermiſſo repentè ſe ad militarem vitam contuliſſe cupiditate diuitiarum. *inuides gazis.* æmularis diuitias Arabum, & concupiſcis. Gaza, Perſica vox eſt ſignificans diuitias. Virg. arma virùm tabulæque & Troia Gaza per vndas. &, Gaza lętus agreſti. 5. Aeneid. *acrem.* fortem, duram, acerbam. *regibus.* aduerſus reges. *horribilique.* forti, crudeli. *nectis catenas.* fabricas & paras regibus victis: mutuis enim nexibus fiunt catenæ. *ſponſo neca.* hoſtibus & occiſo ſponſo, nõnumquam ſerua fit ſponſa. *ex aula.* puer regius. *ad cyathum.* ad potum dandum. *ſtatuetur.* deputabitur. *vnctis.* delibutis. *tendere.* dirigere. *Sericas.* Parthicas. Seres enim populus eſt Parthis vicinus. arte ſagittandi nobilis: vnde & Sericum vocatur. *quis neget.* ordo eſt, quis neget relabi poſſe riuos pronos arduis montibus, & Tiberim poſſe reuerti, cùm tu pollicitus meliora tẽdis mutare Iberis loricis libros nobileis Panætij vndique coëmtos, & domum Socraticam. ſenſus eſt: quis non credat rerum naturam poſſe mutari, vt flumina in monteis reuertantur, vnde alioquin deſcendunt; cùm tu vitæ ſtudia in contrariũ verteris, quod

teris, quod nemo cogitauerat poſſe fieri. tale eſt illud Virg. Iungentur iam gryphes equis, æuóq; ſequenti cum canibus timidi venient ad pocula damæ. *pronos.* procliueis; nam proni dicuntur riui de monte fluentes. *Tiberim rev.* vt Virg. reuocatque pedem Tiberinus ab alto. *Panæti.* Panætius Stoicus fuit præceptor Scipionis Africani & Lælij, natione Rhodius. *loricis ib.* κατ' ἐξοχὴν quia loricæ Hiſpanicæ ſunt optimę *Socraticam dom.* libros Socraticos. *mutare lor.* nota locutio eſt, dicitur enim Philoſophiam mutare militia, id eſt, Philoſophia dimiſſa militiam ſumere. vt Virg. Chaoniá pingui glandem mutauit ariſta. *meliora.* aut hoc abſolutè dictum eſt, aut ſtudia ſubaudiendum, id eſt, profeſſionem Philoſophicam, quæ reuera militiæ præferenda eſt. *tendis.* contendis. vt, nec tendere contrà.

CRVQVIVS.

ICCI *beatis.* Arguit Iccium inconſtantiæ, vt qui mutato vitæ genere, æreis aurea, vt fertur, nimirum Stoicam Philoſophiam permutarit acri militia: quod ipſi tam mirum videtur, quàm fluuios contra naturæ ductum retrò ad caput reuerti: Quid enim abſurdius eſt, quàm primæ notę viro Philoſopho dominari ſuos affectus, ita vt animi tranquillæ tutaque conſtitutioni, ſpe prædæ pręferat militare ſtudium, quo nihil turbulentius, nihil concitatius, nihil denique magis eſt obnoxiū periculis omnibus? *beatis.* ab effectu, quòd beatos, id eſt, diuites & opulentos efficiant: alludit autem ad Arabiam felicem, εὐδαίμονα nuncupatam ait Solinus; quia præter odores, quos creat plurimos, ſola tus mittit. Ptolemæus autem in ſua Geographia Arabiam ponit triplicem, Petræam, deſertam & felicem. de Arabia felici etiam Mela lib. 3. ca. 8. *inuides.* Hypallages ſpecies, pro inuides Arabibus gazas beatas, adeò vt earum particeps per militiā fieri ſtudeas. nota auaritiæ. *non antè deuictis.* anno namq; vrbis conditæ 729. Aelius Gallus, ait Dio, primus Romanorum in Arabiam felicem exercitum parum ſecunda fortuna adduxit. *Sabeæ reg.* à Saba non Aethiopiæ ſed Arabiæ felicis ciuitate metropoli; quam Strabo lib. 16. Meriabam nominat: de cuius regionis opibus eundem legito. *horribilique Medo.* Parthos autem & Medos, occiſo Craſſo, fugatóque Antonio, Romanis horribileis fuiſſe notat occultè Ode 26. ſuprà, Quid Tyridatem terreat &c. nec id prætereunt hiſtoriographi: ſed poſt ciuilia bella metuebant Auguſtum miſſis ad eum legatis. *quæ tibi Vir.* quanta eſt ea vtilitas, quanta voluptas ex malo & miſeria alterius, tua vt pares commoda, vt barbara virgo ſponſo ſuo necato tuæ ſeruiat libidini? *puer quis ex au.* quantus honor & ſplendor in puero regio, qui tibi pocula miniſtret, aut ad nutum tuum more patrio feras iaculetur? perinde ac ſi velit, non in iis quæ ſunt corporis & fortunæ, ſitum eſſe aut vtile aut decorum, ſed in animi bonis, quæ præcepta Philoſophiæ ſola nobis ſubminiſtrant. *ſagittas tend.* ſic & Virg. 5. Aeneid. oculos pariter telumque tetendit. *quis neget.* παρὰ τὸ ἀδύνατον oſtendit in animum numquam potuiſſe inducere tam leuem fuiſſe Iccium & parum prudentem, qui animi bona fortunæ commodis poſthaberet. vide Adag. in Chil. ſurſum verſus ſacrorum fluminum feruntur fontes. ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι πηγαί. ex Euripidis Medea. *meliora tendis.* ſic habent omnes ſcripti cod. quos vidi; non autem temnis, vt quidam voluerunt.

AD VENEREM.

ODE XXX. εὐκτικὴ.

O VENVS regina Cnidi, Paphíque,
Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.
Feruidus tecum puer, & ſolutis
Gratiæ zonis, properentq; Nymphæ,
Et parum comis ſine te Iuuentas,
Mercuriúſque.

COMMENTATOR.

O VENVS *regina Cnidi Paphiq;.* Metrum Sapphicum hendecaſyllabum; quartus Adonius. Dicarat Glycera ſacellum Veneri in ſuis ædibus. Horatius autem ei tamquam epigramma ſcribit, orans Venerem, vt relictis Papho & Cypro in ædem Glyceræ ſibi dedicatam migrare velit. *Cnidi Pap.* Cnidus vrbs Cariæ, Paphus autem vrbs in Cypro inſula, vtraque Venerem præcipuè colens. *vocantis.* inuocantis *decoram.* ornatam & compoſitam. *Feruidus p.* Cupido, quòd feruorem amoris inferat. *ſolutis Grat. zonis.* Gratiæ nudæ & incinctę pinguntur, quia amicorum animi ſoluti inter ſe & aperti eſſe debent. *parum comis.* minus elegans. *ſine te.* ſine venuſtate. eſt enim Venus non libidinis tantum, ſed etiam omnium elegantiarum dea & domina. ſic enim & alibi, ordinis hæc virtus erit & Venus. *Nymphæ.* harum plura ſunt genera: Maris, quæ Nerinæ ſiue Nereides appellantur: fontium, Naiades: montium, Oreades: nam ὄρος

mons eſt:

mons eſt: ſiluarum, Dryades, quia δρῦς. quercum ſeu arborem ſignificat: Sunt & Hamadryades, quę cum arboribus & oriuntur & occidunt: Napeæ ſunt florum nymphę. *Iuuentas* dea. Eſt autem iuuenta, ætas ipſa: Iuuentas, numen: iuuentus, adoleſcentia. *Mercuriú, que.* quia multum valet eloquentia ad amorem conciliandum: vnde eſt illud, diſertum me faciebat.

CRVQVIVS.

O REGINA *Cnidi P.* Hæc Ode eſt quaſi melos *ἐπιβώμιον*, quo in gratiam Glyceræ, quaſi ad aras decantato, Veneri dicatum ſacellum commendat. *Paphiq;* Strabo lib. 15. Veneris templum ſtatuit in Palępapho, inquiens, Palępaphus ad decem ſtadia ſupra mare ſita, quæ ſtationem habet & antiquum Veneris Paphiæ templum. *ſperne.* deſere & minoris facito præ ſacello Glyceræ tibi in ſuis ædibus conſecrato. Habebant autē maiores domi ſuæ ſacellum, quod Larariū à Laribus nominabant: inter quos etiam Deos alios ſibi ſacros habebant. *feruidus te. p.* precatur Venerem ne incomitata veniat, ſed cum Cupidine ſecum ducat Gratias, Nymphas, ἥβην, & Mercuriū: innuens Glyceram non omnino commodam, ſed arrogantem, parùm gratioſam, immitem & magniloquam.

AD APOLLINEM.

ODE XXXI. εὐκτική.

QVID dedicatum poſcit Apollinem
Vates? quid orat, de patera nouum
Fundens liquorem? non opimas
Sardiniæ ſegetes feracis:
Non æſtuoſæ grata Calabriæ
Armenta: non aurum, aut ebur Indicum:
Non rura, quæ Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.
Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, vitem: diues & aureis
Mercator exſiccet culullis
Vina Syra reparata merce.
Dis carus ipſis: quippe ter, & quater
Anno reuiſens æquor Atlanticum
Impunè. me paſcunt oliuæ,
Me cichoréa, leuéſque maluæ.
Frui paratis & valido mihi
Latoë dones: at precor integra
Cum mente, nec turpem ſenectam
Degere, nec cithara carentem.

COMMENTATOR.

QVID *dedicatum poſcit Apollinem.* Metrum duobus verſibus Alcaicum, tertius eſt dimeter iābicus hypercatalectus, quartus Pindaricus. Apollini templum in Palatio dedicauit Auguſtus. ſignificans autem lyricus votorum ſuorum modeſtiam, negat ſe ab Apolline petere quæ ad cupiditatem aut auaritiam ſpectant, ſed bonam mentē, bonamq́ue valetudinem cum lyrico ſtudio vſque ad extremam ſenectutem. Sunt autem qui putēt hanc Apollinis conſecrationem, nō ad Palatium, ſed ad domum ſuam pertinere, vbi Horatius Apollini ſacellum dedicauerat. *de patera.* calice. vt, hic laticis qualem pateris libamus & auro. *nouum liquor.* vinum nouum. oſtendit morem ſacrificandi. vt, ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido. *non æſtuoſæ.* æſtuoſa namque regio eſt, apta pecori. vt, Calidi lucent buceta Matini. *ebur Indicum.* Indis enim eſt ebur abundè. vt Virg. India mittit ebur, molles ſua tura Sabæi. *Liris.* Liris fluuius eſt Campaniæ interfluens vrbem Minturnenſem. Virg. & vmbroſa Liris per regna Maricę. hic autem leniſſimè labitur, iccircò taciturnum dixit. Virg. de Tiberis altitudine, Tacita refluens ita ſubſtitit vnda. *premant.* reprimant putando vitem. *Calena.* à loco. Cales enim oppidum eſt in agro Sidicino, vbi optima vina Calena naſcuntur. *exſiccet.* ebibat. *diues mercat.* ordo eſt: & diues mercator carus ipſis diis, quippe ter & quater anno reuiſens Atlanticū mare exſiccet vina aureis culullis reparata Syra merce. *culullis.* poculis manicatis, ſcyphis propriè autem cululli calices dicuntur fictiles, quibus Pontifices virginéſque Veſtales vtebantur, vrceoli, conchæ. *reparata.* emta, acquiſita. *diis carus.* ironicôs. *ter & quater.* finitum pro infinito. *impunè.* Ironicôs. *Atlanticū.* ab Atlante mōte dictum. Virg. 4. Aeneid. Oceani finem iuxta ſolemq́. cadentem, vltimus Aethiopum locus eſt, vbi maximus Atlas axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum. *cichorea.* Cichorea herba eſt multis & tenuibus radicibus, quod Virg. intubum nominat. Georg. Strymoniæ grues, & amaris intuba fibris. *leuéſq. mal.* leues ſcilicet corpori. vt, graui maluæ ſalubres corpori. *paratis.* aut quæ ego paraui, aut quæ parata, id eſt, in promtu ſunt omnibus. *Latoë dones.* ordo eſt: ô Latoë precor dones mihi valido frui paratis cum mente integra, & dones degere nec turpem ſenectam, nec cithara carentem.

rentem. *valido.* ſano. *integra.* ſana. *degere.* viuere. Virg. 4. Aeneid. Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam degere more feræ.

CRVQVIVS.

QVID *dedicatum.* Poëtam vult ab omni moleſta cura eſſe vacuum, non auarum, non ambitioſum, non luxurioſum, ſed frugalem, victu ſimplici parabilíque contentum: paſci oliuis, herbis frui ſalutaribus, vt ſit corpore valido, mente ſana, & ſenectute viuida, non etiam effeta, quæ lyræ omníque honeſto ſtudio par eſſe poſſit: hoc ait vatem poſcere debere Apollinem Muſarum præſidem. *quid dedicatum.* erotema complectens enumerationem rerum petendarum, de quibus negatis fortunæ bonis ſiue commodis, dicit interna corporis & animi bona ſe Apollinem tantummodo precari. *dedicatum.* ἀνατεθειμένον, diuinis honoribus affectum, vt pote templo ab Auguſto ei in Palatio conſecrato, vt videre eſt apud Suetonium. *fundens liquor.* ſic Perſ. Saty. 2. in votis piis, funde merum genio, non tu prece poſcis emaci, quæ niſi ſeductis nequeas committere diuis. *non opimæ.* hæc enumeratio eſt externorum bonorũ, quæ negat Poëtam poſtulare debere. opimæ, id eſt fertilis & fecundæ. Quo autem pacto opimus ab ope veniat Saturni vxore, qui & ipſe à ſatu dictus eſt, falce teſte, quam manu tenere fingitur, quod inſigne eſt agricolæ, legito Feſtum. *Sardiniæ.* de Sardinia à Sardis Herculis filio nominata, vide Solinum cap. 10. & Melam lib. 2. cap. 7, Plin. lib. 3 cap. 7. Ptolemæ. *Calabriæ.* vide Solinum cap. 8. Plin. lib. 3. cap. 11. *Liris.* Plin. lib. 3. cap. 5. Colonia Minturnæ Liri amne diuiſa Glanico appellato. &c. *mordet.* metaphor. ab alluuione lenta, cui mordere verbum eſt maximè idoneum. *premant Cal.* hæc ad luxum pertinent, à quo iubet abhorrere Poëtam: de Calibus, vnde Calenum vinum, vide quæ adnotauimus ad Oden 12. lib. 4. *exſiccet culullis.* Hypallage, pro exſiccet culullos. *reparata merce.* reparata, pro parata. i. emta antiquo more, vt notauit doctiſſimè F. Duarenus I. C. *Syra merce.* auro & argento ex Syria allato; eſt enim Arabia felix in Syria regione auri & argenti ditiſſima; hinc ait, aureis culullis, &c. *diis carus ipſis.* habet Commentator hæc ironicôs dici, quod mihi non videtur: quandoquidem ratio ipſa nõ ſatis idonea eſt ironię, niſi velimus mercatorem, vt fit, in tractandis mercibus non eſſe virum bonum, & iccirco neque diis carum neque impunè id ferre. *diis carus ipſis.* nimirum Dioſcouris Caſtori & Polluci nauigationis diis ἀλεξικάκοις: atque nonnihil mecũ dubito an Dioſcuriadem verſus velit mercatorem curſum dirigere, emporium celeberrimum in Iſthmi initio qui inter mare Caſpium iacet & Pontum. de quo Strabo lib. 11. *Atlanticum.* vnus cod. Bland. habet Atlantidum, qui in Eubœa ſunt inſula, ab Atlante maximo dicti Atlantides. *me paſcunt ol.* negatis ſplendidioribus ponit Horatius victum tenuem & frugalem ante votum quod poſcit Apollinem: non ignarus mollitiem corporis non generare ſanitatem bonamque valetudinem, à qua mentis quoque ſanitas multum dependet: fruſtráque eam Deos poſcere, qui nihil quàm cibo potúque eóque delicatiſſimo corpus infercire ſtudet: Neque id agit Horatius ad corporis animíque valetudinem conſeruandam, vt præter oliuas & herbas nihil eſitandum, nihilque aliud id præſtare credat, verùm prædicat in his victus tenuitatem parcitatemque, non etiam ciborũ delectum: iccirco precatur Apollinem donet frui paratis, nõ excogitatis ad delicias magnóq; emtis, iiſque non ad ſatietatem crapulamq́; , ſed famem ſedandam, & indè conciliandam voluptatem, quæ verè ſita eſt in ἀλίμοις καὶ ἀδίψοις φαρμάκοις. id eſt, in ijs medicaminibus quæ famem quidem arcent & ſitim, ſed non implent vltra quàm ſatis eſt, quæ ex herba ſeu frutice ἀλίμῳ confecta famere prohibent: ea certè herba, viuendi nimirum frugalitas, eſt Spartanica: Scytham namque ſciſcitanti Græco cuidam, qui apud Spartas tanta hominum multitudo ſeſe poſſet à fame tueri, reſpondit eos veſci herba Spartanica: quam allegoriam non intelligens Græcus, eam herbam nominauit ἄλιμον: de qua etiamnum hodie inter herbarios eſt controuerſia: cùm Scytha nihil quàm in victu Laconicam parſimoniam denotaret, ridẽs mollem Græcum: nihil eſt enim Spartan, Cimbricè, aliud quàm dentibus parcere, id eſt, ſobriè viuere, vnde Lacones Spartani dicti ſunt. legito Becanũ in Amazonicis. *leues.* ab effectu, quòd ventrem leuent & molliãt. hinc malua quaſi molua dicta eſt à molliendo. *Latoë. iuxta.* alludit autem ad Apollinis epitheton Λητῷος, Latonæ filius. *ac precor integra.* ſic legendum eſt, vt habent ſcripti cod. non, at, vt habent vulgati; qui error accidit propter affinitatem litterarum c & t. Quidã ſcripti habent atque, quod ratio carminis non admittit. *nec turpem.* litote, id eſt, decoram & laudabilẽ, non querulam, non moroſam, non in rebus paruis anxiam. *nec cithara car.* iucundam & hilaram, lyræq́ue accommodam, ſine vlla graui ſenectutis moleſtia.

AD

AD LYRAM.

ODE XXXII. προσφωνητική.

POSCIMVS, ſi quid vacui ſub vmbra
Luſimus tecum, quod & hunc in annum
Viuat, & plureis: age, dic Latinum
Barbite carmen,
Lesbio primùm modulate ciui:
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Siue iactatam religarat vdo
Litore nauim:
Liberum, & Muſas, Veneremq́; & illi
Semper hærentem puerum canebat,
Et Lycum nigris oculis, nigróque
Crine decorum.
O decus Phœbi, & dapibus ſupremi
Grata teſtudo Iouis, ô laborum
Dulce lenimen, mihi cumque ſalue
Ritè vocanti.

COMMENTATOR.

POSCIMVR *ſi quid vacui ſub vmbra.* Metrum Sapphicum hendecaſyllabum, quartus Adonius. In hac Ode lyram ſuam alloquitur, poſcítque vt ſibi adſit & ſecum canere ne deſinat, poſcebatur enim dicta ſua edere. *vacui:* à negotiis liberi, otioſi. *ſub vmbra.* in ſeceſſu, ſecretò. *luſimus.* cecinimus. Virg. Bucol. ludere quæ vellē calamo permiſit agreſti. &, carmina quæ luſi paſtorum. ludum enim Poëtæ ſua carmina verecundè dicere conſueuerunt. *tecum.* ô barbite. *viuat.* ſit perpetuum: optat autem ſuo carmini, vt perpetuò vigeat, & memorabile fiat. Virg. nulla dies vmquam memori nos eximet æuo. *Barbite.* genere maſculino hic barbitos. *Lesbio ciui.* Alcæum intelligit, qui de Lesbo inſula fuit: hic etiam bella geſſit aduerſum tyrannos Pittacum & Myrſilum, & Thyrenos debellauit. *modulate.* obſecute & obſecundate in modulis. *vdo.* tempeſtuoſo, quia neque in bello neque in quiete citharæ ſolatia omiſit. *Liberum & Muſ.* Liber auctor eſt hilaritatis, quam Muſa comitatur. *puerum.* cupidinem. vt, túque puerque tuus. *Lycum.* amaſium ſuum dilexit Alcæus. pulchritudo enim in pueris ſæpe nigris decoratur oculis & crinibus. *decus.* lyram dicit eſſe decus Apollinis, quia eam geſtat. *dapibus.* quia his ſolet intereſſe. *grata.* apta. *teſtudo.* lyra. *ſummi.* ſupremi. vt, prô ſupreme Iupiter: omni autem lætitia Iouis epulum celebrabatur. *dulce.* malorum enim lenimen & ſolatium eſt citharæ cantus. *cumque.* id eſt, quotieſcumque vocauero te, leniantur ſollicitudines & anxietates animi mei.

CRVQVIVS.

POSCIMVR *ſi quid vacui ſub vmbra.* Hortatur lyram ſi in ſeceſſu ſecum, ſi in prædio luſerat aliquid memoria dignum, nunc vt in publicum prodeat, ſibíque in Latino carmine morem gerat, vt priùs Alcæo in Græciæ rebus belli domíque tam claſſicis quàm amatoriis familiaribúſque decantandis, eámque ad id inuitat non minimis laudibus: nimirum ab inuentore, à dignitate Iouis, cuius dapibus intereſſet, & ab effectis, vt quæ leniat animos cura, ſtudiis, & laboribus defatigatos. *poſcimur.* ſic Bland. cod. tres habent. quartus autem poſcimus, cum aliis, ſed adnotatum, aliàs poſcimur, & vni ex tribus hæc adſcripta eſt enarratio: ô barbite, poſcimur à Mæcenate, id eſt, precatur nos Mæcenas, vt ſi quid in occulto ſcripſimus, in publico canamus. in alio autem codice, qui habet poſcimus, aliàs poſcimur, adſcriptū eſt; poſcebatur enim ſua dicta edere: quæ verba quoque legere eſt in vulgato Acrone, à quo non multùm diſſentit Porphyr. vulgatus, inquiens. ſi quid luſimus, exigitur à nobis vt canamus. Ab hac itaque lectione nō auſim diſcedere propter antiquitatem codicum; & reipſa, meo quidem iudicio, ſanior eſt, antiquiórque: nimirum vt tandem poſcentibus amicis, euulget quod iam diu apud ſe meditatus fuerat, ne ſibi ſemper, nec vmquā caneret amicis. quare ne Mæcenati ceteríſque parùm gratus lyram Latinam inuideret, alloquitur lyram in hanc ſententiam: quandoquidem poſcimur, ſiquid otioſi nobiſcum luſimus, vt id & in huncannum viuat & plureis, id eſt, vt id euulgetur & publicum fiat, age ô barbite, dic Latinum carmen. *Latinum.* ex ἀντιτύπου Græci carminis, cui prius lyram coaptauerat Alcæus. *barbite.* de barbito, prima Ode ſuprà, & Epodo 12. *Lesbio ciui.* periphraſis Alcæi à patria Lesbo. *modulate.* διαμετρῆτε. *ferox bello.* bellicoſus. de quo Cic. in Tuſcul. fortis, inquit, vir in ſumma republica cognitus. & Quintil. Alcæus, inquit in parte operis, aureo plectro meritò donatur, quoniam tyrannos inſectatus eſt: multum etiam moribus confert: in eloquentia quoque breuis & magnificus & diligens, Homero ſimilis &c. videto oden 9. lib. 4. *tamen inter ar.* ellipſis præpoſitionis, ſiue, tamen ſiue inter ar. *inter arma.* in caſtris bello terreſtri. *ſiue iact.* in mari, bello nauali. *religarat.* ſoluerat fune religato. *nauim.* Synecdoch. pro claſſe. *Liberum.* conuiuia, quæ cithara ipſe lyráque temperabat ornabatque.

batque. *ſemper her.* nam Veneris filium fabulantur nonnulli fuiſſe Cupidinem: hinc illud Virg. Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus &c. At Sappho è cælo & terra genitum finxit, vt refert Apollonij interpres 3. Argonaut. *Lycum ni*. &c. Sed & in luſus, inquit Quintilia. & in amores deſcendit, maioribus tamen aptior. *ô decus Phœb.* *ἀγαθὸν ἐν δαισὶ μετὰ προσμηνίοις* ipſius lyræ. *dapibus ſup.* apud Hom. Il. 1 canit in cithara Apollo Ioui *προσῳδίας*. *οὐ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος ἣν ἔχ' Ἀπόλλων*, id eſt, nec cithara hinc aberat, quam pulcher habebat Apollo. *mihi cumque ſalue.* laborant enarratores in expoſitione. *τοῦ* cumque, aliis enim eſt quotieſcumque, aliis, quomodocúnque; Lambino eſt quouis tempore. Equidem credo *παρέλκον* eſſe, ſicut & *πως* Græcis non raró eſt inclinatiuum, & vel ornat atque explet ſolum. vt apud Thucydid. *διαλαθών πως*, latitans vtcumque. Demoſt. *ἀκριβῶς πως*, diligenter vtcumque. in quibus facile videre eſt *τὸ πως* vacare.

AD ALBIVM TIBVLLVM.

ODE XXXIII. *προσευκτική*.

ALBI ne doleas plus nimio memor
Immitis Glyceræ: neu miſerabileis
Decantes elegos, cur tibi iunior
Læſa præniteat fide.
Inſignem tenui fronte Lycorida,
Cyri torret amor: Cyrus in aſperam
Declinat Pholoën. ſed priùs Apulis
Iungentur capreæ lupis,
Quàm turpi Pholoë peccet adultero.
Sic viſum Veneri: cui placet impares
Formas, atque animos ſub iuga aënea
Sæuo mittere cum ioco.
Ipſum me melior cùm peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Hadriæ
Curuantis Calabros ſinus.

COMMENTATOR.

ALBI *ne doleas.* Metrum tribus verſibus Aſclepiadeum, quartus Glyconicus. Albium Tibullum elegorum ſcriptorem conſolans hortatur, vt aliorum exemplo contemtum Glyceræ negligat, quando Cyrus Pholoën diligat, à qua tamen aſpernatur. *plus nimio.* plus iuſto, pluſquam oporteat, vt ſi doleas, non excedas modum. *immitis.* inte, quia non vult amori tuo ſuccũbere. *miſerabileis.* quia verſus elegi ſunt fletibus & lacrymis aptiſſimi. *παρὰ τὸ ἒ, ἒ* quod eſt lamentantium. *iunior.* iuuenculus *præniteat.* nitidior ſit quàm tu. *læſa fide.* quòd perfida ſit tibi. *tenui* nobili, anguſta & parua, quod in pulchritudine formæ commendari ſolet. *torret.* incendit. *aſperam.* renitentem, repugnantem amatori. *declinat.* deductus deſcendit. *Apulis.* aut pro quibuſuis poſuit, ſpeciem ſcilicet pro genere, aut quia maioris formæ & horridiores ibi eſſe dicuntur. ſic, iungentur iam gryphes equis. Apulis autem à loco, puta Apulia. *ſic viſum Ven.* Quotieſcumque ratio rei aut facti alicuius non apparet aut incerta eſt, vtimur ſimili loquendi modo. vt Virg. Poſtquam res Aſiæ Priamíque euertere gentem immeritam viſum ſuperis. ordo eſt: ſic viſum eſt Veneri cum ſæuo ioco, id eſt, Veneri & amori ſic placuit. *iuga aënea.* ſubduros & inæqualeis amores. *ſæuo.* quia in diuerſum animi ſæpe diſtrahuntur. *melior.* nobilior. *grata cõp.* grato amore, licet amariore. *Myrtale libert.* nõ ſimpliciter dicit Myrtale, ſed libertina, quo ſignificat eam alterius poteſtati ſubditam. *acrior.* ſæuior. exemplum dat de ſeipſo, qui cùm à quadam nobili meretrice amaretur, ipſe plus aliam ignobilem amabat, à qua non minus vexabatur quàm Calabriæ littora maris Adriatici tempeſtatibus. Curuantis autem ſinus dixit, vt Virg. è littore curuo extruimúſque toros. *Adriæ curuant.* Adriaticum ſinum intelligit, quod mare & Calabriam alluit.

CRVQVIVS.

ALBI *ne doleas.* Ex euentu communi monet Albium Tibullum plus æquo ne doleat Glyceræ cariorem ſe eſſe álium, hoc enim ſibi ait & aliis cum eo, qui quaſi eadem naui vehuntur, eſſe commune naufragium; nec aliter de amoribus ſentire Venerem, quàm vt incommodi animi & impares formæ iugentur imparibus & minus commodis. *ne doleas.* *τὸ* ne, hic non tã prohibendi quàm monendi ſuadendíque particula eſt. vt ex Chariſij lib. 2. notauimus ad Saty. 1. lib. 1. *immitis.* ſæuæ, crudelis: quòd amantem nõ redamet, quòd amoris præteriti immemor alium receptet, quòd fidem datam violet. *elegos.* *παρὰ τὸ ἒ, ἒ*, inquit Cõmentator, cui addendum eſt, *καὶ λέγω*, quaſi dicas ἒ, ἒ, *λέγω*: vel ab *ἐλεέω*, miſereor: vel ab *τοῦ εὖ λέγω*: mortuis enim licet mæſti, bene precari ſolemus. cui rei in primis elegiacum carmen erat attemperatum, hinc *ἐλεγεῖα*, *τὰ ἐπιτάφια ποιήματα* dicta ſunt, verùm tempore & vſu póſt etiam rebus lætis ſunt accommodata; quod ſcribit in Epiſt. ad Piſones: verſibus impariter iunctis querimonia primùm, póſt etiam incluſa eſt voti ſentẽtia compos.

læſa fide.

læſa fide. nota meretriciæ perfidiæ & amatorij periurij,cui ſoli,inquit Plato in conuiuio,dij dant veniam, *ἀφροδίσιον γὰρ ὅρκον, οὔ φασιν εἶναι.* i. Venereum enim iuramentum nihil aiunt eſſe *præniteat.* amabilior ſit,*περιαγλαϊζηται*: nitor enim in amore, & formæ claritas,purúſq; & ſimplex cultus, multum faciunt ad commendationem & gratiã. *inſignem tenui.* Argumentum ab exemplo Cyri, quem Satyricè notat de amoris imparitate. *tenui fron.* tenuis & rotunda frons index eſt libidinis & mobilitatis ſimplicitatíſque,ſine procaci petulantia dolíſq. meretriciis;qualem credo fuiſſe Lycorida, eò quòd Cyro minus placeret quàm Pholoë proterua & aſpera: Solent enim meretriculæ nobiliores iuuenes exercere ſimulata quadã peruicacia, quò amorem exacuant. *Apulis iun. ca. l.* tale eſt Ariſtoph. *ἐν εἰρήνῃ· πρὶν κἂν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ*, id eſt, prius lupus ſibi ouem iungat: quod de ijs dicitur qui inter ſe diſſidio laborant inſanabili. *turpi adul.* turpem nominat Cyrum,fortaſsè quòd eſſet *ἀρρενογίτης*: quod genus mœchorum mulieres oderũt peſſimè. *ſic viſum Veneri.* *ἀπολογία*, cur alijs alia placeant. Ita namque natura comparatum eſt, hoc Deus voluit ad ornatum vniuerſi, qui in varietate ſitus eſt,ad propagationẽ generis humani & rerum cognitionem, vt mala ſint vicina bonis, turpia pulchris,contraria contrariis, commodáq; commiſceantur incommodis: Nam ſi formæ pares paribus ſolum gauderent, ſi nulla eſſet animorum diſſenſio: deniq. ſi omnia eſſent æqualia, omnia ſimilia,quid in vita eſſet voluptatis, quid oblectamenti,quid iucunditatis? quare belliſſimè finxit Homer. Ilia. vlt. ex duobus doliis Iouem variè miſcere res mortalium,atque ita fieri,vt plerumque triſtia pro lætis,peſſima pro optimis placeant. *ſub iuga.* quæ cogant vel inuitos boueis progredi præ duritie & pondere: ad eum modũ mariti dicuntur ſubiugi,qui nõ ſuo ſed arbitratu cõiugis omnia faciunt. huic cõtrarium eſt, iugo ſubducere collum, excutere iugum. *aënea.* ſic habent omnes ſcripti lib. alij aë. diuiſis,alij ę in diphthongum contractis. *ſæuo ioco.* amorem enim & naſci & eſſe neceſſe eſt inæqualem ex animorum imparitate, vnde difficilis eſt & moroſus. *ipſum me.* à ſua perſona monet Albium vt Glyceram tradat obliuioni. *melior Ven.* cõmodior puella & minus amarulenta. *grata compede.* ſed cui quæſo grata ſint vincula,quæ non niſi ſceleratis iniici ſolent vel maximè renitentibus,quæ libertate perdita, ſeruire cogunt? certè non niſi amenti (amãti inquã) qui ſeruire gaudet amoribus, etiã duriſſimis, momentaneæ cuiuſdam voluptatis gratia, imprudẽs omnium calamitatum quæ ſubſequi ſolent eiuſmodi ſtultitiam,quarum auctores fuiſſe mulieres teſtis eſt Troianum bellũ, teſtis Hercules à Deïanira extinctus, teſtis fabula Danaïdum Lemniarũ hiſtoria, Cleopatra, &c. *libertina* Horatius oſtẽdit non ei ſe libidini eſſe obnoxium quam Saty. 2. lib. 1. reprehendit in Marſæo quodã,qui ſine delectu tam in matronam inſanire quàm libertinã putabat eſſe licitum, eum locum legito. *curuantis.* ambientis Calabriam,quò ſinus vſque Tarentinus extenditur. vide Oden 28. ſupra.

AD SEIPSVM DE NEGLEcto Deorum cultu metúque dum ſectaretur Epicureos.

ODE XXXIIII. *δικωλικὴ.*

PARCVS *Deorum cultor, & infrequens,*
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro: nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos. namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila diuidens,
Plerumque per purum tonanteis
Egit equos, volucremq; currum:
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, & inuiſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteúſque finis
Concutitur. valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens. hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit: heic poſuiſſe gaudet.

COMMENTATOR.

PARCVS *Deorum cultor.* Metrum duobus verſibus Alcaicum; tertius dimeter iambicus hypercatalectus; quartus Pindaricus. Hac ode ſcribit pœnitere ſe quòd Epicureos ſecutus in Deos non fuerit religioſus. *Parcus col.* minus colens. *infrequens.* rarus. *inſanientis.* res ſacrilegas ſuadentis. Epicurei enim affirmant omnia caſu fieri, nec deos humana curare; aduerſus quam ſectam vel perſuaſionẽ Virg. Nec curare Deûm credis mortalia quemquam. hoc ergo & ipſe culpat. Stoici namq; & Platonici & eſſe Deum & humana curare confirmant. & ideo inſanientis ſapientiæ dicit, id eſt, Epicureç; quam etiam Virg. indicat ſcribens, Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos ſollicitat. *conſultus.* doctus, peritus: hinc iuriſconſulti, periti iuris eſſe dicuntur. *erro.* decreta Epicureorum ſector. *vela dare.* iterare, & ad eoſdẽ curſus redire.

Meta-

Metaphora ſumta eſt à nauigatione, eò quòd cõtemta Epicureorũ diſputatione reuerti ſeſe aſſerat ad credendũ deos curare mortalia. ſic, Ni teneãt cursꝰ, certũ eſt dare lintea retrò. *Dieſpiter.* dici pater Iupiter. *igni coruſco.* qui nõ niſi nubilo cælo tonare vel coruſcare ſolet. *per purum.* ſerenũ. *tonanteis.* vt, intonuere poli, & crebris micat ignibus æther. *volucrem curr.* ex opinione vulgi plerũq. Poëtæ ſuos ſenſus cõcipiũt, vt hic, vbi tonitrua dicũtur ſtrepitꝰ eſſe curru, & quadrigarũ Iouis. *bruta tellus.* ſine ſenſu, tarda. terræ epitheton. *inuiſi.* odioſi. *Tænari.* inferi, quia per Tænarũ Laconiæ promontorium deſcenſus ad inferos eſſe fertur. Virg. Tęnarias etiam fauces, alta oſtia Ditis. *Atlanteus.* Atlas mons eſt in Oceani fine, cuius cacumen nubes penetrare dicitur. *valet ima ſ.* poteſt Deus hominum mutare fortunas, & ex minimo ſummum, & contrà, ex potentiſſimo efficere minimum. *Deus.* Iupiter. *obſcura promens.* ignobilia & vilia, hoc eſt, vileis & ignobileis perſonas efficit inſigneis, & contrà. *apicem.* ſummitatem poteſtatis. vt Virg. Apicem tamen incita ſummũ haſta tulit. *rapax.* mutabilis, vt Terent. ô fortuna vt numquam es perpetuò bona! *cum ſtridore.* cum populari ſtrepitu & luctuoſo eis quos dea læſerit: aut acuto, id eſt, ſonoro, vt, acuta ſic geminant Corybantes æra. ordo eſt: fortuna rapax hinc ſuſtulit apicem cum acuto ſtridore, hic gaudet poſuiſſe. ſenſus autẽ eſt: fortuna res humanas plerumque mutat, & ab alio ad alium opes & dignitatem trãsfert, mutata vice hunc exaltans, illum deiiciens.

CRVQVIVS.

PARCVS *Deorum cultor.* Lucretius lib. 1. ſcribit ex Epicuri dogmate, cælum, cæleſtiáque omnia, quantum ſpectant ad religionem, cõtemtim habenda. Primus, ait, Graius homo mortalis (Epicurus) tollere cõtrà eſt oculos auſus, primúſque obſiſtere contrà, quem nec fama Deûm, nec fulmina, nec minitanti murmure compreſſit cælum &c. Hæc ergo inſana, vt ait, ſapientia perſuaſus, ei tantiſper aſſenſus eſt, dum tonitru præter naturam, fulminéque & aëreæ tempeſtatis non vano metu periclitans coactus eſt παλινῳδεῖν, deóſque & cæleſtia reuereri: Quare nunc erroris temerarij pœnitentia ductus, adque mentem saniorem reuerſus, fatetur humana omnia definita certáque Dei ſcientia regi, adminiſtrari, ordinari. *parcus Deor.* exordium à confeſſione culpę, & mutati in melius conſilij. *parcus.* tardus, non hilarus, ſed odioſus ceſſator, & puſillo animo Deos colens, μικροαρεσκής: quales ij ſunt qui pœnæ formidine ſacris interſunt, ne tamquam ritus patrij contemtores eiiciantur proſcribantúrque. Quod Epicureis aliquando contigiſſe ſcribit Athen. lib. 12. vt notauimus Saty. 3. lib. 1. *infrequens.* κοινῶς ἀήθεις, non aſſuetus, inſolens. *inſanientis d. ſap.* inſaniens ſapientia, ſiue inſana, cum eo conuenit quod Grecè fertur σοφία ἀσοφία, τοῦτ' ἐστι, μανία, id eſt, ſapientia inſipiens quæ mera eſt inſania; ſic σόφος ἄσοφος, σώφρων ἄσωφρον: quo loquendi genere in ijs quæ ſecum pugnant (quod ὀξύμωρον dicitur) multi ſunt Græci. quos multis in locis non feliciter imitari gaudet noſter lyricus. *nunc retrorſum.* mutare conſilium & inſtitutum vitæ ἀλληγορικῶς à naucleris in tergum vela vertentibus, vt eò renauigent vnde ſoluerant. *iterare curſus.* eadem redire via, priora inſequi nauigationis veſtigia, τὴν αὐτὴν θάλασσαν ἀναμετρεῖν, ἀναπλεῖν. *curſus relict.* an id velit, quòd deſerta profeſſione Stoica defeciſſet ad Epicureos, ad quam redire ſit coactus? *namq. Dieſpiter.* mutata ſentẽtiæ αἰτιολογία à neceſſitate, quòd ita Ioui viſum eſſet, vt ad saniorẽ mentẽ regrederetur; idq́. fulmine & tonitru factũ cõmemorat, ſeq́. tanto metu perculſum, pręſertim quòd ſudo id cælo fieri animaduerteret, vt vel inuitus nõ fortuitò aut caſu quodã (vt Epicureorũ ſchola definiebat) ſed nutu & voluntate Iouis euenire crederet: quem Diiouem iccirco nominat, quòd eum iuuiſſet, éque periculo liberaſſet, quod cum terræmotu ſuo capiti imminere à tonitru & cæli fragore vehementer timuerat. *igni coruſco.* fulmine, quod fit ex anhelitu terræ (2. de diuinat.) quã exhalationem nominãt Phyſici, qui cùm ſe in nubem induerit, eiúſque tenuiſſimam quamq; partem cœperit diuidere, atque diſrumpere, idq; crebrius facere & vehementius, tum fulgura & tonitrua exſiſtere: ſi autem nubium conflictu ardor expreſſus ſe emiſerit, id eſſe fulmen placet Stoicis; hinc κεραύνιος nomen inuenit: à tonitru verò βρονταῖος. *nubila diuid.* hoc fulmen eſt naturale, quod non niſi caſu noxium putatur à Phyſicis. *plerumque per p.* hoc autem fulmen quod puro cælo cum fragore emicat, & præter naturam eſſe, & Ioue conſcio, ſibi infauſtum ominabatur Horatius, ſi in inſtituto vitæ Epicurico maneret. vide quæ de fulmine adnotauimus Ode 2. ſuprà. *purũ.* aëra, per ἔλλειψιν. *tonanteis.* βροντῶντες, pro φρυμάσσοντες, quod equorum eſt, fremitum cum flatu naribus emittere, quod tonitru Poëtis eſt. *bruta tellus.* ab effectis ſignificat ipſius tonitrus magnitudinẽ; nam cælum, terra, maria, inferi denique ipſi hoc fragore concuſſi tremuere; quid ergo mirum ſi metu totus horruit Horatius? *bruta tellus.* brutum, Feſto, antiqui grauem dicebãt. bruta tellus, moles grauis & iners ipſius terræ, vt quæ omnia quidem pati, nihil verò agere videatur. dictio ſumta ex Etruſcorum libris. ſic bruta quoque fulmina dicuntur.

-tur. *vagaſ flumina.* proprium epitheton. *Styx & inviſi h.T.* per hyperbolen indicat tantum fuiſſe tonitrum, vt & infima terræ concuſſa commotáque fuerint. Styx autem fons ad Nonacrin Arcadiæ, cuius aqua ob nimiam frigiditatem lethalis cum magno tremore & horrore fabulæ locum dedit de Stygia inferorum palude. de qua Virg. 6. Aeneid. Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamq́; paludem, dij cuius iurare timent & fallere numen. Pauſan. in Arcadicis. Iuſtinus lib 17. Curt. lib. 10. Vitru. li. 8. cap. 3. Plin. lib. 2. cap. 103. Lycoph. in Alexandra. Heſio. in Theog. Serui. Aeneid. 7. venit autem Styx ἀπὸ τοῦ στυγέομαι, ſum odio, horrori, terrori. *Tænari.* Tænarus aut vrbs, aut promontoriũ Laconiæ, vnde fingunt poëtæ deſcenſum ad inferos: hic autẽ ex Ariſtoph. in Ranis, vt opinor, fingitur eſſe apud inferos. *valet ima ſummis.* vt gratus ſit Ioui ob vitam ſeruatam, vitæq. mutatum conſilium, hunc quaſi hymnum ſuccinit de omnipotentia Dei, & rerum humanarum cura: Hæc autem prouerbialis eſt metaphora, ad docendum in manu Dei eſſe omnia, eũ poſſe omnia, eũ gubernare omnia, cõtra Epicureos. Tale eſt illud Ariſtophanis in Lyſiſtrata, τὰ δ᾽ ὑπέρτερ᾽ ἐγὼ νέρτερα θήσει ζεὺς ὑψιβρεμέτης, hoc eſt, ſupera infera reddet Iupiter altitonans. *& inſignem atten.* hanc eſt mutuatus ab Heſiodo ſentẽtiam ἐν ἔργ. ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥεῖα δὲ βριάοντα χαλέπτει, id eſt, abiectũ facilè extollit, grauis inde ſuperbo. Quin & Aeſop⁹, auctore Laërtio, interrogatus quid ageret Iupiter, τὰ μὲν ὑψηλὰ, reſpondit, ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ, id eſt, deprimit excelſa, & tollit humilia. *attenuat.* ἀρίζηλον μινύθει, inquit Heſiod. καὶ ἄδηλον ἀίξει, id eſt, elatum imminuens, humilem ſuper ęthera tollit. attenuare eſt diminuere, deprimere. *obſcura promẽs.* alludit ad Iouis dolia; ex quibus, his bona, illis mala & aduerſa depromere fingitur ab Homero, Ili. vlt. vt ode præcedente. *apicem.* dignitatem, honorem, magiſtratum, quæ ad locum ſupremum euehunt: Apex autem propriè Feſto eſt ſacerdotum inſigne: dictus ab eo, quòd comprehẽdere vinculo antiqui apere dicebant. Val. Max. lib. 1. cap. 1. At Sulpicio inter ſacrificandum è capite apex prolapſus, eidem ſacerdotium abſtulit. Quæ verba ad viuum locum hunc interpretantur. *rapax.* rapida, velox, feſtina. *Fortuna.* τύχη δαίμονος, ſors dæmonis, id eſt, dei voluntas, vt pro deo accipiatur fortuna, non etiam pro incerto euentu & caſu Epicureorum. *cum ſtridore acut.* non ſine quiritatione; his verbis, ὢ τῆς τύχης, φεῦ τῆς τύχης, ô me infortunatum, infelicem, heu me miſerum: ô mala, φεῦ τῶν κακῶν. *gaudet.* ludere namq. fortuna dicitur in humanis rebus. vnde ludicra eius bona cenſentur.

AD FORTVNAM.

Ode XXXV. προσευκτική.

O DIVA, gratum quæ regis Antium,
Præſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus: te dominam æquoris,
Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus aſper, te profugi Scythæ,
Vrbéſque, gentéſque, & Latium ferox,
Regumq́ matres Barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni:
Iniurioſo ne pede proruas
Stantem columnam: neu populus frequens
Ad arma ceſſanteis, ad arma
Concitet, imperiumq́ frangat.
Te ſemper anteit ſæua Neceſſitas,
Clauos trabaleis, & cuneos manu
Geſtans aëna: nec ſeuerus
Vncus abeſt, liquidumq́ plumbum.
Te Spes, & albo rara Fides colit
Velata panno: nec comitem abnegat,
Vtcumque mutata potenteis
Veſte domos inimica linquis.
At vulgus infidum, & meretrix retro
Periura cedit. diffugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis amici,
Ferre iugum pariter doloſi.
Serues iturum Cæſarem in vltimos
Orbis Britannos, & iuuenum recens
Examen Eois timendum
Partibus, Oceanoq́ rubro.
Eheu, cicatricum, & ſceleru pudet,
Fratrúmque. quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefaſti
Liquimus? vnde manus iuuentus
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? ô vtinam noua
Incude diffingas retuſum in
Maſſagetas, Arabáſque ferrum!

Commentator.

Odiva *gratū quæ r. An.* Metrū duobus verſibus Alcaicū, tertius dimeter eſt iambicus hypercatalectus, quartus Pindaricus. Eſt autem ſcripta ad Fortunā, cui Cæſaris in Britannos profectionē cōmendat: *o diua* Zeugma ab inferiori, ô diua ſerues iturū Cæſarē. *Antium.* apud Antium Fortunę templum erat maximè celebre, multorum etiā principum virorum donis exornatū; vnde etiam ciuitas ipſius tutelæ addicta ſubſiſtit. *præſens.* parata, potens mutare ſtatus hominum, præſens ad potentiam tuam manifeſtandam. *vertere.* conuertere, mutare. vt, multos mutata reuiſens luſit, & in ſolido rurſus fortuna locauit. *ambit.* rogat, ſupplicat, veneratur. *ſollicita.* meticuloſi. ordo eſt: pauper colonus ruris ambit te. *te dominam æq.* hoc autem dicitur, quia fortuna vbiq. metuendá eſt, ita vt etiam à nauigantibus inuocetur. *Bithyna.* ſpecies pro genere. vt, leuis innatat alnus miſſa Pado. &, illam ducit amor trans Gargara tránſque ſonantem Aſcanium. pro quouis fluuio, & monte. *laceſſit.* nauigat. *Carpathium.* Carpathium mare inter Aegyptum & Rhodum. dictum à Carpatho inſula. *Dacus aſp.* gens iuxta Iſtrum fluuium degens, aſpera bellis. Virg. & cōiurato deſcendens Dacus ab Iſtro. *profugi Scyt.* quia fugiēdo iaculantur: Deinde quòd nuſquam habent certam ſedem, in mundi extrema parte conſtituti. *ferox.* inuictum. Virg. gens dura atque aſpera cultu debellanda tibi Latio. *regúmq. mat.* eſt enim matrum timere liberis. *purpurei.* purpurati. purpureū propriè eſt quod ex purpura conſtat. *iniurioſo.* iniuriam inferente. iracundo. vt ibi, cum Turni iniuria matrem admonuit. poteſt & fortuna contra iuſtitiam graſſari: quod Terentius bene protulit, tu nunc id laudi tibi ducis quod tunc feciſti inopia, iniurium eſt. *proruas.* proſternas, deiicias. *ſtantem col.* præſentem felicitatem, incolumitatem regni. *frequens ad ar.* bellicoſus. *ceſſanteis conci.* inermeis commoueat. *frangat.* concutiat & perdat. Virg. fractę vires. & alibi, fracti bello fatíſq. repulſi ductores Danaûm. *anteit.* pręcedit, quaſi neceſſitas miniſtra ſit & ancilla fortunæ; quia aut fortunæ imperio obediat, aut quòd eam ſeruire compellat. *clauos.* genus tormenti. *trabaleis.* forteis & magnos ad reſcindendam proſperitatem. hæc autem inſtrumenta omnia Fortunæ accommodat, quia vehemēter cogit, torquet & implicat res humanas. *aëna.* forti, dura; vt, ærea puppis. *ſeuerus vncus.* quo puniebantur damnati. Iuuenal. Seianus ducitur vnco. Cic. vncus impactus fugitiuo, qui C. Marij nomen inuaſerat. *liquidúmq. plumb.* Nam & reſoluto plumbo rei puniri conſueuerunt. *te ſpes.* quæ ſperat do meliora durat. Virg. ſpem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem. hæc autem Fortunam colere dicitur, quoniā qui in aduerſitate ſunt, ſpem habent futuræ proſperitatis; vt qui in proſperitate metuūt aduerſitatem futuram. *rara fides.* quę à paucis colitur. *albo panno.* quia albo panno caput velabant, qui fidei ſacrificabant, quia ea debet eſſe arcana, tecta, & pura. ſic Virg. Cana fides & Veſta, Remo cum fratre Quirinus iura dabant: nam & à ſenibus maturis honeſtíſq. colitur; deinde quia canos nimia cura & pauperiores efficit amanteis ſui: contrà autem quæſtuoſa eſt perfidia & minimè cana. hinc Iuuenal. criminibus debent hortos, prætoria. *colit.* amplectitur. *nec comitem abn.* nam Fortuna relinquens diuites, etiam fidem ſecum aufert. vt Iuuenal. Quantum quiſque ſua nummorum ſeruat in arca, tantum habet & fidei: Nam potentibus & diuitibus, qui aut dignitatibus aut opibus excellerunt, nec fides habetur, nec ſeruatur. ordo autem eſt: nec abnegat comitem vtcumque inimica linquis potenteis domos mutata veſte. *mutata veſte.* aut iniuria aut pauperie. *vulgus infidum.* hoc ſcitè dictum eſt, nam fortunæ cucurum ſubire cum amico nolunt vulgares & homines nequam. hinc Iuuenal. Sed quid turba tremens? ſequitur fortunam vt ſemper, & odit damnatos. *periura.* quæ te fidem ſeruaturam promiſerat, quam abnegat. *cadis.* lagenis. *diffugiunt.* per allegoriam docet vulgus amicorum neceſſitati nolle coniungi. vt omnes me noti atque amici deſerunt. *cum f. f.* fece tenus epotatis. *iugum.* aduerſitatis. *doloſi.* fraudulenti. ordo eſt: amici doloſi diffugiunt ferre iugum pariter cadis ſiccatis fæce. *ſerues itur.* per hyperbaton ad initium reuocandum eſt, hoc modo, ô diua gratum quæ regis Antium, ſerues iturum Cæſarem, &c. *iuuenum recens.* omnibus enim militibus veteranis per ciuilia bella cæſis, ab Auguſto delectu habito nouus fuerat collectus exercitus: quem pulchrè examen vocauit ab apibus ſumta ſimilitudine. *Eois timend. p.* Eois, orientalibus, nam Parthi in oriente erant. *Oceanóque rub.* occidentalibus ſcilicet Britannis. Virg. & duo rapta manu diuerſo ex hoſte trophæa, bíſq. triumphatas diuerſo à litore genteis. *Heij cica.* ſic enim bellorum ciuilium pudendæ cicatrices ſunt, vt in bellis externis glorioſæ. *ſceleris.* quod ciuili bello in nos admiſimus. *pudet.* tædet nos. *fratrum.* interfectorum. vt, illic locus fratres habuit. *nos dura ætas.* ſuauis & elegans ſyllepſis. *dura.* ferrea, aſpera, infeliciter nata: aut dura, ſine miſericordia. *intactum.* intentatum. *nefaſti.* nefarij, ſup. nos. *liquimus.* reliquimus. *vnde.* à quo ſcelere. *manum iuuentus.* quia nec à parentū cæde, nec à nu-

à numinum violatione temperatum eſt. Luca. numina miſcebat caſtrenſis flamma monetæ. *quibus peper.* hoc eſt, quæ non ſpoliauit templa deorū aut ſanguine polluit. Luca. ſtat cruor in templis. *vtinam noua incu.* vtinam pararentur & reſtituerentur noua tela iuſtis hoſtibus expectanda experiūdáque, nec ciuilis ſanguinis polluta piaculo, quæ iuſtam victoriam mereantur, & omine careant infelicitatis, vt eſt, ipſorum clypeos & non felicia tela. *diffingas.* reformes ô Fortuna *retuſum.* bellis ciuilibus fractū recudendum. *in Maſſagetas* Maſſagetæ iuxta Gothos incolūt, vnde & Gothi Maſſagetæ aliquando dicuntur: vocantur etiam aliis nominibus Oſtrogothi, id eſt, orientales, & Veſigothi, id eſt, occidentales Gothi.

CVCVLVS.

O *Diua gratum quæ regis Antium.* Cæſar fortaſſis Antij in Britannos expeditionem meditabatur: id namq. oppidū ad otium, & à rebus vrbanis vacationem concedebatur viris principibus, inquit Strabo lib. 5. itaq. Fortunæ ſupplicat Horatius Antiati, vt rebus Romanis iam poſt ciuilia bella conſtitutis, imperio ſecuritatem præſtet, & ciuium nunc inter ſe contentionibus ſedatis, obſecrat eam, vt Cæſarē iuuet, cúmq. in Britanniam cum noua iuuenum manu iturum conſeruare dignetur. *ô Diua.* ab oppido, vbi tutelaris colebatur, Fortunam intelligimus, quam in fine præcedentis odes id exequi facit quod de rebus humanis ſtatuit Iupiter. Nam decretum, ſeu Iouis volūtatem ex euentu cognoſcimus, qui certus eſt: at eius cauſam nobis plerumq. incertam & incognitam Fortunam nominamus, quæ nihil eſt aliud quàm Iouis ſubminiſtra quædam, in eius fato per euentum, ſeu voluntate, quam neceſſitatem vocat, declaranda. de cognominibus autem Fortunæ & variis eius tēplis legito Alexan. Alexandrinum lib. 1. cap. 13. *ô Diua.* ἰσχὴ. *gratum.* quòd in ſacris ei gratias agat, ſuiq. tutelam cōmendet. *regis.* præſides & tutaris. *præſens.* παρὼν, τὸ δυνατὸν. eſt autem helleniſmus, præſens ſeu potens tollere, &c. Eſt hoc idem argumentum diuinæ omnipotentiæ cū eo quod ode ſuperiori diximus ex Heſiodo ſumtum. *tollere.* ἀφαιρεῖν. pro extollere de imo gradu, id eſt. de ima plebe mortale corpus, id eſt, hominem abiectiſſimum, qui id ſolum habet hominis, quòd inter homines numeretur: cuius fortis victi ſunt & in bello capti: Quod de P. Ventidio pubere, à patre C. Pompeij magni in triumpho ſuo populi oculis ſubiecto ſcribit V. Max. *ſuperbos.* ab effectu, nam victoria tollit animos. *vertere fun.* principia læta ſæpe triſtem habent exitum: nam Pindaro teſte in Pythiis, ὄλβος δ' οὐκ ἐς μακρὸν ἀσφαλὴς πολὺς εὖτ' ἂν ἐπιβρίσαις ἕπεται, id eſt, felicitas autē mortaliū non venit diu mantura. *te pauper ambit.* Fortunæ præconium ab omniū hominum ſtudio in eius ope imploranda, quod quidem ſplendidius efficit & ornatius ἀναφορᾷ prouocabuli, te. huc facit illud Plin. lib. 2. cap. 7. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibúſq. oris omniū vocibus Fortuna ſola inuocatur, vna nominatur, vna accuſatur, vna agitur rea, vna cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur & cū conuiciis colitur, volubilis, à pleriſq. verò & cæca etiam exiſtimata, vaga, incōſtans, incerta, varia, indignorū fautrix; huic omnia expēſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortaliū ſola vtramq. paginā facit. hæc Plin. *ſollicitus.* eſt enim de futuræ frugis perceptione inter ſpem & metū dubius *Scythæ.* de Scytharū antiquitate, origine, & nomine legito Becanū noſtrum præcipuè in Amazonicis: Scythas enim ab arte ſagittandi à prima ætate hominum ait nominatos: nam ſcythen, & vera prolatione y per u Cimbricum, *ſcutter* vocabulum eſt planè Cimbricum. *purp. met. tyr.* Phrygij, Aſſyrij, Medi, Perſæ, &c. qui non tam à purpura dicti ſunt purpurei, quàm à mollitie, quaſi molles & delicati vt purpura; ceteróqui purpuratos dixiſſet. *iniurioſo.* maligno & inuido ſubruas & peſſumdes. *ſtantem col.* Columnæ dictæ quòd culmina ſuſtineant, inquit Feſtus: itaque per Columnam ſtantem puto deſignari Cæſarem, à cuius ſalute & incolumitate vult dependere, ſuſtinerique culmen imperij Romani. *neu pop. f. diruas* bellorum ciuilium, quæ recenti cæſorum proſcriptorúmque memoria cūctis erant horrori. *frequens ad ar.* in armis exercitatus, putà milites veterani & equites. *ceſſanteis ad arma.* quietos honeſtiores, ſorſque ſociq. amanteis., turbarum pugnarúmq. pertæſos, iterum prætextu libertatis recuperandæ prouocent ad ſeditionem & imperium, quod iam diu multúmq. nutauit, nūc prorſus exhauſtis viribus conſumtiſque frangatur & collabatur. Huius autem interpretationis, quæ diſſentit ab aliis, mihi cauſa fuere Commentarij Blandinij, in quibus offendi, frequens ad arma; id eſt, bellicoſus: nec diſplicet expoſitio; quamquā non improbem vulgarem, quæ vult hāc epizeuxin, ad arma, ad arma, pertinere ad acuendos animos. diſpiciat lector doctus. *ſæua Neceſſitas.* has ne Fortunæ ſtatuas, Neceſſitatem, Spem & Fidem Antij in templo ſitas, an ei in tabella fuiſſe adpictas coniiciam, paruo diſcrimine diſtat: Atqui ſcribit Strabo lib. 8. Poſt euerſam Corinthum imperatore L. Mummio, qui animi magnitudine præſtantior, quàm tabellarum aut πλαστικῆς amantior fuit, plurima hinc & aſpectu ſuauiſſima, templiſque

appoſita dona profecta fuiſſe: adeò vt & vicinæ Romæ ciuitates nonnulla acceperint: Mummius enim rogantibus amicis ea facilè largiebatur. Lucullus itaq. ædem Fortunæ & porticum quandam cũ extruxiſſet, ſtatuas, quas habebat Mummius, petiuit ad ornatum templi, & oſtentationem, quas accepit, deæq. dona poſuit. Sed Romæ ne in ſuis ædibus, an Antij hoc Fortunæ templum cum ſua porticu ſtruxerit, nec Strabo, nec alius, quod ſciam, poſteritati tradidit. Quare ob præſentis argumenti commoditatem, fingamus Antij à Lucullo his ſtatuis ornatã fortunam. *ſeua Neceſſitas.* ſic vulgati codices, quibus conſentiunt ſcripti duo Marr. & Maldeg. eámq. lectionem comprobat Lamb. Ceterũ 4. Bland. Diuæ. & Sil. habent ſerua Neceſſitas, ſed eam reiectat Lamb. at Bland. codicum vetuſtas non nihil me nutare facit, quorum adnotationes (in aliis certè inconſtantes) hic vno conſenſu de ſeruitute loquuntur, quam neceſſitati debere nos volũt. Sed nec aliud arbitror Sophoclem in ſuo Aiace velle per ἀναγκαίαν τύχην, quàm euentuum, Fortuna duce, neceſſitatem, quibus humana vita ſubiecta eſt. Inuenies quoque apud antiquos Fortunam neceſſitatis gratia τύχην δουλικὴν nuncupatam, nimirum propter vim qua mortales à neceſſitate grauiter afficimur. Certè nec claui trabales, cunei, vnci, liquidum plumbum, nobis aliud comminantur quàm, vel inuitis, neceſſitatis ineuitabile iugum. Non me fugit & Lambinum & Turnebum in alia eſſe ſententia, clauóſq. trabaleis, cuneos, &c. potius geſtare neceſſitatem, vt ſe conſtantem firmet, quæ tamen eſt conſtantiſſima, quã vim faciat, quod & Pierius in Hieroglyphicis aſſerit; verùm enimuero quando tota ferè hæc ode in gratiã Cæſaris nihil quàm deprecatur τὴν δυστυχίαν, malim hic minacem mortalibus eſſe neceſſitatem, quàm præ ſe affectum ferre benigniorem: Clauóſq. trabaleis & cuneos aënámq. manum (ſi commentari licet) maioris cuiuſdã Fortunæ vis potentiæq. eſſe indicia, nimirum qua viri principes regéſq. concutiuntur, déq. ſuo ſtatu mouentur: vncum autem ſeuerum & liquidum plumbũ, puniendis inferioribus ſceleratiſq. ſubſeruire: verùm iudicium eſto penes lectorem peritum. *clauos trabales.* claui trabales, claui ingentes atq. adeò trabes ipſæ ſunt in quadratam ſeu teretem cuſpidem exeuntes, qui cunei potius ſunt lignei quàm claui, & findendis rectius per medium corporibus, quàm configendis idonei; ſunt enim, meo iudicio, pali acuti ab imo corporis ad ſummum vſq. capiti adacti. σφῆνες Aeſchylo in Prometheo. γόμφοι in Equitib. Ariſtoph. Et hoc apertè oſtendit Arnobius lib. 2. contra genteis, Metus ille vos habet, inquiens, ne veluti trabalibus affixi, corporibus liquatis. Alexan ab Alex. lib. 1. cap. 5. Noxij tunica fomentis igneis illita ad palũ deligati adurebantur; vel grandi ſtipite ab imo ad ſummum adigebantur. Quin etiamnum hodie, prò dolor, Turcas in Chriſtianis captiuis miſerè ſuffigendis hoc tormenti genus exercere, notius eſt omnibus quàm luctuoſius. Quare per ἀνάγκην crediderim clauos hic & cuneos, vt Græcis γόμφους καὶ σφῆνας, idem eſſe tormenti genus: Clauos quidem nominatos, quòd adinſtar clauorum cuſpidem haberent; cuneos verò, quòd vt lignum cunei, ita corpora per medium finderent eiuſmodi claui. Itaq. non videntur mihi claues trabales ex ferro confecti, vt exiſtimant aliqui, ſed ex ligno, cùm nihil ſint quàm prægrandes pali ad formam clauorum, noxiis & impiis puniendis parati. Sic apud Maronem Aeneid. 2. telum trabale ingẽs, quaſi trabs ipſa: Et apud Statium Thebaid. 4. Dextráq. trabalem haſtam intorſit agens. Nec non Ammianus lib. 16. trabalibus telis capita diſciſſa, pro palis ſeu ſtipitibus acutis ſuffixi corporis per caput eminentibus. *aëna.* ſic Bland. non etiam ahena, vt vulgati. *ſeuerus vncus.* vel hoc epitheton argumento eſt vncum non hic eſſe hamum ferreum, ſaxis adfuſo plumbo liquefacto deuinciendis, ſed humano gutturi impingendo fabrefactũ, quo ſontes vel in ignẽ, vel ad Gemonias ſcalas trahi, inq. Tiberim deuolui damnabantur, vt honore ſepulturæ carerent: quod ſupplicij genus erat acerbiſſimũ. hinc illud eſt Iuuenal. Qui fixo gutture fumant. & Propert. Vt bene cùm fixum mẽto diſcuſſeris vncum, nil erit hoc, roſtro te premet anſa ſuo. *liquidúmq. pl.* Bland. cod. antiquiſſ. habet expuncto q liuidum. Quod monere volui lectorem, vt ſecum deliberet, an contra προσῳδίαν κανῶς ῥυθμοῦ velit Antibacchium conuenire Alcmanio dactylico tetrametro acatalecto. *te ſpes, & albo rara Fides co.* Synchuſis, vt Sa y. 8. lib. 1. Lanea & effigies erat altera cerea. vt ſit o. do, te ſpes albo velata panno, & rara fides colit: alludit enim ad candidatos, qui ſperant ſe ἐπιτυχεῖς futuros. Hęc figura, vt arbitror, impoſuit Seruio, ad eũ verſum, Cana fides & Veſta, &c. qui τὸ velata tribuit voci fides: quam etſi non infitier à Numa inſtitutum à ſacerdotibus coli debere, eíq. ſacra fieri albo panno velatis; tamen huic loco non videtur id opus eſſe, quando altera ſententia ſimplicior & apertior ſit. *rara fides.* eiuſmodi epitheta, rara fides, pura, nuda, perpetua, ſimplex, ſincera, veræ fidei naturam elucidant. *nec comitem abnegat.* id eſt, comitatum reſpuit ſpei & fidei. Sic poëta Aeneid. 12. de Marte, Circũq. atræ formidinis ora iræq. inſidięq. dei comitatus agũtur. *vtcũq.* id eſt, quãuis, com-

compoſitum pro ſimplici. *inimica linquis.* hoc eſt non manes amica & ſecunda. Senſus autem eſt, Nec ſpes, nec fides deſerunt te, licet ex magnifica facta ſis vilis, ex potente impotens, ex ſecunda aduerſa, ex amica inimica: Nam vir bonus & fortis, animo præſenti fert omnem euentum, nec cũ habitu vili vileſcit ipſe fitque alius, ſed omni ex parte ſibiq. & aliis, quantum in ſe eſt, fidus eſt & æquus, pro nihilo habens deſeri ab infido vulgo, meretrice periura, aſſentatoribus & amicis doloſis. *at vulgus infidum.* ex oppoſito *ἐνθυμηματικῶς* per enumerationẽ demonſtrat, non quæ paſſim datur potentibus diuitibúſq. eſſe fidem, ſed perfidiam cum ſuis comitibus periurio, dolo, fraude, proditione, &c. vt quæ *εὐτυχίας* è propinquo quidem conſectentur, ſed auerſentur fugiántq. *δυστυχίας*; quod non eſt veræ fidei, quæ neutram deſerit. *infidum* cui non eſt fidendum, propter imperitiam quæ parit inconſtantiam fidei contrariam. Infidus autem media longa à fido verbo, & perfidus media breui à fides, in eodem ſunt vitio perfidiæ. *meretrix periura.* de periurio meretricio diximus ex Plato. ſuprà ode 33. cui hoc adiicito ex Menand. *ἐν γὰρ γυναιξὶ πίστιν οὐκ ἔνεστ' ἰδεῖν.* hoc eſt, in mulieribus non eſt inuenire fidem. *retrò periura ce.* tmeſis, pro retrocedit. *ferre iugum.* prouerb. Idem iugum trahere, pro eo quod eſt, idem negotium tractare & ſuſtinere ex æquo, ſumtum à bobus in arando ſubiugatis. *ferre pariter doloſi.* helleniſmus. doloſi ferre pariter, id eſt, dolo circumuenientes amicos in ferendo iugo, id eſt, onere pariter, hoc eſt, æquali lucro & damno: amici doliares, qui tantiſper adſunt, aſſentantúrq. dum ad fecem vſq. dolium ſit exhauſtum, id eſt, dum re perdita nomen etiam venit in periculum, fidémq. anteà doloſè datam nunc mutant in perfidiam. *ſerues iturum.* poſt prolixam *παρέκβασιν* redit ad inſtitutum, precatúrq. fortunam, vt adeſſe dignetur, ab omníq. infortunio ſeruare Cæſarem in Britannos iter inſtituentem. *in vlt. or. Br.* imo ab vltimo orbe ſeparatos: Virgilio namq. orbis vltimi & extremi hominum fuere Morini: quod & Tityro ait, & penitus toto diuiſos orbe Britannos. itaq. Britannos vltimos orbis, id eſt, terræ continentis eſſe dicemus cuius ad ſeptemtrionem, vel Caurũ potius, Gallici littoris ora finis eſt. de Britanniæ amplitudine, ſplendore, diuitiis, aliiſq. & loci & naturæ beneficiis, poſt Polydorum Virgilium vel pauca dicere eſt ſoli tenebras offundere. *Hei cicatricum ἐπιφώνημα μετὰ δυσχερασμοῦ.* dixit enim in Britannos iturum Cæſarem cum recenti manu iuuenum, nũc eius cauſa exclamat execratúrq. tantã bellorũ ciuilium impietatẽ, quę ſolius ambitionis, nullius certè vel regni cõquirendi vel imperij limites extẽdendi gratia tã forteis viros & veteranos milites conciderit, quibus nunc Cęſari in Britannos opus eſſet. Heij, habent omnia ſcripta præter Diuæ. *ſcelerum.* ſcelus vocat bellum ciuile, quod omne ſcelus, omnem impietatem, turpitudinẽ, religionis contemtum, iuſtitiæ, fori, æquitatis, legum neglectum, deniq. omne malum ſecum trahit & tuiatur, nulla patris, fratrum, vxoris, liberorum, amicorum, nulla ciuium omniũ habita ratione. *metu deorum.* honore & reuerentia, quæ metum quendam in ſe complectitur, vnde primus in orbe deos fecit timor. *vnde manũ iuuentus.* ſic habent omnes cod. præter Diuæ. & ea lectio mihi magis placet quàm vulgaris. *ò vtinam. τύχη.* qua fortunam precatur vt mutato vultu aduerſo, quo multos annos Romanos aſpexerat, mutuáq. in vulnera exercuerat, eos nunc ſereno placidóque iuuet in Britannos à fide & fœdere deſciſcenteis: *diffingas retuſum.* hanc lectionẽ habet vnus cod. Bland. duo verò cũ Diu. & Sil. diffingas retuſũ. Maldeg. & Mart. defingas retuſum. Canterus ex veteri lib. legit defigas. quẽ Lamb. ex cod. Ful. Vrſini ſubſequitur, omnino reiiciẽs diffingas, próq. retuſum dicit ſe repoſuiſſe recuſum, emendáſſéq. hũc locũ. Turnebus in ſuis Aduerſariis, diffingas interpretatur; aliter fingas. Equidẽ quod ſentio paucis vt dicam, diffingas ſeruandum duxi, cùm propter cod. plurium conſenſum & antiquitatẽ, tum quòd in ſcriptis adnotationibus offenderim, ferrũ confuſum & cõmaſſatum, quod quidẽ diffingendũ eſt, id eſt, variè & in diuerſa arma fingendum formandúmq. ex maſſis ſiue ferri laminis, non etiam deformãdum, vt vult Lambinus, & corrumpendum: Nam di, ſiue dis, prępoſitio addita partibus aliis nõ ſemper diſſolutionem perniciẽve, vt 29. ode lib. 3. notat, verùm etiã per valde, variè, iterum, multúmq. exponitur, vt in his verbis & ſimilibus, diſpudet, diſtædet, diſpono, diligo, diffringo, diſtringo, &c. & eádem ob cauſam recuſum (quod Lamb. ſibi adſcribit) prætulerim ei quod eſt retuſum; nã cõmaſſatum, ſiue in maſſam redactũ, cudimus recudimúſq. & ad incudẽ diffingimus, id eſt, variè formamus. *noua incude.* Incus eſt hieroglyphicũ conſtantis & fortis animi: quare precatur fortunã vt ferrum recuſum diffingat noua incude, id eſt, vt nunc ſecunda ſit & cõſtans in conatibus Cæſaris proſperè dirigendis. *Maſſagetas.* vltra mare Caſpiũ ſcribit Strabo li. 11. Sacas & Maſſagetas incolere. Sed Becanus noſter in Gotodanicis: Prima verò, inquit, Maſſagetarũ regio in Margiana fuit paullò ſupra Daas. Quod autẽ Græcis quidẽ Maſſagetæ, Latinis verò Maſſagori idem ſit populus à Cimbrica voce *Maſſangeet* nominatus, legito Becanum in Gotodanicis.

Arabiáq. f. Strabo lib.7.eo autem tempore, inquit, Byrebiſtas Getarum tenebat imperium, aduerſus quem Diuus Cęſariam inſtruxit exercitum. videtur autē lyricus de Arabibus non illis quidem felicibus agere, ſed Getarum deſerto, quã Ammianus Marcell. Arabiam vocat, quo loco Hunnorũ Alanorúmq. deſcribit in Gotingos impetũ. Strabo lib.16. vltra Arabes Scenitas deſerta ſunt haud exigua, quæ verò his iam auſtraliora ſunt, ab iis tenentur qui felicem Arabiá incolunt, cuius ſeptemtrionale latus faciunt antedicta deſerta. Orientale, Perſicus ſinus, Occidentale, Arabicus, Auſtrale, Mare magnum, quod extra vtrumque ſinum eſt, idq́. totum mare rubrum vocatur.

DE REDITV PLOTII NVMIDAE.

Ode XXXVI. ἐυχαριστικὴ.

Et thure, & fidibus iuuat
Placare, & vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidæ Deos:
Qui nunc Heſperia ſoſpes ab vltima
Caris multa ſodalibus,
Nulli plura tamen diuidit oſcula,
Quàm dulci Lamiæ, memor
Actæ non alio rege puertiæ,
Mutatæq; ſimul togæ.
Creſſa ne careat pulcra dies nota:
Neu promtæ modus amphoræ,
Neu morem in Salium ſit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
Baſſum Threícia vincat amyſtide:
Neu deſint epulis roſa,
Neu viuax apium, neu breue lilium.
Omnes in Damalim putreis
Deponent oculos: nec Damalis nouo
Diuelletur adultero,
Laſciuis ederis ambitioſior.

COMMENTATOR.

Et *thure, & fidibus iuuat.* Metrum primo verſu Glyconicum, ſecundo Aſclepiadeum. In reditum Plotij Numidæ, pro cuius ſalute ex Hiſpania reuerſi vota perſoluit, lætitiámq. conuiuiorũ per ſacrificia ſe exhibere commemorat. *fidibus.* carmine lyrico. fidicines etiam ſacris adhiberi conſueuerunt. vt Virg. inflauit cũ pinguis ebur Tyrrhenus ad aras. *iuuat.* placet, delectat. *placare.* placare hic non poſuit pro irata aut mitigare aut reconciliare numina, ſed aut pro gratia referre, aut vota perſoluere. propitij enim dij reduxerant Numidam ſoſpitem. *vituli ſan. deb.* id eſt, votis pactis: debetur enim hoſtia dijs votis ſuſceptis promittitur. *Numida.* Plotij Numidæ genitiuus eſt. *Qui nũc H.* Heſperia autem ab Heſpero dicta, quaſi ab occidentali plaga. ordo eſt: qui nũc ſoſpes reuerſus ab vltima Heſperia diuidit multa oſcula caris ſodalibus, nulli tamen diuidit plura quàm dulci Lamię, memor puertiæ actæ non alio rege & ſimul mutatæ togæ. *diuidit* largitur, diſtribuit. hęc eſt amicorum cõſuetudo dũ longinquo reuertuntur. *non alio.* ſed eodẽ. regem autem dicit diuitem patronum, ætatis rectorem & gubernatorem. *iuuen.* optima ſiluarum interea pelagiq. vorabit rex horum. *actæ.* peractæ. *puertiæ.* pro pueritiæ, per ſyncopen: actæ autẽ ait, quia depoſita prætexta adoleſcentes accipiebant togam virilem. & hac commemoratione quòd ſimul togas mutauerint, vult ſignificare ætatis æqualitatem augere amicitiam. Virg. mea quem ſpatiis propioribus ætas inſequitur, &c. *togæ.* pro prætexta. *Creſſa nota.* Cretenſi, hoc eſt, lapillo candido. Cretenſibus enim moris erat dies lætos albis lapillis, contrarios autem nigris notare, & ex lætorũ dierum numero vitæ tẽpus metiri, malos enim nullo numero ducebant. *promtæ.* prolatæ. *modus.* menſura: per cõtinens intelligitur id quod continetur, id eſt; vinum prolatum expẽdatur cõtinuata lætitia. *neu mor. in S.* Salij ſacerdotes Martis dicebantur & Herculis, qui ſacra ſaliendo celebrabant. vt, tum Salij ad cantus. Nam Salij à ſaliendo propriè dicti ſunt. *multi Damalis m.* multibiba, meri vorago: Damalis à Numida amabatur, vnde hic ſenſus eſt, cum Numida certamen bibendi ſit Damali, nõ cum Baſſo nouo amico. *Threcia* à loco. *amyſtide.* amyſtis poculi genus apud Thracas inſtar phialæ, quod clauſis oculis epotabatur vno ductu. amethyſtus autẽ gemmæ nomen eſt, quę vino addita fugat ebrietatẽ. *viuax.* diu virens, etiam hieme. *breue l.* breui tempore durans. *putreis.* nimio potu marceſcenteis, & libidine reſolutos. quos Virg. facileis appellat. *laſciuis.* laxè creſcentibus, id eſt, ſuis amplexibus ambitioſius adhæret amatoribus, quã edera circa ſe poſitis arboribus. *diuelletur.* ſeparabitur, diſiungetur.

CRVQVIVS.

Et *thure, & fidibus iuuat.* Iubet Horatius antea reus nũc voti compos ob reducẽ Plotium Numidã ex Hiſpaniis amicos ſecũ diem feſtũ celebrare, diis promiſſa ſoluere, dein hilariter viuere, nihilq. omittere quod ad lætitiam facit animíq. gratitudinem declarandã, non oſcula, non ſaltus, vina, comiſſationes, non odoratos flores ad ſuauitatem: ſed inter ceteros Aelio Lamiæ cõgratulatur, ob antiquã cum Numida vitæ conſuetudinem: & Damali, quã vult ceteris valere iuſſis, vni adeſſe Numidæ. Pro Pomponio Numida, in

Epigraphe

Epigraphe repoſui Plotiũ Numidam, ex vno cod. Blãd. quod in his verbis, cuſtodes Numidæ deos, &c. ſcriptũ inueni, vt videre licet in cõment. *vituliſan. d.* voti reus pro felici Numidæ profectione reditúq. *cuſtodes.* ἀλεξικάκους Caſtorẽ & Pollucem διοσκόρους, nauigationis præſides. *non alio.* ſed ſub codẽ. hoc modo inueni in cod. Bland. expreſſum: Nõ eſt ergo cur Lamiã hic Numidæ patronũ intelligamus, vt volunt alij, quãdo vterq. eundẽ ſecuti ſunt. *pueritiæ.* ſic habent expreſſè omnia ſcripta: quare crediderim ſynæreſin potiùs quàm ſyncopen eſſe, ſicut in voce pituita obſeruari ſolet in carmine Horat. niſi cùm pituita moleſta eſt. ſed quantitas i ante t mihi ſuſpecta eſt. *Creſſa nota.* Cretenſi lapillo, qui natura cãdidus, à regione per ἐξοχὴν creta dicta eſt. cõtrouerſum autẽ ſolet hic eſſe Creſſáne an Threſſa legendũ ſit, quòd Thracibus ſollemne fuerit, non etiã Creſſis ſiue Cretenſibus dies fauſtos albo lapillo notare, vt ſcribit Plin. lib. 7. cap. 40. Equidem nihil muto propter cõſenſum omniũ codicũ manuſ. nec magnopere puto referre, quòd Aſiatica creta in obſignandis tam publicis quã priuatis litteris vſi ſunt veteres, potiſſimũ Cymolia, nec nõ à Thracibus antiquiſſimis populis notatio illa dierũ fortaſſis ad Cretẽſeis poſtea defluxit. *morem in Sal.* de Salijs Palatinis à Numa, & Collinis ab Hoſtilio inſtitutis, vid. Halicar. lib. 2. vbi inter cetera, totũ id Saliorũ genus, inquit, ſaltatores quidã ſunt & laudatores deorũ belli præſidũ. *tequtes pedum.* hoc ſaltandi genus τὸ ποδισμὸν nominatũ eſt, quòd mira pedũ celeritate peragebatur: aliud autẽ erat κῶμος & τετράκωμος Herculi ſacrum. vide Iul. Polluc. lib. 4. cap. 14. *Threicia amyſt.* θρηκίας προπόσεις. erat enim amyſtis potandi genus, in quo maioribus poculis vno hauſtu ſine interſpiratione exſiccandis, non etiam minoribus cõcertatur iiſq. rotantibus. hinc eſt ἀμυστίζειν, ἀθρόως καὶ ἀπνευστὶ πίνειν, Plutarch. 2. Sympoſ. auctore, id eſt, cõfertim & ſine reſpiratione bibere, trincken ſonder ſnupfen. huic ſorbillare oppoſitũ eſt. *viuax apium.* de apio legito adnotata in 11. oden lib. 4. nec nõ de edera. *putres.* molleis, laxos, in Venerẽ reſolui paratos: eo certè modo quo Virg. ait, vere nouo gelidus canis cum mõtibus humor liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit. *deponent.* defigent, conijcient. *nec.* per ellipſin tamẽ. *adultero.* amatore Numida. *laſciuis ed.* vide Adagium, edera laſciuior.

AD SODALEIS DE ACTIACA VICTORIA.

Ode XXXVII. προσφωνητική.

N v n c eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare puluinar Deorum
Tempus erat dapibus, ſodales.
Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis auitis, dum Capitolio
Regina dementeis ruinas,
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum: quidlibet impotens
Sperare, fortunaq; dulci
Ebria. ſed minuit furorem
Vix vna ſoſpes nauis ab ignibus:
Mentemq; lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæſar, ab Italia volantem
Remis adurgens: accipiter velut
Molleis columbas, aut leporem citus
Venator in campis niualis
Aemoniæ: daret vt catenis
Fatale monſtrum. quæ generoſius
Perire quærens, nec muliebriter
Expauit enſem; nec latenteis
Claſſe cita reparauit oras.
Auſa & iacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpenteis, vt atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior:
Sæuis Liburnis ſcilicet inuidens,
Priuata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

COMMENTATOR.

N v n c *eſt bibendum.* Mẽtrũ duobus verſibus Alcaicum, tertius dimeter iamb. hyper. quartus Pindar. Poſt ciuile bellũ imperiũ Romanũ in treis viros diuiſũ eſt, ita vt Antonius Orientẽ, Auguſtus Gallias, Vrbẽ Lepidus obtineret. Antonius Auguſti ſororẽ habuit vxorẽ, qua repudiata Cleopatrã Ptolemæi ſororẽ habuit meretricijs eius blanditijs in amorẽ illectus: Quod indignatus Auguſtus, & vt ſolus imperaret, ei bellũ indixit: apud Actiũ autẽ Epeiri promontoriũ præfecto claſſis Agrippa ſuperauit Antonium prœlio nauali; quo victo & Alexandriam cepit. hac ergo ode lætitiam ſuam ſignificat ob victoriam Auguſti. *nunc.* poſt adeptam victoriam. *pede libero.* aut à periculis, aut à fuga ſecuro, aut laſciuienti. *pulſanda tell.* pedum plauſu ferienda. *Saliaribus.* ſacerdotalibus. Saliares cœnæ, quas Salij ſacerdotes faciebãt, dicuntur amplißimi

ampliſſimi ſumtus fuiſſe: vnde & in prouerbio erat Saliares cœnas dicere opiparas & copioſas. ordo eſt: Nunc tempus eſt ornare puluinar deorum Saliaribus dapibus. Puluinaria erant lecti deorum cum puluinaribus, in quibus dij accumbebāt, aut tabulata, in quibus ſtabāt ad aras, vt eminentiores viderētur. aliter, ornare puluinar, id eſt, menſas vel templa, quæ puluinaria dicuntur propter lectiſternia quæ ibi fiebant, præterquam in templo Herculis, qui numquam quieti aſſuetus erat. *erat.* pro eſt. *dapibus.* poſt conſecrationem enim & conſolationem hoſtiis epulabātur. vt, lucos vocat hoſtia pinguis in altos. *antehac.* ante victoriam, hactenus. *nefas.* ſup. erat. *Cæcubum.* vinum. *cellis auitis.* vinariis; id eſt, vinum auitum ſeu vetus. *regina.* Cleopatra. vt, terruit illa ſuo, ſi fas, Capitolia ſiſtro. ordo eſt: dū regina impotēs ſperare quidlibet & ebria dulci fortuna parabat funus & dementeis ruinas Capitolio & imperio cū grege turpium virorū contaminato morbo. *dementeis rui.* hypallage, pro ipſa demens. *funus.* exitium. *imperio.* Romano. *turpium.* eunuchorum euiratorū, qui erant in ſatellitio Cleopatræ. *ſperare.* tentare, aggredi. *ebria.* plena, eluſa fortunæ ſucceſſu: & ob hoc demens, inconſulta, improuida, ſicut ebrij ſolent. *dulci.* proſpera. *vix vna ſo.* qua fugit Cleopatra. *lymphatam.* ebriam, inſanam. *Mareotico.* vino. Mareotis in Aegypto palus eſt, iuxta quam vinum optimū naſcitur, vnde nomen accepit. vt, ſunt & Mareotides albæ. &, Mareotica fumat comtos. *in veros.* iuſtos. id eſt, verū timorem ei incuſſit. eſt enim & fictus timor. *volantem.* Cleopatrā; volantē dixit, vt fugæ celeritatē oſtēderet. vt, pelagóq. volamus aperto. &, pedibus timor addidit alas. ordo eſt: Cęſar adurgens, id eſt, inſequens ſup. volantē ab Italia velut accipiter vrget molleis colūbas, aut citus venator leporem in campis niualis Hæmoniæ, vt fatale monſtrum daret catenis. *molleis.* imbelleis, aut propter renitendi vireis, aut captu faciles. vt Virg. quàm facile accipiter ſaxo ſacer ales ab alto conſequitur pennis ſublimem in nube volantem. *Hæmoniæ.* Thraciæ. ab Hęmone. *niualis.* rigidæ & niuoſæ. *fatale.* fato ſibi ſeruatum. *monſtrum.* animoſius quàm ſexus exigebat. *generoſius.* nobilius. *muliebriter.* more mulierū. *nec latent oras.* oras, id eſt, fineis regni: id eſt, nō collegit denuo exercitū ex intimis regni partibus ſibi fauentibus. Perditis enim Cleopatra rebus, dum omnis in eius auxiliū Aegyptus conſpiraret, ne aut reparato bello ad inferiora deſcendēs, aut gēti ſuæ exiſteret grauis, aut occaſionē mortis glorioſæ effugeret, contemſit amorē & ſtudium ſuę gentis. quod Virg. dans regioni in fluminis appellatione retulit Nilū auxilia offerentē, inquiens, Pādentémq. ſinus & tota veſte vocantē cæruleum in gremiū lacrymoſáq. flumina victos. *claſſe cita.* nauigio celeri. *iacentem.* regnū ſuum deſperatum & deiectum. *vultu ſer.* interrito, & veluti læto. vt, ſpē vultu ſimulat, premit altū corde dolorē, id eſt, ſimulat vultu lætitiā. *fortis.* valida. *tractare ſer.* ſibi adhibere, cōtingere. Cleopatra metu capta ne duceretur in triumphū, corpori ſuo ſerpenteis appoſuit, quorū veneno interiret. vt, necdum etiam geminos à tergo reſpicit angueis. *atrum.* quia atros facit. *combiberet.* attraheret. *deliberata.* ſtatuta, quia diu præmeditata fuerat qua morte ſe interficeret decreta, vt, decreuitq. mori. *ſæuis.* fortibus: vt, ſæuus Hector; ſæuumq. tridentē. *inuidens.* ſcilicet Auguſto, ne ſua captiuitas illi ſpecioſiorem faceret triumphū: Nam Liuius refert Cleopatrā, cùm ab Auguſto capta, indulgentius de induſtria tractaretur, dicere ſolitam; Nō triumphabor. ordo eſt: non humilis mulier inuidens priuata deduci ſuperbo triumpho. *priuata.* ſola indecenter ſubtrahi. *ſuperbo.* nobili. *non humilis.* ſuperba, non ignobilis. minus dixit, & plus ſignificauit. *triumpho.* Cæſaris.

CRVQVIVS.

NVnc eſt bibendum. Poſt Actiacā victoriā (neſcio an propter indictas à Senatu ſupplicationes ac lectiſternia) ſodaleis inuitat Horatius in morē Salium vt bibant, ſaltent, comiſſentur, epuliſq. indulgeant opiparis, iubens omneis eſſe ſecuros à metu & minis Cleopatræ, cuius in imperij perniciem bellicū apparatum, & perſequente Cęſare fugā, animiq. in conſciſcenda ſibi morte audaciā præſentiámq., ne viua duceretur in triumphū, ita graphicè depingit, vt quaſi in tabella hæc deliniata videaris intueri. *nunc eſt bib.* videntur hęc ad ſupplicationes Auguſto à Senatu decretas: aut certè ad ritū triumphalē pertinere, quādo populus vniuerſus pro felici rerū ſucceſſu diis gratias ageret, publicéq. lætaretur. de ſacrificandi epulandíq. ritu videto adnotata ex Athen. ode ſuprà 27. *pede lib.* nullis compedibus impedito: fuerat enim Cleopatra Romanis minata catenas: eſt autē Synecdoche. *nunc Saliar.* alludit ad pompam triumphalē, in qua ad templa deorū patentia, tricliniis paſſim ſtratis effuſa multitudo inter vota precéſq. ad aras diis libabant, hoſtias mactabant, conceptámq. lętitiā cantu, lætis acclamationibus & ſaltationibus ſignificabāt: poſtea magnificentiſſimū epulum, obſoniis omni apparatus genere vberrimis ampliſſimíſq. ac ſumtu magnifico publicè dabatur, vináq. præcipua exhibebantur. de Saliaribus autē dapibus, quas cœnas eſſe vult Eraſmus opiparas & delicatas, vide Adag. Saliares cœnæ.

tempus

tempus erat. nunc tempus erat, præſens cum præterito, loquendi modus antiquis non infrequens; nec opus eſt, τὸ erat, exponere per τὸ eſt, vt Commentator & alij. Cic. ad Attic. Nunc reus erat apud Craſſum diuitem. Ouid. nunc erat auxilijs illa tuenda tuis. *Capitolio.* vrbi & Reipubl. Rom. *imperio.* Luc. Florus lib. 4. cap. 11. Quippe poſt Parthos, inquit, cùm exoſus arma in otio ageret, captus amore Cleopatræ, quaſi bene geſtis rebus in regio ſe ſinu reficiebat: hæc mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum, Romanum imperium petit, & promiſit Antonius, quaſi facilior eſſet Partho Romanus: igitur dominationem parare nec tacitè, ſed patriæ, nominis, togæ, faſcium oblitus, totus in monſtrum illud, vt mente, ita animo quoque cultúque deſciuerat &c. *congrege turp. mor. vir.* qui tam corpore contaminati & turpes erát, propter cinædicam fœditatem, quàm animo vitioſi propter mollitiem, qua pati & pędiconibus meretricari gaudebant, mulieribúsq. lingua impudica obſequi. Luc. Florus eiuſmodi vocat portenta virilia. In tribus cod. ſcrip. Mart. Maldeg. Sil. legitur, congrege coniunctim; quam lectionem ſeruaui tamquam genuinam, vt per ſynchyſin eam ſic exponamus, congrege virorū turpium, id eſt, congregibus viris turpibus, morbóq. contaminatis parabat funus imperio &c. vulgaris certè lectio propter neſcio quid obuiæ claritatis omnibus hactenus impoſuit, qui minùs aduertebant τὸ congrege virorum, in ſe cōtinere congreges viros meliori cum ſententia, adeò vt vix dubitem lectorem doctū mihi aſſenſurum ſi preſſius locum velit examinare. *impotens ſper.* valde in quiduis ſperando potens, ſibi quiduis perſuadens ſeſe aſſequi poſſe, immoderata in ſperando, modū non habens &c. Namque τὸ im. *πρόθεσις αὐξητικὴ οὐκ ἀναιρετικὴ*, auget, non minuit hoc loco. *fortunáque d. eb.* ſic Anacreon apud Philoſtratum eum dicebat amore ebriū, qui ſine modo & intemperanter amaret. *ſed minuit.* aduerſatiua, à fortuna in peius cōmutata, iuxta illud Publiani, Fortuna vitrea eſt, quæ cùm ſplendet frangitur. *furorem.* temeritatem, in ſperando inſaniam. *vix vna ſoſ.* L. Florus, Prima dux fugę, inquit, Regina cum aurea puppe, velóque purpureo ſe in altum dedit, mox ſecutus Antonius, ſed inſtare veſtigijs Cæſar. *mentemq; lymp.* fanaticam, ſua ſede motam inflatam, à ſe alienam. *Mareotico.* Commentator & alij omnes quos vidi, ſubintelligunt vino: à quibus diſſentio; non enim vinum eius mentem, ſed Mareoticum regnum, hoc eſt, regni Aegyptiaci opulentia, potentia, ſplendor & amplitudo dementarat; fortunáque dulcis inebriarat, qua elata ſe inuictam, ſibique Romanum imperium pollicebatur; ante tempus ex promiſſo Antonij Romanorum imperatrix à ſuis conſalutata. de Marea, & Mareotide palude ad Alexandriam, vide Strab. lib. 17. *veros.* verus hic non opponitur ei quod falſum aut fictum eſt, ſed quod paruum eſt: ita vt verus timor ſit ingens, magnus, & grauiter mentem concutiens: quo ad ſe rediens Cleopatra, cœpit videre periculi magnitudinem, ſéque vana ſpe deluſam. *accipiter v.* εἰκὼν appoſitiſſima. *Hæmoniæ.* Hæmonia Thracia, vel ab Hæmone monte, vel, vt habet Strabo lib. 9. ab Hæmone à cuius filio Theſſalo Theſſalia vocata eſt. hunc legito. *daret vt ca.* Hypallage, pro monſtro catenas inijceret, viuumque triumphum duceret. *generoſius.* generosè: ne amiſſa libertate, ſeruáque iam facta turpiter extra regnum periret; ſed more patrio *συναποθνησκόντων* Antonio fortunarum comes eſſet & calamitatum, ſi fatale quippiam aut euentus diri alteri contigiſſet: tale namque ſodalitium vitæ & mortis Aegyptiis vſitatum fuiſſe memoriæ proditum legimus; Soldurijſque Gallis, vt Cæſar lib. 6. Com. bell. Gall. *expauit enſem.* Plutar. in Antonij vita: illa Proculeium conſpicata, inquit, gladio, quem accincta erat, ſeipſam necare contendit &c. *nec latentes.* contrà tamen ſcribit Florus: itaq. nec præparata, inquiens, in Oceanum fuga, nec munita præſidiis vtraque Aegypti cornua Parethonium atque Peluſiacum profuere, propè manu tenebatur. *fortis tractare.* Helleniſ. impauida ad ſerpentes manibus contrectandos, brachijſque admouendos; auctore Plutarch. quę ſuper hac morte conſulito in vita Antonij. *deliberata morte.* propter deliberatam decretamque mortem animoſior & minus perterrita. hic enim verſus quaſi per acclamationem cauſam cōplectitur, cur generosè perire quæreret, cur enſem non expaueſceret, oras regni nō repararet, regiam læto vultu viſeret, fortis eſſet in contrectandis ſerpentibus. Mortis autem decretæ & conſtitutæ cauſam continent verſus ſubſequentes, nimirum, *ſæuis Liburnis inuidens.* hoc eſt, nolens ad triumphum Cæſaris Romam deduci ſæuis Liburnis, id eſt, inimicis & hoſtilibus, vt quorum opera turritas Antonij naueis Auguſtus in nauali pugna diſiecerat viceratq;. Hic miror ſupra modum in approbanda Petri Vict. ſententia, in interpunctione carminis, deliberata morte ferocior, hærere Lambinum de Liburnis, eam ne vocem de nauibus liburnicis, an de Liburnis populis interpretetur; quando vel mediocriter eruditus facilè iudicet, ſæuis Liburnis, ablatiuos eſſe inſtrumenti: Noluit enim, imo mori magis optauit Cleopatra, quàm liburnis impoſita nauibus Romam vehi, aut eas hoſtileis habere in ſuo comitatu. *inuidens.* φθονοῦσα. denegans, in inuidiam

triumphi, refugiens, nolēs deduci. *priuata.* Dio hiſtor. lib. 51. inter tātas calamitates regni memoriā retinebat, vt mallet nomine & ornamētis eius retentis mori, quàm priuata vita frui, &c. *non humilis.* litote, de liburnis legito adnotata in 1. Epodon.

AD PVERVM DE APPARATV non magno.

ODE XXXVIII. προσφωνητικὴ δὲ ἀποτελεστική.

PERSICOS *odi, puer, apparatus:*
Diſplicent nexæ philyra coronæ:
Mitte ſectari, roſa quo locorum
Sera moretur.
§ *Simplici myrto nihil allabores*
Sedulus curo, neque te miniſtrum
Dedecet myrtus, neque me ſub arcta
Vite bibentem.

COMMENTATOR.

PERSICOS *odi puer apparatus.* Puerū ſuum alloquitur, quem mediocria iubet ſibi apparare, negans ad voluptatem opus eſſe magnifico apparatu & opimo. *Perſicos.* regaleis. Perſæ autē reges ob nimias diuitias in ſumtuoſiſſimis deliciis degere dicuntur. *odi.* odio habeo. *apparatus.* delicias. *diſplicent.* ſup. mihi. *nexæ philyra.* floribus: tales enim conuiuiis adhibebantur operoſius factæ. Aliud autem φύλλον. i. folium, aliud philyra. i. cortex tiliæ arboris. *mitte.* omitte. vetat puerum roſas ſtudioſè quærere, quæ non niſi peracto vere ſolent inueniri. *ſera.* tarda. vt æſtatem increpitāt ſeram. *ſimplici.* ſingulari, cui nihil additū eſt: neque mixta eſt aliorum colorum floribus aut herbis. *nihil.* ſup. amplius. *ſedulus.* ſtudioſus, officioſus. hoc eſt, ſufficit myrtea corona & tibi miniſtro. & mihi cōſidenti ſub vmbraculo vitis. Myrto autem coronabantur antiqui in conuiuiis, quippe quæ & flexilis eſt & Veneri conſecrata. *dedecet.* myrtus ſiue roſa adiuncta non faciet te minoris eſſe gratiæ. *ſub arta.* humili, denſa.

CRVQVIVS.

PERSICOS *odi puer apparatus.* Inſtruit Horatius puerum ſuum ſeu miniſtrum τερατεύοντα ad ornatum conuiuij præter myrtum nihil aliud pro ſua frugalitate ſibi eſſe curę, nō ſerta, non roſas, non vnguenta, non myrrhatū vinū, nec quicquid Perſicas redoleret illecebras. *Perſicos.* Apparatus Perſicos κατ' ἐξοχὴν hic poſuit pro quouis ornatu & pompa, quæ magnificis ſplendidiſque conuiuiis adhiberi erant ſolita, non palati modò, ſed & oculorum, narium, auriumq. delectamēta; obſonia delicatiſſima, vaſa aurea, argentea, gemmata, munda ſupellex, ſuccincti ad menſam pueri; odores, vnguenta, tibicines; qua in re Perſæ, Medis ſuperatis, facilè ceteras nationes anteibant: Qui cùm antea vimineis in toris diſcumberent, poſtea auctore Plutarc. lecticas auro gemmiſque præfulgidas ſibi conſtruxere. *odi.* in antiquiſſ. cod. Bland. hic ſuprà notatum eſt, ſperne. quod in imperandi modo, an antiquo more cū verbo ſequēti, mitte, conuenire poſſit, lector diſpiciat. *nexæ phil. coro.* in conuiuiis olim moris erat cū poculis corollas accipere, feſtiſq; diebus epulari ſertis coronatos cum lemniſcis: Quin & Indis vſurpatum erat, ad familiare quoq; conuiuiū coronatos accedere. Non permittit itaq; ſuo puero elegantiori, ex lectiſſimis floribus, qualis eſt roſa, florida ſerta concinnare (philyráq. ; quę cortex eſt tiliæ interior, delicatiorq; , vnde etiamnū hodie funes parantur ad vſus varios) flores floribus annectere: quod id eſſet operoſius & ſplendidius, quàm pro moderato, ſuoque viuendi modo. *roſa quo loc.* Nolito ad maiorem gratiā inquirere quo in roſario tardius roſæ ſucceſcant, ex quibus adornatæ coronæ ſint eò gratiores, quò ſerius natæ & inuentu difficiliores. *ſimplici myrto.* hoc eſt in ſola myrto conquirenda, nobiſq; ex ea, ſeu ramis, ſeu ſertis porrigendis laborē ponas tuum, ſedulus id curo & ago: Veteres enim inter vina ad hilaritatē, myrti ramū, alter alteri, porrigebant, quo in manus accepto circumlatóq; ſinguli diſcumbentium canendo ſuas parteis agebant, auctore ſympoſiacis Plutarcho. *ſedulus curo.* ad imitationem Græcam μέλει, pro, μέλει μοι περὶ τούτου i. hoc mihi curæ eſt, hoc ago. *neq. te miniſt.* ἀναλογία à cōditione miniſtri & facultatibus Horatij quæ ſatis erant tenues. Hæc autem Ode licet puſilla; plus tamen habet energię quàm prima fronte cuiuis eſt obuium: Nam Horatius vbique fere ſui ſimilis voluptatē quidem ſectatur ſine ſtrepitu, pompa & inuidia, ſed eam quæ à Venere non multū ſit aliena: quod per myrtū, quaſi aliud agens, ſignificare videtur: nam neglectis hic floribus, atque adeò roſa ipſa, quòd momentanea propè ſit eius voluptas, nec à ſpinis, id eſt, periculis moleſtiiſque vacua, puero ſuo mandat vni myrto operam dandam: namque ea plantula delicatiſſima molliſſimáque delicatulæ molliq; Veneri ab antiquis conſecrata, tam ſolliculis odoriſque ſuauitate grata eſt, quàm perpetuo virore ſpectanda, qualem vult eſſe ſuam Venerem: Nec eam arbuſculam dicit auerſari debere ſuum miniſtrū, quaſi vilem, quòd facilè parabilis, nullo eſſet ornatu florum condecorata, quando ea ſibi eſſet gratiſſima; vt qui ſub arta vite bibere gaudeat, id eſt, tenuiter & artè viuere, ſinéque intermiſſione lætari. *ſub. arta.* ſic habēt Cod. Bland. arta, ſine c vbique: quos ſecutus ſum.

Q. HORATII FLACCI
ODARVM LIBER SECVNDVS.

AD C. ASINIVM POLLIONEM.

ODE I. πραγματική.

MOTVM ex Metello conſule ciuicũ,
Belliq́; cauſſas, & vitia, & modos,
Ludumq́; Fortunæ, grauesq́;
Principum amicitias, & arma
Non dum expiatis vncta cruoribus,
Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per igneis
Suppoſitos cineri doloſo.
Paulum ſeueræ Muſa tragœdiæ
Deſit theatris: mox, vbi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Inſigne mæſtis præſidium reis,
Et conſulenti Pollio curiæ:
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Iam nunc minaci murmure cornuum
Perſtringis aureis: iam litui ſtrepunt:
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumq́; vultus.
Audire magnos iam videor duces
Non indecoro puluere ſordidos:
Et cuncta terrarum ſubacta,
Præter atrocem animum Catonis.
Iuno, & Deorum quiſquis amicior
Afris, inulta ceſſerat impotens
Tellure: victorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthæ.
Quis non Latino ſanguine pinguior
Campus ſepulcris impia prœlia
Teſtatur, auditumq́; Medis
Heſperiæ ſonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniæ
Non decolorauere cædes?
Quæ caret ora cruore noſtro?
Sed ne relictis Muſa procax iocis
Ceæ retractes munera neniæ:
Mecum Dionæo ſub antro
Quære modos leuiore plectro.

COMMENTATOR.

MOTVM *ex Metello conſule ciuicũ.* Metrum Alcaicũ duob. verſ. Terr. iamb. dimet. hypercat. Quart. Pindar. Scribit ad Aſinium Pollionem virũ conſularem, Poëticæ & Rhetoricæ peritum, ſcribendarum etiam Tragœdiarum ſtudioſum: Et quoniam ciuilis belli inter Pompeiũ & Cæſarẽ geſti Tragœdiam ſcribere cœperat, admonet, vt ſciret rem ſe inchoaſſe periculoſam, & in ipſa admonitione bellorum ciuilium calamitatem refert à Lentuli & Marcelli cõſulatu cœptam, quam altius repetit à Metello Celere & Afranio conſulib. *ex Metello.* eo qui fuit Syllę collega. *ciuicum.* poſuit ciuicum pro ciuile, ſicut hoſticum pro hoſtile veteres dixerunt. *belli cauſas.* originem: quia Cæſari triumphus negatus fuerat. *vitia.* noſtri temporis. *modos.* temporũ qualitates. *ludumq́; Fort.* quæ ludibrio habet res humanas, in quibus quodammodo iocatur, hunc exaltãs, alterum humilians, vt ſuprà dixit, hinc apicem rapax, hĩc poſuiſſe gaudet. *grauein.* intolerabileis, pernicioſas, infidas; primum inter Pompeiũ, Craſſum & Cæſarem; deinde inter Antoniũ & Auguſtum & Lepidum. Luca. Tempus ad Auguſti manſit concordia diſcors, paxq́ue fuit non ſponte ducum. *vncta.* infecta. *expiatis.* à bellis ciuilibus. *cruoribus.* de quibus nondum loti cruores ſunt, quo cruore velut expiarentur deluto: vult ergo intelligi adhuc in manibus eſſe arma ciuilia, nec ſicut ſolebant, peracto bello repoſita. *periculoſæ opus aleæ.* i. res bellicas exponis quæ ſunt plenæ periculo: Aleam autem, qui ludus propriè tabularum eſt, pro belli periculoſo labore, vt Terent. vita, inquit, humana talis eſt, qualis qui teſſeris ludit, id eſt, periculoſa. vt, cogit alea belli. *ſuppoſitos.* ſopitos. Allegoricôs. ad huc odia belli ciuilis, ſub pacis ſpecie latere oſtendit, nec tutum eſſe, propter hiſtoriæ veritatem, eorum animos offendi qui ea geſſerunt. *ſeueræ* tri-

 ſtis. quia

ſtis. quia triſtia ferè ſunt argumenta Tragœdiarũ. *deſit.* abſit, nõ canteturin theatris. *mox vbi.* deinde poſtquam. *publicas res.* ciuilia digeſſeris. *grande munus.* tragœdiæ deſcriptionem. *Cecropio cot.* ſublimitate eloquentiæ & ſtylo tragico, ſcilicet morẽ ſecutus Theſpidis Cecropidæ, id eſt, Athenienſis. Theſpis enim apud Athenas primus tragœdias egit vſu cothurnorum. vt, ſola Sophocleo tua carmina digna cothurno. *præſidium.* quia reis frequẽter patrocinabatur. *conſulenti.* conſilium à te expetenti. *laurus.* victoria Dalmatica. Salonas enim Pollio Dalmatarum ciuitatem cepit: vnde & filiũ ſuum Saloninum appellauit: Pollioni autẽ laurus duplici nomine parit æternos honores, & quòd victor eſſet, & Poëta. vt Virg. Pollio & ipſe facit noua carmina. *æternos hon.* immortalitatem, perpetuam memoriam. *Dalmatico.* Salonino. *iam nunc minaci.* horum verſuum hic ſenſus eſt: cùm tu, inquit, deſcribis ſonitus tubarum reſonantium in prœlio, videtur mihi ſonus ille potius audiri quã deſcribi. Solent enim nobiles Poëtæ ita res geſtas deſcribendo exprimere, vt agi potius videantur quàm narrari. Virg. tũ Phaëthontiadas muſco circumdat amaræ corticis &c. *minaci* pleno minarum. *perſtringis.* vulneras, aut non leuiter tangis. *fulgor.* ſplendor armorum. *fugaces.* veloces, pauescenteis ſplendorem. *non indecoro.* glorioſo ſcilicet bellico. *ſubacta.* imperio Romano, à Cæſare ſcilicet. *atrocem.* conſtantem. Portius enim Cato apud Vticam elegit potius interire quàm in hoſtium poteſtatem venire *Iuno & Deorum.* ordo eſt: Iuno & quiſquis Deorum amicior Afris impotens ceſſerat, inulta tellure retulit inferias Iugurthæ nepotes victorum ſcilicet Romanorum. Quaſi ciuilia bella quæ geſta fuerint in Africa, ea Iunonis ira vel Deorum fuiſſent cum mota. *impotens.* ſup. exiſtens. *tellure.* Africæ. *victorum.* Romanorum, qui Carthaginem vicerant. *rettulit inf.* immolauit in obſequia ſepulturæ ducis Iugurthę, vel quę ſint inferiæ. *Iugurthæ.* ſub Iugurtha Annibalem quoque intelligi voluit & omneis Afros, quia in Africa tẽpore belli ciuilis multi Pompeiani cæſi ſunt. *quis non Lat.* quis non Romanorum ſanguine vel cadaueribus campus repletus. Luca. Totóque exercitus orbe te vincente perit. *audi. Medis.* pro cladis magnitudine dicit ciuilia bella etiam Perſis & Medis audita. Virg. Europæ atque Aſiæ fatis concurrerit orbis audiit, & ſi quem tellus extrema refuſo ſummouet Oceano. *impia.* ciuilia. *Heſperiæ.* ſcilicet ſuperioris Italiæ. *ſonitum.* κατ᾽ ὑπερβολήν. *qui gurges.* quæ pars fluminis. gurges per [illegible] aliquando ponitur pro mari. Virg. apparent rari nantes in gurgite vaſto. *ruina.* cladis. *lugubris.* ciuilis. *Dauniæ.* Apuliæ. à Dauno rege. ſed per Apuliam omnis Italia accipienda eſt, in qua ſanguis Romanus fuſus eſt; quia per Adriaticum mare de Brundiſio Cæſar profectus eſt ſequens Pompeium. Luca. Brundiſium decumis iubet hanc attingere caſtris. *decolorauere.* ſanguine infecere, à proprio colore mutauere. Luca. tùm primum rubuit ciuili ſanguine Nereus. *ora.* pars regionis aut terræ terminus. *ſedut veiiſtu.* hoc eſt, ne cùm Lyrico carmini aptiores ſint ioci, improbè facias ô Muſa, ſi lugubria miſceas. ordo eſt: ſed tu Muſa procax ne relictis iocis retractes munera neniæ Ceæ, quære mecum ſub Dionæo antro modos leuiore plectro. *procax.* petulans, inuerecunda, quæ alterius inuadis numeros. *retractes.* recites. *munera Ceæ n.* quæ ſunt planctus inutiles & vani. Neniæ, carmen lugubre quod mortuis dicebatur, nunc Græcis ἐπικήδειον dictum: quod Simonides Græcus Poëta Lyricus primus inſtituit à Cea inſula oriundus, vnde Ceæ Neniæ appellatæ. de qua Virg. cui pinguia Ceæ. & Ouid. Cingitur Aegæo inſula Cea mari. *Dionæo.* Venereo. à Dione Venere. *modos.* Lyricos, carmina Lyrica. *leuiore p.* faciliori ſtylo.

CRVQVIVS.

MOTVM *ex Metello conſule.* A tuto ſuadet Pollioni ne Romanorum ciuium principumq́ue virorum diſſenſiones inter ſe, déque primatu contentiones & arma ſcripto prius euulget, inq́. theatrum producat, quàm reſpublica ſit omninò compoſita, ſuóque conſilio prudentiáq; cõſtituta, eò quòd omnium animis iam pacatis, & offenſio minor ſit & tutius id fieri poſſit. At interim Pollionem à benignitate, fortitudine, rebus geſtis, ingenij excellentia, ſcribendíque dexteritate ita deprędicat, vt agi res ab ipſo ſcripta, clariúſq. cerni videatur, quàm audiri recitata: ſed id nõ ſine dolorum plena commemoratione facit effuſi Romani ſanguinis per vniuerſum orbem terra maríque: qua in re longiùs ab inſtituto Lyrici carminis egreſſus, vt fit in eo quod nobis cordi eſt, Muſam à luctu reuocat ad amores. *motum ex Metello.* ſcribit Pollionem belli ciuilis narrationem iam inde à conſulatu Metelli eſſe exorſum: verùm de Metello res controuerſa eſt & plena diſſenſionis inter enarratores quis is ſit. Commentator bellorum ciuilium, inquit, calamitatem refert à Lentuli & Marcelli conſulatu (anno 704. ab Vrbe cond.) cœptam, quam altius repetit, id eſt, à Metello Celere & L. Afranio conſſ. (693.) Huic Lamb. aſſentitur. Qui annus certè propter trium inter ſe virorum conſpirationem Pompeij, Craſſi & C. Cæſaris, licet opprimendæ libertatis publicæ non obſcurum dederit initium, tamen quòd multò antea

Romani

Romani principes ſibi inuidere inter ſe, ambitioſéque tumultuari cœperint, Horatiũ malunt abj reſpicere conſulatum Q. Cęcilij Metelli Numidici cum M. Iunio Silano, anno 643. ex faſtis viri doctiſſimi Caroli Sigonij: Quorum ſententiæ ſine controuerſia ſubſcribendum iudico, eò quòd in Diuæi cod. litteris vetuſtate propè obliteratis ſcriptum offenderim, ex Metello, id eſt, ex eo tempore quo Metellus fuit conſul contra Iugurtham. Et hoc profecto tempore ex ambitionis impuriſſimo fonte, quaſi riuuli ſeditionum paullatim dimanare cœperunt in perniciem publicæ tranquillitatis libertatíſque: Primùm inter Metellum cõſulem & Marium eius legatum, propter ſubreptũ cõſulatum: Poſtea eodem bello Iugurthino inter Marium conſ. & eius Quæſtorem L. Cornelium Syllam, propter Iugurthæ capiendi interceptam gloriam: Bocchus enim Mauritaniæ rex ex pacto Iugurtham generum ſuum Syllæ tradidit in manum: vnde tam crudele natum inter eos eſt odiũ, vt ex eo poſt paullò res Romana extremo ferè periculo concuſſa fuerit. legito Plutar. in vita Marij. Velleium Paterculum lib. 2. Luc. Florum lib. 3. de bello Iugurth. *motum.* bellum ciuile per ἐλάττωσιν motum nominat magis appoſitè ad inuidiam nominis vitandam, qui reuerà quoque ab initio tantum motus erat: bellum namque propriè cum hoſte geritur, inter ciueis autẽ ſunt motus, commotiones, iræ, contentiones, inimicitiæ, ſeditiones: ſic & πόλεμος ὁ τῶν ἀλλοτρίων, ἡ ςάσις, ὁ ἐμφύλιος, inquit interpres Thucydidis. icirco Lucanus lib. 1. ſeditiones inteſtinas vocat bellum ſine hoſte, Tela manúſque Romanę miſcent acies, bellúmque ſine hoſte eſt. *belliq́ue cauſam.* hic per ἐπάυξησιν exit motus ciuilis in apertum bellum, nimirum inter Pompeium & C. Cæſarem: Nam hoc ſenatuſconſultum, Si ante certam diem Cæſar exercitum non dimitteret, eum aduerſus rempubl. facturũ videri. Item quod ante 7. Id. Ianuar. factum eſt, nimirùm, Darent operam Conſſ. Prætores, Tribuni pleb. quiq. Conſulares eſſent ad vrbem, ne quid Reſpublica detrimenti caperet, quid aliud inquam hæc ſenatuſcon. quàm C. Cęſarem hoſtem declararunt? & hę fuere cauſæ: quo ex paruis initiis non aliud triſtius affecit imperiũ Romanum: Quare non iniuria Herodot. in Vrania, ςάσις, ἔφη, ἐμφύλιος, πολέμου ὁμοφρονέοντος τοσούτῳ κάκιον ἐςὶ, ὅσῳ πόλεμος εἰρήνης. id eſt, Seditio inteſtina, bello malum tanto eſt grauius ciuibus conſentientibus, quanto bellum pace. *vitia.* arrogantia, auaritia & ambitio: Pompeius enim noluit habere parem; C. Cæſar non tulit ſuperiorem. *& modos ludumq; fort.* euentum varium & incertum, quibus, putà, modis fortuna luſit in his contentionibus, nunc aduerſa, nunc proſpera, nunc blanda, nũc triſtis, nũc amica, nunc inimica, vt patet ex hiſtoria belli ciuilis apud Appianũ & Dionem. *uncta.* quaſi adhuc redolentia recentem, cúmque in plurimis innocentem ſanguinem, in primíſque expiandum, vt dij propitij libertate reſtituta tranquillitatem firment & pacem. Hæc alluſio eſt ad Triumuiratum. *opus.* poëſin, vbi & res geſta, & principum tumultus nõ rarò pluſquã Tragici deſcribuntur. Quare id genus poëmatis nõ iniuria nominatur hic ab Horatio ſeuera Tragœdia, non à mimis, vt arbitror, ſed ab argumenti grauitate ſeueritatéque. Quare mihi perſuaſerim Pollionis iuſtum aliquod poëma ab Horatio lectum eſſe, complectens ſeditiones principũ à Metelli Numidici conſulatu ad ſua vſque tempora: In quo fortaſſe pro ſuo candore Pollio & rerũ geſtarum fide, cùm non vbique pro decoro, vt vſus, res, locus & tempus exigebãt, poëtam ageret, monuit Horatius, vt id tantiſper apud ſe premeret, dum conſtitutis omnibus in republica, ſedatíſque rerum potiretur Auguſtus. itaque mihi planè videtur hic inutile, ne dicam ridiculum, adducere in controuerſiam, Tragœdiam ne Pollio, an hiſtoriã rerum geſtarum litteris mandarit, quando poëſi ſuo argumento ſit opus etiam in nuda fabula. *incedis per ig.* allegoria amœniſſima: namque vt ex ſcintillis reconditis, ſi moueantur incautiùs, maximæ ſæpè flammæ, omnia quæ ſunt obuia, ſecum rapiunt: ita principum vitia vel minima, ſi minùs cautè notentur, mox recrudeſcit memoria, & id vel ipſa morte grauius ferunt. *paullum ſeueræ.* hoc eſt, tuum poëma nec audiatur, nec legatur in publico, ne vulgatum tibi tragicas turbas i. horribilem & funeſtum concitet exitum. *vbi publ. res ord.* miror non parum Lambinum hic ancipitis eſſe ſententiæ, ad hiſtoriam ne belli ciuilis oratione conſcriptam à Pollione ſint hæc verba referenda, an ad reipublicæ diſpoſitionem; quando vel mediocriter aliquis in magiſtratibus Romanis exercitatus, facilè iudicet hic denotari officium eius qui præfectus vrbi dicebatur, quem penes ſumma rerum relinquebatur, quíque omnia crimina per totam Italiam admiſſa intra centeſimum vſque lapidem (vt in Epiſtola D. Seueri ad Fabium Cylonem cautum eſt) ſibi vendicat. Sed hęc latius in Pandect. de offic. præfec. vrb. icirco Pollionem virum conſularem hanc ab Auguſto poteſtatem accepiſſe, & fortaſſe maiorem, docent etiam ſubſequentia, nimirùm, *inſigne mæſtis ſubſidium reis, & conſulenti Pollio curiæ.* quæ non tam pertinent ad forenſe patrocinium, vt volunt alij, etiã ſi fuerit orator eloquentiſſimus, quàm ad recreandos, Auguſtóque reconciliandos & Senatores & alios

qui pro Antonio ſteterant, remque publicam perturbarant, eos omneis crediderim ad Pollionem confugiſſe, tanquam ad tutorem publicæ libertatis. & curiam, id eſt, ſenatores in conſulendo, id eſt, iudicando ſtatuendóque de republica, vt erat ſapientiſſimus prudentiſſimúſque, eius ſententiã expectaſſe. *Dalmatico pep. trium.* Conſul fuit Pollio anno Vr. cond. 714. poſt C. Cæſarem interfectũ annos quinque, ipſe annos natus 37. Vixit enim anno. 80. vt in Chronicis Euſebij notatum eſt: mortuus autem eſt 12. annos ante Auguſtũ Vrb. cond. 756. à natali Ieſu Chriſti redemtoris noſtri 6. In ſuo conſulatu de Dalmatis triumphauit. de quo L. Florus, Dalmatas, inquit, Marcius incenſa Delminio quaſi detruncauerat, poſtea Aſinius Pollio gregibus, armis, agris multauerat. Dio in deſcribendis hoc anno geſtis, eodem tempore inquit, Parthini mouerunt, quorum conatus armis compeſcuit Pollio &c. Parthinos Plin. in Macedonia collocat, Stephanus autem Parthum ſcribit eſſe oppidum in Illyria, vnde ciueis Parthinos dictos. Seruius in Pollione de Salona concinit Cõmentatori. *iam nunc.* laus & commendatio poëſeos Pollionis ab ὑποτυπώσει, quæ eſt, definitore Fabio lib. 9. propoſita quædam forma rerum, ita verbis expreſſa, vt cerni videatur potiùs quàm audiri. *minaci.* triſti, mortem minitanti. *murmure.* rauco ſonitu in ordinando peditatu. *litui.* in equis concitandis. *fugaces.* in fugam propendenteis. *audire mag.* altera διατύπωσις amiſſæ victoriæ. *magnos.* fortaſſe Pompeium in acie Pharſalica, T. Labienum, Afranium, Iubam in Africa, Pompeij filium Cn. in Hiſpania apud Mundam, cuius frater Sextus è Corduba in Siciliam euadens, hinc in Aſiam poſtea effugiens ab Antonianis cæſus eſt. Strabo lib. 3. magnos, inquam, audire videor ſubactos, ingemiſcenteis, triſtem belli exitum deploranteis. *nõ indecoro.* litore, glorioſo, qui fortiter pro patria pugnando cecidere. de puluere vide oden 1. & 6. lib. 1. & 6. lib. 4. *atrocem.* ἄτρεπτον, ἀνίκητον, inuictum ita vt atrox veniat à τρέω, τὸ νικάω, vinco, ſupero. *Catonis.* Vticenſis, minoris. vide Plutar. in vita Catonis. *Iuno & deorum q.* ἀπολογία amiſſæ victoriæ, cæſiq́ue Romani exercitus in Africa per purgationem à neceſſitate: non enim eò contigit victorem in Africa fuiſſe C. Cæſarem quòd duces Pompeianæ partis parùm fuiſſent fortes & ſtrenui, quòd milites imbelles & ignaui, ſed quòd hoc fuiſſet in fatis, vt qui dij Afris amici, in expugnatione Carthaginis, in capiendo Iugurtha, non potentes reſiſtere maioribus Roman. ceſſiſſent inulta Africa: Nunc, vt eſt rerum omnium viciſſitudo, minores ſeu nepotes victorum Iugurthæ & Afrorum manibus in inferias mactari voluiſſent.

Hæc pertinere videntur, præter cetera, ad eã ſtragem miſerabilem quæ in Africa ad Thapſum cõtigit; vbi tres hoſtiu myriades vna die ceciderunt, paucis Cæſarianis deſideratis. legito Comment. Cæſa. *retulit.* per vnicum t in omnibus ſcriptis. *qui non l at ſang.* θρῆνος effuſi ſanguinis ciuili bello ἐρωτηματικῶς ad maiorem commiſerationis affectum mouendum. *impia.* quòd in ciueis, parẽteis & patriam, id eſt, quæ natio, quæ regio nõ fuit particeps Romani ſanguinis? *qui gurges.* lamentatio belli naualis. *ignara.* expers belli. *ſed ne relictis.* Epilogus per διόρθωσιν ab indecoro; reuocat enim Muſam à luctu & lamẽtis, quod lyram decet minimè, ad id quod ei proprium eſt, nempe, ad amœnos iocos, ludos & amores. *Cea.* ſic ſine diphthõgo in principio, Cea, ſcriptum eſt in omnibus noſtris ſcriptis.

AD C. CRISPVM SALLVſtium de contemtu pecuniæ cum laude liberalitatis.

ODE II. προτρεπτικὴ ἢ ἐγκωμιαστικὴ καὶ δικανικὴ.

NVLLVS *argento color eſt auaris*
Abdito terris, inimice lamnæ
Criſpe Salluſti, niſi temperato
Splendeat vſu.
Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente ſolui
Fama ſuperſtes.
Latius regnes auidum domando
Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.
Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri ſolio Phraaten,
Diſsidens plebi, numero beatorum eximit virtus, populumq́ falſis
Dedocet vti
Vocibus, regnum, & diadema tutum
Deferens vni, propriamq́ laurum,
Quiſquis ingenteis oculo irretorto
Spectat aceruos.

COM-

COMMENTATOR.

NVLLVS *argento color eſt.* Ode hæc eſt dicolos ſcripta ad C. Criſpum Salluſtium hiſtoriographum equitem Romanum Auguſti amicum, qua liberalitatē laudat & animi magnificentiam. *argento abdito.* argentum abditum pro pecunia in theſauris recondita dixit. Senſus autem hic eſt: diuitiarum ſplendor nullus eſt, niſi in vſu fuerit honeſto: auaris autem recondendo creſcit ſola cupiditas: vt Iuuena. Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. vnde & hydropi morbo comparat hoc vitium, quod nimietate ſitis & potandi deſiderio creſcente ægritudine intus augetur. *color.* ſplendor, pulchritudo & vtilitas. *abdito.* in terris defoſſo. *auaris terr.* auaræ terræ dicuntur, cùm id in ſe recipiunt quod non reddunt cum fœnore. *inimice.* vocatiuus eſt. *lamnæ.* pro laminæ, per ſyncopen. lamina autem rudis eſt & infabricata materia quæ obſcuratur auaris celata: & vult intelligi Salluſtium non occultare diuitias. *temperato vſ.* moderato. hoc autem dicit, ne crederetur prohibendo auaritiam ſuadere luxuriam. *extento æuo.* prolõgato, id eſt, in perpetuum. Proculeius eques Romanus, amicus Auguſti, rariſſimæ pietatis erga fratres ſuos Scipionem & Murenam fuit, adeò vt bona ſua ex integro æquis partibus cum eis diuiſerit cum quibus antea patrimonium diuiſerat, quo illi bello ciuili erant ſpoliati. *notus.* celebris. *animi paterni.* quòd paternum fratribus impenderit animum & amorem. *aget penna.* laudabit, extollet. ſenſus eſt: Proculeius propter liberalitatem in fratres, æternam ſibi memoriam parauit, & per omne æuum fama eius extenta eſt, per quam ſemper volabit per ora virorum. *fama ſuperſtes.* quoniam bene facti fama non moritur, nec penna eius metuit ſolui, id eſt, diuulgat ad poſteros, quia ſemper eum agit. famam autem habere pennas & volare etiã Virg. ponit, fama volat pulſum regnis ceſſiſſe paternis Idomenæa ducem. *latius.* diffuſiùs; latius, inquit, regnum extendes, compeſcendo cupiditatem, quàm ſi vniuerſum orbẽ poſſideas. *auidum.* cupidum. *remotis.* diuiſis. *Gadibus.* Gades oppidum & inſula inter Africam & Hiſpaniam: hinc fretũ Gaditanum. *vterq; Pœnus.* orientalis & occidentalis, id eſt, Phœnices & Africani. Aliter. vterq; Pœnus, quia alia fuit Carthago in Africa condita à Didone, alia in Hiſpania ab Aſdrubale, quam Spartariam vocant. *vni.* tibi. *indulgens.* concedendo potum. vt, indulgent vino, & vertũt crateras ahenos. *dirus hydrops.* Hydrops morbus eſt ſubcutaneus ex vitio inteſtinorum natus cum anhelitu fœtido, & inflatione turgente. Hydropico autem proprium eſt, vt quanto plus biberit tanto amplius ſitiat. *dirus.* pernicioſus. Diffuſus enim humor per omne corpus hominẽ perdit & necat. ſenſus itaque eſt, ſicut ſitis non tollitur niſi ægritudine fugata, ita auaritia & cupiditas habendi non ſatiatur, niſi prius animo ad ſanitatem reuocato. *aquoſus lang.* ὕδρωψ. *albo.* pallido, pallenti. vt Perſ. Turgidus hic epulis atque albo ventre lauatur. *Phraaten.* Phraates reſtitutus in regnum Perſarum, vbi Cyrus regnauit, non eſt de numero beatorum propter ſuas diuitias & ſplendorem, vt vulgus ſentit, nam diuitiæ non adferunt beatitudinem, ſed ſola virtus. *diſſidens plebi.* id eſt, diſcrepans à plebe, nec habens aliquid cum plebe commune. *ſolio.* regno Perſarum, vbi Cyrus regnauit. ordo eſt: virtus diſſidẽs plebi eximit numero beatorum Phraaten redditum ſolio Cyri, & virtus dedocet populum vti falſis vocibus, deferens vni regnum & tutum diadema & propriam laurũ ei qui ſpectat ingenteis aceruos oculo irretorto. *eximit.* ſeparat, ſegregat. *dedocet.* deſuefacit. *vocibus.* opinionibus. *tutum.* quod nemo auferre poſſit. *vni.* ei ſoli, ſcilicet ſapienti: Nam is ſolus diues, ſecurus, rex eſt, & diuitias alienas non concupiſcit. *propriámq; laur.* veram gloriam. *irretorto.* irreflexo, inconcupiſcibili animo. *aceruos.* pecuniæ cumulos. Virg. ac veluti ingentem formicæ farris aceruũ cùm populant.

CRVQVIVS.

NVLLVS *argento color eſt.* Dum ſuo more ludendo notat Salluſtium, quòd is vt voluptati genióque indulgeat, ſe iactet odiſſe pecuniã, nedum amore vel eius ſplendore capi, docet non auari eſſe, nummi pulchritudinẽ noſſe, vt qui nihil quàm defoſſum teneat; nõ prodigi, qui tamquam ſuam perniciem, vt ſatis corpori faciat, eum à ſe proiicit profunditque: ſed vnius id eſſe frugalis hominis liberaliſque, vt qui temperato eum moderatóque vſu contrectet, dijudicet æſtimetq;: Qua ratione & ſplendere & eum vtilem eſſe facit, cùm ſibi, tùm aliis viris bonis fortibúſque benefaciendo impertiendóque. Quod profectò bene vtendi liberaliſque animi nomen tam præclarum demonſtrat eſſe & magnum cùm Proculeij exemplo, tùm virtute continentia, perque confutationem popularis opinionis, quę diuitiis & opibus omnia tribuit, vt is ſolus ſecuram vitam viuat, ſingularem gloriam mereatur & regnum, denique ſolus ſit beatus, quem non auaritia odioſum & obſcurũ facit, nõ ignominioſum profuſio & perditum. videtur in hac Ode ἐν παρόδῳ nonnihil alludere ad dogma hoc Stoicum, ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος. *nullus argento color eſt auaris abdito terris.* Magno profectò velim Lambinũ pro ſua eruditione fuiſſe non tam præcipitis ingenij in emaculandis auctoribus ſine auctoritate veteris alicuius ſcripti

codicis

codicis: etſi namq; certò credã id eũ feciſſe polygraphiæ ſtudio, tamen eo nomine nemo vmquã crimen audaciæ crimen, ne ſtuporis dicã, qui quod rectum eſt, delet, inq; eius locum ſubſtituit quod minùs conuenit. Quid enim venerit ei in mentẽ quando pro, abdito, contendit acriter legendum eſſe, abditæ, ſine exemplari ſcripto, profectò me latet: nam meo quidem iudicio, perit Venus, perit Horatianus Genius in illius voculæ mutatione. Proinde, vt rem preſſius excutiamus, illiuſque vtamur exemplo in elucidatione argenti Horatiani: Nemo certè dixerit, inquit, mulieris deformis vllam eſſe gratiam aut venuſtatem niſi formoſa ſit: Aſſentior; hoc enim perinde eſt, acſi dicas, mulier deformis eſt formoſa, quod eſſe reuera nequit: verùm mulierẽ deformem fieri formoſam, quis niſi demens, auſit infitiari? Sic Horatius argentum terris abditum non aſſerit ſplendere: Qui namque id dicat, cui colorem adeſſe negat: Atqui argentum terris effodi, igne purgatum manibus contrectari, in vſum venire, vſuque ſplendere, quis id non det Horatio? qui nil minùs certè voluit hic quàm παραλογίζεσθαι, id eſt, fucũ alicui facere, ne Salluſtio quidem, quem pecuniæ clarè facit inimicum: tametſi non me lateat iis in verbis aliquid ſubeſſe notæ. Atſi quis vel ineptire contendat Horatium, quod argento foſſitio colorem deneget, quando non paucis in argentifodinis Germaniæ eruatur argentum purum coloratumque, vel Lambini lectionem eſſe genuinam. Equidem Lambini lectionem non grauatim cõceſſerim non eſſe aptam, vt iam dictum eſt: At Lyricum noſtrũ aberrare nequaquam, vt qui hac in re non ignorauerit quid ſenſerint veteres, quid ſcripſerint, quibus non erat inexploratum in argentifodinis aliud in venis argenteis inueniri quàm terram aliam rufam, aliam cineraceam, Plinio teſte, ſine vlla vel ſpecie, vel argenti ſplendentis ſcintillula, quam priùs addito plumbo nigro neceſſe erat excoqui, ablui, purgari, inque laminas transfundi, quàm ſumeret argenti colorẽ. Quod autem nunc in Germania Schnebergum, Annebergum, Gairum, Voſagi mõtis Liberia vallis &c. gignunt argentum purum, hoc ne veteribus erit vitio neſcire & criminationi Lyrico noſtro? Ceterum quis non videt huius dictionis, argentum terris abditum, puritatem & energiam planè eſſe naturæ, non etiam defodientis auari? vt omittam epitheton, auaris, quod hîc omninò naturæ proprium eſt, quæ in terræ viſceribus ita metalla tenet abdita, vt & inuidere nobis, & communicare nolle videatur. Quid? quod eo dicendi modo ferè ſint vſi veteres? ſic Cic. 2. natu. deor. Nos æris, argẽti, auri venas penitus abditas inuenimus, ad vſum aptas, & ad ornatum decoras. Iterum 2. offic. Nec ferrum, æs, aurum, argentum effoderetur penitus abditum ſine hominũ labore & manu. Lucret. 6. Denique vbi argenti venas aurique ſequuntur terrai penitus ſcrutantes abdita ferro. Poſtremò ſi abditæ legamus, an non erit neceſſe fateri Salluſtium contra Cic. Varro. & Agellij teſtimonia, non prodigum ſed auarum fuiſſe, vt qui pecuniam humi defoſſam ſeruaret, quo nomine ſit ei inimicus, qui vſu nolit eam ſplendere? Quã ob rem ne tædio ſim lectori, penitus arbitror antiquàm lectionem eſſe veram & genuinam, & horum verſuum eſſe ſententiam, neque argentum impurum, neque argenti laminæ, hoc eſt, (vt informis materia pro ea poſita ſit, quæ iam exculta eſt artificis manu) pecunia, calices, ſcyphi, pateræ &c. ſplendent, id eſt, ſplendidum, laudabilem, virum deniq; bonum efficiunt niſi vſu temperato, id eſt, temperantia, modeſtia, continentia duce & magiſtra. *inimice lamnæ.* notat Salluſtij luxum & profuſionem, quæ tanta erat, vt odiſſe pecuniam, próque inimiciſſima peſte eam habuiſſe videatur. legito orationem Cic. (vt fertur) in Criſpũ Salluſt. Arbitror autem Horatium de induſtria hac voce lamina vſum, quòd eam Salluſtius fortaſſis in contemptum argenti, auri, pecuniæ, ſemper habuerit in ore, laminaſque & cruſtula nominauerit. *extento Proculeio.* Exemplũ liberalitatis; vt doceat Salluſtium in profundendis bonis paternis (patris enim ædeis vendiderat cum ſumma ignominia) eis nec vti, nec vſum eorum noſſe. Proculeij quoque meminit Plutarch. in vita Antonij, vbi Cleopatræ ſuadet vni Proculeio ſe crederet. *extento æuo.* viuet æternum, fama nomen Proculeij extendet, propagabit ad poſteros, efficiet immortale. *metuente.* nolente, per metatheſin; nam qui metuit, renititur, recuſat, refugit, non vult. In eadem ſignificatione Ode 11. lib. 3. metuitq; tangi nuptiarum expers. & Ode 5. lib. 4. inſulsè putant aliqui hic addendum τὸ haud, vident enim hic ſignificari æternitatem, quæ neque perit, neque perire metuit. iccirco negationem participio adijciendam cogitant, cùm non aduertant aliud in participio contineri. *ſuperſtes.* perennis, perpetua. *latiùs regnes.* ſuprà Salluſtio prodigo oppoſuit Proculeium benignum & in fratres liberalem: hic ex auaritiæ vitio docet quàm ſit laudandus Proculeius, qui animo ſuo imperauit fratres ſibi in bonis exæquari: & quàm vituperandus Phraates ob auaritiam regno eiectus. *regnes.* modi potentialis, pro regnare poſſis: auaritiæ proprium eſt, quocumque modo rem facere, regna regnis addere, latè imperare; & vulgi hæc eſt opinio. Contrà Horatius, ſi vis, inquit, diues eſſe, & longè latéque imperare,

imperare, te ipſe rege, tibi impera,& omnia poſſederis: animus enim hominis,non arca diues appellari ſolet,quamuis illa ſit plena. *remotis Gadibus.* procul ſitis Celtiberis,quos per Gades accipe,quibus viciniores adiacent quàm Africanis: Præiacēt enim Europæ,inquit Strabo lib.2. inſulæ, extra Columnas quidem Gades & Caſſiterides, intra Columnas verò Gymneſiæ, aliæque Phœnicum inſulæ &c. *creſcit indulg.* appoſitiſſima comparatio, nam malum malo,cauſa cauſæ, curatio curationi reſpondet: verùm quò id quod afficitur eſt excellentius,eò malum malo grauius eſt & deteſtabilius; alterum corporis vnius pernicies eſt,alterum regna ſubuertit: Nam hydrops quidem corpori,auaritia verò adhæret animo penitus inſita. Sitis habendi cruciat,hinc pecuniæ,illinc liquoris: tolle cauſam,fugiat aquoſus humor,præcipuè iecinori ſuccurre infirmato,& morbum ſuſtuleris: Auaritiæ tolle matrem luxuriem,animū doma, & malum diis,hominibúſque execrabile eieceris: At ſi neglexeris, tandem naſcitur audacia,ſcelerū omnium & maleficiorum mater.Ceterum hydropis tria genera,Tympanites,quando vento venter ita diſtenditur(qui eſt inter peritonęum & inteſtina) vt pulſatus tympani bombum referat. Alterum genus *ἀσκίτης* ab vtre ſimiliter humoribus collectis diſtento ijſdem in locis. Tertium *ὑποσάρκα* (quale hic ab Horatio deſcribi videtur) hoc eſt, aqua ſubtercus,quádo pituitoſus humor inter cutem per corpus diſpergitur. De curationibus horum trium legito Cornel.Celſ.lib.3.cap. 21. Galenum,9.*κατὰ τόπους* 3.De hoc morbo & eius cauſis ſcribit Q.Serenus Sammonicus. Corrupti iecoris vitio,vel ſplenis,acerbo creſcit hydrops, aut cùm ſiccatæ febre medullæ,atq; auidæ fauces gelidum traxere liquorem , tum lympha interius vitio gliſcente tumeſcit ſecernens miſeram proprio de viſcere pellem. *indulgens.* indulgere, Valla teſte,eſt cōcedere obſequenter & delicatè tribuere: eſt autem in vitio,ſicut & indulgentia, mollis educatio & delicata,quę neruos omneis & mentis & corporis frangit. *dirus.* quaſi dei ira natus,inquit Feſtus. Codex Bland.1.& Maldeg. habent, durus. *venis.* venas quaſi riuulos ſanguinis ab hepate dimananteis pro ipſo fonte, puta, hepate infirmato: vel,ſi mauis,pro arteriis intelligere licet,vt veteres non rarò, in quibus ſemper, quàm ſanguinis plus ineſt humoris.*redditum Cyri ſol.Phr.* Sentit vulgus eum eſſe beatum regnóque dignū, qui id tutari,ampliare & conſeruare poſſit; quod fieri cùm vix queat ſine diuitiis,iudicat idem, vel ampliſſimas,quo iure,quáque iniuria coaceruandas,quòd hæ ſolæ id præſtare valeant, eóque infinita rapina opus eſſe.Contrà docet Horatius exemplo Phraatis (quicumque is ſit) quem nō omnes Perſarum ſplendores & opes in regno tutari potuerunt,contra plebis imperitæ ſtupidam ſententiam,non à fortunæ bonis aliquem dici & eſſe beatū,ſed ab vnica virtute, eíque regna, imperia, ſummos,tutóſq; honores deberi & immortalem gloriam; non qui cumulandis,ſed vtendis liberaliter opibus incumbit,quod non auaritiæ,nō prodigalitatis eſt, ſed continentiæ temperantiæque. *Phraaten.* alij Phraorten legendum putant: Equidem ſecutus ſum manuſcriptos codices omneis, atque non temerè,vt arbitror,coniectare licet hūc Phraaten (cuius fortaſſis hiſtoria intercidit) ex Parthis aliquem ſuis opibus & amicis regnum inuaſiſſe Perſarum, eiectúmque propter rapinas & bonorum ſtudia: rurſúmque poſtea in regnum reſtitutum: propter quam Fortunæ mobilitatem, ſcribit Horatius eum numero beatorum exemtum,à virtute quę ſola conſtans regnum & tutum largiri poteſt,& veram gloriam: Cur autem id cōiectem, præter tacitam hoc loco ei rei ſignificationem,facit Strabo lib.15.qui Parthis, Herodes, Phraates, & alia priuata nomina fuiſſe ſcribit,regéſque Arſacidas nominatos.Omnes Bland. & alij 4.cod.habent Phrahates per aſpirationem in medio: atque eam iudico genuinam lectionem, eò quòd barbara ſit dictio: Non ſolent enim Græci mediam ſyllabam aſpirare,vt nec Strabo, nec alij Græci hanc aſpirant. *diſſidens plebi.* verior,meo iudicio,lectio eſt codicum Bland.diſſidens plebis, ita vt τὸ diſſidens verbale cū genitiuo plebis, perpetuam quandam & quaſi naturalem diſceſſionē à plebe denotet.iudicet lector doctus. *oculo irretorto.* continenti,qui ad aſpectum pecuniæ non magis mouetur quàm lapis, quales ſunt liberales, frugales, continentes, abſtinentes, moderati qui norunt vſum pecuniæ.Hic malim virum quendam doctiſſimum pro verboſa ſua in re manifeſta diſputatione,nobis ediſſeruiſſet,vter ſit conſtantior & magis irretortus habendus, iſne qui viſam pecuniam fortiter contemnit, an qui non viſam nihili facit?

AD L. GELLIVM: DE Æqualitate mentis ſeruanda tam in proſperis quàm rebus aduerſis: quia mors eſt omnibus æqua.

ODE III. *παραινετικὴ καὶ πραγματική.*

ÆQVAM *memento rebus in arduis*
Seruare mentem: non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia, moriture Delli,

Seu mæſtus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Feſtos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni,
Quo pinus ingens, albaq; populus
Vmbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis, & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare riuo.
Huc vina, & vnguenta, & nimium breues
Flores amœnæ ferre iube roſæ:
Dum res, & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coemtis ſaltibus, & domo,
Villaque flauus quam Tiberis lauit:
Cedes, & exſtructis in altum
Diuitiis potietur heres.
Diuéſne priſco natus ab Inacho,
Nil intereſt, an pauper, & infima
De gente ſub dio moreris,
Victima nil miſerantis Orci.
Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur vrna: ſeriùs, ocyùs
Sors exitura, & nos in æternum
Exſilium impoſitura cymbæ.

COMMENTATOR.

ÆQVAM *memento rebus in arduis ſer.m.* Metrum Alcaicum duobus verſ. tetr. iamb. dimet. hypercat. quar. Pindar. ad Gellium, quem vult omnibus in rebus æqualitatem ſeruare, ita vt nec aduerſa eum conterant, nec proſpera extollant: neque enim minùs eſt neceſſaria modeſtia in proſperis quàm in aduerſis. *æquam.* id eſt, æqualem, immutabilem, ita vt ſemper habeas in animo moderationis propoſitum, & in aduerſis talis ſis, qualis in proſperis. *arduis.* difficilibus, aduerſis. *non ſecus.* ſimiliter. *ab inſolenti.* ſubitò orienti. *temperatam læt.* non immoderatè lætam. *moriture Gelli.* o Gelli, moriendum eſt enim ſeu tenax ſeu largus vixeris. *remoto.* ſecreto nemore. *reclinatum.* ſcil. ſupinum ex otio à curis animo te beatum feceris. & ita viuas ſemper, quaſi feſtos dies celebres. *interiore.* ſupp. de. interiùs enim vina ſeruandia reponuntur, quibus ad vetuſtatis iudiciũ tempus quo conduntur adſcribitur, ſeu in interiore aluo vaſis habentia notam. *quo.* ſupp. in gramine vel loco. *pinus ing.* quæ ſua magnitudine præſtat amœnitatem potantibus. *albáque pop.* interiora namque populi folia ſunt alba. vt, bicolor cùm populus vmbra. *vmbram.* refugium epulātibus propter æſtum gratum & delectabile. *conſociare.* condenſare & opacam facere. *ramis.* perplexis inter ſe. *quid? obliquo.* tortuoſo, flexuoſo. *trepidare.* feſtinare. vt, ne trepidate meas Teucri defendere naueis: vel, trepidare, id eſt, tremebundè currere, & fluendo defecari ad vſum & delectationem hominum: deus enim condidit omnia, vt in eis homines acquieſcerent. *fugax.* cita & celer. *huc.* ad nemora. *nimium breuis.* breuis, genitiuus eſt, id eſt citò tranſeuntis & temporaneæ, vt ſuperiù dixit breue lilium *amœnos.* delectabileis. *ferre iube.* ad voluptatem. *ætas.* iuuentas apta lætitiæ. *res.* patrimonium. *fila trium.* ipſæ ſorores per periphraſin, quæ mortis admoneant & minētur. Virg. extremáq; Lauſo Parcæ fila legunt. *atra.* crudelia, minimè placabilia. *cedes.* locum dabis. *coëmtis.* comparatis. *ſaltibus & domo.* omnibus diuitiis & amœnitate, morte carendum dicit. vt Iuuen. dum tamen à figulis munitam intrauerit vrbem ſarcophago cõtentus erit. *villáque.* coëmta. *lauit.* lauat, præterfluit. *extructis in alt.* compoſitis, magnis & amplis. vt, qui forte tapetibus altis extructus. *potietur her.* hoc eſt, ſi diuitiis tuis in vita non fueris vſus, relictis hæredes fruentur. *diues ne p.* hoc eſt, nihil intereſt poſt mortem vtrum diues fueris & generoſus, an pauper & humilis genere. *ab Inacho.* Inachus rex Argiuorum nobiliſſimus fuit, à quo & fluuius in quo merſus nomen accepit. Vnde Virg. pro generis nobilitate dixit. Et Turno ſi prima domus repetatur origo Inachus Acriſiuſq; pater. & Iuuena. de quocumque voles proauum tibi ſumito libro. *an pauper.* nulla enim diſtantia eſt mortis inter nobilē & ignobilem, diuitem & pauperem; quia mors neque pauperem eligit, neq; diuiti parcit, ſed omneis in commune rapit. *ſub dio.* ſuprà pro diuitibus domum dixit, ideo hic ſub dio, hoc eſt, nudo cælo poſuit manſionem pauperis. *victima.* tu ſcilicet ipſe. *nil miſerantis.* implacabilis. Virg. ignoſcenda quidem ſcirent ſi ignoſcere manes. *Orci.* Plutonis. *omnes eod.* omnes enim naſcimur, & omnibus vna terra ſepulcrum præſtat. *eodem.* ad eundem Orcum *cogimur.* compellimur. vt, Tityre coge pecus. *omnium mo. vrna.* vrnam pro ſorte poſuit: verſatur enim omnibus vrna, aliis ad diuturniorem vitam, aliis ad præſentem mortem: in vrna enim ſolent recondi ſortes ad ſuffragia honorum, & inde extrahi. vrna etiam erat in qua cineres recondebatur. vnde Luca. numquid plenas plangemus ad vrnas? Virg. de vrna ſortium dixit, Quæſitor Minos vrnam mouet. *ſors.* ſortem dixit propter vrnam. ordo eſt, ſors omnium exitura

ſerius vel ocyus, & nos impoſitura cymbæ in æternum exilium verſatur in vrna. *cymba.* Charontis, vt in æternum dirigat exilium.

CRVQVIVS.

AEQVAM *memento reb. in ard.* In antiquiſſimo codice Bland. ex apicibus, lituris & alterius Bland. collatione in quo ſcriptum reperi ad Bellium, facilè deprehendi in locum litteræ G irrepſiſſe litteram D, propter affinitatem; ita vt pro voce Gellius, hactenus legatur Dellius. Quare vulgaram inſcriptionem ad Dellium curaui mutandam in hanc, ad L. Gellium; tùm quòd in ea mutatione parum ſit periculi, tùm quòd eo quo ſcripſit Horatius tempore oſtendam L. Gellium, L.f.L.n. poplicolam cum M. Cocceio Nerua geſſiſſe conſulatum, anno putà V.c. 717. auctore Sigonio. is Gellius, vt refert Dio, fuit M. Cornelij Meſſallæ frater, ab euentu fortaſſis adoptionis poplicola nominatus: Non enim Gellij, ſed Valerij poplicolæ cognomen acceperunt: huic autem communi conſilio condemnato, vt habet L. Flori Epitoma lib. 122. à M. Bruto antea quàm conſul eſſet, venia data fuit. Quem fortaſſe propter euentus fortunæ dubios, reique publicæ ſtatum varium, ſuis rebus parum confiſum monet Horatius, vt præſenti ſemper erectóque ſit animo & in lætis & rebus triſtibus, genio indulgeat, boníque cōſulat quod fors fert: id autem quò faciat cōmodiùs, iubet eum extra tumultum popularem rus ſecedere, eóque collatis omnibus quæ voluptatem iuuant iucundè viuere, nulla vel hæredis vel mortis cura, quæ cunctis ex æquo mortalibus ſemel imminet. Non infitior Q. Dellij quoque meminiſſe Dionem lib. 49. & 50. ſed quòd is exoletus fuerit Antonij, inque Actiaca pugna defecerit ad Auguſtum, mihi non perſuadeo eum ſcripto ſuo dignatum Horatium. At ſuum tamen relinquo omnibus arbitrium liberum. *æquam memento.* à neceſſitate mortis monet Gellium rebus tam lætis quàm triſtibus animi bene conſtituti, non querulì propter iniquitatem fortunę improbitatemque, & fortaſſis inſolentias collegarum in ſua condēnatione: non etiam faſtuoſi elatíque in aduerſarios propter honoris conſularis amplitudinem. Aequa mens Budæo Græcè dicitur *εὐγνωμοσύνη*, mens tranquilla, beneuola, compoſita; cui contrarium eſt *ἀγνωμοσύνη*, mens moroſa, improba, perfida, iniqua, &c. *inſolenti læt.* qualis eſſe ſolet in bonis, quæ plurimum pariunt ſtultitiam, ſuperbię, & omnium malorum matrem. *mæſtus.* nullis in rebus acquieſcens animo tuo, ſemper querulus, ſemper moroſus, vt plerumque ſolent quibus vita grauis eſt: Quare monet Euripides, ὅτι τοι πάντων πρῶτον εἰδέναι τινί, φέρειν τὰ συμπίπτοντα μὴ παλιγκότως. hoc eſt, hoc ante omnia diſcendum eſt primùm, vt euentus rerum non ægrè aut iracundè feramus. *per dies feſt.* quibus à foro licet abeſſe republica. *reclinatum.* recumbentem: alludit ad antiquum ex triclinio conuiuandi morem *quo pinus.* topographia villæ Gellianæ ex ſitu ad Tiberim, amœnitate loci, opacitatéq; ex conſitis arboribus implicitiſque ramis. omnia ſcripta habēt, quo, quod interpretatur Comment. per relationē, id eſt, in quo gramine. Lamb. legit, quà, & fortaſſe rectius: iudicet lector. *hoſpitalem.* te ſuo hoſpite dignam: *conſociare amant.* quaſi amabili ſocietate inita cōſiciunt, vt beneuolè te accipiant, obumbrentque. metaphor. non placet autem, vt amant, hic ſit ſolent, ad Græcam phraſin φιλοῦσιν, quale eſt illud Thucydidis lib. 2. ὅπερ φιλεῖ ὅμιλος ποιεῖν, id eſt, quod quidem ſolet vulgus facere: Imo potius amant conſociare, hoc eſt, amanter conſociant, ſeu complicant connectuntq; ſuos ramos ad vmbram gratam hoſpiti ſuo faciendam. *quid? obliquo la.* ſic legitur in duobus Bland. in antiquiſſ. non ſine turpi litura. in altero expreſsè cū ſuppoſitis punctulis ſine litura. & hanc veram lectionem iudico, in qua vide vim τοῦ quid, & energiam, quæ per interpunctionem diſtincta particula, per interrogationem, à τοῦ obliquo, cum attentione mouet admirationem, quòd vt arbores amant ſeu gaudent ſociare ramos ad vmbram vēturo hoſpiti texendam, ita lympha quoque laborat in obliquo riuo trepidare ad hoſpiti ſuo gratū murmur concitandum, leni tremulóque ſtrepitu per ſaxa defluendo: perinde acſi velit cuncta certatim ruris eius & villæ, arbores, ſaltus, fonteis inter ſe contendere, quo iucundum aduentanti Gellio præparent hoſpitium, beneuolumque offerant miniſterium. *fugax.* præceps, namque vnda ſuperuenit vndæ. *huc vina & vng.* ad eam quæ à natura eſt, amœnitatē loci, vt nihil deſit hilaritati voluptatíque explendæ, iubet adferri vina & vnguenta, quibus incaleſcat animus: ad id enim neque facultates deeſſe & ętatē deſiderare. *vnguenta.* ab Ionibus vnguenta, coronæ & menſæ ſecundæ Romam delata ſunt ab exercitu Aſiatico. *breuis flores amœnos.* variant hic ſcripta: ſed plurium conſenſum ſequor. *dum res et.* Hortatur Gellium ad animum exhilarandum à facultatibus & ætate. *cedes coëmt.* expolitio, qua ſuadet vtendum bonis dum tempus datur, non etiam concumulandis & aggerandis operam dandam, quibus hæres fortaſſis ingratus frui poſſit. *coëmtis.* coëmere, in altum diuitias extruere, eſt diuitias augere, amplificare, bona bonis in altum, id eſt, in infinitum adiunctis

accumulare. *quam Tiber.* amœnitas villæ à ſitu loci. *cedes.* elegans anaphora ad memoriam refricandam, ne differat vti bonis dum licet per mortem, néue ab eorum vſu impediatur coëmendo parcendóque ingratis hæredibus. *diuéſne, priſ.* eximit curam familiaris rei & facultatum coacervandarum ab æqualitate mortis. *an pauper.* ornatum carmen ſibi oppoſitis, diues, pauper, natus ab Inacho.i. ex antiquiſſima familia nobiliſſimáque & ex infima gente, id eſt, plebeia & minimè nobili. ſic ſuprà, Pallida mors pulſat æquo pede pauperũ tabernas regumq; turreis. *ſub dio.* ſub aperto, nudóque cælo. *moreris.* habites, ſiue expectes: à morari, quod propriè eſt detinere, *victima.* ſupp. tu exiſtens, ad imitationem Græcam τὸ ὤν. Victima propriè ceditur victis hoſtibus, vt habet Feſtus: Sic Agellius, à morte victus eſt victima futura Plutoni, ſiue Viago Deo; ſic enim nominatus eſt Orcus ab antiquis, vt ait Verrius apud Feſtum, quòd is maximè vrgeat. *omnes eodem.* hinc ait Euripides, βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται, κοὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἐξεπίσταται τὴν αὔριον μέλλουσαν, εἰ βιώσεται. id eſt, cunctis mortalibus mors debetur, & nullus hominũ certò nouit an victurus ſit diem craſtinum. *vrna.* fatalis, in quam vitæ mortiſque ſortes cõiectas fabulabatur antiquitas: Sed nos fatuas eiuſmodi, & pluſquam aniles fabulas, de ſortibus, de fato ineuitabili, magno animo reſpuimus: & huic piæ ſententiæ ſubſcribimus, nimirùm, omnia ab Ieſu Chriſto ſeruatore noſtro, æternóque Deo gubernari conſeruaríque. *ſerius, ocyus.* aſyntheton aut, vel, ſiue.

AD XANTHIAM PHOCEVM ſodalem, amare ancillam non eſſe crimen.

ODE IIII. προσφωνητική.

NE ſit ancillæ tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu: prius inſolentem
Serua Briſeis niueo colore
Mouit Achillem.
Mouit Aiacem Telamone natum
Forma captiuæ dominum Tecmeſſæ.
Arſit Atrcides medio in triumpho
Virgine rapta.
Barbaræ poſtquam cecidere turmæ
Theſſalo victore, & ademtus Hector
Tradidit feſſis leuiora tolli
Pergama Graiis.
Neſcias, an te generum beati
Phyllidis flauæ decorent parentes.
Regium certè genus, & Penateis
Mæret iniquos.
Crede non illam tibi de ſceleſta
Plebe delectam: neque ſic fidelem,
Sic lucro auerſam potuiſſe naſci
Matre pudenda.
Brachia, & vultum, tereteſq́; ſuras.
Integer laudo. fuge ſuſpicari,
Cuius octauum trepidauit ætas
Claudere luſtrum.

COMMENTATOR.

NE *ſit ancillæ tibi amor pudori.* Metrum Sapphicum cum Adonio. Aſſerit ancillæ amorẽ domino nõ eſſe erubeſcendum, quod oſtendit idem à ducibus & magnis viris eſſe factum, quibus turpitudini non eſt datum in amorem trahi captiuarum. *pudori.* verecundiæ. *Phoceu.* vocatiuus Græcus, ſicut Pentheu. *prius.* antea. *inſolentem.* ſuperbum, arrogantem, factorum ſuorum ſuperbia elatum: Superbiæ autem Achillis etiam in ſuo filio Pyrrho Virg. meminit inquiens, Stirpis Achilleæ faſtus. Inſolens etiam crudelis, vt ſuperius, exercitus inſolens. *ſerua.* iure belli ancilla. vt, Olli ſerua datur operũ haud ignara Mineruę. *niueo colore.* candido, digna amari ob pulchritudinẽ: vt, & erat tum dignus amari. *mouit Aiacem.* ingenita dona naturæ mouent animum, maximè ad voluptatem & libidinem. *Telamone.* ideo dicit Telamone natum, quia fuit alius Aiax Oïlei, de quo Virg. Et furias Aiacis Oïlei. *forma.* ſpecialiter forma pro pulchritudine ponitur: vt, formæ conſcia coniux. *arſit.* impatienter amauit. *Atrides.* Agamemnon. *medio in trium.* in ipſa victoria. Capta Troia quæſita ex captiuis amica eſt. per Emphaſim hoc dictũ eſt: tunc enim arſit quando per triumphum minimè liceret. *virgine rapta.* Caſſandra ſcilicet, quæ ex templo rapta eſt à Græcis. *turmæ.* Troianæ. *Theſſalo vict.* poterat hoc de Pyrrho intelligi, qui excidio Troiano interfuit: ſed quia ſubdidit, & ademtus Hector, ad Achillẽ dirigit excidij cauſam. *ademtus.* vitæ, ſublatus morte. *tradidit.* ſua morte. *feſſis.* longo bello. *leuiora.* imbecilliora: vt, decimũ quos diſtulit Hector in annum. *beati.* nobiles & diuites. *flauæ.* pulchræ. Phyllis enim capta fuit. *mæret.* recordatione ſui generis. vt, qualis populea mæret philomena ſub vmbra. *ſceleſta.* ſeruili. *auerſam.* lucrum abhorrentem, deſpicientem pecuniã: quod ideo dicit, quia pecunia corrumpi non poterat.

rat. Auerſus idem eſt quod contrarius, vt, auerſa deę mens. &, diua ſolo fixos oculos auerſa tenebat. *potuiſſe naſci.* ex habitu, moribus & inſtitutione Phyllidis, colligit parentum ipſius nobilitatem. ſic Virg. quem ſeſe ore ferens, quàm forti pectore & armis. *pudenda.* erubeſcenda. Virg. pudendis vulneribus pulſum aſpicies. *integer.* hoc dicit, ne ſuſpicaretur eam amare, & ſe caſtum iactat. *teretes ſuras.* rotundas tibias cum longitudine. *fuge.* deſine ſuſpicari me tui tori corruptorem eſſe, aut eã me amare. *cuius octa.* ſignificat ſe eſſe quadragenarium per octo quinquennia. Virg. veniet luſtris labentibus ætas. *trepidauit.* feſtinauit, vt, ne trepidate meas Teucri defendere naucis.

CRVQVIVS.

NE *ſit ancillæ tibi.* Ne fortaſſe Xanthiã Phoceum pudeat amare ancillam Phyllidem, cum ad id hortatur exemplo virorum principum Achillis, Aiacis & Agamemnonis, quibus amare ſeruas minimè vitio datum eſt, quibus ait Phyllidem non natura, neque natalibus inferiorem, à fidelitate & morum vitæque probitate, non deniq; forma corporis, à vultu, brachiis & tibiis. Sed videtur ſuo more iocari, quòd Xanthias cum Phyllide fortaſſis alibi ab ipſo ex inopinato deprehenſus ſeſe magno ſtudio ei ab amore excuſauerit. *ne ſit ancillæ.* exorditur ab exemplo à maiori. *ne.* ὡς μὴ, vt non. quemadmodum Ode 33. lib. 1. *ancillæ.* ab anculando, id eſt, miniſtrando, vetuſto more: hinc Anculi dij, & Anculæ deæ, quaſi miniſtri; vel ab Anco Marcio ſunt anculi & ancilli, ita ab Anca Marcia ſunt anculæ & ancillæ. videto Feſtum. de amore autem matronę, ancillæ & togatæ, lege notata in Saty. 2. lib. 1. *prius inſolentem.* hoc eſt, antea non amare ſolitum, quaſi primos Achillis amores velit fuiſſe Briſeidis; cur enim hic inſolentem interpretabimur ſuperbum & arrogantem, quando ante raptam ab Agamemnone Briſeida nullam aut oſtenderit elationem animi, aut id Homerus declarauerit, vt arbitror? *ſerua Briſeis.* ex Lyrneſſo capta fuit Ilia. β. τὴν ἐκ Λυρνησσοῦ ἐξείλετο. i. hanc ex Lyrneſſo excepit, in cuius captiuitate Myneten & Epiſtrophum cecidit, quod Briſeis Patroclum lugẽs declarat Ilia. τ. οὐδέ με οὐδ' εἴας, ὅτ' ἄνδρ' ἐμὸν ὠκὺς Ἀχιλλεὺς ἔκτεινεν, πέρσεν δὲ πόλιν θείοιο Μύνητος κλαίειν. i. nec me dure meum voluiſti flere maritum, quem celere vita quondam ſubmouit Achilles funditus euerſa diuini ſede Mynetis. *niueo colore.* laus formæ à candore corporis. *mouit.* amore ſui ob niueum colorem, per hyperbolen. *Aiacem Tela.* de Aiace Telamonio vide odẽ 7. lib. 1. *dominum Tecm.* nimirum ipſa Tecmeſſa per captiuitatem ſerua: hæ autem voces, dominus, ſerua, ſunt Ariſtot. πρός τι. *Tecmeſſæ.* m littera liqueſcit metri cauſa. in vno cod. Bland. ſcriptum eſt Temeſſæ. Ouid. Tecmeſſam diligit Aiax. Ipſa enim ex Aiace ſuſcepit filium Euriſacen. Facit autẽ hic quod & ceteri Poëtæ, taleis captiuas & valde amare ſuos dominos, & magni pariter ab eis fieri. *arſit.* metapho. ab igni: amor enim ignis eſt internus. *virgine rap:* hoc de Caſſandra Priami filia intellige, quę rapta è templo Palladis Agamemnoni ſorte contigit. At medio belli tempore Chryſa direpta Sminthei Apollinis ſacerdotis filia, Agamemnonique dono data eſt. Ilia. α. καὶ τὰ μὲν εὖ δάσσαντο μετὰ σφίσιν, ἐκ δ' ἕλον Ἀτρεΐδῃ Χρυσηΐδα καλλιπάρῃον. id eſt, hæc inter ſe partiti Chryſeida ſolum excepere duces Agamemnoni munus Atridæ. Sed hanc dimittere coactus eſt propter peſtem qua dicitur Apollo afflixiſſe eius exercitũ in vindictam raptæ virginis. *Barbaræ.* putà, Phrygiæ, quia Phryges propriè barbari dicebantur. *feſſis.* ſic Virg. Aeneid. 2. Sæpe fugam Danai Troia cupiere relicta moliri, & longo feſſi diſcedere bello. *leuiora tolli.* faciliora vt tollerentur, id eſt, delerentur, ſuperarentur. non caret hoc helleniſmo. *neſcias.* ἀνθυποφορά, ne Xanthias ei occurrat, illis quidẽ honeſtè licuiſſe ſeruas amare nobileis, ſibi verò non perindè, quòd Phyllis eſſet ignobilis & obſcuris nata parentibus. Sed hoc in argumento ad finem vſque odes, nihil quàm videtur ludere. *generum.* εὐφημικῶς, propter concubitum. *beati.* diuites. *flauæ.* pulchræ, non à flauis crinibus, vt aliqui exponunt: Nam purpureum, flauum, croceũ, ſunt apud Poëtas epitheta pulchritudinis eximiæ. *regium genus.* hoc enim fere nobilibus meretriculis familiare eſt vt ſuum genus iactent, & Deos accuſent tamquã auctores ſuarum miſeriarum & infelicitatis. *certè.* in Ironia miram vim obtinet τὸ certè, perinde acſi dicat, ſi Phyllis non eſt diuitibus beatiſque, ſaltem mæret ſe tam nobilibus ortam maioribus nõ habere penateis æquiores, id eſt, inopiã familiarem, adeò vt præ paupertate, ſupellectili, cultu, ornatúque corporis, imaginibus parentum, tituliſque & ſuo ſtemmati reſpondere nequeat. Non me latet, iniquos penateis alios aliter interpretari; ſed mihi hæc ſententia viſa eſt commodior, vt eos iniquos quidem cenſeamus, quibus augendæ rei familiaris nulla cura eſt; feliceis verò & nobis æquos, qui id præſtant, vt domus ſplendeat opulentia. *crede nõ illam.* ſenſus eſt, ſi dubites de parentum diuitiis & nobilitate, hoc tibi perſuaſum habeto, illam tibi dilectam, id eſt, amicam non eſſe natam de ſceleſta, id eſt, impia, impura & abiecta plebe. Hic vide, num plebem velis accipere pro fece populi, an pro ſcortis meritoriis infimæ ſortis, quæ merito ſcele-

ſta ſunt, quòd famam, nomen, corpus, ius, æquum, iniquum, omnia denique proſtituant. *delectam.* ſic habent ſine vlla litura aut macula omnes mei ſcripti lib. non delectam, quam reiiciendam puto: Nã præter id quod Lambinus ex Feſto habet, putà, dilectus militum, & is qui ſignificatur amatus, à legendo dicti ſunt: Idem habet, lacus Lucrinus, inquiens, in vectigalibus publicis, primus locatur fruendus ominis boni gratia, vt in dilectu, cenſúue primi nominantur. Valerius Saluius Statorius. Rurium, Neglegens, inquit, non legens neq; dilectum habens, quid debeat facere. Sic etiam Pandect. Florentini tit. de re milit. cap. 4. *neque ſic fidel.* hæc ad Phyllidis laudẽ pertinere dicunt; ego contrà, ironicôs accipienda puto. *lucro auerſam.* non auaram, ſed frugalem, per Ironiã, hoc enim in muliere rarum donum eſt, etiam pudica & matrefamilias, vt quæ modum ſeruare nequit. Auerſam autem habent omnia ſcripta, nõ etiam aduerſam, vt cod. vulgati. *matre pudenda.* hoc autem eò referendum eſt quod ſuprà dixit, ne ſit ancillæ tibi amor pudori. pudenda namque mater, quæ vitæ turpitudine ſuis liberis eſt pudori. *brachia & t.* an Horatius hîc non agat εἰρωνεία? qui namque Phyllidem laudet à brachiis & tibiis, niſi in Coïs veſtibus, vt ait Saty. 2. lib. 1. eam viderit vt nudã: Nam matronæ, inquit eodem loco, præter faciem nil cernere poſſis; Cetera, vt in Catia, eſt demiſſa veſte tegentis. Deinde quàm eſt ridiculum putare Lyricum ſeriò id agere, vt indicet quadragenarium ita frigidum, & ad rem Veneream tam inutilem, vt ad elegantem formam non arrigat, modò corpus non ſit multis morbis miſerè exhauſtum debilitatúq;? Quid ergo de eo cenſebimus qui gaudebat cubiculo ſpeculato? quíque iam quinquagenarius Venerem precatur exauctorationem, atq; adeò quẽ mens ſobria caſtáque iam nunc ſeneſcentem ab eo ludo vix reuocare potuit? Quare non video in hac Ode quod vehementer nos compellat fateri Lyricum non iocari, non in amoribus exempla magnorum virorum planè ludicra ad amores accommodare Xanthiæ, non ſe Hectori iam Phyllidis amoribus victum exaturatumq́ue qui ſua Pergama Xanthiæ tradidit expugnatu faciliora, poſtremò non ridere genus, non formam Phyllidis, non ætatem iam firmam & integram.

NON ESSE PROPERANdum ad immaturæ virginis oſculum.

ODE V. ἐρωτική.

NONDVM *ſubacta ferre iugum valet*
Ceruice: nondum munia comparis
Aequare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virenteis eſt animus tuæ
Campos iuuencæ, nunc fluuiis grauem
Solantis æſtum, nunc in vdo
Ludere cum vitulis ſalicto
Prægeſtientis. tolle cupidinem
Immitis vuæ: iam tibi liuidos
Diſtinguet autumnus racemos,
Purpureo varius colore.
Iam te ſequetur: currit enim ferox
Aetas: & illi, quos tibi demſerit,
Apponet annos. iam proterua
Fronte petet Lalage maritum
Dilecta, quantum non Pholoë fugax,
Non Chloris, albo ſic humero nitens,
Vt pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiúſue Gyges:
Quem ſi puellarum inſereres choro:
Mirè ſagaces falleret hoſpites,
Diſcrimen obſcurum, ſolutis
Crinibus, ambiguóque vultu.

COMMENTATOR.

NONDVM *ſubacta ferre iugum valet ceruice.* Metrum duob. verſ. Alcaicum, tert. iamb. dimet. hyperc. quart. Pindaric. Agit ἀλληγορικῶς hac ode vt intemperatam mentem à cupiditate & deſiderio immaturæ virginis reuocet, quam per comparationem iuuencæ deſignat inhabilem viro, nullóque per ætatem calore ſollicitari, vt ei ludo eſſet dedita, ſed magis gaudere puellis & vitulis paribus. *ſubacta.* ſubiecta, ſuppoſita. *iugum.* metaphoricôs. pro coniugio viri. *valet.* id eſt, nondum poteſt virum ſuſtinere per ætatem, ſimulq́; oſtendit quod Terẽt. dicit, Pares cum paribus melius congregantur. *munia.* officia, obſequia lege debita, vxoris munus explere. *comparis.* ſocij. *æquare.* pari affectu & virtute ferre. vt, æquatque Sichæus amorem. *ruentis.* impatienter amantis. *circa virenteis.* circa ludos tantum, nec adhuc cõpenſare ſapit ætatem. *iuuencæ.* iuuenculæ mulieris. *ſolantis.* refrigerantis, recreantis. vt, ripáque æſtus viridante leuaret. Virg. Paſiphaën niuei ſolatur amore iuuenci. Ordo eſt: Nunc eſt animus tuæ iuuencæ ſolantis grauem æſtum fluuiis circa virenteis campos, nunc eſt animus tuæ iuuencæ ludere

cum

cum vitulis in vdo ſalicto. *vdo.* aquoſo & ſalicibus apto. *vitulæ.* pro puellis, vt, ſi ad vitulam ſpectes. *prægeſtientis.* valde cupientis, properantis, gliſcentis. *immitis vuæ.* acerbæ, immaturæ. *liuidos.* ſubnigros, ac per hoc immaturos: quo indicat maturitatem iam inſtare; autumno enim omnes fructus maturè colliguntur; hinc autumnare eſt colligere. *diſtinguet.* variabit, & racemos colligendos demonſtrabit: & per tranſlationem puellæ maturitatem & ætatem docet expectandam. *purpureo.* pulchro. nam purpureum pro pulchro ſæpe ponitur, ſicut & croceum. *currit enim ferox.* non eſt lõgum expectare aptam puellæ ætatem ad conſentiendum: Nam adoleſcentia per ſe ad id prona eſt vt virum ferre valeat. *demſerit.* abſtulerit. *annos.* ætatis vigorem & voluptatem, vt ſenſus ſit, quantum tibi iam vrgentibus annis voluptatis ademerit, tantum matura voluptatis reponet. *proterua.* inuerecunda, petulante. *dilecta.* amabilis. *quantum non Ph. fug.* fugiens ac vitans amatores, vt per hoc plus ametur. *albo.* candido, pulchro *nitens.* ſplendens. hæc autem nomina, Lalage, Pholoë, Chloris, pro exemplis poſuit; quę cùm antea viros ſe vitare ſimulaſſent, poſtea eoſdem ſunt vltrò ſecutæ. *pura nocturno.* habens ſereno cælo lumen integrum. vt Virg. ſplendet tremulo ſub lumine pontus. *Gyges.* nomẽ pueri ex Gnido inſula Veneri ſacra. vt ſuprà, ô Venus regina Gnidi Paphíque. huius autem pueri pulchritudinẽ laudat etiam Ouid. *quem.* Gygen. *inſereres.* ſociares. *ſagaces.* ſollicitè inquirenteis. *falleret.* deciperet. *hoſpites.* ſuauiter ponit hoſpites pro ignotis & aduenis, qui puerum non noſſent propter ambiguum pueri vultum. *diſcrimen obſ.* diſcretio ſexus latentis & difficilis cognitu, ipſe videlicet puer ob cuius diſcrimen. *ambiguo.* dubio.

GRVQVIVS.

NONDVM *ſubacta ferre iugum.* Mõnet amicum virum grauem & ætate iam maturum, ne coniugis adoleſcentulæ ſuis moribus ante tẽpus accommodandæ, ſeueriúſque inſtituendæ cura, ſtudio & ſollicitudine nimiũ ſeſe affligat maceretque, vt quæ delicatius à parentibus, indulgẽtiúſque habita, imperij ſit impatiens, nec aſſueta moleſtiis coniugalibus diu noctúque ſubeundis, ſed pro educatione mollicula familiaribus curis omnibus longè poſthabitis, nihil quàm cum laſciuis ſuíſque æqualibus, quibus aſſueuit, adoleſcẽtulis nunc domi, nunc foris amet deliciari, apricari, ſaltare & ludere. Suadet itaque vt hoc modeſtè prudentérque toleret, donec ſuæ iuuenculæ maturuerit ætas: Quod certò iam iam futurum pollicetur propter ætatis florem, caloremq; iuuentæ dicto citius labilem: Quæ vbi mentem expleuerit, vel vltrò iam naturæ vigore paullatim flaceſcente, maritíque prudenti moderatione manſueſcens, ipſa tandem nihil magis quàm marito abblandiri, placere, in omnibus gratificari, ab eóque diligi ſtudebit, idque plus ſæpe faciet quàm vel Pholoë vel Chloris, vel nobiliſſima quæque meretricula ſuo ſolet amaſio. verùm interea dum ipſa animo ſuo obſequens cum æqualibus ſe recreat, ſummo artificio, quaſi aliud agens, hortatur maritum, vt Gygem adoleſcentulum delicatum, quaſi è choro puellarum, vnum ſibi adſumat, eóque & vxoris tædium & tempus fallat. Hæc noſtra de marito eſt interpretatio, quẽ puto ab Horatio hic inſtitui. At qui malint de innupta intelligere, per me licebit. Ceterùm hanc oden omnes allegoriam facilè vident eſſe perpetuam de vitando immaturæ virginis oſculo, ſed eius artificium, verborumque energiã non perinde; quæ mehercule tam ſunt diuina, vt hæc vna inter ceteras ſit non poſtremo loco digna. *nondum ſubacta.* præſentiſſimum conſilium ſaluberrimumque coniugibus maritis in moderandis vxorum ſuarum affectibus, ſi quando eas ſatis adoleſcentulas duxerint, educatáſque molliter. *ſubacta.* ſubacta ſunt quæ parent imperio: bos ſubigitur verbis verberibúſque & inedia nonnunquam, vt iugum ferat: Vxor autem iuuencula ferocior, non perinde, ſed præceptis moderatis, exhortationibus, laudibus & exemplis matronarum, virtutis ſæpe & probatæ conuerſationis propoſitis præmiis, vt iugum mariti, id eſt, imperium ferat, & cum eo quę ſunt familiæ, æquis animis conſenſúque pari adminiſtret. At ſi ab educatione laxiore, formæ perſuaſione, diuitiarum potentiæque opinione, nec non auita nobilitate, ſit adeò dura ceruice, vt neque ſubigi valeat, neque imperium pati, qua tunc via, quóue modo ſit opus vt parere diſcat, nimiſquã eleganter maritis hic præcipit Horatius. *ſubacta ceruice.* huic eſt contrarium ceruix intacta, nimirum indomita, ferendóque iugo nondum facta, vt in Epodo nona, tu moraris currus aureos & intactas boues. &, intacta totidem ceruice iuuencas. ſic intacta ceruix coniugis dicitur indocta, & mariti monitis minus obtemperans vxor. *nond. munia com. eq.* quæ nondum eſt iugalis, quæ non æquo & pari labore concordiáque cum ſuo pari, id eſt, marito iugum & munia moleſtiáſque tractat familiareis. *nec tauri ruentis.* quæ ob naturæ teneritudinem & corporis mollitiem non fert toros iugaleis, ſeu pro molli educatione non

paritur.

patitur, ſed reſpuit coactam, reſpuit imperatam Venerem, non nouit iugalia iura; ſed blandimentis quibuſdam & verborum lenociniis, quaſi poppyſmis, cupit inuitari: memor ſcilicet inſtitutionis maternæ, ne vehementi Venere ad mariti robuſti & integri mandata, ante tempus ætatis flos intercidat, forma corporis pereat, valetudine geſtationéque vteri immatura elangueſcat emoriatúrque. *tauri.* viri robuſti, ſolidi, ſucculentíq. *ruentis.* ductu naturæ veros amplexus appetentis, non illecebroſos & ludicros teneriuſculóſque. *pondus.* moleſtias difficultatéſque & pericula: cùm tamē ſit indubitatum viripotentem iuuenculam ad patiendum, quàm virum ad agendum eſſe valentiorem, ſed vterum veretur, formę perniciem & corporis elegantiam habitudinemque ad oſcula viuida euaneſcentē: & hanc ob cauſam, vt hæc integra maneant, potiaturque iuuentæ deliciis ſubiicit Horatius. *circa virentes eſt animus tuæ cam. in.* cupit exhilarare mentem dum patitur ætas florida, quærit amœnitatem in molli teneróque gramine proſtrata, hortos adire, inuiſere prædia, nunc in ſole apricari, nunc opacitate ſiluarum gelidíſque fontibus æſtum leuare, ſaltare, cantillare, ludere, non cum tauris moroſis, ſeueris & grauibus, ſed cum iucundis, hilaribus & lætis vitulis vitulari laſciuiréque. *prægeſtientis.* geſtu motúq; corporis laſciuo prius ſe ludere velle ſignificantis. tale eſt illud in Polemone Virg. malo me Galatea petit laſciua puella, & fugit ad ſalices, & ſe cupit antè videri. Priſcianus hunc locum adducens lib. 15. dicit prægeſtire eſſe valde geſtire. Mihi certè videtur τὸ præ, non tam ad augmentum pertinere, quàm ad geſtum puellæ præcedentem, ſuæque libidinis iudicem, quaſi dicat, geſtientis præludere &c. *tolle cupidinem.* dat conſilium marito iuuenculæ in amore contumacis, & imperio minùs obſequentis: tolle, inquit, cupidinem immitis vuæ deguſtandæ, ne dentes acerbitate ſtupeſcant: valeat amor & cupido iuuenculę tangendę, ſine illam ſibi, quando aliter fieri nequit honeſtè, tolera conſultò ſuis obtemperet affectibus, donec defloreant cum æqualibus ludi, ioci, riſus, deliciæ: Menſes æſtiui ſinguli cruditati detrahent aliquid dum veniat autumnus, quò purpureos racemos colligas: tua prudentia, tuum conſilium & modeſtia dement paullatim aliquid immoderatis moribus tuæ iuuencæ; accedent anni, accreſcet menti melior ſententia, voluptatis non perpetuæ odioſum tædium, deſinet cum ſuo vigore corporis agilitas, in grauitatem mutabitur hilaritas, & tandem eiectis ex animo ludicris, te ſequetur, tibi dabit operam, te amabit, te amplexabitur: & ne te mora diuturna cruciet, detineatque ab hoc conſilio, iam iam te ſequetur: non tarda eſt ætas, currit, cito pede labitur: & vt ſine moleſtia tantillo obdures tempore, ipſa ætas apponet annis illius tuos annos quibus non obtemperauit votis tuis, id eſt, fiet maturior, & quicquid in voluptate tibi decederit, id omne tibi reponet dilecta tua Lalage, id eſt, iuuenca adamata, quæ tantum proterua fronte, id eſt, odioſa pænéque laſciua te petet, id eſt, ſequetur maritum, quantum non Pholoë, non Chloris petulantiſſimæ puellæ fugaces, id eſt, quarum gratia citò fugit & interit. Hic monitum velim doctum lectorem vt diſpiciat hæc epitheta, ferox ætas, & Pholoë fugax; num ſuis locis aptè ſint poſita, num rectius commutari poſſint, ita vt ætas fugax, & Pholoë ferox potius dici debeat. *humero nitens.* ſynecdochicôs pro toto corpore. At non infitior tamen in pectore, collo, ceruice & humeris candorem nitoremque præcipuè commendari. *pura luna renidet.* puro & ſereno cælo, nullis nebulis obfuſcata, immaculata reſplendet: accommodiſſima comparatio mulieris candidæ ad lunam puram in aquis reſplendentem, quæ vel quouis lacte candidior apparet. *Cnidiúſue Gyges.* à pulchra Gygis pueri & molli forma collatio, qua puella quauis non erat inferior, ſi vel crineis ſolutos, aut vultum contemplaretur delicatum peregrinus aliquis: verùm aliud quid agit Horatius, quàm vt formam formæ dumtaxat comparet: qua in re enarratores eos crediderim hic eſſe hoſpites, qui non agnoſcunt pro puella hoc ſcortū eſſe ſuppoſititium Romano more. *inſereres.* inter puellas proſtitueres: hic inſereres non caret ſua vi propria, ſed latente. *falleret.* lateret, λάθοι. *ſolutis crinib.* alebant enim comas inſtar puellarum meritorij pueri. *ambiguo vultu.* de quo ambigeres ad obtutum maſculus ne eſſet an puella.

AD SEPTIMIVM DE Tiburtinæ & Tarentinæ regionis amœnitate.

ODE VI. προσφωνητική.

SEPTIMI, *Gades aditure mecum, &*
Cantabrum indoctum iuga ferre noſtra, &
Barbaras Syrteis, vbi Maura ſemper
Æſtuat vnda.
Tibur Argeo poſitum colono
Sit meæ ſedes vtinam ſenectæ:
Sit modus laſſo maris, & viarum,
Militiæq;.

Vnde ſi

Vnde ſi Parcæ prohibent iniquæ,
Dulce pellitis ouibus Galeſi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho.
Ille terrarum mihi præter omneis
Angulus ridet: vbi non Hymetto
Mella decedunt, viridíque certat
Bacca Venafro:
Ver vbi longum, tepidáſque præbet
Iupiter brumas, & amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Inuidet vuis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Poſtulant arces: ibi tu calentem
Debita ſparges lacryma fauillam
Vatis amici.

COMMENTATOR.

SEPTIMI, *Gades aditure mecum*. Metrum Sapphicum cum Adonio. Alloquitur autem hac ode Septimium equitem Romanum, amicum & commilitonem ſuum, quem ſibi tanta gratiæ neceſſitudine dicit aſtrictum, vt, ſi velit, vel ad vltimas ſecum mundi parteis proficiſci poſſit. hortatur tamē vt loca ſecum gratiſſima deligat Tibur & Tarentum, quorum & amœnitatem laudat & fertilitatem. *Gades*. inſulæ ſunt Hiſpaniæ in vltima ora ad Oceanum. *Cantabrum*. Cantabri gens Hiſpaniæ, Gallis ad Oceanum vicina, tandem à Romanis victa. de qua Luca. Si tibi durus Iber, vel ſi tibi terga dediſſet Cantaber. hanc Auguſtus ſuperauit. *barbaras*. inhoſpitaleis; propter incertum maris æſtum. Virg. Et Numidæ infreni cingunt & inhoſpita Syrtis. *Maura*. Africana, quia Mauritania etiam eſt in Africa, & vtraque Libya. *æſtuat*. refringitur cæditúrque & alliditur. *Argeo*. Argiuo ſeu Græco. vt, Argiua iuuentus: Tibur enim à Tiburno conditum eſt & Argiuis colonis. *poſitum*. conditum. *colono*. cultore. *ſedes*. terminus vitæ, & quies meæ ſenectæ. *modus*. modum finem dixit laborum, vt in eadem domo & ſenectam ageret & vitam finiret. *laſſo maris & viar*. noua locutio, id eſt, naualis, terreſtris & militaris expeditionis. *vnde*. à quo ſcilicet Tibure. *prohibent* ſup. me. *iniquæ*. immutabiles. *pellitis*. lanatis, villoſis. *Galeſi*. Galeſus fluuius eſt iuxta Tarentum, vbi præ paſturæ copia vel dulcedine molliores ouibus lanæ ſunt. de quo Virg. qua niger humectat flauentia culta Galeſus. & Titurius, Tarentinorum hortorum qui geris odores, ſcilicet florum. *regnata*. participium ſine verbo vſitato. vt Virg. Thraces arant acri quondam regnata Lycurgo. *petam*. adibo. *Laconi Phalantho*. ſupp. à Phalantho Laconenſi: dicitur enim Lacon, ônis, & Laconenſis, nomen patrium. *Phalantho* Phalanthus Lacedęmonius fuit eiectus patria; hac de cauſa, quòd abſentibus Lacedæmoniis eorū filiæ ex ſeruis grauidæ pepererāt, quos filios tali culpa genitos, reuerſi à bello Lacedęmones patria eiecerunt, quorū dux Phalanthus fuit, qui Tarentinā cōdidit ciuitatem, vt fertur, octauus ab Hercule. *ille terrarum*. poſuit angulum pro loco. ordo eſt, ille angulus mihi ridet præter omneis ſupp. angulos terrarum. *ridet*. eſt voluptati, eſt lætus. vt Virg. mixtáque ridenti colocaſia fundet acantho. &, omnia nunc rident. *vbi nunc Hymetto*. Hymettus mons eſt Atticæ regionis melle abundans. laudat autem Apuliam & Calabriam prouinciam, in qua & Tarentū ſitum eſt, cuius ſe amœnitate & deliciis delectari dicit, nam & melle & oliuetis præcellit, hiemes quoq. mitiores & magis apricas habet. *decedunt*. inferiora ſunt. *certat*. abundat, contendit. *bacca*. oliua. *Venafro*. Venafrum ciuitas eſt Samnij oleis abundās optimis. *vbi*. Tarenti. *ver*. temperies aëris. Virg. hic ver perpetuum atque alienis menſibus æſtas. *tepidas*. ſine nimietate frigoris. *Iupiter*. aër. *amicus*. largus. *Aulon*. mons Calabriæ iuxta Tarētum ferax optimi vini. *minimum inuidet*. non eſt impar vuis Falernis. inuidere enim ſibimet ſolent impares in virtute & felicitate. *Ille te mecum*. eleganter ſe cū Septimio & in laudatis locis optat viuere & eum habere ſuperſtitem, defunctóq. ſibi iuſta perſoluere. *ibi tu calentem*. ordo eſt: ibi tu ſparges calentem fauillam vatis amici debita lacrima. *calentem*. propter recentem corporis exuſtionem: Antiquorum enim mos erat mortuorum cadauera concremare, ideo dicit defuncti fauillam. vt, bibulam lauere fauillam. *vatis*. tui Horatij.

CRVQVIVS.

SEptimi, *Gades aditure mecum*. Multū me ſuſpenſum tenet hæc ode, in ea ne cenſeam Horatiū iocari cū Septimio, an gratias de beneuolo ipſius erga ſe animo verè agere, eò quòd viri nobiles, quales erāt equites Romani, nō rarò ſoleant magnificè multa polliceri, vt ſplēdidi videantur, idq. præcipuè viris doctis, à quibus ſuas laudes credūt immortalitate donari poſſe; ſed calido plerumque ſolet id non carere fuco: Quem fortaſſis, vt erat naris non obeſæ, ſubodoratus Horatius, obſequiū & comitatum ad terras vſq. vltimas, terra maríq. à Septimio ſibi oblatum cōmemorat quidem, ſed

non eo quo ſolent amici grati modo: imo contrà, fatetur apertè id genus vitæ quod in laſſitudine poſitum eſt, & periculo non mediocri, quale eſt militare, ſibi amplius non adlubeſcere: Quare tāquam per diatropen ait quietem ſuis rebus magis idoneam ſeſe optare: quæ ſi aliquando dabitur, aut in Tiburtina ſe victurum ſperat aut Tarentina regione ad Galeſum; quò (forſitā vt clauum clauo pellat, cū militari viro nihil ſit ingratius otio & tranquillitate) inuitat Septimium, vt ſecum vitā traducat amicè, mortuíq. vatis in vrnam cineres condat; eas regiones mirabiliter deprædicans cùm propter amœnitatem loci, tum propter rerum omnium laudabilem abundantiam cū aëris & cęli grata temperie. *Septimi, Gades.* exorditur à cōmemoratione ſibi à Septimio comitatus oblati. *Gades.* de Gadibus ode 2. huius lib. *aditure.* ſi res ipſa requirit, ſi opus eſt. *Cantabrum.* de moribus & vitæ genere Strabo lib. 3. De victoria Cæſaris in Cantabros, Aſtures, &c. per Antiſtiū, Firmium, & Agrippā legatos, L. Florus lib. 4. cap. 12. & vltimo ſub finem. *iuga ferre.* vinci & ſeruitutem pati. alludit ad iugum militare, ſub quod mittebantur hoſtes capti, diſcinctíque vide oden 33. lib. 1. *indoctum iuga ferre n.* nondū doctū, id eſt, nondū à Romanis domitū, inſuetum. Hāc autē oden arbitror ab Horatio ſcriptā quando Cæſar cum Agrippa eſſet in expeditione Cantabrica, quinto vix anno peracta, quò Septimiꝰ eques inuitabat Horatiū. vide Oroſiū. *Syrtes.* de Syrtibus fabuloſis hæc opinor intelligenda. vide oden 22. lib. 1. *Maura ſemp.* vide nū legēdum ſit, Malua, quod flumen eſt maximū ab Oriente ad Mauritaniā Tingitanā, quæ Africę eſt vltima. legito Oroſium lib. 1. cap. 2. *Tibur Arg.* aliter Argiuo, in codic. Blād. vetuſtiſſimo. feſtiua digreſſio ad quietem: nam non ſatis æquo fert, vt apparet, animo, ſibi à Septimio oblatum militare obſequium. *ſit mea ſedes.* εὐχὴ, qua precatur & optat Tibur ſibi à diis immortalibus dari ſedē quieti ſuę ſenectutis. *ſit modus.* Tibur ſit finis omniū laborū, qui pro republica ſunt à me ſuſcepti, peregrinatio, nauigatio, militia; quæ me delaſſarunt ad nauſeā vſq. *vnde ſi Parcæ.* iniquæ, aduerſæ rebus noſtris. videtur Horatius ſubuereri, vel nouū aliquem tumultum abſente Cæſare, vel in milites agrorum Tiburtinorū futuram diſtributionem, vbi Cæſar domū reuerſus rerum potiretur: qualē Virgilius deplorat in Tityro fuiſſe Mantuanorū: Nam Italiam fermè totā exceptis antiquis poſſeſſoribus, & ciuitates integras Antonius & Auguſtus ſe daturos militibus promiſerant. Plutar. in Bruto. *pellitis ouibus Galeſi.* vapulat hic immeritò Porphy. vulgatus à Glareano, vbi dicit oueis Tarentinas pellibus tegi: quaſi crediderit, inquit, aliquas oueis eſſe abſq. pellibus: quod reipſa ita eſt, nam quæ lanā habent duriorem, nō ſunt pellitæ, id eſt, non teguntur pellibus; quales ſunt montoſæ, paſcales, hirtæ, ſoloces, vt habet Lucilius, quæ paſſim paſcuntur: At Tarentinæ quæ mollioris ſunt velleris, ſunt pellitæ, teguntur enim cōtra aëris incommoda; quæ Polybio dicuntur μάλακα πρόβατα. De quibus Mar. quoq; Terentius Varro lib. 2. cap. 2. ad finem, pleraque, inquit, faciendum in ouibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, vt ſunt Tarentinæ, & Altinates, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici rectè poſſit, vel lauari ac parari harū præſepia ac ſtabula vt ſint pura maiorē adhibeant diligentiā quàm hirtis. Inſuper Columella lib. 7. cap. 4. Græcū pecus, ait, quod pleriq. Tarentinū vocant; niſi cum domini præſentia eſt, vix expedit haberi, &c. ex omnibus eſt molliſſimum, &c. legito id caput de ouibus tectis. Plinius lib. 8. cap. 47. Ouium ſumma genera duo, tectum [illegible] illud mollius, hoc in paſtuo delicatius, quippe cū tectū rubis veſcatur. Operimēta eis ex Arabicis præcipua. *Galeſi flumen.* flumen Galeſi dixit, vt Saty. 4. lib. 2. herba lapathi, id eſt, lapathus. [illegible] id eſt, Lælius. *petam Lacon. r. P.* periphraſis Tarenti à conditore, [illegible] ſedem abituram, ſi fata non permittant Tibure ſeneſcere. *Phalantho.* Pauſanias lib. 10. Tarentum quidē, inquit, coloniam Lacedæmonij deduxere duce Phalantho Spartano, &c. *angulus.* L. Florus, Tarentū, inquit, Lacedæmoniorū opus, Calabriæ quondam & Apuliæ totiúſq. Lucaniæ caput, tum magnitudine & muris portuque nobili, tum mirabili ſitu; quippe in ipſis Adriatici maris faucibus poſita, in oras noſtras, Iſtriam, Illyriam, Epeirum, Achaiam, Africā, Siciliam vela dimittit, &c. *ridet.* ſimplex pro compoſito arridet, placet. laus à ſitu loci. *vbi non Hymet.* In Hymetto Atticæ monte præter ceteras herbas odoriferas thymus abundat, vnde mel ſuauiſſimum colligunt apes. *decedunt.* decedere propriè eſt loco cedere honoris cauſa: mella autem Tarentina non decedunt, id eſt, ſunt in eadem æſtimatione & honore cum melle optimo & ſuauiſſimo: non ſunt deteriora. *Venafro.* de oleo Venafrano, Saty. vlt. lib. 2. & Strabo. *ver vbi longum.* laus ab aëris benignitate & temperie. *amicus Aulon.* Strabo lib. 6. poſt Sagram, inquit, Caulonia extat, prius Aulonia, quaſi Vallonia, à vicina conualle nominata, ab Achiuis ædificata, nunc autem vacua, &c. hanc autem vrbem ab Aulone monte vel potius promontorio puto nominatam in Tarentino tractu ſitam. *fertili Baccho.* metonymia pro vite fertili. *non inuidet.*

inuidet. non cedit, æqualis eſt in nobilitate cum vino Falerno. cod. duo Maldeg. & Mart. habent, fertilis Baccho: quam lectionem Lambinus non omnino diſſentiens à Paſſeratio videtur non reiicere ex eo verſu Martial. nobilis & ianis & Baccho fertilis Aulon; ſeque ait in vno etiam codice ſic inueniſſe ſcriptum: quam certè vt non reprobem, ita æquè malim alteram. *Ille te mecum loc.* ne ſit ingratus Horatius in Septimium propter oblatum ſibi comitatum in Cantabriam Cæſarem verſus, nunc viciſſim eum inuitat Tarentinam vt ſecum adeat regionem, ibíque ſecum viuat hilariter, ſibíque mortuo pro amicitia iuſta celebret.

AD POMPEIVM VARVM ei gratulans reditum in patriam.

Ode VII. πραγματική.

O SÆPE mecum tempus in vltimum
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonauit Quiritem
Dis patris, Italoq; cælo,
Pompei, meorum prime ſodalium?
Cum quo morantem ſæpe diem mero
Fregi, coronatus niteneis
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos, & celerem fugam
Senſi relicta non bene parmula,
Cùm fracta virtus, & minaces,
Turpe, ſolum tetigere mento.
Sed me per hoſteis Mercurius celer
Denſo pauentem ſuſtulit aëre:
Te rurſus in bellum reſorbens
Vnda fretis tulit æſtuoſis.
Ergo obligatam redde Ioui dapem,
Longáque feſſum militia latus
Depone ſub lauru mea, nec
Parce cadis tibi deſtinatis.
Obliuioſo leuia Maſſico
Ciboria exple: funde capacibus
Vnguenta de conchis. quis vdo
Deproperare apio coronas,
Curátue myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? non ego ſaniùs
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere eſt amico.

COMMENTATOR.

O ſæpe mecum tempus in vltimum. Metrū duobus verſ. Alcaicu tert iãb. dimet. hypercat. quart. Pindar. Scribit ad Pompeium Varum gratulans ei in patriam reditum: Quem etiam ſibi commilitonem in caſtris Brutianis fuiſſe commemorat) & belli ciuilis iam euaſiſſe pericula Auguſto victore: Qua gratia liberalius ſe conuiuium exhibiturū promittit. ordo eſt: ô Pompei prime meorum ſodalium, ſæpe deducte mecum in vltimum tempus Bruto duce militiæ quis redonauit Quiritem te diis patriis & Italo cælo? *in vltimum.* periculoſum, in extremum vitæ, in finem & periculum mortis: eſt enim mors vltimum vitæ tempus. *quis*. ſupp. Deus. *redonauit*. reddidit te patriæ: innuit vt redires in patriam. *quiritem*. ciuem Romanum. notandum Quiritem ſingulariter poſitum, cùm pluraliter tantum veteribus ſit vſurpatum Quirites, teſte Donato, ſicut manes. *Italoque cælo.* cælum pro Itala regione poſuit. vt idem alibi, cælum, non animum mutant qui trans mare currunt. *prime.* præcipue, id eſt, cuius amor omneis alios ſuperat. *morantem.* longum æſtiuum, qui quaſi cunctando ſpatium ſuum decurrit. *mero.* bibendo, vel ad bibendum merum. *fregi.* diuiſi. Romanorum conſuetudo fuit, vt poſt nonam conuiuarentur: hîc autem ſignificat eum morem ſæpe ſe fregiſſe cum amicis, & hora ſexta vel prius ſe genio indulſiſſe. *Malobathro.* Malobathrum genus eſt vnguenti pretioſi. *Philippos.* Macedoniæ campos, aut vrbem à Philippo rege conditam, vbi ab Auguſto Brutus victus occubuit: vnde & Luca. video iam Phœbe Philippos. Virg. Romanas acies iterum videre Philippi. *relicta non bene.* indecorè. quia fugi inultus. *parmula.* ſcuto abiecto. *fracta virt.* Bruti cæſa potentia, ad nihilum redacta. *minaces.* milites, quæ ſe de ſua virtute & fortitudine iactando minabantur aduerſariis. *turpe ſolum.* fœdatûm cruore, cruentatum. *mento.* ſuo. *ſed me per hoſteis.* iucundè dicit ſe à Mercurio liberatum, quòd furtim fugiſſet & celeriter. *pauentem.* ob multitudinem armorum. *aëre denſo.* nube. vt, nube caua eripiam. & per hoc fugæ latebras voluit ſignificari. *reſorbens.* reuocans, reducens ad parteis Bruti cum impetu quodam mentis correptum. *vnda.* impetus animi. *fretis tul. æſtuoſ.* ebullientibus tulit in freta denſa, id eſt, bella feruentia. *obligatam dap.* promiſſum ac debitū celebra Ioui epulum, quia liberatus es. *feſſum.* fatigatum. *depone.* colloca. *ſub lauru mea.* ne Tityrus Melibœo, hic tamen hac mecum poteris requieſcere nocte fronde ſuper viridi. *nec parce cadis.* nec deſiſte à bibendo.

cadu. vaſis vinariis. *tibi deſtinatis.* ad tuum reditum reſeruatis. vt, vina bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes. *obliuioſo Maſſ.* id eſt, vino quo cura pellitur, & labor in obliuionem venit. *Maſſico.* Campano. *ciboria exple.* imple. Ciboria ſunt Alexandrina poma, quæ habent ſimilia colocaſiis folia; in quorum ſimilitudinem facta pocula eodem nomine appellantur. Ciboria etiam ſunt vaſa in quibus nauigantes ſoliti ſunt ferre ſuos cibos. *funde cap.* largius vtere odoribus. *conchis.* echinis concharum. *quis vdo.* cum exhortatione interrogat. *vdo.* humido, quod in locis aquoſis naſcitur, viridi. *deproperare.* valde properare. ſic, floribus atq. apio crineis ornatus amaro. *quem Venus arbit.* ἀρχιποσίαν ſignificat, id eſt, teſſerarũ iactu datum in bibendo primatum. Veneris autem iactus lætiſſimus dicebatur, qui habebat numerum ter ſenariũ. *non ſanius.* nõ minus. *Edonis.* Bacchis Thracibus. *furere.* ebrium eſſe, ſaltare.

CRVQVIVS.

O *ſæpe mecum tempus in vltimum.* Pompeio Varo commilitoni gratulatur in patriam reduci, ex militia & cũ grata cõmemoratione præteritæ vitæ tã in adoleſcentia mediis in deliciis Romæ, quàm ſub imperatore Bruto in caſtris Philippicis ſibi propè lethalibus, inuitat ad hilarum conuiuium liberiúſq., quo poſſit ad æqualeis hauſtus ſub archipoſia debacchari, ſuámq. teſtari lætitiam de felici eius, & iã ferè deſperato reditu. *o.* exultantis hic eſt interiectio cum gratulatione. *deducte.* qui mecum deductus fuiſti à Bruto: Nam bello Philippenſi excitus à M. Bruto imperatore tribunus militum meruit: Itaque deducte comitatus & officij gratia. De Bruti & Caſſij interfectorum Iulij Cæſaris, exercitu in campis Philippicis contra Auguſtum & Antonium, Appianus, Plutar. in Bruto, L. Florus, &c. *quis te.* erotema cum admiratione ſeruati adhuc Pompeij præter opinionem; vt cui non ſatis fuerat cum Bruto vinci ab Auguſto, quin obfirmatiore animo ſeſe adiungeret reliquiis Brutianis in oppugnando Cæſare. *quis.* quo patrono tu proſcriptus, eiectus patria, ciuitate exutus, iterum ciuis factus, patria donatus es? *redonauit.* alludit ad proprietatem verbi dono, quod eſt largiri magnificè: quale beneficium eſt, donare ciuitate, & multò amplius donare ſalute & ciuitate: quod Pompeio ab aliquo triumuirũm cõtigit. *Pompei.* per ſynæreſin. *prime.* amiciſſime. *morantem.* tardum, noctis, purà, deſiderio, quando licet more patrio liberius indulgere genio, inſatiréq. iucundius, quàm de die. tale eſt illud Epiſt. 1. lib. 1. vt nox longa quibus mentitur amica, diéſq. longa videtur opus debentibus, &c. *fregi.* interrupi poculis, non ſum paſſus, non toleraui totum & integrum ad noctem vſq. præterire diem, ſine voluptate iucunditatéq. *coronatus capillos.* habens capillos ſertis floreis redimitos, & comtos ornatóſque, nitenteis Syrio Malobathro, id eſt, vnctos vnguento odoratiſſimo, ſplẽdidóq. Sic & Anacreon, ἐμοὶ μέλει μύροισι καταβρέχειν ὑπήνην, ἐμοὶ μέλει ῥόδοισι καταστέφειν κάρηνα. id eſt, ſed curo delibutam vnguento habere barbam, ſed implicare curo meos roſis capillos: hic autem coronarum & vnguentorum mos in conuiuiis, ab Ionibus primum ad feminas Romanas delicatiores, Galeno teſte, tranſlatus potiſſimum Malobathri, quod foliatum vocabãt: poſtea corruptis antiquis moribus, & maſcula illa ſuorum maiorum fortitudine in mollitiem luxumq́. commutata, cœpit apud viros inualeſcere, quoties indulgentius operam dare animo, eúmq. poculis exhilarare: quod cùm de die ſine nota fieri nequiret, tamen Horatius amicis ſæpe plus tribuens & animo quàm famæ, nonnumquam diei partem dedit lætitiæ. hic autem monẽdus eſt minus prudens lector, vt τὸ Malobathro iungat participio nitenteis. *Malobathro Syrio.* Malobathron aut Malabathrum dicitur à regione Malaber apud Indos vbi naſcitur, & bethrum vel bathrum, vt loquũtur Indi, Latini folium, Græci autem φύλλον ſimpliciter, aut cum adiecto μαλοβάθρου φύλλον, καὶ ἰνδικὸν φύλλον, Arabes Tembul nominant: Eſt autem pretioſiſſimum folium in Iudicis paludibus naſcens abſq. radice. Plin. lib. 12. cap. 26. dat, inquit, Malobathrum Syriæ arborem folio conuoluto, albido colore, ex quo exprimitur oleum ad vnguenta fertiliore eiuſdem Aegypto: laudatius ex India venit: in paludibus illic gigni tradunt lentis aquaticæ modo, odoratius croco, nigricans, ſcabrúmq. quodam ſalis guſtu, &c. Ex hoc autem folio ſeu Malabathro vnguentum fiebat dictum foliatum: ſicut à nardo ſpicatum, vt habet Mart. lib. 11. at mea me libram foliati poſcit amica. Sed & ipſum vnguentũ hic Malobathrum dicitur mutuato nomine ab ipſo folio ſeu malobathro, quemadmodum & nardum vnguentum dicitur ex nardo confectum. Horatio ode Epodica 5. quam legito. *ſenſi.* vidi & expertus ſum. perſtringit ſub Bruto ſuam cum Pompeio militiam, turpem quidem quòd fugiſſet relicta parmula, ſed riſum tamen captat, quòd Marti neq. militaret, neque id eſſet ſuum vitæ genus, licet à Bruto eſſet euectus ad Tribunatum militarem, quod honoris & ſtudiorũ potius gratia, quàm rei militaris peritia factum eſt; quo nomine dicit à Mercurio ſe hoſtibus ereptũ. *relicta non bene parm.*

fatetur

fatetur ſe fuiſſe *ῥίψασπιδα*, id eſt, clypeum abieciſſe, ſtationē in acie deſeruiſſe fugiſſeque: quod militi quidem tanto probro dabatur olim, vt ei non liceret in cōcione quicquam agere: verùm in hoc Lyricus ſecutus eſt exemplum Archilochi qui ad lyram quàm pugnam erat inſtructior. *cum fracta vir.* Sed poſtquam oppreſſi ordines, inquit Appianus lib. 4. bellorum ciuil. paſſim diſſoluti ſunt, loquens de Bruti exercitu, celeriuſ vertere greſſū, & ſecunda poſt eòs, tertiáq. conſtituta acies loco ceſſit. ipſi interim permixti, nullo ordine, à ſeipſis & ab hoſtibus aſſiduè incumbentibus fœdè conculcantur, donec apertè arripuere fugam, &c. *turpe.* ex ſententia Appiani videtur, turpe, accipi aduerbialiter, ait enim fœdè conculcantur. *mento.* orē, id eſt, cæſi procubuerunt, terrámq. mordicus tenuerunt, quòd conculcati erigere in pedes ſe nequirent ad vlciſcendam ſuam mortem. Idem ſcribit Cæſar in ſuis Comment. ſuos milites iam proſtratos mortuóſq. in vultu crudelitatem ſeruaſſe. *Mercurius celer.* fortuito & præter ſpē ſeruatam ſibi ſalutem vitámq. celeri occultáque fuga Mercurio refert acceptam: quod nobilioribus poëtis ferè proprium eſt, vt quicquid alicui boni præter opinionem contingit, eius Deum aliquem *ἀλεξίκακον* velint eſſe auctorem largitorémque. ſic Paridem Menelai manibus à Venere ereptum ſcribit Homer. Iliad. *γ*. ſic Aeneā liberauit Venus, ſic Hectorem Apollo Ilia *υ. te rurſus.* laus Pompeij à conſtantia & animi fortitudine, quem nulla pericula tam vndoſi maris exæſtuātis, id eſt, tam difficilis, vehementis, ancipitiſq. belli ab inſtituto ſemel militiæ curſu, & propoſita ſub Bruto reipublicæ libertate ſalutéque, potuere diuellere ſubtraheréq. ne vel repugnāre fato, ſequeretur exercitus Bruttiani reliquias. *ergo obligatam red.* clauſula vitæ anteactæ, qua dilabitur, primùm ad Ioui libandum pro more maiorum, à quo ſeruatus fuerat Pompeius, idq. non promiſſi aut voti alicuius, ſed gratitudinis ergô: deinde ad exhilarandum animum: hoc enim moris erat priſci inter epulas & pocula primùm libare dijs dapes, benéq. precari conuiuis, deinde dapibus veſci: hortatur itaque Pompeiū, vt primū calicem miſceat Ioui ſeruatori ob vitā ſeruatam; deinde monet ne parcat cadis exhauriendis ei deſtinatis. *obligatam.* nō votam aut promiſſam, vt vult Priſcianus, hunc locū adducēs, ſed gratitudinis ergô debitam, quòd vitam eius conſeruauerat. *latus.* pro corpore: Latera namq. corpus vtrimq. vt validi muri ſuffulciunt: hinc ad ſanitatis conſeruationem & corporis firmamentum monuerunt maiores lateribus parcendum. *ſub lauru mea* ſub cuſtodia, tutela, patrocinio meo. Hoc autem videtur dicere Horatius, quòd ei forte ſe cum Auguſto non ſatis conueniebat: Quare ei præſidium apud Auguſtum pollicetur, ita vt ei tutò apud ſe eſſe, & lepidè viuere liceat. Sic & Tityrus Melibœo vnā à militibus Cæſarianis noctē apud ſe tutam recipit inquiens, hîc tamen hac mecū, &c. fronde ſuper viridi; quod de lauro intelligendum credo, quæ incolumitatis eſt & cuſtodiæ ſymbolum: ſcribit enim Proclus veteres eam tutelę ſacram dicaſſe, tam in ſacrificiis, quàm locis vbi vel ſata vel affixa fuerit: hinc illud eſt Ouidij; mediámq. tuebere quercū, quòd vtrimq. quercui tu laurus aſſita (quod in arcu triumphali ſeu fornice ante Auguſti ædeis intelligendum ſuſpicor) quercum tutaberis, id eſt, gloriam, maieſtatem, libertatémq. ciuilem: Nam ex quercu coronis ciuicis donabantur milites ob ciueis ſeruatos. de fornice meminit Dio lib. 51. *obliuioſo.* ab effectu, quòd velit Pompeium eiicere animo omnem curam, ſollicitudinem & metum Auguſti, quaſi ſecuritatem ei polliceatur: hanc autem obliuionem ſolet efficere vinum largius ſumtum, iccirco iubet expleri ciboria, id eſt, pocula capaciora: Eſt autem ciborium *ποτηρίου γένος οἷον σκύφιον* Athen. vocatur etiam Dioſcoridi lib. 2. faba Aegyptia, quaſi arculam interpreteris, quoniam madefacto luto condita demittatur, ſeratúrque: eſt enim Græcis *κιβωτὸς*, capſa, arca, hinc *κιβώριον* ſeu *κιβώλιον*, capſula, arcula, qualis eſt calix Aegyptiæ fabæ. Fland. de ſchelpe van een Turcſche boone. videto Dioſcor. in faba Aegyptia lib. 2. & in eum Matheolum cū ipſius fabæ pictura. *exple.* ad puerum; infunde ad ſummum vſque. Quid enim opus eſt aliorſum trahere quod domi natum eſt, & explere interpretari, ebibere, exhaurire. *capacibus.* maioribus: vult enim vt in vino largus, ita & vnguento fundendo videri non auarus. *conchis.* alludit ad onychen conchylij tegumentum ceteris id genus amplius. ode 12. lib. 4. Martialis lepidè Fabullum ludit, qui conuiuas plus odore, quàm ciborum deliciis oppletos dimittere ſolebat. Vnguentum fateor bonum dediſti conuiuis here, ſed nihil ſcidiſti: res ſalſa eſt bene olere & eſurire: Qui non cœnat & vngitur Fabulle, hic vero mihi mortuus videtur. *quis vdo.* vide quoſdam quaſi gradus ipſius luxus: in conuiuiis maiorum hilaris primùm vino incaleſcentibus animis, ad vnguenta, ab vnguentis & odoribus ad ſerta florea, ab his ad bacchationes & ſaltus ventum eſt; vt & intus & foris totus homo inſaniret. *apio.* de apio, ode 11 lib. 4. *Venus.* cui talorū iactu Venus arridebit, vt is ſit arbiter bibendi, legéſque præſcribat poculorum, hic arbiter, alibi magiſter & dominus, parochus. de Naſidieno Saty. vlt. lib. 2. vide oden 4. lib. 1. Venus autem in teſſerario

 ludo,

ludo, tribus teſſeris, ter ſenarius erat expletus, ſupremus & fauſtiſſimus. At in talario ludo, qui talis quaternis conſtabat, Venus erat quando ſinguli tali diuerſo vultu apparebant: Canis autem contrà. vide Pollucem. *dicet.* dabit, vt, da, nonnumquam pro dic. *non ſanius.* lætum ſe futurum ait ad inſaniam vſq. *recepto.* præter omnem ſpem mihi reddito recuperatóque.

AD IVLIAM BARINEN periuram & rapacem meretricem.

Ode VIII. προσαγορευτική.

VLLA ſi iuris tibi peierati
Pœna, Barine, nocuiſſet vmquam:
Dente ſi nigro fieres, vel vno
Turpior vngui:
Crederem. ſed tu, ſimul obligaſti
Perfidum votis caput, eniteſcis
Pulchrior multo, iuuenúmq; prodis
Publica cura.
Expedit matris cineres opertos
Fallere, & toto taciturna noctis
Signa cum cælo gelidáque Diuos
Morte carenteis.
Ridet hoc, inquam, Venus ipſa: rident
Simplices nymphæ, ferus & Cupido,
Semper ardenteis acuens ſagittas
Cote cruenta.
Adde, quòd pubes tibi creſcit omnis:
Seruitus creſcit noua: nec priores
Impia tectum dominæ relinquunt
Sæpe minati.
Te ſuis matres metuunt iuuencis,
Te ſenes parci, miſeræq; nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

COMMENTATOR.

VLLA *ſi iuris tibi peierati.* Metrum Sapphicum cum Adonio. Scenicum principium in Barinen meretricem. Intelligendum eſt enim per hanc inuectiuam aliquos præceſſiſſe ſermones, quibus noctem ei Barine iureiurando promiſerit, dehinc poſtquam feſellit, eum in hæc verba velut amicam prorupiſſe. *iuris peierati.* periurio violati: vt enim dicitur iuris iurati, ita poſuit iuris peierati, quod ipſa fallens nulla pœna percuſſa ſit. *nocuiſſet vmquam.* dij autem vindices ſunt periurij. *dente ſi nigro.* ſupp. ſaltem. magna pœna eſt meretrici ſi corporis deformitate puniatur. *crederem.* aut tibi iuranti, aut deos eſſe vindices periurij. *ſimul.* ſupp. ac, poſtquam. *obligaſti.* periurio deuouiſti, non implendo promiſſa. Contraria autem ſunt deuouere & vota ſoluere. *pulchrior.* quàm ante periuriū. *prodis.* procedis. *publica.* quam omnes præſtantem obſeruant, & pulchriorem fieri dicunt: quaſi dicat periurium, ſacrilegium, perfidiam promereri deorum fauorem, & apud eos religionis & pietatis nullam haberi curam aut rationem. *expedit.* vtile eſt tibi. *matris cin. opert.* ſepultura tectos, id eſt, matris tuæ manes. *fallere.* periurio. *noctis* claræ, ſecretæ, ſilentis. Virg. tacitæ per amica ſilentia Lunæ. &, ſidera cūcta notat tacito labentia cælo. ac ſi diceret, expedit omnem mundi maieſtatem iuramento violare. *morte carent,* immortaleis. *gelida.* vt, eſt im frigida mors. *ridet.* deridet, deriſioni habet, pro nihilo habet ſuum periurium. *Venus.* quæ amantibus facilis eſt. *ſimplices nymphæ.* mites, non iracundę, ſed exorabiles, perfidiæ amoris indulgentes, ad ignoſcendum faciles. vt, & quo, ſed faciles Nymphæ riſere ſacello: ſunt enim Veneris comites, quæ meretricibus fauet. *ferus.* crudelis, immitis, & implacabilis, quia neſcit ignoſcere, niſi Veneris conſenſu & voluntate. vt, ibat dicto parens, & dona Cupido, &c. *ſemper arden.* ἀμφίβολον, aut ſemper ardēteis, aut ſemper acuēs. *ſagittas.* iacula. *cote cruenta.* Venerea delectatione, ad augmentum amoris; acuit enim vt occidat: immoderatus enim amor maturat exitiū & mortem. *adde.* adiunge his quæ tibi accreuerunt ex periurio. *pubes.* iuuentus. *ſeruitus.* ſemper accedunt noui, nec priores relinquunt te, quamuis ſe relicturos minentur. *tectum.* lupanar, domum tuam. *iuuencis.* iuuenibus, adoleſcentibus. metaphora à vitulis. *ſenes parci.* propter bonorum ſuorum dilapidationem, quæ meretricum incitamētis ſæpe contingit. *miſeræq;.* timore repudij. *nuper virgin.* nam recēs amor maiorem ſollicitudinem & dolorem parit vxori. *retardet.* in amore occupatos detineat. *aura.* fallacia, blanditię, odores, vt ſuperiùs, auræ fallacis.

CRVQVIVS.

VLla *ſi iuris tibi peierati.* Iuliæ Barinæ credēdum putaret vel peieranti, ſi de forma decederet ei vel tantillum pulchritudinis: verùm quando

quando periurium cedat ei ad maiorem elegantiam, & apud omneis gratiam commendabilem, iudicat id eſſe vtile, adeò vt non caput modò, verum etiam omnia perfidiæ faciat obnoxia, ſupera & infera: hoc enim & Venerem velle cum ſuis Nymphis, & Cupidinẽ, vt qui nihil quàm ſagittas acuat, quò vulnerati eius amore plures quotidie accurrant, nec ab ea deſciſcant priores amatores, vel inuitis matribus, maioribus, vxoribus etiam nuper nuptis. *Vlla ſi iur.* hoc eſt, ſi non eſſet impunè tibi periurium, turpitudinis aliqua nota dij faciem tuam fœdarent. *iuris peier.* peierare, periurare, deierare, eſt fidem religioſè & ſanctè datam non ſeruare: hinc periurus, peieratus, perfidus, deieratus, periurium, deiurium perfidia, eodem iugo & ſignificatione comprehenſa. Eſt autem Peierare Ciceroni non iurare falſum, ſed quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut verbis concipitur, more noſtro, id non facere. verum in amore peierare luſus eſt, vt ſuprà ex Platone. hinc illud eſt Catulli, Nulli ſe dicit mulier mea nubere velle quã mihi, non ſi ſe Iupiter ipſe petat, dicit, ſed mulier cupido quod dicit amanti, in vento & rapida ſcribere oportet aqua. huic concinit adagium, Aphrodiſium iuramentum, pro vano & futili. *pœna.* periurij pœna diuina exitium, humana dedecus. Cic. 2. de legibus. *Barine.* in codicibus Bandini huius odes inſcriptionem inueni ad Iulium Barinen, &c. vt videre eſt in Epigraphe. *nocuiſſet.* damnum corpori aut formæ attuliſſet. *dente ſi nigro.* Expoſitio eius quod maximè obeſt formæ in facie & manibus: quæ ſolæ corporis partes vt ſemper in oculis ſunt omnium, ita ſpeciem mirè vel commendant vel damnant. de dentibus, eſt illud Martial. Miſi, vt petiſti, munditias dẽtium, nitelas oris, ex Arabibus frugibus, tenuem, candificum, nobilem puluiſculum, complanatorem tumidulæ gingiuulæ, ſarritorem pridianæ reliquiæ, ne qua viſatur tetra labes ſordium reſtrictis forte ſi labellis riſeris. *ſed tu ſimul oblig.* Enthymema ex oppoſitis, tantum abeſt, vt periurium tuæ formæ noceat, vt indies pulchrior omnibus nitidiórq. iuuenibus appareas. *votis oblig.* diris omnibus deuouiſti perfidum, periurum, perfidia plenum caput tuum; & conceptis certíſque verbis conſecraſti. Caput autem apud maiores ſalutis erat ſymbolum. Itaque illud adiurare, id deuouere & commendare in extremo periculo, in fide præſtanda receptum erat: vnde apud Homerum non infrequens eſt, ἐπ' ὀδυνῇ ἐπ' ἐμοῖο κάρῃ. *expedit matris ciner.* illuſtrat peierandi conſilium ab augmento pulchritudinis, hortatúrque tacitè vt in incepto pergat, ita vt non in ſuum caput tantùm, ſuámque ſalutem & vitam ſit impia, ſed & infera ſuperáque deóſque immortaleis ſuæ perfidiæ teſteis habeat: expedit enim, hoc eſt, id tibi eſt vtile ad formam, quæ quanto eſt venuſtior & oculis gratior, tanto tibi lucrum maius ab amatoribus accedit. *matrum cineres.* vt per parentum cineres iurare ſanctiſſimum, ita peierare erat maximè execrandum: at hic per manes matris iurare, quod erat mulierum ferè, vt per patrum maiorúmque cineres, virorum, credo deſignari inferos omneis, ait enim, *& toto taciturna noctis.* quæ ſunt cœleſtia omnia diíque immortales *fallere.* peierare. ſic & Plin. alij, inquit, in ipſo Capitolio fallunt, ac fulminantem peierant Iouem, & hos iuuant ſcelera. *videt hoc Venus.* argumentum à minore dialecticôs, aut à maiore rhetoricôs: Venus gaudet periurio, gaudent Nymphæ Veneris comites, gaudet Cupido, quid hoc miri eſt Barinen peierando fieri formoſiorem nitidiorémque? explicat amoris vim violentiámque, quæ tanta eſt, vt eiectos amatores, excluſos, ſalui à petulantibus puellis habitos, ſæpe etiam periuros redire compellat. *ſimplices Nymphæ.* faciles, Veneris aſſeclæ, nimirum iocus, riſus, fletus, imo periurium ipſum, &c. ode 5. lib. 1. mutatóſque deos flebis, &c. *ferus Cupido.* ἄγρια παίζει, crudeliter ludit. Moſchus in amore fugitiuo. πάντα μὲν ἄγρια, πάντα *ardenteis ſag.* nã Cupidinis arma πυρὶ πάντα βέβαπται, id eſt, igne tincta ſunt omnia. Moſchus *cote cruenta.* Non quæuis cos amoris cruenta eſt, nam varij ſunt amores & multiplices: ſed ea cruenta cenſetur in qua acuit ſagittas, quibus ad intima penetret, milléque periculis & gladiis mille, miſeros amatores obiiciat: qua gratia quoque diſparibus iaculis armatus fingitur, nimirum acutis & obtuſis, auratis, plumbeis, ignitis, &c. *adde quòd pub.* adhuc ignara doli meretricij. *ſeruitus,* quæ patitur amoris dominium: iccirco Barinen dominam nominat, quòd multos amoris vinculo irretitos & captiuos, ſe ſectari faciat, quaſi de iis triumphum agens. *ſæpe minati.* ſic Phædria Terentia. de Glycerio, excluſit, reuocat, redeam? non, ſi me obſecret. *te ſuis matres.* hi verſus præcipuè (nam tota ode eſt adulatoria) continent inſignem formæ commendationem ipſius Barines, à rumore publico: matres enim liberis metuunt ne corrumpantur; ſenes, ne à liberis exhauriantur; & virgines nuptæ, ne à maritis deſerantur: ſic enim interpretor auram pro fauore publico raræ pulchritudinis, quam omnes ſpectare geſtiunt, laudant & amplecti ſtudent.

A D

AD VALGIVM, VT tandem deſinat deflere mortem ſui pueri Myſtæ.

Ode IX. παραινετική.

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, aut mare Caſpium
Vexant inæquales procellæ
Vſque: nec Armeniis in oris
Amice Valgi, ſtat glacies iners
Menſeis per omneis: aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu ſemper vrges flebilibus modis
Myſten ademtum: nec tibi Veſpero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.
At non ter æuo functus amabilem
Plorauit omneis Antilochum ſenex
Annos: nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiæ ſorores
Fleuere ſemper. deſine mollium
Tandem querelarum: & potius noua
Cantemus Auguſti tropæa
Cæſaris, & rigidum Niphaten,
Medumq́ flumen gentibus additum
Victis, minores voluere vertices:
Intráque præſcriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

COMMENTATOR.

Non *ſemper imbres nubibus*. Metrum trib. verſ. Alcaicum, tert. iamb. dimet. hypercа. quart. Pindar. Hac ode Valgium conſularem alloquitur amicum ſuum; quem conſolatur Myſtæ pueri ſui delicati mortem grauiter ferentem; indicans mala hominibus non debere eſſe continua. *hiſpidos*. ſenticoſos, herboſos. *inæquales*. iniquę, procelloſæ, tempeſtuoſæ. *vſque*. ſemper. *Caſpium*. Scythicum. ſpecies pro genere. *Armeniis in oris*. Armenia regio eſt in Aſia. *glacies iners*. aut quæ gelata curſum non habet. vt, concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ. aut quę frigoris nimietate pigros efficiat & torpidos. *menſes per omnes*. per totum annum. *querqueta Gargani*. vt pineta, æſculeta, vineta, ſic & querqueta dicuntur loca vbi multæ quercus naſcuntur. *Gargani*. Garganus mons eſt Apuliæ, in quo quercus altæ naſcuntur, quæ quãto ſunt altiores, tanto plus laborant, id eſt, ventis agitantur. *& foliis viduantur*. ſupp. non ſemper. itaque tu ô Valgi continuare luctum non debes, ſi in omnibus rebus ſint vices temporum. *tu ſemper*. indeſinenter fles. *vrges*. in memoriam reuocas, nec requieſcere te ſinis. *modis*. verſibus: quia poëta erat Valgius, & mærorē ſolabatur luctuoſis carminibus. *ademtum*. tibi & ſolatio tuo. *Veſpero*. ſtella: hæc enim oritur occidente, & occidit oriente ſole. *ter æuo functus* qui ætates treis, id eſt, annos nonaginta vixit: nam æuum, id eſt, ætas, tempus eſt triginta annorum. dicit ergo ſenem Neſtora non fleuiſſe filium ſuum Antilochum quàm diu vixit. *impubem*. ætate inferiorem. *parentes* pater & mater propriè parentes nominantur; hinc dicit Phrygiæ ſorores. *Troilus*. Priami filius. de quo Virg. parte alia fugiens amiſſis Troilus armis infelix puer, atque impar congreſſus Achilli, quem parentes mortuum non ſemper fleuerũt. *deſine moll.* noua locutio, pro deſine à mollibus querelis, ceſſa conqueri. *mollium*. muliebrium & euiratorum: illi namq. affectus ſunt nimis teneri. *cantemus*. quaſi dicat, melius eſt amoto luctu canere geſta Cæſaris. *rigidum*. frigidum. *Niphaten*. Scythiæ fluuium: pleriq. putant Armeniæ montem. *Medúmq. flumen*. Euphraten. *additum*. adiacentem, adiunctum. *minores voluere*. poëticè: quaſi & fluuius ſe victum ſentiat. vt, & pontem indignatus Araxes. &, Euphrates ibat iam mollior vndis: vnde genteis tum victas vult intelligi, quæ circa flumina habitant. ordo eſt: cantemus Medum flumen additum victis gentibus, voluere minores vortices. *vertices*. vndarum globos. *intráq. præſcrip.* intra conſtitutum & deſignatum terminum. Auguſtus enim fineis Gelonis ſtatuit, quos victi tranſgredi non auderent, ſed præſcriptis limitibus continerentur, cùm antè quò libuiſſet excurrerent.

CRVQVIVS.

NOn *ſemper imbres*. Ab omnium rerum viciſſitudine quæ mutationi ſubſunt alterationiq. ſolatur quidem Valgium, ſed hortatur magis, vt tandem deflere deſinat mortē pueri ſui Myſtæ: Non enim cælum, non aër nobis triſtia ſemper minatur, non mare procelloſum, non tellus ipſa ſemper iners & honore ſuo viduata iacet: verùm triſte gelu, ignauámq. ſequitur ver hiemē, ver amœnum, ver viuificum; quando terra lætis floribus, odoratíſque frondibus ornantur arbores. Agè ô Valgi, non immemor vitæ caducæ, nunc tandem

tandem eiice ex animo luctum, mœrorem, querimonias; faceſſat mollis ille animus nimis effeminatus: Non Neſtor Antilochum, non Priamus Troilum filium luxit perpetuò: Obliuiſcere Myſtæ: ſubeat nunc animum lætitia, ſuperauit Auguſtus Medum, debellauit feros illos Gelonos. Age, gratulemur victoriæ, Pæanáque decantemus. *non ſemper imbres.* primi verſus octo, nihil quàm continent ab adiunctis, hiemis inertis & penitus inamœnæ deſcriptionem, ita vt eorum ſententia ſit, non ſemper eſt hiems. Quo argumento & ordine naturæ vult monere Valgium, non ſemper eſſe dolendum, niſi credat cum natura eſſe pugnandū. *nubibus.* ellipſis eſt præpoſitionis, è, vel ex. *hiſpidos.* horridos & aſperos hiemis horrore, glacie, gelu, grandine. *manant.* decidunt, ex liqueſcentibus calore nubibus. vide Feſtum. *inæquales.* ab effectu: quòd aquas maris inæqualeis efficiant: quod vbi contingit, mare fictum nuncupatur vndis efferueſcentibus, & vi ventorum agitatis. de repentinis & ventis procelloſis, ἐκνεφίαι ἄνεμοι Ariſtoteli de mundo, vide Plin. lib. 2. cap. 48. inſuper de vi & natura ventorum Aquilonis, Auſtri, & Africi in vndis maris concitandis, Agellius lib. 2. cap. 30. *Armeniis, in oris.* nimirum Borealibus partibus Tauri montis, gelu & niuibus rigidis: ſed aliud latus Armeniæ magis eſt Auſtrale, quod cælū habet temperatius: Nam Armenia duplex eſt, maior & minor, ſicut & Media, nimirum maior, & Atropatia, ab Atropato duce nominata: verùm & Armeniam & Mediam, cuius ſunt Caſpiæ portæ, intra Taurum Strabo collocat lib. 11. *laborant.* cōcutiuntur, eradicantur: Nam, vt de ſe fatetur Aquilo, nodoſáque robora verto 6. Metamor. *querqueta.* ſic ſcriptū habent Bland. quod magis probo, quàm querceta, vt vulgò. *viduantur.* ſpoliantur, nudantur. metaph. *tu ſemper urg.* Apoſtrophe ad Valgium cum exhortatione ad mentem ſaniorem: ne velit naturæ curſum accuſare, cùm videat omnia tēpore mutari, ſi nihil aliud, ſaltem obſeruet diei & noctis continuas vices: reuereatur ſidera, ſolem, veſperum nunc orientem nunc occidentem, qui eum, præter omne decorum, ſemper offendunt Myſten deplorantem. *vrgues.* totus es in modis ſcribendis, quibus nihil quàm defles Myſten, nihil agis, nihil meditaris aliud. Vrgues, habent Bland. *Myſten.* μύστης, ου. ſacris alicuius numinis initiatus erat hic puer, nimirū Veneris. *ademtum.* mors ademit Myſten numquā reuicturum: propriè dixit, nā adimimus id cuius partem nullam relinquimus alteri, ſed demimus particulatim. *veſpero ſurg.* poſt occaſum ſolis apparente, cùm ſolem ſubſequitur, id eſt, per totum diem delicias tuas, quas cum puero exercebas, decantas flebiliter. *fugiente ſolem.* hoc eſt, ante ſolis ortum illuceſcente. de quo Planeta Cic. 2. de nat. deorum, infima eſt, inquit, quinque errātium terræque proxima ſtella Veneris, quæ φωσφόρος Græcè, Lucifer Latinè dicitur, cùm antegreditur ſolem: cùm ſubſequitur autem, ἕσπερος. *at non ter æuo.* Elegans Neſtoris periphraſis a vitæ diuturnitate: cuius exemplo dehortatur Valgium à lamentis. Neſtor filium, cúmque amabilem ſibi morte ereptum, non ſemper plorauit: Nec Priamus Troilum tenerum adhuc & impuberem: ſenex vterque ſenectutis præſidium & ſolamen: Quanto tu Valgi minùs eſſe mollis & lugere debes ob ademtum tibi puerum Myſten? à minori, dialect. *Phrygiæ ſorores.* filiæ Priami, ſorores Troili, Polyxena, Iliona, Caſſandra, Lycaſte &c. *deſine mollium querel.* Græciſmus, λῆγε τῶν ὀδυρμῶν μαλακῶν *cantemus Auguſt.* ſuadet ab honeſto, vt mutatis animis, lamentationibúſque longè valere iuſſis Auguſto gratulentur de victoria ab hoſtibus Armeniis, Medis & Gelonis fortiter parta: inque eius honorem ἐπινίκιον παιᾶνα decantent. *trophæa.* νικητήρια, vexillum, ſtatuam ſignum de victis hoſtibus poſitum. *Niphaten.* Niphates mons eſt Solino, Melæ & Straboni 11. lib. Quare non auſim dicere fluuium. Strabo namque vndecimo, hic ipſe mons, inquit, in initio Taurus vocatur, Sophenam, ceteramque Armeniam diſterminans à Meſopotamia. Sunt qui Gordyęos monteis vocant: in his eſt Maſius mons, qui ſupra Tigranocertam ſeu Niſibin iacet, poſtea magis magiſque elatus Niphates appellatur. hoc in loco ſunt Tigridis fontes, ad Auſtrale montanæ regionis latus: deinde iugum à Niphate magis ac magis extenſum, Zagriū montem efficit, qui Medos Babyloniósq; diſterminat &c. itaque Niphaten rigidum, horridum niue, & inacceſſum. *Medumq; flumen.* de Medo flumine Strabo lib. 15. in Araxem, inquit, ex Parætacis deſcendentē Medus influit ex Media delatus &c. *gentibus victis.* Stra. lib. vndec. ij validos vicinos habent, inquit, Armenios & Parthos, à quibus ſæpè aliquid circumciduntur, reſiſtunt tamen, & ablata recuperant, quemadmodū Simbacem ab Armeniis receperunt, qui ſub Romanis erant, & ipſi ad Cæſaris amicitiam acceſſere: loquitur, ni fallor, de Medis Atropatiis. vide Strab. *minores vol. vort.* vortices per proſopopœiam ſignificat Armenos, Parthos, Medos iam debellatos à Cæſare, non futuros, vt anteà, tam arroganteis & iactabundos. *Gelonos.* Geloni Neuris, quos Ptolemæus Nauaros, & Budinis, quos Bodinos idem nuncupat, ſunt proximi: à Gelono Herculis filio ſic dicti: qui poſtea Getæ, & nunc Tartari vocantur: hic autem Gelonus fratres ha-

huit Agathyrſum & Scytham, à quibus Agathyrſi & Scythæ populi nominati ſunt. Becanus noſter in Gotodanicis Gelonos Budinis in agricolatione & paſtione mercenarios fuiſſe ſcribit, dum illi prædarentur: & inde nomen eis datum, quaſi ghe loonden, nam loon Cimbricè, merces eſt Latinè. hunc legito. De gentibus ab Auguſto deuictis Virg. ad finem lib. 8. Aeneid. Ouid. lib. 15. Metamor. Quid tibi barbariã &c. Item 2. Triſt. Horat. 14. 15. Ode lib. 4. Appianus in Illyrio circa medium. *exiguis equitare cam.* M. Didius vaganteis Thracas repreſſit. M. Druſus intra fineis proprios continuit. S. Rufus. Thracibus autem Geloni ſunt finitimi & Scythis, quos hic vno nomine Gelonorum ſignificare videtur Lyricus.

AD LICINIVM DE MEdiocritate in vtraque fortuna ſeruanda.

ODE X. προτρεπτικὴ.

RECTIVS *viues, Licini, neque altum*
Semper vrgendo: neque, dum procellas
Cautus horreſcis, nimium premendo
Litus iniquum.
AVREAM *quiſquis mediocritatem*
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntq; ſummos
Fulmina montes.
SPERAT *infeſtis, metuit ſecundis*
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus. informes hiemes reducit
Iupiter: idem
Summouet. non, ſi malè nunc, & olim
Sic erit. quondam cithara tacentem
Suſcitat Muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo.
Rebus anguſtis animoſus, atque
Fortis appare. ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

COMMENTATOR.

RECTIVS *viues, Licini nec altum.* Metrũ Sapphicum cum Adonio. Scribit ad Liciniũ Craſſum monens optimum eſſe medium vitæ ſtatum & periculoſum eſſe ſemper magna appetere; nec cõtrà, in anguſtijs & humilitate vitã ſordidè continendam, ſed allegoricôs, docet nos debere ſequi mediocritatem, quam ſeruare dicit nauiganteis. ordo eſt: ô Licini dum cautus horreſcis procellas, rectius viues, neque ſemper altum vrgendo, neq; nimium premendo litus iniquum. *altum.* appetendo & perſequendo ſublimia. *cautus.* ſollicitus. *premendo.* tangendo. *iniquum.* nauigantibus periculoſum propter ſaxa. *auream.* pulchram, beatam. Virg. Aureáque, vt perhibent, illo ſub rege fuerunt ſæcula. *tutus.* ſecurus, defenſus. *obſoleti.* ſordidi, ſqualidi, veteris, antiqui: ab obſoleo, es, id eſt, veteraſco. *ſordibus.* ſpurcitia. *tecti.* humilis caſæ. *ſobrius.* ſapiens, temperans. *inuidenda aula.* quia mediocritas caret inuidia, quæ ex magnis & ſplendidis ædibus oboriri ſolet. *ſæpius ventis.* pulchra comparatio ab arboribus & ædificiis: dicit in alto poſita, & ſublimiora ſemper ſubiacere maioribus periculis & caſibus, vt Iuuena. Numeroſa parabat excelſæ turris tabulata, vnde altior eſſet caſus & impulſæ præceps immane ruinæ. *agitatur.* quia ingens, ideo agitatur, id eſt, cõcutitur: humiles enim arbores non ita ventis obruuntur. *decidunt.* ruunt ex alto, labuntur. *ſummos monteis.* quemadmodum Acroceraunia, quibus à frequenti fulmine nomen eſt datum. *alteram ſortem.* fortunam bonam aut malam. *infeſtis.* aduerſis. *ſecundis.* proſperis. *bene prapara.* inſtructũ, & formatum, temperatumq́ue ad quemuis inſultũ fortunæ. ordo eſt: pectus bene præparatum, id eſt, ſapiens, ſperat in feſtis alteram ſortem, id eſt, proſperam, & metuit ſecundis alteram, id eſt, aduerſam. vnde dicit Sapiens, in die malorum, ne immemor ſis bonorum, & in die bonorum, ne ſis immemor malorum. *informeis.* turbidas aſſiduis imbribus. *ſummouet.* aufert, remouet. dat diuinitatis exemplum per mutationes temporũ, vt ſemper ſperemus in aduerſis & fortes ſimus: Nam ſicut diuina diſpenſatione nunc æſtas fit, nunc hiẽs, ita diuino nutu aduerſitas & proſperitas ſibi viciſſim ſuccedunt. *non ſi malè nunc, & olim.* generalis ſententia, non ſemper eandem manere fortunam. vt Virg. Nunc olim quocumque dabunt ſe tempore vires. ſic olim pro futuro tempore poſuit. &, hunc tu olim cælo ſpoliis orientis onuſtum accipies. *neque ſemper arcum.* id eſt, non ſemper eſt infenſus. dat aliud numinis exemplum, quo eum monet non ſemper bellis triſtibus occupari debere, ſed miſcere læta mæſtis. *tendit Apollo.* Nam Apollo pharetratus depingitur cum cithara, quam cùm pulſat, dicitur placidus; ſed cùm arcum tendit, cenſetur iratus. Eſt ergo ſenſus, non ſemper Deus arcum iracundiæ tendit, vt mortalibus

talibus aduerſa tribuat, ſed aliquando citharā ſuſcitat, lætitiæ & proſperitati indulgens. *idem*. quiſquis es. *contrahes*. ſupprimes. Allegoria à nauigantibus: Nam ſicut nautis pelagus eſt incertum, ita ſapienti nec in aduerſis deſperandum, nec cōfidendum ſuadet in proſperis. *appare*. obtemperа. *turgida vela*. inflata vento nimium ſecundo, id eſt, nimia felicitate.

Crvqvivs.

Rectivs *viues, Licini neque altum*. M. Licinius Craſſus prætor Romæ, vt populo fortaſſe & nonnullis ex ſenatoribus, quibus L. Antonius M. frater in Auguſti perniciem multa preclarè fuerat pollicitus, gratificaretur, cum Sexto, & Antonio ſentiebat, ſperans eo fauore prætura defunctum ſe conſulem iri deſignatum: verùm quādo ſe poſtea ea ſpe fruſtrari grauiter indignaretur, monet Horatius mediocritatem rebus in omnibus eſſe tutiſſimum vitæ beatæ præſidium; ab eáque vel latū vnguem, vt aiunt, ſurſum, deorsúmue diſcedere ſtultitiam eſſe maximā: Nam ſublimis honoris gradus, vt multis inuidiæ telis obnoxius eſt, ita nihil aſſerit eum habere ſecuri, nihil tranquilli. Contrà, humi repere, & nullo in honore verſari nimis eſſe ſordidum, contemtúque & conuiciis non carere. Quare iubet eum magno ſemper eſſe animo conſtantíque, in aduerſis quidem, vt enitatur ea ferre fortiter, & ſperare meliora: in proſperis verò modeſtè prudentérque ſeque ſuáque gerentem meminiſſe inſtabilitatis fortunæ, ſemperque deteriora formidare; neque enim Iouem ſemper iraſci, neque renidere perpetuò. *rectius viues*. Exorditur allegoricôs, à remotione vitæ in republica nimis ſplendidæ, propter æmulationis pericula; & omninò abiectæ, propter cōuicia: hortaturque Licinium viam vitæ mediam vt ingrediatur, ſi volet bene tutóque viuere. Huic Odę perelegantar concinit hoc Epigramma Baſſi, μή τί με χείμαζοι πόντος ἄχρι θερμοῦς, οὐδὲ γαλήνην ἀργὴν ἐκπετάσαι τὴν πολυνηνεμίην· αἱ μεσότητες ἄρισται, ὅπη δ' ἔργα πρήξιες ἀνδρῶν, καὶ μάλα μέτρον ἔχει τ' ἄρχιον ἐκπετάσαι. τοῦτ' ἀγάπα φίλε Λάμβι, πρηεῖς δ' ἰχθυόεις θυέλλας, εἰσὶ τοῖς πρηνοῖς καὶ βίοτε ζέφυρος. quod Latinè reddidi: Ne ferus incertis Pōtus nos iactitet vndis, nec ferat incautos aura ſerena nimis; Optimum id eſt, rebus cunctis mediocriter vti, amplectíque modum qui ſatis eſſe queat. Hoc gaude mecum, & nigras fuge Lambi procellas, ſic nobis zephyrus ſæpe benignus erit. *rectius*. tutius, commodius, malíque minus obnoxius, tranquilliùs. Non arbitror enim eam animi rectitudinem notari quæ reſpectu alterius dicitur, qualia Stoicis ſunt καθήκοντα καὶ κατορθώματα. *altum*. πέλαγος, mare profundum, quaſi πέλαγος, quòd ſit πέρα τῆς γῆς, id eſt, procul à terra; vbi vndarum procellę & voragines pręcidunt omnem ſalutis & euadendi ſpem, ſi nauis inuoluta tēpeſtatibus ſubmergatur: ita in πολιτείᾳ qui ſummus eſt in honore, ſi cadat inuidiæ iaculis, vt fit, vel ſua culpa deturbatus, poſtea nihil eum manet præter ſummum malum. *ſemper vrguendo*. indefeſſè petendo. vrguendo habent Cod. Bland. quos ſequor propter dictionis plenitudinem. *cautus*. tibi tuíſque cauendo, ne in periculum & diſcrimen aliquod incidas; quod non eſt prudentis: Nam dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. *littus iniquum*. nimis amans ſecuritatis apparentis, quæ reipſa tamen nihil eſt aliud quàm labor, dolor & miſeria ſine gloria: Nauclerus enim qui nihil quàm littora legit, euadit quidē pelagi procellas, ſed non raró ita hæret in ſcopulis & iniquis rupibus ſaxíſque præruptis miſerabiliter, vt felicius iudicet in pelago periclitari & perire protinꝰ. videtur autem alludere ad illud Pythagoræ, ἐπὶ γῆς μὴ πλεῖν. id eſt, circa terram non eſſe nauigandū, hoc eſt, ſic in humilibus rebus & humanis curis animum occupandum, vt numquam ad ſublimia immortaliáque extollatur. *auream quiſquis*. laus mediocritatis ab adiunctis extremorum vtriuſque incommodis: nam qui in imo vitæ ſtatu victitat, is ſordeſcit inglorius: qui ſublimem ſectatur, is quaſi in ſpecula cōſtitutus obſeruatur ab omnibus, vndique expoſitus inuidiæ ſpiculis. itaque mediam vitæ viam ingredi eſt tutiſſimum. is autem verè mediocritatem diligit, qui eam tamquam rerum ſuarum principem ducem comitatur è propinquo: Alij quidem eam quoque diligunt, ſed hos magnificentia, ſpendor & vanitas rapiunt obcæcatos in ſuum pręcipitium; alios inedia & iniqua paupertas ſic detinent præpeditos, vt ad deſideratam mediocritatem nequeant euadere enitíque. Alij ita ſunt in bonis accumulandis ſordidè auari, alij in profundendis turpiter, vt mediocres & eſſe & haberi nolint, adeò vt id vitæ genus tamquam malum vitare gaudeant. *obſoleti*. carioſi. Caries enim multas ſordeis adfert & pulueres. *inuidenda*. quā propter magnificentiā ſplendoremq́. comitatur inuidia *aula*. Aula propriè eſt ſumtuoſæ domus pars anterior vento perſtabilis, vt habet Athenæ. lib. 5. ἀνεμοφόρος τόπος, perſtabilis locus. Quin & apud Homerum per aulas intelligimus loca ſubdialia: hinc factū eſt, vt virorū principum & regum palatia ſint aulæ nuncupatæ, quòd in ingreſſu loca ſint āpla & ſubdialia. *ſobrius*. hic aduertat lector non inſulſus duo hæc epitheta tutus, ſobrius, quo modo in mediocritate ſibi ancillētur

mutuò: quæ tuta quidem eſt, hinc à contemtu conuiciiſque, illinc ab inuidia obtrectationéque, idque extrinſecus: ſobria verò ab interno animi bono, nimirum temperantia modeſtiáque. atque ita & extrinſecus & intrinſecus in ſecura tranquillitate eſt qui mediocria ſectatur. *ſæpius ventis agitatur.* hæ metaphoræ per quàm elegantes ab arboribus ſumtæ turribus & montibus, quaſi ad oculum demonſtrant incommoda, quæ cernimus extrinſecus accidere rebus excelſis & in arduo poſitis. *pinus.* κατ' ἐξοχὴν pro quauis arbore procera, propter miram eius & pinaſtri altitudinem. *fulgura monteis.* ſic habent omnes ſcripti lib. non fulmina, vt vulgati. Per ventos autem & fulgura facilè quiuis intelligit inuidiam, obtrectationem, dolos, & inſidias, quibus periculosè laborant qui ſunt in ſummo honoris gradu conſtituti. *ſperat infeſtis.* hæc bona ſunt interna, quibus erigitur animus viri boni tam proſperis in rebus quàm aduerſis: Tacitéque ſolatur Licinium, ſi non ſit ordine conſecutus honoris gradum ſibi debitum, per Iouem ſubindicans Auguſtum, à quo ſi prohibitus ſit adipiſci dignitatem conſularem, futurum aliquando ait ei propitium, auctoremq; eiuſdem acquirendæ: quod & contigit; ipſe namque Licinius cum Auguſto conſulatum geſſit anno Vrb. cond. 723. *informes hie. red. Iup. id. ſub.* in conſolationibus plurimum poteſt viciſſitudinis commemoratio, τάχ' ἄνολοι ἔσονται ἄμεινον. in Elect. Sopho. *non ſi male nunc.* hæc connexa negatiua pollicetur Licinio dolorem præſentis mali commutatum iri in ſpem opinione meliorem propter vices rerum. *quondam.* aliquando, nonnunquã, interdum. *ſuſcitat.* ad cantandum prouocat. inuitat. *rebus anguſt.* clauſula paræneticá conſtãtiæ in vtraque fortuna: his autem verbis correſpõdent illa Cebetis in tabula, vbi dæmonium, ſeu princeps ille naturæ lex, rectáque ratio iubet eos qui in vitam ingrediuntur nullam fidem habere fortunę: nec eius dona ſtabilia & quodammodo propria putare quæ & largitur hominibus & aufert temerè, καὶ διὰ τοῦτον οὖν, ἔφη, αὐτίκα κελεύει πρὸς τὰς ἐκείνης δόσεις ἴσους γίνεσθαι, καὶ μήτε χαίρειν, ὅταν διδῷ, μήτε ἀθυμεῖν ὅταν ἀφέληται. id eſt, & ob hãc ſanè cauſam, inquit, præcipit ad eius munera ſubmiſſos eſſe, ſeu minus alacreis, & neque gaudere quando ea dederit, neque dolere vbi abſtulerit. Quod idem monet Horatius, nimirum in aduerſis non debere abiecto eſſe animo ſed forti, nec in proſperis elato arrogantíq;, ſed contracto & ſubmiſſo. Quod egregiè quidem ſed obſcurè ſignant hæc verba ἴσους γίνεσθαι. ſumta metaphora à nautis, qui vento vehementius incumbente vela contrahunt, vt tutiùs nauigent.

AD Q. HIRPINVM, CVRIS omiſſis vt viuat hilariter.

ODE XI. συμβουλευτική.

Qvid bellicoſus Cantaber, & Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Hadria
Diuiſus obiecto, remittas
Quærere: nec trepides in vſum
Poſcentis æui pauca. fugit retro
Leuis iuuentas, & decor, arida
Pellente laſciuos amores
Canitie, facilemq; ſomnum.
Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis, neque vno Luna rubens nitet
Vultu. quid æternis minorem
Conſiliis animum fatigas?
Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes ſic temere, & roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriáque nardo,
Potamus vncti? diſſipat Euius
Curas edaces. quis puer ocyùs
Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lympha?
Quis deuium ſcortum eliciet domo
Lyden? eburna, dic age, cum lyra
Maturet, in comtum Lacænæ
More comam religata nodum.

COMMENTATOR.

Qvid bellicoſus Cantaber. Metrum duob. verſ. Aſcl. tert. iamb. dimet. hyper. quart. Pindar. Hirpinum monet, vt omiſſis curis abiens ſibi cõſular, commodiſque vitæ ſuæ ſtudeat celeriùs fugientis. ordo eſt: ô Q. Hirpine remittas quærere quid cogitet bellicoſus Cantaber, & quid cogitet Scythes diuiſus obiecto Adria. *Cantaber.* gens eſt in Hiſpania bellicoſa. *Scythes.* gens eſt Septemtrionalis, poſtea dicti Hunni. *obiecto Adria.* ſupp. mari, id eſt, Adriatico mari. *diuiſus.* interfuſo mari à nobis ſeiunctus. *remittas.* omittas, deſinas. *nec trepides.* dicit humanam naturam, ſi tantum quærat quæ ſufficiunt ad vſum & breuitatis vitę ſit memor, paucis poſſe eſſe contentam. *nec trepides.* nõ timeas, quia pauca ſufficiunt in vſum æui. *fugit retrò.* ordo eſt: Leuis Iuuentas fugit retrò, & decor, arida canitie pellẽte laſciuos amores & ſom-

& ſomnum, id eſt, recedit à nobis & emanat procedente vita in ſenectutem. vt eſt, optima quęque dies miſeris mortalibus æui prima fugit, ſubeunt morbi triſtiſq; ſenectus. *leuis.* velox. *decor.* pulchritudo iuuentutis. *arida.* ſicca. hoc eſt, parum in ſuum vſum impendente per nimiam parſimoniam ſenectutis: aut arida, minus in Venerem calente. *pellente.* abigente. *laſciuos.* flexuoſos. *facilem ſomnum.* qui ſenibus tardus eſt. vt, pendebat ſomno iam deteriore ſenectus. *non ſemper idem.* naturalibus exemplis docet, nihil eſſe perpetuum, vt nec homo in flore ſemper permanet. *vernis.* vernalibus. *neque vno.* eodem, ſic nec flos iuuentutis idem ſemper eſt. *quid æternis min.* ordo eſt, quid fatigas animum minorem æternis conſiliis, id eſt, quàm ſunt æterna conſilia, quæ ſunt infinita & perpetua. *fatigas.* laceras. *cur non ſub alta.* ordo eſt, cur non potamus dum licet, ſic temerè iacenteis, vel ſub alta platano, vel ſub hac alta pinu, & odorati canos capillos roſa, & vncti Aſſyria nardo. *ſic temerè.* paſſim, vt habeat laſciuiam ipſa licentia. *roſa.* oleo roſaceo. *odorati cap.* id eſt, habentes capillos odoratos. figura Græca. *dum licet.* dum ſumus iuuenes. *Aſſyria nardo.* Aſſyria pro Syria. notandum quòd nardum genere ſeminino poſuit. *diſſipat.* remouet, diſcutit vinum. *εὖιος.* Liber pater, ſic dictus, quòd cùm dij cum gigantibus bellum gererent, primus in leonem conuerſus occidit Gigantem: quo facto eum Iupiter ita laudauit, εὖ υἱέ, id eſt, euge fili. Græcè namque υἱὸς, Latinè filius dicitur. Sed hæc vox etiã eſt bacchantium, εὖιε Bacche fremens. *edaces.* eò quòd attenuent & conſumant. *quis puer.* quaſi iam ſit in conuiuio. *reſtinguet.* refrigerabit, temperabit. *ardentis.* auſteri. *prætereunte lym.* decurrente aqua ſcilicet fontana: tanquam potui ſit lenior. vt, fontes liquidi atque excita flumina curſu. *deuium:* deuium autem dicitur, quod eſt à publica via remotum: ſcortum deuium quod non proſtat publicè: Scortum autem dictum putatur à calceamentorum ſolo ſubiecto omnibus etiam vulgaribus. *eliciet.* euocabit. *eburna:* ordo eſt: ô Hirpine, age, dic Lyden cum eburna lyra, vt religata comas maturet in comtum nodum more Lacænæ. *eburna.* ebore ornata. *maturet.* acceleret, feſtinet. vt, maturate fugam. *in comtum nodum.* in compoſitum feſtinantes: enim mulieres pexum tantũ capillum in nodum colligere conſueuerunt. *Lacænæ.* Helenæ. vt Virg. Non tibi Tyndaridis facies inuiſa Lacænæ. *in comtum.* in præpoſitio appoſita eſt, non compoſita.

CRVQVIVS.

QVID *bellicoſus Cantaber.* De bellis in Romanos exteris quorum iam euadant, ſollicitum Quintum Hirpinum monet, cura futurorum quę poſſunt accidere vt ne ſe fatiget, néve præſenti aliquid ętati detractum putet in venturam neceſſitatem reponendum, ſed potius memor æui breuis naturæque benignæ, ſuadet vt iucundè viuat, genióque & amoribus indulgeat & amico ſomno: hoc enim & deſiderare iuuentutem, & corporis cum vigore venuſtatem: Quod quidem vt faciat, quaſi ex re pręſenti, locum deſignat, vbi in vmbra reſupini inter odores & pocula, curis omnibus omiſſis, poſſint adeſſe iubere Lyden & cithara canendo ſaltandóque ſibi operam dare. Ceterum huius odes Epigraphe eſt ad Q. Hirpinum. Quid ſi pro Hirpino legamus Criſpinum? tunc temporis enim inuenimus apud Chronographos T. Quintium Criſpinum conſulatum geſſiſſe cum Druſo Nerone, quando Tiberius Nero, Druſi frater cum Dalmatis & Pannoniis, quos per Scythas hic intelligere licet, bellũ gerebat. *Cantaber.* de Cantabris Ode 6. lib. 2. *& Scythes.* Ode 35. lib. 1. *cogitet.* machinetur, moliatur: futura quidem prudentiæ aliquam partem ſibi vendicãt, ſed coniectaneam: Quare ex his ordinare diſponeréque præſentia, quaſi iam certis, vt hominis eſt parum ſani, ita monet Quintium ne hoc faciat, ſed præſentibus vtatur genialiter, ei ſatis eſſe bonorũ ad vitam iucundam, etiam ſi nihil accedat: Nam vita breuis paucis eſt contenta, paucis hilariter toleratur. *Adria diuiſus ob.* loci intercapedo & Adriatici maris interuallo inter Romanos & Scythas ſeu Dacos faciunt ad ſecuritatem Quintio promittendam, ne ita ſollicitus ſit ad quemuis rumorem. *remittas quær.* ne anquiras, ne tam ſollicitè quæras, ſis in quærendo remiſſior. indicat Horatius Quintium animo fuiſſe paruo, vnde naſcuntur affectus non viriles, anxietas, cura, metus, parcitas &c. *nec trepid. in vſum.* ne formides, ne quid tibi deſit ad vſum vitæ pauca poſcentis, id eſt, quæ paucis eſt contenta: Ipſa namque per ſe eſt inops, ei pauca deſunt moderatæ, vt cõtra, luxurię omnia. Quare diuinitùs Tobias ſenior monuit iuniorem, Noli, inquiens, timere fili mi: Pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene. *nec trepides.* arguit ex metu parcitatem ante tempus: Nam iuuenem quidem naturæ ductu decet eſſe liberalem & hilarem, ſenem verò parcum & ſeuerũ: hac de cauſa rectius, meo quidem iudicio, τὸ trepides, exponemus feſtines quærere in hac ætate iuuenili, parcendo in vſum æui, id eſt, vitæ totius, etiam ſenilis, quæ pauciſſimis eſt contenta. Iudicet lector doctus; huic enim reſpondet ὁ αἰὼν τὸ μέτρον τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς, id eſt, humanæ vitæ ſpatium &

curriculum: vnde Herodot. τελευτῆσαι τὸν αἰῶνα, id eſt, θανεῖν, finire vitam, mori. *fugit retrò.* ſuadet lætitiam à celeritate iuuentæ, quæ præterit opinione citius. *leuis iuuentas.* volucris & acer, nõ etiam imberbus aut mollis, vt volunt alij, ſic enim ei parum conueniret τὸ fugit. nec opus eſt vt τὸ leuis per æ diphthong. ſcribatur, vt prior ſit longa; quando & iambus in eo genere metri nõ rarò primum locum teneat. *arida pellente.* ab incommodis ætatis ſenilis quæ eſt ex ſicca, frigida, calore paulatim & naturali vigore euaneſcente. *canitie.* canities pro ſenio: id enim ætatis ſolet ea per naturam accidere, ſerius, citius, pro natiua caloris têperie. *facilemq́; ſom.* qui gratus & vtilis eſt membris refocillandis, & viribus corporis augmentandis. At ſenibus caloris defectu difficilis eſt, interruptúſque & irrequietus. Legito Ariſtot. de part. animal. lib. 2. cap. 7. *non ſemper idem.* à forma pereunte per ſenectutem, gratiaque & venuſtate. legito roſas Virg. *quid æternis.* ἐρώτησις παρὰ τὸ ἀδύνατον. Nequit enim fieri, vt par ſit humanus animus Dei conſilijs æternis cognoſcendis, nedum cogitãdis: iccirco iure dicitur, minor, inferior, impotentior, quàm vt futura Dei conſilia comprehendat, licet ſit ipſe æternus & immortalis. *cur non ſub alta.* loci διατύπωσις vbi velit lætè conuiuari, cum adiunctis voluptati odoribus, poculis, cantionibus, amaſijs. *vel hac pinu.* locum quaſi demonſtrat hilaritati commodum, vbi in vmbra iacẽtes, ſic temerè, ſine vllis cęrimoniis, αὐτοσχεδίως epulentur. Pinus mõteis amat, ſed etiam in plano creſcit, auctore Plin. *roſa canos odor. cap.* Quid? an Horatius ſui parum memor, velit Hirpinum in iuuenta, in ætatis flore caneſcere, & ad amores hortari à quibus abhorret arida canities? an canos capillos interpretabimur vnguento delibutos & candidos reſplendenteiſque? an per ſynchyſin alludat ad λευκόροδον, id eſt, canam ſeu albam roſam, qua capillos velit internecti, quemadmodum dicimus quoque λευκὸν ἔαρ. id eſt, ver canum, ver album, propter flores? *Euius.* ſic inueni in Bland. vetuſtiſſ. ſed à ſciolo ſuprapoſita nota aſpirationis. alij omnes habent Euhius, contra Gręcę compoſitionis, quam notat Comment. rationem, quæ mediam ſyllabam non aſpirat. Eſt autem Euius, nomen Bacchi, quaſi bonum pharmacũ, vt mihi videtur, ἴος enim Tzetzi eſt medicamen, παρὰ τὸ ἰᾶν, id eſt, medicor: vinum namque diſſipans curas animi, eſt contra eas præſentiſſimum remediũ: qua ratione quoque à ſolutione triſtitiæ dictus eſt Lyæus. *curas edaces.* μελεδῶνας φυλακόρους, τοῦτ' ἐστι κατέδουσι τὰ μέλη ἐσθιούσας φροντίδας; nam curæ corpus adedunt aduque ſatietatem. *quis puer ocyus.* hæc omnia ex compoſito: quaſi res ipſa nunc agatur, & recumbentibus vinum propinetur. *deuium ſcortum.* non publicum, ſed ſecretius paucîſque cognitũ: quod genus nuncupamus ſluppertens/ ſluppunterſkens: Quod quidem deuium dici arbitror ab Horatio, non tam quòd coleret domum ſemotam à via publica, quàm quòd deuiando, domos cognitas oberrando, corpore merendo, cithara canendo quæſtum faceret. *eliciet.* opima lucri ſpe propoſita. *cum lyra.* erat enim fidicina, κιθαρίστρια, ψάλτρια γυνή. *maturet.* hic locus nõ parum torquet Lambinum, ad quem lectorem remitto. Mihi certè ſic ordinandus apparet: Age, dic vt Lyde religata comam cũ lyra maturet incomtum nodum more Lacænæ, hoc eſt, ipſa quidẽ caput ornet & comam religet, ſed corporis cinctum ne curet; ſicut Lacænæ puellæ, quæ olim incedebant diſcinctæ interdiu, & ſine tunica, ἀχίτωνες: ſupparo tantum fibulis aſtricto ex humeris, quod in inceſſu femora nudabat: vnde Callimachus, ἔστιν ὅτ' ἄζωνος, χ' ἀπερόνητος, id eſt, incinctus, & fibulis aſtrictus ex alterutro latere. & Anacreõ, ἐκδῦσα χιτῶνα δωριάζειν, id eſt, incedit Doricè, exuta tunicam. Ad hunc modum volebat Horatius adeſſe Lyden; vt dum lyra caneret, etiam ſaltaret laſciuius. vide adag. δωριάζειν. Sed & D. Clemens pædagog. lib. 2. Lacænæ virginis more ὑπὲρ γονὰ ἐστολίσθαι, id eſt, ſupra genu reductis veſtibus incedere ait parum eſſe decorum.

AD MÆCENATEM, RES grauieis lyrico carmine non eſſe dicendas, ſed leueis & amatorias.

ODE XII. προσευκτική.

NOLIS *longa feræ bella Numantiæ,*
Nec dirum Hannibalem, nec Siculum mare
Pœno purpureum ſanguine, mollibus
Aptari citharæ modis:
Nec ſæuos Lapithas, & nimium mero
Hylæum, domitóſque Herculea manu
Telluris iuuenes, vnde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris: túque pedeſtribus
Dices hiſtoriis prælia Cæſaris
Mæcenas meliùs, ductáque per vias
Regum colla minacium.
Me dulceis dominæ Muſa Lycymniæ
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgenteis oculos, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus:

Quam

Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare ioco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, ſacro
Dianæ celebris die.
Num tu, quæ tenuit diues Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes,
Permutare velis crine Lycymniæ,
Plenas aut Arabum domos?
Dum flagrantia detorquet ad oſcula
Ceruicem, aut facili ſæuitia negat,
Quæ poſcente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet.

COMMENTATOR.

NOLIS *longa feræ bella Numantiæ.* Metrũ tribus verſ. Aſclep. quart. Glycon. Ad Mæcenatem, ſignificans hiſtoriam & res graueis non conuenire carmini lyrico, ſed remiſſas potius & iocis aptas. Itaque dicit Mæcenatem geſta Cæſaris melius oratione proſaica executurum. Ordo eſt: nolis aptari mollibus modis citharæ lõga bella feræ Numantiæ, nec dirum Annibalem, nec Siculum mare purpureum Pœno ſanguine. *nolis.* non velis. *dirum.* fortem, qui ſumma difficultate victus eſt. *feræ Numant.* bellicoſæ, crudelis; propter longa bella: Nam decem annos cum Numantinis pugnatũ eſt multa clade Romanorum. *Siculum mare.* quia ibi primùm nauali certamine Romani Carthaginienſeis duce L. Lutatio vicerãt. *aptari cit. modis.* id eſt, nolis fortia facta heroum lyrico carmine deſcribi, ſed potius res ludicras. *Pœno.* Africano. *mollibus.* dulcibus, remiſſis, diſſolutis. *aptari.* à me. *modis.* lyricis. *nimium mero Hyl.* intolerabilem ebrietate. Hylæus Centaurus inuitatus à Pirithoo ad nuptias, viſa puella permotus eſt: cui dum vim inferre conaretur, à Lapithis, qui ſimul nuptiis intererant, prohibitus eſt: hinc in certamen itum eſt, & vſque necis pericula dimicatum: poſtea ab Hercule ſunt ſuperati. hac de re etiam ſuperius ipſe commemorat. Centaurea mouet cum Lapithis rixa &c. Virg. & magno Hylæũ Lapithis cratere minantem. *telluris iuue.* gigantes qui bellum numinibus indixerunt. *vnde.* à quibus Terent. è prædonibus vnde emerat, ſe audiſſe dicebat. *Saturni vet.* antiqui. *dom.* cælũ, regia Deorũ. vt, Panditur interea dom⁹ omnipotentis Olympi. *pedeſtribus.* orationis ſolutæ veritate, melius quàm equeſtribus, id eſt, metricis. *regum colla.* reges quos ſubiugauerat: reges enim victi in triumpho catenati ducebantur. *Lycymniæ.* Lycymnia aut vxor Mæcenatis, aut ipſius Horatij amica: adoleſcentum more qui amatas dominas vocant. ordo eſt: Muſa dominæ Lycymniæ voluit me dicere dulceis cantus, & oculos lucidè fulgenteis & pectus bene fidum. *mutuis.* id eſt, alternatis, iugalibus ſcilicet. *lucidum.* lucidè, nomen pro aduerbio. vt, ſublime volantes, pro ſublimiter. horridum ſtridens, pro horridè. *fidum.* bene fidum pectus, id eſt, fidele. fidus Achates it comes. *ferre pedem.* conferre, id eſt, quam nec ſaltare dedecuit. *nitidis virginib.* cum pulchris virginibus ludentem in ſacro die Dianę celebris: Natalis enim Dianæ à virginibus colebatur, ſicut & Apollinis; vt ſuperiùs, Dianam teneræ dicite virgines. *num tu.* ordo eſt: numquid tu permutare velis crine Lycymniæ ſupp. regna vel bona quæ tenuit diues Achęmenes, aut Mygdonias opes pinguis Phrygiæ, aut plenas domos Arabũ, cùm detorquet ceruicem ad flagrantia oſcula, aut negat facili ſæuitia, quæ magis interdum gaudet eripi, ſupp. à poſcente, interdum occupet rapere? *Achæmenes.* nomen regis Perſarum: Luca. Achæmeniis decurrent Medica fuſis agmina. *pinguis.* fertilis. vt, pinguibus hæ terris habiles. *Mygdonias.* à Mygdone rege Phrygiæ. *plenas.* diuitiarũ ſupp. id eſt, diuites; & eſt hic ſenſus: non potes tu regum opes Lycymniæ amori præponere. *detorquet.* inflectit. deſcribit faſtidium mulieris detorquentis ſe ab oſculis amatoris vt magis incitet. vt, & fugit ad ſalices & ſe cupit ante videri. *gaudeat eripi.* tolli. artem deſignat meretriciam, cùm velut irata aut negat amatori oſcula, aut interdum vltrò expetit, ſic ſatisfaciens indignanti. Terent. Nolunt vbi velis, vbi nolis, cupiunt vltrò. *rapere occup.* amoris oſtendit affectus. *occupat.* expetit.

CRVQVIVS.

NOLIS *longa feræ bella Numantiæ.* Fingens Horatius Mæcenatem velle modos lyricos aptari rebus grauioribus, nimirum geſtarum rerũ deſcribendis hiſtoriis, & id genus alijs quæ continuam narrationem poſtulant, mirabiliter ei circum præcordia ludit: id enim negotij magna cum laude in oratione ſoluta ei cedens, vt cui & principum virorum & res à Cæſare geſtæ, triumphíque eſſent perſpecti propius, ſe transfert ad amores lyra cani ſolitos: quod eum vehementius amare, nec nõ amplecti, quàm laborioſam quandã prœliorum decantationem, non ignorabat. Quare vt id maiori cum beneuolentia ipſius & gratia voluptatéque faciat, Lycymniam eius, vt arbitror, amicam miris laudibus effert, ab oculorum lucido ſplendore, fidis amoribus, Ionico ſaltandi motu, iocis,

iocis, amplexibus & gratis oſculis; adeò vt vel maximis opibus regiiſque diuitiis ea non redimat quæ vel negat ipſa ſibi eripi, vel affigere gaudet vltro. *nolis.* nolle debes, te nolle eſt æquum; nolis enim eſt modi potentialis. Præoccupat animum Mæcenatis ab iniquo; quippe quòd bellorum deſcriptio lyricis verſibus minimè cõueniat, propter mollitiem facilitatemque. *longa.* L.Florus lib.2.cap.18. Oroſ.lib.5.cap.6. per annos 14. Straboni per 20. durauere hos legito. & Plin.cap. 58.59.de viris illuſt. Eutropium lib. 4. cap. 3. D. Auguſtinũ de ciuitate Dei li. 3.cap.21. Val. Max. lib.2 cap.2. lib.3.cap. 3. lib. 7. cap. 6. *feræ.* inhumanæ, impiæ in patriam, quam cum diis, parentibus, vxoribus & liberis igni deuaſtarunt, tandem ad extrema coacti à Publio Scipione Africano minore; qui propterea quoque Numantinus eſt appellatus, anno poſt deletam Carthaginem 14. Vrbis autem conditæ circiter 620. *dirum Annib.* Bland.4.Sil. Maldeg. Diuæi lib. habent durum. vnus Mart. dirum. De tribus autem bellis Punicis omnes meminere qui de rebus Romanis ex profeſſo ſcripſerunt. *Siculum mare.* de Annibalis ſenioris nauibus 70. quibus oram Italiæ maritimam vaſtabat; de C. Duillio conſule, qui citius opinione 130. nauium claſſem cõtra Annibalem munitam habuit, vide Oroſium lib.4.cap.7. L. autem Florus lib.2.cap.2. Duillij claſſem fuiſſe ſcribit 160. nauium. Primo hæc bello Punico geſta ſunt. *Pœno purp. ſang.* à Duillio namque 31. naues captæ, 13. mer ſæ, tria hominum milia cæſa, 7000. capta narrantur. Ab Attilio Carthaginienſes cõſerto nauali prœlio in fugam verſi 64. naues perdiderunt. Poſtremo à C. Lutatio Catulo Vrb. cond. 511. naues 64. Punicę captæ, 125. demerſæ, 22. milia hominum capta, milia 13. cæſa ſunt. hæc Oroſ. Eutrop. Epitom. 19. Polybius autem Pœnorum naueis ſcribit ſubmerſas 50. captas 70. hominũ milia amplius 10. capta. *mollibus.* amatoriis, non virilibus, quales ſunt Epici, claſſici; inepta namque bellis decantandis eſt cithara, niſi ea ſint virginũ, vt ſuprà Ode 6. lib.1. *nec ſæuos Lapit.* à minori. Quo pacto cithara rebus geſtis virorum fortium poſſit accommodari, cùm ne fabulis quidem aptè concinnandis ſit idonea? *Lapithas.* de Lapithis ab Hercule ſuperatis cæſiſque Apollod. lib. 2. Fuere autem Heroës Theſſalici Centauris inimici. de quorum controuerſiæ inter ſe cauſa vide Palęphatum. *Hylæum.* Centaurum à Theſeo interemptum: vel Apollodoro auctore lib. 3. ab Atalanta virgine ſagittis cum Rhœco perfoſſum. *telluris iuuenes.* terræ filios Gigantes ab Hercule occiſos Apollod. lib. 1. *contremuit.* nam & ſaxa in cælum & accenſas arbores iaculabãtur, inter quos principes fuere Porphyrion & Halcyonius: quibus interfectis ab Hercule, terra Typhonem progenuit, quem cùm dij proſpiciunt in cælum irrumpentem, in fugam acti in Aegyptum properant: cúmque inſequentem eum vident, in varias formas animantium ſe quiſque transmutat, &c. vide Apoll. lib. 1. *Saturni vet.* Qui cum Ioue & fratribus Plutone Neptunóque de totius orbis imperio annos decem bellum geſſit: Tandem Iupiter matris Telluris conſilio, liberatis è Tartaro Cyclopibus, qui Iouem tonitru fulgetráque & fulmine, Plutonem galea, & Neptunum tridente donarunt, Saturnum vicit, Titanáſque: ijs telis armati fratres, vinctos inque Tartarum detruſos, Centimanis cuſtodiendos dederunt, orbis totius imperiũ inter ſe partiti ſunt. Apollod. lib. 1. *túque pedeſtribus.* hæc faciunt ad laudem Mæcenatis à ſtylo ſeu charactere ſcribendæ hiſtoriæ rerum à Cæſare geſtarum. Pedeſtribus autem dixit hiſtoriis, quòd proſa oratio numeris quidem & pedibus, ſed non certa lege ſtrictis conſtet, vnde numeroſa ſonoráque dicitur. Verùm Saty. 6. lib. 2. Muſa pedeſtris alia ratione cenſenda eſt, vt ibi docuimus reclamantibus aliis. *per vias.* Quando triũphans imperator vrbem per portam triumphalem ingreſſus, cum omni apparatu per mediam vrbem & Velabrum, perque Sacram viam in Capitolium aſcenderet, vbi tauros in pompa ductos, in Iouis Opt. Max. templo immolabat &c. videto Alex. ab Alex lib. 6, cap. 6. de triũphi cærimoniis. *minacium.* ſic habent cod. Bland. omnes, quos ſecutus ſum. Mart. Maldeg. Diuæi habent minantium. *me dulceis dom.* argumentum amatorium modis aptum mollibus, lyriciſque verſibus. *Lycymnia.* ſic cod. Bland. antiquiſſ. Alij duo Licymniæ. ſed Diuæi, Mald. Mart. Sil. Liciniæ, vt vulgati. videtur alludere ad Luſciniam auem. ſubdit ſe debere dicere *dulceis cantus Licinia*, id eſt, eius in canendo melodiam, vociſque cũ varietate ſuauitatem, qua pellicit amanteis detinetque. *dicere.* canere, laudibus celebrare. *lucidum.* [illegible] *pectus bene fid.* cuius eſt idem velle & nolle. Hæ laudes Lycymniæ ſunt ab ijs bonis quę natura dedit. *quam nec ferre ped.* id eſt, cum puellis ſaltando, geſticulando Ionicè, id eſt, molliter & laſciuè, decorũ ſeruauit, iocata eſt, riſit, brachia manúſque dedit colludendo pulchris virginibus &c. *num tu quæ.* [illegible] ad exprimendam amoris vim potentiamque qua præfert amator regiis opibúſque maximis amicæ oſculum. *flagrantia.* [illegible] [illegible] fraudis artiſq. meretricię in oſculis dandis negandiſue, quo magis amorẽ ſui incitet. flagrantia, omnes habent ſcrip. lib. pręter Diu. in quo eſt ſcriptum fragrantia, quod plus probat Lamb. quàm aliud:

aliud: at plureis tamen codices ſum ſecutus, quòd odoribus quidem prouocata oſcula, vt minus maſcula ita pigra ſæpe ſunt tepentiáq. poſt primum impetum. *ad oſcula.* ab amatore petita. *facili ſæuitia.* leui luctamine: nam leniter & pæne ſponte ſe vinci patitur gaudétque.

IN EXECRATIONEM arboris, cuius caſu repentino pæne extinctus fuerat.

Ode XIII. μεμπτικὴ.

ILLE & nefaſto te poſuit die,
Quicumque primùm, & ſacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriúmq; pagi.
Illum & parentis crediderim ſui
Fregiſſe ceruicem, & penetralia
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis: ille venena Colchi-
ca, & quidquid vſquam concipitur nefas,
Tractauit: agro qui ſtatuit meo,
Te triſte lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quiſque vitet, numquam homini ſatis
Cautum eſt in horas. nauita Boſporum
Pœnus perhorreſcit, neque vltrà
Cæca timet aliunde fata.
Miles ſagittas, & celerem fugam
Parthi: catenas Parthus, & Italum
Robur: ſed improuiſa lethi
Vis rapuit, rapiétque genteis.
Quàm pæne furuæ regna Proſerpinæ,
Et iudicantem vidimus Aeacum,
Sedesq; diſcretas piorum, &
Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus,
Et te ſonantem plenius aureo
Alcæe plectro dura nauis,
Dura fugæ mala, dura belli!
Vtrumque ſacro digna ſilentio
Mirantur Vmbræ dicere: ſed magis
Pugnas, & exactos tyrannos
Denſum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum, vbi illis carminibus ſtupens
Demittit atras bellua centiceps
Aureis, & intorti capillus
Eumenidum recreantur angues?
Quin & Prometheus, & Pelopis parens
Dulci laborum decipitur ſono:
Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

COMMENTATOR.

ILLE *nefaſto te poſuit die.* Metrũ duob. verſ. Alcaicum, tert. iamb. dimet. hypercat. quar. Pindar. Execratur arborem cuius caſu in agro Sabino deambulans de vita periclitatus erat: eam funeſtam & inſitorem eius dicens. ordo eſt: arbos, ille quicumq. produxit te primùm in nepotum perniciem & opprobrium pagi, poſuit nefaſto die & manu ſacrilega. *nefaſto.* iniquo & abominando, inominato. *ſacrilega.* violatrice. *produxit.* inſeuit, plantauit. *nepotum.* poſterorum. *opprobrium.* infamiam: nam ad pagi illius, imo totius regionis ignominiam pertinuiſſet, ſi famoſus ager morte domini ſui fuiſſet. *parentis.* patris matriſue. *crediderim.* credere poſſim. *fregiſſe.* noua dictione execratur parricidam. *penetralia.* domus interiora, in quibus hoſpite necato, ius hoſpitale fuiſſet violatum: minus autem diceret, ſi homicidium diceret illic perpetratum; quia ius hoſpitij violare, pro maximo crimine habebatur, maximóque ſupplicio luebatur, quòd Iupiter præceperat illud in primis ſeruari. *ſparſiſſe.* maduiſſe. *nocturno.* clandeſtinò. *Colchica.* ſpecies pro genere: Colchos enim Scythiæ prouincia eſt, ex qua Medea orta fuit venenis & arte magica potens. *quicquid vſquam.* nefas pro quouis crimine. *triſte lignum.* ab effectu quòd triſteis faciat. *caducum.* ruinoſum. *immerentis.* innocentis, nil mali merentis. *quid quiſq. vitet.* ex hoc loco incipit diſputare de diuerſis caſibus vitæ humanæ, adeò vt vix aliquis eo caſu moriatur de quo magis eſt ſollicitus; qui dum de gladio ſibi cauet, incidit in morbum aut aliud malum, quo abripitur è medio: quare dicit improuidas hominum menteis nulla fatis obuiate cautela, nec metuere periculum niſi cùm fuerit proximum, cùm tamen multi improuiſis opprimantur periculis. *cautum eſt.* conſtitutum per horas ſingulas. *nauita Boſporum.* aut Boſporum pro quolibet freto poſuit, aut Pœnum pro quolibet nauta: Multum enim diuiſus eſt Pœnus à Boſporo; Boſporus Ponti ſunt fauces, vbi propter anguſtias aſſidua naufragia fiunt: Nomẽ autem dicitur accepiſſe, quòd id mare Iupiter in bouem mutatus tranſierit ferens Io. quam poſtea

viriatam transformauit in buculam, volens ſuum furtum celare Iunonem, inde *βόσφορος* dictus. *ceca.* improuiſa, occulta. *aliunde.* ex alia parte. *&* *celerem.* fugientes enim Parthi in ſagittando ſunt vehementiores. Virg. aut miſſam Parthi poſt terga ſagittã. *vis.* violentia, mortis neceſſitas, quæ rapit vnumquemq. núc hoc nũc illud timentem. *quàm pæne.* ac ſi diceret paruo interſtitio mors abeſt à nobis. *furuæ r. P.* furua myſtico nomine dicitur Proſerpina, id eſt, nigra vel atra. *Æacum.* Achillis auum, qui pro iuſtitiæ bono etiã apud inferos iudex eſſe eſt meritus. vnde Iuuenal. quas torqueat vmbras Aeacus. *ſedeiſq. diſcretas.* id eſt, ſeparatas: ſignificat autẽ campos Elyſios. Virg. Sed amœna piorũ concilia, Elyſiũmq. colo. hoc autẽ dicit, vt oſtenderet ſe pæne vidiſſe inferos propter imminens periculum. *Æoliis f.* Gratis chordis admurmurantẽ: propter Sappho poëtriã, quę dialecto Aeolica in carminibus vſa eſt. *popularibus.* vulgaribus. Querebatur autẽ Sappho de puellis ſuæ gentis quòd amarent Phaonem, quem ipſa amabat. ordo eſt: & quàm pæne vidimus Sappho Aeoliis fidibus querentẽ de popularibus puellis. *plenius.* fortius. *Alcæe.* Alcæus nomẽ poëtæ lyrici, a quo & metrũ Alcaicũ dictũ eſt. ordo eſt: & pęne vidimus te Alcæe plenius ſonantẽ plectro aureo dura mala nauis, & dura mala fugæ, & dura mala belli. *plectro aur.* meliore. *dura mala.* ſæuiſſima. *nauis.* ſuę nauigationis, dũ fugeret tyrãnos Mitylenẽſeis. *vtrumq.* aut Sappho & Alcęũ, aut fugam & pugnas, aut certè carmina de vtroq. quę ſic facta ſunt, vt adyti alicuius putarentur digna ſecreto, quibus res bellicas & nauigationẽ ſuam ſcripſit, dum à Pittaco tyranno ciuitatis ſuæ pulſus eſſet, eò quòd Mitylenenſibus amorem libertatis ſuaderet, quos poſtea collecto exercitu ſuperauit. *denſum.* frequens & ſtipatum ad audiendum pugnas. vt, hæret pede pes, denſuſq. viro vir. ordo eſt: ſed vulgus denſum humeris magis bibit aure pugnas & exactos tyrannos. *exactos.* expulſos amore libertatis. *bibit aure.* audit auidiſſimè. *quid mirum.* ſi vulgus vmbrarũ miretur pugnas & exactos tyrannos. *demittit.* mitigat. *bellua centic.* Cerberũ notat, propter multitudinẽ anguium qui è capite eius eminebant. finitum autẽ pro infinito poſuit. vt, tibi nomina mille. oſtendit autem non immeritò vulgus vmbrarũ carmine delectatum, dum Cerberus eius amœnitate mulcetur. *recreantur.* delectãtur: anguis autẽ naturaliter cãtu delectatur. *Prometheus.* raptor per ferulam ignis diuini, qui vulturem ſua viſcera depaſcentem obliuiſcitur detentus oblectatione carminis Alcæi. *Pelopis par.* Tantalus. *dulci.* delectabili. Virg. Atqui ipſę ſtupuere domus atque intima leti tartara. *dulci* *laborum de.* Figura Græca, pro eo quod eſt laborũ amittit ſenſum dũ cantu delectatur. *Orion.* Orion venator fuiſſe narratur. huius vmbrã dicit venationi carmina præferre, vigentẽ apud inferos eo ſtudio quod habuerat in vita. vt Virg. quæ cura nitenteis paſcere equos eadem ſequitur tellure repoſtos. *agitare.* inſequi. *lyncas.* Virg. Quid lynces Bacchi variæ, & genus acre luporum.

CRVQVIVS.

ILle *&* *nefaſto te poſuit die quicumque.* Execrans Horatius arborem cuius ipſe inopinato caſu, fortè deambulans in agro ſuo Sabino, pæne fuerat enectus: eiuſque ſceleſtiſſimamq. atq. *θυμικῶς* exprobrans, qui eam plantauerat, certò definit, non eſſe cognitum quid periculi vitet quis in vita, quidve tutò ſequatur; adeò vt hic eo quem minimè timuit caſu, pereat: ille contrà vitæ diſcrimen euadat præſentiſſimum, quod neutiquam fore ſperauit. Quid me herculè Horatius hic ſibi dicit vſu veniſſe: cui mens ipſa ex repentino in ſe ruentis arboris metu vel læſione ita fuit alienata, vt apud inferos ſe pæne vidiſſe fabuletur regna Proſerpinæ, nimirum pœnarum locum, & beatorum ſedeis; adfuiſſéq. Sapphoni & Alcæo, qui dulcibus ſuæ lyræ modulis partim ſopiebant infera monſtra, partim mitigabant damnatorum ſupplicia. Verùm lector hic obſeruet, quanto artificio, quamq. lepidè quaſi obumbret, nimio ſe pauore raptum in ecſtaſin mentiſq. alienationem fuiſſe, ita vt mortuo ſimilis appareret. *Ille & nefaſto te.* Exorditur ab execratione arboris, à tempore, & auctore plantationis, cuius exordij hic ſenſus eſt: ô arbor, quicumq. primùm produxit te, id eſt, auctor fuit vt creſceres, ille poſuit, id eſt, plantauit te, & nefaſto, id eſt, inauſpicato dieque deteſtabili, & manu ſacrilega in nepotum perniciem, & opprobrium pagi. hoc eſt, ô arbor, quia ſacrilegus & impius aliquis plantauit te nefaſto die, iccirco producta es ſeu excreuiſti in magnum aliquod malum. itaque execratur arborem non ob eius naturam, ſed ob alienũ malum. *nefaſto die.* dies nefaſti *ἀποφράδες ἡμέραι*, triſtes & atri, quibus ne prætori quidem publicè ſua verba profari licuit, Do, Dico, Addico, in rerũ dominio transferendo: & qui N notantur, toti nefaſti ſunt: qui verò N & P, priori diei parte nefaſti. vide Ioſeph. Scalig. in Feſtum. de nefaſto autem & religioſo die vide Agellium lib. 4. cap. 9. *nepotum.* nepotes pro poſteris. ſed de hoc alibi latiùs. *Illũ & parentis.* Expolitio eius quod iam dixit, & ſacrilega manu, &c. quid enim magis ſacrilegum atque impium quàm parricidium, xenoctoniæ, & veneficium, quibus & priuata

amicitia,

amicitia, & tranquillitas publica violatur & tollitur: *crediderim.* crediſſe poſſum; eſt enim præteritum tempus modi potentialis. vt & alibi, non tamen hoc tribuens dederim queq. cetera, id eſt, dediſſe debeo. *fregiſſe ceruic.* hæc dictio habet auxeſin ad maiorem execrationem: leuius eſt enim auditu, parentem occidit, ſed & hoc eſt æquè execrãdum. *ſparſiſſe penet r. noct. cruore.* mitius enim eſt, hoſpitem de nocte interfecit. De hoſpitalitate, quod vnicũ eſt humanitatis argumentũ, dicebatur olim cognoſcere Iupiter, iuſq́. hoſpitij violatũ punire grauiſſimè. hinc eſt illud poëtæ, Iupiter hoſpitibus nam te dare iura loquũtur, &c. *venena Colcha.* ſic habent duo cod. Bland. antiquiſſ. ſine vlla litura, alter per lituram. ſic & Maideg. cũ ſingulis punctis ſub 1 & c. & Diuæ. per liturã. Quare ſic legendũ iudico. at non improbo tamen Colchica; per reiectionẽ vltimæ ſyllabæ ad principiũ alterius verſus, ſed aliud magis eſt Horatianum. Venena autẽ Colcha pro præſentiſſimis accipienda ſunt à Colchide regione Scythiæ, κατ' ἐξοχὴν. *& quicquid vſquam con. nef.* poſt enumerationẽ partiũ genus ſubiicit, omne nefas, perinde ac ſi velit eum fuiſſe omniũ hominum ſceleſtiſſimũ: nimirum quicquid animo conceptũ à quoquam perficitur, id eũ tractaſſe. *te triſte lig.* apoſtrophe ad arborẽ contemtim id lignu nominans. *quid quiſque vit.* ἐνθύμημα ab incertitudine fati omnibus impendentis. Diuæ. cod. habet, quod quiſque; reliqui, quid. *nauita Boſphorum.* Enumeratio exemplaris, qua docet aut ignoratione, aut longinquitate, aut infamia nobis horrenda videri quædam, vndè minus ſæpe periculi ſentimus. contrà, quæ nobis tuta putamus, ea plerumq. eſſe pernicioſa. *Boſphorum.* ſic habẽt omnia ſcripta, alia per ph, alia per f litteram: quam lectionem ſeruaui, nõ ignarus Græcè ſcribi βόσπορος, non enim vidi magnopere cur eam mutem: quid enim vetat dicere βοσφόρος, bos ferens, ſi dicere liceat ἀνεμοφόρος, ventus ferens, pro vento ſecundo, quod 4. Aeneid. expreſſit Virg. expectet facilémque fugam, ventóſque ferenteis? hic omitto Latinos, non ita ſemper ad amuſſim, vt aiunt, Græciſmi ſuos characteres exigere, vt nihil immutari poſſe iudicent, vt videre eſt in voce τρόπαιον, quod iamdudum obſeruamus in antiquiſſimis ſcriptis ſemper per ph notatum trophæum. Sed nec in lexico Rober. Conſtantini vtrumque ad expoſitionem vocis Græcæ aliter inuenio vulgatum quàm boſphoros, trophæum; quod tamen mutatum fuiſſet, vt credo, ſi id tanti eſſet, vt nonnulli clamitant. at ſi quis tamen obſtipo quodam capite malit aliud, per me quidem licebit, vt qui nolim de lana caprina, vt aiunt, grauiter contendere.

Sunt autem Boſphori duo, alter Thracius, iuxta Byzantium, qua Thracium mare per anguſtias freti fluit in Propontidem; quem hîc notari puto: Alter Boſphoros Cimmerius in introitu Mæotidis paludis. vide Plin. lib. 6. *nec vltra aliunde.* id eſt, nuſquã aliunde, οὐκ ἄλλοθεν, οὐδαμόθεν, ſiue ἄλλοθεν ποθεν, id eſt, aliunde cumque. *miles ſagit.* κατ' ἐξοχὴν, pro Italo milite. *Parthi.* qui inter fugiendum poſt terga iaculantur, incautóſque iaculis conficiunt ſubſequenteis, qui ſe viciſſe crediderant. *ſed improuiſa.* γνώμη ἐπιλογικὴ de ineuitabili fato, incerto tamen & occulto. *genteis.* τὰ ἔθνη, hoc eſt, genus humanum populúmve, plebeiúmve, ſine delectu, marémve feminámve. *quàm penè furuæ.* ἀναθέσεις παθητικὴ, propter arboris in ſuum caput inexpectatum caſum, ſubindicans à ſua perſona, tum maximè nobis eſſe vigilandum, ne mors incautos nos opprimat, quando tuta nobis omnia maximè pollicemur. per regna Proſerpinæ lectorem præparat, neſcio quo modo, ad narrationem cuiuſdam quaſi inſomnij. *furuæ.* funeſtæ, quaſi funere & cæde gaudentis: furuus enim color triſtis eſt, & aſpectu ingratus, qualis eſt cruoris. *regna Proſerpinæ.* Virg. Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti. *Æacum.* Plutarchus in Theſeo Græcorum pietate & religione virum præſtantiſſimum fuiſſe ſcribit: fuit autem Iouis & Aeginæ filius, à poëtis fingitur inferorum ianitor. Lucia. in Dialogo Menippi & Aeaci, οἶδα ταῦτα καὶ σὲ, ὅτι πυλωρεῖς, id eſt, noui hæc, & te quòd ſis ianitor: primus enim in ingreſſu ad inferos iudex erat, & per hunc damnatorum locum denotat. *ſedeiſque deſ.* ſignat campos Elyſios, Heſychio quaſi οὐ λύσεις, ὅπου οὐ διαλύονται ἀπὸ τῶν σωμάτων αἱ ψυχαὶ, id eſt, vbi non liberantur à corporibus animæ. Virgilio. Inſulæ nemorum fortunatorum. diſcriptas habent 2. cod. Bland. alter purè, alter cum litura. Matt. deſcriptas. alij omnes, diſcretas. iudicet lector. ego diſcriptas ſeruandũ puto. *querentem Sapphô.* Leſbiis Ereſſiis: nimirum quòd ſibi in amore non reſponderent: Nam poſt mortem Cercolæ mariti, tanta infamia promiſcuè nunc pueros arſit nunc puellas, vt vulgò Tribas ſit nominata: quo nomine quoque ab Horatio maſculam dictam credo. fuere autem puellæ ab ea adamatæ tres, auctore Suida, Atthis, Teleſilla, & Megara: ſed plures ab aliis recitantur, Pyrino, Mnais, Anactoria, Cydno, Cyrene, &c. *ſonantem plec.* De Alcæo Leſbio poeta lyrico ſic Sappho apud Ouid. Nec plus Alcæus, conſors patriæq́. lyræq́. laudis habet, quãuis grãdius ille ſonet. *aureo Alc. plectro.* Quintil. lib. 10. Alcæus, inquit in parte operis, aureo plectro

ctro meritò donatur, quia tyrannos inſectatus eſt &c. aureo itaq. propter libertatem aureā populi, quā ipſe tutari conatus eſt. ode 9. lib. 4. *vtrumq. ſacro digna ſilentio.* hic locus multo antè tempore me tenuit occupatum, vt iam ante annos ſedecim teſtari poſſunt auditores mei, quàm Lambinus erotemata ſua de ſacro ſilentio euulgaret, quæ certè propter vmbras minimè probari mihi poterāt, ad quas hoc ſilentium directum eſt. Quare ab antiqua mea ſententia non diſcedens ſic hunc locū interpretor: vmbræ mirantur vtrumq. Sapphonem, putà, & Alcæum canere digna, id eſt, grata, audituq. iucunda ſacro ſilentio, id eſt, ſilentū ſacro auditorio, hoc eſt, diis manibus, vmbriſq. ſilentibus: ſilentium autē dictum eſt pro ſilentibus, quo modo tutum præſidium dicere ſolemus pro præſidiariis qui nos tutantur. ſic ſacrum ſilentiū, id eſt, dij manéſq. ſilētes qui ſacri ſunt & admirandi, *ἱεροὶ*. Ouid. 15. Metamor. cœtus dixit & ſedeis ſilentum. Faſtorum 5. Mox etiam lemures animas dixere ſilentum. Virg. 6. Aeneid. concilium ſilentū. *ſed magis pugnas & exact.* indicat Alcæi verſus, quibus tyrannis expulſis libertatem patrię reſtituit, vmbris fuiſſe gratiores amoribus Sapphonis. *denſum humeris volg.* hoc eſt, volgus vmbrarū robuſtiorum, minúſq. delicatarum: alludēs ad vmbras virorum militarium, quibus ferendis armis, vallis, paliſq. validiores humeri fuerant robuſtioréſq. effecti: ij omnes auidius attentiúſque pugnas & bella decantari audiebant, vt queis in vita claſſico nihil fuerat antiquius. at vmbræ molliores, eorum qui vitam peregerāt omnibus in rebus delicatulam, magis amatoriis verſibus oblectabantur à Sapphone decantatis. *quid mirum.* argumentū à maiori: Nam ſi Cerberus demittat ſuas aureis, & carminibus, feritate depoſita, mulceatur, quanto magis vmbræ, &c. *bellua centiceps.* Cerberus Sophocli in Trachiniis dicitur *ἅδου τρίκρανος σκύλαξ*, id eſt, Orci triceps canis. Ille fame rabida tria guttura pandit. Heſiodo verò *πεντηκοντακάρηνος*, id eſt, quinquaginta capitum. hic autem dicitur cēticeps: ſed apud hos arbitror numerum finitum pro infinito poſitum, idq. propter angueis à capite ipſius loco crinium dependēteis, quod mihi parùm probatur: crediderim potius ab etymologica compoſitione natam eſſe multitudinem capitum varietatémque; videtur enim Cerberus dici quaſi *κῆρα φέρων*, per metatheſin & ſyſtolen, fatum ferens: ſicut *βερονίκη* ſeu *βερενίκη* lingua Macedonum, pro *φερονίκη*, lingua communi, quaſi ferens pacem: Nam & *βίλιπποι* pro *φίλιπποι*, dicunt Macedones. itaque cùm alij alio mortis genere deſcendant ad Orcum, Cerberus primùm dictus eſt triceps à triplici mortis genere, nimirum naturali, violento, & fortuito, quæ tria rurſus cùm ſint innumera, locum dedere poëtis vel plura affingendi Cerbero capita, vel pauciora. *atras aureis dem.* deſinit iraſci, horrendóq. latratu maneis territare, ſopitúrq. lyræ dulcedine. *intorti capillis Eum.* Eumenides ſunt furiæ tres infernales, *ἀληκτὼ, μέγαιρα, τισιφόνη*, ſic nominatæ ab Athenienſibus, *κατ' εὐφημισμὸν*, id eſt, propter boni ominis captationem, *εὐμενὴς* namq. ſignificat placidum, benignum. Sūt enim *ἐριννύες* deæ vltrices flagitiorum, horrendæ aſpectu propter capillos capitis ſerpentibus intortos, quę flagellis & facibus impios ſceleratóſq. infeſtāt. vide Phornut. *quin & Prometheus.* exornatio ſacri ſilentij. *dulci laborum decip. ſono.* ſi τὸ laborum ſpectat cruciatum apud inferos, non abſurdè, vt arbitror, erit helleniſmus, decipitur laborum, id eſt, obliuiſcitur pœnarum dulci ſono lyræ. At ſi τὸ laborum notet ea quæ Prometheus vel Tantalus geſſit in vita, vel ipſemet Alcæus quoque in patria libertate tutanda, malim ſic exponi: Prometheus ſeu Tāntalus decipitur, id eſt, obſtupeſcit, & quaſi eſt extra ſe dulci ſono laborum quos in vita tolerauit: Sic & Orion deſinit meminiſſe ſuæ venationis qua mirificè delectatus in vita fuerat, ad dulcem lyrę ſonitum: Nihil enim magis vmbras apud inferos cruciare ſcribit Lucianus quàm memoriam *τῶν ἄνω*, id eſt, earum rerum quibus in viuis gaudebant apud ſuperos. τὸ laborem, vt habet Lambinus, in nullis ſcriptis inueni. Promethei autem & Orionis fabulas videre eſt apud Phornutum & Palæphatum. *lyncas.* Lynx ex genere luporum ceruariorum eſt maculoſa fera, de qua Ariſtoteles, Plin. lib 8. ca. 38. Oppian. de venation. lib. 2. *λύγκας βαλιαὶ* lynces maculoſi, Euripidi.

AD POSTVMVM: DE vitæ breuitate mortiſque neceſſitate.

Ode XIIII. *παθητικὴ καὶ προσφωνητικὴ, καὶ λεσχητικὴ.*

EHEV fugaces, Poſtume, Poſtume,
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & inſtanti ſenectæ
Afferet, indomitæq; morti.
Non ſi trecenis, quotquot eunt dies,
Amice places illacrymabilem

Pluto-

Plutona tauris: qui ter amplum
Geryonem, Tityonq́; triſti
Compeſcit vnda, ſcilicet omnibus,
Quicumque terræ munere veſcimur,
Enauiganda, ſiue reges,
Siue inopes erimus coloni.
Fruſtra cruento Marte carebimus,
Fractiſque rauci fluctibus Hadriæ.
Fruſtra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.
Viſendus ater flumine languido
Cocytus errans, & Danai genus
Infame, damnatúſque longi
Siſyphus Aeolides laboris.
Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor: neque harum, quas colis, arborum
Te præter inuiſas cupreſſos
Vlla breuem dominum ſequetur.
Abſumet heres Cæcuba dignior,
Seruata centum clauibus: & mero
Tinget pauimentum ſuperbo,
Pontificum potiore cœnis.

COMMENTATOR.

EHEV *fugaces, Poſtume Poſtume.* Metrũ duobus verſibus Alcai. tetr. iamb. dimet. hypercat. quart. Pindar. Patheticè queritur apud Poſtumũ de vitæ breuitate, quódq. nullus quantumuis iuſtus vel pius mortem poſſit euadere, nec imminẽtem mora quantacũq. differre: itaq. dicit ſuperuacuè timeri, quod non poteſt euitari. *fugaces.* celeres. *labũtur.* fugiunt. vt, ſed fugit interea, fugit irreparabile tempus. *pietas.* etiam ſi pius fueris. *moram.* tarditatem. *rugis.* pelli rugoſæ. *inſtanti.* vrgenti. *indomitaq́ morti.* inexorabili, quaſi ferociſſimæ, à qua nemo exoret indulgentiam. ſic & illacrymabilem poſtea Plutonem ſubiungit. *quotquot.* per ſingulos dies, quotidie. *eunt.* tranſeunt, prætereunt. *places.* exores dolore mortis. *illacrymabilem.* durum, implacabilem, qui nulla hoſtia ne diurna quidem placari poſſit: nam homines nulla ratione mortem vitare poſſunt. *ter amplum Ger.* trino corpore monſtroſum, quem Hercules interemit. Virg. Geryone extincto Tirynthius attigit arua. &, ter gemini nece Geryonis. ordo eſt: qui compeſcit ter amplum Geryonem & Tityon triſti vnda omnibus enauiganda, quicumq. veſcimur terræ munere, ſiue erimus reges, ſiue erimus inopes coloni. *triſti vnda.* inferna. Virg. triſtiq. palus innabilis vnda alligat. *enauiganda.* quia omnibus eſt moriendum. vt, nauita ſed triſtis nunc hos, nunc accipit illos. *compeſcit.* coërcet. *quicumq terr. mun.* qui nati paſcimur. *inopes.* pauperes, quaſi ſine opibus dicti. *colonι.* propriè dixit. nihil enim quàm terram colimus, non diutius nobis propriã aut noſtram quam colimus. *fruſtrà.* incaſſum. *cruento.* horrido. id eſt, fruſtrà vitamus pugnas & nauigationes, & peſtiferum timemus autumnum, cùm neceſſe ſit omnibus mori. *fractiſq.* colliſis, tempeſtuoſis. Virg. quibus omnis ab alto frangitur, inq. ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos. *rauci.* ſonori, tempeſtuoſi: propter raucum ſonum quem efficit vnda in ſcopulos incidens. vt Virg. tum rauca aſſiduo longè ſale ſaxa ſonabant. *metuemus Auſt.* Auſtro enim flante in ipſo autumno varij morbi generãtur: vnde & Iuuenal. iam letifero cedente pruinis autumno. *viſendus at.* videbimus vmbras damnatorum, quas beati quidem prætereunt, ſcelerati verò nequaquam, ſed eis adiunguntur. *languido.* triſti, ſiue deformi, aut pigro. *Cocytus errans.* flexuoſus. vt, Cocytuſq. ſinu labens circumuenit atro. *infame.* famoſum à facti crimine: Danai enim filiæ vna nocte iuſſu patris occiderunt ſuos maritos. vnde Virg. ſub vna nocte iugali cæſa manus iuuenum. hinc pro vltione criminis apud inferos vrnis pertuſis aquam indefeſſè perhibentur haurire. *damnatúſq. longi.* damnatus laboris dixit, ſicut damnatus capitis vel iniuriarũ. hæc autem pœna apud inferos manere Siſyphum dicitur, vt ſaxum contra mõtis verticem voluat, quo ſemper relapſo, finem numquam mereatur laboris: de quo Virg. Saxum ingens voluunt alij: Tali autem pœna punitur, quod Aeginam Aſopi filiam Iupiter adamatam, & clam cuſtodiæ patris ſurreptam Siſypho eſt confeſſus: quod factum Siſyphus humana leuitate cùm tacere non poſſet, patri filiam quærenti dixit, eámq. prodidit. *linquenda tellus.* morientibus, à quibus & dulces relinquũtur affectus. *neque harum.* ordo eſt: neque vlla harum arborum quas colis ſequetur te breuem dominum præter inuiſas cupreſſus. *inuiſas.* rogis & luctibus conſecratas. Virg. & ferales ante cupreſſus conſtituunt. &, Cæruleis mæſtæ vittis, atráque cupreſſo. *breuem dominum.* parui temporis. vt breue lilium. *abſumet hæres.* hæc inuectiuè dicuntur in eos qui nimia parſimonia conſeruant ea quæ hæredes prodigè conſumunt. Iuuenal. vt locuples moriatur egentis viuere fato. *dignior.* honoratior, amabilior. *tinget.* madefaciet, perfundet. *pauimentum.* ſolum triclinij.

potiore. meliore quàm pontifices bibunt in deorum conuiuus. *ſuperbo.* pro ipſe ſuperbus, per hypallagen.

CRVQVIVS.

EHeu *fugaces, Poſtume.* A fuga temporis, mortiſq. neceſſitate, quã non virtus exorare, non robur corporis, non potentia, denique nec ipſa deorum progenies euincere potuit, ſuadet Poſtumo, vt in ætatis vigore, metu mortis neglecto, quo modocumq. tandem ea contingere poſſit, ne ſit animo tam puſillo, vt ſuis vti bonis non audeat, vinóque hilariter indulgere genio, quod tam ſollicitè ab eo conſeruatum, ſuus hæres aliquãdo tam turpiter ſit magnificè comiſſando profuſurus, adeò vt pauimenta, parietes, atria, domus denique tota vino madeat, vinum redoleat. *Eheu.* dolentis, οἴμοι. Exordium patheticum cum Anadiploſi ad affectum maiorem. *fugaces anni.* pro genere ſpecies, anni pro tempore, ſynecdochicôs, ſed tempus aliis quidem fugax eſt, aliis verò tardum: ſunt enim πρός τι: ſicut breue & longum. hinc eſt illud Publiani, ô vita miſero longa, fœlici breuis! *pietas.* innocentia, & quæ Græcis εὐλάβεια propriè nominatur. Stoicis autem εὔλογος ἔκκλισις, id eſt, cautio & declinatio cum ratione, quæ hic nullum locum habet: non enim cautio, non ratio aut ſenium retardare poteſt, aut indomitam mortem ſuperare. *non ſi trecenis.* non remoraberis ſenectam, non cunctabis mortem, etiamſi ô, amice Poſtume, places, id eſt, tibi propitium reddere ſtudeas Plutonem quotidie oblatis victimis innumeris. hæc autem eſt altera pars τῆς εὐλαβείας, quæ naſcitur à metu mortis: in malis enim fugiendis, vbi rationi non eſt locus & prudentiæ, ad alia conſilia remediáq. confugere ſolemus: Quod ſi nec ea nobis proſint, iam conclamatum eſt. Sic Cic. 4. Tuſcul. A malis natura declinamus, quæ declinatio ſi cum ratione fiet, cautio appelletur; quæ autẽ ſine ratione, metus. Codex vnus Bland. habet trecenis; quem ſequor: alij omnes tricenis, præter Maldeg. qui habet, trecentis. *qui ter amplum Geryo.* amplificatio à maiori. de Geryone, vide Palæphat. & Apollod. lib. 2. *Tityónq.* de Tityo Iouis ex Elara Orchomeni filia nato, magnitudinis immenſæ, atq. ab Apolline interemto, propter Latonam abreptam, cuius ob id facinus apud inferos cor perpetuò vultures depaſcuntur, vide Apollod. lib. 1. *triſti vnda.* periphraſis etymologica Stygis, ἀπὸ τοῦ στυγεῖν, τὸ λυπεῖσθαι, id eſt, triſtor. *ſcilicet omnib.* γνώμη, à communi lege naturæ, qua morti debemus nos noſtráq. *terra munere.* hinc terra dicta Ceres eſt Cic. 2. de nat. deor. quaſi Geres, à gerendis fructibus, quibus veſcimur. & Græcè δημήτηρ, quaſi γῆ μήτηρ. hinc eſt illud Orphei quoque in hymnis, γῆ μήτηρ πάντων, δημήτηρ πλουτοδότειρα. *fruſtrà cruento Mart.* vult in vita nihil eſſe metuendum propter mortis neceſſitatem, non bella, non maris vndas, non morbos; & proinde nihil nobis obeſſe ad lætitiam: Quod omnino ſapit Epicurum; qui hoc quoque non ſine ſuos interdixit reipubl. muniis ſuſcipiendis, ne qua moleſtiæ parte voluptas interturbata periret, ſed vt eſſent ſolum fruges conſumere nati, kinderkens ſonder ſorge, enfans ſans ſoucy. *fluctibus Adria.* vide Adag. iracundior Adria. Arbitror autẽ (pace Eraſmi) Mare Adriaticũ Aquilone potiſſimum in ipſum incumbente non minus eſſe tempeſtuoſum & ſcopulis infame, quàm hoc noſtrum Britannicum. *autumnos nocentem.* autumnalis Auſter κατ' ἐξοχὴν ponitur, ſemper enim corporibus, arboribus, floribus, ſatis Auſter eſt peſtifer & noxius; ſed propter poros corporis æſtiuis calore patenteis, cibúmq. minus ſolidum, herbarum terræque fructuum, quæ plus corpus humectant, quàm nutriunt & corroborant, Auſter in autumno eſt periculoſiſſimus. *viſendus ater.* neceſſitatis fatalis amplificatio poëtica, ab inferorum damnatorúmq. locis. *Cocytus.* κωκυτὸς, lamentatio, luctus, ploratus: quo nomine vocatur fluuius apud inferos ex Styge habens ortum: Quod idcirco à poëtis fingitur, quia mœroris comes eſt, luctus & ploratus; ἀπὸ τοῦ κωκύζω ἢ κωκύω, ploro, lugeo: quod verbum ficticium eſt ad Galli vocem. *Danai genus.* filiæ 50. Danaides dictæ à patre Danao. Beli, ex Anchinoe Nili filio, à quo & Belides ab auo nuncupatæ. Apollod. lib. 2. *longi.* æterni. *Siſyphus.* Siſyphus Aeoli ex Enarete Deimachi filius, Ephyra condita, cui poſtea Corintho nomen fuit, ex Merope Atlantis Glaucum genuit, qui ex Eurymede Bellerophontem Chimæræcidam ſuſcepit. Apollod. lib. 1. *linquenda tellus.* Amplificatio pathetica ab effectu, quem duce natura propenſionéque quam habemus erga patriam, familiam, vxorem, liberos, & agros hortóſq. noſtros, à quibus non ſine magno dolore per mortem auelli neceſſe eſt. qua de re legito perquam facetum Charontis & Menippi Dialog. Lucianicũ. *cupreſſus.* κυπάρισσος, παρὰ τὸ κύειν παρίσους τοὺς ἀκρεμόνας. de huius autem arboris natura conſule Plinium, & ex eo in Chiliad. legito adag. Cypariſſi fructus. Quòd autem hęc arbor in ſignũ funeris ante ædeis diuitum ſolita ſit poni, ſignificabatur hæc vita ſemel amiſſa numquã recuperari poſſe: Nam cupreſſus ſucciſa ſemel, numquam regerminat. Ad hunc autem ritum alludit Ouid. de Cypariſſo puero in cu-

in cupreſſum mutato, ingemuit triſtiſq. Deus, lugebere nobis, lugebiſq. alios, aderiſq. dolentibus, inquit. Quòd cupreſſus ante ædeis diuitum tantum poni ſit ſolita teſtatur hic verſus Lucani, Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus: ita verſus à quibuſdam exponitur, ſed neſcio an rectius, τὸ non plebeios, per litoten explicabimus, id eſt, ingenteis luctus. *abſumet hær.* diſſuadet in conſeruandis opibus nimiam ſollicitudinem ab hærede digniore, id eſt, luxurioſo, lepidioréq. futuro. *abſumet.* alludit ad verbum δαπανᾷν, τὸ λαμπρῶς ζῆν καὶ σπαθᾷν, id eſt, ſplendidè viuere & helluari; iccirco apponit *dignior*, id eſt, commendatior omnibus & plauſibilior te ob luxum magnificentiámque; & per antiphraſin, tanto te melior in profundendo, quanto in congerendo tu fueris auidior. ita namque ferè natura comparatum eſt, vt qui in coaceruando ad contemtum vſq. vileſcit, is nanciſcatur hæredem in diſſipando te multò digniorem, hoc eſt, κατ' ἀντίφρασιν modis omnibus viliorem nequioremq. *tinguet.* hoc eſt, non madefaciet modò, verum etiam diuturna continuáq. profuſione ita inficiet, vt neque color, neq. odor, vini poſſit elui. alludit ad verbum βάπτω, imbuo, immergo. tinguet habent cod. Bland. *pauimentum.* de variis pauimentorum generibus, lithoſtrotis, ceroſtrotis, aſarotis, barbaris, Pœnicis Plin. lib. 36. cap. 25. *ſuperbum.* magnificum. ſuperbo, habent omnes lib. ſcripti ſine vlla litura; Lambinum tamen exprimo, veteribus, vt ait, aliquot libris fretum: quod profectò non facerem, niſi viderem eam lectionem ſatis eſſe vero conſonam. diſpiciat lector doctus. *pontificum.* hæ pontificum cœnæ dictæ ſunt adiciales, ſiue adipales, quando, putà, ad ſacerdotum collegium noui admiſſi inaugurabantur, eo die auguribus, pontificibus, regi ſacrorum, & Veſtalibus virginibus opiparæ cœnæ magnificè apparabantur.

IN SVI SÆCVLI LVXVM.

Ode XV. μιμητική.

I A M pauca aratro iugera regia
Moles relinquent: vndique latiùs
Extenta viſentur Lucrino
Stagna lacu, platanúſque calebs
Euincet vlmos. tum violaria, &
Myrtus & omnis copia narium
Spargent oliuetis odorem,
Fertilibus domino priori.
Tum ſpiſſa ramis laurea feruidos
Excludet ictus: non ita Romuli
Præſcriptum, & intonſi Catonis
Auſpiciis, veterumq; norma.
Priuatus illis cenſus erat breuis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata priuatis, opacam
Porticus excipiebat Arcton:
Nec fortuitum ſpernere ceſpitem
Leges ſinebant, oppida publico
Sumtu iubentes, & Deorum
Templa nouo decorare ſaxo.

COMMENTATOR.

I A M *pauca aratro iugera.* Metrum Alcaicum, quale præcedens proximum. Antiquorum hic ſeueritatem & continentiam laudat, & queritur de ſui luxuria ſæculi; quo tanta omneis inuaſit ædificandi libido, vt ædificia latius porrigendo, vel amœnitatis aſpectum captando, breui dicat agros arationi defuturos. *moles regia.* ædificiorum amplitudines magnitudinéq. e. *vndique*: ex omni parte. *latius.* in latitudinem. *extenta.* producta ſtagna. *platanúſque cal.* plures, inquit, erunt platani quàm vlmi, quæ infrugifera magis ad amœnitatem de ambulationis poni ſolent. *calebs.* ſterilis. *vlmos.* quæ ad vtilitatem viribus maritari poſſunt. *euincet.* ſuperabit. *tum violaria.* notat luxum ſui temporis, quòd myrtus & violaria anteferantur oliueris, plúſque odorum copia, quàm fructus amentur. *copia narium.* luxus odorum. *domino priori.* quia præſenti nulla cura eſt fertilitatis. *ſpiſſa.* aut ad excludendos vmbra ſua ſolis ardores, aut quòd feruidis fulminum ictibus credebatur eſſe contraria. *laurea.* laurus. *ictus.* ſolis aut fulminis. *non ita Romuli.* contra maiorum laborioſam frugalémque vitam Romuli & Catonis dicit luxum eſſe præſentem. *præſcriptum.* inſtitutum, præceptum: à magiſtris ludi tractum videtur, qui præſcripta dant pueris quæ imitentur. *intonſi.* quia dicebat iniuriam fieri naturæ, ſi quod tegumento capitis datum fuerat, amputaretur. vnde & Lucanus, intonſos rigidam in frontem deſcendere canos paſſus erat. *auſpiciis.* legibus. *norma.* pro recta

vitam

vitæ via: metaphora à fabris qui normam vocant ad quod opus dirigunt. *priuatus.* proprius. *commune mag.* res communis erat illis magna. vt, in commune bonum: ita commune magnum. *decempedis.* decempeda regula eſt decem pedum, ad quos artificibus fabricæ menſura colligitur. *porticus.* id eſt, nulla priuatis domus erat, quæ porticum haberet tantæ latitudinis, vt poſſet ſufficere vmbram, ſole vicino ſeptemtrionali plagæ, tunc enim paruiſſimæ ſunt vmbræ: Nam hiemali tempore latiſſimas etiam porticus ſolis occupat radius: & icciroo veteres ad cæli clima temperatum porticus ſeu ædificia conſtituebant. vnde & Iuuenal. de membro hiemali; & algentem rapiat cœnatio ſolem. *metata.* menſurata, diſpoſita: Nã metari dicebantur caſtrà, magna cúra ducum peritiáq. conſtitui, quod augmentum luxus ædificio priuato dedit, ita vt metari porticum diceret. *fortuitum.* ſine labore partum inuentúmq. hoc eſt, non licebat aut neglectum horrere, aut ridere eum qui ſuper herbam recumberet aut dormiret: per quod ſignificat ſimplicem ac ſine ambitione vitam veteribus Romanis fuiſſe, nec magna cura opes priuatas deſideraſſe, dum ſtudium omne publico ornatui impenderetur & templis. *nouo.* pulchro.

CRVQVIVS.

IAM *pauca aratro iugera.* Vehementer inſurgit in mores ſui ſæculi luxu perditos, quando profusè Romani in ſtructuras ingenteis, latiores piſcinas, hortos floridos, topiariáque totis viribus propendebant: quem luxum, immoderatúmque ſumtum negat eos à maioribus accepiſſe, à quibus degenerare vt minus eſt humanum, ita certè non minimam continet ingratitudinis notam: Quid enim eſt aliud, eorum qui vitę auctores fuere, pręcepta bene viuendi non ſequi, quàm eos habere neglectui? qui non amplum cenſum priuatum, publico præponendum, non vmbroſas in omnem cæli faciem ſeptemtrionemque porticus producẽdas, denique non à maioribus relictum hæredio lum ſpernendum, ſed omnem vitæ conatum ſtudiumque docuerunt in ciuitates oppidáque publicè conſtituenda exornandáque impendendum, deorumque templa nouo opere decoranda. *iam pauca aratro.* deplorat Romanos ſumtuoſis ædificiis operam dare, contra maiorum præcepta inſtitutáque; ij namque deuictis hoſtibus, rę́q; publica in tuto conſtituta, ne perirent otio inuidiáque, colebant agros vſui neceſſarios. Ceterùm lectorem celatum nolui, hanc oden à ſuperiori indiuiſam legi in codicibus Blandiniis. *aratro.* arationi, culturæ, ſementi. *regiæ moles.* moles regias interpretantur alij domos & ædeis regibus dignas, magnificas, ſuperbas & ſplendidas, in quibus luxus ſummus eſt. Ego certè per moleis intelligere malim ſtructuras operoſas & ſumtus infiniti, qualeis non quiuis è populo, ſed reges, potentiſſimiq; principes ferre poſſint: Quale eſt illud ad Piſones: Siue receptus terra Neptunus claſſeis Aquilonibus arcet Regis opus &c. ſic hoc loco moles regiæ ſiue opera regia ſunt aggeres altiſſimi latiſſimiq; ſtagnis oppoſiti: muri vndis obiecti: clauſtra ſtagnandis aquis peró; tubos deducendis idonea, vbi contracta, vt ait, piſceis æquora ſentiant iactis in altum molibus. teſtatur hocipſum Valer. Max. de C. Sergio Orata, qui ne gulam Neptuni arbitrio ſubiectam haberet, peculiaria ſibi maria excogitauit, æſtuariis intercipiẽdo fluctus, piſciumque diuerſos greges ſeparatis molibus includendo &c. inſuper ad opacitatem porticus regiæ decempedis metatæ, ſeptemtrionalem vſque protenſæ, ad proſpectus amœnitatem in ſublime erectæ: his adiuncta dirutis vinetis, plataneta; horti floridi pro oliuetis maiorum: ex lauris fruticibúſq; odoriferis topiaria in ſuas areas deambulationis ergô, nec non ad vmbras captandas, ſumtu regio digeſta: has, inquam, nomino moleis regias arationi relinquere pauca iugera: Quando ſuos agros certatim ſinguli, more regio, & hortum, maiorum ſuorum ſuccidiam alteram, conuertere ſtudent in ſtagna latiora, viuaria, piſcinas & opacos hortos amœnóſque. *vndique viſentur.* ex omnibus locis concurretur ad videndum. ſic hunc locum ordinãdum crediderim: Vndique viſentur ſtagna extenta latius lacu Lucrino. quæ omnia faciunt ad hyperbolen, ad execrandum luxum plus ferè quàm regium in ſtagnis & hortis ſtruendis, qui nimis effusè fiebat paſſim à ciuibus Romanis. *Lucrino lacu.* Strabo lib. 5. Lucrinus verò ſinus, inquit, vſque Baias latitudinem, qui exteriori pelago per aggerem longitudinis ſtad. octo, latitudinis autem vnius orbitæ arcetur &c. ſed C. Iulius Cæſar decreto ſenatus brachiis quibuſdam excluſit, eam maris partem, quæ ſuo quandoque æſtu, piſcium redemtoribus erat damnoſa: Seruio teſte ad eum locũ Virg. Georg. an memorem portus Lucrinóque addita clauſtra. &c. *platanúſq. cælebs.* hoc eſt, ex vinetis vtilibus, à maioribus multo ſtudio conſitis, fient plataneta, iucunda quidem & opaca deambulantibus, ſed ſine vllo fructu. *cælebs.* nõ coniugata vmquam vitibus, nec ad hoc vtilis, propter ramorum & frondium opacitatem. *vlmos.* per vlmos intelligo vineta: gaudent enim vites vlmis maritari. Plin. lib. 16. cap. 17. inter has atque frugiferas, inquit, materie, vitiúmque amicitia accipitur vlmus, &c. hunc legito & Terent. Varronem

lib. 1.

lib.1.cap.8. *tum violaria.* Plin.lib.21.cap.4.iam quidam, inquit, hortorũ nomine in ipſa vrbe delicias, agros, villasque poſſident, primus hoc inſtituit Athenis Epicurus hortorum magiſter: vſque ad eum moris non fuerat in oppidis haberi rura: Romæ quidem per ſe hortus ager pauperis erat, ex horto plebeij macellum, quanto innocentiore victu? &c. hunc itaque herbarum hortum, qui maioribus quidem fuerat altera ſuccidia, deplorat Horatius conuerti voluptatis gratia in hortos coronarios, violaria, myrteta, roſeta, omníſque generis herbarum florúmque, quæ naribus odorum copiam ſuppeditent. de floribus Plin.lib.21. cap.vndec. In Italia, inquit, violis ſuccedit roſa, huic interuenit lilium, roſam cyamus excipit, cyamum amarantus, nam vnica peruinca ſemper viret, &c. *oliuetis.* hoc eſt, iis in locis vbi oliuæ creſcebant antea, vnde oliueta ſunt dicta. *domino priori.* hoc eſt, maioribus vtilia fructu, iam ſunt horti floridi voluptatis odoríſque gratia. *myrtus.* non opus eſt hic metri cauſa, vt notat Glareanus, dicere, myrtúſq;, eſt enim myrtus numeri pluralis quartæ inflexionis. de qua re vide Soſipat. Chariſ. lib. 1. inſtit. Grammaticæ. *tum ſpiſſa ramis.* hæc ad hortos operis topiarij pertinent ex lauro & id genus aliis fruticibus, qui gradatim modicis interuallis inflecti, annectíq. & cancellatim pangi poſſunt: quod de Idæa lauro Plin. lib. 15.cap.vlt. ramos, inquit, ſpargit à radice dodrantaleis, topiarij ac coronarij operis, folio acutiore quàm myrti, molliore & cãdidiore, maiori ſemine inter folia rubro. Sed de hac lauro quidẽ flexili, Italia locíſque calidioribus non omnino temere conſtrui poſſunt; verùm in Belgica noſtra non perinde, vt quæ frigoris impatiens non raró aduritur. *laurea.* Laurea propriè eſt folium ipſius lauri. *ictus.* ſol namque ſuis radiis feruentius in caput incidens, meridianus potiſſimum, laxat, reſoluit & emollit. hinc vertigo capitis, oculorum caligo, & præter alia corporis incommoda, ſumma cerebri noxa prouenit, nec minor offenſio neruorum. Commentator videtur hic propendere in eam ſententiam, vt ictus feruidos fulguris laurea velit impediri; quod etſi nõ ſit à vero diſſentaneum, tamen alia interpretatio multo ſanior eſt. Plin. autem lib. 15. cap. vlt. lauream non ici fulmine ſcribit: & quia manu ſatarum, inquiens, receptarúmq. in domos, fulmine ſola non icitur, ob has cauſas equidem crediderim honorem ei habitum in triumphis, &c. *non ita Romul.* Caſtigatio Romanæ luxuriæ ab auctoritate & inſtitutis maiorum, apud quos religio erat inauſpicato quicquam fieri citráq. modum. *intonſi Catonis.* Epitheton ſeueritatis & continentiæ. *veterúmque norma.* norma, vt à Valla vertitur Græcè propriè dicitur γνώμων, ſtylus qui medio ſtans amuſio ad ſolis vmbras indicat horas; qui & σκιαθήρας nominatur. vide Vitruuium in architect. lib. 1. cap. 6. at hic norma vitæ recta ratio eſt, & lex naturæ, quæ luxum fugitans gaudet omnibus in rebus mediocritate. *priuatus illis.* expoſitio à comparatione boni proprij, quod maiores propriè negligebant ad commune bonum ſeu publicum, quod nihil quàm ſtudebant amplificare & ornare. *priuatus cenſ. bre.* propriè facultates & copiæ erant exiguæ, quibus pluſquam contenti bene beatéq. viuebant, omni cura in amplitudinem magnitudinemque communem collata. Cenſus breuis, μικρὸν τίμημα: vnde cenſores dicti, quód rem ſuam quiſq. tanti ſolitus ſit æſtimare, quantum illi cenſuerint. Feſtus. vide Aſconium in de diuinat. Cic. & eiuſdem lib. 3. de legibus. *decempedis metata.* quę porticus centenariæ & millenariæ dicebantur à longitudine paſſuum. Sed de variis porticibus vide Alex. ab Alexandro lib. 5. cap. 23. Item Vitruuium lib. 5. cap. 9. & vndec. de duplicibus & ſtadiatis porticibus. hic notato hypallagen, decempedis priuatis, pro porticu priuata, metata, ſeu dimenſa decempedis. *porticus excipiebat.* Porticus antiquo more, pro portu ſeu domo; maiores enim non amplis magnificíſque, ſed anguſtis ædibus gaudebant. *Arcton.* vrſam, aſtrum, pro plaga cæli ſeptemtrionali. *fortuitum.* fortuitum pęnult. longa pronunciandum eſt, ſicut gratuita in illo Plauti Ciſtell. At pol ille quidem, mulier in nulla opera gratuita eſt. *ceſpitem.* ceſpes, Feſto auctore, terra eſt in modum lateris cæſa, cùm herba ſiue frutex reciſus & truncatus eſt, χορτόπλινθος, χορτόβωλος πλίνθος. hic autem per μείωσιν accipiendum puto ceſpitem pro hærediolo à maioribus relicto, in quo acquieſcere, non etiam id dilatare legibus cautum erat: quem Saty. 2. lib. 2. nominat agellum metatum: & ſequenti ode, parua rura. quæ ſpernere, id eſt, ampliare leges & inſtituta patrum non ſinebãt: Quid enim eſt aliud quàm ſua quodammodo ſpernere, in ijs non acquieſcere, aut ijs contentum more maiorum viuere non frugaliter, quæ fortuita ſunt, vt hic ceſpes ſiue agellus, & quæcumque à maioribus hæreditario iure ad poſteros perueniunt? videto adnotata in Saty. 6. lib. 2. *oppida publico.* lex xij. tabul. Salus populi ſuprema lex eſto.

AD POMPEIVM GROSPHVM omneis optare otium & vitam tranquillam.

ODE XVI. ὑποθετική.

OTIVM *Diuos rogat in patenti*

Prenſus Aegæo, ſimul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.
Otium bello furioſa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Groſphe, non gemmis, neque purpura venale, nec auro.
NON *enim gazæ, neque conſularis*
Summouet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volanteis.
VIVITVR *paruo bene, cui paternum*
Splendet in menſa tenui ſalinum:
Nec leneis ſomnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.
QVID *breui fortes iaculamur æuo*
Multa? quid terras alio calenteis
Sole mutamus? patriæ quis exſul
Se quoque fugit?
SCANDIT *æratas vitioſa naueis*
Cura: nec turmas equitum relinquit
Ocyor ceruis, & agente nimbos
Ocyor Euro.
LÆTVS *in præſens animus, quod vltrà eſt,*
Oderit curare: & amara læto
Temperet riſu. NIHIL *eſt ab omni*
Parte beatum.
Abſtulit clarum cita mors Achillem:
Longa Tithonum minuit ſenectus:
Et mihi forſan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum, Siculæq; circum
Mugiunt vaccæ: tibi tollit hinnitum apta quadrigis equa: te bis Afro
Murice tinctæ
Veſtiunt lanæ. mihi parua rura, &
Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ,
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

COMMENTATOR.

OTIVM *diuos rogat in patenti.* Metrum Sapphicum cum dipodia. indicat hæc ode otium nemini non eſſe gratum & optabile: aſſeritq; à diis id homines ſtultè precari, cùm ipſi ſibi id præſtare poſſunt, ſi cupiditatibus modus ponatur, nullis prætereà diuitiis aut opibus parari poſſe. ordo eſt: ô Pompeij Groſphe ſimul vt atra nubes condidit lunam, neque ſidera fulgent certa nautis, prenſus in patenti Aegæo rogat Diuos otium non venale gemmis, neq; auro, neque purpura. *ſimul:* ſup. ac, hoc eſt, mox vt. *patenti.* lato mari & vbique diffuſo, ſine littoris alicuius aſpectu. *prenſus.* bene prenſus, quaſi nauigāti mare ſit inſidiatum cælo ſereno. *Aegæo.* Aegæum autē mare, ab Aegęo Theſei patre dictum putatur. *certa ſidera.* nota, aut certè fidelia, quorum claritudo pernox ſit, vt meritò eis credatur, id eſt, ſeptemtrio. vnde & Lucan. Miſeros fallentia nautas ſidera nō ſequimur, ſed quæ non mergitur vndis, Arcton. *otium bello.* optabile etiam dicit otium bellicoſis nationibus. *Thrace.* Thrax bellicoſus optat otium. *pharetra deco.* quia ſagittarum vſu & armorum ſplendore decori ſunt Medi. *non gemmis.* affirmat otium naturale animi bonum nullis poſſe diuitiis, vel honorum ſplendore poteſtatéue conquiri. *decori.* ornati. *gazæ.* diuitiæ. vt, Troia gaza per vndas. ſenſus verò eſt, quòd neque diuitiæ, neque honores ab inquietudine liberent, ſed ſemper laudata mediocritas. ordo autem eſt: non gazæ, non conſularis lictor ſummouet miſeros tumultus mentis & curas volanteis circum laqueata tecta. *lictor:* miniſter publicus: lictorem autem pro dignitate poſuit & honore publico ſeu magiſtratu qui otiū denegat. *miſeros tumultus.* non alibi grauiores curas eſſe demōſtrat, quàm vbi maiores ſunt opes. *curas.* ſollicitudines. *laqueata tecta.* laquearia. Virg. ſummiq; ferit laquearia tecti. laquearia autem dicūtur opera camerę in lacus collectæ: Virg. dependent lychni laquearibus aureis incenſi. *circumuolant.* diſcurrenteis. Virg. atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc, in parteíſque rapit varias perq́ue omnia verſat, ſicut aquæ tremulum labris vbi lumen aënis ſole repercuſſum aut radiantis imagine lunæ omnia peruolitat latè loca, iámque ſub auras erigitur, ſummiq; ferit laquearia tecti. *viuitur paruo.* approbat in paupertate beatè vitam agi. Luca. ô vitę tuta facultas pauperis anguſtique laris! *tenui.* paupere. *ſalinum.* pro vaſe fictili menſę pauperis poſuit. Iuuena. Sed nulla aconita bibentur fictilibus. propriè verò ſalinum eſt patella in qua diis primitiæ cum ſale offerebantur. *leneis.* quia tutis & ſecuris ſunt faciles. *cupido.* acquirendi auiditas. *timor.* pro cuſtodia cenſus. Iuuena. miſera eſt magni cuſtodia cenſus. *ſordidus.* quòd ſordidum reddit hominis animum. *fortes.* validi, laborioſi. *breui æuo.* victuri. *iaculamur.* appetimus. *alio calen. ſole.* ſic

Virg.

Virg. atque alio patriam quærunt ſub ſole iacentem. *quis exul ſ.* quis poterit à vitiis ſuis auaritiæ fugere, qui relicta patria, commigrat aliò propter diuitias acquirendas. *ſcandit aratas.* oſtendit neque mari neque terra militiáue poſſe quemquam curas ſuas effugere & ſcelera. *relinquit.* deſerit. ſenſus autem eſt, etiam in equeſtri pugna laborioſiſſima, non eſſe aliquem ſine ſuis curis. *ocyor.* velocior. *agente.* præcipitante. *lætus in præ.* plus præſenti lætitia dicit animum iuuari quàm ſpe futuri. *lento temp. riſ.* Philoſophicum præceptũ exhortans ad patientiam, vt aduerſa temperentur lætitia, & non minùs proſperis credatur, maximè cùm vita ſit incerta, nec pro voluntate ad omnia conſtet felicitas, nec ſint aduerſa continua. ſenſus autem eſt: aduerſa moderato, & hilaritate vitæ amaritudinem lenito. *clarum.* inſignem. *Achillem.* oſtendit duo inter ſe contraria exempla eorum qui opinione felices ſunt: Achilles enim virtute præclarus, cita morte periјt iuuenis; Tithonus verò maritus auroræ tardè mortuus eſt, ætate omnino deficiente, adeò vt nimis diu viuendo in cicadam conuerſus dicatur: atque ita docet nihil homini eſſe certum, quando illum iuuenem mors præuenerit, alterum verò vix conſumſerit ſenem. *porriget hor.* horam pro tempore poſuit. ſenſus eſt: variabilis eſt fortuna, mihi quidẽ proſpera, tibi verò amara. *tibi quod neg.* vt eſt, liceat ſperare timenti. *centum.* finitum pro infinito. vt, mille meæ Siculis errant in montibus agnæ. & eſt tmeſis, pro circum te. *Sicula.* Sicilienſes. *bis Afro m. t.* purpura dibapha. *Afro.* Tyrio. *mihi par. rur.* dicit pro diuerſitate ingeniorum diuerſa eſſe ſtudia & fortunas, alios quidem diuitiis & honorib⁹ claros, ſe verò gaudere mediocritate, eámque carmine illuſtrare. *Graiæ tenuem cam.* ordo eſt, parca non mendax dedit mihi tenuem ſpiritũ Graiæ camœnæ, & ſpernere malignum vulgus: id eſt, dedit mihi humile ingenium Græcæ muſæ, ſcilicet, vt poſſim lyrica cantare à Græcis primũ inuenta, quos Horatius imitatus eſt, ſcilicet Sapphonem & Alcæum. *non mendax.* immutabilis: vult enim fataliter ſibi tributum hoc ingenium. *malignum.* inuidum.

CRVQVIVS.

OTIVM *diuos rogat in patenti.* Ab ijs quæ extra nos ſunt temerè pendere, docet non eſſe tranquillitatis: Non enim pecuniæ ſtudium, diis etiam votis nuncupatis, à metu liberat, non militia à periculo, non ambitio à ſollicitudine inuidiáque; poſtremò magnificentia ſplendorque & ornatus ſuas curas habent & cupidines: verũ eius optimè cõſtituta eſt hominis vita, qui paucis gaudere, iiſque nouit vti modicè, potiſſimum contentus ijs quæ à maioribus relicta ſunt: is profectò qualem depingit hic Horatius ſe optare, eſſe Grosphum; qui ita vitam inſtituit, in ſe vno, quæ ad ſecuritatem ſpectant, ſita habet omnia, ei non tenuitas ipſa, non maiorum frugalitas vllas moleſtias, ſed lætitiam ferunt & alacritatem; nam ſatis amplæ viro bono ſunt diuitiæ, vel modicæ, ſine dolo partæ. Quàm ſtultum eſt itaque foris petere quod intus habemus à natura inſitum! nimirum ſimplicitatem, puritatem, tranquillitatem, harumque præſidem, rationem, ſi officio eam ſuo fungi, perturbationibúſque volumus & immoderatis affectibus imperare. Quod ſi ita eſt, hæc amoto metu iubet hilariter rebus vti præſentibus, hæc futurorum ſecuritatem, hæc acciſis iuxtà ac integris, hæc denique vt amplis ita & anguſtis lætitiam attemperat, quietemque beatam. *otium diuos.* Exorditur ab enumeratione ſtudiorum, ex quibus tandem peractis paſſim omnes ſibi temerè pollicentur tranquillitatem, quæ certè plus exagitant animos quàm ſedare valent. Proponit autẽ nauigationis nomine mercium tractationem periculoſam quidem ſed non parum lucroſam, ſi bene cadat alea duce fortuna. *otium diuos.* primùm mercator precatur diuos maris tranquillitatem, deinde incolumitatem vitæ, poſtremò domum reuerſus auctúſque opibus vitam quietam ſine vlla moleſtia negotiationis alterius obeundæ. tale eſt illud ode 1. lib. 1. Luctantem Icareis fluctibus Africum mercator metuens otium & oppidi laudat rura ſui. Meminerit autem lector Horatium velle non id otium ab omnibus expeti quod turpitudini coniunctum eſt, de quo non minus verè quàm ſapienter loquitur Euripides, ἀργὸς πολίτης κεῖνος, ὃς κακὸς γ' ἀνὴρ, id eſt, idem malus ciuis & otioſus eſt: verùm de eo otio agere quod in honeſta actione iucundum eſt. *diuos.* διοσκούρους. Caſtorẽ & Pollucem. de quibus ode 3. lib. 1. & Plutarch. in Theſeo: Item in Numa refert eos ab Athenienſibus nuncupatos ἄνακας, ἀπὸ τῆς τῶν δεινῶν ἀναχέσεως, id eſt, triſtium depulſione. *prenſus.* captus, vndis agitatus ex inopinato. Codex Diuæi habet preſſus. *Aegæo.* vide Feſtum. *ſimul atra nubes.* poſtquàm ſuborta tempeſtas nubiloſa Lunæ lumen & aſtrorum eripuit ex oculis. Virg. 1. Aeneid. Eripiunt ſubitò nubes cælumque polumque. *otium bello.* milites quoque fortes & bellicoſi, quamtumuis ſint armorum ſtudioſi, tandem tamen ſpoliis hoſtium & rapinis beati, rogant diuos pacem & vitam ſecuram. *Thrace.* Θρᾴκη. de Thracum ſtudio, vita & moribus, Strabo lib. 7. & 13. Sic & de Medis & Perſis pharetratis,

pharetratis, lib. vndec. *non enim gaza.* Gazæ nomine tamquam toto, complectitur omneis diuitiarum parteis: Nulla gaza venale eſt hoc otium, fruſtrà igitur terra marique periclitantur omnes vt gemmas, purpuram, aurum conquirant huius comparandi gratia, vitámque quietam viuendi. *neque conſularis.* ſed nec honores ampliſſimi, quos tamen qui aſſecuti ſunt, ſuper omneis eminent, ſeque beatiſſimos iudicant, vita aliquem tranquilla, & ab omni ſollicitudine libera donare poſſunt: itaq; temerè diuos otium rogamus, donec ea perſequimur quæ nihil præter infinitos, miſeroſque mentis tumultus in ſe continent. *lictor.* pereleganter oſtendit magiſtratui, principi, regi, ſubeſſe quidem corpora, inque ijs caſtigandis, puniendis, vrendiſque poteſtatem declarare eos poſſe, verùm vt animo dominentur, aut ijs quæ ſunt animi non perinde: lictor namq; magiſtratui de via decedere iubere poteſt, ſed ex eius mandato denunciare menti, vt curis, doloribus, perturbationibus omnino valere iuſſis tranquilla ſit & hilaris, nequaquam poteſt. lictor autem ῥαβδοῦχος ἢ ῥαβδοφόρος Græcè, virgifer Latinè, virgas tenens. viator Eraſmo in act. Apoſtolorum, & Budæo in Pandect. lictores enim faſceis, id eſt, virgarum faſciculos magiſtratui præferebant, intra quas virgas ſecuris erat obligata, ita vt ferrum in ſummo faſce extaret: cur autem id fiebat, Plutarc. habet problem. *miſeros.* ab effectu, quòd mentem miſerè vehementérque afficiant. *curas volanteis.* curis affingit corpora per συμπροσποίησιν. ſenſus autem eſt, diuites in ædibus magnificis, laqueariiſque deauratis, curis infinitis vrgentur. *tecta laqueata.* ſynecdoch. pro domibus tabulatis ſeu contignatis, laquear, laquearium, lacunar, lacunarium, tecta laqueata, lacunatáve, eadem ſunt: een verwelffel van houdt oft ander materie: *lambruſchements des voultes.* Hæc autem aliquando cælata fuere, nonnumquam verò auro & ebore ſplendentia; vt videre eſt in verſiculis Ennij fortaſſe ex Andromacha, ô pater, ô patria, ô Priami domus, ſeptum altiſono cardine templum, vidi ego te aſtante ope barbarica tectis cęlatis, laqueatis, auro, ebore, inſtructam regificè, hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam euitari, Iouis aram ſanguine turpari. Seneca epiſt. lib. 14. antiquorum luxuriam inquit verſatilia cœnationum laquearia feciſſe, & ita coaugmentaſſe, vt ſubinde alia facies atque alia ſuccederet, & toties tecta, quoties fercula mutarentur. *viuitur paruo.* ἀπόδοσις ἐνθυμηματική, qua planius explicat, ſi non in diuitiis, opibus, honoribus, quibus tandem in rebus ſita ſit vita tranquilla beatáque, nimirum in tenui, eóque paterno victu & frugalitate. *paruo.* modico, frugalíque cibo. *bene.* ſupp. beatéque. viris enim bonis apparatus facilis non modo ſatis eſt, ſed & beatior eſt ditiorque quàm luxurioſis epulonibus vel ſumtuoſiſſimæ deliciæ; hoc enim ſatis innuit inquiẽs, *cui paternum ſplendet.* qui ſplendor non tam ad vaſculi magnificentiam quàm ad ſalem pertinere debet: tenuibus enim & ſuo cibo contentis ſalis condimentum inprimis eſt delicatum, & ſplendidiſſimis potentum ferculis non inferius. *menſa tenui.* non hic menſa eſt, quæ Virg. 1. Aeneid. pars epulis onerant menſas & plena reponunt pocula; quæ Saty. 3. lib. 1. menſa tripes; ſed quæ Martiali conuictus facilis, ſine arte menſa; & Saty. 2. lib. 2. tùm penſilis vua ſecundas & nux ornabat menſas cum duplice ficu. ponitur itaque pro cibo appoſito, vbi ſalinum, id eſt, ſal, metonym. eſt obſonium ſapidiſſimum, atque adeò delicatis obſonium obſoniorum. vide Adag. Qui circa ſalem & fabam. &, Salſitudo non ineſt illi. *nec leueis ſomnos.* hoc eſt, cui paternus apparatus tenuitate cõditus ſatis eſt, ſuauiter dormit quietéque, ſine metu perdendi, & cupidine quæſtus faciendi; id eſt, nulla cruciatur auaritia. huc facit illud Leonidis Epigramma, φεύγεθ' ὑπὸ ἐκ καλύβης μύες· οὔκ τοι πενιχρὴ μῦς σιπύη βόσκειν οἶδε λεωνίδεω. αὐτάρκης ὁ πρέσβυς ἔχειν ἅλα, καὶ δύο κρίμνα, ἐκ πατέρων ζωὴν ἠνέσαμεν βιοτήν. τῷ τί μεταλλεύεις τοῦτον μυχὸν ὦ φιλόλυχνε, οὐδ' ἀποδειπνιδίου γευόμενος σκυβάλου; σπεύδων εἰς ἄλλους οἴκους ἴθι, τ' ἀμὰ δὲ λιτῶν ἀπὸ τῶν ἐσοτέρων οἴσεαι ἀμφαλίω. Quod ſic Latinè reddidimus: Hinc ſubterfugite ô mures, paupercula namque paſcere vos nollet menſa Leonidea: lingere namque ſeni ſatis eſt ſalem & duo liba quẽ patris victus vitáque parca iuuat: Sed quid in effoſſa quæris cella ô philolychne, cœnula quin pori⁹ ſint tibi relliquię? Quare alias inquire domos, mea tenuia linque, ingẽtes quæ ſunt hic mihi deliciæ. *quid breui fort.* Stomachoſius expolit ſuperiora de nauigatione, mercatu, militia: perinde acſi dicat: Quandoquidem vitæ tempus breue eſt, quo viuere, valere, & fortiter agere licet, quid infinitis malis nos obruimus, emaciamus, enecamus? fieri enim nequit aliter, quàm, vt ait Homer. Odyſſ. τ. αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι, id eſt, namq; repentè homines curiſque maliſque ſeneſcunt. *alio calenteis ſole.* quid alium cæli proſpectum, aliud clima inquirimus, quid peregrè proficiſcimur, aut relicta patria migramus aliò? Quod alibi dixit expreſſius, Impiger extremos curris mercator ad Indos, per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per igneis. *patriæ quis exul.* an qui patria profugus eſt, mutato ſolo, mens quoque ſit ei mutata, ita vt pertæſus vitæ peractæ ſcelera rectius vitam inſtituat? quaſi dicat, id fieri minimè; nam cælum, non animum

animum mutant qui trans mare currunt. Quid ſi exul non ſit turpitudinis nomen hoc loco, vt ſententia ſit, quis exul patriæ, id eſt, ex ſolo patriæ exiſtens, exuat quoque & obliuiſcatur natalis ſoli dulcedinem? hoc enim videtur eſſe fugere ſe, ſuos affectus, & naturæ propenſiones valere iubere: Quod ſanè niſi in viris fortibus nõ inuenies, quibus omne ſolum patria eſt. *ſcandit æratas vit.* συνοίχνα τῶ χύ[illegible]της, cum eo planè conſentiens quod Ode 1. lib. 3. Sed timor & minæ ſcandunt eodem quò dominus, neque decedit ærata triremi, & poſt quietem ſedet atra cura. *æratas.* roſtratas. *vitioſa.* ab effectu, vitiat enim & mentem perturbat. *ocyor ceruis.* ἀναλογία ὑπερβολική. *lætus in præſens.* ἐπιφώνημα ἐνθυμηματικὸν in laudem vitæ tranquillæ, quę facit rebus vt præſentibus vtamur cum lętitia & ſecuritate. ſic & Hipparchus Pythagoricus apud Stobæũ: χρησόμεθα παρουσίᾳ τῶν ἀγαθῶν, ἐκ δὲ τᾶς φιλοσοφίας καλῶν κἀγαθῶν· καὶ τᾶς ἐκ τῶν φαύλων ἀπολυθησόμεθα ἀπληστίας. i. vtamur bonorum præſentia, eorum quę per philoſophiam decora ſunt & honorifica, atque ita inſatiabili malorum cupiditate liberabimur. *quod vltra eſt od. cur.* futurorum penitus eſt ſecurus. Vltra nos ſunt quò non peruenimus, putà, futura, quemadmodũ retrô quæ nos ſequuntur, nimirum præterita. *amara lento temp. riſ.* nam mala ſemper ſunt vicina bonis; quibus ita temperatè vtitur animus tranquillus, vt neque bonis nimium efferatur, neque malis deiiciatur ſupra modũ. *Nihil eſt ab omni parte bea.* γνώμη. Sententia verè aurea; de qua legito Adag. oportet omnibus corydalis, ſeu galeritis omnibus oportet ineſſe criſtam. *abſtulit clarum.* Illuſtratio eius quod dixit, quod vltra eſt, oderit curare. perinde acſi dicat, futura omnia ſunt incerta; nil ergo iuuat lætitiam præſentem eorum cura interturbare, ſollicitudineq; perdere: Achilles præter naturæ ductum iuuenis mortuus eſt. Tithonus viuendo ſuperauit naturæ curſum: ille vitæ dulcedine vſuque ante tempus priuatus eſt, quod apud matrem deplorauit, ſeque μινυνθάδιον natum eſſe, id eſt, breuis æui hominem vehementer eſt conqueſtus, Homero auctore; hic longæuitatem accuſauit moroſam, inſuauem, voluptatibusque & corporis oblectamentis minùs idoneã, adeò vt eius tædio tandem optauerit in cicadam transformari. *& mihi forſan.* Groſpho quaſi aliud agens, pecuniæ ſtudium tranquillitati mentis ait obeſſe; ſibi verò nequaquam, vt cui ſatis ſit habere parua rura. *te greges centum.* explicatio diuitiarum Groſphi in gregibus, armentis; magnificentiæ in quadrigis; ſplendoris ornatúſque in veſtitu purpureo, quibus ſtultè ſe æſtimabat beatum ſecurè viuere. *Siculæq; circum.* Siculæ vaccæ κατ' ἐξοχὴν pro pinguiſſimis & optimis. *quadrigis.* de bigis, trigis, quadrigis, de curulibus certaminibus, Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. Ode 1. lib. 1. Sunt quos curriculo &c. *mihi parua rura.* vt amplis in diuitiis Groſphus ſibi plaudebat tamquam beatiſſimo, ita ex oppoſito ſibi parua rura gratulatur Horatius, vbi non hinnitus quadrigarum, ſed Muſæ canentes audiuntur: vbi non dibapha purpura, vulgi mendacis plauſus & fauor captatur, ſed magno animo contemnitur. Nunc coniice lector interpretationem eius verſus, Et mihi forſan tibi quod negarit porriget hora, vtri velis horam porrigere aliquando vitam tranquillam, ſecuram, & verè beatam, non etiam, vt vulgus ſentit, Groſpho ne diuiti, an Horatio pauperculo ſuis Muſis hilariter accinenti?

AD MÆCENATEM, QVO mortuo negat ſe velle viuere.

ODE XVII. παραινετικὴ, ἢ συμβουλευτική.

CVR *me querelis exanimas tuis?*
Nec Dis amicum eſt, nec mihi, te prius
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus, columenq; rerum.
Ah, te meæ ſi partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus æquè, nec ſuperſtes
Integer? ille dies vtramque
Ducet ruinam. non ego perfidum
Dixi ſacramentum: ibimus, ibimus,
Vtcumque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimæræ ſpiritus igneæ,
Nec ſi reſurgat centimanus Gigas,
Diuellet vmquam. ſic potenti
Iuſtitiæ, placitumq; Parcis.
Seu Libra, ſeu me Scorpius adſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horæ, ſeu tyrannus
Heſperiæ Capricornus vndæ:
Vtrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum. te Iouis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucriſque fati
Tardauit alas, cùm populus frequens

Lætum theatris ter crepuit ſonum:
Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextra leuaſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum. reddere victimas,
Aedemq́; votiuam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

COMMENTATOR.

CVR *me querelis exanimas tuis.* Metrum duob. verſ. Alca. tert. iamb. dimet. hypercat. quart. Pindar. Mæcenati ſcribit conquerenti de periculo ſuo, & pro præſenti ſtatu optanti mortem: pro cuius affectu & amore, dicit ſe ei mortuo nolle ſuperuiuere, ſed quodam quaſi ſacramento deuinctum in morte ſociandum cui fuerat in vita coniunctus. ordo eſt: ô Mæcenas grande decus & columẽ mearum rerum, cur me exanimas tuis querelis? nec diis nec mihi amicum eſt te priùs obire ſupp. quàm me. *querelis.* lamentis. *exanimas.* occidis. *amicum.* gratum, placens. *columen.* firmitas. *ah, te.* interiectio dolentis. *mea ſi part. ani.* eo ſenſu quo ſuperius dixit; & ſerues animę dimidium meæ: amicorũ enim vna eſt anima in duobus corporibus exiſtens. *maturior.* celerior. *vis.* mors violenta. *altera.* ſupp. pars ego. *nec carus.* non ſum futurus ita mihi carus vt antea. *nec ſuper. inte.* nec ſum vitam habiturus integram, parte mei altera in te extincta. *vtramque duc.* vnius caſu dicit ambos perituros. *ille dies.* vltimus. *non ego perfidum.* falſum. ordo eſt: ego non dixi perfidum ſacramentum, ibimus, ibimus comites parati carpere ſupremum iter vtcumque præcedes. ſignificat autem ſe ei ſacramentum iuraſſe amicitiæ. *vtcumque.* quandocumque ſeu ætate, ſeu forte, eum ſe comitaturum dicit, in ſupremo mortis die. *ſupremum.* vltimum. *me nec Chimæra.* nullorum metu monſtrorum ait ſocietatem diſiungi poſſe, quæ nec mortis terrore ſeparatur. *Chimæra.* Chimęra monſtrum triforme, quod fingitur igneum flatum emittere. *centimanus gigas.* Briareus. de quo Virg. qualis centum cui brachia dicunt centenáſque manus. *diuellet.* ſeparabit. *ſic potenti iuſtit.* acſi diceret, fato decretum eſt, & à te ſeparari non poſſum. *ſeu Libra.* ordo eſt: vtcumque noſtrum aſtrum conſentit incredibili modo, ſeu aſpicit me Libra, ſeu formidoloſus Scorpius pars violentior horæ natalis, ſeu aſpicit me Capricornus tyrannus Heſperiæ vndæ. Per genituræ commemorationẽ horoſcopos ſimileis eſſe, & inter ſe aſſerit conuenire, in quibus vitæ finis apparet: vnde dicit quod tempore illo quo Mæcenas laborabat, ſe caſu arboris eſſe periclitatum. *formidoloſus.* formidandus naturaliter. Salluſt. etiam potentia Gn. Pompeij formidoloſa erat. *violentior.* ceteris iniquior natalis horæ. Infeſtus enim fertur Scorpius præ aliis geneſi iuxta matheſin: iccirco dicunt Phyſici, qui ſub Scorpio naſcitur, citò moritur. vult amborum geneſeis conuenire, dicens, ſeu horoſcopum, id eſt, horam qua natus eſt, in Libra haberet, ſeu in Scorpione qui iuxta Libram eſt, contrarius illi Saturnus erat, ſeu in Capricorno, in illis diameter erat, hic quadratus ſicut & Mæcenati, quem Iupiter illic poſitus temperauit. *tyrannus.* Capricornum tyrannum dixit, quia hiemale ſignum eſt: oritur enim 16. Kal. Ianuar. & occidit 18. Kal. Februar. *Heſperiæ vndæ.* occidentalis. videtur ſignificare occaſum huius ſigni magis eſſe tempeſtuoſum quàm ortum. *te Iouis impio.* Martem dicit ſubmouiſſe Iouis beneficam ſtellã reſpicientem Saturni maleficam. ordo eſt: te eripuit tutela Iouis refulgens impio Saturno, & tardauit volucris alas fati, cùm frequens populus ter crepuit lætum ſonũ in theatris. *refulgens.* ſuo aſpectu ſubueniens. *populus frequens.* oſtendit populum in gratiam Mæcenatis ter plauſum dediſſe in theatris, cùm comperiſſet eum mortis euaſiſſe periculum, congratulans eo ſigno ipſius ſaluti. *me truncus.* arboris. *illapſus cereb. ſuſt.* necauerat. *Faunus.* Deus agrorum amator ſapientiæ. *leuaſſet.* ſuſtinuiſſet. *Mercurialium.* Mercurius Deus facundiæ dictus eſt & ſermonis. *reddere vict.* hortatur vt memor ſit voti ſoluendi, quia ædem ſi euaſiſſet ſaluti promiſerat. *votiuam.* voto debitam. *humilem.* pauperculam, agendo diis gratias de ſalute reddita: humilem autem dicit, propter Mæcenatis potentiam, qui pro ſalute ſua ædem vouerat.

CRVQVIVS.

CVR *me querelis exanimas tuis.* Obiurgatione tacita Mæcenati ſignificat non decere eum tantoperè lamentari; at eum tamen ſolatur ab amicitia mutua, quæ vt in vita ita & morte debet eſſe indiuidua, vbi ſe comitem quoque pollicetur: ait enim fieri non poſſe vt alter à ſui parte erepta, totus & integer, vt antea, valeat, placidéq. viuat, vtpote ſemiſepultus. Quare aſſerit nihil in vita tam horrendum, nihil tam violentum, quod illud amicitiæ vinculum, vitæque & mortis fidem ei datam dirimere poſſit: id enim neque iuſtitiam permittere, & Parcas eiuſmodi ſcelus amicitię violatę poſtea grauibus vindicare ſuppliciis: id etiam num velle idem vtrique geniturę ſidus natalitium pollicens vtrique omnia in vita & morte nõ multùm diſſentanea. Quod ita eſſe docet ab euentis: Eum

Eum nimirum à Saturni malignitate minantis extrema, Iouis benignitate ereptũ; ſe verò Fauni beneficio, ab incidenti in caput arboris trunco liberatum: Proinde iubet Mæcenatem quidem pro ſua ſalute Ioui ſoluere ædẽ votiuam, ſe verò promittit pro ſua tenuitate Fauno immolaturum agnam. *cur me querel.* à querimoniis nimiis arguit Mæcenatem animi parùm virilis: Nam viri fortis eſt non conqueri, ſed ferre conſtãter quicquid fors fert. Crediderim ſanè non de valetudine minus fauſta, vt vult Acro vulgatus; ſed de infortunio Mæcenatem vitæque diſcrimine conqueri, in eo fortaſſe populari tumultu, propter quem Agrippa Romæ ab Auguſto præfectus eſt, ei Iulia ſorore in vxorem data. *nec diis amicum.* ſpem facit à deorũ voluntate eum ante ſe non moriturum. Amicum eſſe hic ad phraſim Grçcam dictũ eſt, *οὐκ ἐστὶ φίλον*, id eſt, non placet. *mearum grande dec.* commendatio Mæcenatis ab accepti beneficij memoria, quod eſt grati animi ſignum. *decus.* Ode 1. lib. 1. ô & præſidium & dulce decus meum. Nam principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt. *columẽ.* præſidium. Eo quoque modò nominamus ſacrã anchoram, vnde noſtra ſalus dependet. *ab te meæ ſi par.* Exclamatio pathetica ex hypotheſi, alludẽs ad illud Pythagoricum, *σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία*, id eſt, duo quidem corpora, ſed vna eſt anima; in eis qui veram colũt amicitiam: *ἔστι γὰρ, ὥς φασιν, ὁ φίλος ἕτερος ἐγώ.* i. eſt enim, vt dicere ſolemus, amicus alter ego. Corporibus plures, mentibus vnus homo. *maturior.* intempeſtiua. *quid moror alt.* quid eſt in vita boni, quod me detinere poſſit vt te non ſequar, vt diutius viuere velim ſemiuiuus. *integer.* integrum eſt quod omnibus ſuis partibus conſtat: Mçcenas autem ſi moriatur, Horatio perit altera ſui pars, non ergo viuet integer eo mortuo. *ille dies.* quo tu morieris, ducet vtramque ruinam, id eſt; eodem die vterque noſtrum ruet, cadet, morietur. Notãda locutio ducere ruinam, pro ruere: per mortem namque corpora concidunt. *perfidum dixi ſacra.* alluſio ad militare ſacramentum, quo milites adigebantur iurare in verba ſui imperatoris; Græcis *ἐξορκοῦν*: hinc auctorati milites, ſacramento obſtricti; & exauctorati ſacramento liberati. Eraſm. in Adagio, Naçra & Charmione. videtur hoc velle ad Aegyptiorum morem referre, quem *τῶν συναποθνησκόντων*, id eſt, commorientium nominabant, quo amicus amico ſic erat obligatus, vt alteri mortuo, alter vltrò ei ſe ſocium adiungeret: non incommodè certè meminit huius loci in eo adagio, ſed an eo ſacramento ſibi inter ſe deuincti eſſent, non facilè mihi perſuaſerim. lector diſpiciat. *ibimus, ibimus.* *ἀναδίπλωσις*, ad animi promtitudinem ſignificandam, qua paratus eſt in morte comes eſſe Mæcenati. *Chimæra.* Enumeratio monſtrorum quorundam ad aſſerendam fidem Mæcenati datam, quæ nullo mortis metu violari poteſt. de Chimæra, præter alios, legito Apollod. lib. 2. *centimanus.* *ἑκατόγχειρος* Ilia. α. Aeolicè pro *ἑκατοντάχειρ*. *Gygas.* ſic habent ſine vlla litura aut macula omnes lib. ſcripti quos mihi videre contigit. Lamb. & Muret. ex Apollodoro reſtituerunt Gyas: quod non improbo quidem, ſed vndecim aut plurium conſenſum codicum mutare nolui, prçſertim cùm parùm referre videam, hoc ne an illo modo legatur, quando omnes tres Briareus, Gyas, & Cæus ſinguli manus habeant centum, & 50. capita. *iuſtitiæ.* cuius fundamentum fides eſt; ea itaque non ſeruata, neceſſe eſt iuſtitiam ſubuerti. *placitumq́;.* cum eo conuenit quod initio huius dixit, nec diis amicum eſt. *Parcis.* hoc enim fuit antiquitus perſuaſum, vt inuocatis fatis, qua quis natus erat hebdomadis vltima die Parcæ in vitam eius ſtatuerent, qua ſorte futurus eſſet: vnde eſt illud Maronis, Talia fata ſuis dixerunt currite fuſis. *ſeu Libra ſeu me Scor. aſp.* ab eodem horoſcopo docet animos, ingenia, naturam, propenſionem, mores, fauſta, infauſtáq; omnia inter ſe conſentire, fatóque ita decretum eſſe, vt ambo ſimul & viuant & viuere deſinant. *ſeu Libra.* pendet animi, *ἐνδοιαστής*, Venerem ne velit vtrique ſtatuere genituræ ſidus, hoc per Libram indicans, idq́ue, vt arbitror, propter amores vtriuſque & animi mollitiẽ; an Martem, quẽ per Scorpium ſignat ſibi formidoloſum & violentiorem, inquiens, *ſeu me Scorpius aſ.* fortaſſe propter bella Philippica cum Bruto contra Cæſarem dimicanti, vbi relictis armis vix euaſit incolumis: An Saturnum ſtatuat genituræ ſidus, qui Capricorno ſubuehitur & Aquario, inquiens, *ſeu tyrannus Heſp. Capr.* De Capricorno certè dubitare in primis cum dixerim in Auguſti gratiam, qui Capricornum quoque habuit natale ſidus, vt teſtatur nummus eius Capricorno inſignit': qui natalitius pollicetur ſuis amplos honores, dominatus & imperia. itaque vt in victoria Cantabrica tacitè gratulatur Auguſto eã ſiderationem eſſe felicem dominatámq; vndis, id eſt, bellis Heſperiis; ita Mçcenatem quoque gaudet eodẽ horoſcopo in ſpectaculis theatralibus euaſiſſe fata Saturni triſtia numine Iouis, hoc eſt, vel conſpirationem aliquã tacitam, vel theatri fortaſſe ruinam. hæc noſtra eſt coniectura. *natalis horæ.* duo cod. Bland. habent, letalis horæ; quç lectio, meo iudicio, non eſt leui, vt aiunt, brachio prætereunda. diſpiciat lector peritus. *vtrumque noſtrum.* poſt *ἐνδοιασμὸν* aſſerit conſenſum ſideris vtriuſque natalitij mirabilem, quem demonſtrat ab euentis. *te Iouis.* Iupiter

proſper

proſper eſt & ſalutaris Ciceroni in de ſomnio Scipionis, quem hic ait defenſorem Mæcenatis eſſe; eius enim tutela, id eſt, numine, præſenti periculo fuit ereptus, cuius fulgore Saturnus hebetatus, id eſt, malignitas aduerſaria repreſſa fuit, qui præſentem ei mortem intentauerat. *impio Saturn.* Saturni namque ſidus malignum eſt, pernicioſum & peſtilens ſuo frigore & ſiccitate, qualis erat Mecenatis aduerſaria tyrannis. *volucriſq; fati tar. al.* ποιητικῶς. Quæ fictio ſatis indicat vi quadam repentina Mæcenatem ferè ſublatum è medio, ſed eam ab amicis repulſam. *ter crepuit.* in ſignum lætitiæ. ter autem dixit, finitum pro infinito, id eſt, ſæpius. *me truncus illap.* narratio caſus ſimiliter inexpectati, qui ſuſtuliſſet Horatiũ è medio, niſi Faunus impediuiſſet, ad fati paritatem cum Mæcenate declarandam. *niſi Faunus ict.* mirè decorum perſonarum ſeruatũ in Mæcenate viro principe & politicò in vrbe à Ioue maiorum quoque Deorum principe velocibus fatis erepto, vel inuito Saturno: & Horatio in prædio ſuo Sabino ruſticanti ab irruente in caput arbore, à Fauno ruris ruſticorúmque Deo præſide, conſeruato. *dextra.* ipſe Faunus dexter & propitius. *cuſtos.* fautor & amicus viris bonis doctíſque: hinc enim Faunus nominatur, quòd faueat, vt & Tellus Fauna. *reddere vict.* reddit victimas qui voti reus eſt, quas vbi reddiderit, voti damnatus eſt. Victimæ autem ſacrificia ſunt diis facta ob victos hoſteis: Meritò ergo monet Mæcenatem victimarum Ioui reddendarum, vt cuius ope vicerit hoſtem. *ademq; votiuam.* Ioui ſeruatori. *nos humilem ferie. agn.* pro condicione & ſtatu noſtro tenuiter oblata Faunum placabimus agna. duo cod. Bland. legunt nos humiles. quod non diſplicet quidem, ſed humilem malim, eò quod videatur alludere ad ſacrificandi morem, qui diis terreſtribus humi fieri ſolebat, non etiam in aris erectis.

AD AVARVM: SE QVIDEM ſua ſorte contentum, illum verò diuitiis incumbere, quaſi perpetuò victurum.

ODE XVIII. παραινετικὴ, ἢ ὑποθετική.

NON ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas vltima reciſas
Africa: neque Attali
Ignotus heres regiam occupaui:
Nec Laconicas mihi
Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.
At fides, & ingeni
Benigna vena eſt: pauperemq; diues
Me petit. nihil ſuprà
Deos laceſſo: nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus vnicis Sabinis.
Truditur dies die,
Nouæq; pergunt interire Lunæ.
Tu ſecanda marmora
Locas ſub ipſum funus, & ſepulcri
Immemor, ſtruis domos,
Mariſq; Baijs obſtrepentis vrges
Summouere litora,
Parum locuples continente ripa.
Quid, quòd vſque proximos
Reuellis agri terminos, & vltra
Limites clientium
Salis auarus? pellitur paternos
In ſinu ferens Deos
Et vxor, & vir, ſordidóſque gnatos.
Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine deſtinata
Aula diuitem manet
Herum. quid vltra tendis? ÆQVA tellus
Pauperi recluditur,
Regumq; pueris: nec ſatelles Orci
Callidum Promethea
Reuexit auro captus. hic ſuperbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coërcet: hic leuare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus, atque non vocatus audit.

COMMENTATOR.

NON *ebur, neque aureum mea renidet.* Metrum Hipponactium. Primus verſus eſt Trochaicus dimeter catalecticus, vna enim ſyllaba deeſt, vt ſit plenus dimeter: ſcanditur autem hoc modo, non e. bur ne. qu' aure. um. Secundus iambicus trimeter catalecticus. hoc modo, mea. reni. det iñ. domo. lacu. nar. appellatur hoc metrũ quoq; aliter Euripideũ: nõ quòd ipſe Euripides ſit eius inuentor, ſed quòd frequẽter eo ſit vſus. Trochaicũ autẽ metrum

metrum in locis imparibus recipit trochæum, tribrachum & interdum dactylum: in locis autem paribus, trochæum, tribrachum, dactylum, ſpondeum, anapæſtum: Dimeter habet hepthemimerim, Trimeter Pentemimerim. Continentiam ſuam laudat, quam præfert omnibus diuitiis, culpans eos qui obliti breuis vitæ, cupiditatibus ſuis & diuitiis ſtudent. *non ebur*. pro deriuatiuo eburneum. ordo eſt, neque eburneum neque aureum lacunar renidet in domo mea *Hymettiæ*. trabes marmoreæ ex Hymetto monte Atticæ exciſę: hoc autem marmor Thebaicum dicebatur. *vltima Afri*. Numidia, quæ interior eſt pars Africæ. *neque Attali*. occultè notat Romanos non iure factos Attali hæredes. *Laconicas*. laus à loco. *trahunt*. carpunt. *clientæ*. familiares: oſtendit votum clientum, quorum vxores iuuent matronas carpenteis purpuras, cùm nobilibus fiunt togæ prætextæ ad ſpem magiſtratuum gerendorum. vnde dicit, dum ſibi iſta deſunt, fide ſe & ingenio diuitem. *benigna*. larga. ſic, ſi non ingentem foribus domus alta ſuperbis mane ſalutantum totis vomat ædibus vndam. *me petit*. meã gratiam appetit. *nihil ſuprà*. ſupp. quam nunc habeo. *Laceſſo*. prouoco expetendo largiora. *potentem amicum*. Mæcenatem prædiuitem. *flagito*. expeto. *vnicis Sabinis*. vnico fundo in Sabinis à Mæcenate accepto ſe ſatis diuitem & beatum prædicat. *truditur dies die*. pellitur: nam poſterior pellit priorem: & dies & mẽſis & annus: per nouas Lunas menſiũ recurſus intelligimus. *pergunt interire*. non deſinunt accreſcere, decreſcere & defectum pati. *tu ſecanda*. præcidenda ad ædificiorum ſtructuram. *locas*. ſtatuis. *ſub ipſum funus*. iam capularis. ordo eſt. tu parùm locuples continente ripa, & immemor ſepulchri locas ſecanda marmora ſub ipſum funus, & ſtruis domos, & vrges ſubmouere Baiis littora obſtrepentis maris. *ſtruis domos*. ædificas. *Baiis*. Baianis littoribus. *obſtrepentis*. circumſonantis. *vrges*. properas. *ſubmouere*. remouere: culpat profuſionem nimiam eorum qui in Campania iactis in mare molibus affectant vndas maris excludere. ſic Salluſt. Qui diuitias ſuas profundunt in extruendo mari & montibus æquandis. *parum locup*. minus diues, niſi etiam alienum inuadas elementum. *vſque*. ſemper. *reuellis*. remoues. *clientium*. vicinorum. *ſalis*. exilis. *pellitur*. eliminatur. ordo eſt, & vir & vxor pellitur ferens in ſinu paternos deos & ſordidos natos: Euidenter exprimit acerbitatem facti, in eo quod dicit pauperes ſuis ſedibus violenter pulſos ſuos penates ſecum ferre, & natos ſordidos, ad graniorem pellentium inuidiam. *nulla tamen cert. ſede*. ordo eſt: Nulla aula manet diuitem herum certior deſtinata ſede rapacis orci. *rapacis*. cuncta rapientis. *manet*. expectat. *vltrà tendis*. amplius cupis. *recluditur*. aperitur æqualiter ad ſepulchrum diuiti & pauperi, quare fruſtrà ſpolias, auare, pauperes: & diuitiarũ moleis congeris, cùm ſis mortalis, & ſepeliendus æquali terræ menſura cum paupere. ſic & Iuuenal. mors ſola fatetur hominum corpuſcula. *pueris*. filiis. vt, Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella. *ſatelles*. miles, ſcilicet Cerberus. *callidum*. ſubdolum. *captus*. deceptus, flexus; oſtendit nullis muneribus flecti manes, vt remeare quis poſſit ab inferis. *hic*. ſatelles Orci. ordo eſt, hic vocatus atque non vocatus audit leuare pauperẽ functum laboribus. *coercet*. comprimit. *leuare*. recreare. *functum*. conſumtis laboribus. *audit*. exaudit, bene audit: quia vt mors eſt neceſſaria omnibus hominibus, ita etiam eſt requies perpetua laborum.

CRVQVIVS.

NOn *ebur neque aureum*. Contentus Horatius modicis, miniméq. ad ſplendorem luxumq. excultis ædibus, gaudet ingenij benignitate ſe pauperem ab amico diuite potentéq. ad gratiam expeti, Sabinis ſuis vnicis ſatis beatus: Qua occupatione vehementer inuehitur in eos, qui iam capulares mortiq. proximi, quaſi mortalitatis immemores, nihil quàm domos ędificatas magnificè auro ſtudent ornare eboréq. & marmore, agríſque ſuis ampliſſimis, agros quoſque proximos addere vel cum ſumma vicinorum iniuria: quos vbi poſſeſſionibus auitis eiecerint, non aduertunt infelices æquali cum eiectis lege, ſe non plus eis ad ſepulturam terræ accepturos, vnáque ad inferos deſcenſuros auro nullo exorabileis. *non ebur neque*. per quandam προκατάληψιν continentiæ, arguit Romanos præcipuè ſenatores (quod indicat in primis Attali captata hæreditas) nimij luxus in ædificandis domibus, operoſéque exornandis. *lacunar*. de Lacunari vide oden 16. huius libri. *Hymettiæ*. Cn. Domitius, L. Craſſo collegæ ſuo altercatione orta obiecit, quòd columnas Hymettias in porticu domus haberet. Val. Max. lib. 9. cap. 1. Plin. lib. 17. cap. 1. & 36. cap. 3. videtur hic nonnihil alludere ad Alcinoi domum apud Homer. *neque Attali*. Romanos inſimulat tacitè doli mali in Attali regis Pergameni opulentiſſimi hæreditate adeunda; docens nihil ſe tale concupiſcere, neque eſſe hæredipetam, vt qui malis artibus ditari nolit, non ignarus eius quod dici ſolet ὡς οὐκ ἐστὶν ἐς πλουτῆσαι ἀγαθοί, id eſt, admodum diuites non eſſe bonos. *ignotis hæres*. non legitimus, non inſtitutus, ſed alienus & pere-

grinus; & blanditiis fortaſſe dolóq. malo factus. *regiam.* regias opes, regni opulentiam. Scribit autem Plin. lib. 33. cap. vndec. Aſia donata multò etiam grauius afflixit mores, inutilióque victoria, illa hæreditas Attalo rege mortuo, &c. *Laconicas.* non ambio clientelas magnificas, non ambio magiſtratũ, ad quem gerendum purpureis opus eſſet indumentis, quibus apparandis priùs intinguenda purpura pretioſiſſima, dein fila trahẽda nẽdáq; ab honeſtis nobilibúſq. clientũ matronis, quas nec habeo nec appeto: mihi namq. ad honeſtã trãquillámq. vitã ſatis eſt integritas ingeniíq. benigna vena. Laconicas purpuras pro pretioſiſſimis poſuit, de quibus Plin. lib. 35. ca. 6. & lib. 21. ca. 8. vnus cod. Maldeg. hic habet Laconicas, cui in Lucret. ſubſcribit Giſanius vir in primis doctus, ídque ex veteri lib. *clienta.* ſic legitur in duob. Bland. ſine vlla litera: in tertio autẽ ſciolus aliquis deleta diphthongo, poſt e vocalẽ poſuit *s* conſonantem. Meminit eius quoq. vocis Chariſius lib. 1. Gram. inſt. Sed & Plutarchus in Romulo ſcribit ipſum Romulũ nominaſſe clientas Græcè πελάτας, ſub vtroq. genere, vt arbitror, ὁ καὶ ἡ πελάτης. ου, cliens & clienta; aut, vt alij volunt, πελάτις ιδος, ἡ, ιος. ἡ, clienta. iudicet lector doctus. Clienta autem fuit clientis vxor etiã togati: clientela namq. apud Romanos nõ modò tenuiorũ fuit, à quibus obſeruarentur patroni quotidiè & colerentur, comitatúq. frequenti ad forũ deducerentur honoris cauſa, ſed etiam togatorum, quos defendebant, atq. ope ſua iuuabant. *at fides & ing.* damnatis per cõtentionẽ fortunæ bonis, nũc ait ſe bonis animi gaudere, prætéreà vſum rerum moderatũ nec deos nec amicos amplius quid poſcere. *benigna vena.* λιτότης, arrogãtiæ vitandæ cauſa. ſic alibi, tenui deducta poëmata filo, pro ſtylo ſubtiliori, minúſque grandiloquo: cui contrarium eſt craſſo filo: ſic etiam paupere vena, diuite vena. Appellant autem venam, vim naturæ genuinam ſeu indolem: ſumta metaphora vel à metallis, vel fontibus, quorũ aliæ ſunt anguſtiores, aliæ latiores. *potentem amicum.* ſic Mæcenati Epiſt. 7. te dulcis amice reuiſet cum Zephyris, ſi concedes, & hirundine prima. Quos autem ſerui dominos, eos ingenui ſalutãt amicos. *truditur dies die.* propoſitio ex interrupto, quaſi ἀγανακτικῶς inſerta, in eos qui velut perpetuò victuri, nihil quã ædificant, rapiunt, congerunt, quo iure, quauis iniuria, agrorum terminis vicinorum reuulſis, ſuos extendere laborant, cùm certò tamẽ ex ortu ſolis & occaſu continuo, & menſtruis Lunæ laboribus cognoſcere valeant nihil æternum hîc ſubſiſtere poſſe, nedũ ſuos conatus, ſed interire per vices omnia & renaſci. *truditur dies die.* νόημα τος ſpecies, perinde ac ſi velit, quid deos, quid amicos plura flagitem, quando pro mortalitatis meæ conditione mihi abundè ſatis eſt vnicis Sabinis. Quanto verò tu peius facis ò Romane, qui parùm memor humanæ naturæ, temerè perpetuitatem vitæ tuo videris animo polliceri? Hoc autem non multùm diſſentit ab eo, immortalia ne ſperes monet annus & almum quæ rapit hora diem. od. 7. lib. 4. *locas.* iubes ſecari, formari, aptari magnificis ædibus erigendis ornandíſque. *ſub ipſum funus.* hoc non tam ad ſenium pertinet, quando lege naturæ omnes morti propiores degimus, quàm ad incertitudinem fati: Quis enim ſcit an adiiciant hodiernæ ſummæ dij tempora craſtina? At non inſitior tamen hanc ſententiam eſſe bene commodam, Tu iam ſenio cõfectus, alterumq́ habens pedẽ, vt aiunt, in cymba Charontis, neglecto ſepulchro, ædificas quaſi non moriturus? Hoc autem dixit Plato de Agrigentinis & Megarenſibus, quòd ædificarent vt ſemper victuri, ſed epularentur vt morituri. *parùm locuples.* iactis in mare molibus, prætoria ſuperædificans, quod terra continens vel latiſſima, tuam non valeat explere cupiditatẽ: parum locuples, id eſt, non ſatis habens locorum, verè pauper in ampliſſima poſſeſſione. Petronius Arbiter in Satyricis: Aſpice latè luxuriam ſpoliorũ, & cenſum in damna furentem: Aedificant auro, ſedéſq. ad ſidera mittũt, expelluntur aquæ ſaxis, mare naſcitur aruis, & permutata rerum ſtatione rebellant. *Quid?* attentio ad maiorem indignationem facti, ex intentata fraude proximis agris in exſtirpando termino: Quod ſcelus ita puniendũ Numa Pompilius lege ſanxit, vt qui terminum exaraſſet, ipſe & boues Deo ſacri fierent. legito hac de re pulchram conſtitutionẽ lib. ff 47. tit. 21. *ſalis auarus.* tranſgrederis cupidus alieni fundi. *pellitur paternos.* exaggeratio crudelis & impij facti per auxeſim ex adiunctis perſonarũ ad cõmiſerationem. *nulla certior tamen.* hæc eò referenda ſunt quæ paullò ſuprà dixit, ſtruis domos; vt ſententia ſit, tu quidem ſtruis domos magnificas ſine vlla ſepulchri cura, quaſi tibi certas victuro & fixas, at nulla tamen aula deſtinata, definita fato, & decreta manet diuitem herum certior ſede rapacis Orci, id eſt, terra ipſa, quæ ſedes eſt, id eſt, domus certiſſima & receptaculum quietis omnium mortalium. *ſè* ſede, habent cod. Matt. Maldeg. & Sil. &, meo quidem iudicio, multò conuenientius quàm, ſine; agitur enim de domus & manſionis certitudine, quæ quidem ſtructa poteſt eſſe certa ſuo domino ad vitæ tempus, ſed multò certior eſt domus Plutonia, vtpotè perpetua, id eſt, ſepulchrũ, quæ domus ideo dicitur exilis ode 4. lib. 1. quòd corpuſculum ſibi in-

cluſum

cluſum dimetiatur tantum. Eſt itaq. ſedes Orci & regia Plutonis domus ipſa terra, nam Pluto rex eſt inferorum, ἄρχει γὰρ τῶν θανόντων, id eſt, imperat enim mortuis: hinc Ageſilaos dictus Callimacho, παρὰ τὸ ἄγειν τοὺς λαούς, inquit Methodius, id eſt, à ducendis populis. Quin & ſequentia per ἐπεξήγησιν quandam paris oſtendunt legēdum eſſe ſede, ait enim, *aqua tellus pauperi.* perinde acſi dicat, terra ex æquo ſedes eſt omniū: recluditur enim & recipit intra ſe pauperes ſimul & diuites, quæ ita certa domus eſt omniū, vt nulla poſſit eſſe certior: illinc enim nemini vnquam licuit migrare, quantūuis prudenti, potēti ac diuiti: *regum pueris.* per reges apud poëtas ferè principes & potēteis viros intellige; vt & illud, equus me portat, alit rex. *ſatelles Orci.* ſatellitem Orci Lamb. interpretatur Charontem, à quo diſſentio: non enim Charontem inuocat viuus aut metuit: quare ſatellitem Orci rectius explicabimus mortem, hæc enim congregat, hæc militat Orco. *callidum.* propter ereptum Ioui vitalē ignem: de quo alibi latiùs. hîc autē Prometheus pro quouis prudente ſapientéq. ponitur. *reuexit auro.* vitæ reſtituit: Mors enim ſatelles Orci quos ſemel deduxit ad inferos, non reduxit vnquam. Hoc autē verbum reuexit, Lābino & aliis argumento fuit ſuæ interpretationis de Charonte, ſed nihil hoc, aut parum me mouet vt eos ſequar; ſed Aeſchylus potius, cui concinit hoc Horatij, *auro captus.* ait enim, μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ id eſt, mors enim ſola deûm non amat munera. *ſuperbum.* diuitem, Ἀθανασία δ' οὐκ ἔστιν, οὐδ' ἂν συναγάγῃς τὰ Ταντάλου τάλαντα ἱκανὰ λεγόμενα, ἀλλ' ἀποθανῇ, καὶ ταῦτα καταλείψεις τινί, id eſt, immortalitas comparari nequit, ne ſi collegeris quidem infinita talenta, quot habuiſſe Tantalus fertur, ſed morieris, eaque relinques alicui. Menander apud Stobæ. *Tantali genus.* poſteros, Atreum, Pelopem, Agamemnona, Oreſtem, &c. *hic leuare functum p. l.* hic locus ab aliis ſic ordinatur: hic Orci ſatelles vocatus & non vocatus audit leuare; id eſt, vt leuet pauperem functum laboribus. qui ordo etſi non omnino diſpliceat, malo tamen ſic ſtruere, hic vocatus & non vocatus leuare, id eſt, vt ſubleuet pauperem functum laboribus, id eſt, continuis moleſtiis & miſeriis vitæ defatigatum pertæſumq́ue audit, id eſt, præſto adeſt, πάρεστι, hoc eſt, velit nolit pauper, ei moriendū eſt; atq. etiam audit vocatus quidem à paupere, non vocatus verò à diuite: nam βραχὺς ὁ βίος ἀνθρώποις εὐτυχοῦσι, δυστυχοῦσι δὲ μακρός, ait Apollonius Tianeus apud Suidam: quam ſententiam Publianus ſic habet, O vita miſero longa, felici breuis! Ex hoc autem loco, quod ait vocatus, & non vocatus, iudicet lector eruditus, num ſatelles Orci ſit Charon, & non potius mors ipſa; quæ à miſeris quidem ſæpè & infortunatis inuocatur, vt teſtis eſt ſenex ille Aeſopicus lignarius: diuitibus verò formidabilis. vnde eſt illud Eccleſ. 41. O mors, quàm acerba eſt memoria tua homini habenti pacem in ſubſtantia ſua! Eraſ. in Chil. refert hæc verba Horatij, vocatus, & non vocatus audit, ad oraculum Lacedæmoniis redditum, καλούμενος, κἀκλητος θεὸς παρέσται, id eſt, vocatus & nō vocatus Deus aderit; cuius vſus eſt, quædam nobis euenire velimus nolimus, vtpote, ſenectam, mortem, &c.

AD LIBERVM PATREM.

Ode XIX. ἐνθουσιαστική.

BACCHVM in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite poſteri,
Nympháſque diſcenteis, & aureis
Capripedum Satyrorum acutas.
Euœ, recenti mens trepidat metu,
Plenóq; Bacchi pectore turbidum
Lætatur. euœ, parce Liber,
Parce graui metuende thyrſo.
Fas peruicaces eſt mihi Thyadas,
Viniq; fontem, lactis & vberes
Cantare riuos, atque truncis
Lapſa cauis iterare mella.
Fas & beatæ coniugis additum
Stellis honorem, tectáq; Penthëi
Diſiecta non leni ruina,
Thracu & exitium Lycurgi.
Tu flectis amneis, tu mare barbarum:
Tu ſeparatis vuidus in iugis
Nodo coërces viperino
Biſtonidum ſine fraude crineis.
Tu, cùm parentis regna per arduum
Cohors Gigantum ſcanderet impia,
Rhœcum retorſiſti leonis
Vnguibus, horribiliq; mala.
Quamquàm choreis aptior, & iocis,
Ludóq; dictus, non ſat idoneus
Pugnæ ferebaris: ſed idem
Pacis eras, mediúſque belli.

Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, & recedentis trilingui
Ore pedes tetigitq́; crura.

COMMENTATOR.

BACCHVM *in remotis carmina rupibus.* Metrum duob. verſ. Alcaic. tert. iamb. dimet. hypercat. quart. Pindaric. Indicat à ſe viſum Liberum patrem in ſecretis nemoribus carmina docentem; & his viſis perturbatus, velut præſentia numinis furore correptus, exclamat, Euoe. ordo eſt. vidi Bacchum docentem carmina in remotis rupibus, & vidi Nymphas diſcenteis & acutas aureis capripedum Satyrorum. *credite.* talia dicenti. *capripedum.* Panas dicit & Satyros, qui caprarum pedibus & auriculis finguntur. *acutas.* erectas ad audiendum. *Nymphas.* Muſas. Quidam ipſum Solem, ipſum Apollinem, ipſum Dionyſium eundem eſſe volunt. nam vt Apollini nouem Muſę, ita Soli nouem circuli ſunt & Dionyſio ſimilis Baccharum chorus: hic autem pro Muſis Nymphas inducit audire Bacchi carmina: vt Virg. Nymphæ noſter amor Libethrides aut mihi carmen quale meo Codro concedite. *recenti.* inaudito. *Bacchi.* præſentiæ numinis. *turbidum.* turbidè. *graui.* ſeuero. *thyrſo.* fronde pampini circũuoluta haſtæ, qua ſibi infeſtum Deum minari fingit. ſic ſuprà dixit graueis principum amicitias, id eſt, ſeueras & ſæpè pernitioſas. *fas peruicaceis.* proteruas, vaganteis, propter bacchantium diſcurſus & ſaltus. *Thyadas.* Bacchas, Bacchi ſacerdotes inſanas & furioſas, à θύω, id eſt, ſacrifico & inſanio. *vinique fontem.* ſic & Virg. & paſſim riuis currentia vina repreſſit. *lapſa.* delapſa. *iterare.* iterum cantando, iterúmq. repetere, & cantãdo quaſi manare facere. Quod ideo dicit poëta, quia Speleis Dionyſio vino, melle, & lacte ſacrificabatur. Virg. & duræ quercus ſudabunt roſcida mella. *fas &c.* ſupp. eſt cantare. *beatæ coniugis.* Ariadnes filię Minois regis Cretenſis, cuius coronam nuptialem à Venere acceptam in honorem Dionyſij commemorat inter ſidera collocatam. Virg. Gnoſiáque ardentis decedat ſtella coronæ. *disiecta.* diruta. *non leni.* præcipiti; maxima per litoten. Notatur autem fabula Penthei & Agaues eius matris, à qua & Bacchidibus diſcerptus eſt. *Lycurgi.* Lycurgus Thracum rex, cùm videret per vini temulentiam in mores multa committi, abſcidi iuſſit vineta: quare iracundia Dionyſij in furorem verſus, vinitoria falce ſibi crura amputauit; ideo ad laudem numinis poſuit ſumtum de inimico ſupplicium. *flectis amneis.* domas, eorum curſus deriuas, id eſt, accolas amnium ſubigis. Aliter. flectis amneis, id eſt, muneri tuo immitteces aquas, quo ad ſuauiorem vſum flectuntur. *mare barbarum.* Indicum: Quia Indos Dionyſius ſuperauit: barbarum autem pro ſæuo ac violento, propter ſubitas tempeſtates. *ſeparatis.* ſecretis ac remotis. *iugis.* montibus. *vuidus.* vino madidus. *coerces.* conſtringis. *viperino.* anguineo, ſpecies pro genere. *Biſtonidum.* Biſtonides Thraces ſunt mulieres, quæ in Liberi patris ſacris bacchari conſueuerunt, angues geſtantes in capite. *ſine fraude.* ſine periculo parentis. *per arduum.* per excelſum, per alta loca. *Rhœcum.* Rhœcum enim gigantem in Leonem verſus occiderat Dionyſius. *retorſiſti.* deieciſti. *horribilique mala.* terribili maxilla, ſcilicet leonina. vt Virg. malæ texere lupi cum dentibus albis. *choreis.* ſaltationibus. *ſat.* pro ſatis. Virg. ſat fatis, Venerîque datum. *idoneus.* aptus. *ferebaris.* dicebaris. *pacis & eras.* pacis & belli potens. *inſons.* tibi, quia nocere non potuit, inſons, non nocens. *aureo cor. decor.* pulchrum. Ideo autem Libero cornua aſſignãtur, quia vinolentia proteruitatem & cõtumaciam cõſueuit augere. *leniter.* blandè. *atterens.* contingens, comprimens. *recedentis.* tetigit pedes & crura ore trilingui, vt ſolent canes abblandiri dominis ſuis & notis, aduentantibus & abeuntibus.

CRVQVIVS.

BAcchum in remotis carmina rupibus: Hæc ode frigidi planè primo obrutu, ieiuníque argumenti, adeo vt ferè neglecta iaceat, tamquam ſomnium quoddam poëticum, ſcripta eſt ad imitationem veterum poëtarum, qui Orphica nobis, Ogygiáq. præcepta fabulis inuoluta tradiderunt de deo & mundo, de honeſta vita, de pœnis impiorum apud inferos luendis, deque piorum præmiis gaudióque in campis Elyſiis: quorum meminit obiter in Epiſtol. ad Piſones, inquiens: Silueſtreis homines ſacer interpréſque deorum, cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus: dictus ob hoc lenire Tigres rabidóſque Leones; dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis ſaxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda ducere quò vellet: fuit hæc ſapientia quondam, publica priuatis ſecernere, ſacra profanis; concubitu prohibere vago, dare iura maritis: oppida moliri, leges incidere ligno: Sic honor & nomen diuinis vatibus atque carminibus venit, &c. Ad horum exẽplum lyricus noſter dictorũ factorumq́. myſteria veſtitu quodã poëtico tecta decãtat Bacchi furore plenus. Fuit autem Bacchus iſte vini quidem inuentor,

ſed

ſed non ventricoſus ille: Deus ebrietatis præſes, vt vulgò fabuloſè creditur, ſed vir prudentiſſimus moderatiſſimúſq. & rerum diuinarum peritiſſimus, Prometheus aliis & Deucalion; aliis Ianus. Pindaro verò & Halicarnaſſeo Sabazius nominatus Dionyſiúſque; Latinis Liber pater: nobis autem Patriarcha ille Noach habetur: qui fingitur hic, vt & Silenus huius diſcipulus à Virgilio, Nymphas & Satyros in ſiluis & rupibus arcana quædam docere præcepta: eò quòd Noach poſt vniuerſalem cataclyſmum, quando filios ſuos, eorúmq. poſteros per Aſiam, Europam, & Africam longè latéq. per ſaltus & nemora diſperſos (vixit enim trecentos annos & amplius poſt inũdationem) perpetuo itinere indefeſſóq. inuiſens, vnde Ciceroni Ganus, ſeu Eanus (vt habent vulgati libri, ſed minus rectè) dictus eſt à Cimbrico vocabulo, gaen, quod Latinis notat ire; non deſiit ab ethniciſmis, vitáq. impia reducere ad veri Dei cognitionem cultúmque quem mox poſt diluuium multo eos labore diuque docuerat; eis in inuiis vbique deſertíſq. locis tunc vagabundis iterúmq. iterũq. & ſemper inculcans, vnum Deum adorandum, amandum, eíq. fidendum, ſeruiendúmq;, omniũ rerum auctori, creatori, ſeruatori: vitamque ex eius nutu, non more pecudum, ſed honeſtè & piè tranſigendam: eique promiſſam beatitudinem, qui viueret eo modo: contrà, ſceleratis & impiis propoſita eſſe æterna ſupplicia. hæc eſt philoſophia Orphica, Ogygiáque; hæc Pindarica ſapientia; hæc Bacchica diſciplina ab Horatio, veteribúſq. poëtis Heſiodo, Homero, Theognide, Euripide, ſuis ſæculis Aurea, Argentea, Ferrea per mores hominum vitámq. decantata paſtoribus, Faunis, Satyris, Nymphis, auditoribus auidis cognoſcendi veritatem, ſimplicibúſq. indicata, declarata, expreſſa: non etiam callidis, verſutis, vanæq. ſcientiæ opinione ſuperbis, inflatis & tumeſcentibus. *Bacchum in remotis.* non in ſtrepitu ambitionéq. forenſi, vbi nihil diuini, ſed humana omnia, doli, fraudes, iniuriæ, proditiones, cædes, lerna deniq. malorum, vt aiunt. *carmina.* diuina præcepta carmine deſcripta. *vidi docent.* ϖεινηκῶς, ad fidem dictorum faciendam ab oculato teſte. *credite poſteri.* credat Iudæus Apella, non ego, inquit Lambinus in ſuis Cõment. quem miror tantum virum non examinaſſe preſſiùs tam diuinum poëtam. *Nympháſq. diſcenteis.* per Nymphas, animos auditorum ſimplices accipimus, paratos ad diſcendum; ab omni terrenæ fęcis cupidine liberos, non ſordidos, non verſipelleis, doloſos, ſed apertos & candidos: Quales fuere paſtores illi quoque, quibus in campis ab Angelis primum cælitùs nuntiata eſt veri Dei & hominis, Domini noſtri Ieſu Chriſti natiuitas in Bethlee Iudæ, ex intemerata beatiſſimáq. virgine Maria. *& aureis cap. ſaty. acu.* hoc genus auditores Bacchi fuere diſcipuli & comites, vt & Strabo lib. 10. Satyri, Sileni, Fauni, Tityri, qualeis antiquitas effinxit Bacchicæ, Orphicæque & Ogygiæ Theologiæ ſedulos auditores, non temerè ſanè nec ſine myſterio: Nam & capripedes, id eſt, ad diſcendum veloceis & irrequietos: auritóſq;, id eſt, attentos, audiendíq. cupidos eſſe decet diuinæ muſicæ ſtudioſos; nec nõ aureis oblongas habere ad exterorum quoque mores & inſtituta vitæ cognoſcenda: nec eas quidē demiſſas inſtar aſinorum ac pendulas ad terrena mentis inquinamenta, ſed acutas & erectas ad cæleſtia quæque & diuina præcepta percipienda, ad vitam bene beatéq. traducendam. Talis eſt Virgilij Silenus, non tam vino, quàm diuino furore ſomnolentus & ebrius. Talis Midas ille Phrygius in florentiſſimo regno ſuo beatiſſimus Sileni in amœnis ſuis hortis diſcipulus aſſiduus: non ob id certè auritus, vt nugatur Ouidius cũ ſuis, quòd Marſiæ de muſica cũ Apolline cõtendenti primas dederit, ſed quòd ob ore Sileni Bacchica docentis & oculis, & auribus pendebat attentiſſimus. Sed an ne ſimili nos quoque parœmia reges ἀκυτὰς eſſe fatemur, id eſt, habere longas & multas aureis? Quas vtinam in ſalutẽ ſui populi & defenſionẽ pluſquàm morigeras ſceleratis & impiis aſſentatoribus, in eius ceruices propenſas exitiúmque paratas. Nec ob aliam, mihi crede, cauſam Satyri mordaces omnibus odio fuere formidiníq. quàm quòd hominũ vitam, omni vitiorum contagione corruptam grauiter inſectando conarentur in melius emendare. Si verò quis curioſius inquiret quid tenta illa ſeu faſcina Satyrorum prodigioſa ſignent: Mehercule, vt inſtrumenta illa ſeminalis ſunt propagationis ſemper arrecta, ita Satyros notant tam ad docendum, ſeménq. veri ſemper & honeſti ſpargendum paratos, quàm diſcendum. *euoe recenti mens.* euoe hic interiectio potius admirantis eſt, quã bacchãtis: eſt ἔκπληξις ex repentina mentis conſternatione eius quod viderat. *trepidat.* ſubſultat; cordis enim palpitatio non raro ſubſequi ſolet euẽtum minùs expectatum. *metu.* admiratione, reuerentia diuini numinis religionéque. cauſa pro effectu, primus enim in orbe deos fecit timor. *pleno Bacchi.* Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo: ſic Bacchus pro ἐνθουσιασμὸν, id eſt, numinis afflatione. *turbidum.* turbidè, commotè, qualis mens eſſe ſolet in alienatis à ſe caſu aliquo, ἀντιμερεία. *lætatur.* cum animi commotione metus, quẽ lætitia comitatur, eſt ominis boni: contrà, triſtitia poſt horrorem,

portendit malũ & Phyſicis auctoribus & Theologis, vbi de inſomniis ſeu viſionibus diſſerunt. *euœ parce Lib. iozi*: deprecatur enim Liberi vehementiore vim in afficiẽdo ſuo pectore, ne fortaſſe νυμφόληπτ☉ maneat ſine ſpe mentis aliquando recuperan ſę in viſionem viſi numinis, quemadmodum Actæoni contigiſſe fabulantur poëtæ, in ceruũ à Diana tranſformato, quòd eam lauantem vidiſſet. *graui metuende th.* thyrſum hic non haſtã pãpinis inuolutã teclamq; , vt habet Cõment. & alij, ſed grauẽ thyrſum interpretor (pro argumento præſenti, vbi nõ Orgia celebrari, ſed Bacchũ docere ſcribit) venerandã ex thyrſo coronam capiti inductã, ad diuinitatem denotandã, quam religioſè veneratur. ſic Virg. Eclog. 5. inſtituit, Daphnis thyrſos inducere Baccho, & foliis lentas intexere mollibus haſtas: θύρσ☉ enim haſta eſt veſtita frõdibus, & θυρσὶς, corona: quod diſcrimẽ nõ ita Latinis vt Græcis per accentũ deprehenditur. *fas pernicaces*. Nunc certus de Baccho ſibi propitio, ad imitationẽ poëtarum veterũ ſub inuolucris fabularũ canit bonorum præmia, rerúmque omniũ cũ pace tranquillitatéq. copiã à Deo acceptam, dum in cultu diuino honeſtè viuerẽt: & contrà, malorũ calamitates, miſerã famem ſuppliciáq. infinita, eorũ pręſertim qui in Deũ eſſent impij, eiuſq. cultum violarent: quos Bacchus ipſe vindex impietatis ad inferos vſque perſecutus eſt. *Thyadas*. ſacrorũ miniſtras ſacerdotes, & ſacra: alludit quidem, vel, ſi voles, per Thyadas ponit ob oculos temulentos & inſani ſacri malè ſanos miniſtros, Bacchicos, Mænadas, Thyadas, & ſacrorũ matris deûm Bacchi coniugis, Curetas, Corybanteis, Caberos, Idæos, Dactylos, Telchinas, Thyias, Mimallones, & ſi qua ſint alia ſacerdotũ, ſacríſq. furioſis præfectorũ portenſa nomina, quę paſſim apud Ethnicos omnibus ſunt obuia: Nos verò, Dei veri cultores pro humana fragilitate Thyadas interpretabimur Orgiáq. à Baccho noſtro omniũ gentium poſt diluuium patre Noach celebrata, quæ docuit libros ſuos Cham, Sem, & Iapheth cũ poſteris ad verũ cultũ & honorẽ veri Dei, per quẽ ab inundatione terræ ſeruati ſoli cũ vxoribus ſuperſtites fuere. quod autẽ ita ſit, docẽt verſus proximi, *viniq; fontem lactis & vb. can. ri.* nam veri Dei cultores piè, honeſtè, vnanimiq. cõſenſu in timore Domini cõuenientes nullis egẽt, ſed in omniũ rerũ abundantia iucundè, bene, beatéq. conuerſando Deum venerantur, & adorant: Quod occultè canit lyricus, Virg. aliíque diuini poëtæ per vini fonteis, lactis riuos, & mella cauis truncis defluentia; quæ ſub Saturno aurei ſæculi hominibus, pacis, concordiæ veriq. Dei cultus amanibus parata paſſim promtáq. fuiſſe canunt: Qui Saturnus reuerà noſter Bacchus Noach extitit: qui dum Chamũ filiu fugeret, quòd impietate execranda ſe gentibus diuino ſacrificio colẽdum proponeret (quod teſtatur Iouis Hammonis templũ pro Chammonis; Hebræis enim Ham, nõ Châ ſcribitur) in Italiã venit, vbi ab Iaphethi, ſeu Iapeti filij ſui poſteris Saturn⁹ nominatus eſt, à potentia ſeminis, vel Moſe teſte; à tribus enim Noach filiis diſſeminatũ eſt omne genus humanũ ſuper vniuerſam terrã. *fas & beat. coniugis*. hęc ad matrimoniu Bacchi cũ Ariadne pertinẽt, cuius corona nuptialis dicitur relata inter ſidera; ſed μυστικῶς, ſub Baccho enim non ferino in ſiluis ritu coiiſſe homines denotat, ſed ex pręſcripto diuino, idq. docente Noach, vnumquemq. modeſtè ſuam habuiſſe coniugẽ, liberóſq. procreaſſe, inque cæleſti diuinoque cultu exercuiſſe: adeò vt Deus id factu diuino munere ſit abũde remetitus. Quod & de Amphione canit lyricus, fuit hæc ſapientia quondam publica priuatis ſecernere, ſacra profanis, concubitu prohibere vago, dare iura maritis, &c. *tectaq; Penthei*. Hactenus de pręmiis bonorũ: nunc ſub fabulis de malorũ ſuppliciis. De Pentheo vide Saty. 3. lib. 2. ex Apollodor. Quod etiã ſcribit Pauſanias in Corinthiacis; in Bœoticis: verùm cùm eſſet inſolentior (Pentheus) & planè impius, Libero patri violati numinis pœnas dedit. Quæ numinis violatio, etſi fabuloſè Bacchis furiolis adſcribatur, tamen propter contemtum ſacrorum, & cultum veri Dei, ab Ianigenis, ſeu Iaphethi poſteris, per Aſiã à Tauro ad Tanaim vſq. & vniuerſam Europã diſperſis diuino nutu ſumtum eſt ſupplicium. Itaque per tecta Penthei diruta intelligimus & ipſum & omnem eius progeniem funditus deletam diuina vindicta. *non leni ruina*. ſic habent tres Bland. quos ſequor. *Thracis & exit. Lycurgi*. Apollodorus lib. 3. Bacchæ autem, inquit, in vincula (à Lycurgo) coniectæ fuerunt: nec non magna Satyrorum multitudo, quæ eum (Bacchum) conſecuta eſt: contrà verò Bacchę ſtatim ſolutæ ſunt: Nam Dionyſius Lycurgo furorẽ immiſit; tum ille amẽtia præceps Dryantem filium vitis palmitem ſe ratus amputare, ſecuri percuſſum interfecit: Qui cùm extrema ſui corporis præcidiſſet, reſipuit: deinde vbi terra nullas ſuppeditaret fruges, numen ſuo renunciauit oraculo, terram tum fore frugiferam, cùm Lycurgus mortalitatem exuerit: Quod vt Edoni acceperũt, ipſum in Pangęum montem abductum in vincula coniecerunt; vbi ex Dionyſij voto equis laniatus occubuit. Quæ narratio fabuloſa impium Lycurgum continet veri numinis cultoribus Baccho & eius comitibus, Edonis quoque ad verum Dei cultũ conuerſis, impietatis pœnas dediſſe. *tu flectis amneis.*

amneis. per amneis, Edonos accipe qui ad Strymonem incolunt amnem, qui cũ Lycurgo rege ſuo primùm contumeliis acceptum Bacchum finibus eiecerunt, quos flexos poſteà, ad verũ Dei viui ſacrũ adductos dicit Horatius. *mare barbarum*. hoc eſt, vicinos omneis idololatras: Nam Edonis reductis ad verã Dei cognitionem, habent fabulæ Bacchũ Thraciam atq. Indiam vniuerſam (quos omneis mare barbarũ interpretor) rediiſſe Thebas, feminá'que in Cithærone monte debacchari cõpuliſſe, à quibus tũc fertur Pentheus à Cadmo in regnũ ſubrogatus. *vuidus*. temulentus, ebrius, non vini potu, ſed Dei ſpiritu. *viperino*. Alludit ad fabulã, qua fingitur Bacchus ſimul ac à femore Iouis natus eſſet, ſerpentibus fuiſſe coronatus: Serpentibus itaq. implicuit comas Biſtonidũ, id eſt, mulierũ Baccharũ Thracenſium, quando eas verũ Dei cultũ doceret, qui barbaræ genti primũ viſus eſt nocentior viperis ipſis: Atqui tamen hoc ſine fraude fecit: non enim nocuit eis vera religio, ſed plurimum profuit. Codex Maldeg. habet hic, ſine fronde. Bland. vnus ſine fune, ſed ſecutus ſum veterem lectionem. *tu cum parentis reg.* hæc fabula de Gigantomachia ita in ore eſt omnibus, vt in ea hîc referenda non ſit opus terere tempus. Bacchum autem leonem factum, parenti, Rhœco necato, primùm ſuccurriſſe, quid aliud habet myſterij, quã Noach forti leoninóq. animo poſt confuſionẽ Babel, Chami poſteris iam idololatris & penitus atheis in faciem reſtitiſſe, nec ab incepto deſtitiſſe tantiſper dum diuino nutu, vel ſine illos, vel ad ſanam mentem, vel diiectos penitus diſſipatóſq. perderet atque deleret? Gigantes certè, non tam proceritate ſtaturáque formidabileis fuiſſe exiſtimo, vt eſt in fabulis (quàuis nolim inficiari, quoſdam magnitudine corporis homines extitiſſe præ aliis monſtroſos) quàm prudentia quadam humana, calliditatéq. & armis, ceteris potentioreis; qui, abiurato Deo vero & viuo, ſeſe in terris deos eſſe perſuaſerunt miſeris mortalibus; & veri Dei cultores perſecuti, tantiſper variis tormẽtis affecere, dum vel inuiti in ſua verba iurarent. Dicunt autem Etymologici Gigantes eſſe terræ filios ex guttis cæli genitalis, παρὰ τὸ ἐκ τῆς γῆς εἶναι. At Becanus noſter ait Cimbricum eſſe nomen, deriuatúque ex voce wijthandt, quæ ſignat latam & longam manum, id eſt, ingentem potentiam: qui etiam centimani dicti ſunt ex eadem nota. Deinde VV duplex in Aeolicum digamma mutatum, nec non loco aſpirationis in medio quoque poſitum hiatus vitandi cauſa, & t littera reiecta fit Gigant: quæ terminatio pro Latina ſeu Græca inflexione mutata in ans, vel as, efficit Gigans, vel Gigas. Becanum legito in Gigantomachia. *per arduum*. per arduos & excelſos monteis inter ſe ſuperſtructos: qua de re Virg. Tũ partu terra nefando, cælumq́. Iapetumq́. creat, ſæuumq́. Typhoea, & coniuratos cælum reſcindere fratres, ter ſunt conati imponere Pelio Oſſan, ſcilicet atque Oſſæ frondoſum imponere Olympum, ter pater extructos deiecit fulmine monteis. *Rhœcum*. ſic habet cod. Bland. antiquiſſ. ſed non ſine litura: quam lectionẽ ſeruandam eſſe habemus ex Apollodoro, lib. 3. vbi de Atalante virgine ſcribit, quinetiam vbi inuiolatæ virginitati ſuæ à Rhœco & Hylæo centauris vim parari perſpicit, hi ſagittis ab ea perfoſſi conciderunt, &c. Alij omnes cod. habent Rhetum. *quamquam choreis*. χορείαις. ne quis Bacchum iudicet bellis gerendis minus aptum, eò quòd mollis eſſet delicatuluſque, & voluptatibus addictior quàm pugnax; vnde Seneca in Hercule furente, Non erubeſcit Bacchus effuſos tener ſparſiſſe crineis, nec manu molli leuem vibraſſe thyrſum, cùm parùm forti gradu auro decorum ſyrma barbaricũ trahit. Sed hæc mollities Baccho data eſt vini gratia, quòd cum Venere neruos omneis corporis & animi frangit: verùm reipſa Noach & omnes veri Dei cultores benigni ſunt & hilares, iucundiq. aſpectu vultúque, quaſi in perpetua iuuenta floridi; vt qui ſemper bene ſibi conſcij, nec inter miſeros grauiter afflicti, nec extrinſecus malis oppreſſi; quantum conſentit voluntatis diuinæ, quæ non ſinit ſupra vireis. *ſed idem pacis eras med. bel*. Hæc quoq. ſententia Baccho conuenit vini gratia; quod moderatè ſumptum lenit & ſerenat animos: contra, immodicum vinum perturbat ſenſus & mentem facit alienam à ſe, rixáſque & pugnas concitat. Sed myſticè Noach erat pacis & belli medius, id eſt, mediator inter Deum & homines; pacem piis & omnia bona cõciliãs: ab impiis autem iram Dei precibus auertens, dum redirent ad mentem ſaniorem. *te vidit inſons Cerb*. Bacchus fertur ab inferis rediiſſe ad ſuperos integer & illæſus à Cerbero ceteríque Orci monſtris: poſt diluuium namq. Noach terra iam fugatis diuino nutu aquis delapſiſque ſole illuſtrata exſiccatáque, Arcam vnà cũ vxore & liberis egreſſus poſt multos menſeis quaſi ab inferis rediiſſe creditus eſt poſteris diuini iudicij ignaris. *aureo cornu decor*. Cornutũ fingunt veteres Bacchũ, idque propter vinum: ait enim Sext. Pompeius homines nimio vino truces fieri. Diodorus lib. 4. ſcribit Baccho affingi cornua, quòd primus terrã iũctis bobus excoluit. Alij autẽ, præſertim Græci, Baccho tribuũt diadema, μίτραν nẽ. Quod hinc natum arbitror, quòd Noë cũ liberis ſtatim Deo obtulerint holocautomata pãpinis & ſacris frondibus coronati.

AD

AD MÆCENATEM de ſuæ poeſeos immortalitate.

Ode xx. ἀποτελεστικὴ ϗ προσφωνητικὴ, ϗ ἀλληγορικὴ.

NON vſitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates: neque in terris morabor
Longius, inuidiaq́ maior
Vrbeis relinquam. non ego pauperum
Sanguis parentum: non ego, quem vocas,
Dilecte Mæcenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor vnda.
Iam iam reſidunt cruribus aſperæ
Pelles, & album mutor in alitem
Superne, naſcunturq́ leues
Per digitos, humeroſq́ plumæ.
Iam Dædaleo ocyor Icaro,
Viſam gementis litora Boſpori,
Syrteiſq́ Gætulas canorus
Ales, Hyperboreoſq́ campos.
Me Colchus, & qui diſſimulat metum
Marſæ cohortis, Dacus, & vltimi
Noſcent Geloni: me peritus
Diſcet Iber, Rhodaniq́ potor.
Abſint inani funere neniæ,
Luctúſque turpes, & querimoniæ.
Compeſce clamorem, ac ſepulcri
Mitte ſuperuacuos honores.

COMMENTATOR.

NON *vſitata nec tenui ferar Penna.* Metrum duob. verſ. Alcai. tert. iamb. dimet. hypercat. quart. Pindaric. Per allegoriã ſignificat ſe in Cygnum transformatum, volaturum per vniuerſum orbem, ſuaq. cantione aureis omnium impleturum, cuius dulcedine ſibi promittit immortalitatem. *non vſitata.* non vulgari, non communi, nec omnibus nota. ordo eſt, ego vates biformis, ferar per liquidũ æthera, non vſitata, nec tenui penna. *nec tenui.* facilè ſolubili. *ferar.* ſuſtentabor. *biformis.* propter lyrica carmina & hexametros verſus. *per liquidũ.* purũ. *Longius.* diu, vel amplius. *inuidiaq́ maior.* maior inuidia dicitur, cuius gloria ſuperat inuidiam, cui non inuidetur propter excellentiã. *non ego paup.* non ero ignobilis, quamuis humilibus parentibus ſim natus *ſanguis parem.* proſapia. *non ego quem.* ordo eſt, ô Mæcenas, ego non obibo quem vocas dilecte, nec cohibebor ſtygia vnda. ſignificat ſua non moritura, & per ea ſe conſecuturũ æternitatem. *obibo.* moriar. *cohibebor.* conſtringar, nec tenebor infernalibus clauſtris. *iam iam reſid.* oſtendit mutationis celeritatem. *aſpera.* tactu ſcilicet. *album alitem.* auẽ ſcilicet cygnum. *supernè.* in ſuperna mei parte. *Dædaleo.* Icaro filio Dædali. *gementis.* fluctu reſonantis. ſignificat toto orbe ſe vulgandum, ita vt etiam perueniat ad barbaras nationes, nam per cõmemorationem diuerſarum gentium, omneis terræ parteis deſignat. *Syrteiſq. Gætul.* Libycas, ſupp. videbo fluctuare. Eſt autẽ Gętulia regio Africæ. Virg. nũc promite vireis, nunc animos quibus in Gętulis ſyrtibus vſi. *canorus.* ſonorus. *Hyperbor. camp.* Thracios. hi vltra Aquilonis flatus Septẽtrioni ſubiacent; vt eſt, quin & Hyperboreo ſeptem ſubiecta trioni gens effrena virũm. *diſſimulat.* fingit ſe non timere. *Marſa cohort.* pro Italiæ militibus, vt oſtenderet ſolos Romanos Dacis eſſe terrori. *Iber.* Hiſpanus extremus. *Rhodaniq. pot.* potator, id eſt, Gallus tranſalpinus. *inani funere.* inanis enim luctus fit de mortuis. *nenia.* carmen funebre. *Luctúſque turp.* propter lugentium & eiulantium ſqualorem. *Compeſce clam.* reprime lamentationem. *superna honor.* ſuperuacuè multi dixerunt lugeri mortuos. hîc autem Horatius id aſſerit maximè, quia immortalitatem videri ſe vult per carmina conſecutum. ſic Virg. vano mæſti comitantur honore. *mitte.* omitte.

CRVQVIVS.

NON *vſitata nec tenui ferar penna.* Vt omnibus hominibus licet honeſtè de ſua virtute gloriari lætarique: ſic Horatius per inſignem allegoriam modicè iactat ſua ſibi carmina, cùm argumentorum tùm modulorum ſuauitate nouitatéque gloriam conciliaſſe numquàm perituram; ſéque licet humilis fortunæ parentibus ortũ, non infimo tamen inter homines loco futurum; vt qui nunc ales Muſarum factus, non dignetur ſe amplius cœtibus humanis ſuíſque ciuibus, ſed in ſublime per ęthera pennis iam delatum, extremas quaſque terras, nationéſque mediterraneas procul ab vrbe diſſitas inuiſiturum, ab iis honore diuino, laudéq; immortali donandum. Quare deprecatur apud ſuos funeralem pompam, luctúſque & eiulatus, necnon honores abominatur inanis ſepulchri

ſepulchri, vt quem non terræ condi ſed ad ſuperos euehi par ſit, immortalemque fieri. *non vſitata.* imitatus eſt Anacreontem, qui de ſe ait, ἀναπέτομαι δὴ πρὸς ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις, id eſt, ſubuolo in Olympum alis velocibus. videto adnotata in Oden 1. lib. 1. ſublimi feriam ſidera vertice. *non vſitata.* hoc eſt, ante me Latinis auribus inaudita: ipſe namq; Lyricos numeros primus à Græcis tranſtulit ad Latinos. *nec tenui.* hoc eſt ſublimi, quæ non humi repere me vileſcereque ſinat, ſed in æthera ſubuehat. hic aliter de ſe ſentit atque Ode 18. vbi venam ait ſibi eſſe benignam: ſed alludit ad Apollinis alitem, Cygnum. *biformis.* homo transformatus in cygnum. Alij, biformis, inquiunt, propter Lyrica & Satyrica, quibus nō ſuffragor, niſi credamus hanc Oden ante Satyras eſſe ſcriptam. *in terris morabor.* tacita nota obtrectatorum, quos terrenos, id eſt, inconſtanteis, vanos, inſipidos eſſe vult, ſuiſque ſtultis affectibus nimis indulgenteis; qui haud dubiè Lyricum irritantes eum magnificentiùs de ſe loqui fecerunt, vt potè maiorem inuidiæ; & iccirco ait *vrbeis relinquam*, notans inter alias vrbem Romanam, id eſt, Romanos, æmulos ſuæ gloriæ & exiſtimationis; eò quòd nō eſſet ex inſigni & nobili proſapia, quam ſui contemptus ſubijcit eſſe cauſam, inquiens, *non ego pauperum ſang. parens.* & neſcio, an inſimulem eius exprobrationis Mæcenatis familiæq; clientes nobiliores: eſt enim mihi ea verborum repetitio, non ego paup. non ego, vehemēter ſuſpecta: quaſi obſcuritas parentum (erat enim libertino patre natus) ei data vitio ſit impedimento, quò minus Romanis eſſet celebrior: quod ſatis indicat Ode 3. lib. 4. Saty. 4. & 10. lib. 1. & vtraque Epiſtola lib. 2. deinde non ſatis intelligo, quid hæc verba diſſimulationis habeant, *quem vocas dilecte*: vt hic ſit ordo, quem (me pauperem) tu Mæcenas vocas, ô dilecte Horati: Nam viri principes & potentes, vt pro ſua apud inferiores libertate loquendi, credunt ſe peccare non poſſe, etiam ſi ludicro eos habeant; ita nobiliora ingenia non rarò ſunt dictorum talium, & fortaſſe leuiorum quoque impatientiſſima: Omitto quoque doctos viros ſæpè principibus quidem eſſe familiareis, ſed nugarum potiùs quàm conſilij communicandi gratia: quemadmodum à me oſtenſum eſt Saty. 6. lib. 2. Profectò videtur Horatio contigiſſe quod commune eſt omnibus, nimirum in patria ſua aliquo numero eſſe neminem: Horatius enim etſi Venuſinus, à patre tamen puer Romam adductus eſt, ibiq; liberaliter educatus & inſtitutus, vt de ſe teſtatur Saty. 6. lib. 1. & aliis in locis. itaque Romanus ciuis fuit, ſed à Romanis paucis in pretio habitus præter doctos. Mæcenati verò ait, *ego non ebibo.* hoc eſt, etiam ſi nolint inuidi me viuere & in honore apud meos eſſe & nomine, tamen non moriar, non opprimetur fama mea, nec vileſcet, ſed erepta Stygiis vndis obliuioniſq; Lethæ, ſubuolabit in æthera, deferetúrque ad alias nationes, vel ab hoc inimicorum orbe remotiſſimas, à quibus venerabor honorificè. *iam iam reſid.* deſcriptio metamorphoſeos Horatij in Cygnum. ſic apud Ariſtoph. Cineſias Poëta ſe mutari deſiderat in luſciniam, ὄρνις γενέσθαι βούλομαι λιγύφθογγος ἀηδών, id eſt, pennata auis fieri volo philomela canora. *album alitem.* περιφραστικῶς κύκνον κατ' ἐξοχήν. in odium autem inuidorum dicere videtur ſe in cygnum mutatum iri, quos nihil quàm cenſebat anſeres eſſe obſtreperos. *supernè.* ſic habent omnes lib. ſcripti. Muretus legit, ſuperna, metri neceſſitate. Lambinus ſeruat conſenſum omnium ſcrip. cod. cum quo ego ſentio: non enim velim percelebreis Poëtas legibus carminum ita conſtringi, vt nihil pro ſuo arbitratu eis liceat. Verū quo pacto vltima in ſupernè curta ſit, docet Lambinus in ſuis Comment. in Lucretium, cuius auctoritate quoque nititur in τῷ infernè. *leues per dig.* hoc eſt, humeri, brachia manus, digiti fiunt plumati, atq; ad volatum accommodi. *Dædaleo ocyor.* Dædali patris & Icari filij pœna ſunt communia. videto Ouid. 8. Metamorph. & adnotationes in 3 Oden lib. 1. *Boſpori.* de Boſporis Ode 12. huius lib. *Syrteſque.* Syrtium adnotationem legito Od. 22. lib. 1. *canorus ales.* dulci modulatione iucundus & celebris. hinc cygnea cantio, & cygni canent tacentibus graculis. in Chiliad. videto oden 3. lib. 4. *Hyperboreóſq. cam.* de Hyperboreis, Hypoboreis, Iſſedonibus, Arimaſpis, Rhipæis déque Herodoti errore in Hyperboreis & Hypernotiis, & Diodori, Melæ, Plinij, Solini, Ptolemæi ſententiis confutatis, legito Becani noſtri Venetica & Hyperborea, vbi vel me tacente inuenies quæ mirè delectabūt animum, nec minus vtiliter imbuent variarū rerum mirabiliumque cognitione. *Colchus.* à Boſporo Thraciæ tractus littoris porrigitur longo ſpatio in orientem vſque ad Trapezum, & hinc recuruatur in angulum quem inhabitant Colchi, per quorum terram fluit Phaſis & cadit in Pontum. vide Plin. lib. 6. cap. 4. & Becanum præ ceteris in Hyperboreis. *Geloni.* de his diximus Ode 9. huius lib. eos nimirum eſſe Scythiæ populum apud Budinos, quod nomen vtrumque Cimbricum eſt: alterum à voce loon, id eſt, merces, quod Græci deductum volunt ἀπὸ τοῦ γελᾶν, id eſt, rideo: Alterum à nomine bupt. id eſt, præda, Becanus in Gotodanicis. *peritus diſcet Iber.* peritus rerum longo bello & excultus compoſitúſque, poſt in prouinciam quàm redacta eſt Iberia. *abſint*

inani. non vult ſibi fieri iuſta funeralia, vt qui non moriatur, ſed fiat immortalis ales Muſarum, totus transformatus in Apollinis comitem. De ritu & honore funeris, vide Saty. 5. lib. 2. ad finem. *ſuper vacuos honores.* in monumentis erigendis, loculisque ſepulturæ dimetiendis. Hom. Iliad. π. ὄφρά ἑ ταρχύσωσι κασίγνητοί τε, ἔται τε, τύμβῳ τε, στήλῃ τε. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων, id eſt, funus ei pulchrum fratres ſociique vt adornent & tumulo, & cippo, extrema hæc ſint præmia vitæ. Tacitè notat ſe non requirere ſepulchrum, ſed ſui memoriam diuinis honoribus celebratam iri apud exteros, vt qui ſit ab ijs in Deorum numerum referendus.

Q. HORATII FLACCI

ODARVM LIBER TERTIVS.

IN VARIETATE STVDIORVM, SOLAM TRANQVILLITATEM EFFICERE VITAM BEATAM.

ODE I. πραγματική.

ODI profanum vulgus, & arceo.
Fauete linguis. carmina non priùs
Audita, Muſarum ſacerdos,
Virginibus, pueriſq; canto.
Regum timendorum in proprios greges,
REGES in ipſos imperium eſt Iouis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta ſupercilio mouentis.
Eſt, vt viro vir latiùs ordinet
Arbuſta ſulcis: hic generoſior
Deſcendat in campum petitor:
Moribus hic, meliorq; fama
Contendat: illi turba clientium
Sit maior. ÆQVA lege neceſſitas
Sortitur inſigneis, & imos:
Omne capax mouet vrna nomen.
Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Ceruice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem:
Non auium, citharæq; cantus
Somnum reducent. ſomnus agreſtium
Lenis virorum non humileis domos
Faſtidit, vmbroſamq; ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
DESIDERANTEM quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum ſollicitat mare,
Nec ſæuus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hædi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundúſque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta piſces æquora ſentiunt
Iactis in altum molibus. huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominúſque terræ
Faſtidioſus. ſed timor & minæ
Scandunt eodem, quò dominus: neque
Decedit ærata triremi, &
Poſt equitem ſedet atra cura.
Quòd ſi dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum ſidere clarior
Delenit vſus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumq; coſtum:
Cur inuidendis poſtibus, & nouo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Diuitias operoſiores?

COMMENTATOR.

ODI *profanum vulgus, & arceo.* Metrum duobus verſ. Alcaic. tetr. iambic. dimet. hypercat. quart. Pindaric. Monet in vita ſolos eos eſſe

eſſe beatos qui amant tranquillitatem. *odi profanum vul.* indoctum. *fauete ling.* hæc vox in ſacrificijs erat vſitata & frequens ad bona omina: quod opportunè hic poſuit; quia ipſe Muſarū ſacerdos nollet his ſacris adeſſe vulgum ſacrorum indoctum. ſic Virg. procul ô, procul eſte profani. Dicuntur autem profani, ſacris non initiati, qui à ſacris arcebantur. *fauete.* ſilete: ſic & Seruius Aeneid. 5. ore fauete omnes. apro ſermone & ſacrificio & ludis; nam in ſacris taciturnitas, in ludis neceſſarius eſt fauor & applauſus: fauet autem ore etiam quis per taciturnitatem. *carmina non p.* ordo eſt, ego ſacerdos Muſarum canto virginibus & pueris carmina non prius audita, à Romanis ſupp. Quamuis enim Lesbius Poëta ante Horatium ſcripſerit lyrica carmina, ea non erant Latina ſed Græca. *canto.* quo teneras ætates inſtituat ad honeſta, quibus ad vitam beatam peruenire poſſint. *regum timendor.* qui timeri debent. ordo eſt, imperium regum timendorum eſt in proprios greges, & imperium Iouis clari giganteo triumpho, & mouentis cuncta ſuo ſupercilio eſt in ipſos reges. vnde Virg. ô pater, ô hominum diuûmque æterna poteſtas: nemo enim hominū immunis eſt à metu Deorum, quia omnes vindictæ numinum ſubiacent. *proprios greges.* in ſuos ſubiectos & ſubditos. *clari.* magnifici. *ſupercilio.* nutu. Virg. annuit & totum nutu tremefecit Olympum. *eſt vt vir viro.* eſt, pro, ſit. *latius.* ſapientius. *ordinet.* digerat in ordinem. de ſatore vinearum. *ſulcis.* ſupp. in. oſtendit autem ſtudia diuerſa quidem eſſe hominibus ad honorum gradus vitæque agendæ, ſed condicionem tamen mortalitatis vnam eſſe. *hic generoſ.* in campo enim Martio comitia erant populi Romani, & eò deſcendebant qui honorem & magiſtratum petebant. *generoſ.* nobilior. *petitor.* honoris ambitioſus. *meliorq;.* præſtantior. *contendat.* certet. *clientium,* amicorum. *neceſſitas.* mors, quia mori neceſſe eſt. *ſortitur.* quaſi ſorte rapit: quia credebāt ex vrna ſingulos educi ab Orco ſorte, eductóſque ad mortem trahi. vt, & vana verſat in vrna. *capax.* quæ cuncta nomina capere poteſt. *mouet.* voluit. *inſigneis & imos.* diuites & pauperes. *diſtrictus.* exertus, nudatus. *ſuper.* deſuper. vt, ligna ſuper foco largè reponens. alluſit ad Dionyſium Siculorū tyrannum magnæ ſæuitiæ virum, cuius dum potentia & copiæ à Democle Philoſopho laudarentur, quòd ad luxum ei cuncta ſuppeterent: rogato eodem Philoſopho ad prandium, diſtrictum gladium ſuper ipſius capite tyrannus à trabe iuſſit ligatū ſeta pendere: quo metu perculſus Philoſophus, regalibus & apparatis copiis vti non potuit: Tunc Dionyſius timenti inquit, hoc modo tyrannos viuere, & inter ſummos apparatus imminentibus vrgeri periculis. *impia.* morti vicina. *elaborabunt.* reddent. *non auium.* hæc enim ſua dulcedine ſolent auribus gratum ſuadere ſomnū. *lenis.* altus, quo ruſtici aut laſſitudine laboris vtuntur, aut animi ſecuritate. Virg. at ſecura quies, & neſcia fallere vita. ordo eſt: lenis ſomnus agreſtium virorum, non faſtidit humileis domos, & vmbroſam ripam, & non faſtidit deſiderantem quod ſatis eſt. *humileis.* paruas. Virg. atque humileis habitare caſas. *agitata Tempe.* perflata. *Tempe.* loca nemoroſa & amœna Theſſaliæ. *quod ſatis eſt.* ſufficit ad victum & cultum, non etiam ad ambitionem diuitiarum. *ſollicitat.* vrget ad nauigandum ad parandas diuitias. *Arcturi caden.* ſeptemtrionis. vt, Arcturum pluuiaſq. hyadas. &, præterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis hædorumque dies ſignandi & lucidus anguis. *orientis.* ſic, pluuialibus hædis. *cadentis.* occidentis. *mendax.* infructuoſus: quia agricolæ ſpem nil ferendo deceperit. ordo eſt: vineæ verberatæ grandine non ſollicitant illum, nec fundus mendax arbore nunc aquas culpante, nunc ſidera torrentia agros, nunc hiemes iniquas. *torrentia.* ſiccantia. *iniquas.* nimium aquoſas & graueis. *arbore.* quæ florum vbertatem non perferat ad pomorum fructum. vt Virg. cùm de fructifera loquitur, quotque in flore nouo pomis ſe fertilis arbos induerat, totidem autumno matura ferebat. *contracta.* interius remota. *iactis in altum.* ad mare anguſtius reddendum & excludendum ad ædificia ſtruenda. Vſus eſt voce iactis, quod eſt ædificantium, nam iaci in mare moles dicuntur, quoties excluditur aqua. *frequens.* aſſiduus. *cæmenta.* ad fundamentum, vbi ædificium conſiſtat. *eodem.* ad eundem locum. *redemtor.* emtor, aut fabricæ ſuſceptor. ordo eſt: frequens redemtor & dominus terræ faſtidioſus cum famulis demittit huc cæmenta. *faſtidioſus terræ.* nam mare inuadit ſuis molibus, vt illic ſtruat ædeis. *ſcandunt eodem.* ſollicitudo. Redit ad ea quæ beatam vitam adimunt, oſtendens nec mari nec terra quemquam poſſe auaritiæ aut animi vitia effugere. *ærata.* obærata, ære munita. *ſedet at.* quocumque ierit auarus terra marique ſemper illum ſequitur atra cura. *dolentem.* cupiditate. ſuperfluum dicit & ambitum honorum, & fabricandi diuitiarumq; appetitum, cùm dolorem & mærorem non poſſint auferre. *delinit.* mitigat. *Phrygius.* Synadicus, in Synada enim Phrygiæ ciuitate marmora cæduntur. *Achameniumq; coſt.* Perſicū, vnde coſtū venit, Achæmenij, Perſæ dicti ſunt ab Achæmene rege.

inuidendis. ambitioſis ianuis. vt, nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes. *nouo.* ingenti, inuſito. *ſublime.* aut altum aut marmoreum, ornatum n. *atrium.* domus, aut ipſam domum. *moliar.* extruam n. vt, moliriq; arcem, & manibus ſubuoluere ſaxa. *cur valle per.* ſi ſollicitudine carere non poſſunt, nec commutationibus debent augeri diuitiæ. *operoſiores.* magna opera acquiſitas, laborioſiores.

CRVQVIVS.

ODI *profanum vulgus.* Quum loquidē omnes homines æqua naturæ lege ſint mortales, pauperior, ditior, nobilior, ignobilior, & Deus ipſe ſuo nutu diſponit & gubernat omnia, ita vt nihil quicquam ſit alicui boni, non magiſtratus, honor, potentia, non principatus denique & imperium, quod ei vt auctori largitoriq; non referat acceptum: inter omneis certè feliciſſimus is eſt qui hoc accepit à Deo beneficij, vt nihil amplius, neque maius optet, quàm quod ſatis eſt, adeò vt cui tantum boni datum eſt, eo commodè & hilariter contentus, vtatur, ſecurus honoris & opum regiique apparatus & ſplendoris, quæ ſenſus quidem ſua voluptate delibatos demulcere ſolent, ſed eos tranquillare, gratáque quiete & leni ſomno beare non poſſint, ſed perturbare grauius, mentemque ſua ſede mouere crudeliùs: quibus enim curis, qua ſollicitudine diéque noctéſque non anguntur ambitioſi ne in petendo magiſtratu repulſam patiantur? quantis vndarum procellis agitantur, quàm variis maris periculis obiectantur, qui mercatum peregrinatum, ob diuitias conquirendas, gratia, magnis id conatibus nauigant? denique quàm ſunt extra ſe, qui ſuum mare quaſi præſcriptis terminis ſtentes, vt id ad ædificia, ex nouo Phrygióque lapide magnificè ſtruenda, magnas moles iaci curant, adhibitis magno conductis operis? At quanto beatior his eſt, quanto tranquillior, qui humili domo & horto contentus auito, extra omneis turbas & curas, nunc in vmbra recumbere tutò gaudet, nunc apricari ſuauiter? *Odi profanum vul.* Exorditur ab occupatione, ne quis eum profanis canere credat; abeſſe namque iubet ἀμύητους id eſt, Muſis non conſecratos, ſed impuros, & à Muſis prorſus alienos, qui ſacra Muſarum potiùs obſtrependo, profanarent quàm accinendo celebrarent. Tale eſt illud Plato. ἀγεωμέτρητος μηδεὶς εἰσίτω id eſt, ignarus Geometriæ ingrediatur nemo, inſcriptum ſuæ ſcholæ: Muſica namque apud veteres & Geometria prima erant Philoſophiæ rudimenta: eò quòd æquabilitas animi cum vera vitæ & morum ſymphonia, Philoſophiæ ſtudioſo ſint neceſſaria. *fauete linguæ.* hæc viris bonis Muſarum ſtudioſis: perinde ac ſi dicat, eia, agite, adeſte beneuolè, attendite ſimul animis & auribus præſentes cum ſilentio. vnde eſt illud εὐφημεῖν apud Græcos, id eſt, bona verba dicere. aut σιωπᾶν, tacere, in lætis omnibus acclamationibus. Plato 1. de republ. εὐφήμει, ἔφη, ὦ ἄνθρωπε bona verba quæ o, dij meliora. Ξενοφ. ἐν ἀναβάσει. εὐφήμει, μὴ γένοιτο σὺ τοῦτο, tace, ne quæſo cito talis. vide oden 3. lib. 4. Seneca de vita beata, fauete linguis, hoc verbum, inquit, non, vt plerique exiſtimant, à fauore trahitur, ſed imperatur ſilentiū, vt ritè peragi poſſit ſacrum, nulla voce mala obſtrepente. Petronius arbiter σατυρικῶν ad finem, Effugiendum eſt, inquit, ab omni verborum, vt ita dicam, vilitate, & ſumendæ voces à plebe ſemotę, vt fiat, O di profanum vulgus, & arceo &c. hęc verba ſatis indicant quid intelligat Horatius per vulgus profanum. *carmina non prius.* attentio ab argumenti nouitate, & auctoris perſona, Muſarum ſacris initiati, cuius præcepta diuina pro oraculis ſunt habenda, vt qui ſpiritu Dei afflatus talia canit. *virgin. puerisque.* quibus omnes à puero, & prima mox infantia ſunt imbuendi, quo rectiùs omnem vitam moderatiúſq; peragant: Nam quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorē teſta diu. *regum timendorum.* Primùm contra Anniceríos, Cyrenaicóſq; atheos canit, mundum Dei prouidentia regi, eique ſubeſſe reges & principes viros, omnemque magiſtratum, qui habent imperium in ſibi ſubditos: Quod quàm ſit diuinum, & omnibus iam inde ab infantia cognitu neceſſarium, vel hinc coniicere licet, quòd reges quidem ſi quid ſtatuant in concreditam ſibi à Deo multitudinem præter ius & æquam: ſubditi verò, ſi rectè monentibus præcipientibúſq; non obſequantur, ſed erga eos debitum prætermiſerint officium, meminerint ex æquo omneis ſe habituros vltorem Deū, malorumque vindicem, vel hoc argumento indubitato quod ſubiicit, *Iouis clari giganteo t.* Nam ſi de Gigātibus inuictis triumphauit Iupiter, quid præſidij erit regibus, ſi pijs & innocentibus cōtra ſceleratos & impios opem non ferant? Sed an non hoc planè conſentit D. Paulli verbis ad Romanos cap. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit? &c. *regum timend.* hoc tyrannis eſt proprium, vt à populo metuantur: prout vulgò dici ſolet, oderint dum metuant: Quos in primis à ſæuitia deterritos, monet imperij Iouis vltoris iniquitatis & violentiæ, vt qui ſuo nutu malos malè perdit. *eſt vt vir.* poſt reges Ioui potentia in terris proximos, enumerat hominum

hominum reliquorum ſtatum, vitæq́ue ſtudia: nimirum alios eſſe ruris amantiores, alios politię: & ex his rurſum in magiſtratu petendo alios nobilitate niti, alios vita, moribus & exiſtimatione, alios turba clientium plus poſſe, quos æqualiter omnes in officio ſuo faciendo vult mortis memores ab honeſto non diſcedere. *eſt vt.* concedentis eſt euentus fortuiti in humana conditione, pro, euenit, ita eſt, vt vir viro latius &c. tamen æqua lege neceſſitas ſortitur inſigneis &c. *latius ordi.* ſit locupletior, & ruris amantior, ita vt arandi, plantandi, ſerendi ſtudio res vrbanas poſthabeat ruſticis: Quales erant olim viri boni & frugales, plus innocentiæ ſtudioſi tranquillitatiſq; quàm fraudis & ambitionis. *moribus hic.* hoc eſt, vitæ innocentia fretus & rectè factis. *turba clientium.* comitatu & fautoribus, quorum ſuffragiis clamoribúſque meliorem ſuperet in magiſtratu petendo. vide Alex. ab Alex. *aqua lege.* ſupp. tamē: Mors enim cunctis eſt æqua, quia nemini parcit, ſed æquo pede pulſat pauperum tabernas regumq́ue turreis. Ode 4. lib. 1. *vrna.* vide Oden 3. lib. 2. *diſtrictus enſis.* argumentum ab exemplo, ad honoris diuitiarumq́ue diſſuaſionem, quod vel opes regiæ deliciæq́ue non efficiant vitam iucundiorē, ſed metu mortis impendentis amariorem. hoc autem de Dionyſio tyranno & Damocle exemplum lege apud Cic. 5. Tuſcul. Quæſtion. *impia ceruice.* Qualis erat Dionyſius Siculorū tyrannus, cui ob res ſceleratè geſtas miſeróſq; oppreſſos, malè ſibi cōſcio, mortis metus erat ipſa morte crudelior. *elaborabunt.* ſic habēt omnes ſcrip. lib. quos vidi, non elaborarunt, vt vulgati. Elaborabunt autē, hoc eſt, magna cura, præſtantiq; arte conditæ nō ſapient, ſed erunt inſipidæ penitus, intuenti mortē præſentem: Quid enim ſapiat ei, cui viuere iniucundum eſt? vide Athen. lib. 14. de Syracuſana menſa & Siculo coquo. *reducent.* reſtituent, quem metus ademit. *ſomnus agreſt.* ex antitheſi docet humilioribus ruſticis frugalibúſq; omnia longè ſuauiora quàm ditioribus, vt quibus tutiora ſunt omnia, cibus, potus, ſomnus, & quæcunque vitam beare poſſunt, non enim deſiderant niſi quod ſatis eſt. *lenis* ὕπνος γλυκύθυμος. Ariſtop. nebul. ἀπαλόψυχος, animum leniens, eius curas molliens: de quo Ouid. Somne quies rerum, placidiſſime ſomne Deorum, pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris feſſa miniſteriis mulces reparáſque labori &c. Diuitibus autem metúque defatigatis, nullæ voluptates ſuadere valent eiuſmodi ſomnum, ſed grauia plerumque & terribilia inſomnia ingerunt ſe talia dormienti, qualis oppreſſi animi cura vigilantem ſollicitauit. *deſiderantem quod ſatis eſt.* ab incommodis quæ cruciant eos quibus nihil eſt ſatis, ſed ad quemuis euentum fortunæ non expectatum franguntur animo, demonſtrat quàm ſit is beatus qui id ſolum deſiderat quod ſatis eſt; quàm fortunatus & in vita tranquillius, qui in eo acquieſcit, quod Græcè ſignificantius effertur, ὅσον ἂν ἀρκέσῃ, id eſt, quantum ſatis eſt: is enim αὐτάρκης τῶν χρημάτων, id eſt, diuitiarum plenus, nullis mouetur ventis marinis, ſecurus Arcturi & hœdorum, ſeu oriantur, ſeu occidāt. *ſæuus Arcturi.* Arcturus quòd in cauda ſit vrſæ, dicitur & Arctophylax, quòd vrſam cuſtodiat, 4. Non. Octob. occidit, Auriga mane, ait Columella, lib. vndec. ca. 2. Dicitur autem ſæuus, propter tempeſtates quas concitat occidens. *hædi.* hædi duæ ſtellæ ſunt exiguæ in manu ſiniſtra Erichthonij: in cuius quoque ſiniſtro humero capra Amalthea ſita eſt. *non verberatæ.* nullæ cæleſtes & aëriæ tempeſtates, quantumuis graues, percellunt animum τοῦ αὐτάρκους. Cuius rei viuum archetypum Biblia ſacra nobis exhibent D. Iobum, qui ad omnia conſtans ſemper reſpondit, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. *grandine.* Grando autem nihil eſt aliud quàm nix voluta in ſe contorta: ea autem ſi calamos incidens rumpat, Latinis calamitas, Græcis χαλαζοργία nominatur. *fundúſque mendax.* non reſpondens votis ſui cultoris; quod fit vbi radices immadeſcunt, aut nimio æſtu inareſcunt, aut hiberno frigore inuruntur. *contracta piſces.* Qui gaudent ædificandi ſtudio, quo caret αὐτάρκης, contentus humili domo, hæc patiuntur, vt terræ pertæſi, dum ſuæ ſatis libidini faciant, etiam piſcibus iniurij, mare iactis molibus inuadant, ædeis ſumtuosè fabricent, operarios, famulos, cæmenta eò demittant ſemper ſolliciti, ſemper anxij, ac ne tum quidem liberi vbi hæc omnia parata, omnia conducta ſunt. *piſces ſent.* ſuis enim rupibus excluſi cauerniſq; dolent: pathos perelegans ab iniuria piſcibus illata, in odium & exagitationem ædificantis. *frequens.* ſedulus. *cæmenta.* à cædendo, lapides rudes & informes vocantur, ad farturas operum vtiles. vide Budæum in Pandect. *demittit.* ſic habent 2. cod. Bland. cum Maldeg. reliqui dimittit. lector diſpiciat. parum certè refert. *redemtor.* qui & conductor dicitur, eſt qui pretium accipit, ἐργολάβος Græcè. vide Bud. in Pandect. *ſed timor & minæ.* hoc eſt, quicquid agit non deſeritur à ſuis affectibus, qui non ſinunt eum quieſcere. *quod ſi dol.* ἐπίλογος συλλογιστικός, quo per enumerationem inducit, non ædeis ſumtuoſas, non regium ſplendorem, non opiparam menſam, non odores pretioſiſſimos eſſe permutanda domo ſua & Sabino prędiolo, quoniam non deliniunt, id eſt, nō adferunt tranquilli-

tranquillitatē dolenti ac perturbatæ menti. *Phrygius lapis.* domus & atrij columnę ex lapide Phrygio, id eſt, Synadico. Synada, inquit Strabo lib. 12. vrbs eſt non magna; ante quam planicies iacet oleis conſita, 60 ferè ſtadiorum: Vlterius eſt Docimia vicus, & Synadici lapidis lapicidifodina, ſic enim eam Romani appellant, vena in initio paruas glebas emittebat, nunc propter maximos Romanorum ſumtus, columnæ integræ & ingentes extrahuntur, & varietate Alabaſtritæ lapidi proximæ: Quare multa eiuſmodi ad mare deuehuntur & columnæ, & lapideæ tabulæ magnitudine & pulchritudine admirabiles Romam deferuntur. de hoc autem lapide Plin. lib. 36. cap. 19. Phrygius lapis, inquit, gentis nomen habet &c. nimirum à Synada dictus eſt Synadicus. Quod autem de eius gleba vino perfuſa, follibúſque perflata donec ruteſcat, ac rurſus dulci vino trinis vicibus reſtincta, ad veſteis tingendas, ſcribit, nihil ad hunc locum pertinet. *delinit.* ſic 1. Bland. cum Diuæi, Mart. Maldeg. Sil. duo alij Bland. habent delenit. prius ſequor, licet parum tamen interſit. *Falerna vitis.* ſic 3. Bland. quos ſequor. alij Falernæ vites, ſed nō aptè. alij Falernę vitis, rectius, metri cauſa. *Achæmeniumq́;.* Strabo lib. 15. Item Achæmenidę, ſcribit, & magi, qui honeſtum quoddam viuendi genus ſectantur &c. ſupplendum ex præcedentibus, Perſiam incolunt. *poſtibus.* columnis marmoreis inuidia laborantibus propter luxus magnificentiam. *cur valle permut.* primam perſonam poſuit pro quauis tertia, eius putà, qui frugalitatem amplexus, tantùm deſiderat quod ſatis eſt. *operoſiores.* miſeriores, ærūnoſiores. videtur alludere ad Græcam vocem πονηρὸς, quæ mutato accentu, & laborioſum ſignificat infelicemq́ue & ſceleſtum malitioſumque: Quales certè ſunt omnes qui ſua ſorte non contenti diuitiis toti inhiant.

DE INSTITVTIONE PVERILI AD FERENDAM PAVPERTATEM & LABORES BELLICOS.

ODE II. εὐκτική.

ANGVSTAM, amici, pauperiem pati
Robuſtus acri militia puer
Condiſcat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſta,
Vitamq́; ſub dio, & trepidis agat
In rebus illum ex mœnibus hoſticis
Matrona bellantis tyranni
Proſpiciens, & adulta virgo
Suſpiret, eheu, ne rudis agminum
Sponſus laceſſat regius aſperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.
DVLCE, & decorum eſt pro patria mori.
Mors & fugacem perſequitur virum,
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidoq́; tergo.
VIRTVS, repulſæ neſcia ſordidæ, in-
contaminatis fulget honoribus:
Nec ſumit, aut ponit ſecureis
Arbitrio popularis auræ.
VIRTVS, recludens immeritis mori
Cælum, negata tentat iter via:
Cœtusq́; vulgareis, & vdam
Spernit humum fugiente penna.
EST & fideli tuta ſilentio
Merces. vetabo, qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcana, ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemq́; mecum
Soluat faſelum. ſæpè Dieſpiter
Neglectus, inceſto addidit integrum.
RARO antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

COMMENTATOR.

ANGVSTAM *amicè pauperiem pati.* Metrum Alcaicum vt ſuprà. In hac Ode Romanos omneis commonet ad vitam beatam, faciliorem eſſe viam pauperi quàm diuiti: Quare adoleſcentes ait ita inſtitui debere, vt paupertate exerceantur ad militiam. Aliter, docet qualiter pueri ſint inſtituendi à parentibus, vt & patriæ poſſint prodeſſe, & ſibi æternam famam comparare, eos hortando vt ad fortitudinem exerceant militiam. *anguſtam.* difficilem & arduam. *robuſtus.* fortis. *acri.* dura. *puer.* pro filio, vt Virg. túque puérque tuus. *Parthos.* pro quibuſlibet hoſtibus poſuit, ſpecies pro genere. *feroceis.* truculentos, bellicoſos. *vexet.* laceſſat. *haſta.* conto. *ſub diuo.* vt, Cùm pater in ripa gelidíque ſub ætheris axe. *& trepidis.* in bellis & periculoſis laboribus. ſic educatum, inquit, adoleſcentem ita clarum futurum gloria rerum bellicarum, vt etiam mulieribus & puellis hoſtium notus fiat ipſa bellandi aſſiduitate. *adulta.* nubilis. *ſuſpiret.* ingemiſcat timore, ne aut maritus eius, aut ſponſus militem Romanum prouocās, neſcius artis militaris, intereat. ordo eſt:

proſpiciens

proſpiciens illum ex hoſticis mœnibus matrona bellantis tyranni, & adulta virgo ſuſpiret: eheu ne regius ſponſus rudis agminum, laceſſat leonem aſperum tactu, quem rapit cruenta ira per medias cædeis. vt ſeruaret metaphoræ decorum, quod Romanum militem leoni comparauit, addidit impetum, dicens. rapit ira per medias cædeis. vt, contra tela furit. *rudis agmi.* inſcius pugnæ. *laceſſat.* prouocet. *regius.* regis filius. *rapit.* raptum dicit. *dulce & decor.* vt, qui ſanguine nobis hanc patriã peperere ſuo. *fugacem.* fugientem. oſtendit eos maximè periclitari qui in bello fugiunt. Eſt & fugax à fugo; ſed hoc agentis eſt, non patientis. *iuuenta.* genitiuus eſt à iuuenta primæ declinationis. *timidóque tergo.* fugientium vt, & in tergum fugientibus ingerit haſtas. Tergum autẽ pro quibuſcumq; membris poſuit poſterioribus, quę vulnerari ſolent his qui in prœlio fugiunt. *repulſæ ſordidæ.* repulſionis infamis: repulſam autem habuiſſe dicuntur, qui magiſtratus honorem petentes, repudiati ſunt: Quod cùm eueniſſet Catoni viro præclaro, ipſe virtutis ſuæ conſcius, corruptũ populi iudicium contempſit. Sed hæc de virtute, Stoicorum ſententia eſt, qui dicunt virtutem ſolam ſufficere ad beatam vitam. hic autem virtutẽ non pati repulſam, ſentẽtiam habet, virtutem non poſſe eſſe ſordidam, infamem & turpem. *neſcia.* ignara. *intaminatis.* incorruptis, immaculatis. *ſecures.* pro faſcibus poſuit, & poteſtate. vt, ſęuumque ſecuri aſpice Torquatum. Talis itaque dum in ſe habet honorem, nec ex populi poteſtate ſumit, nec ab eo dignatur accipere. *popularis auræ.* fauoris. Lucan. popularibus auris impelli, plauſúque ſui gaudere theatri. Virg. Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris. *recludens.* aperiens. vt, ardens euexit ad æthera virtus. *immeritis.* qui merito nòn debent mori. *negata via.* vt Virg. inſuetum per iter. *cœtúſque vulgareis.* vilium hominum cõſortia. *ſpernit humum.* vt Virg. Terrenſque hebetant artus. & alibi, qua me quoque poſſim tollere humo. ſenſus autem eſt, virtutem per ſe claram, ornare honores, non etiam ornari ab honoribus. *fugiente penna.* tamquam virtutis fama, terras fugiens cælum petat. *tuta.* magna: eſt enim virtus ſecreti tenax. *vetabo.* ordo eſt: vetabo ſit mecũ ſub eiſdem trabibus, & ſoluat mecum fragilem phaſelum, qui vulgauit ſacrum Cereris. Dicit autem ſe cum ſacrilego nec nauigare, nec manere velle, ne inuoluatur illis periculis. Sacra Cereris myſtica erant, nec ea vulgare licebat, propterea quòd occultè conſiliis vſa eſt, donec filiam ſuã Proſerpinã inueniret. vnde Virg. & fida ſilentia ſacris. *arcana.* ſecreta. *trabibus.* tecto. *fragilem.* de ligno fragili compactu. *ſoluat phaſel.* ſoluere eſt in pelagus dimittere. vt, ſoluite vela citi. *phaſelum.* phaſelus velox & longa nauis eſt, vt Virg. & circum pictis vehitur ſua rura phaſelis. *Dieſpiter.* Iupiter, quaſi diei pater. *neglectus.* contemtus, hoc eſt, ad ſupplicium inceſti, id eſt, noxij & ſcelerati, addidit integrum, id eſt, coniunxit innocentem & virum bonum. *integrum.* innocentem. vt, integer vitæ, ſceleriſque purus. *antecedentem.* præeuntem: tamquam rarò pœna deſerat ſceleſtum, & quamuis tardè puniat meritũ; cùm ab eo non liceat euadere nec effugere. Virg. diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

CRVQVIVS.

DEHORTATVS eſt Ode prima potentiã, ambitionem & magnificentiam, quæ prima ferè ſunt impedimenta tranquillitatis vitæq; beatæ nanciſcendæ, ad quam tamen ait omnes magno conatu ferri: in hac autem, quæ à prima quodammodo pendet, eius ſolidum iacit fundamentum; nimirum, diſciplinam militarem, vt in ea quoque exerceatur adoleſcentia multum contendens: in qua commendat in primis tolerantiam, deinde magna cum laude fortitudinem, poſtremò, fidelitatem: Tolerantia corpus aſſuetudine roborat ad ferenda quæuis incommoda, calorem, frigus, ſitim famem, inediam, vigilias, & quæuis pericula: Tolerantiam autẽ ſubſequitur inuictus animus fortíſque, qui & hoſtibus eſt formidabilis, & pro patria mori paratior quàm fugere: vinci neſcius, non ſpe popularis alicuius auræ ad honores adipiſcendos, ſed dignis ſe fultus præmiis, quę non humana ſunt aut humi repentia, ſed diuina, quæ viã in cælum recludit ad immortalitatem his adiuncta fides eſt comes indiuidua patriæ debita, quæ, vt fortiter agendo dicendóque rempublicam illa tuantur, ita hęc arcana ſibi cõcredita continendo numquam prodit: Quod certè nonnumquam facit vana quædam hominum & inconſiderata loquacitas, qui dicenda tacendáque locuti patriam ſummo in diſcrimine ponunt: idcirco non ſemel eſt apud Homerum inuenire, μῦθος δ᾽ ἄνδρεσσι μελήσει. i. ſitque viris oratio curæ, nõ enim nocet tacuiſſe, ſed nocet eſſe locutum: in hoc itaque ſilentiò militari, quod iuramentum & fidelitatem imperatori datam ſeruat, continetque, vult ab adoleſcentia tirones inſtitui; ne aliquando imperatores facti, ſteriliter patriam circumueniant, omniáque & ſacra & profana perdant: quod ne faciant, Deũ ſemper in memoria habeant vltorem eſſe vindicemque malorum. *Anguſtam amicè paup.* Exorditur ab amica ſeu ſpontanea paupertate, quam milites à primis annis neceſſe eſt amplecti tamquam

bilim fortitudinis: corporis enim mollities & impatientia laborum, efficiunt inutilem rei bene gerendæ, & animum planè mollem. *anguſtam.* cõtractam, artam: contrahit enim paupertas animũ, ſollicitumque & ſui officij memorem facit, arcétque ab omni voluptate, vt non temerè dictum ſit à Menandro apud Stobæ. πενία γὰρ ἐστὶν ἡ τρόπων διδάσκαλος, id eſt, paupertas enim magiſtra morũ eſt: ὡς ἐθίζειν σωφροσύνῃ λιτότητι καὶ καρτερίᾳ, καὶ καθόλου, γυμνάσιον ἀρετῆς ἔμπρακτον, i. quę aſſuefaciat frugalitati & abſtinentiæ, & generatim, ſit fortitudinis efficax exercitium, vt Arceſilaus apud Plutarch. *amicè.* ſic habent omnes manuſcripti ſine vlla litura aut macula. quem caſum quando crederent omnes enarratores eſſe vocatiuum, nec peculiarem nominaret Horatius amicum, maluerunt efferre pluraliter: vnde ſumta eſt hæc inſcriptio vulgata, ad amicos. ſed ab omnibus erratũ eſt valdè inconſideratè: non enim τὸ amicè, vocandi caſus eſt, ſed purum putum aduerbium ſententiæ præſenti conuenientiſſimum: Monet enim cum acri militia puer diſcat amicè, id eſt, libenter & benignè pati pauperiem, hoc eſt, amare frugalitatem ſobrietatemque, & inedia nonnumquam corpus animo ſubijcere, quò promtius imperanti menti morem gerat; quod ſi fiat à pueritia, multo longóque vſu tranſibit in naturam, fiétque amicum & ſpontaneum, quod priùs erat durum, toleratúque difficile. *robuſtus.* epitheton eſt τελικὸν, nimirum, vt diſciplina viuque fiat robuſto & firmo corpore. *acri milit.* rigida duráque. hic ablatiuus eſt præpoſitionis verbi condiſcat, hoc módo, cum acri militia diſcat puer amicè pati pauperiem. non ignoro τὸ acri militia, poſſe dari τῷ robuſtus, vt habet Porphy. vulgatus, ſed hoc parùm placet. diſpiciat lector. *Parthos feroceis.* ſemel atque iterum cum Parthis acri militia pugnatum eſt à Romanis, putà, Craſſo & Antonio, in quos ſuam ferociã declararunt, non minus fugaci ſagitta, quàm Romani equites haſta metuendi. *vitamq́; ſub diuo.* non ſatis eſt futuro militi amicè ferre pauperiem, ſed oportet eum quoque eſſe φιλόπονον, id eſt, libenter tolerare labores militareis, aliáque corporis incommoda, ęſtus & frigora, ſub diuo & aperto cælo cubare, aëriiſque tempeſtatibus diéſque noctéiſque aſſueſieri. *ſub diuo.* ſic habẽt omnia noſtra ſcripta. *trepidis.* ab effectu; quia pericula inexpectata trepidationem generant, mentemque nunc huc, nunc illuc celeriter vertunt: à trepit, inquit Feſtus, id eſt, vertit, etymologia certè Græca, vnde trepido & trepidatio; quia turbatione mens vertitur. *illum ex mœnib.* artificioſa διατύπωσις, ad animandos tirones ad tolerantiã, à gloria & fortitudine bellica, quam facit è mœnibus hoſteis admirari formidaréque. *eheu ne rudis.* exclamatio pathetica virginis ſuo ſponſo metuentis. *regius.* epitheton ad augmentum timoris à progenie regia. *laceſſat.* tres Bland. hab. *laceſſet.* reliqui laceſſat, rectius meo iudicio. *cruenta ira.* animus inuictus, θυμὸς ἄμαχόν τι καὶ ἀνίκητον, inquit Plato 2 de republ. οὗ παρόντος ψυχὴ πᾶσι πρὸς πάντα ἄφοβός τε καὶ ἀήττητος, id eſt, animi vehemẽtia res eſt inexpugnabilis & inuicta, ea vbi præſens eſt, animus totus ad omnia intrepidus eſt & inſuperabilis. *dulce & decorum.* ἐπιφώνημα fortitudinis, nam ὑπὲρ πατρίδος ἀποθνήσκειν, inquit Charondas Catanæus apud Stobæ. αἱρετώτερον ἐστὶ, ἢ γλιχόμενον τοῦ ζῆν ἐγκαταλίπειν αὐτὴν, καὶ τὸ καλὸν· κρεῖττον γὰρ τεθνάναι καλῶς ἢ ζῆν αἰσχρῶς, καὶ ἐπονειδίστως, id eſt, pro patria mori honeſtius ſit, quàm viuendi cupiditate patriam & honeſtatem deſerere: præſtat enim honeſtè mori, quàm viuere turpiter & probroſè. *mors & fugacem.* Enthymema ex oppoſitis, honeſtum eſt pro patria mori, ergo turpe eſt fugere, patriamque fuga prodere. expreſſit hoc Simonidis, ὁ δ' ἂν θάνατος ἔφικε καὶ τὸν φυγόμαχον. cod. Mart. habet, proſequitur. *nec parcit imbellis.* hoc eſt, nec, ſi fiſus poplitibus, id eſt, neruis pedum validis fugias, iccirco mortem euaſiſti, ea namque à tergo fugientem perſequitur. *virtus repulſæ n.* Encomion fortitudinis; ea namque nõ ambit honores ſeipſa contenta, quare non repellitur turpiter. *intaminatis.* nullis corruptelæ, ambitionis, largitionum maculis cõſpurcatis aut obſcuratis; quia ſibi bene conſcia contemnit fortuitos, vanos & populareis honores. *virtus recludens.* laus fortitudinis ab immortalitatis & diuinis præmiis. *immeritis mori.* qui rectè factis meriti ſunt immortalitatem. *negata.* incognita vulgò & neglecta propter difficultatem, moleſtias & labores infinitos. *vdam humum.* terrena, quæ facilè marceſcunt. *penna.* pinna habet Bland. antiquiſſ. *eſt & fideli.* hæc tertia pars eſt diſciplinæ militari neceſſaria; in qua vult pueros à prima ætate exerceri, nimirum, in tacendis patriæ & imperatoris conſiliis fidelitas: Nam vt in agendo fortiter, ita in loquendo prudenter ſita eſt incolumitas reipublicæ. Quàm multis fuerit exitio ἀδολεσχία, id eſt, loquacitas, nemini non eſt compertum: iccirco nõ iniuria dicitur fidele ſilentium, quòd fidem datam de rebus arcanis ſeruet, nec improba garrulitate manifeſtet: talem ſatis innuit Horatius à ſua perſona in republica non habendum, vt quem dij oderunt peſſimè: ne fortaſſis eius puniendi gratia boni ſecum in periculum veniant: videtur autem ſatis innuere vetuſtum morem, quo in extremo rerum diſcrimine, dij tutelares conceptis verbis in nouas ſedeis euocarentur, eíſq; tẽpla ampliora, & aræ

& aræ ſollemnes promitterentur, ne ipſi cum victis diriperentur, captiuique velut mancipia haberẽtur: Quare numen quod vrbi caſtrique præeſt palam facere nefas putabant antiqui, ne euocationes eius numinis, ad id auertendum, fierent ab hoſtibus. Quin etiam Ser. ad finem 1. Georg. in voce indigetes, ſcribit Tribunum in crucem ſublatum, quòd vrbis numen, quod nefas erat nominari, enunciaſſet. legito Val. Max. de inſtitutis maiorum, qui virtutis exemplum iuuenibus dabant. *merces.* Euripides, *κόσμος δὲ σιγῆς στέφανος ἀνδρὸς οὐ κακοῦ· τὸ δ' ἐκλαλεῖν, οὐθ' ἡδονῆς μὲν ἅπτεται, κακὸν δ' ὁμίλημ', ἀσθενὲς δὲ καὶ πόλει*, id eſt, decora ſilentij corona eſt viri boni: loquacitas autem, neque iucundum aliquid habet, & mala eſt conuerſationi, & inutilis ciuitati. *qui Cereris ſacrum.* Qui ſua garrulitate quaſi per contemtum religionis & ſalutis patriæ, in Deos eſt impius: nã ex ſacris violatis, aut eius arcanis proditis, quàm male multati fuerint auctores, ciuitates, exercit⁹, regna denique integra, teſtantur hiſtoriæ. videto Val. Max. lib. 1. cap. 1. 2 3. & Baptiſtã Fulgoſum. de Cereris autem ſacris, quæ ſpeciatim hic ponuntur pro ſacris arcanis & ciuitatis & gentis cuiuſq;, lege Arnobium contra genteis; Alex. ab Alex. *trabibus.* Synecdoche, pars pro toto. *ſoluat ſa.* in eadem mecum naui vehatur. huic concinit, *κακῷ σὺν ἀνδρὶ μηδ' ὅλως ὁδοιπόρου*, id eſt, viro ſceleſto ne viæ fueris comes. *ſæpe Dieſpiter.* *αἰτιολογία* ab ira diuinàque punitione, quæ ſceleratorum cauſa ſæuit etiam in bonos, vt Heſiodus apertè deſcribit in operib. & dieb. *πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ, ὅστις ἀλιτραίνει, καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται· τοῖσι δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν· ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί. οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν, μινύθουσι δὲ οἶκοι Ζηνὸς φραδμοσύνῃσιν Ὀλυμπίου. ἄλλοτε δ' αὖτε, ἢ τῶν γε στρατὸν εὐρὺν ἀπώλεσεν, ἢ ὅ γε τεῖχος, ἢ νέας ἐν πόντῳ Κρονίδης ἀποτίνυται αὐτῶν.* Quos verſus ad verbum ferè ſic reddidimus: Sæpe etiam plebs tota luit quod peccat iniquus, cui labi pulchrum, & moliri turpia laus eſt: aſt alia his poſt dãna adfert Saturnia proles peſtem vnà atque famem, populus quibus interit omnis: nulla parit coniux, ſenſimque domus minuuntur decreto Iouis æterni, qui denuò tandem aut acies horum æratas, aut mœnia ſternit, aut Ponto naueis rapido demergit iniquas. vide oden vlt. lib. 3. ibi, cum tacita virgine. *Rarò antecedentem.* Sententia perecelebris ad deterrendos impios à ſceleribus perpetrandis ſpe impunitatis, miſerationiſque diuinæ: nam etiamſi lenta ſit ira Dei, nec protinus ſumat pœnas de cõmiſſo facinore, tamen grauitate ſupplicij tarditatem faciẽ compenſat. *pede pœna claudo.* lepida *προσωπογραφία* pœne claudicantis in perſequendis flagitioſis huic ſimile eſt, *ἡσυχῷ ποδὶ*, tacito ſiue lento pede.

DE IVSTI CONSTANTIS-que viri præmiis, & iniuſti ſuppliciis.

ODE III. εὐχαριστική.

IVSTVM, & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida: neque Auſter,
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus, arceis attigit igneas:
Quos inter Auguſtus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres, indocili iugum
Collo trahentes. hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,
Gratum elocuta conſiliantibus
Iunone Diuis. Ilion, Ilion
Fatalis, inceſtúſque iudex,
Et mulier peregrina vertit
In puluerem, ex quo deſtituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi,
Caſtæq; damnatum Mineruæ
Cum populo, & duce fraudulento.
Iam nec Lacænæ ſplendet adulteræ
Famoſus hoſpes: nec Priami domus
Periura pugnaces Achiuos
Hectoreis opibus refringit,
Noſtriſque ductum ſeditionibus
Bellum reſedit. protinus & graueis
Iras, & inuiſum nepotem,
Troica quem peperit ſacerdos,
Marti redonabo. illum ego lucidas
Inire ſedes, ducere nectaris
Succos, & adſcribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.

Dum longus inter ſæuiat Ilion,
Romamq́; Pontus: qualibet exſules
In parte regnanto beati.
Dum Priami, Paridiſque buſto
Inſultet armentum, & catulos feræ
Celent inultæ: ſtet Capitolium
Fulgens, triumphatiśq; poßit
Roma ferox dare iura Medis.
Horrenda latè nomen in vltimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro:
Quà tumidus rigat arua Nilus:
Aurum irrepertum, & ſic melius ſitum,
Cum terra celat, ſpernere fortior,
Quàm cogere humanos in vſus,
Omne ſacrum rapiente dextra.
Quicumque mundo terminus obſtitit,
Hunc tangat armis, viſere geſtiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ, pluuiique rores.
Sed bellicoſis fata Quiritibus
Hac lege dico: ne nimium pij,
Rebuśq; fidentes, auitæ
Tecta velint reparare Troiæ.
Troiæ renaſcens alite lugubri
Fortuna triſti clade iterabitur,
Ducente victrices cateruas
Coniuge me Iouis, & ſorore.
Ter ſi reſurgat murus aëneus
Auctore Phœbo: ter pereat meis
Exciſus Argiuis: ter vxor
Capta virum, pueróſque ploret.
Non hoc iocoſæ conueniet lyræ.
Quò Muſa tendis? deſine peruicax
Referre ſermones Deorum, &
Magna modis tenuare paruis.

COMMENTATOR.

IVSTVM *& tenacem propoſiti virum.* Metrum Alcaicum vt ſuprà. Hæc Ode ex Stoicorum ſchola. dicit virum bonum & conſtantem non terreri ciuium minis, nec opinionibus moueri, vt aliquid faciat rationi contrarium. ordo eſt: iuſtum virum & ſolida mente tenacem propoſiti, nō quatit ardor ciuium iubentium praua. *tenacem propoſ.* conſtantem in propoſito. *ardor.* vehemens ſeditio. *iubentium praua.* iniqua imperantiū. *vultus.* ſerenitas. *inſtantis.* aut imminentis, aut terrentis. *mente ſolida.* fixa & conſtante. mens autem eſt animi propoſitum & conſilium. vt Virg. hic patris Aeneę ſuſpenſum blanda viciſſim gaudia pertentant mentem. &, Qua facere id poſſis noſtram nūc accipe mentem. &, hic mentem Aeneæ genitrix pulcherrima miſit. *quatit.* mouet, concutit. *neque auſter.* alterum pendet ex altero per gradationem. *turbidus.* quia turbat & vndas cōmouet. Virg. incubuit pelago & vaſtos voluunt ad littora fluctus. *ſi fractus illab.* emphaſis animi cōſtantis. vt Luca. ſic cùm ruit arduus æther. &, per flumina decidet æther. *fractus.* illiſus. *illabatur.* ruat, cadat. *impauidum.* inconcuſſum; iuſtum videlicet. *ruina.* impetus orbis ruentis. *hac arte.* hac animi virtute. *Pollux & vag.* qui omnē terram peragrauit. vt Virg. Nec verò Alcides tantum telluris obiuit. & alibi, terras monſtris æquorque leuandum Alcidæ. *innixus.* incumbens. *arceis atti. ign.* cælum ſtellatum *recumbens.* reclinatus, reſidens, Deorum conuiuiis adhibitus, qui heroës erant & ſemidei. vt Virg. tu das epulis accumbere diuûm. *purpureo.* pulchro. vt eſt, roſeóque hęc inſuper addidit ore. *bibet.* vbi ad hoc meritum peruenerit via virtutis. *te merentem.* an merentem, pro eo quod eſt meritum, ſeu tali honore dignū, an merentem, id eſt, militantem? *indocili.* natura. *collo trahentes.* potentiæ numinis dedit iugo feras ſubdere. *hac.* virtute animi. Quirinum ſiue Romulum laudat in honorem Auguſti, eúmq; Martis filium ſua virtute Deum factum, Acherontē mortuis deputatum vitaſſe confirmat. *Martis equis.* patria virtute. *gratum.* dulce, placidum. *conſiliantibus.* conſilium habentibus diis de recipiendo Romulo in Deorum numerum. *Ilion, Ilion.* repetitio nominis interdum iracundiam, interdum laudē notat. vt, ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit. &, ex illo Corydon Corydō eſt tempore nobis. ordo eſt: fatalis & inceſtus iudex & peregrina mulier vertit Ilion in puluerem, Ilion damnatum mihi & caſtæ Mineruæ, cum populo & fraudulento duce, ex quo Laomedon deſtituit Deos pacta mercede. *inceſtuśq;.* ſceleſtus. *fatalis.* Alexander per quem delеretur Ilion. vt, Cùm fatalis equus ſaltu ſuper ardua venit Pergama. *peregrina.* Helenam peregrinam dixit ad exaggerationem. Virg. fœmina quę noſtris errans in finibus. *ex quo.* tempore. *deſtituit.* decepit, circumuenit: quia pro perfectione murorum Troiæ non ſoluerat votum numinibus promiſſum. Virg. Necdū Laomedonteæ ſentis periuria gentis. *pacta.* promiſſa. *caſtæ.* bene autem caſtæ, quia ſuprà dixit iudex inceſtus. *mihi.* à me, ſeu meo iudicio. *damnatum.* deſtinatum ad perdendum. Virg. hic Iuno

Scæas.

Scæas ſæuiſſima portas prima tenet. *duce.* Laomedonte. *fraudulento.* fallace. *Lacæna ad.* Helenæ Menelai vxoris, quam Alexander pulchritudine ſua & ornatu perſuaſam rapuit. Virg. at non ſic Phrygius penetrat Lacedęmona paſtor, Ledęamq. Helenam Troianas vexit ad vrbeis. *ſplendet.* renidet. *famoſus hoſp.* infamis, qui fidem violauerat hoſpitalitatis, hoſpitis ſui coniugem rapiendo. *Priami domus.* domum pro genere poſuit. Paris enim Priami filius fuit. Virg. da patriam Thymbræe domum, da mœnia feſſis. *periura.* fallax *pugnaceis.* doctos pugnæ. *Hector. opibus.* vt, decimũ quos diſtulit Hector in annum. opes autem pro auxiliis ponuntur, quòd fuerint Hectoris auxilio vſi. vt Terent. Iuno Lucina fer opem. *refringit.* vt alibi, fracti bello. *ductum.* elongatum, ſcilicet per decennium. *ſeditionibus.* hoc eſt, noſtris diſcordiis & diſſenſionibus. *reſedit.* finitũ eſt. vt, omníſq. repẽtè reſedit flatus. *protinus.* deinceps, dehinc. vt Virg. mos erat Heſperio in Latio quem protinus vrbeis Albanæ coluere ſacrum. *graueis.* importabileis. *inuiſum.* odioſum. *nepotem.* Romulum: nepos enim Iunonis fuit per Martem, quem Iouis & Iunonis filium Homerus affirmat: per genus autem Romuli Carthago deleta eſt. *Troica ſac.* pro Troiana. Ilia Romuli mater Troiana fuit genere. vt Virg. donec regina ſacerdos Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem. *redonabo.* remittam, quamuis ſit de Troiano genere, pro patre ſuo regnare concedam. *inire ſedeis.* permittã fieri indigetem. *ducere.* haurire, potare. *nectaris ſuccus.* diuina pocula, id eſt, ſinam Deorum conuiuiis intereſſe. *quietis ordini.* Philoſophi Epicurei hanc beatitudinem diis dederunt, qua eos otioſos eſſe, & nihil curare, nec alicuius rei ſollicitudine teneri dicunt, ſemel mundo lege diſpoſito. vnde Virg. ſcilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos ſollicitat. *dum.* dummodò. *longus.* tolerabilius ſe ferre cõfirmat, vt longo maris ſpatio interiecto Romę regnent potius Romanorum nepotes, quàm vt Iliõ fruatur imperio. *interſæuiat.* intercurrat. *exules.* de exulibus nati. *in parte.* orbis. *regnanto.* vt ſunto pro ſint, futurum pro præſenti. *beati.* felices. *Priami Paridiſque.* vt Virg. occideritq. ſinas cũ nomine Troia. & alibi, & campos vbi Troia fuit. *inſultet.* liberè ſuperuagetur, conculcet. vt, inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos. &, neque oues hædíque petulci floribus inſultent. *celent.* abſcondant. *inulta.* illæſæ, ſecuræ: ſiluoſis enim & deſertis locis feræ catulos tutò celant. vt, ſiluas & luſtra ferarum. *ſtet Capitol.* ſupp. dummodo ruat Ilion. *triumphatiſq.* ſpecies eſt participij. vt, quondam regnata Lycurgo. &, Bacchatamque iugis Naxon. &, triumphata Corintho. *ferox.* aſpera virtute. *horrenda.* metuenda gentibus in vltimas vſque terras. *latè.* diffusè. *dare iura Medis.* ſubditis hoſtibus leges imponere. *qua medius liquor.* Gaditanum mare dicit: inde enim incipit Europa ſecerni à Libya. *ab Afro.* ab Africa. ſynecdoch. id eſt, per quæ loca diuiduntur Europa & Africa duę partes mundi. *tumidus.* dum inflatur. *aurum irrep.* aurum etiam Roma contemnet, quod multo vtilius eſt omnibus hominibus, cùm latet adhuc ſub terra: minus enim cauſas auaritiæ præſtat: fortiorem ergo dicit Romam contemnendo aurũ, fore, quàm in vſus cogendo: veteres enim Romani ex hoc plurimum potuerant, quod paupertatis amatoribus diuitias poſthabebant: Omne namq. aurum ſpernere potius quàm in vſus cogere debet fortis animus. vt, paruóque potentem Fabricium. &, te ſulco Serrane ſerentẽ. ordo eſt: fortior ſpernere aurum irrepertum, & ſic melius ſitum cùm terra celat, quàm cogere in vſus humanos. *irrepertum.* nondum repertum nec viſum. *fortior ſperner.* ad ſpernendum. *dextra.* ſcilicet Romanorum. *omne ſacrum.* ſacra enim omnium gentium rapuere Romani non modò aurum. *dextra.* pro vi bellica, quam comitatur aut præcedit potius auaritia. vt Virg. Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames? Iuuena. atque omni ex crimine lucrum quæſitum. *terminus.* finis naturæ, quo mundi ſpatia terminantur, ad quem adhuc armis dicit perueniri ambitu gloriæ, & auri cupidine. *geſtiens.* feſtinans. *debacchentur.* κατακεκαυμένην dixit inhabitabilem. Virg. Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni. *qua nebulæ.* ſeptemtrionalem ſignificat cardinem, id eſt, glacialem & niualem. Virg. Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris. *bellicoſis.* pugnacibus. *dico.* edico, conſtituo, ſancio Romanis hoc ius fatorum, vt perniciosum habeant per ſe reparari Troiam. *nimium pij.* qui velint iuſta præſtare parentibus contra voluntatem Deorum. *rebúſque fiden.* confiſi potentia. *auitæ.* antiquæ. *triſti clade.* hoc ideo quidã dictum volunt, quòd Fimbria legatus Cinnæ Ilium temporibus Sullanis oppugnauerit ac diruerit, qui mox ſeditione militum peremtus eſt. ordo eſt: fortuna Troiæ renaſcens lugubri alite, iterabitur triſti clade, me coniuge & ſorore Iouis ducente victrices cateruas. *iterabitur.* repetetur. *victrices cat.* pugnaces cohortes. *coniuge & ſoror.* ſic Virg. Aſt ego quæ diuûm incedo regina Iouiſque & ſoror & coniux. *murus aëneus.* fortis. *ter ſi reſurgat.* quoties reparata fuerit, diruendam dicit, vt finitum pro infinito ponatur: aut tertiò ſignificat Troiam periiſſe, ſemel ab Hercule, iterũ à Græcis pro repetenda Helena, tertiò à Fimbria. *exciſus.* deiectus. *ter vxor.* Quidã Andromachen

intel'igi volunt, propter Hectorem & Aſtyanacta. *ſermones*. non enim ad hęc ſumus idonei. *tenuare*. minuere. *modis paruis*. modulationibus lyricis.

CRVQVIVS.

IVSTVM *& tenacem propoſiti virum*. In antiquiſſ. cod. Bland. hæc Ode nec inſcriptione, nec litteris maiuſculis à præcedente ſeparata eſt ſeiunctáque, quod & Porphy. vulgatus hic eſſe debere aſſerit, ſed quę adhærere: Nec id temerè, meo quidem iudicio. namque vt in illius epilogo dicit eum diis omnibus eſſe odio, nec impunè laturum, qui ſuæ fidei commiſſa aut non continet ſidei ſilentio, aut, vt in hac Ode Laomedon, animo pacta fraudulento reſcindit; ita hic nihil quàm virum bonum iuſtumque & ſecreti propoſiti continentem diuinis laudibus effert: idque vt ab adoleſcentia diuinæ vindictæ metu iuuentus & deterreatur ab incōſtantia loquacitatéq; , & æterni ſpe præmii memor ſit fidelitatis quam debet patriæ ſuisq. ciuibus, tàm ſacris quàm profanis in rebus. Quam profecto ita conſtanter eum & inuiolatè tenere neceſſe eſt, vt nulla ſeditio popularis vllis comminationibus, non regius hoſtis quamtumuis potens & ſæuus terra marique: imo ne Iupiter quidem ipſe ab honeſto vtilique propoſito dimoueat, non etiamſi mundus ab ipſo fulmine tonitrúque fractus collabatur: Non alia namque de cauſa Pollux, Hercules, aliique heroës in Deos relati ſunt: non Auguſtus diuorum poculis adeſt, non Bacchus pater: denique nō alia via Quirinus, genere quidem Iunoni prius inuiſus, ſed hanc ob virtutem poſtea conciliatus, immortalitate adepta Stygios lacus effugit: Quò Laomedon fraudulentus exulio detruſus æterno deuenit: vbi nunc Paris quoque perfidus, & eiuſdem culpæ conſcia Lacæna coniux Helena, rebus afflictis omnibus, turpi ſqualidáque ſordent obliuione: vnde nunc Ilion in cineres verſum, vnde iacet æternum Priami domus & gloria Quirino donata: cuius auſpiciis Roma rerum domina ſtabit inuicta, totiq. dominabitur orbi, tantiſper dum auri cupidine nō violet humana diuináque: nec ſua non confiſa potentia ſuiſque viribus velit Giganteo more quaſi cum diis pugnare. *Iuſtum & tenacem prop.* ſententia eſt, nihil humanitus eſſe tam horrendum, neque cælitus tam formidabile, quod virum bonū iuſtum & ſapientem perturbet, atque à recto cogat aberrare: Quod quidem non ita diſſentit à Stoico dogmate de viro ſapiente, vt eò facere non poſſit, niſi quod ἐνεργητικὰ potius hic agantur quàm θεωρητικά: in quibus meditando rectius velit quàm diſputando exerceri iuuentutem: virtus enim Peripateticis in actione conſiſtit. *tenacem propoſiti*. ἐπιεικείας καὶ χρηστότητος, id eſt, æquiq. boniique, quæ in republica ita vigere neceſſe eſt, vt ſine ijs eſſe non poſſit, nedum florere. *ciuium ardor*. ſeditionis periphraſis. *praua iubentiū*. quæ cum æquo & bono pugnant, vſque ſola nituntur: huius habemus χαρακτηρισμὸν 1. Aeneid. Ac veluti magno in populo cùm ſępe coorta eſt ſeditio, ſæuitq. animis ignobile vulgus, iámq. faces & ſaxa volāt, furor arma miniſtrat: tum pietate grauem ac meritis ſi fortè virum quem conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant, ille regit dictis animos ac pectora mulcet. *inſtantis tyranni*. aut interni, publicæ tranquillitatis hoſtis: aut externi, terra maríque imminentis imperio: hinc aduentus Annibalis, tumultuante quoque exercitu, non potuit cunctatorem à ſententia depellere: illinc, non Syllæ comminationes perſuadere Scæuolæ valuerunt, vt hoſtem patriæ Marium iudicaret. *mente quatit ſol.* non dimouet ab eo quod animo conſtanti decreuit: non facit, vt mutata ſententia ſecum ſentiat, non efficit inconſtantem & varium. *neque auſter*. hic ventus in Adriaticum incumbens vehementiſſimum eſſe neceſſe eſt, maximéque tempeſtuoſum horrendumque, quia ex admodū longinquo venit, inquit Ariſtot. Problematis. Senſus itaque eſt, neque aëreas tempeſtates quæ capiti imminent, neque procellas vndarum perturbare conſtantem virum. *magna Iouis manus*. omnes ſcrip. lib. noſtri habent, magna manus Iouis. *ſi fractus illabatur*. Theognis, ἐν μοι ἔπειτα πέσοι μέγας οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε χάλκεος, ἀνθρώπων δεῖμα παλαιγενέων, id eſt, decidat in caput hoc magno cum pondere cælum, terrigenæ antiqui quod metuere homines. De caſu cæli vbi Atlas id humeris ſuſtinere deſierit, & fabulis proditum, & à Phyſicis creditum, vt habet Ariſtot. 5. de auditu Phyſico: Non dubito quin originem ſumſerit, vt aliæ multæ diuinæ ſententiæ, à Patriarchis. vnde Iob cap. 14. Homo cùm dormierit, non reſurget, donec atteratur cælum, non euigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo. *hac arte Poll.* Enumeratio eorum qui ſua conſtantia ſibi pepererunt immortaleis honores. *eniſus*. variant hic ſcripta: quædā inuiſus, alia innixus. antiquiſſ. Bland. cum 4. aliis habet eniſus, quem ſecutus ſum, propter ſignificationem participij ceteris magis commodam in laboribus ſuſcipiendis, cui bene reſpondet φιλοπονώμενος. *attigit*. hoc verbum valdè appoſitè conuenit epitheto vagus; vt qui poſt multos errores laboréſque terra maríque exantlátos, tandem attigerit laborū finem cælos ipſos, vbi nunc pro mercede fruitur æterna quiete. *purpureo bib. ore*. προληπτικῶς. Nimirum iam diuus factus etiamnum in

terra

terra viuus. Quidam cod. ſcrip. habẽt, bibet. quaſi poſtea ſignificet Auguſtum inter diuos numerandum; quodquidem non diſplicet, ſed aliud conuenientius apparet; eò quòd Auguſtus viuus, Deus eſt habitus, tam Virg. in Tityro, ô Melibœe Deus nobis hæc otia fecit, quàm lyrico noſtro, nõ ſemel. *hac te Bacche.* apoſtrophe ad Bacchum, quem fingunt Poëtæ tigribus vehi & lyncibus, quòd animi vel ferociſſimi eius munere vino domentur leniantúrque. *hac Quirinus.* heroibus adſcriptis diuorum numero valde commodè ſubdit Romulum ad perpetuam παρέκβασιν ad odes vſque finem in gratiam Auguſti: Qua Iunonem fingit, ceteróſque diuos mutatis nunc animis, Romanis vnis adeſſe velle, totique eos orbi imperare, donec, auro neglecto, virtuti dent operam, fortitérque & conſtanter adminiſtrent diuina humanáque: Quod vt faciant magno animo, ſubiicit miſeram Troiæ faciem nunc in cineres verſæ, non ſine Iunonis aliorumque Deorum fatali numine; eò quòd neglecta fide integritatéque diis periuri fuerint, hominibúſque perfidi. Quare Iunonem inducit ea lege Romanis adfuturam, ſi non nimiũ pij in auitam progeniem, ſuíſque rebus magnis fidentes, Troiam reædificare velint: Quod ſanè Iunonis edictum, quid, quæſo, eſt aliud, quàm ſalubre lyrici conſilium, quo monet Auguſtum ceteróſque principes perpetuæ virtutis, concordiæ, pacis; vt & bonis legibus, vitæque modeſtia, maieſtati, tranquillitatíque conſtituendæ firmandæq. incumbant: quibus quaſi diuinitus tantiſper pollicetur eos rerum potituros, donec auaritia turpi, potentiæ honoríſque ambitione, odio, inuidiáque inter ſe, fiant perfidia, periurióque ſuo & diis & hominibus odioſi, Troiana tecta reparare volentes, id eſt, Troianorum in omni turpitudine imitatores. Eſt autem vero conſentaneum mox hanc oden eſſe ſcriptam, vbi Auguſtus omnibus ſuis, reíque publicæ debellatis hoſtibus, rebus Romanis moderaretur, ſtatumque populi multis diuturníſque ſeditionibus omnino labefactatum concuſſumque conſtituere ſtuderet. *Acheronta fugit.* ad ſuperos euaſit, ab omniq; dolore ſtuporem inducente liberatus, nunc lætus inter diuos conuiuia curat: Eſt enim ἀχέρων fluuius inferorum, dictus quaſi τὰ ἄχη ῥέων, id eſt, dolores obſtupefacienteis deuehens. *gratum.* rem, diuis ſecum deliberantibus, gratam elocuta, iucundamque auditu: nimirùm, de Romulo in Deum conſecrando: hęc autem quaſi iam olim à Iunone diuíſq. peracta, in Auguſti fauorem, qui à Romulo genus duxit, Iunonem commemorare facit, μιμητικῶς. *Ilion Ilion.* hæc ad finem vſque perpetua eſt Iunonis oratio in diuorum cœtu habita: quę in primis cauſas habet perniciei Troianæ, diuturníque belli, nimirum, iram diuinam, propter periuria, perfidiam, adulteria, & eiuſmodi principum vitia deteſtanda: Deinde Romulo pollicetur, ſuo nutu eum diuorum ordinibus adſcribendum: Poſtremò Romanis orbis totius imperium ſtabile prædicit donec non iterum Troiam inſtaurent, Troianorum mores & vitam amplexentur. *Ilion Ilion.* geminatio habet auxeſin ad affectus mouendos. *fatalis.* fati Troiani, id eſt, perniciei & ſubuerſionis Troianæ cauſa & auctor. *inceſtúſque.* ἀνάγνος: deploratus, inexpiabilis. *index.* iudicium Paridis de aureo malo Veneri dato, commemorat Luciani Dialogus facetus admodum. *Laomedon.* de perfidia Laomedontis in Apollinem & Neptunum, déque horum vindicta, peſte, & per inundationẽ à Neptuno, cetis in agros Troianos immiſſis, déq. Heſione Laomedontis ab Hercule liberata &c. vide Apollodor. lib. 2. & Homer. Ilia. φ. *mihi caſtæq. d. Miner.* Exprobratio iniuriæ Iunoni & Mineruę factæ in malo pulchritudinis Veneri dato, ob quã ait à ſe damnatum Ilion. *iam nec Lacanæ.* ἐπιτήδευμα εἰρωνικὸν, à Sarcaſmo non multum diſſentiens, in Paridem, Helenam & Laomedontis progeniem. *Priami do.* propter Laomedontem Priami patrem. *noſtríſque duct.* hæc verba grauiter à Iunone pronunciantur ad alios diuos pręſenteis in hac conſiliatione. Homer. Il. υ. ſcribit ſtetiſſe pro Troianis Apollinem, Martem, Dianam, Latonam, Xanthum: pro Græcis verò, Neptunũ, Mineruam, Iunonem, Mercurium, Vulcanum: quorum inter ſe æmulatione bellum dicit ductum, id eſt, productum & protractum in decennium. *graueis iras.* Virg. 1. Aenei. tantæ ne animis cæleſtibus iræ? propter Iunonem implacabiliter perſequentem pium Aeneam. *Marti redonabo.* hoc eſt, ſemel ab Ilia matre Marti datum, quem ob delicta maiorum perfidiamque vt nepotem ſuſcipere nolui, ſed feris expoſitum perdere ſtudui; nunc tandem propter multa fortiter benéque geſta, reddã patri quaſi rediuiuum, nepotemque agnitũ diuis adnumerabo. *illum ego luci.* ἀποθέωσις Romuli diuina: Quo autem pacto fiebat humana, quibúſque cærimoniis, legito Herodianum lib. 4. initio. *lucidas ſedeis.* cælos periphraſticôs, à ſideribus ſplendentibus. *ducere.* educere, haurire diuinos liquores, adeſſe diuorum menſis, eíſq; conuiuari. *quietis ordinibus.* beatis, nullíſque turbis perturbationibúſque obnoxiis, quæ perpetuam trãquillitatem interturbent: hoc autem dicit ad diſcrimẽ humanorum in republica ordinum, qui vel leuiſſimo populi tumultu deorſum ſurſumque rapiuntur. *dum longus inter ſæ:* hoc eſt, dummodo Roma moribus & vita nõ fiat Ilion. *qualibet in parte.*

quocumque locorum venerint exules, non tam moribus, quàm natali ſolo, viri fortes & pij: Qualis fuit Aeneas cum ſociis, ibi beati & felices inter alios obtineant regnū & imperium: omne namque ſolum viro forti patria eſt. *dum Pria. Paridiſque buſto.* dummodo non fiant Priami Paridiſque perfidia adulterióque ſimiles; ſed alios ſeris vita moribúſque pares, eos colere, & cum eis verſari ſinant. Vrget hoc argumentū ſæpius, quò firmius inhæreat memoriæ. *ſtet Capitolium.* hæc προστάγματα Iunonis pro legibus diuinis, quę nec impune violari, nec interire poſſunt, habenda ſunt, quæ iuriſconſultis pronunciata & ſtatuta nominantur; regnanto beati. ſtet Capitolium, extendat oras &c. *triumphatis Medis.* hoc eſt, Parthis deuictis & in triumphum ductis. Parthi & Medi vbique ferè pro bellicoſiſſimis hoſtibus ponuntur ab Horatio. *poſſit dare.* det, & leges præſcribat. *horrenda.* omnibus gentibus & nationibus formidabilis Roma fortitudine bellica. *qua medius liquor.* hæc eſt imperij deſcriptio ſecundum longitudinē ab oriente in occidentem. *ſpernere fortior.* hoc modo hæc verba ſtruito: Horrenda Roma extendat nomen in vlt. oras fortior ſpernere aurum &c. quā cogere &c. *ſic melius ſitum.* quia effodiuntur opes irritamenta malorum. Statuit autem Iuno Romanis imperium firmum tantiſper dum, auro ſpreto, vnam virtutem ducem ſequantur: Quales fuere Curij, Camilli, Calatini, Coruncani &c. vide Val. Max. lib. 4. cap. tertium. *quicumque mundi ter. ob.* hæc notatio eſt imperij ſecundum latitudinem, nimirum, à polo Arctico per zonam torridam vſque ad Auſtralem ſeu polum Antarcticū. Cod. Mald. habet mundi, quem ſecutus ſum propter apertam ſententiam: reliqui omnes habent mundo, cum vulgatis; quam lectionem non quidem damno, ſed propter ellipſin præpoſitionis, aliam malo. *terminus.* duo autem ſunt mundi termini Septemtrionalis polus, & Auſtralis, à quibus Geometris & Aſtronomis mundi ſumitur latitudo. alia autem eſt terræ latitudo ſeu terminus, de quo hic non agitur. *obſtitit.* enallage modi, pro obſtiterit, id eſt, non paruerit. *hunc tangat armis.* contingat, eò perueniat, & ad terrorem increbreſcat Romani militis gloria. *viſere.* aggredi & debellare multùm cupiens. *qua parte debac.* periphraſis zonæ torridæ, ſiue æquatoris, quam ſol bis 12. menſium ſpatio tranſit. *debacchentur ignes.* metaphoricôs, pro ſæuiat ingens ſolis æſtus. hæc autem opinio veterum ſcriptorum de æquatore ſeu meridionali circulo, quæ dicitur eis zona cæli torrida & inhabitabilis, Virg. 1. Geor. & Ouidio 1. Metamor. aliiſq; propter nimium ſolis feruorem, omnia exurentem, cōuincitur erronea, cum mercatorum nauigatione Indiam ipſam penetrantiū, tum naturali ratione: Nam vbi dies noctib' ſemper æquales ſunt, vt eis contingit qui eum circulum incolunt, opus eſt cælum eſſe temperatius, frigore quippe nocturno attemperante diurnum calorem, quàm iis qui Cancri tropicum inhabitāt aut Capricorni, vbi nulla cæli temperies eſt, quando ſol in eis circumuoluitur. *qua nebulæ.* periphraſis vtriuſque circuli Arctici & Antarctici, à tenebris & perpetua glacie niuibúſque; qui antiquis quoque inhabitabiles, nobis certum eſt habitari à Finlandis, Grunlandis, Arimaſpis, & aliis plurimis nationibus: de quibus conſulito Olaum Magnū in deſcriptione Septemtrionali. *ſed bellicoſis fata.* ἐπάνοδος ad id quod ſuprà præcepit de Priami buſto & Ilio. μετὰ ἐπιτροφώνσεως: hæc enim fata totius orbis imperij prædicit quidem Iuno ventura Romanis, ſed per condicionem. *ne nimium pij.* κατ' ἀντίφρασιν, id eſt, ne ſint impij ſacrilegíſque & perfidi. *rebúſque fidentes.* nimis ſua potentia viribúſque confiſi. hinc illud eſt Liuij, Roma mole ruit ſua. *auita tecta.* hoc eſt, velint Romam alteram eſſe Troiam, vita, moribus, potentia, perfidia, adulteriis &c. *Troiæ renaſcens.* perpetua eſt allegoria, ſed mirè recondita, ab eo loco, ne nimiū pij, ad eum vſque, non hoc iocoſæ. Vrbis autem Romæ, quam Troię nomine circumloquitur, fortuna renaſcebatur poſt Syllanam factionem; ſed alite lugubri, id eſt, triſti omine, nam iterum fuit euerſa ſeditione Cæſaris & Pompeij; cuius ſubuerſionis cauſam Iuno ſibi adſcribit, inquiens, *ducente victr. cater. coniug. me.* Quod dicit Horatius Auguſti ſtudio: Quaſi velit Iulium Cæſarem, Pompeium; nec non Auguſtum ſuperaſſe Antonium cum reliquiis Pompeianis ductu Iunonis, eò quòd & eorum cauſa diis ſuperis melior innocentiorque eſſet inuenta, & Iunonem per Romulum habent amitam. *ter ſi reſurgat.* hoc eſt, quā diu Romani Troianorum æmuli deſerta virtute, conſtantia, moderatione, continentia, abſtinentia, integritate, & fide velint omnia per vim, perfidiā, auaritiā, ambitionē adminiſtrare, etiamſi *reſurgat murus aëneus*, hoc eſt, etſi acquirant infinitā potentiā *ductore Phœbo*, hoc eſt, Auguſto Cæſare, quem penes nunc eſt totius orbis imperiū; tamen, *ter pereat meis ex.* hoc eſt, deſtruatur eorū potētia, transferatúrq. ad hoſteis, quos auaritia, periuriiſq. ſuperarant antea. hæc noſtra interpretatio allegoricōs, vt prima fronte apparet, nobis habetur vera ſignificatio ſententiæ Horatianæ: at qui malit aliam, legat Commentator. *ductore.* ſic habet cod. Maldeg. quem ſecutus ſum. reliqui omnes legunt auctore, cum vulgatis, quod non damno, ſed aliud mihi magis eſt proprium: Muri namq. in ædificando

inædificando duci dicuntur ab artificibus. *Phœbo.* alluſit ad Apollinem, qui vnà cum Neptuno dicitur reparaſſe Troiam, inito pacto cum Laomedonte, à quo perfidè fuere deluſi. Ego autem per Phœbum intelligo deſignari Auguſtum, eò quòd ipſe in primis Apollinem coluerit, vt Deũ ſuum ἀποτρόπαιον. *meis Argiuis.* à quibus colebatur ſumma cum veneratione Iuno. Virg. veterísq. memor Saturnia belli prima quod ad Troiam pro caris geſſerat Argis. *ter uxor.* finitum pro infinito. Legito hîc Lamb. *non hoc iocoſa conueniet lyræ.* ἐπανόρθωσις ad Muſam, quam reuocat à grauioribus pro decoro lyræ ad iocoſa humiliáque. omnes cod. noſtri ſcripti habent, non hoc iocoſæ conueniet, non etiam, hæc conuenient, aut conueniunt, vt ait Lambinus.

AD CALLIOPEN MVSAM, vt ſibi ſemper adſit.

ODE IIII. προσευκτικὴ καὶ προσφωνητική.

DESCENDE *cælo, & dic agè tibia*
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mauis acuta,
Seu fidibus, citharáve Phœbi.
Auditis? an me ludit amabilis
Inſania? audire, & videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos & aquæ ſubeunt, & auræ.
Me fabuloſæ Volture in Apulo,
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo, fatigatumq; ſomno,
Fronde noua puerum palumbes
Texêre. mirum quod foret omnibus,
Quicumque celſæ nidum Acherontiæ,
Saltúſque Bantinos, & aruum
Pingue tenent humilis Ferenti,
Vt tuto ab atris corpore viperis
Dormirem, & vrſis: vt premerer ſacra
Lauróque, collatáque myrto,
Non ſine Dis animoſus infans.
Veſter, Camœnæ, veſter, in arduos
Tollor Sabinos: ſeu mihi frigidum
Præneſte, ſeu Tibur ſupinum,
Seu liquidæ placuere Baiæ.
Veſtris amicum fontibus, & choris,
Non me Philippis verſa acies retrò,
Deuota non exſtinxit arbos,
Nec Sicula Palinurus vnda.
Vtcumque mecum vos eritis, libens
Inſanientem nauita Boſporum
Tentabo, & arenteis arenas
Litoris Aſſyrij viator.
Viſam Britannos hoſpitibus feros,
Et lætum equino ſanguine Concanum,
Viſam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inuiolatus amnem.
Vos Cæſarem altum, militia ſimul
Feſſas coborteis abdidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene conſilium & datis, & dato
Gaudetis almæ. ſcimus vt impios
Titanas, immanemq; turmam
Fulmine ſuſtulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum, & vrbeis, regnaq; triſtia,
Diuosq;, mortaleíſque turmas
Imperio regit vnus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Ioui
Fidens, iuuentus horrida, brachiis,
Fratresq; tendentes opaco
Pelion impoſuiſſe Olympo.
Sed quid Typhoeus, & validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion ſtatu,
Quid Rhœcus, euulſisq; truncis
Enceladus iaculator audax,
Contra ſonantem Palladis ægida
Poſſent ruentes? hinc auidus ſtetit
Volcanus: hinc matrona Iuno, &
Numquam humeris poſiturus arcum,
Qui rore puro Caſtaliæ lauit
Crineis ſolutos: qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemq; ſiluam,
Delius, & Patareus Apollo.
VIS conſili expers mole ruit ſua:
Vim temperatam Di quoque prouehunt
In maius: ijdem odere vires
Omne nefas animo mouentes.
Teſtis mearum centimanus Gigas

Sententiarum

Sententiarum notus, & integrę
Tentator Orion Dianę,
Virginea domitus ſagitta.
Iniecta monstris terra dolet ſuis,
Mæretq́; partus fulmine luridum
Miſſos ad Orcum: nec peredit
Impoſitam celer ignis Ætnam:
Incontinentis nec Tityi iecur
Relinquit ales, nequitię additus
Cuſtos: amatorem trecentę
Pirithoum cohibent catenę.

COMMENTATOR.

DESCENDE *cælo,& dic,age,tibia.* Metrũ Alcaicum, vt ſuprà. Inuocat Calliopen vt ſe iuuet in cantandis verſibus, & ſe tutari velit vbicumque ſit locorum. ordo eſt: ô Calliope deſcende cælo,& agè, dic tibia longum melos &c. *melos.* eſt autem melos cantus ſuauis, indeclinabile neutri generis. *acuta.* ſonora, liquida, conueniente melodiis ſeu chordis citharæ. *auditis.* quaſi Deæ præſentiam ſentiens, interrogat ſodaleis. *ludit.* fallit. *amabilis inſania.* delectabilis furor Poëtarũ, ἐνθουσιασμός. *errare.* paſſim diſcurrere. *pios lucos.* per nemora Muſarum. ordo eſt: videor audire & errare per pios lucos, tamquàm diceret, veréne audio cantus, & lucis interſum, an errore mentis imaginor, quem ſtudio concepi Poëtico? *amœna.* delectabiles. *ſubeunt.* præterfluunt. *fabuloſa.* de qua multę narrantur fabulæ. *Vulture.* Vultur mõs eſt Apuliæ. ordo eſt: me puerum fatigatum ſomno & ludo texere palumbes noua fronde in Vulture Apulo extra limen fabuloſæ Apuliæ meæ nutricis. *Apulia nutricis.* quia Horatius fuit ex Apulia. *extra limen.* extra terminum proprij pagi. *ludo fatigatum.* ludendo defeſſum more puerili. *fronde noua.* viridi, non antiqua, nec arida, quæ odore & vmbra ſomnum nutriret. ſic Virg. floribus & dulci aſpirans complectitur vmbra *palumbes.* agreſtes columbæ. *texere.* cooperuere. *mirum quod for.a.* quæ res eſſet omnibus mirabilis. *Acherontia.* Acherontia ciuitas eſt Lucaniæ contermina Apuliæ, quam ob hoc nidum appellauit, quia parua eſt & in montis conſtituta ſummitate, ſicut nidi auium in ſummis arboribus ſolent. *ſaltúſque.* ſiluas. *Bantinos.* Bantia ciuitas eſt Apuliæ contermina Venuſinæ ciuitati, quæ campis eſt amœna & paſcuis vicinis, qui Campi nunc appellantur Marini abuſiuè. *tenent.* incolunt. *humilis.* in valle poſiti. *Ferenti.* Ferentum oppidum eſt Apuliæ Venuſinæ ciuitati propinquum. *tuta.* defenſo. *atris.* atros facientibus, aut veneno nigris aut tactu letalibus. *viperis.* pro quolibet diro ſerpente. *premerer.* tegerer, defenſarer. *ſacra lauro.* ſacra autem dicit, quia laurus dicata eſt Apollini, qua cùm tectus eſſet, eius columbis ramos deferentibus, fuit omen futuri Poëtæ. *collatáque.* ſimul à palumbibus deportata. *myrto.* myrtus eſt ſacra Veneri: hoc ergo ſignum erat eum futurum Poëtam lyricum, & decantaturum res Venereas. *animoſus.* fortis, impauidus. ſic, luxurietque toris animoſum pectus honeſti ſpadices. ordo eſt: ego infans animoſus non ſine diis. *arduos Sabinos.* monteis. hoc autem prodigium diuinitatis & ſecuritatis ſuę fuiſſe confirmat: tamquam ſi per hoc numen ſibi ineſſe velit intelligi. *veſter.* vbicumque ſum, inquit, veſter ſum, ô Muſę, cuius infantiam cuſtodiſſe manifeſtũ eſt: ſignificans quòd vbique nihil aliud quàm ſtudia Muſarum colat, carmina ſcribendo. vt eſt, Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ quarum ſacra fero ingenti perculſus amore accipiant. *ſupinum.* montoſum. vt, colléſq. ſupinos. Situm autem ciuitatis deſcripſit, quia in aſcenſu montis eſt conſtituta. *liquidæ.* aut in aquis conſtitutæ, aut delicioſæ ſiue aëris puri. *veſtris amicum.* me amabilem vobis & gratum. ordo eſt: me amicum veſtris fontibus & choris non extinxit acies Philippis verſa retrò, non deuota arbor, non Palinurus Sicula vnda. *Philippis.* nam in campis Philippicis ſtabat à Bruto & Caſſio, quando contra Antonium & Cæſarem dimicatum eſt. vt, vidi iam Phœbe Philippos. *verſa.* fugata. *deuota.* execrabilis ac deteſtanda. *Palinurus.* promontorium eſt Lucaniæ, à Palinuro Aeneæ nauium gubernatore dictum, vbi Horatius ſe redeuntem ex bello Philippenſi periclitatũ fuiſſe dicit: eſt enim nauigantibus locus periculoſus. *vtcumq.* vbicumque, ſæpè enim veteres, vt, pro vbi ponebant. vt Virg. labitur infelix cæſis vt forte iuuencis. *libens.* libenter. *inſanientem.* inquietũ. *nauita.* nauitam hîc pro nauigante poſuit. *Boſphorum.* mare, ſic à tranſitu bouis dictum. *arenteis.* calenteis. in Aſſyria enim regione Perſarum vehementior eſt ſol; vbi & Antonius dum ad Cleopatram vult reuerti, morbo exercitum perdidit. ordo eſt, & ego viator libens viſam arenteis arenas Aſſyrij littoris, & Britannos feros hoſpitibus, & Concanum lætum equino ſanguine. *littoris.* littus etiam camporum extremitatem veteres dicebant. Virg. iacet ingens littore truncus. &, cui littus arãdum, cuique loci leges dedimus. *feros.* inhoſpitaleis. Britanni enim dicebantur immolare hoſpites. *Concanum.* Concani Hiſpani erant, vel, vt quidã volunt, Thraces, quibus lac & ſanguis equinus

erat

erat potus. ſic Virg. & lac concretum cum ſanguine potat equino. *viſam phar. Gel.* in omnibus ſubaudiendum eſt, vtcumq. mecum eritis. *pharetratos Gelonos.* Geloni gens Scythiç ſagittis potẽs. Virg. & gens illa quidem ſumtis haud tarda pharetris. *inuiolatus.* defenſus, intactus, tuitione Muſarum. *amnem.* Tanaim, aut Iſtrum. de quo Virg. turbidus & torquens flaventeis Iſter arenas. *vos Caſarem altum.* magnum, fortem, triumpho ſublimẽ. ordo eſt: vos recreatis Pierio antro Cæſarem altum. *ſimul.* mox vt. *abdidit.* collocauit, diſpoſuit. vt, & natam frondoſis montibus abdit. ad hiemandum ad oppida ex caſtris ducebatur exercitus. *feſſas.* laſſas, vt à labore militari quieſcerent. *finire.* pro tempore à bellis releuare. *Pierio.* Muſis ſacro & ſecreto. hoc dicit, vt oſtenderet Cæſarẽ poëticæ quoq. artis ſtudioſum. *vos lene.* ſuaue. per Muſas, id eſt, per ſtudium litterarum intelligi vult mentem ſapientia roborari: lene enim conſilium ſapientũ, ad philoſophiæ moderationem dicit. *alma.* ſanctæ, vt alma parens. *vt.* qualiter. *ſcimus vt imp.* ordo eſt, ſcimus vt ſuſtulerit impios Titanas caduco fulmine, & immanẽ turbam, vnus qui temperat inertem terram, & ventoſum mare, & qui æquo imperio regit triſtia regna, & vrbeis, & diuos, & mortaleis turbas. *immanem.* arduam. *ſuſtulerit.* deiecerit. *Titanas.* hic per Titanas intelligit vireis ſine prudentia, nõ ſolum perexiguas eſſe, ſed etiam ſibi aduerſas: vnde & Gigantum poſuit exemplum, qui irrationabili furore aduerſus deos arma ſuſtulerunt. *inertem.* immobilẽ: nec enim agitatur aut fertur vllo motu, vt alia elementa. hinc Virg. deſpiciens mare veliuolũ terráſq. iacenteis. *temperat.* mitigat. *ventoſum.* procelloſum. *diuóſq.* ſuperos. *mortaleiſq.* ſemideos & homines mortaleis. *regnáq. triſtia.* luctuoſa. *vnus.* ſolus. *æquo.* iuſto. *magnũ illa terr.* ordo eſt: illa horrida iuuentus fidens brachiis, & fratres tendenteis impoſuiſſe Pelion Olympo, intulerant magnũ terrorẽ Ioui. *terrorem.* vt, hic & Aloidas geminos immania vidi corpora, qui manibus magnum reſcindere cęlũ aggreſſi, ſuperíſq. Iouem detrudere regnis. *tendentes.* volentes, contendentes mõtibus mõteis imponere. vt Virg. ter ſunt conati imponere Pelio Oſſan, ſcilicet atque Oſſæ frondoſum imponere Olympũ. *opaco.* vmbroſo. *Typhœus.* nomina ſunt Gigantũ. vt, nõ terruit ipſe Typhœus. *validus.* fortis. *minaci.* ſublimi, eminenti. vt, mediæq́ minans illabitur vrbi. *ſtatu.* proceritate. *euulſiſq.* eradicatis. tantæ enim erat virtutis, vt truncos arborũ iaceret in hoſteis. *audax.* præſumtuoſus. *ægida.* clypeum Mineruę. Virg. Contra Neptunum & Venerem contráq. Mineruam tela tenens. *ruentes.* inconſideratè venientes. *hinc.* ex vna parte Iouis. *auidus.* propter ignis rapacitatẽ. Virg. Illicet ignis edax ſumma ad veſtigia tecti voluitur. *matrona Iuno.* Ouid. ſummi matrona tonantis. &, matronam puſ... óſque vocat, labor vltimus omnes. *poſiturus arcum.* id eſt, Apollo, qui ex humeris arcum nũquam deponit. *Caſtalia.* Caſtalia fons Lyciæ, ſiuè in monte Parnaſſo. vt Virg. Caſtaliam molli diuertitur orbita cliuo: cùm Parnaſſum ſignificaret. *crineis ſol.* ſignificat ſtudium capillorum crinem fingens. *dumeta.* nemora. ſed propter aſperitatem loci, dixit. *Delius.* Delos inſula in qua memoratur natus Apollo. *Patareus.* Patara ciuitas eſt Lyciæ in qua maximè colitur. vt Stat. ſeu Lyciæ Pataræ exercent dumeta iugis. *Vis conſ. exp.* ignara. generalis eſt ſententia; quia robur corporis ſine prudẽtia periculoſum ſit & infelix ineſſicaxq. *mole.* impetu. *ruit.* labitur. *vim temperatam.* virtutem moderatã: hoc autem dicere videtur Cæſaris cauſa, qui & fortis erat & ſapiens, per quæ ad culmen peruenit imperij. *prouehunt.* promouent. *iidem od. vireis.* ſup. dij. hoc eſt, execrabiles diis vires ſunt, quæ omnem iniquitatem animo meditantur. *mouenteis.* voluenteis. *teſtis.* ſuperiorem ſententiá cõfirmat exemplis. *centimanus gi.* Briareus. Virg. & centum geminus Briareus. *tentator.* Orion venator fuit, qui ſtuprare conatus Dianam, eius ſagittis occiſus eſt. *domitus.* deiectus. *iniecta.* ſuperpoſita. dolet, inquit, terra, quòd ita iniecta ſit ſuper gigantes, vt eos quos filios eius eſſe volunt, ſuis montibus premat. Iuuenal. vnde fit vt malim fraterculus eſſe gigantũ. *marétq.* flet, luget. Virg. hic genus antiquum terræ titania pubes. *luridum.* ſqualidum & inferno colore fœdatum. *miſſos.* demerſos. *Orcum.* Plutona. *peredit.* cõſumit. *Ætnã.* montem Siciliæ Encelado ſuperpoſitum, quem ad pœnæ perpetuitatem ſemper ardere cõmemorat. *ales.* vultur. *additus.* appoſitus, fingitur enim vultur additus iecori Tityi illud perpetuò rodere, nec tamen conſumi poſſe. vt Virg. roſtróq. immanis vultur adunco immortale iecur tondens, fecundáq; pœnis viſcera, nec fibris requies datur vlla renatis. *incontinentis.* adulteri, libidinoſi, qui Latonam voluerit ſtuprare. Tityus gigas fuit in nouem terræ iugeribus cubans. ſic Virg. per tota nouem cui iugera corpus porrigitur. *cuſtos.* vltor & vindex. *trecenta.* finitum pro infinito. *Pirithoum cohi.* reprimunt, ſtringunt. Pirithous enim conatus Proſerpinam rapere catenis dicitur innodatus. vt, hi dominam ditis thalamo deducere adorti.

CRVQVIVS.

DEſcende cælo & dic, age, tibia. Horatius lyricis modis ſubſeruiens, omnia ſua refert accepta

cepta Muſis, indolem, mentem, ſalutem, vitam deniq. ipſam à malis tutam & incolumem: Quin & ipſis quaſi φιλίοις θεοῖς tribuit ereptum ſe bellicis tumultibus, periculis marinis & terreſtribus: Quare ſub earum tutela protectionéq. ait ſeſe paratum eſſe, quaſuis nationes ab orbe ſuo remotiſſimas & genteis barbaras, per mare, per terras, & quemuis adire populum vel immaniſſimum ferociſſimúmque: cùm non ſit ignarus Cæſarem leni ab ipſis accepto conſilio, & hoſteis bellicoſiſſimos expugnaſſe, & nunc cohortibus militia defatigatis, inque hiberna deductis, eum rurſus ab ipſis recreari carmine, leniáque rei gerendæ conſilia placidáque accipere: vt quæ Iouis patris moderationis conſciæ, omnem politiam, regna & imperia ſciant conſtare, humanitate, conſilio, & prudentia: contrà, vim omnem & potentiam ſine moderatione benignitatéque & hominibus & diis ingratam eſſe & abominabilem: cùm non alia de cauſa Iupiter ipſe, qui terram & cælos ipſos æquo moderatur imperio, Titanas cum ſuis fratribus fulmine perdidit, quàm quòd ſuis confiſi viribus, monteis montibus ſuperſtruendo in cælos conſcenderent, Iouéque deturbato totius vniuerſi gubernacula ſuſciperent: verùm Iupiter diuíque ceteri facilè conatus eorum deluſerunt, monteíſque diſiectos ſtructoribus in æternum cruciatum impoſuerunt. Quid enim vires ſine prudentia? Quid ſine conſilio potentia? Sed quid humanus animus, non in Deum dico, ſed ſine nutu Dei moliatur? Qui tyrannidem, dominatum, regnum iniquum violentúmque abhorret, odit, & miſeris afflictum modis, tandem funditus ſubuertit: Qui pius ipſe & æquus omnibus, ſtudia, labores, machinationes in omne ſcelus animo conceptas impio retorquet in auctores ſuos; cuius rei teſtes hic ſunt cum Gigantibus Titanes, qui ſuo magno malo didicere, quid ſit cum diis pugnare: Teſtes Orion in Dianam, Tityus in Latonam, Pirithous in Proſerpinam nimis laſciuus & petulans. Ceterùm, quæ carminis lyræque gratia Muſis hic adſcribuntur ab Horatio, quid aliud præ ſe ferunt, quàm homines in tutela eſſe & protectione diuina, iam inde ab infantia, eos ſine deo nec poſſe quicquam nec velle debere: Qui vt eſt auctor & fons omnis boni, eis largitur rectam rationem in adminiſtrandis rebus, ſapientiámq. & conſilium: nec deſerit eos qui moderatis animis ſe habent temperatéque in ſibi concreditis muniis. contrà, ſceleratos & improbos, qui nullo iure æquitatéque, ſed per violentiam machinãtur vniuerſa, Deus, vt Titanas cum ſuis fratribus violentos & impuros malè perdit, æternóque ſupplicio damnatos punit acerbè. *deſcende cælo.* Exordium ab inuocatione Calliopes, quam precatur è cælo deſcendere. ex ſententia veterum Theologorum, qui Muſis ſingulis in cælo ſingulos orbeis cæleſteis ſuam ſedem dederunt. vide Macrob. in ſomnium Scipio. lib. 2. cap. 3. *dic, age, tibia.* hic imitatus Alcmana hoc modo canentem, vt citat Hephæſtion: Μῶσ' ἄγε Καλλιόπα θύγατερ Διὸς, ἄρχ' ἐρατῶν ἐπέων· ἐπὶ δ' ἵμερον ὕμνῳ καὶ χαρίεντα τίθει χορόν. id eſt, ô Muſa Calliope filia Iouis, incipe verſus amabileis, inſuper verò ſuauem hymno & venuſtum adde chorum. *tibia ſeu voce.* &c. ad imitationem veterũ Theologorum, qui, quòd cælum canere crederent, ſonos etiam muſicos ſacrificiis adhibebant, qui apud alios lyra & cithara, apud nonnullos tibiis aliíſue inſtrumentis fieri ſolebant. Macrob. vt ſuprà. *citharáue Ph.* de cithara & lyra legito notata in odem 10. lib. 1. *auditis.* ἐρώτημα attentionis ad ſodaleis, vt oſtendat ſe furore poëtico correptum, eam adeſſe imaginari quam inuocarat: hoc enim poëtis proprium ſcribit Plato in Apologia, ἐνθουσιάζειν. *pios errare per lucos.* in lucis & nemoribus primi homines, & locis maximè ſolitariis deorum delubra conſtituerunt, in primis Muſarum, Panos, Nympharum, Apollinis & omnium qui muſicen excolunt: nam Plutarcho auctore, ἡ δ' ἐρημία σοφίας οὖσα γυμνάσιον, ἠθοποιεῖ ἀγαθὴ καὶ πλάττει, καὶ μετευθύνει τῶν ἀνδρῶν τὰς ψυχάς. id eſt, ſolitudo autem ſapientiæ exiſtens gymnaſium, bene mores inſtituit formatque, atque animos virorum dirigit. *quos & aquæ.* amœnitas ab aquis ſcaturientibus, ſuoque decurſu ſomnum ſuadentibus, & ventis interſpirantibus. vide in Arte poëtica ad initium, Cũ lucus & ara Dianæ, &c. *me fabuloſæ.* leti prodigij quod ſibi puero accidit, cõmemoratio. Lambinus vult palumbes eſſe fabuloſas, à quo diſſentio. Sed Apuliam dico fabuloſam propter Diomedeas inſulas Apuliæ vicinas, multíſque ſcriptorum fabulis inſigneis; nimirùm in altera deſerta diſparuiſſe Diomedem, comitéſque eius in aueis conuerſos; eas autem manſueſcere, & humanam quodámodo agere vitam, & viuendi ordine & erga benignos manſuetudine: à malignis & ſceleratis, fuga & euitatione, &c. vide Strab. lib. 6. *Vulture in Ap.* locus ad fidem faciendã. *altricis.* ſoli natalis. duo Bland. & Mart. habẽt nutricis. ſic Acro vulgatus cũ Cõmentator. & Porph. diſpiciat lector. *ſomno.* deeſt τὸ que. hoc modo, ludóq. fatigatũ, ſomnóq. ſupp. victũ, oppreſſúmq. & humi ſtratum. *mirum quod foret.* omnibus finitimis admirabile præſagium. argumentum ad fidẽ à teſtibus vicinis. *Bantinos.* ſic habent Blãd. omnes & Diuæ. ſed Maldeg. Bathinos. Mart. Balthinos. Bland. Plinio conſentiunt lib. 3. cap. vndec. at

dec. at cap. 13. eiuſ. lib. apud Caſtrũ nouũ ponit flumen Batinũ, quod huic loco non ſeruit, vt arbitror. *vt.* pro, quod. per enallagen. Quale eſt illud Plinij xviij. neque eſt vt putemus ignorari ea ab animalibus, quæ quidẽ, quæ præparauerint cõtra ſerpentiũ dimicationem, quæ poſt prœliũ ad medendum excogitauerint, indicauimus. *vt tutò.* ἀπολογία admirationis vicinorum. *vt premerer.* quod premerer, &c. *ſacra lauro.* hoc præſagium erat futuri poëtæ. de lauro vide odẽ 7. lib. 2 *myrto.* vt palumbes propter ſalacitatẽ, & myrtus propter humilitatẽ teneritudinémq. ſunt in ſacris Veneri, ita hæc ſigna erant Horatiu Venerea amaturum. *non ſine diis.* non ſine protectione Apollinis & Muſarũ incolumis, ſanus & integer. hæc grati eſt animi ſignificatio: agnoſcit enim ſe infantem pericula ſerpentũ ferarúmq. euaſiſſe, non ſua prudentia, ſed deorũ beneficio. vide Adag. Cum Deo quiſque gaudet & flet. *veſter Camœnæ, veſt.* Apoſtrophe ad Muſas, quibus ob infantiam conſeruatam, nunc ſe totum vouet ac ſacrũ facit, vt earum præſidio tutus, quocumq. terrarũ proficiſcatur & abeat, eas carmine celebret. *tollor.* propter loci ſitum in montibus excelſis. vide Strab. lib. 5. *frigidum Præneſte.* propter aquas frigidas multis è fontibus manantes, varios ad morbos ſalutareis, cũ potu, tum inſeſſionibus admiſſas. lege Strab. lib. 5. *veſtris amicum fontibus.* cõmemoratio periculorum præteritorũ, quæ effugerat eo quòd eſſet Muſarum ſacerdos. *Philippis.* ode 7. lib. 2. *deuota arbos.* ode 17. lib. 2. & 13. *vtcumq. mec.* ob accepta beneficia pollicetur eis fidum ſe comitem futurum in vltimas vſque terras & genteis maximè barbaras, quas collectim recenſet in laudem Cæſaris victoris. *vtcumq;.* quandocumque, quotieſcumq. *Boſphorum.* vide od. 12. lib. 2. *arenteis.* cod. Bland. & Maldeg. legunt vrenteis, quod nõ minus aptũ eſt arenis epitheton atque arenteis. *viſam Britannos.* lege adag. Ad Phaſin vſque. *lætum eq. ſang. Conca.* Ptolemæus Concanos ponit inter Cãtabros lib. 2. in deſcription. Tarraconẽſis Hiſpaniæ. de equino autem ſanguine quo lætari ſcribit, præter Horatiũ nemo meminit. At Strabo lib. 3. ſcribit Cãtabris cõmunia quædã fuiſſe cum Thracibus & gente Scythica quantũ ad crudelitatẽ earum & amentiam, belluarúmq. ritum; vnde nõ obſcurè licet coniicere, equini quoq. ſanguinis vſum fuiſſe Cõcanis familiarem cũ Biſaltis & Gelonis Scythiæ populis. de quibus Virg. 3. Georg. Biſaltæ quo more ſolent, acérq. Gelonus, cũ fugit in Rhodopen, atq. in deſerta Getarũ, & lac concretũ cũ ſanguine potat equino. *Gelonos.* ode 20. lib. 2. *vos Cæſarem altum.* poſt enumerationem victarum gentiũ venit (in laudem Muſarum) ad ipſum victorem Cæſarẽ, quem, velut earum ductu conſilióq. in ſubiugandis barbaris nationibus altũ, exaltatum & celebrẽ; nunc fingit militia defeſſum Muſarũ conuerſatione recreari, carmináq. cũ eis modulari. Significat autẽ Cæſarem in ſeceſſu eſſe & otio, vacationéq. militari, militibus iam hibernantibus oppidatim. *abdidit.* Bland. vnus cũ Maldeg. habet reddidit. alij omnes, abdidit. diſpiciat lector. *Pierio recrea. ant.* Pieria, inquit Strabo lib. 10. & Olympus, & Pimpla, & Libethrũ quondã loca fuere Thraciæ & montes, quos nunc Macedones poſſident. Quiq. Muſis Helicona cõſecrarunt Thraces fuere, Bœotiæ accolæ; vt ij qui Libethriarũ antrũ conſecrarũt, & qui priſcę Muſæ curam ſtudiúmq. dederunt, Thraces fuiſſe perhibentur Ephorus, Orpheus, Muſæus & Thamyris, &c. *vos lene conſilium.* probat Muſarũ cõſilium à lenitate & manſuetudine: quo velut à Muſis acceptocõmendat vſum Cæſarẽ in ſubigendis barbaris; qui ad humanitatẽ eius benignitatéq. quaſi attoniti vltrò ſe nõ rarò dediderũt: fieri enim nequit aliter, qui ſe litteris humanis diſcipliníſq. & philoſophiæ præceptis imbui leniriq. ſuſtulerunt (quod quidẽ eſt cũ Muſis verſari, ab iiſq. conſilia capere, fieri, inquã, nequit aliter, quã eos prudenti conſilio præditos humanitatéq. id efficere, quod ſolis viribus eſt inexpugnabile. *conſiliũ.* notandũ eſt in huius carminis dimẽſione, vos lene conſiliũ & datis, &c. in τῷ conſiliũ, duas breueis, ſili, in vnám contrahi longam, vt in τῷ pituita aliquando factum eſt ab Horatio. *& dato gaudetis.* gaudent Muſæ leni dato cõſilio: hoc enim lętitia perfundit auctorẽ ſuũ, propter exitum felicem quẽ in rebus agendis ſortitur prudentia. *ſcimus vt impios.* declaratio exemplaris ad huius ſententiæ confirmationem, qua fingitur Iupiter prudenti conſilio deuiciſſe Titanum vireis immenſas quidẽ, ſed incõſultas & temerarias. *caduco.* cælitus in capita Titanum decidente. Caduca vocare ſolemus, quæ cadendo pereunt, quæque non ſunt perpetua, qualia ſunt elementaria vniuerſa. *qui terram inertem.* periphraſis Iouis patris ab omnipotentia. *regnáque triſtia.* de ſtatu ſuo ſemper ſollicita: Nam regnum triſte, non inferos, ſed tyrannidem interpretor, idque propter τὰ vrbeis, quas inferis quis hic aptè coniunget? vt alia argumenta præteream lectori coniicienda. *turmas.* vnus cod. Mart. hic habet turbas, vt ſuprà, immanémque turbam, non turmam. quod mihi non parum placet, ſed lector diſpiciat oculatè. *imperio æquo.* Imperium æquum cum iuſtitia & fide ſub ſe continet prudentiam. *magnum illa terr.* vis enim potentiáq. primo terrorẽ incutiunt, ſed collata prudentia cõſilióq. dicto citius euaneſcũt inſtar bullę.

iuuentus. Titanum cum fratribus Gigantibus. *fidens brachiis.* robori, magnitudini, & corporum vaſtitati. *tendentes.* vnus Bland. legit intendentes. *impoſuiſſe.* enallage temporis, pro imponere. *ſed quid Typh.* διόρθωσις κατὰ μείωσιν. Nihil enim poteſt ſtulta potentia temerariaq. aduerſus conſilium prudens quod rectitudine nititur. *Typhœus.* enumeratio Gigantum qui cum Ioue ac ſuperis pugnarunt. hunc autem Typhoea nominat Apollodorus. Typhona, è terra genitũ natura duplici, humana ſimul & ferina: crurum tenus tanta humanæ formæ magnitudine, vt capite ſæpe aſtra cõtingeret, manus altera ad Heſperum vſque, altera ad orientem ſolem pertingebat: ex his centum draconum capita eminebant ingentem ſibilum concitantes: corpus eius totum pennis erat obſitum: Quem candenteis in cælum lapides iaculatum, cùm dij proſpicerent in cælum irrumpere, acti in fugam in Aegyptum properabant, in varias animantiũ formas metu inſequentis transformari: Iupiter hunc eminus quidem fulmine percuſſit; cominus verò adamantina falce deterruit: fugientem perſecutus eſt vſque ad Syriç Caſium montem: Cetera require apud Apollo. lib. I. *Mimas.* Heſiodo Mimas Centaurus eſt in pugna Lapitharum: Eſt præterea mons Thraciæ apud Ammonium. *Porphyrion.* Qui Apollodoro accẽſas arbores cum Halcyoneo, & ſaxa in cælũ iaculabatur. *contra ſonan. Pall. ægid.* hoc eſt, contra Iouis ſapientiam: fert enim Pallas quoque Iouis ægida. *hinc.* enumeratio Deorum qui ſtabant à partibus Iouis in hac pugna Gigantum. Minerua Encelado fugienti Siciliam obiecit. *Vulcanus.* hic Clytium cãdenti ferro dicitur occidiſſe. *hinc matrona Iuno.* Nam Iunoni contra Porphyrionem vim parantem à Ioue opem requirenti, primum ab eo ictus eſt fulmine, deinde ab Hercule transfixus. *matrona.* quòd præſit iis quæ ſunt idoneæ ad concipiendum, vtque matres fiant. *numquam hum. poſ. arcum.* Periphraſis Apollinis ab arcu ex humeris pendente, qui Ephialtæ læuum oculum, dextrum verò Hercules ſagittis effoderunt. Euritum verò quemo telo peremit. Apollod. lib. I. *qui rore puro.* aqua limpida Caſtalij fontis Muſis ſacri, quem Græci ἱπποκρήνην, Latini fontem nominant Caballinum. Muſarum gratia laudes Apollinis obiter hic inſerit. *vis conſilij expers.* ἐπιφώνημα γνωμικὸν in laudem prudentiæ, & vituperium temerariæ potentiæ: Quid enim ſine cõſilio vis aliud eſt quàm ſine pectore corpus? *Vim temperatam.* hæc tacita laus eſt Cæſaris, cuius lene conſiliũ à Muſis acceptum, id eſt, è philoſophiæ ſtudio bene & ſapienter directum dij promouerunt in maius, nimirum, in totius orbis imperiũ. At non caret interim tacita ad vlteriorem virtutem admonitione. *iidem oderunt.* Enthymema ex oppoſitis: vis temperata fauore Deorum & ſtudio digna eſt, vires ergo nefariæ odio & abominatione. *teſtis mearum.* enumeratio exẽplaris eorum qui ob vim ſuam ſceleratam à diis damnati, variis apud inferos cruciatibus exercentur. *centimanus gigas.* ſic habent omnia ſcripta, ſed ex ſcripto Apollodori legendum eſt Gyas. is enim cæli ex tellure coniuge tres tantum filios centimanos recenſet, Briareum, Gyan, & Cœum: alios autem ab his Titanas, alios Gigantes diſcernit ſecundum eorum geneſin. vide oden 17. lib. 2. *Orion.* Apoll. lib. I. *iniecta monſt.* pathos maternum, quod ipſamet cogatur eſſe vitrix ſuorum filiorum. *nec peredit impoſ.* amplificatio ab æternitate ſupplicij dãnatorum. *impoſitam.* Enceladо: cui fugienti Minerua Siciliam oppoſuit, vt ſuprà. *Tityi iecur.* de Tityo Iouis ex Elara Orchomeni filia, quæ ſub terrã occulta metu Iunonis, conceptum filiũ Tityum magnitudinis inuſitatæq; edidit in lucem, &c. vide Apollod. lib. I. *Pirithoum cohib.* Apoll. lib. 2. vbi narrat Herculis ad inferos deſcenſum, mox, inquit, vbi ad Plutonis ventum eſt, Theſeum ac Pirithoum Proſerpinæ nuptias poſcentem, eaque de cauſa vinctum inuenit: hi conſpicati Herculem, velut illius viribus in vitam redituri manus porrigebant: tum ille Theſeum manu prehenſum excitauit, ſed Pirithoum quoque in vitam reuocare cupiens, ob terræ motum dimiſit. Ceterùm non temerè crediderim lyricum inter omnia petulantiæ crimina, nullum odiſſe grauius, quàm adulterium: quandoquidem non ſemel adulteros proſcindit acerrimè, vt quorum cauſa non priuata modò, ſed & publica miſerrimis modis ad internecionem redacta cecidere numquã reſtauranda.

DIVI AVGVSTI LAVDES.

Ode V. παραινετική.

C Æ L O *tonantem credidimus Iouem*
Regnare: præſens diuus habebitur
Auguſtus, adiectis Britannis
Imperio, grauibúſque Perſis.
Miléſne Craſſi coniuge barbara
Turpis maritus vixit? & hoſtium
(Prô curia, inuerſiq́; mores)
Conſenuit ſocerorum in armis,
Sub Rege Medo, Marſus, & Apulus,

Ancilio-

Anciliorum, nominis, & togæ
Oblitus, æternæq́; Veſtæ,
Incolumi Ioue, & vrbe Roma?
Hoc cauerat mens prouida Reguli,
Diſſentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahentis
Perniciem veniens in æuum:
Si non periret immiſerabilis
Captiua pubes. ſigna ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus ſine cæde, dixit,
Derepta vidi. vidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero,
Portáſque non clauſas, & arua
Marte coli populata noſtro.
Auro repenſus ſcilicet acrior
Miles redibit. flagitio abditis
Damnum: neque amiſſos colores
Lana refert medicata ſuco:
N E C vera virtus, cùm ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata denſis
Cerua plagis: erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus,
Et Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners, timuitq́; mortem?
Hic vnde vitam ſumeret inſcius,
Pacem duello miſcuit. ô pudor,
O magna Carthago probroſis
Altior Italiæ ruinis.
Fertur pudicæ coniugis oſculum,
Paruóſque gnatos, vt capitis minor,
A ſe remouiſſe, & virilem
Toruus humi poſuiſſe vultum,
Donec labanteis conſilio patres
Firmaret auctor numquam aliàs dato,
Intérque mærenteis amicos
Egregius properaret exſul.
Atqui ſciebat, quæ ſibi barbarus
Tortor pararet. non aliter tamen
Dimouit obſtanteis propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quàm ſi clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

COMMENTATOR.

C AE L O *tonantē credidimus Iouem.* Metrum Alcaicū vt ſuprà. Hæc ode continet Auguſti laudes, & per vituperium M. Craſſi militum, laudes quoque & fortitudinem M. Attilij Reguli. *regnare.* ſic Lucanus, per fulmina tantum ſciret adhuc ſolum cælo regnare tonantem. quaſi dicat, ſi famæ tantum magnitudine credimus deos eſſe, quanto magis de Auguſti diuinitate credendum eſt, cuius virtutem & potentiam non tantum audiri aſſerit, ſed etiam videri. Ordo eſt: Auguſtus adiectis Britannis imperio & grauibus Perſis habebitur pręſens diuus. *adiectis.* acquiſitis. Per has autem genteis Britannos & Perſas, ab oriente ad occidentem vſq. confirmat Auguſtum continuaſſe imperium Romanum. *grauibúſq; Perſ.* pernicioſis propter Craſſi mortem & cædem Romanorum militum. *coniuge bar.* ſupp. cum. *barbara.* alienigena. *turpis.* captiuus. *Prò.* interiectio dolentis. *curia.* quæ caſum tam indignum pertulerit. *mores.* quia minuerunt honorem & nomen ſenatus. *conſenuit.* ſenio confectus eſt. hoc autem dedecus Craſſi commemorat, vt Auguſtum faciat plus eminere. *Medo.* Partho. *Marſus & Apul.* per Marſos & Apulos ſignificat Romanos milites fortiſſimos, qui ad bellum Perſicum profecti, & cum Craſſo ſuperati vxores à victoribus acceperunt vt vitam mererentur: vt ibi, velut propriis in ſedibus omnem ætatem agerent: Marſi namq. & Apuli inter Romanos milites erant clariſſimi. vt, hoc genus acre virùm Marſos pubémque Sabellam. *anciliorum.* ancilia ſcuta erant diuinitus Romanis miſſa in virtutis inſigne: & ideo ancilia hic pro virtute poſuit, & togam pro dignitate. *æternaq́; Veſta.* æterni ignis, qui in ara eius perpetuò ſeruabatur. vt, vos æterni ignes & non violabile veſtrū teſtor numen. *incolumi Ioue.* ſaluo Capitolio & vrbe Roma: non enim mirum ſi Roma capta & Capitolio diruto, conſeneſcerent Romani milites ſub rege Medo: ſed incolumi Capitolio & vrbe, turpiſſimum eſt ſe hoſti dedere, & ſub hoſtilibus armis vitam agere. *hoc cauerat.* hoc prouiderat, ne quis vitam ex captiuitate ſperaret, ſed potius pro libertate moreretur. *prouida.* ſollicita. *Reguli.* Regulus imperator Romanus à Pœnis captus, dum pro cōmutatione captiuorum Romam ab Afris miſſus fuiſſet, hanc ſententiam in ſenatu dixit, ne captiui aut commutarentur, aut redimerentur. & in poſterum diſciplina militaris tali exēplo periret,

ret, donec militi ſpes alia ſalutis niſi in armis eſſet: Vnde Craſſi milites notat, qui Reguli diſſimiles animo, vitam captiuitate pepigerint. *fœdis*. turpibus. *exemplo*. argumento. *trahenti*. adferenti in futurum perniciē reipublicæ, ſi liberarentur Romani captiui. *immiſerabilis*. cuius Romanus miſereri non deberet, quia capti nulla miſericordia digni ſunt, quos decet ad mortē vſq. pugnare. *ſigna*. verba Reguli in ſenatu Romano, de turpitudine & inertia captiuorū. *Punicis delubris*. Africanis templis. *ſine cæde*. vt ſuorum ſignificaret ignauiā, nec eos redemtione dignos: nudatos eos dixit armis ſine cæde, id eſt, ſine cōmiſſione pugnæ. vt, cur ante tubā tremor occupat artus. *dixit*. Regulus. *direpta*. ſublata. *retorta*. religata. *libero*. ſcilicet quondā, qui ne occiderētur, ſerui eſſe maluerūt ligatíq. *portáſq; non*. Afros non timenteis, & quaſi iam victores colere agros cū exercitu Romano, quos antea vaſtauerat. *Marte*. bello *populata*. vaſtata. *auro repenſus*. per Ironiā: quaſi dicat, fortior ne miles procedet ad pugnā qui pretio redēptus eſt? ſignificat autē non poſſe in acie fortiter ſtare militem qui viuere redemtione didicerit, ſed deteriorē futurū. *flagitio additis*. adiungitis, aſſociatis, id eſt, contra conſuetudinē Romanā eſt & militarē diſciplinā, vt milites pretio, non virtute liberentur. *neq; amiſſos colo*. à ſimili: ſicut fuco, inquit, lana medicata, ad priſtinum iam non poteſt reuerti colorē; ita miles vitio captiuitatis imbutus, ad priſtinā ait eum non poſſe redire virtutē. *medicata*. imbuta. *fuco*. colore. *nec vera virtus*. atqui ait Virg. Quondam etiā victis redit in præcordia virtus: ſed ait quondā, id eſt, aliquando; nam tales ſententiæ nō ſemper generales ſunt; mutantur enim aliquando pro negotiorum qualitate. *vera*. inuiolata, incorrupta. *excidit*. decidit, ruit. *reponi*. leuari, erigi, reſtitui. *deterioribus*. abiectioribus: deterior ratione boni, peior à malo pendet. *ſi pugnat*. ſi quidē. *extricata*. expedita, liberata. ſenſus eſt: ſicut cerua plagis erepta, conſuetudinem non poteſt mutare fugiēdi, ita & miles, qui ſe perfidiæ hoſtiū ſemel cōmiſerit, conſtantiā pugnandi habere non poterit. *plagis*. laqueis, retibus. propriè enim plagæ ſunt funes retium. *proteret*. contereret. *altero*. reſtaurato bello ad pugnā non reuertetur. ordo eſt, qui iners ſenſit lora reſtrictis lacertis, & timuit mortem, id eſt, vinciri ſe pertulit timore mortis, proteret Pœnos altero Marte, ſi cerua pugnet extricatis plagis. *lora*. catenas. *lacertis*. brachiis. *iners*. piger. *ſenſit*. vinciri ſe pertulit. *hic*. in bello. *inſcius*. ignarus rerū, & per hoc ignauus, qui neſciret vitā viro forti potius de armis ſperādam. *pacem duello*. qui tanquā in pace ſe hoſtibus credidit, dū ſe debuerat armis tueri. *duello*. hoſti aduerſario. *ô pudor*. Romanorū, exclamatio dolentis. *ô magna Carth*. ſic ab accolis vocabatur: Sed hic eā dedecore Romanorū maiorem vult eſſe factam. *probroſis*. turpibus. *altior*. indignatio Romani ducis, qui non virtutibus contudit Carthaginē, ſed miſeriis & ruinis Romanorū ait fortiorem nunc haberi & credi. *fertur pudicæ*. verba poëtæ ad augmentū virtutis Reguli pertinet, quod caſtā pro patria cōtemſit vxorē: Impudica enim iure potuit contemni: indecorū enim duxit matronā Romanam ſe ſeruū, id eſt, captiuū, oſculo dignum putare. Neglexit etiam paruos filios, qui pro ætatis infirmitate miſerationem patris mereri potuerunt. *capitis minor*. ſeruus factus per captiuitatē. *toruus*. terribiliter conſtans. Virg. Optima toruæ forma bouis, id eſt, in terrā deiecto vultu ne aſpectu traheretur. *remouiſſe*. repuliſſe. *virilem*. fortē. *poſuiſſe*. inclinaſſe. *labenteis*. nutanteis. *auctor*. Regulus. *numquam aliàs dato*. qualem ſententiā nemo vnquā de ſe dediſſet. *mærenteis*. flenteis. *egregius*. inſignis, qui exulē ſe eſſe maluerit, quàm infamia redimi: & eſt tacitū antitheton, nam mærentibus egregium exulem oppoſuit. mirum eſt ergò quod ceteris de eo mærentibus, ipſe cōſtans animi probaretur. *atqui*. certè. *ſciebat barb*. qui hac ſecuritate voluntatis ſuæ rediret ad pœnam adimpleto ſuo cōſilio, contemnens certa ſibi & promiſſa ſupplicia, quaſi impetratis iam negotiis ſibi iniunctis vel ad otiū reuerteretur vel ad præmiū. *obſtanteis*. cōtradicenteis. *populum*. Romanū. cùm illi populus reſiſteret ad Africam properanti, tam ſecuro & pertinaci animo ipſe omneis deſeruit, quàm ſolet quis relictis negotiis amicorū, aut clientum litibus definitis ad prædia ſua proficiſci voluptatis cauſa, volens moleſtiis vrbanis carere. *tendens*. abiens. *Venafranos*. Venafrū ciuitas eſt Campaniæ. Ad amœnitatis exemplum, qua Regulus ad Carthaginienſeis rediit, poſuit ciuitates delicioſas. *Lacedæmonium*. à Lacedæmonibus conditum.

CRVQVIVS.

C*Ælo tonantē credidimus Iouē*. Deſcribit Horatius Diui Cæſaris diuinas laudes ab adiectis imperio hoſtibus bellicoſiſſimis Britannis & Perſis; aitq. à maioribus Iouē creditū regnare quòd tonaret: Nūc autē reipſa regnare Cæſarē, vt cuius auſpiciis totus orbis Romano ſubſit imperio. Iccirco dicit eū in terris ἀντάξιον inq. Deū cōſecrandum, vt pro Ioue regnet, ſuoq. numine tutari poſſit imperiū, quando rerū ab eo geſtarū magnitudo & virtus, famáq. imperij apud omneis genteis non ſint Iouis tonitru minus formidabiles, adeò vt Perſę, Medi & Parthi nūc ei ſint facti ſupplices, vexillis Romanis vltrò reſtitutis: Qui debellato

bellato Craſſo, militibúſq. Romanis in pretiũ redẽptionis mactis barbararũ factis, turpiter inſultãtantẽa in nomẽ Romanũ, non ſine infami ſenatus Romani & ignauiæ nota immedicabili, niſi ſua fortitudine Cæſar eam curaſſet. Quare vehementer exclamat in ſui ſæculi mores, multũ à vita maiorũ & inſtitutis prudentiáq. diſſentiẽteis: Nõ enim Regulus captus à Carthaginienſibus vllo dedecore paſſus eſt affici nomẽ Romanũ, qui militũ ſuorũ ignauiã in Carthaginienſibus expugnandis morte potiùs multandã iudicauit quã vel ſeruitute, vel pretio redimendã, ne miles ſemel imbellis & metu mortis ad pugnandũ tardus, poſtea in bello redẽtionis fiducia fieret penitus inutilis & patriæ deſertor. Quare ne ſe quidẽ pretio redimi putauit honeſtũ & vtile, adeo vt, cũ tutò domi manere poſſet, quàm iuramentũ ſemel hoſtibus datũ violare, maluerit relicta patria, vxore, liberis & amicis ad hoſteis redire: Quod ita factum eſt ab eo hilariter fortitérq;, vt nõ ad certa ab hoſtibus crudeliſſimis excogitatáq. ſupplicia, ſed ad amœniſſimos voluptatis hortos eũ iudicaſſes regredi. Prô mores, prò curia! *Cælo tonantẽ.* exordiũ à religione veterũ, qui Iouẽ colebant tamquã Deũ cælorũ rectorẽ, eò quòd tonaret. Quare à ſimili eſt vero conſentaneũ Cæſarẽ deum in terris habendũ, eò quòd omnibus hoſtibus bello famáq. ſuperior, ſolus omnibus gentibus nationibúſq. imperet. *cælo tonantẽ.* Amphibolia eſt in ablatiuo cælo, determinet ne τὸ tonantẽ, an τὸ regnare; vt ſenſus ſit: crediderunt maiores Iouẽ regnare in cælo, quando tonat, vel crediderũt Iouẽ demum regnare, eò quòd tonet cælitus. ad priorem videtur Horatius potius alludere, cui Virgil. quoq. aſtipulatur, inquiens, nocte pluit tota, redeũt ſpectacula mane, diuiſum imperium cũ Ioue Cæſar habet. perinde acſi velit Iouẽ in cælo regnare & Auguſtũ in terra, *præſens.* viuus in terris, nondũ fato nobis ereptus ex oculis. *adiectis Britannis.* tamquã coronid. ſuarũ victoriarũ. *miléſne Craſſi.* ad illuſtrandã Cæſaris gloriã, exclamat in Craſſianã cladem, eiúſq. militem, qui ad vitã redimendã, turpiter barbaris feminis maritus factꝰ, nec à Romano Senatu liberatus etiã in extrema ſenecta, donec Auguſtus Perſis ſupplicibus, peróq. legatos ſignis militaribꝰ Craſſi Antoniíque redditis, pace data parcendũ, inq. ſocietatem eos putaret accipiẽdos, quod & ſummo fuit honori Cæſari, & nomẽ Romanũ reſtituit in ſtatũ dignitatémq. priſtinã. Scribit Dio lib. 53. ad finẽ, filiũ Phraatis, quem antè ab eo acceperat, patri remiſit (Auguſtus) vt pro eo captiuos, ſignáque militaria Craſſi & Antonij cladibus amiſſa, reciperet. *turpis.* ab effectu, quòd & ſeruitꝰ ignauũ, & coniugiũ probroſum redderet. *vixit.* ad ignominiã. ſatius enim & honeſtius in bello cecidiſſet. *pro curia:* hæc exclamatio in turpitudinẽ ſenatus moréſque ciuiũ à maiorũ factis degeneres, eſt tacita παρασκευὴ laudis Reguli: ex cuius prudentia & cõſilio, rebúſq. ad Carthaginẽ geſtis, oſtendit corruptos ſui ſæculi mores. *conſenuit.* à Parthis captus eſt Craſſus cum filio anno Vrb. cond. 699. Sũt autẽ à Cæſare adiũcti imperio anno v. c. circiter 752. tamdiu vixere milites ipſius Craſſi ſub ſeruitute Parthica. *ſocerorũ hoſtiũ.* tacita antitheſis ad indignationẽ Romanæ curiæ, quæ nõ ante ſuos à ſerui ute armis vindicauerat, quã Cæſar rerũ potiꝰ, Perſaſq. & Parthos ſupplices efficeret. *Medo.* Medus, Perſa, Parthus ab Horatio ferè ſine diſcrimine ponũtur. *anciliorũ.* ancile & anciliũ vtrũq. Latinè, ſed poſterius ex priori manat. vide Feſtũ in voce Mamurij Veturij. *& nominis & togæ.* polyſyntheton facit ad auxeſin. ſic habet cod. Bland. antiquiſſ. hæc autẽ cumulatim poſita, ancilia, nomẽ, toga, æterna Veſta, Iupiter, Roma, faciũt ad exaggerationẽ militaris ignauiæ ſub Craſſo, quæ Romanis ſummo fuit dedecori. *hoc cauerat mens.* laus Reguli à prudẽtia & conſtantia ἐξ ἀντιθέτου ignauiæ Craſſianæ. *condicionibus fœdis.* vt redimerentur permutatione captiuorũ Pœnorũ. Notãdus datiuus à cõdicionibus, participij diſſentiẽtis, niſi malimus ſubintelligere præpoſitionẽ, à, vel ſimilẽ. *exemplo trahenti.* diſſuaſio à cõſequenti. *perniciem.* Romani imperij per inertiã militum, qui ſemel redemti poſteris eſſent exẽplo, ſpe redemtionis, vt capi turpiter quàm mori mallent pugnando fortiter. *veniens in æuũ.* id eſt, venturũ, enallage tẽporis. *ſigna ego Punicis.* diſſuaſio redemtionis à turpi, propter ſigna militaria, armáq. abiecta ſine clade. *affixa.* à Carthaginienſibus. *direpta.* de fugientibus Romanis paſſim rapta auulſáq. τὸ direpta, habẽt omnia quæ vidi ſcripta: Quare non ſatis aſſequor cur Lambinus vulgatã lectionẽ damnet vt mendoſam, cùm ſcriptis conſentiat, nec ſit mẽdoſa. *vidi vidi ego.* ingeminatio facit ad auxeſin turpitudinis à vinculis ciuiũ Romanorũ. hac de re vide L. Florũ lib. 2. cap. 2. *portáſq.* Carthaginis apertas: Quaſi nunc adepta victoria, ſine metu Romanorum liberè vagarentur, agróſque colerent. cod. Bland. habet, cluſas, antiquo more. *repenſus.* alluſio ad morem veterẽ, quo æs pendebatur, non etiam numerabatur. *flagitio add.* à damno turpi diſſuaſio cum increpatione. *dampnum.* ſic ſcriptum eſt vbique in antiquis lib. nec ineptè meo iudicio, venit enim à δάπτομαι. *medicata fuco.* non vero imbuta & genuino colore. Medicata ab actiuo medico, as. vide adag. Fucũ facere. *ſi pugnat extr.* argumentũ hypotheticon: perinde acſi dicat, vt cerua quæ ruptis laqueis ſaluti vitæq. fuga conſuluit, néquam

poſtea

poſtea venatorem expectabit; ita miles ſemel liberatus, numquam ad ea pericula regredi inducet in animū vnde ſemel euaſit, ſed ignauus potius & turpis domi manebit. *hic vnde.* quomodo. ſic Sat. 3. li. 2. *ſumeret.* ſeruaret *inſcius.* dubius. *pacē duello.* hypallage, pro miſcuit duellu pace. ſic 1. Georg. Poculá; inuentis Acheloia miſcuit vuis: perinde ac ſi dicat, duriorē vitę condicionē temperauit mitiori, atq. adeò mortē vita per deditionem & initū fœdus cum hoſte, mortem ſeruitute redimens: quę formido mortis & ignauia numquā in virum fortem cadere poſſunt. *ô pudor.* exclamatio pathetica plena doloris & indignationis, qua Regulus vehementer mouet animos ſenatorum, ne vllo modo ſinant captiuos redimi. *fertur pudica.* commemoratio fortitudinis conſtantiæq. Reguli in patria negligenda, vxore, liberis & amicis, vt iuramentum hoſti datum ſeruaret. *capitis minor.* capite diminutus per captiuitatem. de capitis diminutione maxima, media, minima, vide lib. 1. Inſtitutionum imperial. *remouiſſe.* non admiſiſſe, non aſpexiſſe: iis enim rebus vti ſolemus ad flectendos animos rigidiores, atque commiſerationem commouendam. *poſuiſſe.* auerſum ab vxore & liberis humi fixiſſe. *conſilio.* rationibus, argumentis. *auctor.* ſuaſor, monitor. *numquam aliàs dato.* inaudito & admirabili; vt qui, cùm tutò ſeruari poſſet, maluerit conſilio ſuæ necis auctor eſſe, priuatum poſthabens publico. *egregius.* numquàm ſatis laudatus. *exul.* per captiuitatem. Legito Cic. 1. offic. cap. de fortitudine. *ſciebat.* 3. offic. Cic. neque tamen ignorabat ſe ad crudeliſſimum hoſtem, & ad exquiſita ſupplicia proficiſci, ſed iuſiurandum conſeruandum putabat. de cuius ſuppliciis legito Agellium lib 6. cap. 4. *obſtanteis.* ſuadenteis, precanteiſque ne rediret ad hoſteis. *propinquos.* cod. Bland. vnus & Maldeg. habent, amicos. *diiudicata.* pronunciata ſententia, cauſáque finita.

AD POPVLVM Romanum de moribus ſui ſæculi corruptis.

Ode VI. προσευκτικὴ ϗ συλλογιστικὴ.

DELICTA maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Aedesq; labenteis Deorum, &
Fœda nigro ſimulacra fumo.
Dis te minorem quòd geris, imperas.
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſa.
Iam bis Monæſes, & Pacori manus
Non auſpicatos contudit impetus
Noſtros, & adiecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.
Penè occupatam ſeditionibus
Deleuit vrbem Dacus, & Aethiops:
Hic claſſe formidatus, ille
Miſſilibus melior ſagittis.
Fecunda culpæ ſecula, nuptias
Primùm inquinauere, & genus, & domos.
Hoc fonte deriuata clades
In patriam, populumq; fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo: & fingitur artibus
Iam nunc, & inceſtos amores
De tenero meditatur vngui.
Mox iuniores quærit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit,
Cui donet impermiſſa raptim
Gaudia, luminibus remotis:
Sed iuſſa coram non ſine conſcio
Surgit marito, ſeu vocat inſtitor,
Seu nauis Hiſpana magiſter
Dedecorum pretioſus emptor.
Non his iuuentus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine Punico,
Pyrrhúmque, & ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemq; dirum:
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Verſare glebas, & ſeueræ
Matris ad arbitrium reciſos
Portare fuſteis: Sol vbi montium
Mutaret vmbras, & iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.
DAMNOSA quid non imminuit dies?
ÆTAS parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

COMMENTATOR.

DELICTA *maiorum immeritus lues Romane.* Metrum Alcaicum vt ſuprà. Conqueritur mores mutari

mutari & religionẽ perire, propter quam Roma creuit: nunc ait illam non diu manſuram incolumem niſi deos colat. *delicta*. peccata. *maiorum*. antiquorum Romanorum. *immeritus*. inculpabilis. *lues*. perſolues. *refeceris*. reædificaueris, inſtauraueris: vt Virg. ſemper enim refice, ac ne poſt amiſſa requiras ante veni. *adeiſq*. tẽpla deorum cadentia. *fœda*. turpia, inculta: aut per nimiã vetuſtatem ſordentia. *nigro*. antiquo. *diis te minorem*. hoc eſt, quanto te diis minorẽ geris, tanto latius imperas; quaſi dicat, in cõtrarium facis: Nam & cultu deorũ creuiſſe & ſumſiſſe principium refert: Quare ſuadet eam felicitatẽ cultu deorum vſq. ad exitũ ſeruandam. *hinc*. à diis. *huc*. ad deos. *neglecti*. quia pœnę in poſteros inſonteis ſępe differuntur, quas maiores non luerunt: Quare poſteri non ſua ſæpe, ſed maiorum culpa percelluntur. *neglecti*. cõtemti. *dederunt*. frequenter enim Romani duces, non addicentibus auſpiciis grandi exercitus clade ſuperati ſunt. *Heſperiæ*. Italiæ. *luctuoſæ*. lugubri. *iam bis*. quia Parthi bis de Romanis victoriã retulerunt: prius enim Craſſum; poſt Didium Saxã legatum Antonij cum exercitu ceciderunt. *Monæſes & Pac*. hi Parthorum reges fuerunt, aduerſus quos Romani cõtra numinum voluntatẽ infeliciter pugnauerũt. *non auſpicatos*. diis non cõmunicatos, ſed contemnenteis auſpiciorũ neceſſariã volũtatem. *contudit*. cõminuit. *adieciſſe*. id eſt, ex præda Romanorũ torqueis ſuos pondere auxiſſe victores. *exiguis*. modicis. *renidet*. ſplendet, eò quòd reparati torques, maioréſque facti ſua nouitate & magnitudine clariùs fulgerent. *occupatam*. occupatis enim ciuili bello Romanis, data eſt occaſio hoſtibus commoliendi bella, & Dacis, & Aegyptiis, quos Lyricus Aethiopas appellat propter bellum cũ Cleopatra. *Dacus*. Germanus. vt, aut coniurato deſcẽdens Dacus ab Iſtro. *ſagittis*. quinetiã venenatis vti dicitur. *fœcũda*. fœta. *inquinauere*. corrupere: quia ſanctum matrimoniorũ fœdus per adulteria corrumpitur; vnde & inutiles cõſiliis publicis & probis actibus generantur. *hoc fonte*. à corruptione nuptiarum. *clades*. calamitas, morbi, corruptelę. *patriam*. Romam. *fluxit*. deuenit. *motus*. ſaltationes. *Ionicos*. laſciuos & petulanteis inſtar Ionum, qui mollem ſaltationem membrorum geſtibus adinuenerũt, vnde poſteà Pantomimi facti. *fingitur*. componitur. vt, & corpora fingere lingua: ſignificat autem per hoc molliores inſtitui ſaltus. *tenero vngui*. ab infantia, ab immatura & prima ætate. *meditatur*. exercet. vt Virg. nec iam furtiuum Dido meditatur amorem. *inceſtos*. nefarios. *matura*. nubilis. *iuniores*. iuuenculos. *adulteros*. amatores. *mariti vina*. aut in ipſis nuptiis, aut inter domeſtica conuiuia. *impermiſſa*. non conceſſa lege matrimonij. *gaudia*. voluptates ſtupri. *raptim*. oſtenditur inceſtus impatientia. *luminibus rem*. tedis, faculis, lucernis remotis, ad crimen admittendum obſcuritate procurata. *iuſſa*. inſtigata, aut à libidine aut corruptore. Iuuenal. Doctus ſpectare lacunar, doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo. *ſeu voc. inſt*. mercator. *dedecorum*. criminum, inceſtuum. *pretioſus*. ambitioſus, profuſus. *iuuentus ort*. tamquam legitimis concepti nuptiis fuerint, nec ex huiuſmodi nati hominibus illi Romani qui omneis ſuperarunt. *Pyrrhum*. à Curio, Fabricióque in Lucania ſuperatum. *Antiochum*. victum ab Attalio Glabrione. *Annibalémq*. notat Lutatiũ, qui nauali bello apud Siciliam cũ Annibale multa cæde Pœnorum certauit. *dirum*. crudelem aut pugnacem: qui ab Africano tandem victus eſt. *Sabellis*. Sabinis. vt, denteíſq. Sabellicus exacuit ſus. *maſcula*. fortis, robuſta. *verſare glebas*. arare. Virg. aut ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas. *ſeuera matris*. mirè ſimplicitatem, & laboris patientiam per hanc commemorationem oſtendit in iuuenibus, eò quòd ita ſe ſubdant imperiis matrum, vt ad earum operentur arbitrium: hæc autem ruſticis eſt cõſuetudo, vt poſt laborem cum lignis domum reuertantur. *ſeuera*. caſtæ. *ſol vbi*. vt Virg. & ſol creſcenteis decedens duplicat vmbras. *mutaret*. ampliaret. *bobus fatigatis*. Virg. Aſpice aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci. *agens*. ducens. *abeunte*. recedente. *amicum*. laborantibus gratum ad quietem capiendam. *damnoſa*. labilis, decurrens: acſi diceret, cũcta in peius ruunt, eò quod nihil æternũ ſit, ſed proceſſu temporis omnia pereunt, nihil eſt enim & opera & manu factum, quòd non conficiat, conſumátque vetuſtas. *nos nequiores*. nequitiam parentum dicit augeri in poſteris. *mox*. deinde. *daturos*. allaturos peiores filios.

CRVQVIVS.

DElicta maiorum immeritus lues. Rerum luxus & affluentia non rarò multos in extremã perniciem attulerunt: Quod veritus Horatius ne Romanis aliquando cõtingat, eos facit memores, monétq. religionis diuiniq cultus, ne debito ſupplicio diis luant impietatem maiorum: Nam vt dij omniũ ſunt bonorum auctores iis à quibus piè caſtéq. coluntur, ita malis ſceleratiſq. ſui contemptus primùm parit afflictionẽ mirabilẽ, & ni reſipiſcãt, horrendum tandem exitium. Quod ita eſſe docet ab antecedentibus: Non alia namq. de cauſſa Parthi victores de M. Craſſo, Antonioque triumpharunt, quàm quòd auſpiciis ipſi vilipenſis, ſacriſque violatis bella geſſerint: Non Dacus,

non miles Aegyptius ferè occupauit imperium, niſi propter ciuiu inter ſe de principatu cõtentionẽ: Nã dij neglecti peſſima quæq. inter homines vitia dominari ſinũt, ambitiones, odia, voluptates, adulteria: quodq. fons eſt omnis corruptionis, regnat inter eos petulans laſciuia: à primis annis puellæ molliter ſaltare docentur, partũq. decorè geſticulari, dein accedũt proci nunq minus impudici, comiſſatur, incaleſcunt animi, extinctis vltrò lucernis oſcula rapiũtur, luditur, iocatur, & (vt fit) itur in amplexus, primùm blandè ſubreptes, pòſt, oblatos vltrò multis cũ lenociniis: ſed tandẽ frõte iã penitus perfricta, vel marito ad pretiu participandũ conſcio, fit omnibus expoſita Venus delicioſáque; atq. ita parentes adulteri progignunt proleis ſui ſimileis: elangueſcit adoleſcentia turpi otio, indulgentia puellæ molliriáq. corrũpuntur, totáq. ab imo fundamento labitur reſpublica. At non iis fuere parẽtibus orti, non eos edocti mores, qui Romanos hoſteis terra maríq. ceciderunt: ſed operibus ruſticis à primis annis, improbiſq. laboribus exercitati, duram ſub imperio parentum vitã peragebant, agros fodiendo, bobus arando, ſerendóq. cædendo arbores, palos in humeris maritandis vitibus domũ, ridicáſq. dedolandas exacuẽdáſq. referendo, nihilq. diurni operis omittendo, tãtiſper dũ ſub noctẽ quietẽmq. bobus defatigatis iuga demerent pabularíq. ſinerent. ô miſerãda tẽporis calamitas qua in peius ruunt omnia! *delicta maiorum.* Exordiũ ſpecies eſt τῆς διαβολῆς: denuntiat enim minoribus ob delicta maiorũ deos non fore propitios, ſed eos graueis pœnas daturos licet innoxios, donec benignis animis eos venerentur, probioribúſq. vitæ moribus imagines eorũ venuſtent, ſacráq. & tẽpla reparent, cærimoniáſq. obſeruent. *delicta maiorũ.* propter ſacra violata, templa ſeditionibus direpta; ſacrarũ pecuniarum theſauros expilatos, ſacerdotes, pontificéſq. & rerum ſacrarũ cuſtodes eiectos, profligatóſq;: Nam vt de Sylla, Mario, Carbone taceã, C. Cæſar belli ciuilis initio ex κειμηλιαρχίῳ laterũ aureorũ ſex & viginti milia, percuſſæ monetæ pondo trecenta milia, laſerpitiiq. põdo centũ & vndecim fertur abſtuliſſe. *donec templa.* videtur hoc dicto & collaudare Auguſtũ & cohortari, vt in inſtituto pergat: is enim cõfecto ciuili bello, ærarium militare cum vectigalibus nouis edidit, vnde prompta ſtipendiis pecunia ſatis eſſe poſſet; ædeis Iouis tonãtis ab eo condita; Apollini in palatio ſacellũ cõſecratum, & bibliotheca dicata: tẽpla vetuſtate collapſa, vel incendio abſumta reparata, doníſq. opulentiſſimis ornata, &c. vide Sueto. *ſimulachra fumo.* quæ omnia præterquam in ſacellis extacris in Capitolio fuiſſe produtur. *diis te minorem.* αἰτιολογία ab efficiente cauſa. Deorũ nutu vos imperatis, quòd ab initio ſupplices eis ſacra feceritis: primùm à Romulo religioſè inſtituta: poſteà à Numa Põpilio multis cærimoniis augmẽtata cõfirmatáq. ad deorum cultũ metúmq. rudibus adhuc animis incutiendũ, quæ tã diu magno ſunt obſeruata ſtudio, dum parcè frugalitérq. vitã agerent: ſed vbi cum opib⁹ accreſcerẽt animi, diiſq. ſe quaſi minoribus, vnguẽ medium (vt fertur) oſtentarent, profanatis ſacris, cultúq. diuino peſſumdato, regnare cœpit ambitio, hinc ſimultates, dein odium & inuidia, donec itum eſt in apertã ſeditionem, diis propter impietatẽ execrandam, mortalibus & politico ſtatui pernicioſam. de cultu diuino Numæ Pompilij, vide Liu. lib. 1. Deca. 1. *minorem.* ſe minorẽ gerit qui ſuperiorẽ veneratur & agnoſcit: hæc autẽ cauſalis eſt. Quia te minorẽ diis geris, iccirco imperas ô Romane. videtur ex obliquo monere Cæſarem, quẽ penes erat monarchia totius orbis. *hinc omne princip.* In exordio rerũ vt felix fauſtũmq. ſit, dij ſunt inuocandi: in exitu ſunt eis agendæ gratiæ. τοῖς θεοῖς τίθει πάντα, inquit Archilochus apud Stobæũ, id eſt, omnia diis adſcribito. *diis multa.* πέρατοις. *Heſperia.* συνεκδοχικῶς. *iam bis Monæſis.* πιεζεδ σιγματα τῆς προτάσεως quibus aperit, quã deplorãda Romani pœnas Parthis dederint propter neglectũ Deorum. De Ateio Metello tribuno plebis quo pacto Craſſũ diris deuouit execrationibus, quòd prædæ cauſa Parthis innocentibus pacatiſque inferret arma: de portento in egreſſu tẽpli Solomonis ſpoliati, quòd in Craſſum iuniorẽ in foribus prolapſum Craſſus ſenior incideret: de tonitruis fulguribúſq. in aduerſas exercitus facies micantibus, dum ponte facto Eufratẽ tranſiret: de caſtris Craſſi bis cælo tactis: de auſpiciis ab eo pro nihilo habitis: legito Appian. Alexand. de bellis Parthicis: Dionem lib. 40. Oroſium lib. 6. Iuſtinum lib. 42. L. Florũ lib. 3. cap. vndeci. Cod. Bland. Diuæ. Malde. Sil. habent Monæſis in caſu genitiuo. Mart. Monæſus. at ſequor plurium cod. cõſenſum. *contudit.* fregit, & ad internecionẽ cecidit, obtriuitq. *renidet.* lætum de victoria prædáq. triumphũ agit. μειδιᾷ De bello Parthico cũ Antonio, Appianus in Parthicis. Florus 130. Plutarch. in vita Antonij: Iuſtinus lib. 42. Eutropius lib. 7. cap. 1. Oroſ. lib. 6. cap. 16. L. Florus lib. 4. cap. 10. Frontinus lib. 2. cap. 3. & 13. *Dacus & Æthiops.* Daci ad Cæſarẽ ſuperioribus temporibus miſerant legatos, ac cùm nihil eorũ quæ peterent impetraſſent, ad Antoniũ inclinauerant, &c. Dio lib. 51. *melior.* peritior in ſagittis mittendis ſeu iaciendis: laus ab arte ſagittandi, qua ſignificat Dacos Scythas, quæ gens ſic in hac arte præcelluit, vt inde nomẽ ſit adepta: nam ſcytten Cimbrica vox

ſagittare

ſagittare notat, vt alibi diximus: *fecunda culpæ.* ἐπιφώνημα in deteſtationē adulteriorū. fecunda, id eſt, alumna. πταισματοτρόφα: ſæcula planè vitioſa, inclinata in quæuis flagitia. *hoc fonte deriuata.* expolitio acclamationis. *clades.* vox appoſitiſſima inquinationis nuptialis denotādæ: per inceſtas enim nuptias vitio ſeminis liberi procreati degenerant à parentibus; qui niſi pereant, aut mutatis moribus corrigantur, vnà cū ſuo genere totum reipublicæ ſtatū corrūpunt: vt rami in plantis vitibúſq. vel cæli vel ſoli vitio inutiles, aut medicādi ſunt, ne truncus ipſe vitioſus fiat corrūpatúrve, aut putandi exſcīdiq;: Quod vbi fieri neceſſe eſt, clades propriè dicitur ἀπὸ τοῦ κλαδάω, τὸ περιτέμνω. hinc κλάδος, ramus. *fluxit.* verbū fonti proprium, vnde promanat aqua deriuatúrq. *motus doceri g.* explicatio cauſæ degenerationis ab educatione, & indulgentia parentū, qui liberis per adulteria turpitudinémq. non ſunt inferiores. *Ionicos.* Heſychius Ionicon interpretatur τρυφερὸν, delicatum, molle, effeminatū fractúmq;. hinc Ionica verba pro molli ſermone, miniméq. virili. Videtur autē Horatius hunc locū trāſtuliſſe ex Ariſtoph. Concionatricibus, ἤδη τὸν ἀπὸ ἰωνίας τάλαινα κνησιᾷς, id eſt, miſella pruris nunc Ionico modo. legito adagium, Riſus Ionicus. *fingitur artubus.* duo cod. Bland. cū Diuæ. & Maldeg. ſequūtur hanc lectionē. vnus Bland. & Sil. fingitur artibus. Mart. fungitur artubus: placet autem plurium conſenſus cum vulgata, vt ſententia ſit, fingitur ac docetur pro decoro libidinoſæ ſaltationis mouere corpus. At non diſplicet tamen, fingitur, nec etiam, fungitur artubus. diſpiciat lector peritus. *de tenero. m. vn.* à catulis metaphora, quibus vngues molleſcunt, ἐκ τῶν ἁπαλῶν ὀνύχων. *mox.* à nuptiis celebratis: αὔξησις libidinis à conuerſatione & poculis. *iuniores.* robuſtiores, formoſiores: forma namq. & vina ſunt incitamenta libidinis. *adulteros.* futuros. *inter mariti vi.* inter comiſſationes & pocula coniugis libidinoſæ (vt fit) hortatu celebrata. *neq; eligit.* ſupp. tantū: nimia namq. mariti licentia parit audaciam inuerecundam & petulcam. *raptim.* alluſio ad illicitæ Veneris furtum. *luminibus remotis.* nullo teſte, nemine inſpectante; lumina namq. non tam ſunt facis aut lucernæ quàm teſtium polluti pudoris & verecūdiæ. *ſed iuſſa coram.* extremus gradus pudicitiæ proſtitutæ: primū ab infantia docetur virgo molliter ſaltare, corpúſque mouere: nubilis cogitat inceſtos amores: nupta iubet iuniores adulteros inuitari: inter pocula deligit amores priuatos: poſtremò, marito quoq. conſcio fit omnibus publica meretrix. *ſurgit.* de triclinio. *marito conſcio.* conſentiente lenone, vt pretium concubitus accipiat: Quid enim tribuas talibus maritis aliud quā purum putum lenocinium, qui Iuuenal. teſte docti ſunt ſpectare lacunar, docti & ad calicem vigilanti ſtertere naſo. *ſeu vocat inſtitor.* quiuis è plebe: Inſtitor, Vlpiano definitore, eſt qui negotio curando inſtat: pro, ſeu, Codex vnus Bland. habet, cum. *magiſter.* nauclerus, cui nauis cura mādata eſt: accipitur autē pro quouis ditiore: quem lib. 2. ſaty. 5. potiorem nominat. *pretioſus.* ad pretium, pro redimenda libidine, numerandum potens. *non his iuuen.* ex antitheſi fortitudinis vitæq. maiorum, docet ignauiam turpitudinémq. minorum; fortes enim creantur fortibus. & vim parentum doctrina promouet inſitam, rectique cultus pectora roborant. ode 4. lib. 4. *infecit.* laus maiorum à rebus geſtis, lege L. Florum de bello Punico 1. & Oroſ. lib. 4. *Pyrrhúmq;.* Plutarc. in vita Pyrrhi. Oroſ. lib. 4. cap. 1. 2. *Antiochum.* Iuſtin. lib. 31. Oroſ. lib. 4. cap. 20. Plutar. in vita Scipionis. *Annibalémq.* Plutarc. in vita Scipio. Liuius deca. 3. lib. 10. Oroſ. lib. 4. cap. 19. Florus lib. 2. cap. 6. *ruſticorum.* laus maiorum ab opere ruſtico ad corpus firmandum in vacationibus militaribus. *ſeuera matris.* commendatio matris ab educatione, & imperio in liberos. *portare fuſteis.* laus liberorum ab obedientia. Virg. At patiens operum paruóq. aſſueta iuuentus. *ſol vbi montiū.* Chronographia noctis aduētantis, à declinatione ſolis in occaſum. *abeunte curru.* ποιητικῶς. fingūt enim poëtæ curru ſolem vehi, cúmq. trahi quatuor equis. Ouid. 2. Metamor. Interea volucres Pyrois, Eous, & Aethon Solis equi, quartúſque Phlegon hinnitibus auras flammiferis implent pedibúſq. repagula pulſant, &c. *damnoſa quid non.* ἐπιφώνημα παθητικὸν de tēpore omnia deſtruente: Sic & Ouid. tempus edax rerum tuq́. inuidioſa vetuſtas omnia deſtruitis. *ætas parentū.* κλίμαξ ad docendum vitam, mores, animos quoque hominum tempore vergere in deterius.

AD ASTERIEN MÆSTAM de mariti ſui abſentia.

Ode VII. συμβουλευτική.

QVID fles Aſterie, quem tibi candidi
Primo reſtituent vere Fauonij,
Thyna merce beatum,
Conſtanti iuuenem fide
Gygen? ille Notis actus ad Oricum
Poſt inſana Capræ ſidera, frigidas
Noctes non ſine multis
Inſomnis lacrymis agit.

Atqui ſollicitæ nuntius hoſpitæ,
Suſpirare Chloën, & miſeram tuis
Dicens ignibus vri,
Tentat mille vafer modis.
Vt Prœtum mulier perfida credulum
Falſis impulerit criminibus, nimis
Caſto Bellerophonti
Maturare necem refert.
Narrat penè datum Pelea Tartaro,
Magneſſam Hippolyten dum fugit abſtinens:
Et peccare docentes
Fallax hiſtorias monet,
Fruſtra. nam ſcopulis ſurdior Icari,
Voces audit adhuc integer. at, tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus iuſto placeat, caue.
Quamuis non alius flectere equum ſciens
Aequè conſpicitur gramine Martio:
Nec quiſquam citus æquè
Tuſco denatat alueo.
Prima nocte domum claude, neque in vias
Sub cantu querulæ deſpice tibiæ,
Et te ſæpe vocanti
Duram, difficilis mane.

COMMENTATOR.

QVID *fles Aſterie quem tibi candidi*. Metrum duob. verſib. Aſclepiadeũ, tert. Pherecrat. quart. Glycon. Ad Aſterien amici ſui coniugem, quam ſolatur Gygis mariti ſui abſentia mæſtam; monẽs vt cuſtodiat caſtitatẽ, ne alterius adoleſcentis blãditiis, aut aliqua ſpe capiatur, dum maritum ſperare debet primo vere rediturum. ordo eſt: Aſterie, quid fles Gygen iuuenem conſtantis fidei, quem reſtituent tibi primo vere candidi Fauonij Thyna merce beatum. *fles*. luges. *reſtituent*. reducent. *Fauonij*. Zephyri *candidi*. ſereni, proſperi: Fauonij namq. primo vere leniter flare incipiunt, terramque ſoluere. *Thyna merce*. Pontica, Bithyna: Thyni namq. Ponto confines, Bithynis ſunt vicini, quos quidam ſic nominatos volunt à Thyno piſce, qui eò loci multus capi ſolet. *conſtantis*. firmæ, vxori fidem ſeruantis. *notis*. notos pro quibuſlibet ventis poſuit. *actus*. compulſus, deductus. *ad Oricum*. Ciliciæ. vt, aut Oricia terebintho lucet ebur. *inſana*. tempeſtuoſa. *Capræ ſidera*. Hædos ſignificat, quorum ortus & occaſus cõcitat tempeſtatem: de quibus Virg. pluuialibus hædis. & alibi, hædorúmq. dies ſeruandi. *frigidas*. intempeſtas, aut propter hiemem aut propter ſolitudinem, quòd ſine ea cubaret & ab aliis abſtineret. *inſomnis*. peruigil: quòd vxoris abſentis amore non dormiret; vt, nec vmquam ſoluitur in ſomnos. *agit*. peragit, tranſit. *nuntius hoſpitæ*. dicit Gygen Chloën hoſpitam, à qua amabatur, contemnere, propter dilectionem, & vxoris abſentis deſideriũ: Chloën tamen per internuntios cum eo de amore agere, ſed nihil efficere. ordo eſt, atqui vafer nuntius ſollicitę hoſpitæ tentat illum mille modis, dicẽs ſuſpirare Chloën miſeram, & vri tuis ignibus: & refert vt perfida mulier impulerit Prœtũ credulum falſis criminibus maturare necem, nimis caſto Bellerophonti *ignibus tuis*. tuis amoribus, tui mariti amore. *vri*. incendi. *vafer*. ad perſuadendum callidus & verſutus, ſiue malignus, quia nitebatur eius ſuperare continentiam. *vt*. quemadmodũ. *mulier perfida*. Stenobœa ſiue Antēa vxor Prœti, quã cõmemorat amore Bellerophontis hoſpitis inflãmatam, dũ voluptati eius conſentire nollet, in adulterij crimen vocatum: Quod exẽplum Gygi ad acquieſcendi terrorem ſignificat à nuntio Chloës propoſitũ, ne ſimili cõtinentia ipſe Gyges etiã veniat in periculum. *impulerit*. coëgerit. *maturare*. accelerare. *penè datũ*. propè occiſum. *Pelea Tart*. Peleus adamatus ab Hippolyta Acaſti vxore ab eo ſpreta eſt, quod animaduertens, queſta eſt marito ſe ab eo ſtupri compellatam: indignatus autem Acaſtus Peleum venatum duxit in Pelion montem, ibíque eum reliquit inermem à Centauris perimendum, ſed ſeruatus à Chirone, collecto exercitu euertit Acaſti regnũ, & Hippolytam merito factis ſupplicio affecit. ordo eſt, & narrat Pelea penè datum Tartaro, dum abſtinẽs fugit Magneſſam Hippolytẽ, & fallax fruſtrà monet hiſtorias docentes peccare. *Magneſſam Hippolyt*. Magneſſa Theſſalię ciuitas eſt, quã hic poſuit ad differentiã alterius Hippolytes Amazonum reginæ, vxoris Theſei, ex qua fuit natus Hippolytus. *docentes*. ſupp. alias. *fallax*. deceptor nuntius ſcilicet Chloës. *ſurdior*. metaphora à nauigantibus, quos periclitanteis ſcopuli non exaudiunt. vt, ſed nullis ille mouetur fletibus, aut voces vllas tractabilis audit. *adhuc integer*. continens, & contemnens eam; quaſi non poſſit ab ea perſuaderi, etiã ſi diutius ibi maneat. *audit*. ſentit. *Enipeus*. nomẽ vicini petulãtis. *plus iuſto*. plus æquo, non pro forma, ſed pro libidine, ne plus placeat quàm debet vicinus: quòd prius cõmemorando mariti honeſtatẽ ſuadet. vt, ſeruatáq. ſerues Troia fidem. *quamuis non al*. ordo eſt, quamuis non alius æquè conſpicitur flectere equũ in Martio gramine; nec quiſquam æquè citus denatet Tuſco alueo. *aequè*. æqualiter. *gra-*

mine Mar. Campo Martio, in quo bellicis artibus exerceri conſueuerat Romana iuuentus, quibus Enipeum ita ceteros præire dicit, vt meritò amari poſſit, ſi cuſtodia pudicitiæ non reſiſteret. *Tuſco.* Tiberino. vt, qui Tuſcum Tiberim & Romana Palatia ſeruas. *prima nocte.* noctis initio. *querulæ.* ſonoræ. *deſpice.* ex alto. metaph. Nam deſpicere eſt deorſum ſpicere ſeu videre; quod facimus quādo aliquem contemnimus: ita deſpice, id eſt, ne ad voluptuoſos cantus, aut preces amātis deorſum videas. *duram.* crudelem, immitem. *difficilis.* inflexibilis. *mane.* perſeuera.

CRVQVIVS.

QVid fles Aſterie. Hortatur Aſterien vt omni poſita mœſtitia bono animo opperiatur aduentum mariti primo vere futurum non ſine ingenti lucro Ponticæ mercis, eámq. non debere de fide eius dubitare, vt qui nunc ventis delatus in Oricū noctes[illegible]q. diéſq. nihil aliud ſuſpiret quàm abeſſe coniugē: adeò vt Chloë hoſpita in eo ad amores ſollicitādo, nec precibus per internuntiū, nec minis, hiſtoriiſq. fallacibus quicquā proficiat, quando ille ad omneis blanditias maneat quouis ſaxo immobilior: Quare monet eam mutuæ in amore cōſtantiæ: ne vel ab Enipeo vicino ſeducatur, quantúuis & equitādi & natādi perito, vel ab alio quouis amatore. Quod vt tutius fiat, ſuadet ſub noctem fores occludat, neque de feneſtra in vias deſpiciat, totáq. ſurda ſit ad Muſicos cantus, & ad eas voces, quæ affectus mouere ſolent, amoríq. ſubſeruire. *Quid fles.* τί οἰμώζεις; Exorditur ἐρωτηματικῶς ad amoris impatientiā corrigēdam, cui tamquā pharmacon adiicit temporis breuitatem amœnitatémque, quo ſolent amores nouari iucundius, propter hiemis rigorem præteritum. *quem tibi.* ante prouocabulū quem, intellige abeſſe Gygen. *candidi.* ab effectu, quòd cœlū ſerenent, candidúmq. efficiāt veris comites qui mare temperant. vide oden 12. lib. 4. *primo vere.* nouo: eſt enim ver nouum, ver adultū, ver præceps. *Thyna merce.* à lucro mercis de Thynis emtæ: & neſcio an hæ merces fuere mancipia, quæ Delum allata in maxima copia venūdabantur. vide Strab. lib. 14. *conſtantis iuuen. fidei* ab amoris fide conſtanti. Cod. Bland. cūm Maldeg. & Sil. habent fidei. Mart. fide. Diuæ. fidi. at ſequor tamen Bland. per ſynæreſin. *ad Oricum.* Oricum eſt in confiniis Epeiri & Macedoniæ: vbi inter ipſum & Brundiſion maris inter ſe ſitus vtrumque 85. aut circiter paſſuum milibus diſtat: vnde in Epeirum ex Italia nauigatio eſt commodiſſima. Pomp. Mela lib. 2. cap. 3. deinde ſunt quos propriè Illyricos vocant; tum Pyrei & Liburni & Iſtria. Vrbium prima eſt Oricū, ſecunda Dyrrhachium, &c. Plin. lib. 4 cap. 23. At in ora, inquit, oppidum Oricum à Colchis conditū, inde initium Epeiri; montes Acroceraunia quibus hūc Europæ determinauimus ſinum. *poſt inſana Cap.* Chronographia brumæ inſtantis ab ortu Capræ matutino. vide odē 1. huius lib. de hædis. *non ſine mult.* πάθος ad Aſterien in amoris officio mutui vinciendā. *atqui.* certè. Conſtantis in amore fidei aſſertio cum amplificatione. *tentat.* πειρᾷ ὡς αὐτὴ χαρίζοιτο. *mille modis.* finitū pro infinito. *vt Prœtum mulier.* exēplum perſuaſionis, quo denuntiat imminentia Gygi mala internuntius, ſi Chloën nō redamet. *mulier.* Antêa, Homero auctore. At ſi Tragœdiarū ſcriptoribus fides habēda, Stenobœa nominabatur. Apollodor. lib. 2. apud quem legito hanc fabulam. *nimis.* ἄγαν. *narrat panè.* alterum exemplum fidei faciendæ. *Hippolyten.* Aſtydameam Apollodoro lib. 3. qua de re videto prolixam eius nec iniucundam hiſtoriam. *peccare docentes.* ἐξ ἀντιτύπου monet, id eſt, narrat hiſtorias quæ docent peccare ſcilicet in amore: hoc eſt, narrat quamplurimos, qui non ſeruatis amoribus antiquis, nouis quoq. non iniucundè dederunt operam: Quorum exemplo Gygi liceret Chloën amplecti. Eiuſmodi rationibus ode 4. lib. 2 Xanthiæ licere dicit adamare ancillam. ſic & Chærea Terent. ad imbrem Iouis aureum, vitiauit virginem. *at tibi.* depoſcit Aſterien in amore talionem, vt viuat honeſtè, dum ex profectione redeat Gyges. *quāuis nō alius.* προκατάληψις, ne ſtudiis equitandi natādíq. Enipei inducta, declinet in eius amóres. *prima nocte domū.* perutile conſiliū ſeruandæ caſtitatis, mulieribus pudicis, virginibúſq. omnibus ſeruandū. *ſub cantu querulæ.* his enim modis vocibúſque ſolet ab amatoribus oppugnari pudicitia feminarum.

AD MÆCENATEM cùm cælebs eſſet, cur Kalendas Martias celebret.

Ode VIII. ἐρωτηματική.

MARTIIS cælebs quid agam Kalendis:
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris, poſitusq́; carbo in
Ceſpite viuo,
Docte ſermonis vtriuſque linguæ.
Voueram dulces epulas, & album
Libero caprum propè funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte feſtus,
Corticem adſtrictum pice dimouebit

Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.
Sume Mæcenas cyathos amici
Soſpitis centum, & vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis eſto
Clamor, & ira.
Mitte ciuileis ſuper vrbe curas.
Occidit Daci Cotiſonis agmen:
Medus infeſtus ſibi luctuoſis
Diſſidet armis:
Seruit Hiſpanæ vetus hoſtis oræ
Cantaber, ſera domitus catena:
Iam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,
Parce priuatus nimium cauere, &
Dona præſentis cape lætus horæ, ac
Linque ſeuera.

COMMENTATOR.

MARTIIS *cælebs quid agam Kalendis*. Metrum tribus verſibus Sapph. quart. Adoni. Ad Mæcenatem ſcribit eum non debere mirari, quod Kalendis Martiis, cùm ſit ſine vxore, ſacrificet: hac enim die caſu arboris liberatum ſe cõmemorat vti feſtiua ob ſeruatam vitam ſalutémque. ordo eſt, Mæcenas docte ſermones vtriuſq. linguæ miraris quid cælebs agam Martiis Kalẽdis, quid velint flores & acerra plena turis, & carbo poſitus in viuo ceſpite. *Martiis Kalen.* Matronalia dicebantur, eò quòd mariti pro conſeruatione coniugij tunc ſupplicabant: erat autem dies propriè feſtus matronis. *cælebs.* ſine vxore: vt enim viduæ ſine viris, ita cælibes ſine vxoribus dicebantur. *acerra.* acerra dicebatur miniſterialis patina fictilis, turibulum. vt eſt, & plena ſupplex veneratur acerra. *carbo.* torris. *vtriuſq. linguæ.* Græcæ & Latinæ. *voueram dulceis.* modo reddit cauſam cur Kalendis Mart. ſacrificet: cum ſcilicet diem ſe ſacrum habiturum, quo eſt arboris cadentis periculo liberatus. *album Libero cap.* diis ſuperis alba victima; infernalibus verò nigra ſolebat offerri. vt, te caſta Sibylla nigrarum multo pecudum te ſanguine ducet. *funeratus.* extinctus, ſepultus. *ictu.* lapſu. *hic dies.* Kalendarum Mart. ordo eſt: hic dies feſtus redeunte anno, dimouebit corticem amphoræ aſtrictum pice, inſtitutæ bibere fumum conſule Tullo. *corticem.* cooperculum. *aſtrictum.* affixum, annexum, ſuperlitum. *dimouebit.* auferet, abripiet in vſum conuiuij vinum quod fumo inueteratum eſt. *amphoræ.* vaſis vinarij. *Conſule Tullo.* pro tempore quo conditum eſt vinum. *cyathos.* ſcyphos, quos pro ſexta parte ſextarij, ducebant. *ſoſpitis.* ſalui & læti. *centum.* ad lætitiam conuiuij, centum dixit, finitum pro infinito: vt, tibi nomina mille. *vigiles lucer.* vigilãtes ducamus noctem inſomnem. *procul eſto.* ita innocuum vult eſſe vinum, vt nec oneret, nec per ebrietatem prouocet homines ad liteis. *eſto procul.* abeſto, pro aberit. vt, timor omnis abeſto. *mitte.* omitte. *occidit.* ruit. *Daci Cotiſonis.* Cotiſon nomen regis Dacorum: quo victo ſuadet aliquatenus à curis publicis recedere, & priuato Mæcenatem indulgere cõuiuio. *diſſidet.* diſſentit, diſcordat: eò quòd ciuilia inter ſe Medi bella gererẽt, quibus propter diſcordiam Romanis rebellare non vacaret. *Cantaber.* gens Hiſpaniæ. *ſera.* tarda. *catena.* ſeruitute, quia diu bellum cum his geſtum eſt, nec ſine difficultate ab Auguſto ſuperati, & ideò dicit eos victos & ſubditos Romanis ſeruire. *meditantur.* moliuntur. *laxo arcu.* hoc dicit, vt eos detenſis arcubus victos & fugienteis oſtenderet. vt, laxos referunt humeris languentibus arcus. *negligens.* ſecurus, ſupp. eſto. econtrariò Virg. ſecurum pro negligente poſuit; ſecurus amorum Germane. *parce.* deſine. *cauere.* curare, ſollicitus eſſe. *linque ſeuera.* contemne triſtia & aduerſa.

CRVQVIVS.

M*Artiis cælebs quid agã Kalendis.* Moris erat hoc antiquis, vt in vxorum gratiam mariti Kalendis Martiis, qui dies matronis feſtus erat, ſacra facerent. Quod cùm inſtituiſſet Horatius, ab iis ſacris epulis noluit abeſſe Mæcenatem, non quòd vxorem haberet, cuius amorem demereri ſtabiliréq. cuperet, ſed quòd eo ſollemni die Libero votum ſolueret, ob vitam ab eo ſeruatam de caſu arboris in caput ſuum procumbentis: quare iubet Mæcenatem vino veteri appoſito ſecum lætari, noctémq. ad lucernas hilariter inſomnem ducere, ſine vllo clamore (vt fit inter pocula) grauiorîq. contentione. quod cum tutò facere poſſe docet; quippe libera tunc ab hoſtium metu republica. Hortatur itaq. ſecurus & lætus vt animo indulgeat, præſentiq. det operam voluptati. *Martiis cælebs.* Exorditur ab occupatione quæſtionis, cur ipſe non maritus celebret Kalendas Martias: Kalendas autẽ omneis Iunoni tributas, vt & Idus omneis Ioui, & Varronis & Pontificalis cõfirmat auctoritas, inquit Macrob. lib. Saturna. 1. cap. 9. hinc Iuno Kalendaris dicta: Sed Martiis Kalendis Iunoni, præcipuè matronæ, ſacrificabant, vt is annus ab exordio totus eis felix eſſet & fauſtus, & in partu & amore coniugali: & hæc feſta Matronalia dicebantur: tunc ſeruis quoq. cœnas appone-

apponebant, maritiq. vxoribus munera mittebāt, vt & mulieres viris ipſis Saturnalibus. Quin & viri Kalendas Martias viciſſim Iano Iunonio ſacras habebant, epulabanturq. ad coniugum caſtitatem ſeruandā pudicitiámque. *quid velint flores.* præſertim florens edera: in ſacris enim aras ipſas eius numinis fronde ornari ſolitum erat cui ſacrificabatur: quare in Liberi ſacris opus erat edera. *acerra* θυιάσκη, in Biblijs inuentu frequēs, θυμιατήριον. *turis plena.* ture ditiores, mola ſalſa pauperiores litabant. *poſitúſq. carbo.* ignis paratus ſuper aras, ſine quo nullū ſacrificiū fieri licebat. *ceſpite viuo.* gleba graminea humi: in terra namq. dijs terreſtribus ſacra fiebant, qualis eſt Liber pater habitus antiquis. vide oden 17. lib. 2. ad finem: aut ſi inter ſuperos eum numeres, in ceſpite viuo, id eſt, in ara ex viuo ceſpite erecta. *docte ſermones.* Mæcenatis laus à linguarum peritia ad beneuolentiam conciliandam. ſermonis, in Bland. codicibus per I maiuſculum ſcriptum eſt, quod ferè vel, eis, vel, es, notat: ceteri ſcripti habent, ſermonis. *vouerami dulces.* αἰτιολογία ſacrificij Kalend. Martijs exhibiti ad votum perſoluendum. *dulceis epulas.* dulci vino conditas. γλυκὺ Græcè, ſeu γλυκὺς οἶνος. *caprum.* qui Baccho ſacer erat, eò quòd viteis infeſtabat. hinc illud epigramma lib. 1. epigram. κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι τράγε θυομένῳ. ad quod 1. Faſtor. alluſit Ouid. rode caper vitem, tamen hinc cum ſtabis ad aras, in tua quod ſpargi cornua poſſit, erit. *arboris ictu.* vide oden 3. lib. 2. *anno redeunte.* annus Ciceroni quaſi anulus, quòd in ſe redeat: annus vertens, ἐτροπῇ τοῦ ἐνιαυτοῦ. *corticem aſtrict. pice.* hoc eſt, ſuber picatum, qui cortex propriè dicitur, quo illinebantur olim vaſa vino plena ad vetuſtatem, quæ relini dicebantur in vſum dimoto cortice: ſic enim Plin. lib. 16. cap. 8. de ſubere, Vſus eius, inquit, ancoralibus maximè nauium piſcantiúmque tragulis, & cadorum obturamentis, &c. *dimouebit.* ſic habent omnia quę vidi ſcripta quæ ſecutus ſum. *amphoræ.* amphora κεράμιον, quadrantal: à figura pedis quadrati, vas vinarium, quod quadraginta octo capit ſextarios. *fumum bibere inſtituta.* hoc eſt, ſtatutæ ſeu repoſitæ bibere fumum, id eſt, vetuſtatem, qua imbuta vinū nobis propinabit fumoſum & validum nidoréque plenum: hoc autem dicere videtur alludens ad ea ſacra quæ ἄκαπνα dicuntur. id eſt, non fumoſa, ſeu ſine fumo: vnde eſt illud Athen. ἄκαπνα γὰρ αἰεὶ ἀοιδοὶ θύομεν, id eſt, ſine fumo namq. poëtæ ſemper canentes ſacra facimus. ſic & Lucianus in amorib. βαθφάγος μὲν, inquit, ὦ δαίμων, ὦ Λουκιανὲ, κἀγὼ ταῖς ἀκάπνοις, ὥς φασι, τῶν θυσιῶν ἥκιστα τιγχανόμενος. id eſt, profectò valde vorax ille deus eſt, ô Luciane, qui neque fumi ſacris expertibus vllo modo gaudet: ſignificans ſacra pauperculorum, qui molas ſalſas, lac, coronas & id genus alia dijs offerunt. *conſule Tullo.* Chroniſmus vetuſtatis vini ab Horatio propinati, hyperbolicôs: L. enim Volcatius Tullus (ſi alius nō interciderit) conſul fuit cum M. Aemilio Lepido anno vrbis cond. 687. Cantabri verò, quos hîc domitos ait, rebellantes, ab Agrippa poſtremùm ſubiugati ſunt, auctore Dione anno 734. Nunc annorum inita ratione, vinum hoc vetus fuiſſet annos 47. itaque ab Horatio credo notari vinum valde vetuſtū. *ſume Mæcenas.* inuitat ad pocula & hilaritatē nocturnā ob ſe ſeruatū ab arboris caſu. *cyathos.* de ſcyphis & cyathis ode 27. lib. 1. *mitte ciuileis.* hortatur à ſecuritate reipubl. de ſuperatis hoſtibus. *ſuper vrbe.* de rebus vrbanis. *Daci Cotiſonis agmen.* hi Daci Europæi ad Iſtrum fuere, non etiam Aſiatici Daæ olim dicti ad Araxen: Scribit enim Suetonius Dacorum incurſiones ab Auguſto coërcitas fuiſſe, cæſis tribus ipſorum ducibus; ex quibus hic Cotiſonē vnū fuiſſe eſt vero conſentaneū: quæ vox planè eſt Cimbrica, in qua C littera proferri debet vt G, vt τὸ C, in dictione Caius, quaſi Gotiſon ſeu Goteſon, & per ſyncopen Gotſon, id eſt, filius Dei. vide Saxonica Becani. *Medus infeſtus.* Dion lib. 53. ad finem, cùm Teridates, inquit, ac legati à Phraate Romā aduenissent, ſuarum cōtrouerſiarum cauſa, in ſenatum eos Auguſtus introduxit, ac deinde mandata ſibi à ſenatu litis cognitione, Teridatem Phraati nequaquā tradidit: filiū tamen Phraatis, quē antè ab eo acceperat, patri remiſit, vt pro eo captiuos, ſignaq. militaria Craſſi, & Antonij cladibus amiſſa, reciperet. *ſeruit Hiſpa. v. h. o.* de Cantabris qui nunc Biſcaini nominantur, Hiſpaniæ populis iam iā dictū eſt ſuprà. deinde vide oden 6 lib. 2. *ſera.* bellū namq. Cantabricū in ſex annos protractum fuit & amplius. *cedere campis.* Dio. lib. 51 Baſtarnę inter Scythas, inquit, verè numerantur: hi tum tranſgreſſi Iſtrum, Myſiam ſibi oppoſitam, finitimóſq. Triballos, Dardanóſq. ibidem habitanteis ſubegerant, &c. deinde paullò pòſt: Craſſus cùm vt Sitæ Dentheletarum regi luminibus capto, auxilium ferret, tum verò vt Macedoniæ caueret, contra eos duxit, ipſo ſuo aduentu perterritos, ſine prælio ea regione expulit; porrò domum fugienteis inſecutus Segeticam occupauit, in Myſiam inuaſit, agrum infeſtauit, &c. hæc geſta ſunt anno vrb. cond. 725. Cæſare ſext. & M. Vipſanio Agrippa 3. conſſ. *negligens.* remiſſus, diſſolutus, ab animo orioſus, qualem ſcilicet affectum requirunt pocula rorantia. *laboret.* egens cōſilio tuo, præſentiáq. *parce.* noli. *priuatus.* nō in foro publicus, ſed

ſed inter parietes priuatus & liber genio indulgens, amicis vacans. *dona praeſ.* quod præſens hora donat, tu iq indulget. *rape.* ſic habet Maldeg. reliqui omnes cape. *ſeuera.* ſeria.

AD LYDIAM de præteritis amoribus.

Ode IX. ἀνταποδοτική.

HOR. DONEC gratus eram tibi,
Nec quiſquam potior brachia candidæ
Ceruici iuuenis dabat:
Perſarum vigui rege beatior.
LYD. Donec non aliam magis
Arſiſti, neque erat Lydia poſt Chloën:
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.
HOR. Me nunc Threſſa Chloë regit,
Dulces docta modos, & citharæ ſciens:
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animæ fata ſuperſtiti.
LYD. Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornithi:
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata ſuperſtiti.
HOR. Quid, ſi priſca redit Venus,
Diductosq; iugo cogit aëneo?
Si flaua excutitur Chloë,
Reiectæq; patet ianua Lydiæ?
LYD. Quamquam ſidere pulchrior
Ille eſt, tu leuior cortice, & improbo
Iracundior Hadria:
Tecum viuere amem, tecum obeam libens.

COMMENTATOR.

DONEC *gratus erã tibi.* Metrum priore verſu Glycon. ſecund. Aſclep. Hęc ode viciſſim Lydiam reſpondentẽ, ſibi quondam amicã facit, & agit de inſtauratione cũ ea, gratiæ. *donec.* quãdiu. *gratus.* amabilis. *potior.* melior, hoc eſt, cu nemo mihi à te præferretur, erã rege Perſarũ beatior. Perſarũ autẽ reges deliciosè viuebant & ſplendidè. *candida.* pulchræ. *vigui.* florui. *donec non alia.* reſpõdet Lydia. *arſiſti.* incenſus fuiſti, amaſti. vt, ardet amans Dido, traxitq. per oſſa furorẽ. *poſt Chloën.* nõ erat apud te Chloë inferior. Chloë nomen eſt alterius amicæ. *multi nominis.* magnæ famæ, & Iliæ matri Romuli pręferẽda. *me nũc.* loquitur Horat. *Threſſa.* Thracia. vt, Threſſa genus Pholoë, geminiq. ſub vbere nati. *regit.* potitur. *modos.* carmina, cãtilenas. *ſi parcãt.* ſi diu viuat. *no metuã.* velim pro ea mori. hoc facit ad augmentũ amoris, vt ſit paratus mori, ſi illa poſſit diu viuere. vt, ſi fratrẽ Pollux alterna morte redemit. *me torret.* Lydia. *face mutua.* amore mutuo. vt, mutuis bene fidum pectus amoribus. ordo eſt, Calais filius Thurini Ornithi torret me. *Thurini.* Thurii Brutiorũ eſt oppidũ, vnde Ornithũ dicit oriundum. *Quid? ſi priſ.* Horatius. hoc eſt, quid ſi ad amorẽ redeamus priorẽ. *cogit.* coadunat. *aeneo.* forti, inexpugnabili ad perpetuitate gratiæ rediturae iugũ dicit aeneũ: æs enim nõ ſicut ferrũ citò conſumitur: vnde Virg. & centũ vinctus aënis poſt tergum nodis: vt æternã pacẽ monſtraret per aëna vincula. *diductos.* diuiſos. *excutitur.* expellitur. *reiectaq;.* repudiatæ. *ianua.* aditus, acceſſus ingreſſus. *ſidere pulchrior.* vt, qualis Oceani perfuſus Lucifer vnda. *ille.* Calais. *leuior.* inconſtãtior, turpior. *improbo.* æſtuoſo. *iracundior.* vnde illud eſt, amantiũ iræ, amoris redintegratio eſt. *tecũ viuere amem.* vt, vna ſalus ambobus erit. *obeam libens.* vt, tecum conſumerer æuo.

CRVQVIVS.

DOnec gratus erã tibi. Cõtinet hæc ode ἀμοιβαίας χάριτας, id eſt, Veneres olim mutuas inter Horatiũ & Lydia, cũ iucũda admodũ grataq. cõmemoratione coniunctorũ, quæ in amore ſolent amantes ſuauiter afficere: Quæ cõmemoratio eò lectori gratior eſt, quòd ἀμοιβαδὶς alter alteri diſceſſionis amatoriæ cauſam ſubindicet, Lydię quidem ζηλοτυπίαν Chloës meretricis, Horatio verò Calais adoleſcentis; quorũ præſentibus amoribus ita ſe mutuo exagitant, mordẽt atq. vrunt, vt ſatis innuant in gratiã ſe priſtinã redire velle: ita nãq. ferè fit, vt diſplicere nobis id incipiat quod efferimus ſupra modum: prior itaq. in amore labaſcit Horatius, cui mox victa ſuccumbit Lydia. *donec gratus erã.* hæc ode belliſſimus eſt atq. adeò Comicus characteriſmus amantiũ ſibi ſubiratorum; quibus de præteritis amatoriè deq. præſentibus amoribus magnificè colloqui, denuò procari eſt. Exorditur autẽ ab amoris beneficio; eò quòd dum Lydia frueretur, quouis ſe rege beatiorẽ crederet. *gratus.* meretricia gratitudo leuis eſt & caduca, nec niſi μισθαρνῶν δώροις, vt eſt in Epigram. id eſt, donis procacibus & parari & ali poteſt: nã deſiiſti dare, deſiiſti amari. *brachia cãdida.* periphraſis oſculorũ & amplexus Venerei. *Perſarũ vigui.* hęc beatitudinis iucũda memoria Lydiã ſollicitat de nouis amoribus; eſtq. ſcintilla quædã cõditi quidem amoris ſopitiq., ſed necdũ extincti. *donec non alia.* omnia ſcripta noſtra habent, alia, præter Maldeg. quæ habẽt, aliã, cũ vulgatis. *arſiſti.* hoc ardere meretricium

tetriciū pro ſuo fomēto, non ligna, ſed quęſtū deſiderat ad incendiū. Moſchus, *ὡς ἀχὼ τὸν πᾶνα, τόσον σάτυρος φλέγεν ἀχώ.* *poſt Chloën.* donec erat Lydiæ prælata Chloë. Certè non amplexus, ſed quæſtus intercipiendi metus, meretriculis æmulationem parit. *multinominis.* nobilis. *vigui.* vixi. venuſta reciprocatio: vt enim Horatius quãdo Lydiã amplectebatur, perſuaſum habebat ſe quouis rege beatiorē, ita Lydia Chloë præpoſita quauis regina ait ſe vixiſſe clariorē. Ecce hic aliam recõciliationis ſcintillam. *Ilia.* mater Romuli ex Marte, filia Numitoris. *me nunc Threſſa.* hæc cum Chloë cõſuetudinis narratio, mordet animum Lydiæ, inuitátque latenter ad eam dirimendam. *regit.* me habet. *dulces doct. mo.* laus Chloës à vocalitate, & peritia pullandæ citharæ, vt magis vrat Lydiam. *pro qua non.* mortem vita redimere ſupremū beneficium eſt, quod vino præſtari poteſt: Eſt autem hoc hyperbolicum ad animum Lydiæ magis irritandum. *face mutua.* hæc ſimulata in meretrice ſimplicitas, qua ſe nõ regere vult Calaim, ſed eius amore frui mutuo, eſt in odium Chloës quæ regebat Horatium. *pro quo bis patiar mori.* retaliatio à maiori: non enim vt Calaïs maneat ſuperſtes, ſemel ait ſe mori paratam, ſed mille morteis ſubire: hoc enim eſt bis mori, finitum pro infinito. *quid? ſi priſca v.* hic vide ex mutuo colloquio amoris redintegrationem, ſcintilláſque per æmulationem reconditas exire in apertam flammam. *quid?* hæc particula parit attentionem Lydiæ. *ſi priſca.* hypotheſis amoris reconciliandæ. priſca, id eſt, prior Ven⁹, intermiſſa. priſca dicta ob amoris impatientiam, cuius intermiſſio breuicula videtur amanti ſæculum. *diductóſq́.* diſcordeis per æmulationem & ſuſpicionem, *οἱ τοῦ ἔρωτος ὄνυχες καὶ ὀδόντες*, id eſt, qui vngues ſunt amoris & dentes, auctore Plutarcho. *iugo aëneo.* metaphor. à bobus aratoribus, pro amore pari & indiſſociabili. *flaua.* flauam dici arbitror non tam à coma flaua, quæ in puellis commendari ſolet, quàm à bili flaua, quæ ſecum trahit iracundiam ſæpè & inamabile imperium: iccirco ſuprà dicere quidem videri poteſt Horatius ſe à Chloë regi: Quare nunc eam, vt leuis eſt amor, in gratiam Lydiæ, tanto vituperat quanto magis ſuprà extulit: hinc ſubiicit, *excutitur.* quod non eſt amoris, ſed odij verbum. *reiectæq́.* viciſſitudo inconſtantis Veneris: Lydia prius excluſa nunc reuocatur. *quamquam ſidere p.* per præoccupationem ſeruat artificioſe decorum ſexus: tantum namque abeſt vt mulieres aliquam facti culpam in ſe transferant, vt etiam rectè ſe feciſſe iactitent, idq́ue ſimulent nolle ſe, quod optant maximè: Sic Lydia ne agnoſcat ſe mutati noúique cum Calai amoris pœnitere, laudat eum à pulchritudine, inſurgítque in Horatium tamquã huius diſſidij cauſam, à leuitate & iracundia *ſidere pulchrior.* videtur alludere ad Calaidis lapidis naturam, de quo Plin. lib. 37. cap. 10. Calaïs, inquit, Sapphirum imitatur, candidior & littoroſo mari ſimilis. *tu.* ἀποστροφὴ ἐμφατικὴ in Horatij inconſtantiam cum indignatione meretricia. *cortice.* φελλῷ, id eſt, ſubere, qui cortex propriè dicitur. de quo Plin. lib. 16. ca. 8. de ſubere: Quamobrem non infacetè, inquit, Græci cortices arbores appellant &c. φελλὸν, nimirum, & ἴψον. Plinij locum ſic reſtituendum credo ex lituris veteris codicis ſcripti. Vulgatus habet, corticis arborem. Robert. Conſtant. Lexico, in voce φελλὸς, legit cortices arborum; ſed malim ſequi lituras dictas. hæc obiter. *iracundior Adr.* fatetur autem ſe vlt. Epiſt. lib. 1. ἀκρόχολον fuiſſe, iraſci celerem, inquit, tamen vt placabilis eſſem.

AD LYCEN IN AMANTEIS nimis aſperam & duram.

Ode x. μεσόπλοκος καὶ ἐυκτικός.

Extremvm *Tanaim ſi biberes Lyce,*
Sæuo nupta viro: me tamen aſperas
Porrectum ante fores obiicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis, quo ſtrepitu ianua, quo nemus
Inter pulcra ſitum tecta remugiat
Ventis? & poſitas vt glaciet niues
Puro numine Iupiter?
Ingratam Veneri pone ſuperbiam,
Ne currente retro funis eat rota.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.
O, quamuis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus viola pallor amantium,
Nec vir Pieria pellice, ſaucius
Curuat: ſupplicibus tuis
Parcas, nec rigida mollior æſculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc ſemper erit liminis, aut aquæ
Cæleſtis patiens latus.

Commentator.

Extremvm *Tanaim ſi biberes Lyce.* Metrum trib. verſib. Aſclepiad. quart. Glycon. Scribit ad Lycen meretricem, quam monet ne ob ſuam duritiem tandem derelinquatur ab amatoribus. *extremum.* vltimum. *Tanaim.* Tanais fluuius eſt Scythiæ,

Scythiæ, cuius nomine vult intelligi Lycen eſſe animi planè barbari. *ſæuo.* barbaro. *porrectum.* extenſum, dormientem ante ianuam. ſic Virg. quaq́ue redit mediũ Rhodope porrecta ſub axem. *obiicere.* opponere. *incolis.* aſperis. *Aquilonibus.* ventis ſeptemtrionalibus, vbi Aquilo oritur, in Scythia ſcilicet apud Tanaim. *plorares.* doleres, & plorando mei miſereri deberes. *ſtrepitu.* murmure. *nemus.* viridarium. *ſatum* plantatum. *remugiat.* reſonet. *poſitas.* iacenteis. niues enim Aquilone flante concreſcunt & ſolidantur. *glaciet.* in glaciem ſtringat. *puro numine.* ſereno aëre; vel numine, id eſt, poteſtate. vt, pura nec obtuſis per cælum cornibus ibit. *ingratam Veneri.* abominabilem, execrabilem Veneri dicit, ſi amet ſuperbiã & amorem contemnat. *pone.* depone. *ne currente retro.* hoc eſt, ne nimia velocitate rotæ rumpatur, & tu amans ſimiliter contemnaris: nomine autem rotæ fortunam intelligit; cuius volubilitatem & inconſtantiam monet vt caueat. *Penelopen.* Penelopes vxoris Vlyſſis nota eſt fabula, quę pro fide mariti abſentis omneis ſponſos repudiauit. *ô quamuis.* exclamatio. ordo eſt: ô quamuis neque curuant te munera, nec preces, nec pallor amantiũ tinctus viola, nec vir ſaucius Pieria pellice, & quamuis non ſis mollior rigida eſculo, nec animo mitior Mauris anguibus, parcas tuis ſupplicibus. *Tyrrhenus.* Italus. *nec munera.* vt, quoniam ſordent tibi munera noſtra. & alibi, nec munera curat Alexis. *viola.* colore violaceo. *pellice ſaucius.* amore concubinæ vulneratus. *curuat.* flectit, inclinat. *rigida.* dura. *mollior.* lenior, mitior. *nec mitior.* aſperior. *non hoc ſemper.* nõ ſemper paſſurum ſe dicit ante eius limen cæleſtem aquam, id eſt, pluuiam, ſed remiſſo per eius contemtum animo, tandem eam ſe amare deſiturũ.

CRVQVIVS.

EXTREMVM *Tanaim ſi biberes Lyce.* Hæc Ode viua eſt diatypoſis amantium, quos vulgò nominamus Venus ianckers, ad foreis puellarum de nocte quiritantium vt intromittãtur. In primis expoſtulat Horatius cum Lyce de inhumanitate ipſius pluſquam barbara, quòd cũ patiatur ventis horridis expoſitum, ſine vlla commiſeratione niuali glacie rigeſcere: deinde ſi non exuat animi faſtum, à Venere comminatur infauſta cuncta: vt quæ non ſit Penelope Thracibus, ſed Lyce Romanis orta parentibus, quibus non difficilis, ſed amica Venus exiſtit. Poſtremò, vbi neque expoſtulatione neque comminatione ſentit eam flecti, venit ad ſupplicationem: vt ſi munera adhuc & amantium voces vultúſque contemſerit, nunc mollior, mitiórq. ei velit eſſe ſupplici, Veneríque incumbere, dum tempus eſt & ætas valida, cogitótque futurum, quando ipſe factus imbecillior, non ferat amplius ad eius limen nocturnas excubias, aëríſque intemperiem. *Extremum Tan.* Exordium expoſtulatorium de inhumanitate per hypotheſin; à gente barbara agreſtique ſumta comparatione. *Extremum.* vel ab vrbe Roma remotiſſimum: vel extremũ, hoc eſt, ſi fonteis Tanais biberes, me tamen aſperas &c. fonteis autem Tanais, ex quorundam ſententiis lib. vndec. Strabo ſtatuit in Caucaſiis montibus, & iiſdem ex ipſis, ex quibus Ochus & Oxus, Iaxartes, aliíque complures, immittíque in Caſpium pelagus, quemadmodum illi: eſtq́ue omnium ſeptemtrionaliſſimus, ab oſtio Mæotidis recta nauigantibus ad Borealia, Maiores & minores Rhombitani Mæotę habitant agricultores & Nomades bellicoſi, in plurimas genteis diuiſi; quorum qui Tanaim accolunt, agreſtiores ſunt: qui verò Boſphoranis cohærent, mitiorem vitam degunt. hæc Strabo lib. vndec. *ſi biberes.* vel eò loci progenita; vel exulans nupta barbaro. *incolis.* inquilinis. προσωπογραφικῶς. *plorares.* οἰμώζοις. *audis quo ſtrep. ian.* amplificatio ab inanimatis, ianua & nemore, quæ ſuo ſtrepitu mugitúque Horatium pro foribus iacentem miſerata, Lycen euigilare, eumq́ue intromitti iubent. *pulchra tecta.* hoc dicit, fauoris eius captandi gratia. *ſitum.* Bland. 3. habent ſatum, vt & Comment. ſed reliqui, ſitum, quos ſequor euphoniæ cauſa. *glaciet.* Poëticum verbum neutrum in actiua ſignificatione. *puro numine Iup.* ſic habent omnia noſtra ſcripta, non etiam, lumine, quod adnotat Canterus, à quo non diſſentit Scaliger in Auſoniũ. iudicet lector. *ingratam Veneri.* comminatio infortunij, ſi Lyce non immutauerit animũ. *ne currente retrò.* inter eos qui in rota hic currente laborant, neceſſe eſt nos quoque adniti, vt ea currere pergat, ne aliquando retrolapſa, Lycen agat in præceps; quod ne fiat, opus eſt funem non diſſolui, non frangi: fertur enim Lyce ſurſum vecta curru, quem trahunt proci ſubditi colla iugo, funibus ſeu neruis pecunię in ſummum voluptatis verticem, vbi cunctis Lyce conſpicua, delicioſe dominetur; at ſi propter ſuperbiam currus gubernatricem, & Veneri ingratam, & amatoribus tandem nimis imperioſam, nerui funéſque ſoluantur, rumpantúrue, currus deorſum rapietur, nec aliter Lyce periclitabitur, quàm qui aduerſo vix flumine lembum remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit, mox illum in pręceps prono rapit alueus amni. Quare per ſynchyſin hunc verſum ſic interpretamur, ne fune eunte, id eſt, rupto ſolutóue, rota retrocurrat, Lycenq́ue præcipitet.

præcipitet. quemadmodum non rarò vſu venit in locis accliuibus, aſcenſúque difficilibus. Funis autem hic & rota per enallagen pluraliter accipimus quibus rhedæ trahuntur ſubuehuntúrque. Quæ certè ſententia quàm ſit omnibus obuia, nos docent pictores, qui fortunam, pauperiem, ſuperbiam, inuidiam, fidem, conſtantiam ceteráque id genus rotis vehi nobis ob oculos deliniunt; vt omittam Venerem depictam trahi in rheda à ſuis amatoribus, velut equis iugalibus. *non te Penelopen.* à natalibus oſtendit Lycen non debere eſſe moroſam difficilemque procis, qualem fuiſſe Penelopen fabulantur Poëtæ, non Latino patre humaniore, ſed Icario agreſtiore natã, Meleagridibúſque feris auibus educatam. *ô quamuis neque te.* obteſtatio, qua per remotionem eorum quæ ad animum eius flectendum adhuc non profuerunt, nunc obſecratur, vt ſibi parcat ſupplici. *tinctus viola.* color liuidus oculis parum gratus. *nec vir.* maritus. ſic & Terent. tibi generum firmum & filiæ inuenies virum. *Pieria pellice.* puella, ψάλτρια, fidicina. Hoc epitheton Pieria ſic interpretor propter Pierium montem Muſis ſacrum: quod additur ad Lycæ maius odium mariti conciliandum, quo pronior ea quoque ſit in oſcula & amplexus amantium: fere namque fidicinæ eiúſque ſortis puellæ ſuum pudorem proſtituunt. De pellice & pallaca, ſeu pallace, quæ Doricôs puellã notat, vide Agell. lib. 4. cap. 3. Laurent. Vall. Budæ. in Pandect. *nec mollior.* durior, per litoten. ab inanimato tranſlatio. *nec mitior.* ſæuior. ab immiti natura ferarum Mauritaniæ. Eiuſmodi querelæ ad fores puellarum de nocte ſunt excubantium procorum: ad quas ſuprà monuit Aſterien vt maneret difficilis & immota. *non hoc ſemper erit.* ſuadet à conſequentibus, vt in tempore ſe Lyce flecti ſinat: futurum alioqui, vt doleat occaſionem potiundi amoris præteritam.

AD MERCVRIVM VT SVIS modis lyráque flectat animum Lydes in eius amorem, ne inſtar Danaidum obſtinata pœnas luat.

ODE XI. προσφωνητική.

MERCVRI: nam te docilis magiſtro
Mouit Amphion lapides canendo:
Túque teſtudo, reſonare ſeptem
Callida neruis:
Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Diuitum menſis, & amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obſtinatas
Applicet aureis.
Quæ, velut latis equa trima campis,
Ludit exſultim, metuitq́; tangi,
Nuptiarum expers, & adhuc proteruo
Cruda marito.
Tu potes tigreis, comitéſque ſiluas
Ducere, & riuos celeres morari.
Ceßit immanis tibi blandienti
Ianitor aulæ
Cerberus: quamuis furiale centum
Muniant angues caput eius, atque
Spiritus teter, ſaniesq́; manet
Ore trilingui.
Quin & Ixion, Tityosq́; vultu
Riſit inuito: ſtetit vrna paullùm
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde ſcelus, atque notas
Virginum pœnas, & inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo,
Seráque fata,
Quæ manent culpas etiam ſub Orco.
Impiæ. nam quid potuêre maius?
Impiæ ſponſos potuêre duro
Perdere ferro.
Vna de multis face nuptiali
Digna, periurum fuit in parentem
Splendidè mendax, & in omne virgo
Nobilis æuum.
Surge, quæ dixit iuueni marito,
Surge, ne longus tibi ſomnus, vnde
Non times, detur: ſocerum, & ſceleſtas
Falle ſorores.
Quæ, velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos, eheu, lacerant. ego illis
Mollior, nec te feriam, nec intra
Clauſtra tenebo.
Me pater ſæuis oneret catenis,
Quòd viro clemens miſero peperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
Claſſe releget.
I, pedes quò te rapiunt, & auræ,
Dum fauet nox, & Venus: i ſecundo
Omine, & noſtri memorem ſepulcro
Scalpe querelam.

Commentator.

Mercvri *nam te docilis magiſtro mouit Am.* Metrum tribus verſ. Sapph. quart. dipodia Adon. Inuocat Mercurium lyræ inuentorem, vt dicat modos quibus amica eius Lyda fiat ei morigera. ordo eſt: Mercuri dic modos quibus Lyde obſeratas aureis applicet, nam te magiſtro docilis Amphion mouit lapides canendo. *docilis.* doctus. laus doctoris à diſcipulo: iuxta hoc quod Cic. in Rhetor. dicit artium magiſtros afferre laudem vel vituperationem diſcipulis, & contrà, diſcipulos magiſtris. vnde Mercurius laudatur hic in Amphione diſcipulo, cuius nota fabula eſt, qui citharæ cantu lapides poſt ſe traxit, ex quibus muri Thebani ſunt extructi: vt Statius: Quo carmine muris iuſſerit Amphion Tyrios accedere mõteis. *mouit.* moueri fecit. *teſtudo.* lyra. *reſonare ſep.* vt, obloquitur numeris ſepte diſcrimina vocum. *callida.* docta. ſic docti rem callere dicũtur. *neruis.* chordis. *nec loquax.* ſonora. laus inuentoris ab opere, quia neque loquax lyra, neque grata fuit, antequam chordis à Mercurio aptaretur ad cantũ: Sacrificiis enim olim fidicines adhiberi conſueuerant. *grata.* apta. *templis.* Deorum ſacris. *Lyde.* nominatiuus eſt. *obſtinatas.* clauſas. *applicet.* adiungat ad audiendum velut oblectata. *equa trima.* trium annorum & difficilis ad domandum, iuxta illud Poëtæ, adeò à teneris aſſueſcere multum. *exultim.* ſaltuatim. *cruda.* intacta, immatura ſiue intempeſtiua: hoc autem ad corpus pertinet, ſed ad animum cruda, id eſt, crudelis, & per hoc aſpera atque horrens maritum. *ducere.* dulci cantu, vt oblectatione cantus quocumque ieris te ſecutæ ſint. vt Virg. mulcentem tigreis, & agentẽ carmine quercus. *morari.* tardare, ſiſtere. *ceſſit.* obediuit, vt, tenuítque inhians tria Cerberus ora. *tibi blandienti.* hypallage, quia ipſi Cerberus magis blanditus eſt. *furiale.* exitiale. *centum.* finitum pro infinito. *muniant.* circumdent, repleant, vt, Ennius, Angues villoſi canis. *teter.* tetri odoris. *ſanies.* atrum venenum. *manet.* fluat. *ore trilingui.* vt, latratu regna trifauci perſonat. *quin & Ixion.* gigantes. vt, atque Ixionij vento rota conſtitit orbis. *inuito.* coacto: extorquente ſcilicet riſum citharæ ſui dulcedine, quod tormentorum pœna non ſinebat. *dum grato Danai.* filias Danai, cuius fabula nota eſt, qui fratris Aegypti inuidia, quòd omneis is filios, ipſe verò filias haberet, pactis nuptiis cũ fratris ſui filiis præcepit filiabus, vt interimerent ſuos ſponſos: quod ab omnibus factum eſt, præterquam ab Hypermneſtra, quę Linum fuga data ſeruauit: reliquæ ob hoc ſcelus apud inferos hac pœna dicuntur damnatæ, vt aquam in dolium pertuſum iugiter infundãt. *mulces.* mitigas & refoues. *puellas.* filias. *audiat Lyde.* audiat qua pœna damnatæ ſunt quæ amãtibus crudeles fuerunt. *inane.* ſine aqua. *ſeráque fata.* tardum ſupplicium. vt, diſtulit in ſerã commiſſa piacula mortem. *manent.* expectant. *etiam ſub Or.* quia culpas etiam puniunt Inferi. *duro.* non ad ferri naturam hoc pertinet epitheton, ſed ad earum animum, quòd dura & crudeli morte hoc facinus ſint auſæ. vt, duris genuit te cautibus horrens Caucaſus. *perdere ferro.* occidere. *vna.* Hypermneſtra. *face nuptiali.* honore matrimonij: nam in nuptiis hoc erat honoris inſigne, vt faces præferrentur. *ſplendidè.* decenter: pulchrum eſt enim pro iuſtitia mentiri. *virgo.* virginem pro muliere poſuit. *longus.* perpetuus, id eſt, mors. vt, & conſanguineus leti ſopor. *vnde.* à quo. *non times.* non vereris. *falle.* decipe fugiendo. *quæ velut.* ordo eſt: quæ velut leænæ nactæ vitulos, eheu, lacerant ſingulos. & eſt pulcherrima comparatio. *mollior.* benignior, melior. *feriam.* occidam. *oneret.* vinciat. *clemens.* mitis. *extremos Numi.* in deſerta Numidiæ, quæ feris plena ſunt: aut ad crudelitatem Numidarum reſpexit. vt, & Numidę infreni cingunt. *releget.* remoueat. vt Virg. atque ideo tauros procul, atque in ſola relegant paſcua. *dum fauet nox.* vt, defenſi à tenebris, & dono noctis opacæ. *ſcalpe.* hoc eſt, in epitaphio meo commemorando ſcribe quod geſtum eſt.

Crvqvivs.

Mercvri *nam te docilis magiſtro.* Cùm Lyden moribus aſperam, ingenióque intractabilem flectere nequiret Horatius, vt ſuis amoribus acquieſceret, Mercurium precatur ſuauibus ſuæ lyræ dulciſoniſque modulis eam morigeram vt ſibi efficiat, animũmque eius mitiget duriorem: Quod quidem ei factu facile fuerit, vt qui multo maiora confecerit in tigribus leniendis, ſiluis dulcedine cantus poſt ſe ducendis, fluuiis ſiſtendis, atque adeo (dictu mirabilius) in inferis omnibus ſuo nutu demulcendis: vbi & Danaides ob interfectos ſponſos, aquam in pertuſum dolium infundere, damnatæ, temporis aliquantũ ſuæ pœnæ immemores ſubſtitere. Quam profectò puellarum culpam ſi cognoſcat Lyde Deos inferos vlciſci tam graui ſupplicio, confidit Horatius, eam mitiorem futuram, ſibíque mutatis affectibus obſecuturam. *Mercuri nam te.* Exorditur à laude Mercurij, eiúſque teſtudinis ſeu lyræ, quam Amphion pulſando lapides auritos feciſſe dicitur. Fuit autem Amphion Iouis ex Antiopa filius, quem à Mercurio lyra donatum, citharœdicam exercuiſſe ſcribit Apollod. li. 3. cuius lyram

ex ſub-

ex ſubſecutis lapidibus, Thebę muro cinctę, Laiúſque fugatus. lege Apollod. Plutar. in Muſica. *reſonare ſept.* in hunc locum legito adnotata viri doctiſſ. Henrici Glareani. *nec loquax.* quippe cùm eſſes nuda concha ſeu teſta ſine fidibus. *nunc & diuit.* poſtquam fidibus aptis à Mercurio reſonas. commendatio lyræ ab inuentore & vſu. *obſtinatas applicet aur.* contumaceis, præfractas: obſtinatus enim propriè is eſt, qui ſibi placens, nullius aut conuerſatione aut colloquio capitur: per quam venuſtè alludit ad verbum ὑπακούομαι, quod & audire & morem gerere ſignat, ὡς λυδὴ μοὶ ὑπακούεται. *quæ velut latis.* ab ætate per comparationem equæ ferocientis, notat Lydes laſciuiam. *metuitque tangi.* quia nondum ſubacta eſt nec aſſueta iugo. *nuptiarum exp.* ἔτι πάρθενος καὶ ἄδματος, id eſt, adhuc virgo, necdum inita, paſſáue admiſſarium. ſic Lyda nondum experta Lucinam iuſtóſque Hymenæos. vide oden 5. lib. 2. *proterno.* petulanti, in Venerem propenſo citóque, à protero. *tu potes tig.* argumentum à maiori: alludit autem ad Orphei fabulam: de qua in Epiſt. ad Piſones. *blandienti.* blandè ſuauitérque canenti. vide odē 13. lib. 2. *Ixion.* de Ixione eiúſque rota circumagitata propter ſtuprum Iunoni intentatum in Epiſtola ad Piſo. *Tityóſque voltu.* ſic habent codic. Bland. de Tityo ode 4. huius lib. *vrna.* πίθος, dolium, vrna, vrceus, cadus, fidelia &c. vide adagiū, πίθος τετρημένος, dolium pertuſum. *audiat Lyde.* ἐπάνοδος, regreditur enim ad inſtitutum de Lyde mitiganda, ne exemplo Danaidum luat acerbitatis ſuæ pœnas apud inferos. *ſcelus.* necem ſuorum maritorum. *notas.* aut ex narratione cognitas, aut inſigneis immaneíſque. *ſeráque fata.* quę tardè quidem veniunt ad vltionem, ſed eò grauius puniunt. *quæ.* fata, quæ quidem non properant, ſed manent & expectant culpas, crimina, ſcelera etiam ſub Orco luenda. *impiæ.* ô impiæ! exclamatio pathetica. *nam quid potuere maius impiæ?* ſic habent codices Bland. vt interrogationis nota ſubſequatur τὸ impiæ: reliqui variant, & notam interrogationis ſubdunt τῷ maius. Videtur Horatius data opera perturbatius ſcripſiſſe in execrationem tanti facinoris: Quare ſi priorem lectionem probabimus, in hunc modum dicemus: Nā quid illæ impiæ ſorores potuere maius ſcelus perpetrare? ita vt interrogatio reddat impietatis cauſam: at ſi poſteriorem ſequemur, iteratio dictionis pertinebit ad auxeſin. *ſponſos potuere.* narratio facti. *vna de multis.* laus Hypermneſtræ à pietate in ſuum ſponſum, quæ ſola ex quinquaginta ſororibus ſponſum ſuum Linum, non interemit. *ſplendidè.* magna cum laude: nam parentibus quidem mos gerendus eſt, ſed non in ijs quæ ſunt contra Deum & naturam. *ſurge quæ dixit.* narratio benigni animi piíque in maritum ad emolliendam Lydes acerbitatem, vt, ſi non metu pœnæ apud inferos dandæ, quæ ſeruileis animos terrere ſolet, ſaltem generoſa moueatur immortali laude, & gloria Hypermneſtrę: cuius exemplo fiat in Horatiū placidior ſolito, mitiórque. *ſurge.* iteratio eſt ἐπανόρθωσις tarditatis & ſomnolentiæ mariti, qui difficulter ab amata ſeparari potuit. *ne longus tibi ſomn.* ne dormias æternùm. cauſa feſtinationis à morte imminente ab eo à quo non expectes niſi præſidium defenſionemque, quo nihil eſt inhumanius. ſic & Ouid. Surge, age Belide, de tot modò fratribus vnus, nox tibi, ni properes iſta perennis erit. *ſocerum.* Danaum. *velut nactæ vitul. leæ.* exaggeratio ſceleris à feritate leænę in vitulos innoxios. *nec te feriam.* adimit marito metum à ſua perſona. *intra clauſtra.* clauſum tenebo dum pater cum ſororibus te veniat laceratum: ita & manus ſuas à cæde mariti, & animum à proditione ſeruauit immaculatum. *me pater ſæuis.* mens Hypermneſtræ mali præſaga, nimirum ſibi à patre tyranno impendere atrociſſima quæque ſupplicia propter vitæ beneficium Lino ſponſo à ſe præſtitum contra iuſſum patris impium. *i pedes quo te r.* valedicit, hortatúrque vt acceleret fugā, quam precatur felicem & fauſtam. *dum fauet nox.* ab opportunitate temporis. *Venus.* quæ dux eſt amantium & Dea tutelaris credebatur. Quin & Theſeus in Cretam nauigaturus, vt eam à Minotauro liberaret, ab eo conſultus Apollo reſpondit, vt Venerem itineris ducem ſibi aſſumeret; auctore Plutarcho. *i ſecundo om.* ô dure Departie, quàm durus amantium diſceſſus! *memorem.* μνημόσυνον amoris ob vitam ſeruatam. *ſcalpe quer.* ſic legitur in Bland. codicib. & rectè ex ſententia Diomedis Grammatici, qui ſculpo verbum credit vix eſſe Latinum. tres tamen manu ſcripti Diuæi, Mart. Maldeg. habent ſculpe. deligat lector.

AD NEOBVLEN, INSVAVEM ei eſſe vitam ſine Hebro adoleſcente fortiſſimo.

ODE XII. παραινετική.

MISERARVM eſt nec amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lauere, aut ex-
animari metuenteis patruæ
Verbera linguæ.
Tibi qualum Cythereæ puer ales,

Tibi telas operoſaq́ Mineruæ
ſtudium aufert Neobule Liparæ-
i nitor Hebri:
Simul vnctos Tiberinis humeros la-
uit in vndis, eques ipſo melior Bel-
lerophonte neque pugno neque ſe-
gni pede victus.
Catus item per apertum fugienteis
Agitato grege ceruos iaculari
Celer alto latitantem frutice-
to excipere aprum.

COMMENTATOR.

Metrum hoc Sotadicum dicitur. Alij Rhythmicum nominant, vt numerus ſit potius quàm metrum: ab aliis Synapheia vocatur, quia nō pedum ſed ſenſus fine concluditur. Conſtat autem Ionico à minore, & duobus primis verſibus trimetris, hoc modo, Miſerarum eſt. neque amori. dare ludum. neq; dulci. mala vino. lauere aut ex. tertius verò tetrameter ſcanditur ita, animari. metuenteis. patruę ver-bera linguæ. Scribit autem ad Neobulen amantem Hebrum adoleſcentem, & teſtatur inſuauem eſſe vitam ſine hilaritate & amore. ordo eſt: ô Neobule, Miſerarum eſt neque dare ludum amori, neque lauere mala dulci vino, aut exanimari metuenteis verbera patruæ linguę. *Lauere.* pro lauare. ſic enim veteres declinabant. lauit pro lauat. vt Virg. lauit improba teter ora cruor: Qui verſus ineptus eſt, ſi lauit eſt præteriti temporis. *exanimari.* cruciari verborum caſtigatione. Patruæ autem linguæ, pro ſeueræ dixit: Patrui enim adoleſcentibus corripiendis auſteriores eſſe ſolēt quàm patres, quibus natura ipſa indulgentiam plerumque extorquet. Cic. idem pro ſeueritate cenſuræ. Patruus quidē magiſter hoc diceret. *tibi qualum.* Calathum μετωνυμικῶς pro lanificio dixit, quaſi amore & pulchritudine amatoris capta contemneret penſa mulierum. *Cytherea.* Veneris. à Cythero monte. *puer.* Cupido Veneris filius. *Liparæi.* à Lipara inſula, ac ſi diceret Liparenſis, nam Liparitanus, eius inſulę ciuem demonſtrat. *nitor.* pulchritudo. *ſimul.* mox vbi. *vnctos.* ablutos, oleo delibutos. *Bellerophonte.* qui Pegaſo equo alato vectus Chimæram interemit. *pugno.* Athletico & agonico certamine. *catus.* peritus. *per apertum.* per latum. vt, alia de parte patenteis tranſmittunt curſu campos. ordo eſt: Ales puer Cythereæ, & nitor Liparæi Hebri, ſimul vt lauit vnctos humeros in Tiberinis vndis, eques melior ipſo Bellerophonte, neque victus pugno, neque ſegni pede: ſimilem catus iaculari ceruos fugienteis per apertum agitato grege, & celer excipere aprum latitantem in alto fruticeto, aufert tibi qualum & ſtudium operoſæ Mineruæ. *fruticeto.* virgulto. *excipere.* ex inſidiis capere.

CRVQVIVS.

MISERARVM *eſt nec amori dare ludum.* Per inſinuationem mouet Neobulen vt amet commodè, cùm nihil ſit miſerius, quàm amore ſuo liberè frui non poſſe, hilaritérque vino curas amaras obliuiſci: Quod ei quidem nouit integrum non eſſe metu maiorum, à quibus obſeruari caſtigaríque ſatis intelligit: Nec ignorat tamen eam deperire Hebrum adoleſcentem, adeò vt ipſa nunc iam puellaris exercitij in lanificio teláque texenda quaſi immemor, nihil præter eum cogitet ſomnietq́ue: Nec id certè iniuria, vt qui ſit amari dignus, cùm ob nitidi corporis elegantiam, natandíque peritiā, tùm quòd in exercitiis Martij campi inter alios ſit facilè primus, nec venandi imperitus, & in ceruis agitatis curſu iaculandis, apriſque venabulo traijciendis. *miſerarum eſt.* vehementer admiror hoc genus carminis Grammaticos nullos aduertiſſe non vnius eſſe ſed diuerſi generis, ne antiquos quidem: ait enim Diomedes, quem Perottus aliíque ſequuntur, eſſe monocolon: at credo tamen eis non minus ad manus fuiſſe ſcriptos codices, vt nobis ſunt hodie, ex quibus vel minimo labore licuiſſet verſus diſcretos diiudicare: ſed arbitror eis hoc contigiſſe, quod multis aliis, Acronemq́ue non verum ſuæ ſententiæ auctorem habere, qui Sotadicum hoc metrū, ſiue rhythmicum numeroſumq́ue ſeu Synapheiā nominat, non addita metri ratione alia quàm cōſtare ex ionicis à minori, verſu trimetro tetrametróque: Qui cùm ſint naturæ eiuſdē, voluerit hoc carmen eſſe monocolon. at aliud longè nobis ob oculos ponunt tres ſcripti codices Bland. antiquiſſ. Maldeg. & Mart. ſed hic noſtra ope nonnihil adiuti in pedibus ordinandis. Eſt itaque Metrū hoc tricolon, conſtans ex duobus prioribus Sapphicis trimetris acatalectis, tertio Anacreontio dimetro catalectico, quarto Adonio; hoc modo: Miſerarum eſt: neque amori: dare ludum: neque dulci: mala vino: lauere aut ex:animari: metuenteis: patruæ: verbera linguæ. &c. vt videre licet in Ode à nobis diſpoſita. *miſerarum eſt.* Exordium planè eſt ἐφοδικὸν, nec Horatio magis vſitatum quàm genus ipſum metri, quod non tam ipſi quàm vel Hebro adoleſcenti, id ab eo fortaſſis efflagitanti, vel maioribus in puellam durioribus adſcribendū crediderim: videtur enim præter honeſti limites

puellam

puellam Neobulen ad id inducere velle, vt maiorum metu valere iuſſo, det amori ludum, Hebróque adoleſcenti morem gerat, cúmque eo comiſſando vinóque indulgendo viuat hilariter & iucundè, cùm præter eum magis diligat neminem, vel ex eo coniectura facta, quòd puellari penſo neglecto in eum ſolum figat mentis aciem. *dare ludum.* in amore colludere, & eo familiariter ſuauitérque frui. *mala.* curas, ſollicitudines, metus, ſuſpiciones &c. ſic Epodo 2. Quis non malarum, quas amor habet curas hæc inter obliuiſcitur? *lauere.* hoc ad vini calorem pertinet, qui affectus animi frigidiores diſcutit, accenditque fiducia. de quo & Medici & Phyſici conſulendi ſunt. Ouid. cura fugit multo diluitúrq. mero. *aut exanimari.* per ellipſin hoc ſupplendú eſt, hoc modo, aut miſerarum eſt non dare ludum amori, aut inter ludendum comiſſandumque metu maiorum percelli: ea namque voluptas interrupta timore, imperfecta eſt, minúſque ſenſus afficit. *patruæ.* vide Adag. patrua lingua, ſapere patruos, ne ſis patruus mihi. *tibi qualum.* amoris argumentum, ſuarum rerum neglectus eſt. *puer ales.* Cupido alatus. vide Moſchi cupidinem. *operoſæq. Mineruæ.* diligentis & ſedulæ. Heſio. in oper. & dieb. αὐτὰρ Ἀθήνην ἔργα διδασκῆσαι πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν, hoc eſt, hanc arteis doceat varias telamq. Minerua. de Pandora loquens. *Liparæi nitor Heb.* oſtēdit Hebrum dignum eſſe quem Neobule diligat, primum à nitore vncti ablutiq. corporis. *Liparæi.* de Liparæis inſulis quarū maxima eſt Liparis, vide Strab. lib. 6. *ſimul vnctos Tib.* neceſſe eſt me lectori ante annos decem fidem datam in præfatione in 4. odarum nunc liberare in huius odes verſuum diſpoſitione legitima, quam Lambinus hic temerè peruerſam calumniatur, nec aliud adfert, quo id doceat. in primis omnes noſtri codi. ſcripti in ea ſine vlla macula aut litura conſentiūt, adeò vt nō dubitem Lambini quoque ſcripta probatiora à noſtris in ea non diſſentire: deinde ordo verſuum, quem ad finem ſubdit Acron vulgatus, ſequitur manu ſcripta. Porphyrio quidem vulgatus, quem fortaſſe ſibi proponit Lambinus, habet. Diximus ſuprà adoleſcentes poſt exercitium campeſtre in Tiberi nare ſolitos fuiſſe. Quod ita eſſe nos quoque notauimus ad oden 8. lib. 1. Sed hic eum natandi morem deſcribi ab Horatio, etiā ſi velimus dicere non licet: quomodocumq. etiā verſus diſponamus. Atqui vel neceſſe eſt Hebrum vnctum Tiberinis vndis ablui ad nitorem corporis tantùm, non etiam ad puluerem collectum detergendum, vel Horatium hic, & in Ode dicta nō idem pro conſuetudine athletarum ſignificare, ſi antiquam ſequimur lectionem: ait enim ſimul ac Hebrus in Tiberi lotus eſt, cum inuictum eſſe & equitem & pugilem; itaque natationem cenſet præcedere debere exercitium campeſtre. quod quàm ſit abſurdum vel mediocriter doctus facilè intelligit. Poſtremò metri ratio verſuum collocationem nō admittit eam quam Lambinus probat, adeò vt ea ſola ſit argumento lectori aliam quàm noſtram hanc lectionem eſſe peruerſam. Quod autem ſcribit Aldus, Lerophonte, eſſe Pæanem tertium, qui debet eſſe Ionicus à minore, eò quòd & Horatio aliis in locis, & Iuuenali Bellerophon, ſeu Bellerophontes, ſit inflexionis apud Latinos tertiæ: certè eius Grammatica nihil nos interturbat, adeò vt quæ recta ſunt, ſtultè inflectendo corrumpamus. Quid enim vetat quò minus Bellerophontes primam Latinam ſequatur inclinationem, quàm Anchiſes & infinita alia in, æ vocali longa, ab η finali, in ablatiuo? Quod cū ita ſit, velim candidum lectorem noſtra boni conſulere, & ſi quo poſſet argumento iuuare, quòd videat nulla nos alterius inuidia laborare, ſed id quod res eſt, docere. *eques ipſo mel.* laus ab equitandi peritia, per hyperbolen Poëticam. *neque pugno.* laus ab athletica. *neque pede.* à curſu. *catus.* doctus. à venatione, & iaculandi peritia. *alto.* Bland. antiquiſſ. legit. *arto.* pro denſo, quod fortaſſis eſt aptius. *fruticeto.* συνδένδρῳ. cum eo pugnat quod dixit per apertum.

AD FONTEM BANDVSIAM cum eius commendatione.

ODE XIII. προσευκτική.

O FONS Banduſiæ, ſplendidior vitro,
Dulci digne mero, non ſine floribus,
Cras donaberis hædo:
Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem, & prælia deſtinat:
Fruſtra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro ſanguine riuos
Laſciui ſuboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Neſcit tangere: tu frigus amabile
Feſſis vomere tauris
Præbes, & pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente, cauis impoſitam ilicem
Saxis, vnde loquaces
Lymphæ deſiliunt tuæ.

COMMENTATOR.

O FONS *Banduſiæ ſplendidior vitro.* Metrum tricolon, priorib. duob. Aſclepiad. tert. Pherec. quart. Glycon. Banduſiæ fonti ſacrificiũ promittit in agro Sabino, vbi Hor. villam poſſidebat. *ſplen. vitro.* laus fontis à perſpicuitate, per comparationem. vt, vitrea te Fucinus vnda. *donab. hædo.* promittit immolationẽ hædi. Eſt autem amphibolon, verum dicat donaberis hædo & floribus, an hædo floribus coronato. *primis.* nuper natis. *Venerem & prœl.* maturi enim hædi & appetere Venerem & propter eam pugnare conſueuerunt. *fruſtra.* ſcilicet occidendus. *inficiet.* tinguet. *gelidos.* frigidos. *laſciui.* luxurioſi, petulantis. *flagrantis.* ardentis, æſtuantis. *atrox.* intemperata. *hora.* tempus. *canicula.* ſtellæ. *tangere.* exſiccare, calfacere. *tu frigus.* opacitatem nemoroſi & reconditi fontis oſtendit, ad quem propter vmbras non pertingerent canicularium æſtuum calores. *amabile.* amœnum. vt, frigus captabis opacum. *feſſis.* defatigatis. *pecori vago.* liberè paſcenti. *fies nobilium.* meo carmine celebratus inter nobileis fonteis numeraberis. *me dicente.* me canente tuas laudes. *cauis.* antroſis. *loquaces.* ſonantes. vt, per leuia murmur ſaxa ciet. *deſiliunt.* defluunt.

CRVQVIVS.

O FONS *Banduſiæ ſplendidior vitro.* Horatius more veterum, qui fonteis ſacros habebant, fontanaliáque feſta celebrabant, Banduſię fonti ſacra ſe facturum pollicetur, hædumq́. mactaturum, vt cuius aqua vino mixta ſacris digna ſit ob ſplendorem, tum quòd opacitate ſua ſit amabilis defatigatis ex opere bobus, pecoríque ab ęſtu ad ſe recepto ſalubrem potum exhibeat, ſitumq́ue habeat, vnde lymphæ promanant, ſub ilice viſu mirabilem. *ô fons Banduſ.* argumentum eſt in genere demonſtratiuo rerum. alloquitur fontem, id eſt, aquam fontis, *προσωπογραφικῶς.* *Banduſiæ.* ſic habent omnes lib. manuſcrip. quos legi. alij legunt Blanduſię, cum vulgatis. hic fons fortaſſe caput eſt Digentiæ riui, cuius meminit Epiſt. 18. *dulci digne mero.* vouet aquam eius dulci vino ſeu mulſo mixtam, floreis & hædum iuuenculum poſtridie ſe ſacrificaturũ: Maiores in ſacrificiis alij vino puro libabant, alij mulſo, nonnulli lacte, plerique aqua melle diluta: Veſtę Numicij fluminis aqua libatum eſt, Thaſij vino Libaneo, turis odore libabant: Horatius ad maiorem fontis honorẽ, eius aqua ſplendida vino dulci miſta ſe libaturum pollicetur. *frons turgida.* turgere propriè dicitur quod incluſum minatur exitũ & eruptionem: ſic frons hædi turget, vbi in fronte quidã quaſi globuli apparẽt, vnde pòſt paullò erumpunt cornua: quales ſunt gemmę in vitibus arboribúſque, vnde palmites enaſcuntur & rami. vt, turgent in palmite gemmæ. *primis.* erumpentibus, enaſci cœptis; quod indicium maturitatis aduentantis. *deſtinat.* quaſi deliberat ſecum, cogitátque & deligit Venerem, ſuumq́ue aduerſarium cum quo prœliabitur. *laſciui gregis.* ſic, laſciua capella. *ſuboles.* ſic legẽdum notaui ad oden 3. lib. 4. *Canicula.* Perſio dicitur inſana Canicula, id eſt, vehemens, peſtifera, noxia. Procyon Græcis, quòd oriatur ante Canem 7. Kal. Auguſt. Columellæ. vide Plin. lib. 18. ca. 28. Idem lib. 2. cap. 40. nam Caniculæ exortu accendi Solis vapores quis ignorat? cuius ſideris effectus ampliſſimi in terra ſentiuntur, feruent maria, exoriente eo, fluctuant in cellis vina, mouentur ſtagna. & eiuſdem lib. cap. 47. Ardentiſſimo autẽ æſtatis tempore exoritur Caniculę ſidus, ſole primam partem Leonis ingrediente, qui dies 15. ante Auguſt. Kal. eſt. *neſcit tangere.* propter opacitatem arborum: arbitror hunc fontem in ſilua fuiſſe Sabina, cuius meminit Ode 22. lib. 1. apud prædium ſuum Sabinum in valle Farſari fluuij ſitum, quod deſcribit Epiſt. 16. ad Quinctium. *tu frigus amab.* ab vtili propter aquæ potum, quem Banduſia defatigatis armentis præbet & pecori ſitibũdo præ calore flagrantis Caniculæ. *fies nobil.* *ὑπόσχεσις* immortalitatis à ſitu. & tacita eſt eius fontis *ἀποθέωσις.*

AD ROMANVM POPVL.
laudes Auguſti ob victoriam Cantabricam.

ODE XIIII. *παραινετική.*

HERCVLIS ritu modò dictus, ô plebs,
Morte venalem petiiſſe laurum,
Cæſar, Hiſpana repetit Penateis
Victor ab ora.
Vnico gaudens mulier marito
Prodeat, iuſtis operata Diuis:
Et ſoror clari ducis, & decoræ
Supplice vitta
Virginum matres, iuuenumq́; nuper
Soſpitum. vos ô pueri, & puellæ
Iam virum expertæ, male ominatis
Parcite verbis.
Hic dies verè mihi feſtus atras
Eximet curas: ego nec tumultum,

Nec

Nec mori per vim metuam, tenente
Cæſare terras.
I, pete vnguentum puer, & coronas,
Et cadum Marſi memorem duelli,
Spartacum ſi qua potuit vagantem
Fallere teſta.
Dic & argutæ properet Neæræ
Myrrheum nodo cohibere crinem.
Si per inuiſum mora ianitorem
Fiet, abito.
Lenit albeſcens animos capillus,
Litium, & rixæ cupidos proteruæ.
Non ego hoc ferrem calidus iuuenta,
Conſule Planco.

COMMENTATOR.

HERCVLIS *ritu modò dictus ô plebs.* Metrum trib. verſ. Sapphicum. quart. Adon. Hęc Ode ſcribitur in Auguſti laudem, victoris ex Hiſpania reuertentis, comparatione ad Herculem facta; vt oſtendat labores eum non per alios ſed per ſe administrare, victoriamque adipiſci. ordo eſt: ô plebs Cæſar dictus petiſſe laurum venalem morte, modò victor ab Hiſpana ora ritu Herculis repetit penateis. *morte venal.* mortis enim contemtu laurus victoriæ quæritur & triumphi, vnde litteræ laureatæ dictæ ſunt. vt, eſt animus lucis contemtor & iſtum qui vita bene credat emi quo tendis honorem. &, vitamque volunt pro laude paciſci. *vnico gaudens.* matronam caſtam dicit votū pro reditu Cæſaris ſoluturam. *prodeat.* procedat. *operata.* ſacrificans, ſacra faciens, victimas offerens, id eſt, procedat matrona ad puluinaria & aras & ſacra diis faciat. *iuſtis diuis.* diui ſemper iuſti creduntur, ſed nunc ſpecialiter hoc dicit, quia victoriam & reditū Cæſaris, merito eius & virtuti pręſtiterant. Virgilius quoque operari pro ſacrificare poſuit, inquiēs, ſacra refer Cereri lętis operatus in aruis. *ſoror clari duc.* Octauiam Auguſti ſororē innuit. *ſupplice vitta.* vittis ſolutis ſupplicantes. vt, ſoluite crinaleis vittas, capite Orgia mecum. *iuuenumq; nuper.* ſupp. matres prodeant nuper iuuenum qui ſoſpites domū reuerſi ſunt per Auguſti victoriam. *iam virum exp.* nuptæ. *malè ominatis.* ſiue, quia pro feſtiuitate dierum feriæ indicebantur, & abſtinebatur à litibus iurgiiſque; ſiue quia in ſacrificiis præcepto ſilētio bona omina haberi iubebantur, ne inciuiliter & incautè loquentes mala omina verbis facerent: ideo inquit parcite verbis malè ominatis, id eſt, malis ominibus. *verè.* non fictè. *atras curas.* cogitationū mærores. vt, quando hęc te cura remordet. *tumultum.* commotionem bellorum. *per vim* per impulſionem hoſtium. *tenente Cæſare.* quia pax parta eſt incolumi Cæſare. vt, ferrea belligeri compeſcat limina Iani. *cadum Marſi.* vinū quod bello Marſico diffuſum eſt. Cadum autem orcam. vt, vina bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes. *Spartacum.* gladiator fuit Spartacus, qui cum 74. ſociis ſimilis conditionis è ludo Lentuli fugiens, duxque factus per quatuor annos aduerſus Romanos bella gerens vaſtauit plurima: ideo nullum cadū vini manus eius euaſiſſe metuit. at hūc poſtea Licinius oppreſſit. vt Luca. & ſimili cauſa caderet qua Spartacus hoſtis. *vagantem.* hoſtiliter debacchantem. *fallere.* effugere. *teſta.* orca. *Neæra.* cithariſtriæ ſiue cantatricis. *argutæ.* canoræ. vt, hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu. &, argutos interſtrepit anſer olores. *properet.* feſtinet. *myrrheum.* perfuſum myrrha; vel inter flauum & nigrum, myrrhei coloris. *cohibere.* in nodum colligere. ad lætitiam repentinam ſignificandam. *nodo.* in nodū. *inuiſum.* odioſum. *mora.* tarditas. *ianitorem.* ſi ianitor prohibuerit te ingredi. *abito* adoleſcentem ſe oſtendit fuiſſe iraſci facilem, vt alibi. *lenit albeſcens.* canus. ætatis acceſſu corporis vis extinguitur & furor. *cupidos.* iam olim ad rixam pronos animos & ſuperbos mitigat ætas. *conſule Planco.* adoleſcentem ſe fuiſſe commemorat Planco conſule, iraſcique nimis facilem, ſi ab aliquo faſtidiretur.

CRVQVIVS.

HERCVLIS *ritu modò dictus ô plebs.* De expeditione Cantabrica victori reducique Cæſari Romanos hortatur Horatius, vt gratulentur, publicáque lætitia diem feſtum concelebrent, ſacra diis faciant, agantque gratias de tam immani hoſte deuicto Cæſaris auſpiciis: Matronæ Iunoni pro more ſupplicent: matres vxoréſque ob filios maritóſque ſeruatos bonis precationibus, fauſtiſque acclamationibus modulatè canentes, pacem tranquillitatemque perpetuam deos exposcāt, quam ipſe ſibi indubitatam pollicetur imperante terris Cæſare: Quare vnguento ſe delibutum coronatumque diem feriatum iucundè cū Neæra genio indulgendo hilaritérque promittit acturum, quam per puerum arceſſitam iubet ſine mora adeſſe, aut aliâs domī manere. *Herculis ritu.* Exordium ab apoſtrophe ad Romanos, quos plebem nominat non ſine latente energia: ideo fortaſſe, quòd ex plebeis aliqui cū Antonianis Hiſpaníſq. contemtim Herculi collatum Cęſarem, quaſi ab Euryſtæo damnatum, dixerint in Cantabros

bros inuictos cum exercitu proficiſci, vt mactaretur. *modò dictus.* Exponunt quidã modò dictus, id eſt, laudatus, decantatus: quod nobis haud placet: verùm malumus modò dictus, id eſt, qui dictus eſt ab aliquibus ad Herculis æmulationem, qui Geryonem cecidit innocuum quaſi alter Hercules, ſpe prædæ, inſontes velle laceſſere, nec tale quid promeritos Cantabros. De Geryone autem tricipiti ſeu tricorpore fabula varia eſt: Ego certè crediderim aut vnum Geryonem Hiſpaniæ in tria regna diuiſæ, aut treis fratres vnanimi conſenſu feliciter imperio præfuiſſe: quorum felicitas & opulentia ad direptionem inuitauit Herculem, aut vicinos quoſuis alios. *morte.* non auro, non argento, non pecunia aut vllo pretio, ſed morte: Erant enim Cantabri & Aſtures duri, fortes, inuicti, incorrupti, nec vllis muneribus flectendi: hinc Ode 14. lib. 4 Te Cantaber non antè domabilis &c. *laurum.* victoriam: victores enim lauro coronati triumphant: vnde illud eſt Virg. viridiq. aduelat tempora lauro. Quin & imperatores de hoſtibus deuictis ad Senatũ litteras lauro reuinctas mittere ſolebant, quaſi rei bene geſtæ lætitiæque nuntios, quæ laureatæ dicebantur; quod quidem, ſed obſcuriùs, Comment. innuit. *victor.* ergo lauro coronatus. *ora.* à ſitu loci ſignificat Cantabros ad occiduum mare remotos. ſic & Ode 15. lib. 4. famáque & imperi porrecta maieſtas ad ortum Solis ab Heſperio cubili. vide Plin. & Strab. lib. 3. *vnico gaudens.* in gratiam Octauiæ ſororis Cæſaris hortatur fœmineum ſexum, ne in publicis ſupplicationibus, publicáque lætitia ſuo deſit officio. *mulier marito.* Synecdochicôs, hoc eſt, vos matronæ caſtæ & impollutæ: vt ſit numerus pro numero. *prodeat operata.* Helleniſmus: ſic & in Pluto, φιλῶς ὁρῶσ' αὐτὸ σφόδρα. prodeat operata, id eſt, operari ſeu ad operandum, id eſt, ſacrificandum. Codic. Bland. duo cum Maldeg. & Mart. pro τῷ diuis, habent τὸ ſacris. *ſoror clari d.* periphraſis Octauiæ. *clari.* præclari. *ſupplice vitta.* nuptiali, id eſt, decenti & honeſto habitu. *malè ominatis.* infauſtis. parcere verbis malè ominatis, eſt bene precando auertere mala, vel ab imprecationibus animum continere, εὐφημεῖν, ἢ σιωπᾶν, vt Ode 1. huius, fauete linguis. eum locum legito. *ominatis.* habet antiquiſſ. Bland. cum Diuæi & Sil. quam lectionem omnino credo ſeruandã, reclamantibus omnibus aliis manuſcriptis quę legunt, *nominatis.* non dubito namque ſciolum aliquem metri ſcilicet gratia appoſuiſſe τὸ n. at ſi quis tamen pluriũ motus auctoritate codicũ ſcrip. (nã præter meos ſeptem, numerat Lambinus alios octo, in quibus τὸ nominatis ſcriptum eſt) ei auctor fuerim, ſi nominatis malit, vt interpretetur nominatis, id eſt, odioſis, contumelioſiſque in Cæſarem & execratorius, cum propter ereptos ſibi in bellum periculoſiſſimum, filios maritóſque, tum quòd initio huius odes ſcribat, dictus ó plebs, tamquam ab inuidis inimicíſque Auguſti fuerint in vulgus diſſeminata obloquia quadam, verbáque nõ bona. verùm aliam lectionem magis probo. *hic dies feſtus.* ſe quoque ait diem hunc agere feſtum, & lætitiæ publicæ eſſe participem. *ego nec tumultum.* ſic Ode 15. lib. 4. Cuſtode rerum Cæſare, non furor ciuilis (quem tumultũ hic nominat) aut vis eximet otium; non ira, quæ procudit enſeis, & miſeras inimicat vrbeis &c. deinde; nóſque & profeſtis lucibus, & ſacris inter iocoſi munera Liberi, cũ prole matroniſque noſtris ritè Deos prius apprecati &c. *i puer vnguentum.* hortatur puerũ vt vnguentum, coronas, vinum paret ad lætitiam vetuſtiſſimum: &, ne quid ad voluptatem ſibi deſit condimenti, iubet adeſſe Neęram lætè excultam: nam in adornanda ſe operoſiorem tardioremque reiicit, nec optat adeſſe: vt qui pro ſua natura bilioſa, moræ ſit impatientior. *Marſi memorem.* hoc eſt, cui nota inſcripta memorat ſeu indicat ei^9 annum, quo Marſicum bellum geſtum eſt, Conſules, nimirum, L. Cæſarem, P. Rutilium Lupum, anno v. c. 663. auctore Sigonio in Faſt. Id autem bellũ & Italicum & ſociale etiam Marſicum dictũ eſt, quòd à Marſis primum commotum ſit & eorum imperatore Popedio, vt Strabo tradit lib. 5 *Spartacum ſi qua.* bellum Spartacum, quod & Seruile, geſtum eſt à Q. Arrio prętore & Conſſ. L. Gellio & Cn. Lentulo, anno Vr. con. 681. Nam epitoma 96. Q. inquit, Arrius prætor Crixum fugitiuorum ducem cum 20. milib. hominum cecidit. Appianus lib. 1. bell. ciuilium, Crixum refert circa Garganum montem, à Conſſ. cum exercitu deletum. vide L. Flor. lib. 3. ca. 20. Oroſ. lib. 5. cap. 26. *vagantem.* Spartacũ ſcribit Appianus ex Apennino ad Alpeis, ab Alpibus in Galliam properantem ab vno conſule cohibitum, ab altero fugatũ: eoſdem illos conuerſo impetu ſeparatim viciſſe, ac Romam infeſta ſigna ferentem cum magna Romanorum cæde à Conſſ. retentum, Thurios vrbẽ cepiſſe, ac rurſus cum Romanis congreſſum, victoriam & prædam ingentem retuliſſe. *fallere.* latere, λανθάνειν. *feſta.* Poſtquam Cæſar treis nobiliſſimos triumphos cum ſummo omnium ciuiũ Romanorum applauſu lætitiáque egiſſet, Dalmaticum primo, anni 724. die: Macedonicum altero: tertio verò Ægyptium de Cleopatra ad Actium, vt ſcribit Dio. Ianum tertiùm clauſit; quòd iã totum ferè terrarum orbem pacaſſe videretur. at Hiſpanienſi bello Ianum rurſum apertum, eum anno v. c. 728. ſcribit Dio iterũ clauſiſſe: cùm C.

Antiſtius,

Antiſtius, Tit. Cariſius cum Cantabris & Aſturibus, ipſo Cæſare Tarracone ægrotante, feliciter rē geſſiſſe nuntiarentur: cùm Auguſtus triumphū ſibi à ſenatu decretum renueret. Quare ei permiſſum eſt, vt primo quoq; anni die imperatoris tunc ſumto nomine corona & veſte triumphali vteretur. Quare, vt ad inſtitutum redeamus, hæc teſta, ſeu cadus à Marſico bello ad Cantabricum Iano clauſo, vinum habuit reconditum annorum 64. *dic & argut.* arceſſit Neæram fidicinam per puerum, ſed ea lege, vt properet ſemicomta, crinibus in nodum religatis. *myrrheum.* de vnguento myrrheo vide Plin. lib. 12. cap. 15. Bland. omnes habent Mureum. *ſi per inuiſum.* ſi ianitor ſit moroſior, vt mox te non admittat. *abito* noli moleſtus eſſe. *lenit albeſcens.* ἀπολογία ab ætate iam ad ſenium vergente. *animos.* τὸν θυμὸν, animi vehementiam ardentiorem, & ad vltionem proniorem. *proteruæ.* petulantioris. *non ego ferrem.* Enallage, pro ferre potuiſſem, modi potentialis: erat enim Horat. ὀξύχολος: quare vbi per ſenium non licet honeſtè, in iuuenta, eam contumeliam Neæra luiſſet. *conſule Planco.* Natus eſt Horatius, L. Cotta, L. Manilio Torquato Conſſ. anno vr. con. 688. auctore Sigonio. L. autem Munatius Plancus, eodem auctore, conſul fuit cum M. Aemilio Lepido anno vr. con. 712. fuit itaque tunc temporis Horatius annos natus 23.

AD CHLORIM MOECHAM vetulam & luxurioſam.

ODE XV. μικτὴ δίκωλος.

VXOR pauperis Ibyci,
Tandem nequitiæ fige modum tuæ,
Famoſiſq; laboribus.
Maturo propior deſine funeri
Inter ludere virgines,
Et ſtellis nebulam ſpargere candidis.
Non, ſi quid Pholoën ſatis,
Et te Chlori decet. filia rectius
Expugnat iuuenum domos,
Pulſo Thyas vti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Laſciuæ ſimilem ludere capreæ.
Te lanæ prope nobilem
Tonſæ Luceriam, non citharæ decent,
Nec flos purpureus roſæ,
Nec poti vetulam fæce tenus cadi.

COMMENTATOR.

VXOR *pauperis Ibyci.* Metrum dicolō priori verſ. Glycon. poſterio. Aſclepiad. Ad mœcham ſcribit libidinoſam & vetulā, quam obiurgat propter intempeſtiuàm eius petulantiam. *vxor.* quæ marito eſt ſolatio, ſi caſta eſt modeſtáq. *pauperis.* honeſti & tenuis, cuius tenuitati honeſtatíque nō conueniebat vxor libidinoſa. *fige modum.* pone modum. *nequitiæ.* obſcenæ libidini. Nequitia etiam ſignificat turpem auaritiam. vt Terent. leno nequam, non vult me iniqua loqui. *famoſiſq;.* turpibus. *maturo pro.* ordo eſt: deſine inter virgines ludere, cùm ſis propior funeri, & vicinior per ætatem. *funeri.* morti. *ſtellis.* virginibus, decens ἀλληγορία. Nam vt ſtellarum decus & nitor fulcatur nebulis celaturq́ue, ſic nitorem virginis anus permixta valdè obſcurat. *nebulam.* dedecus. *ſpargere.* immiſcere *& te Chlori.* ordo eſt: Chlori nō ſi quid ſatis Pholoën decet, hoc etiam decet te, rectius expugnat filia domos iuuenum ſupp. quā tu concita vti Thyas pulſo tympano. *expugnat.* pulſat. *pulſo.* concuſſo. *Thyas.* baccha. turpem etiam deſignat Pholoën filiam Chloridis quæ furore libidinis incitaretur, vt Bacchæ tympanorum pulſu. *Nothi.* nomen amatoris. *illam.* Pholoën. *laſciuæ.* petulcæ; perpulchrè: quia hoc genus pécudis libidini & laſciuiæ eſt deditiſſimum *te lanæ.* ſupp. decēt. *prope Luceriam.* Luceria ciuitas eſt Apuliæ. dicit autem lanificio ætatém eius magis aptam, quàm luxui & ebrietati. *poti.* potati. *vetulam.* ſupp. te. *fæce tenus.* vſque ad fæcem, tamquā quæ vaſa vino potando euacuaret.

CRVQVIVS.

VXOR *pauperis Ibyci.* Chlorim monet ſeniculam non decere libidinem, vt quæ maritū haberet pauperem quidem, ſed honeſtum & ab eiuſmodi vitæ moribus alienum, qui nollet eam iam decrepitam choris intereſſe puellarum, quarum formam ſpectabilem ipſa ſuo vultu rugoſo nebuloſóq. facilè obſcurare poſſet. Sinat Pholoën & amare & cum Notho amaſio laſciuire: ipſa verò de lanificio cogitet: quòd id ſuæ ætati conueniat; non etiam citharam ſomniet, aut ſertum roſaceum inter vini pocula. *vxor pauper.* Pauperis vocabulum à ſcriprotibus ferè in bonum vſurpatur, adeò vt ſit epitheton virtutis honeſtatíſque: qualem depingit Horatius Ofellum ruſticū Saty. 2. lib. 2. Nam pauperem eſſeeſt moderatè quidem agere, ſed opera & labore rem parare: quod pereleganter in Pluto definit Ariſtoph. diſcrimen ſtatuens inter mendicum & pauperem: πτωχοῦ μὲν, ἔφη, βίος, ζῆν ἐστὶ μηδὲν ἔχοντα· τοῦ δὲ πένητος ζῆν φειδόμενον, καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα, περιγίνεσθαι δ' αὐτῷ μηδὲν, μὴ μέντοι μηδ' ἐπιλείπειν: id eſt, mendici

quidem vita viuere eſt nihil habentem: pauperis autem, viuere vtentem & operibus intendentem; ſupereſſe autem ipſi nihil, non deeſſe tamē. Suadet itaque à decoro mariti, tandem vt laſciuire deſinat *fige modum.* vnus cod. Mart. habet pone modum. reliqui fige. Eſt autem metaphora à militibus ſumta veteranis, qui exauctorati ſua arma figere dicebantur. vt Virg. armáque fixit Troïa, nunc placida compoſtus pace quieſcit. Epiſt. 1. li. 1. Veianius armis Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro. *famoſisq;.* ab inhoneſta fama. *maturo prop.* ab ætate ſenili, cui Veneris ludus eſt dedecori. *interludere.* ludere inter puellas. *& ſtellis neb.* perpulchrum ἐνθύμημα ex oppoſitis. συγκριτικῶς. *non ſi quid.* προκατάληψις ὑποθετική. *filia rectius.* ab ætate venia puellæ datur, ſi iuuenum ludit acet animos; nam pares cum paribus rectius conueniunt; ſed vetulæ nequaquam cui libidinari eſt fœdiſſimum. *expugnat domos.* conſtantiam, ita vt animus meretriciis illecebris irretitus dicatur non eſſe domi, ſed foris peregrinari. Non placet Pholoën poſſe intelligi irrupiſſe in foreis alicuius, propter ſexus infirmitatē & mollitiem, niſi ipſa furens cum multis aliis Thyadibus ſic Orgia ſacrificarit. *cogit amor Nothi.* αἰτιολογία laſciuiæ ab amore Nothi. *te. lanæ.* pro lanificio & tela. ἀποστροφὴ ἐμφατική. *Luceriam.* Strabo lib. 6. in Mineruæ quidem fano, quę Lucerię eſt, priſca dona, & ipſum vetus oppidum Dauniorum extitit, nunc verò depreſſa iacet. hortatur itaque Chlorim vt domi ſuum opus in lana teláque texenda faciat; maritum iuuet, ſoletúrque ſua pręſentia. *non citharæ d.* Nam, vt ait Publianus, Anus ludēs morti delicias facit. *non flos.* ex veterum more, qui coronati potabant. *fece tenus.* non decet te vetulam ſtrenuè potare dies noctéſque donec cadus ſit exhauſtus. In vno cod. Bland. & Mart. ſcriptū eſt, vetula. Quod & Canterus notat: nec ab ea lectione diſſentit Porphyrio vulgatus; habet enim, per fecem autem vetulam, vetus vinū accipe. ſed altera lectio mihi verior apparet. diſpiciat lector.

AD MÆCENATEM; auro obedire omnia, ſe verò minimè.

ODE XVI. ὑποθετική.

INCLVSAM Danaën turris aënea,
Robuſtæq; fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ, munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acriſium, virginis abditæ
Cuſtodem pauidum Iupiter, & Venus
Riſiſſent: fore enim tutum iter, & patens,
Conuerſo in pretium Deo.
AVRVM per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa, potentiùs
Ictu fulmineo. concidit auguris
Argiui domus, ob lucrum
Demerſa exſcidio. diffidit vrbium
Portas vir Macedo, & ſubruit æmulos
Reges muneribus. munera nauium
Sæuos illaqueant duces.
CRESCENTEM ſequitur cura pecuniam,
Maiorumq; fames. iure perhorrui
Latè conſpicuum tollere verticem,
Mæcenas, equitum decus.
QVANTO quiſque ſibi plura negauerit,
A Diis plura feret. nil cupientium
Nudus caſtra peto, & transfuga, diuitum
Parteis linquere geſtio,
Contemtæ dominus ſplendidior rei,
Quàm ſi, quidquid arat non piger Apulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ riuus aquæ, ſiluaq; iugerum
Paucorum, & ſegetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit ſorte beatior.
Quamquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læſtrygonia Bacchus in amphora
Langueſcit mihi, nec pinguia Gallicis
Creſcunt vellera paſcuis:
Importuna tamen pauperies abeſt:
Nec, ſi plura velim, tu dare deneges.
Contracto meliùs parua Cupidine
Vectigalia porrigam,
Quàm ſi Mygdoniis regnum Alyattici
Campis continuem. MVLTA petentibus
Deſunt multa. bene eſt, cui Deus obtulit
Parca, quod ſatis eſt, manu.

COMMENTATOR.

INCLVSAM *Danaën turris aënea.* Metrū dicolon, trib. verſ. Aſclepiad. quart. Glycō. Oſtendit hæc Ode quanta vis ſit auri & potentia, qua expugnantur & corrumpuntur omnia: ſe autem Horatius beatum dicit, quòd paucis contentus plura

plura non appetat. *incluſam Danaën.* Exorditur à fabula Danaës puellæ & aureo imbre. Acriſius pater cùm Danaën filiam valida turri & munita clauſiſſet ob pudoris cuſtodiam, Iupiter in aurum verſus fingitur eam violaſſe: Quo exemplo docet nihil nō expugnari poſſe pecunia. Ordo eſt: Aënea turris, & robuſtæ fores, & triſtes excubiæ vigilum canum, ſatis munierant incluſam Danaën ab nocturnis adulteris, ſi Iupiter & Venus non riſiſſent Acriſium pauidum cuſtodē abditæ virginis. *aënea.* robuſtiſſima. *vigilum.* vigilantium. *triſtes exc.* ab effectu: quòd Danaën mæſtam & triſtem redderent. *munierant.* firmauerant munitam. *nocturnis.* occultis. noctis enim tempus eiuſmodi crimini eſt aptum. vt eſt, nec gregibus nocturnus obambulat: quod dicit, vt oſtendat ibi nulla mala regnare. *abdita.* incluſæ. *pauidum.* ſollicitum & cautum propter oraculum. *riſiſſent.* illuſiſſent. *fore.* eſſe, ſupp. ſciebant. *in pretium.* in aurū, quia Iupiter in imbrem aureum verſus videtur fuiſſe pretium concubitus. *per medios ſatellites.* per hoſtium cuneos & fremitus hoſtileis. vt, quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames! *perrumpere amat.* munitiones ſolet vehementius expugnare quàm fulmen. *concidit.* exaggeratio. *auguris.* vatis Amphiarai, cuius vxor Eriphile monili corrupta, egit, vt ad bellum contra Adraſtum egrederetur: quod tamen velut vates præſcius ſui exitij, multùm declinabat. *ob lucrum.* ob monile, quod Eriphile ab Adraſto acceperat. *demerſa eſt.* perijt hiatu terræ. *domus.* pro gente & familia Amphiarai. *diffidit.* dirupit, diuiſit. vt, diffidimus muros. *vir Macedo.* Philippum ſignificat Alexandri Magni patrem, qui multas ciuitates auro proditoribus dato cepit ac diruit. *æmulos.* reſiſtenteis & inimicos. *ſæuos.* immiteis. *illaqueant.* implicant, demergunt, capiunt. *duces.* piratas, qui propter rapacitatem ſæui ſunt & piraticam exercent, magno ſæpè cum periculo. & eſt ordo, duces nauium, non autem munera nauium. *cura.* ſenſus eſt, cura ſequitur diuitias creſcenteis, & fames maiorum diuitiarum, augetur cupiditate. vt, Iuuenal. Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. *iure perhorrui.* pecuniarum deſiderium merito reſpui & ſpreui propter curas & inquietudinem. *latè.* diffusè. *conſpicuum.* elatum & toruum honorum potentia. *tollere.* attollere, erigere. *verticem.* caput. *Mæcenas equi. dec.* erat enim Mæcenas eques Romanus, nec voluit tranſire in ordinem Senatorium. *quanto quiſque.* hoc eſt, quanto quis diuitias magis ſpreuerit, contentus mediocritate cenſus, nec ambiuerit fortunas maiores, tanto Deorū fauore dicit ei nihil poſſe deeſſe. *nihil cupient.* parcitate gaudentium. *feret.* accipiet. *nudus.* à diuitiis & cupiditate, conſpicuus. *transfuga diuit.* deſertor, fugitiuus. *geſtio.* opto, cupio, quia dixit caſtra, nunc ſe dicit transfugam, manens in metaphora, quòd à diuitiarum vitiis & curis ſignificet ſe tranſire velle ad virtutis inſignia & vitæ quietem. *contemtæ.* ſpretæ. *impiger.* laborioſus. Luca. atque impiger Apulus arua deſeruit raſtris. *occultare.* recondere, reconditum habere. *magnas inter opes in.* animo ſcilicet egens, propter inſatiabilem cupiditatem: auarus enim eius rei ſe oſtendit inopem; quam quærit, tamquam non haberet. vt Iuuena. egentis viuere fato. *puræ riuus a.* laus mediocritatis ſub agelli deſcriptione *& ſegetis cer.* vbertas glebæ fertilis, non decipiens ſpem domini, vel laborem agro præſtitum, cui cōtigit, is beatior eſt multa Africæ patrimonia poſſidente. ordo eſt: puræ riuus aquæ, & ſiluæ iugerum paucorū, & certa fides meæ ſegetis beatior, fallit ſorte fulgentem imperio fertilis Africæ. *quamquam nec Cal.* in Calabria enim ſunt flores apibus gratiſſimi. oſtendit ſe agros non habere in Calabria. *Læſtrygonia.* Formiana: nam Formiis Læſtrygones ſuas ſedeis habuerunt, vbi optima vina naſcuntur. *langueſcit.* euaneſcit, veteraſcit, aceſcit. *pinguia Gal.* craſſa & fecunda. Mart. te Tyrus, me pinguis Gallia nutrit. eſt enim Gallia paſcuis apta. *importuna.* quæ facit importunos & odioſos. qualis eſt pauperies extrema, quam negat Horatius ſe habere. *nec ſi plura.* quàm habeo. laus Mæcenatis ab humanitate. *contracto.* mitigato, arto, reiecto ſcilicet deſiderio diuitiarum. *vectigalia.* i. paucorum poſſeſſor minora tributa perſoluam. *Mygdoniis.* Aſiaticis, Aſſyriis. *Alyattici.* regis Lydorum Crœſi filij, qui patris imperio opimo eſt vſus. *cōtinuem.* coniungam. *petentibus.* cupientibus. *bene eſt.* ſup. ei. dicit omnia frugalitati ſuppetere, & nihil deeſſe.

CRVQVIVS.

INCLVSAM *Danaën turris aënea.* Ex verbis Horatij ſatis conijcere licet, ad honores eum, dignitatéſque amicos euehere contendiſſe, à quibus ipſe magno & forti animo, cùm numquam eò adduci potuiſſet, vt inſtituto vitæ mutato eis aſſentiretur, hac Ode rationem reddit. in primis ſibi pro comperto eſſe honores eſſe ambitioſos, aurumque ſitire: nam ſine pecunia nec ali ſplendorem nec ſubſiſtere poſſe: Pecuniam verò cuncta ſecum ducere vitę incommoda, dolos, inſidias, ſtupra, proditiones, & ſi qua ſint his grauiora: Danaës enim puellæ deluſo patre Acriſio, numquid Iupiter aureus virginitatem expugnauit? Quid Eriphile vt Amphiaraum maritum proderet, an non à Polynice monile accepit? Sed qua Macedo

 Philippus

Philippus alia via portas vrbium hoſtilium intrauit, muros diruit, reges ſubiugauit, quàm auro proditore? Quid nauium ductores Barbaros capit & illaqueat aliud quàm auri munera? vt omittam curas, perturbationes, ſollicitudines, habendi ſitim inſatiabilem, periuria, impia in patriam & Deos ipſos conſilia: quibus magiſtratus, honorum dignitatumque ſtudioſos neceſſe eſt eſſe obnoxios: adeò vt non iniuria ô Mæcenas ampliorem vitæ ſtatum exhorruerim, quàm naturæ ductu modóque viuere, contentus diis auctoribus mea ſorte, rerumque anguſtia tolerabili: vt quem Sabinus agellus, riuulus aquæ puræ, ſiluarum aliquot iugera, & ſegetis annuæ cum tranquillitate mentis fiducia, ſplendidiorem me beatioremque faciant quàm Africæ regem ſua regna. Sit Calabria melle felix, habeant Læſtrygones ſua vina Formiana, ſua laudet Gallia nobilia paſcua: mihi certè modeſta ſine ſordibus vitæ ratio longè pluris eſt quàm vel opulentiſſima regna Aſiæ: adeò vt eum ſolum veréque felicem credam, cui cum ſecuritate animi tranquillitatéque dij immortales dedere quod ſatis eſt. *incluſam Danaën.* Apollodori de Danaë fabulam latè deſcriptam in ſtudioſorum gratiam paucis contexam. Ex Lynceo rege Argiuorũ, poſt Danaũ, & Hypermneſtra Abas genitus eſt. hic ex Ocalea Mantinei geminos, Acriſium & Prœtum procreat: Acriſius Argis Prœtum expulit, qui ex Eurydice Laomedontis Danaën gignit: at cum ex oraculo didiciſſet, ex ea filium naſciturum qui auo ſibi necem eſſet illaturus: id pertimeſcens, æneo ſub terra cubiculo conſtructo incluſam Danaën cuſtodiri iubet: hanc alij Prœtum patruum vitiaſſe, alij Iouem in imbrem aureum tranſmutatum, per impluuium in Danaës ſinum delapſum, cum ea concubuiſſe ſcribunt, natumq́. eſſe Perſeum filium. quem non credens Acriſius eſſe Iouis, eum cum matre, in arca lignea incluſum, in mare deiecit: ex qua in Seriphum inſulam delata, Dictys ſumtum puerum Perſeum educauit: Qui vir factus, Nympharum ductu, à quibus talaria, Cibiſin ſeu peram, & Orci galeam accepit, ad Meduſam peruenit, caput eius ex auerſo amputatum intra peram recondidit & abiit, vt id ex pacto in nuptiis matris Danaës cum Polydecte rege Seriphorum, fratre Dictyos vterino, ei pro ſymbola daret. Reuerſus itaque in Seriphum, cùm matrem cum Dictyi ad aras cõfugiſſe ob Polydectis violentiam deprehendiſſet; & Polydecten & amicos auxiliareis, oſtenſo Meduſæ capite, in ſaxa commutauit, Dictynq́. Seriphi regem conſtituit, caputque Meduſæ, Mineruæ dono dedit, quod ipſa in clypeo ſuo poſuit. Ceterùm Perſeus cum matre Danaë & Andromeda coniuge Argos properat, Acriſium patrem viſurus. At is oraculi memor in Pelaſgicam terram fugit; vbi Teutamia patri vita functo gymnicum certamen edituro Perſeus interuenit. hic Quinquertiũ ludens, diſci iactu Acriſij pede percuſſo, actutum eũ interfecit, quem extra vrbem ſepeliuit. hæc ex Apollodori lib. 2. *turris ænea.* hæc adiuncta faciunt ſignificationem paternæ ſedulitatis in filia conſeruanda. *vigilum canum.* quorum fidelitas veteribus ita commendata fuit, vt canem fidei ſymbolum depingi curauerint. *Acriſium cuſtodem.* Acriſij cuſtodiam τὴν φυλακήν. *Iupiter & Venus.* vana certè eſt omnis humana cura, nõ implorato priùs, & aſſiſtente diuino numine, in ijs præſertim naturæ difficultatibus in quibus nox, Venus & amor non ſuadent vllum modum *aurũ per medios.* [illegible] ad exempla ſubſequentia à maiori. Aurum vim perrumpit apertam, quanto magis id faciet, ſi ex inſidiis adoriatur. *amat.* ſolet. φιλεῖ, ἔθος ἔχει. Quod Quintilianus notat li. 9. cap. 3. ex Græco, inquiens, tranſlata, vel Salluſtij plurima, quale eſt, vulgus amat fieri *potentius.* magna potentia. hîc ponendum colon eſt, adhuc à nemine animaduerſum. *ictu fulmineo.* hic ablatiuus nõ eſt comparationis ſed inſtrumenti, adque ſequentia pertinet; perijt enim Amphiaraus, vt eſt in fabula, ictu fulmineo dehiſcente tellure. *concidit auguris.* Amplificatio per exaggerationẽ. huius exempli nimis prolixi capita quædã delineabo interpretationi neceſſaria. Narrationem ſolidam legere eſt apud Apollodorum lib. 3. *auguris Argiui.* Amphiaraus Oiclei filius vaticinãdi peritiſſimus, inquit Apoll. quòd omneis in Argiuorũ bello contra Thebas, præter vnum Adraſtum perituros eſſe perſpiciebat, hanc Thebanorum expeditionẽ detrectabat, reliquóſq. dehortabatur &c. *ob lucrum.* Eriphyle ex Talao Biantis, Adraſti regis Argiuorum ſoror, Amphiarai coniux, torquem aureum à Polynice accepit, (quod ei certè diſſuaſerat Amphiaraus) vt ad bellum contra Thebas gerendum permoueret Adraſtum: tum Amphiaraus, vt Adraſto leuiro gratificaretur, eam militiã ſubire coactus, filiis (Alcmæoni & Amphilocho) imperat, vt, ſimul ac per ætatem liceret, matrem occiderent &c. *domus demerſa.* inter hæc, inquit Apoll. Amphiarao ad Iſmenum amnem fugienti, priuſquam in humeris à Periclymeno vulnus acciperet, demiſſo ab Ioue fulmine, terra dehiſcit: mox ille cum curru & Batone auriga, ſiue Elattono, vt aiunt quidam, eo terræ hiatu abſorptus eſt, & poſtea numquam viſus; nam Iupiter eũ immortalitate donauit. Verùm Adraſtus ab Arione equo vectus in tutum euaſit &c. de cæde autẽ Eriphyles ab Alcmæone filio ex mandato patris, de

eo ob

eo ob hoc facinus in furorem verſo, eóque è medio ſublato, vide Apoll. lib. 3. *exitio.* ad exitium: nam patre, matre, liberis extinctis, tota fuit extincta familia. Omnes ſcrip. lib. præter Diuæ. habēt exitio, quos ſecutus ſum. *vir Macedo.* de bellis à Philippo Alexandri Magni patre perfidioſe geſtis, legito Plutar. in Aemilio; Iuſtinum lib. 8. & 9. Oroſ. lib. 3. cap. 12. *æmulos reges.* principes Græciæ, de regno interſe & imperio contendenteis per æmulationem ſeu inuidiam. *muneribus.* inter cetera hoc Philippi notatu dignum eſt, nimirùm, vrbeis, arceis, vel munitiſſimas omneis expugnari poſſe, ad quas aſinus onuſtus auro poſſet accedere. de quo Iuuena. Saty. 12. adde & baſcaudas & mille eſcaria, multū cælati, biberat quo callidus emtor Olinthi &c. Quod aureū poculum, vt ſcribit Plin. lib. 33. cap. 4. puluino Philippus rex Macedonum ſubiiciebat cùm vellet dormire. Emerat autem, vt Demoſthe. teſtatur contra Aeſchinem; Olinthū à Laſthene amico ſuo, quem pecunia corruperat. *creſcentem ſeq.* γνώμη perpetua. *iure perhorrui.* hæc ἀπολογία purgationis, cur noluerit euchi, & aliorum more caput erigere, ſuperbiréque; continet tacitam apud Mæcenatem gratiarum actionem. *quanto quiſq. ſibi.* hæc Enthymemata vera ſunt axiomata Stoica. Quanto quis plura deſiderat, tanto pauciora poſſidet; nā auaro deſunt omnia, tam ea quæ non habet, quàm quæ habet: eis enim veretur vti: quare niſi cùm moritur, nemini rectè facit. Contrà: Quanto quis appetit pauciora, tanto pluribus abundat: nam vt natura paucis eſt contenta, ita partis fruitur hilariter: & ſemper ei ſupereſt aliquid, quod libenter impartitur alteri: ei namque quamuis arca plena nō ſit, diues tamen ſemper eſt animus. Horatio concinit Democritus apud Stobæ. ἢν μὴ ἐπιθυμέῃς, τὰ ὀλίγα τοι πολλὰ δόξει, id eſt, ſi multa non deſideres, pauca tibi multa videbuntur. *à diis plura feret:* nā dij facienteis adiuuant. θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται. i. dij certè poſſunt omnia, Hom. *nil cupientium.* explicat Horatius animum ſuum planè diuinum, & inſtituti modum laudatiſſimum: quam animi cum vitæ moribus ſymphoniam, in omnibus ſuis ſcriptis hominis ethnici, vtinam imitarentur Chriſtiani nedum optarent. *nil cupientium.* nil niſi quod parcè & frugaliter ſatis eſt ad vitam ſuſtentandam. *nudus caſtra peto.* non corpore tantum, vt plerique, ſed & animo. ô quàm debilia, ſua paucitate, ſunt hæc caſtra! quàm expugnatu facilia! Sed vbi nam quæſo ſita? quem propugnatorem, quem habent anteſignanum, quę victori præmia? In mundo, ſupra firmam petram Agonothetes Chriſtus eſt: præmiū victoriæ, corona, nō laurea, ſed per meritū paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti immortalitate inſignita: Eia, age, macte virtute, nolito timere puſille grex. *transf. diuit.* mundi huius. *parteis linquere geſtio.* ô ſi verè & ex animo decantaremus, regnum mundi, & omnē ornatū eius reliqui propter amorem Domini. *contemtæ dom.* ratio transfugij à diuitibus ad caſtra nil habentium, in animo ſita eſt, eiúſque veris bonis, tranquillitate, ſecuritate, moderatione, beatitudine, immortalitate &c. quæ qui poſſidet, non modò fugit diuites cum caducis ſuis fortunæ bonis, ſed etiā fortiter deſpicit; ſplendidior dominus contemtæ rei. hoc eſt, honeſtatis, mediocritatis, continentiæ, temperantię &c. quę res vulgo eſt contemtui, quàm ſi fortunæ bona omnia poſſideret. hęc noſtra eſt hîc ſententia, non penitus inepta, vt mihi perſuadeo: nam qui hęc animi bona in ſe habet, is eorum dominus eſt proprius, adeò vt ne morte quidem ab eo poſſint auferri: Cetera fortunæ, leui ſæpe de cauſa ſuos poſſeſſores deſerunt. At ſi cui rem contemtam magis placet ad ea pertinere, quæ puſilla nō ditant ſed alunt tantum, non repugnabo, & interpretabor contemtā, id eſt, vilem, anguſtam: qua voce nō rarò ſic vtitur Horatius: Aut contemtam animo tuo, nec aliter deſideratā, quàm vt ſit vtilis. Cum qua interpretatione conſentit illud Dauidicum Pſal. 61. Si diuitiæ affluant, nolite cor apponere. Non parum profectò doleo, virum doctiſſimum hîc eſſe vehementiorem, exacerbariq̀ue in eos qui ex lectione ſcriptorum cod. non malè hic legi poſſe aiunt, cōtentæ; quam illi ſententiā ſuam (quod ſciam) nullis argumentis ſtabiliunt: nec video, cur tantoperè cum eis ſit pugnandum. quid enim vetat dicere hanc eſſe Latinam dictionē cum Acrone & Porp. vulg. res contenta, id eſt, arta, contracta, cōpoſita; vt Græcis τὸ πρᾶγμα συνεσταλμένον, ἀπὸ τοῦ συστέλλειν; cui, contrà, reſpondet res laxa, id eſt, ampla, lata. Et mehercule, neſcio an hęc lectio ſit inferior alia: ſed diſputent docti. hoc tantùm adijciā, cum hoc non diſcrepare vehementer quod ſcribit Saty. 7. lib. 2. qui tam contento quàm laxo fune laborat. *impiger.* ſic habent omnia noſt. ſcrip. *puræ riuus aq.* illuſtrat hic rem ſuam contemtam, aut ſi mauis, contentam; non latam ſanè, nec amplā, cuius ſe dominum venditat ſplendidiorē quouis ſplendidiſſimo ampliſſimóque, nimirum agrum ſuum Sabinū in conualli Farfari fluminis amœniſſimi, vbi ex fonte Banduſia riuus Digentia defluebat in Farfarum. *ſiluaq; iugis.* huius meminit ode 22. li. 1. namq; me ſilua lupus in Sabina &c. *ſegetis certa fides.* ſpes indubitata. ſeges autem terra eſt aratro ſubacta ſatáque: Aruum verò, ſolum aratū, ſed nō ſatum. *fulgentem imperio.* hunc locum citra vllam difficultatē ſic ordino & interpretor: meus fundus beatior, id eſt, nō parum beatus fecunditate amœnitateq;. fallit, id eſt, latet ſorte fulgentem, id eſt,

ſortitò-

ſortito fortuitóque imperio fertilis Africæ: hoc eſt, rex Africæ cui ſorte diuina humanáue contigit Africæ regnum ampliſſimum, neſcit quanto plus beatitudinis, ſecuritatis, tráquillitatis, amœnitatis & voluptatis eſt in eo fundo qui naturæ ſatis eſt, quàm in diuitijs, opibúſque & honoribus ſplendidiſſimis latiſſimíſque. huius autem loci ordinem perturbatiorem reſtitui in Comment. Lambinus & alij exponunt hunc locũ ad helleniſmũ: nempe, certa fides meæ ſegetis beatior ſorte, id eſt, beatiore ſorte fallit fulgentem &c. Quemadmodũ Virg. Aeneid. 2. ſenſit medios delapſus in hoſteis, id eſt, ſenſit ſe delapſum in medios hoſteis: qua interpretatione, quam nõ reprobo, noſtram ſimpliciorẽ clarioremq. iudico. deligat lector peritus. *quamquam nec Cal.* προκατάληψις eius quod obijci poſſit: Quid beatitudinis eſt & felicitatis in ijs bonis quæ ita nõ alunt vt precaria quadã mendicitate nõ ſit opus? etſi, inquit Horatius, non ampliſſima poſſideã, tamẽ nec egeo, nec viuo precario. *quamquam nec Cal.* hoc eſt, quamuis mihi non ſint pro palato fercula melle delicatè condita, nec ius aptius, quod luxu laſſum peruellat ſtomachum, vt ait Saty. 4. & vlt. lib. 2. *nec Laſtrygonia.* nec vina delicata, qualia Formijs creſcunt in Cãpania, ſint mihi in copia. *nec ping. Gallicis.* Strabo lib. 5. Agrum, inquit, qui ad Illyrium pertinet paſcendis ouibus idoneum, vicinis reliquerunt. Sed & Columel. lib. 8. de ouibus, Generis eximij, inquit, Calabras Apuláſque milites noſtri exiſtimabant, earumque optimas Tarentinas, nunc Gallicæ pretioſiores habentur, earumque præcipuè Altinates. Mart. xiiij. Epig. velleribus primis Apulia prima ſecundis nobilis Altinũ tertia laudat ouis. *contracto mel. p.* hic diiudicet lector, num cõtracto dixerit cupidine, ratione contentæ anguſtæq. ſuæ poſſeſſionis. Nititur autem loco communi, putà, ex maioribus malis, minus eligendum: difficiliora ſunt maiora: Minora verò vectigalia, collectu facilia, & inuidiæ minùs obnoxia, eóq. tranquilliora. *Mygdoniis.* Solin. ca. 12. Qui Edonij quondã populi, quæque Mygdonia erat terra, aut Pieriũ ſolum vel Aemathiũ, nunc omne vniformi vocabulo Macedonia res eſt. & ca. 54. Bithynia in Põti exordio, ad partem ſolis orientis aduerſa Thraciæ, opulenta &c. antè Bebrycia dicta, deinde Mygdonia, mox à Bithyno rege Bithynia &c. vide Plin. lib. 6. cap. 13. Strab. li. 7. Et ipſi etiã Phryges Thracum genus ſunt Bryges dicti, ſicut & Mygdones & Bebryces &c. & lib. 12. habitant tamẽ circum eum (Olympũ) à ſeptemtrione Bithyni & Mygdones &c. & li. 16. Et eũ (pontẽ) qui olim iuxta Thamſacũ erat, ij habent qui à Macedonibus Mygdones ſunt appellati, apud quos eſt Niſibis: quã Antiochiam Mygdoniã appellarunt &c. *Alyatici.* deriuatiuum ab Alyates, qui Crœſi Lydorũ regis pater fuit. Strabo li. 9. Et dona mittebant theſauróſque locatos parabant, ſicuti Crœſus, eiúſq. pater Alyates &c. Apollodo. li. 2. in enarratione generis Herculani ſcribit. Quem autẽ Hercules ſuſtulit filium ex Omphale Lydorũ regina, nomẽ fuit Agelao, vnde & Crœſi genus &c. *Multa petẽtib.* γνωμὴ, quæ pendet ex ea quã ſubſequitur, Creſcentẽ ſequitur cura pecuniã maiorumque fames. Semper enim auarus eget, ergo numquã tranquillus eſt.

AD AELIVM LAMIAM.

ODE XVII. παραινετική.

ÆLI vetuſto nobilis ab Lamo,
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne faſtos:
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Litoribus tenuiſſe Lirin,
Latè tyrannus. cras foliis nemus
Multis, & alga litus inutili
Demiſſa tempeſtas ab Euro
Sternet: aqua niſi fallit augur
Annoſa cornix. dum potes, aridum
Compone lignum: cras Genium mero
Curabis, & porco bimeſtri,
Cum famulis operum ſolutis.

COMMENTATOR.

AELI *vetuſto nobilis ab Lamo.* Metrũ duob. verſ. Alcaicũ, tert. iamb. dimet. quart. Pindar. Alloquitur Aeliũ Lamiã ſenatorẽ, quem laudat ab antiquitate generis, & hortatur ad curandũ genium. Aeliorũ autẽ familiã ab Lamo Formiarũ rege oriri dicit, vnde & Lamiæ cognomẽ nobilibus inditum eſt, quod vulgò Lamiũ genus vocabatur. Iuuena. Lamiarũ cæde madenti. *quando.* ſi quidẽ. *hinc.* ab eo antiquo Lamo. *memores.* qui nobilitatis in poſteros memoriã teſtarentur. *faſtos.* per faſtos conſules vult accipi. Lucan. Qui dat noua nomina faſtis. *Formiarũ.* Formiæ ciuitas eſt Campaniæ. *Marica.* Marica nympha à qua fluuius nomẽ accepit. *Lirin.* Liris nomẽ eſt fluuij interluentis vrbẽ Minturnenſiũ. de quo Luca. & vmbroſæ Liris per regna Maricæ. *latè.* diffusè. *tyrannus.* potens. alibi prò domino, alibi pro crudeli ponitur. vt, pars mihi pacis erat dextram tetigiſſe tyranni. *alga.* de futuræ tempeſtatis indicio. vt, omnia plenis rura natant foſſis. ordo eſt: tempeſtas demiſſa ab Euro ſternit littus inutili alga. *annoſa cornix.* vt, ſæpe

ſiniſtra

ſiniſtra caſſa prædixit ab ilice cornix. *annoſa*. diu viuens. Iuuenal. Exemplum vitæ fuit à cornice ſecundæ. *compone*. ſtrue, ad ſacrificium faciẽdum, dum licet per ſerenitatem. *curabis*. placabis. *bimeſtri*. duorum menſium. *cum famulis*. cum ſeruis ab opere vacantibus, & ferias agentibus. Oſtendit tempus hiemis, quando ad focum potare hortatur, & ſacra genio fieri. vt, inuitat genialis hiems curáſque reſoluit. &, ante focum, ſi frigus erit; ſi meſſis, in vmbra.

CRVQVIVS.

IN laudem Aelij Lamię recenſet ab origine generis eius Lamum Læſtrygonum regem antiquiſſimum: idque per genealogiam Lami nepotũ teſtari aſſerit Annaleis Romanos, qui Formiis Minturnenſibus viciníſq. dicitur imperaſſe. Monet autem Lamiam Horatius ex augurio cornicis annoſæ, vt paret in alterum diem tempeſtuoſum ligna arida Genio ad focum ſacrificando, hilaritérque cum famulis vino potando, quando per ventos & tempeſtatem non licebit in agris verſari. Captat autem hac laude eius beneuolentiam: nam videtur more ſuo velle nonnihil εἰρωνεύεσθαι, Lamiámque deterrere à luxu intempeſtiuo, memorémque facere, vt ea curet in ætate florente viuidáque quibus opus erit curando genio in ætate poſtera rebus agendis minimè idonea. *Æli vetuſto nob.* Satyr. 4. lib. 1. ſub finem monui lectorem P. Alfinium Varum cum P. Vinitio Conſſ. fuiſſe anno Vr. cond. 754. Hic autem L. Aelius Lamia cum M. Seruilio (ſi non alij fuere Lamiæ) Conſſ. fuerunt anno 755. Quare neceſſe eſt hallucinari eum qui in Horatij vita ſcribit eum mortuum C. Mario Cenſorino, C. Aſinio Gallo Conſſ. anno V. c. 745. ſi non multò antè hanc oden ad Aelium ſcripſerit quàm fato conceſſit. Non iniuria certè Petrus Crinitus in Horatij vita, nonnullos ait memoriæ mandaſſe Horatium vixiſſe annum ſupra ſeptuageſimum, vt videre licet in Horat. vita tertio loco his Commentariis appoſita ex codicibus Bland. *Lamo*. Lamus Pauſaniæ in Bœotia fluuius eſt in Heliconis iugo. Eſt & vrbis nomẽ, & neſcio an ea fuerit à Lamo antiquiſſimo Læſtrygonum rege Neptuni filio condita, poſtea dicta Caieta. Ouid. Metamorph. 14. Inde Lami veterem Læſtrygonis, inquit, in vrbem venimus, Antiphates terra regnabat in illa. Fuere autẽ Læſtrygones feritate famoſi, qui primi poſt Cyclopes Siciliam feruntur incoluiſſe, eam, puta, partem quam poſtea Leontini tenuere, vt in Comment. in Odyſſ. Silius, Et regnata Lamo Caieta. Quo ex Sicilia deuenere in extremam Italiæ oram Siciliam verſus: qui Formias quoq. condiderũt inter Tarracinam & Sinueſſam: hinc Plin. lib. 3. cap. 5. Dein locus ſpelũcæ, lacus Fundanus, Caieta portus, oppidum Formiæ, vt exiſtimauere, antiqua Læſtrygonum ſedes, &c. *ferunt*. fides ab hiſtoria *& nepotum per memores*. hic locus variè poteſt ordinari, aut hoc modo, & ferunt genus omne nepotum denominatum ab Lamo per faſtos memores. aut, quod magis placet, ferunt faſtos memores nepotum per omne genus. aut, vt permemores vnica vox ſit, vt in aliquibus ſcriptis offendi, & ferunt faſtos permemores nepotum omne genus, per Syntheſin. Diſpiciat lector. *& innantem Maricæ*. Marica nympha Minturnenſis vxor Fauni, ex quo Latinũ peperit: templum habuit in ripa Liris fluminis. Minturnæ autem oppidum fuit in Campania iuxta paludes vbi Marius latuit fugiens perſequentem Scyllam. Quintil. in primo vbi Grammaticen ſubeſſe Muſicæ contendit oſtendere cùm ex aliis, tum ex Eupolide, vbi Prodamus & Muſicen & litteras docet, ait Maricam quendam Hyperboreum nihil ex Muſicis noſſe præter litteras. Itaque & Marica Nympha, & Maricas vir inueniuntur in eadem, ni fallor, etymologia, nempe ἀπὸ τ μηρύκω Doricè, η in α, & υ in ι. quod ſignificat rumino, & eam fuiſſe Ruminam Deam ea ratione qua D. Auguſtin. in lib. de ciuit. Dei 7. cap. vndec. docet Iouem Ruminum profugentibus maritis: nõ enim dubium eſt quin Maricas denotet Cinæ, dum & Ruminum: aut deminutiuum eſt maris. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4. Circe, inquit, in deorum numerum recepta nominata eſt Marica. *tenuiſſe Lirim*. Plin. lib. 3. cap. 5. vltra, inquit, (Formias) fuit oppidum Pyræ, colonia Minturnæ, Liri amne diuiſa, Glanico appellato, &c. *latè tyrannus*. tyrannus vnum eſt ex iis appellatiuis quæ per ſe quidẽ ſubſiſtunt, vel alia ſuſtinẽt, ita latè regem, id eſt, regnãtẽ. ſic ad Piſones риſores, verũ ita riſores, ita cõmendare dicaces cõueniet ſatyros. *cras foliis*. monet poſtridianæ tempeſtatis ab Euro imminente. *alga inuti*. nullius vſus herba in littus maris eiecta. Hinc natum eſt prouerb. vilior alga, pro re viliſſima nulliúſq. pretij. Fland. nominatur Wiſchouwe. *augur cornix*. epexegeſis. Cornix augurium facit futuræ tempeſtatis ſua crocitatione. De prognoſticis aut ſerenitatis aut tempeſtatis futuræ, legito Virg. 1. Georg. ſub finem. *dum potes*. Hortatur Lamiam prudentiæ tempeſtiuæ, ne præſentem rei bene agendæ occaſionem ſinat elabi, quod non tam ad diem ſolum poſtridianum pertinere videtur, quàm ad ætatem poſteram, de quo in initio huius dictum eſt. *genium mero cur*. non arbitror hoc intelligendum de ſacro quod à maioribus diebus natalitiis erat celebrari ſolitum, ſed de conuiuio, comiſſationéque cum familiaribus

bus habenda: Iubet enim porcum parari bimeſtrē, quod in ſacris genialibus fœdi erat auſpicij, quæ tantum pulte, farcillo, mero, libis, floribus & ture fiebant, ſine animali hoſtia, ſanguiniſque effuſione: erant enim dies hilaritatis lætitiæque pleniſſimi.

AD FAVNVM DEVM agreſtem, vt per agros eius tranſeat innoxius.

ODE XVIII. προσευκτικὴ.

FAVNE Nympharum fugientum amator,
Per meos fineis, & aprica rura
Lenis incedas, abeáſque paruis
Aequus alumnis.
Si tener pleno cadit hædus anno,
Larga nec deſunt Veneris ſodali,
Vina crateræ: vetus ara multo
Fumat odore:
Ludit herboſo pecus omne campo,
Cùm tibi Nonæ redeunt Decembres:
Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum boue pagus:
Inter audaces lupus errat agnos:
Spargit agreſteis tibi ſilua frondeis:
Gaudet inuiſam pepuliſſe foſſor
Ter pede terram.

COMMENTATOR.

FAVNE *Nympharum fugientum amator.* Metrum tribus verſibus Sapphic. 4. Adon. Precatur Faunum Deum terreſtrem, vt in ſequendis Nymphis ſe fugientibus tranſiens ſuos agros velit eſſe propitius. *fugientum.* propter petulantiam. *fineis.* agros. *aprica.* amœna, temperata. vt, duceret apricis in collibus vua colorem. *lenis.* propitius, placidus. *abeáſque.* tranſeas. *æquus.* mitis, innocuus. *alumnis.* ruris vernulis, quos Fauni maximè vexare dicuntur. *pleno.* completo, annale ei ſacrificium ſe facere oſtendit *ſi* ſiquidem. vt, vetitro ſi munere tellus. *cadit.* immolatur. *ſodali v. s.* propter Liberum: nam ſine Cerere & Libero friget Venus. *vetus ara.* ſupp. ſi. vetus autem non ætate deſerta, ſed multo ture ſuccenſa. Oſtendit autem ſe multis eum ſacrificijs libauiſſe, quibus promereatur quæ petit. *ludit herboſo.* quaſi deuotum diem in numinis honorem etiam pecudes laſciuiēdo ſentirent: Nonis autem Decembribus Faunalia feſta & ſacra celebrabātur. *feſtus.* ſollemnis. *in pratis.* In pratis enim & ſiluis Faunalia celebrabantur. *otioſo.* labore ſoluto. *pagus.* in compitis pagorum. Virg. præmiáque ingenteis pagos & compita circum Theſidæ poſuere, atque inter pocula læti mollibus in pratis vnctos ſaliere per vtreis. *audaceis.* non ſemper audaceis agnos, ſed eo die, tamquam qui interuentu numinis non timeant: quod honori Fauni applicat, feſtiuitatis ſuæ tempore lupos pecudibus nocere non ſinentis. *ſpargit agreſt.* hoc eſt, etiam arbores lætantur & ſiluæ: quia Siluani & ruſtici propter amœnitatem frondeis ſpargebant. vt, ſpargite humum folijs. inducite fontibus vmbras. *inuiſam.* nimio labore odioſam. *foſſor.* ruſticus, cultu vinearum liberatus etiam Fauno ſacrificat. *pepuliſſe.* pulſaſſe. *ter.* ad rhythmi retulit ſonos. vt, inuitat genialis hiems, curáſque reſoluit.

CRVQVIVS.

FAVNE *Nympharum fugiētum amator.* Supplicat Fauno dum ſuos agros amore Nympharum pererrat, vt ſibi ſuiſque ſit innoxius: id enim ſe promereri prædicat Nonis Decembribus in eius honorem ſacris ſollemnibus celebratis, vino libando, hædo immolando litandóque: adeò vt totus pagus ſine cura pecoris arationiſque ſtratis humi frondibus, nihil quàm totum diem ludendo, comiſſando, ſaltandóque feſtum peragat. *Faune Nymph. fug.* propter eius ſalacitatē fugiunt Nymphæ, ne virginitatem amitterent: quemadmodum de Pane paſtorum Deo, Syringa Nympham perſequente ſcribit Ouid. 1. Metam. Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas Naias vna fuit, Nymphæ Syringa vocabant; non ſemel & Satyros eluſerat illa ſequenteis, & quoſcumque deos vmbroſaque ſilua feráxque rus habet, &c. & lib. 14. de Pomona Nympha: Quid non & Satyri ſaltatibus apta iuuentus fecere, & pinu præcincti cornua Panes, Silenúſque ſuis ſemper iuuenilior annis? &c. *Nympharum.* Dryadum & Hamadryadum, quę ſiluarum ſunt & arborum. *alumnis.* pueris: Nam ex ſententia Alexandri ab Alex. Faunos, qui & Siluani, vexare pueros erat opinio. lib. 2. c. 25. In hac autem voce alumnus, Nonius à Valla reprehenſus eſt lib. 6. cap. 1. quem ſequitur Spiegelius in ſuo Lexico, & alij. Vult enim Nonius eam & paſſiuè & actiuè accipi, tam pro eo qui nutrit, quàm qui nutritur: Valla contrà, paſſiuè tantùm. Equidem Nonio ſuffragor, & Varronis dictum pro eo facere omnino iudico, nimirum, Et ecce de improuiſo ad nos accedit cana veritas, Atticæ philoſophiæ alumna: ex veritate namq. philoſophia,

loſophia, non etiam ex philoſophia veritas nata eſt. Quin & Plin. eodem modo vtitur lib. 3. cap. 5. Terra omnium terrarum alumna, eadem & parẽs numine Deûm electa. Tacitus de claris orator eſt, inquit, magna iſta & notabilis eloquentia alumna licentiæ quam ſtulti libertatem vocant. Virg. Non illa quidem communis alumna omnibus iniecta tellus tumulabit arena. Græcis huic in actiua ſignificatione reſpondet τροφὸς. Plutarc. de liberorũ inſtitut. αἱ τιτθαὶ δὲ καὶ αἱ τροφοὶ τὴν εὔνοιαν ὑποβολιμαίαν καὶ παρέγγραπτον ἔχουσιν, ἅτε μισθοῦ φιλοῦσαι, id eſt, nutrices & alumnæ beneuolentiam ſuppoſiticiam & adſcripticiam habẽt, vtpote mercedis amantes, & multis aliis in locis: ei verò in paſſiua ſignificatione ferè reſpondet τρόφιμος, vt, ὁ δ' Ἀναξαγόρου τρόφιμος, id eſt, Anaxagoræ verò alumnus, Alexãder, putà, Aetolus, vt habet Agell. lib. 5. cap. 20. Eſt quidem τὸ alumnus πρός τι, ſed τῶ αὐτῶ πρὸς τὸ αὐτὸ, nimirum alumnus alumni alumnus; non etiam, vt volunt alij, alumnus nutricis alumnus, ſed potius nutriticius nutricis nutriticius, & cõtrà, nutrix nutriticij nutrix. *ſi tener.* τὸ ſi nõ eſt cõdicionalis, ſed cauſalis copula, ſiquidem, quia, quoniã, &c. *pleno anno.* Decemb. Nonis ſollẽnibus. *cadit.* mactatur. *hædus.* Ode 4. lib. 1. *cratera.* ad hilaritatem. *fumat odore.* in litatione. *luſit herboſo.* vagatur, errat liberè te cuſtode. Notat otium & ſecuritatem paſtorum ipſis Nonis Decemb. quando dies ipſe Fauno feſtus agitur. *otioſo cum boue p.* ceſſatur ab aratione. *pagus.* metonymicôs, pro paganis. Pagum autem dictum volunt ἀπὸ τῆς πηγῆς, quòd ij ſint eiuſdem pagi, qui ad eundem fluuij tractum habitant: Hinc quatuor pagi Heluetiorum apud Cæſarem in ſuis Comment. de bello Gallico. *lupus.* lupus eo die exuit ſuam feritatem, & innocenter agnis compaſcitur tuo numine.

AD TELEPHVM OB MVrenam augurio honoratum ait hilariter eſſe compotandum.

Ode XIX. δικωλικὴ, καὶ δικατικὴ.

Qvantvm diſtet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, & genus Aeaci,
Et pugnata ſacro bella ſub Ilio.
Quo Chium pretio cadum
Mercemur: quis aquam temperet ignibus:
Quo præbente domum, & quota
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunæ properè nouæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ. tribus, aut nouem
Miſcentur cyathis pocula commodis.
Qui Muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates. treis prohibet ſupra
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis iuncta ſororibus.
Inſanire iuuat. cur Berecyntiæ
Ceſſant flamina tibiæ?
Cur pendet tacita fiſtula cum lyra?
Parcenteis ego dexteras
Odi. ſparge roſas. audiat inuidus
Dementem ſtrepitum Lycus,
Et vicina ſeni non habilis Lyco.
Spiſſa te nitidum coma,
Puro te ſimilem, Telephe, Veſpero,
Tempeſtiua petit Chloë:
Me lentus Glyceræ torret amor meæ.

Commentator.

Qvantvm *diſtet ab Inacho.* Metrum Dicolon, priori Glycon. poſter. Aſclepiad. Hac in ode alloquitur Telephum ſuum ſodalem iocosè eum corripiens, quòd Romanis Græcas hiſtorias, nec ad propoſitum pertinenteis, potius eloquatur, quàm quæ ſint apta præſenti conuiuio: quæreréteque quantum temporis intereſſet ab Inacho ad Codrum vſque: poſteà conuerſus ad puerum, hortatur vt impari cyathorum numero faciat repotiones. *Inacho.* Inachus rex fuit Argiuorum, qui filium habuit Phoroneum valde eloquentem. *Codrus.* hic fuit rex Athenienſium, qui imminentibus regno hoſtibus, pro patria mori voluit. Nam oraculo reſpõſum fuit, eos victuros quorum Dux cecidiſſet: Codrus itaque ſumto pauperis habitu, ad caſtra hoſtium perrexit, à quibus, poſt multas in eos coniectas iniurias, tandem occiditur. Virg. aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri. *narras.* ô Telephe. *& genus Æaci.* aut Achillis. *ſacro.* quia à Diis Apolline & Neptuno muri Troiani facti dicuntur, vt Virg. conuertere ab imo ſtructa meis manibus perituræ mœnia Troiæ. *quo Chium.* à loco. peregrinum vinum poſuit pro pretioſo. *temperet.* tepefaciat: nam tepefactis aquis ſolebant Græci vina temperare. *quo præbente.* inuitante. *quota.* hora. *Pelignis.* Pelignum oppidum apud

Samnites. *da Lunæ.* pincernam puerum alloquitur. *properè.* feſtinanter. *Lunæ nouæ.* id eſt, bibamus in honorem Lunæ nouæ & noctis mediæ *auguris Murenæ.* hoc modo veteres conuiuiorum feſtiuitatem celebrare conſueuerunt, vt ad ſingulos vini cyathos, ſingulorum deorum aut cariſſimorum hominum nomen adiici iuberent. *tribus aut nouem.* tribus, propter Charites, nouẽ propter Muſas ad maiorem lætitiam. *miſcentur.* propinantur. *cyathis.* calicibus. *commodis.* aptis. *attonitus.* expertus, doctus. *imparis.* vt, numero Deus impare gaudet. *petet.* exquiret. *prohibet.* vetat. *tangere.* appetere, ne ebrius factus exurgas in rixas, quæ ſunt gratiæ lætitiæque contrariæ; quæ nudæ pinguntur, ſine vllo velamine, quia ſunt ſine dolo & fraude. *inſanire.* inebriari. *cur.* ſupp. nunc. *Berecyntiæ.* Berecyntus vrbs Phrygiæ. vnde & Phrygiæ tibiæ dicuntur, quæ matris Deûm ſacris adhiberi conſueuerant, ad quarum cantus à conuiuantibus ſaltabatur. vt, tympana nos, buxúſque vocant, Berecyntia matris. *flamina.* ſoni & voces. vt, calamos inflare leueis. *parcenteis.* ceſſantes à vino miſcendo. *ſparge.* ô puer. *dementem.* magnum, ingentem. *ſtrepitum.* pro lætitia. *Lycus.* vicinus inuidia rumpatur. Virg. fit ſtrepitus tectis, vocéſque per ampla volutant atria. *vicina.* vxor, quæ ſeni puella inhabili coniuncta eſt. vnde & zelum eius oſtendit dum inuidum dicit. *ſpiſſa coma.* decenter ornata. *puro.* ſereno. *veſpero.* occidẽtali Lucifero. *tempeſtiua.* nubilis. ordo eſt, ô Telephe tempeſtiua Chloë petit te, nitidum ſpiſſa coma, & puro ſimilem Veſpero. Laus Telephi à pulchritudine; nã crinium compoſitio in iuuenibus amatur. *torret.* interius conſumit. vt, eſt mollis flamma medullas.

CRVQVIVS.

QVANTVM *diſtet ab Inacho.* Monet vrbanè Telephum ciuilitatis non ſine eius commendatione & laude à veteris hiſtoriæ cognitione, quam enarrare, cùm neque locus neque tempus erat; cum loqui mauult quæ ad rem faciunt, præſentiſque diei lætitiam, propter adſumtum Murenam in augurum collegium, promouere, déque antiquo conuiuandi bibendíque more reapſe agere. quod vt fiat, iubet Telepho tacente αὐτοσχεδιαστὶ puerum aut tribus cyathis miſcere pocula, aut nouem petenti, ſed commodis: velle quidem Gratias, metu rixarum, non ſupra treis cyathos: At cùm ſit inſaniendũ, Gratiis quaſi valere iuſſis, cum Muſis hilareſcendum cenſet: tibias Phrygias, fiſtulam adeſſe cum lyra, à poculis non ceſſandum, roſas ſpargendas, nihílque omittendum quod ad inſaniam facit vel inuito Lyco vicino. *quantum diſtet.* Indicat Telephum fuiſſe amatorem veteris hiſtoriæ. *Inacho.* Inachus vixit anno mundi 3344: Codrus autem 4111. Euſebio in Chronicis auctore: à quo multũ diſcrepat Venerabilis Beda, qui ſcribit Inachum vixiſſe anno mundi circiter 2508 cum Iacob Patriarcha: cuius Io filiam Aegyptij mutato nomine pro Iſide coluerũt. Codrum autem 2850. aut circiter. Inachus autem Oceani & Tethyos filius fuit, vt ſcribit Apoll. lib. 2. qui ex Meliſſa Oceani Phoroneum & Aegilaum progenuit: ex Phoroneo & Laodice Nympha nati ſunt Apis & Niobe: ex qua & Ioue Argus: ex Argo & Euadne Strymonis Iaſus, Piranthus, Epidaurus & Criaſus: ex Iaſo Agenor naſcitur: ex quo Argus Panoptes, id eſt, oculatus, cuſtos Io buculæ: quam Caſtor & alij Inachi filiam fuiſſe perhibent: Heſiodus autem & Acuſilaus, Pirenis: Sed Apollod. ex Argi Panoptæ & Iſmene Aſopi, Iaſo natam tradit: quæ miſera tandem Argo occiſo poſt multos errores in Aegyptũ peruenit, vbi priſtina forma recepta Epaphum peperit, & Telegono regi nupſit: Epaphus autem ex Memphi Nili filia Libyam progenuit, ex qua & Neptuno gemini Agenor & Belus; ex Belo autem & Achinoe Nili gemini procreati ſunt, Aegyptus & Danaus, qui Danaum quidem ad Libyam incolendam, Aegyptum verò in Arabiam miſit, &c. vide Apollodorum. *Codrus.* Euſebius in Chronicis, Codrus, inquit, (anno mundi 4130.) iuxta reſponſum ſeipſum morti tradens, interimitur bello Peloponneſiaco: in quo Heraclidarum regnum deſtructum eſt, quod 382. annis perſeuerauerat. Lycurgus in oratione contra Leocratem, narrat hanc de Codro Athenarum rege hiſtoriam: Lacedæmones inopia victus laborantes ex agrorum in annos aliquot ſterilitate, conſtituerant Atticam bello & armis occupare: Qua de re conſultus Apollo, reſpondit eos non fore ſuperiores, niſi ab hoſtiũ rege manus abſtinuiſſent: Quod oraculum cùm didiciſſent Athenienſes ex Cleomanti Delphico, ipſi quidem & ſuis poſteris cibum in Prytaneo decreuerunt honoris ergô: Codrus verò ſarmenta collecturus habitu ſeruili propius hoſteis acceſſit, iam per agros palanteis, qui hoſtili more percontantes quinam eſſet, vnum ex eis ſecuri percuſſum interemit, ceteróſque multis contumeliis in ſuam cædem irritauit: itaque rege interfecto victrices Athenæ fuere. *pro patria.* Laus Codri de pietate in patriam. Valer. Max. lib. 5. c. 6. *& genus Æaci.* poſteros, putà, Aeacidas Peleum & Telamonem ex Endeide Chironis filia ex Pſamathe Nerei, Phocum: ex Telamone & Peribœa Alcathoi, Aiacem, ex quo & Heſione Laomedontis, Teucrum: ex Peleo & Thetide Achillem, &c. Apollod.

Apollod. lib. 3. At Aeacus Iouis & Aeginæ filius fuit. *pugnata bella.* Horatiana dictio, vt alibi notatum eſt. *ſacro.* ἱερῷ, magno. *quo Chium pret.* nota decori minus obſeruati à Telepho κατὰ διόρθωμα. *Chium cad.* μετωνυμικῶς, pro vino Chio laudatiſſimo *quis aquam.* Maiores nonnunquam miſcuerunt vinum aqua, ne læderet: plerumque tepefactis id niuibus ad delicias diluebant; & quò foret incorruptius, aliquando marinam infundi curabant: licet itaque hunc locum referre ad niueis calore liquefactas vinóque infuſas: At malim tamen ad balnea igni calefacta pertinere: moris enim fuit antiquis non niſi lotis & vnctis diſcumbere. *quo præbente do.* hoc eſt, quis ὀνομακλήτωρ. id eſt, nomenclator, qui conuiuas ad ſe vocet, locúmque conuiuis ad diſcumbendum & tempus deſignet: ἐλλίαρχος τῶν δείπνων Athen. lib. 2. *Pelignis.* hieme ad focum quidem cúmque luculentum cœnare maiores, diſcumberéque ſolebant. Sed aliud videtur notare Lyricus: fortaſſis aut narrationis intẽpeſtiuæ frigus, aut vini Peligni, quo Telephus vtebatur familiariter, cui videtur hic opponere Chium. Mart. Marſica Peligni mittunt turbata coloni, non tu: Libertus ſed bibat illa tuus. Pelignos autem ponit in Italiæ regione quarta Plin. lib. 3. cap. 12. Ouid. 3. Faſt. Sabinos dicit Pelignorum proauos. Feſtus: Peligni ex Illyrico orti: inde enim profecti ductu Volſini, vel Volſurij, vel Volſci regis, cui cognomen fuit Lucullo, partem Italiæ occuparunt. huius fuere nepotes, Pacinus, vnde Pacinates; vel Pecinus, vnde Pecinates; vel Picinus, à quo Picentes; & Pelicus, à quo Peligni. *da Lunæ prop. nouæ.* Apoſtrophe ad puerum αὐτοσχεδιαστί, quaſi iam res agatur: Treis autem in poculum iubet infundi cyathos, primum in honorem Lunæ nouæ, alludẽs fortaſſis ad νεομηνίαν; propter Telephum, qui græcitate gaudebat; alterum in honorem mediæ noctis, in quod tempus pocula protrahenda indicat. tertium in gratulationem Murenæ iam auguris facti. Iſtud autem facere videtur, vt Græcè bibendo, non etiam more Telephi, Græcè narrando ſit iucundus: qui iocus admodum feſtiuus eſt; Græco namque more bibere, eſt ad ſingula pocula, primùm Diis libare, deinde honoris gratia, amicos nominare, largéque merum potare. *commodis.* minoribus ad voluptatem; ad imitationem Græcorum, qui primis in epulis breuioribus poculis ſeſe inuitabant. ſub finem verò adhibebant laxiora. *attonitus.* ludit ad ἐνθουσιασμὸν poëticum: Poëtis namque & attonitis eſſe fureréque & haurire largius non indecorè licet, vt qui bibendo nouies adæquent poculis Muſarum chorum. *tres proh. ſupra.* anaſtrophe præpoſitionis. *rixarum metuens.* αἰτιολογία moderationis trium poculorum ad Gratiarum numerum, ab euentu: nimia namque & immoderata vini potatio rixas inducere & iurgia ſolet. vide [illegible] 27. lib. 1. *nudis iunctæ.* vide oden 7. lib. 4. *inſanire iuuat.* relictis Gratiis inedeſtioribus, venit ad Muſas poëtici furoris præſides: & per quandam ἀγανάκτησιν, cùm iuuet, inquit, inſanire, Muſiſque libare vina, cur Muſarum non ſunt omnia plena, cur non inflantur tibiæ Phrygiæ, cur tacet fiſtula, cur lyra non reſonat? *parcentes ego.* Feſtinata oratio index eſt impatientis animi, ſubſeruitque decoro perſonæ inſanientis. Obiurgat autem deſides conuiuas, qui quaſi ſpectatores otioſi nihil agunt, neque pocula in manus, neque lyram fiſtulámve capiunt, aut manibus plaudunt. *ſparge roſ.* apoſtrophe ad puerum. In apparatu ſplendido ſecundæ menſæ roſis inſpergi floribúſque ſolebant & ſiccis odoribus. *dementem.* indicem dementiæ. *non habilis.* cod. Bland. antiquiſſ. legit, non habilis. quæ mihi lectio videtur aliam ſuperare; nõ enim puella ſeni, ſed contrà, ſenex inhabilis eſt puellæ, & multum ineptus eius amoribus: & hoc nomine dicit Telephum ſpiſſa coma nitidum eſſe, & habilem Chloæ puellę ſeu Rhodæ, vt habent aliqui cod. ſcripti, quia pares cum paribus rectiùs conueniunt: Quem in amore ait ſe feliciorem, quòd Telephum quidem Chloë petat, amorem verò Glyceræ erga ſe eſſe lentum. *Chloë.* duo cod. Bland. cum Mart. & Sil. habent Rhode.

AD PYRRHVM, NE ABDVcat Nearchum à ſua puella.

ODE. XX. συμβουλευτική.

NON *vides, quanto moueas periclo,*
Pyrrhe, Gætulæ catulos leænæ?
Dura pòſt paulò fugies inaudax
Prælia raptor:
Cùm per obſtanteis iuuenum cateruas
Ibit inſignem repetens Nearchum:
Grande certamen, tibi præda cedat
Maior, an illi.
Interim dum tu celeres ſagittas
Promis, hæc denteis acuit timendos:
Arbiter pugnæ poſuiſſe nudo
Sub pede palmam
Fertur, & leni recreare vento
Sparſum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireùs fuit, aut aquoſa
Raptus ab Ida.

Commentator.

NON *vides quanto moueas periclo.* Metrum Sapphicum cum Adonio. ἀπαγορευτικῶς Pyrrho conſulit, ne fruſtra conetur à meretricula Nearchum abducere, ob periculum futurum. *moueas.* conens auferre. *dura.* amara. *inaudax.* non audax, timidus. *obſtanteis.* repugnanteis. *grande certam.* magna contentio vtri præda erit maior, tibi habenti Nearchum, an illi per vim repetenti. *celereis.* manet in metaphora leænæ. *promis.* paras. *timendos.* timendo digno. *arbiter pugnæ.* Nearchus. *ſub pede.* hoc eſt, ſecutus Venus & Cupido et ſuccubuiſſe. Dicit autem Pyrrhum fruſtra ab amore meretricis reuocare iuuenem. *leni.* ſuaui. *recreare.* reficere. *ſparſum.* ordinatum, compoſitum: ad emphaſim ſeruitutis Venereæ dicit eum habere per humerum ſparſos capillos vnguentatos: nam pueri meretricij non tundebantur. *odoratis.* vnguentatis. *Nireus.* Nireus tam ſpecioſus ab Homero traditur, vt omneis Græcos, excepto Achille, ſuperaret. *raptus.* ſupp. Ganymedes. *Ida.* monte. vt, quem præpes ab Ida ſublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.

Crvqvivs.

NON *vides quanto moueas periclo.* Pyrrho conſulit vt Nearchum puerum valere iubeat: fieri enim non poſſe, vt eo vel rapto potiatur, niſi magno ſuo cum periculo: adeò vt aliquando leænæ timore velit eum ſe non abripuiſſe, dum per vim leæna ſuum catulum repetet, cui etiam ſi repugnet, incertum tamen eſſe, vinci ne an vincere prædáque potiri foret vtilius: Illam quidem catulum diligere, eum verò non odiſſe; cùm ipſe tamen amorum ſecurus Nearchus agat liberè, capillos comat, vnguentóque odorato imbuat, de victoria minimè ſollicitus, vtri ea cedat. *non vides quanto.* ἐρωτηματικῶς, dehortatur Pyrrhum, vt Nearchum ne rapiat, à difficili. *moueas.* amoueas. ſimplex pro compoſito. *catulos leana.* leæna leonis eſt femella. Alludit autem (vt mihi quidem videtur) ad lenam, quæ catulos, id eſt, pueros alebat meritorios lucri gratia; inter quos erat Nearchus, quem rapere inuita lena non erat tutum. At qui malit hæc de puella interpretari, quę Nearchum deperibat, per me liceat. *Gætula.* Epitheton à feritate, quam immanem fuiſſe ſignificat in Leæna. de Gætulia Libyáque leonum feraciſſima, vide Strab. lib. 17. *poſt paulo.* ſic habent ſcripta Bland. cum Diuæ. & Sil. reliquis, pòſt paulum. Præterea antiquiſſ. Bland. ad marginem paginæ habet, dura poſt, eſt anaſtrophe. Quod ſi ita eſt, rectius, paulum, legemus, vt determinet τὸ inaudax, cum deminutione: ſed ea adnotatio videtur eſſe ſcioli alicuius ignari, pòſt paulò. & pòſt paullum, Latinè ex æquo poni. Diiudicet lector. *inaudax.* ad Græcam dictionem ἄτολμος: ſic & Lucian. ἄτολμος βίος, ignaua, abiecta vita. *obſtanteis.* impedienteis, & diſſuadenteis, ne per vim repetat Nearchũ. *ibit.* ire per cateruas, eſt eas perrumpere via facta vi. *maior.* vtilior & gratior, tibi ne, ob amorem, an illi, ob lucrum: *celereis* ad vim propellendam leænamque transfigendam, metaphor. *denteis acuit.* ad te lacerandum. Hoc non tam propriè leænæ quàm lenæ conuenit maledicæ: nam leæna propugnat vnguibus dein lacerat dentibus; at maledica denteis armat & os ad maledicentiam, conuicia & contumelias. Hinc illud eſt Mart. quid dentem dente iuuabit rodere, carne opus eſt, ſi ſatur eſſe velis. *poſuiſſe nudo.* ponere ſub pede eſt conculcare, metaphoricos, contemnere & paruifacere: Sic Nearchus, cùm poſſit ſuo facto contentionem dirimere, victoriã facit minimi, quinimo mauult vos contendere, vt alatur & ametur vtrimq. ſecurus vtri cedat palma, id eſt, victoria: Dicit autem ſub nudo pede, quia nullum ei periculum imminet ex eo certamine; quare non eſt cur vel nudo pedi vbique metuat: imo procul abeſt vt metuat, vt etiam certaminis de feneſtra quaſi ſpectator iucundus ad æſtum leniendum flabello, ſibi lenem ventum faciat, capilloſq. delibutos adornet, componátque, quo vos in amorem ſui magis inſanire faciat: vincit enim Nirea ſua pulchritudine, & Ganymedem formoſiſſimum, hunc Troianum, illum Græcum. Ex his verbis ſatis conſtat Nearchum eſſe meritorium: à lena ne auara nutritum ad pretium participandum, an à puella adamatum, iudicet lector. *qualis.* ſup. talis. Hæc faciunt ad Nearchi commendationem, à forma & cultu. *aquoſa.* propter fonteis eius montis irriguos, ex quibus naſcuntur Xanthus & Simois fluuij ab Homero celebrati Ilia. λ.

AD AMPHORAM, VT IN gratiam Coruini vetuſta vina promat.

Ode XXI. παραιτητική.

O NATA *mecum conſule Manlio,*
Seu tu querelas, ſiue geris iocos,
Seu rixam, & inſanos amores,
Seu facilem, pia teſta, ſomnum:
Quocumque lectum nomine Maſsicum
Seruas, moueri digna bono die,
Deſcende, Coruino iubente,
Promere languidiora vina.

Non

Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus.
Narratur & priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoues
Plerumque duro: tu ſapientium
Curas, & arcanum iocoſo
Conſilium retegis Lyæo:
Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Vireſque, & addis cornua pauperi.
Poſt te, neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, &, ſi læta aderit, Venus,
Segneſq; nodum ſoluere Gratiæ,
Viuæq; producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

COMMENTATOR.

O NATA *mecum conſule Manlio.* Metrum tricolon, duob. verſ. Alcaic. tert. Iamb. dimet. quart. Pindar. Alloquitur amphoram, quam vult vina vetuſta promere Coruino: Eam autem dicit ſecum natam eſſe conſule Manlio: quæ vetuſtas pertinet ad eius commendationem, ordo eſt: O pia teſta nata mecum conſ. Manlio, deſcende promere languidiora vina Coruino iubente. *querelas.* liteis. *geris iocos.* vino enim aut ioci naſcuntur, aut querelæ & alia, quæ hic memorantur. *quocumque lect.* ſeu Manlij ſeu alterius conſulis. *lectum* electum. *nomine.* Conſulis. Luca. Quidas noua nomina feſtis *moueri.* proferri. *Coruino.* Coruinum ſe ad conuiuium inuitaſſe ſignificat, in cuius honorem ſe vetuſtiſſima vina dicit proferre velle. *deſcende promere.* notanda locutio, pro deſcende vt promas. *languidiora.* vetuſtate leniora *madet.* hoc eſt, imbutus eſt philoſophia Socratica, tamen optat etiam vino fieri madidus. *horridus.* triſtis, ſeuerus. *negliget.* cõtemnet *priſci.* ſenioris non Vticenſis, ſed Cenſorij. *caluiſſe.* efferbuiſſe: *virtus.* prudẽtia. Virtus Catonis, id eſt, ipſe Cato *tu lene torm.* laus vini, id eſt, tu per ebrietatem prodis, quod propter animi fortitudinem non poteſt extorqueri tormentis. *duro.* obſtinato mirabiliter *iocoſo.* iocis apto. *retegis.* prodis. *anxius.* ſollicitis. prudentibus ait cogitationum leuamen vino præſtari, & remoueri triſtitiam. *cornua.* ſuperbiam, temeritatem, quam fieri per vinolentiam vult intelligi. Ordo eſt, addis cornua pauperi, poſt te, nec trementi apices regum, nec arma militum. *poſt te.* bibitum. *apices.* dignitates *trementi.* timẽti. oſtendit ſuperiores & nobiles à pauperibus contemni per vinolentiam & ebrietatem. *te Liber & ſi,* ordo eſt, Liber & ſi aderit læta Venus, & Gratiæ ſegnes ſoluere nodum, & viuæ lucernę producent te, dum Phœbus rediens fugat aſtra. *ſegnes.* pigræ, quæ nodum non ſoluunt quo ſunt connexæ: hoc ideò dicitur, quia qui fida inter ſe gratia iunguntur, numquam ſoluuntur ab amicitiæ fide. vnde & ipſæ Gratiæ connexis inter ſe manibus fingũtur. *nodum.* fidem. *producent.* per Gratias & lucernas ſignificat ſe conuiuium in lucem protracturum. *dum.* donec. vſque dum. *fugat aſtra Ph.* vt, ſtellis aurora fugatis.

CRVQVIVS.

O NATA *mecum conſule Manlio.* Precatur amphoram ne ſit ei curæ, aut grauiter metuat, qualẽ vinum gerat, querulum ne an iocoſum, rixoſum ne, Venereúmque, an ſomnolentum, ſed hilariter quod continet Maſſicum, depromat: hoc enim & diei lætitiam & Coruinum deſiderarę: qui tametſi ſeuerioris, Socraticæque ſit amans philoſophię, eum tamen ab hilarioribus poculis non abhorrere; vt nec Catonem illum priſcum; qui ſæpe cum amicis fertur incaluiſſe vino meraciúſq. bibiſſe. Tu certè vino recreas duriora pectora, tu moleſtias animi diſcutis, tu ſecretiora conſilia amicis iucundè retegis, tu ſollicitudine fugata meliorem ſpem reducis, animos addis pauperi, metum adimis, in reges, in milites intrepidum facis. Itaque tu nobis cum Baccho, &, ſi aderit, cum læta Venere, Gratiíſque fidelibus præſens adſis in lucem poſteram. *O nata mecum conſule M.* Amphoræ ſuæ mira Proſopopœia abblanditur, vt deſcendat, vinúmque promat, ne à conuiuis ſibi ſuæque vitæ metuat, qualecumque tandem vinum gerat; hortatur, ſe eam quaſi vitæ ſociam, integram & ſaluam conſeruaturum pollicetur: diem hoc poſtulare, Coruinum iubere. Eam piam nominat, & neglectui conuiuis nõ futuram etiam horridioribus: Poſtremò à vino, quod gerit collaudatã, promittit cum Baccho ſecum & Gratiis Veneréque diſcubituram, foréque hilarem in alteram lucem. *ô nata mecum.* amphoræ laus à vetuſtate. *conſule Manlio.* L. Manlius Torquatus, & L. Aurelius Cotta Conſſ. fuerunt anno vr. con. 688. auctore Sigonio. Glareano autem anno 689. quo anno natus eſt Horatius Venuſij in Apulia. *querelas.* ex multis enumerat affectus aliquot, qui non vino, ſed vinolentis inſunt: At eos tamen ab amphora in vtero geri fingit, eius quaſi futuros fetus; de quibus hortatur ſuæ vitæ ne metuat, ſed deſcendat, & cuiuſcumque modi fuerint, fidenter

parat: nam tametſi hoc ebriis, rixoſis præcipuè, ſit ferè peculiare in amphoras ſæuire & pocula cyathóſque; tamen in ſe recipit amphorę nihil hic tale futurum. *inſanos amores*. epitheton ab effectu. ſic aeri cæcus amor *facilem*. non turbulentum, ſed placidum, gratum & lenem *pia teſta*. blandientis, quò deſcendat. *quocumque lectum nomine*. ait amphoram ſecum natam continere vinum quidem Maſſicum, ſed notam & nomen conſulis quo ſit reconditum ſubticet. Martialis quoque, De Sinueſſanis venerunt Maſſica prædis condita, quo quæris, conſule? nullus erat. Laudat itaque à loco: mons namq. Maſſicus eſt in Campania. vide oden 1. lib. 1. *moueri digna bono die*. à lætitia præſentis diei, hortatur amphoram, vt ſe moueat & deſcendat. *bono die*. læto & fauſto. in gratiam Coruini. *Coruino iubente*. ab auctoritate. *promere*. deſcende promere; id eſt, ad promendum, Helleniſmôs. Omnino credo τὸ promere, pertinere ad τὸ deſcende, non item ad τὸ iubente: nec puto lectorem doctum à nobis diſſenſurum. *languidiora vina*. non robuſta, cerebrúmque ferientia, ſed lenta & delicata, ἀνυγοφόρα. *non ille*. Hortatur amphoram vt pareat iubenti Coruino, aítq. eam non neglectui, ſed magno in honore futuram viro philoſopho. *narratur & priſ.* fidem facit ab exemplo Catonis; ne credat viros philoſophos & ſeueros abhorrere à vino: Narratur enim Cato cum amicis & familiaribus in multam ſæpe noctem conuiuia pitiſſando vino protraxiſſe, non tam vt vino caleret, quàm vt curas obliuiſceretur. vide Plutarch. in vita Cato. *priſci*. hoc enim ei tertium nomen à Romanis datum ſcribit Plutarc. *caluiſſe*. hilaris fuiſſe. *tu lene tormen*. laudat amphoram à vini beneficiis, per emphaſin. *ingenio ad. duro*. homini natura ſeuero & tetrico moroſoque; cui ſobrio ieiunóque vrbanitas facetiæque mera crux eſt, ei vinum lenit naturam & ex tetrico fit bellus homuncio. tormentum itaq. κατ᾽ ἀντίφρασιν, pro lenimento. ſumta metaphora à quæſtionibus. *tu ſapientium cur.* ſtudia, cogitationes, & in rerum naturis inquirendis operam ſollicitam tuo vino efficis, vt eloquantur, aliiſque communicent. *& arcanum* in rebus agẽdis, in adminiſtratione publica retegis, recludis, reſignas, aperis, manifeſtas in reipublicæ plerumq. & patriæ ſalutem. Alij hæc interpretantur coniunctim per ἓν διὰ δυοῖν, ſapiẽtum curas & arcanum conſilium, id eſt, curas arcanas & conſilium reconditũ. Equidem ſi hoc ſentirẽ, malim eſſe ἐπεξήγησιν: at vtatur quiſque ſuo ingenio. *mentibus anxiis*. id eſt, deploratos & ſuis rebus diffidenteis bene ſperare iubes. *vireiſq*. animos. τὸν θυμὸν ὃ παρόντος ψυχὴ πᾶσα πρὸς πάντα ἀφοβός τε καὶ ἀήττητος, Plato 2. de republ. id eſt, quo præſente homo omnino ad omnia imperterritus eſt & inuictus *addis cornua* cõfidentiam ferociámq. quibus quaſi armis indutus, procedit ad pugnam, vt boues irati ſuis cornibus. hinc dicere ſolemus hominem ſe defendere paratum, cornutam eſſe beſtiam. ſic Horat. Epod. 6. parata tollo cornua. *poſt te*. metonymicôs, continens pro cõtento, amphora pro vino; quod vbi à paupere ad ſatietatem eſt hauſtum, in regiam poteſtatẽ irruit intrepidè dicto factóq. nullo metu milites armatos inuadit, ad prœlia, pugnas, contentiones paratus. *te Liber, & ſi*. Nunc amphoræ vt deſcendat vinúmq. promat, pro hoc beneficio hilaritatis, quo ſe conuiuáſq eſt affectura, pollicetur ſummos honores, nimirũ, eam Baccho, Veneri & Gratiis ad lucernas totam noctem peruigilem lætámq. adfuturam. *viuæq*. ardentes lucidáq. *lucernæ*. ſi lucerna dicta ſit à lucendo, ad quid additur epitheton, viuæ? eo certè modo quo dicimus extinctam: nempe pro ipſa materia quæ lucet accẽſa *dum rediens*. periphraſis auroræ *fugat aſtra Phœ*. hoc ex opinione vulgari; nam ſtellę cęlo fugatæ putãtur, vbi non apparẽt ob Solis claritatẽ.

AD LVCIFERAM, ob vitam ſeruatam.

ODE XXII. εὐχαριστική.

MONTIVM cuſtos, nemorumq; virgo,
Quæ laboranteis vtero puellas
Ter vocata audis, adimiſq; letho
Diua triformis:
Imminens villæ tua pinus eſto:
Quam per exactos ego lætus annos,
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

COMMENTATOR.

MONTIVM *cuſtos, nemorumq; virgo*. Metrũ Sapph cum Adon. Pinum Dianæ cõſecrat in agro ſuo, apud quam ſe verrem quotannis ſacrificaturum promittit. *cuſtos*. quia venatrix dicitur. *laboranteis vtero*. in partu ſcilicet, id eſt, parienteis. *ter vocata*. propter tria numina, nam trina eius eſt poteſtas, ipſa namq. venantibus præeſſe dicitur. Ipſa quoque Lucifera, quòd partibus lucem ferat, vnde Lucina à parturientibus inuocatur, quod ideo ei datum eſt, quòd prior à Latona matre edita, in fratris Apollinis partu, eam iuuerit, & parturienti præſliterit ei obſtetricis officium. Ipſa & Proſerpina nominatur. *adimiſq*. ſupp. puellis. *diua triformis*. vt, tria virginis ora Dianæ. *imminens*. vicina. ordo eſt, Pinus imminens villæ, eſto tua. *eſto*. ſit. alias, eſto, eſt aduerbiũ. vt, eſto, ægrá nulli quõdam flexere

flexere mariti. *villæ.* fundo meo. *exactos.* finitos. *verris obl.* modum ferientis verris deſcribit. ſæuius autem lædunt verres, cùm tranſuerſim feriunt iuxta dentium poſitionem. *donem.* cui ſacrificabo ſanguinem verris.

CRVQVIVS.

MOntium cuſtos. Hymnus Dianæ tergeminæ ob triplex eius numen, in cælo, terris, & apud inferos: cui pinum villæ proximam conſecrat, cámq. vouet quotannis læta memoria irrigandam verris ſanguine, quòd ſe ſeruarit incolumem ab eius ictu mortifero, quaſi hoc numinis eius beneficio contigerit. An autẽ alludat ad Verris alicuius ſic cognominati dentem, quòd puellæ ſuę quaſi parturienti obtrectarit, lector examinet. *montium cuſtos.* Diana Iouis & Latonæ filia, in terris venationis Dea, quaſi Deuiana; quòd in ſiluis feras ſectando, venatores ſæpe deuiare contingat: montium autem cuſtos dicitur, quòd venando per monteis vagetur: hinc Phornuto ὀρεσίφοιτος, id eſt, montiuaga, & ὀρεσκόμος, id eſt, montium cuſtos. *labor. vte. puell.* hinc opigena dicta, quòd parturientibus opem præbere crederetur: & Lucina, à luce, quòd infantibus lucem largiretur ſimul ac nati eſſẽt. Plaut. in aulula. perij mea nutrix; obſecro te, vterus dolet, Iuno Lucina, tuam fidem. *audis.* ades, auxiliaris. *diua triformis.* τρίμορφος. Luna in cælo, apud inferos Proſerpina, Hecate, Perſephone. In terris Diana. vnde Virg. tergeminámq. Hecaten, tria virginis ora Dianæ. & incertus auctor: Terret, luſtrat, agit, Proſerpina, Luna, Diana, Ima, ſuperna, feras, ſceptro, fulgore, ſagitta. Dicta & Triuia, quòd Luna in cælo tribus viis ſeu motibus vagetur, in altitudinẽ, latitudinẽ & longitudinẽ. Orpheo τρικέφαλος, quòd tria haberet capita, dextrũ equinũ, ſiniſtrum caninum, mediũ ſuis agreſtis. *imminens villæ.* Dianæ pinum conſecrat ab euentu: fortaſſe quòd verris auerterit ictum. Eſt autem pinus ſacra Pani. *verris.* Verreis appellamus ſalaceis: in odium fortaſſis hoc ait obtrectatoris puellæ, quòd nollet experiri verrem. *obliquum ictum.* ex ſitu dentium. At obliquus ictus etiam eſt obtrectatio. *ſanguine donem.* donare ſanguine pinũ, eſt perfundere & irrigare ſanguine victimæ mactatę.

AD PHIDILEN, DE victimis diis offerendis.

Ode XXIII. προσευκτική.

CAELO ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente Luna, ruſtica Phidile,
Si thure placaris, & horna
Fruge Lareis, auidáq; porca:
Nec peſtilentem ſentiet Africum
Fecunda vitis, nec ſterilem ſeges
Rubiginem, aut dulcis alumni
Pomifero graue tempus anno.
Nam quæ niuali paſcitur Algido
Deuota, quercus inter, & ilices:
Aut creſcit Albanis in herbis
Victima, pontificum ſecureis
Ceruice tinget. te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium,
Paruos coronantem marino
Rore Deos, fragiliq; myrto.
Immunis aram ſi tetigit manus:
Non ſumtuoſa blandior hoſtia,
Mollibit auerſos Penateis
Farre pio, & ſaliente mica.

COMMENTATOR.

CAELO *ſupinas ſi tuleris manus.* Metrum tricolon, duob. verſ. Alcaicũ, tert. iamb. dimet. quart. Pindaric. ad Phidilen dicens non ſumtuoſis hoſtiis, ſed potius puris manibus deos & inculpata mente coli debere. *ſupinas.* ſupplices ad cælum & elatas manus. vt, tendóq. ſupinas ad cęlum cum voce manus. *naſcente Luna.* ſolent enim ruſticæ mulieres in initio primæ Lunæ ad cælum effundere preces. *horna.* hornotina, nouella; vino quoque nouo ad ſacrificia requiſito. vt, vináque fundebat pateris. &, mihi ſacra parari, & ſalſæ fruges & circum tempora vittę. &, farre pio & plena ſupplex veneratur acerra. *auida.* edaci. *peſtilentem.* auerſum. *rubiginem.* quæ eſt peſtis frugum. vt, ne mala culmos eſſet rubigo. *nec dulces alumni.* nati, quos nutritionis affectio commendat & dulceis facit. vt Iuuenal. interea dulces pendent circum oſcula nati. *pomifero gra. temp.* pomorum enim varietate & multitudine autumno langueſcunt corpora. *graue.* peſtilens. Iuuenal. Iam letifero cedente pruinis autumno. Iubet ergo neceſſitatem temporis deuotione & ſupplicationibus deorum mitigari. *niuali.* frigido. *Algido.* ſupp. in monte Algido. *deuota.* diis promiſſa. *quercus inter.* id eſt, in nemoroſis locis. *Albanis in her.* commemorat apta loca paſcẽdis gregibus. *tinguet.* madefaciet. ordo eſt: Nam victima quæ paſcitur in Algido niuali inter quercus & ilices, aut creſcit in Albanis herbis, tinguet ceruice ſecu-

reis Pontificum, id eſt, magnæ victimæ decent Pontifices. *te nihil att.* diſtare ait inter priuata & publica ſacrificia, & aliud Pontificibus conuenire, qui ad immolandum diis magnas hoſtias inquirunt; aliud vult priuatum præparare; ſcilicet aut myrtum aut rorem marinum. ordo eſt, te coronantem paruos deos marino rore & fragili myrto, nihil attinet tentare illos multa cæde bidentium. *tentare.* placare, rogare. *bidentium.* bimarum ouium. *paruos deos.* penates. *bidentium.* bidentes, propriè dicuntur oues quæ duos annos habent, ſic vocatæ ab eminentioribus dentibus, qui circiter duos annos naſcuntur. *coronantem.* ornantem. *immunis aram ſi.* ordo eſt, ſi manus immunis à ſceleribus tetigit aram ſumtuoſa hoſtia, non mollibit auerſos penates blandior pio farre & ſaliente mica. *immunis.* ſupp. à ſcelere, id eſt, innocens & iuſta. *ſumtuoſa.* fluxa. *blandior.* gratior, acceptior. *farre pio.* piè oblato. *ſaliente.* crepitante, cùm in ignem iniicitur, igni quaſi reluctante. *auerſos.* iratos, offenſos. & nota plus valere far, id eſt, paruum ſacrificium cum innocentia, quàm magnum cum ſcelere.

CRVQVIVS.

CÆlo ſupinas ſi tuleris manus. Monet Phidylen precibus deos Lareis & non magni ſumtus ſacrificiis placari propitiaríque, vt & in agris fruges vbertim vináque proueniant, & domi natis alumníſque omnia proſperè ſuccedant, autumnúmque ſuis grauem fructibus incolumes ſubterfugiant: eos quidem non eſſe ambitioſos, nec amare ſplendidas, opimas & multas victimas, ſed manus innocenteis puras & immuneis à ſcelere, rapina iniuriáq. quas cum pio farre multo gratiores ait ad propitiationem victima quauis vel exquiſitiſſima. hic neſcio an Phidylē ſuis agris fortaſſe vicinam notat iniuriæ rapacitatíſque: quā credebat operoſis ſacrificiis expiari poſſe: in qua etiamnum ſententia ſunt plerique, atque adeò non infimæ notæ mortalium. *cælo ſupinas.* Exordium ab hypotheſi, ſi deo ſupplicaueris, ſacráque piè feceris, multa mala effugies. *ſupinas.* ſupinum prono opponitur, vt & Græcis ὕπτιος καὶ πρηνής: At hîc & in ſimilibus ſupinus eſt ſublimis, cælum verſus: qui geſtus eſt ſupplicantium. *naſcente luna.* in nouilunio: qui dies olim ruſticis ſacer erat, νουμηνία. *Phidyle.* ſic habent omnes Bland. cod. per y in ſecunda ſyllaba, quos ſecutus ſum, vt ſumta vox ſit παρὰ τὸ φειδωλός, quod parcum ſignat & tenuem. Alij cod. partim Phillide legunt, partim Phidile. *auidáq; porca.* de ſue laribus mactanda legito adnotata in Satyr. 3. lib. 2. ad eum locum, immolet æquis hic porcum laribus, &c. *peſtilentem.* quòd humidus ſit & calidus, in quibus qualitatibus nō multò inferior eſt Auſtro. *robiginem.* ſic legunt Bland. cod. quæ vera & antiqua vox eſt, vt alibi notaui: Eſt autem plantas & herbas ſua robigo, vt ferrugo ferrum, æs ærugo. *nam quæ niualí.* αἰτιολογία eius quod dixit lareis placari ture & fruge, ne ſollicita ſit Phidyle de victima pingui & magnifica, qualem decet mactare Pontifices pro ſalute populi. *multa cæde.* videtur alludere ad Hecatomben; quod genus ſacrificij fieri ſolebat tēpore peſtis apud Græcos. *bidentium.* bidens non ſola ouis, ſed & alia pecus dicitur à dentibus duobus altioribꝰ, auctore Feſto & Hygino: aut, vt ſcribit Agell. lib. 16. cap. 6. bidens quaſi biens, interpoſita d littera, id eſt, duorū annorū. *rore marino.* ſeu roſmarino, id eſt, coronariis & parabilibus. de rore ſeu roſmarino coronario, qui Dioſcoridi eſt λιβανώτις στεφανωματική, vide Mathio. in Dioſcor. *immunis aram.* variant hic enarratores. Bonfinis Porphy. vulgatum ſequitur: Quem Badius cum Glareano confutat: eis aſſentitur Lambinus, aitque ſumtuoſa hoſtia caſus eſſe ſeptimi, qui Glareano eſt inſtrumēti. Equidem ſuffragor omnibus, ſed ea lege vt τὸ blandior ἐναλλακτικῶς pro blandius accipiatur. prior itaque, meoque iudicio ſimplicior, ſententia hæc eſt, Si manus tua fuerit innocens, ea non blandior mollibit auerſos Penateis hoſtia ſumtuoſa quā farre pio, &c. per ellipſin τοῦ ἤ, quàm. Poſterior, Si tua manus inter ſacrificandum fuerit innoxia, hoſtia tua ſumtuoſa non blandior mollibit auerſos Penateis farre pio, id eſt, quàm mola ſalſa: ſed hic opus eſt licentia in nominatiuo ſumtuoſa, vt τὸ a producatur, aut cæſura, aut ob ſequentis vocis, blandior, bina cōſona. *mollibit.* placabit. cod. vnus Bland. cum Maldeg. & Marr. habet molliuit; deinde Maldeg. & Marr. habent aduerſos *ſaliente mica.* mica, hoc eſt, grano ſalis: ſaliente autem non crepitante, vt habet Comment. ſed far ſalſum reddente, farri namque ſal admiſcebatur, vnde mola ſalſa fiebat. far pium mola eſt ſale condita.

IN DIVITES AVAROS.

Ode XXIIII. συλλογιστική.

INTACTIS opulentior
Theſauris Arabum, & diuitiis India,
Cæmentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum:
Si figit adamantinos

Summis

Summis verticibus dira neceſsitas
Clauos: non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campeſtres melius Scythæ,
Quorum plauſtra vagas ritè trahunt domos,
Viuunt, & rigidi Getæ:
Immetata quibus iugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt:
Nec cultura placet longior annua,
Defunctumq́ laboribus
Æquali recreat ſorte vicarius.
Illic matre carentibus
Priuignis mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum
Coniux, nec nitido fidit adultero.
Dos eſt magna, parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas:
Et peccare nefas, aut pretium eſt mori.
O, quiſquis volet impias
Cædes, aut rabiem tollere ciuicam:
Si quæret, pater vrbium,
Subſcribi ſtatuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam
Clarus poſtgenitis: quatinus, heu nefas,
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.
Quid triſtes querimoniæ,
Si non ſupplicio culpa reciditur?
Quid leges ſine moribus
Vanæ proficiunt: ſi neque feruidis
Pars incluſa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataq́ ſolo niues
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt æquora nauitæ?
MAGNVM pauperies opprobrium iubet
Quiduis & facere, & pati,
Virtutisq́ viam deſerit arduæ.
Vel nos in Capitolium,
Quò clamor vocat, & turba fauentium:
Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile,
Summi materiam mali,
Mittamus. ſcelerum ſi bene pœnitet:
Eradenda cupidinis
Praui ſunt elementa, & teneræ nimis
Mentes aſperioribus
Formandæ ſtudiis. neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Græco iubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea.
Cùm periura patris fides
Conſortem ſocium fallat, & hoſpitem,
Indignoq́ pecuniam
Heredi properet: ſcilicet improbæ
Creſcunt diuitiæ, tamen
Curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei.

COMMENTATOR.

INTACTIS *opulentior.* Metrum Dicolon, prior Glycon. poſterior. Aſclepiad. Hac ode generaliter inuehitur in luxum omnia profanantẽ, & ędificiis non terras tantum, ſed etiam maria inuadentẽ. ordo eſt, ô tu auare opulẽtior intactis theſauris Arabum & Indiæ diuitiis, licet occupes omne Tyrrhenum mare & mare publicum tuis cæmentis, non expedies animum metu, & caput laqueis mortis, ſed dira neceſsitas figit adamantinos clauos ſummis verticibus. *intactis.* cuſtoditis, integris, collectis. *opulentior.* ditior. *Arabũ & diuit. Ind.* ditiſſimas genteis poſuit ad ïuξ α(...). *cæmentis.* ſaxis cæſis & ad fabricandum paratis. *occupes.* inuadas. *Tyrrhenum.* Tuſcum: *omne.* per exaggerationem. *ſi.* ſi quidem. *adamantinos.* qui frangi non poſſunt pro materiæ ſoliditate. *ſummis verticib.* in vertice ſi quidem facilior eſt ictus ad mortem, vicinitate cerebri. *dira neceſſitas.* neceſſitatem pro fato poſuit. ſenſus autem hic eſt, quamuis multa poſſideas & ampla, non tamen ſincera & certa voluptate his frui potes; quippe cùm neceſſitati mortis aſtricta ſit humana condicio, nec poſſis te vllo remedio inde, aut præmio redimere. *clauos.* ſtimulos mortis. *metu.* à metu. *expedies.* liberabis. *campeſtres mel. Sc.* Scythæ campeſtres dicti, eò quòd in campis ſine tectis ſub tentoriis viuant, quæ carpentis mouentur. vt Salluſt. in quibus plauſtra ſedes ſunt. *vagas.* inſtabileis, incertas. *rite.* pro more & conſuetudine. *rigidi Getæ.* aſperi, fortes: propter rigidam regionem. vt, ſiue Getis inferre manus, ſeu tendere ad Indos. *immetata.* non terminata, indiuiſa. *iugera.* arua. *liberas.* non vnius tantùm, ſed omnibus communeis. *longior*

annua. qui nō plus agri colunt, quàm quòd vnius anni ſufficit expenſis, permanentis ſedis incerti. *defunctumque.* liberatum. vt, magnis pelagi defuncte periclis. *æquali ſorte.* æquali labore. *vicarius.* alterius vice fungens, eò quòd labore laſſato alter ſuccedat in opere. *illic matre car.* parcit, obtemperat, fauet, nec ſunt odia nouercarum. *nec dotata.* dos eſt donum puellarū nubentium. Caſtitatem laudat exemplo barbarico, eò quòd dotem habent virtutē parentum, & amorem coniugum, quæ viros vitantes externos, ſeruant pudicitiam coniugalem. *nitido.* pulchro. *adultero.* quia non habet in adulteri amore fiduciam *certo fœdere.* certa copula & firma. *aut pretium mori.* mortem dicit præmium eſſe peccati. ſenſus eſt, & peccare eſt illis nefas, aut peccati pœna mors eſt. ô, aduerbium vocandi. *tollere.* remouere, ſedare. *ſi quæret pater vrb.* hoc eſt, ſi ſenatu vel conſulatu fungi, aut pater patriæ nominari, & eos titulos ſuis ſtatuis ſubſcribi, is tollat indomitam licentiam præſumendi, & illicita nō præſumat. *indomitam.* inſatiabilem. *refrenare.* coërcere. *licentiam.* cupiditatem. *clarus poſtgenit.* vt poſtea laudetur in filiis, ob ſeueritatis & correctionis inſtitutū poſteris admirandus. *quatinus.* quoniam: Nam quatenus aduerbium eſt interdum tēporis, interdum loci; quatinus verò coniunctio eſt tantùm. *heu nefas.* exclamatio. *incolumem.* quę facit incolumeis. incorruptam, nec ſine corrigentis diſtrictione ſeruatam. *ſublatam.* remotam, cauſa videlicet noſtrę malitiæ. *quid triſtes.* quid prodeſt nos de malis moribus conqueri, ſi non culpæ licentia pœna cōpeſcitur. *triſtes.* quia triſteis faciunt. *culpa.* licentia mali. *reciditur.* coërcetur. *quid leges.* vanas dicit leges, niſi moribus & honeſtate ſeruentur. *ſi neque feruidis.* nihil poteſt obſtare cupiditatibus, per quas non leges tantùm rumpuntur, verùm etiam natura rerum expugnatur lucri cauſa, quia nec inhabitabiles orbis regiones poſſunt prohibere commercia. *feruidis.* indicat ob calorem clima inhabitabile, ſcilicet zonam torridam. *Boreæ finit. lat.* vicinum. aliud clima frigidiſſimum commemorat ſcilicet Boreale, in quo eſt axis mundi. vt Virg. hic vertex nobis ſemper ſublimis. ab hoc etiam climate nobis propter gelu natura interdicto non abſtinet mercator. *durata ſolo.* in cryſtallum coactæ gelu nimietate & frigoris ſoliditate. *abigunt.* coërcent, cohibent, repellunt. *horrida.* timenda, aſpera. *callidi.* docti, ſcientes. *pauperies.* egeſtas. hanc dicit cupiditatem & vitiorum originem: Nam primùm, inquit, ob paupertatem; quod negatum mortalibus eſt elementum, nauigiis tentatum eſt; deinde ad maiora peruentū eſt; vnde & Virg. Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis, quæ tentare Tethyn ratibus, quæ cingere muris oppida, quæ iubeant telluri infindere ſulcos. *opprobrium.* hoc eſt, ex quo cœpit probro eſſe pauperies & diri criminis, per omne nefas diuitiæ quæri cœperunt. vt, & quem ſuaſiſſet egeſtas vile nefas. *virtutiſque.* quæ grata erat & amica viris fortibus & ſapientibus. *ardua.* magnæ. *in Capitolium.* offerendo diis. *clamor.* ſtrepitus popularis. *aurum inutile.* quia obeſt ſui amantibus. ordo eſt: Si bene pœnitet ſcelerum, eradenda ſunt elemēta proni cupidinis, & nimis tenerę mētes aſperioribus ſtudiis formandę, vel in Capitoliū quò vocat nos clamor & turba fauentium, mittamus gemmas, & lapides, & inutile aurum materiam ſummi mali, vel nos mittamus in proximum mare, &c. *materiam.* per Epexegeſin. *ſummi mali.* id eſt, auaritiæ, ex qua omnia vitia procreantur. *eradenda.* purganda. *cupidinis.* cupiditatis. *elementa.* exordia, occaſiones. *teneræ.* vagæ. Duplex eſt intellectus: vtrū puerorū menteis teneras & tenaceis dicat eſſe formādas ad aſperiora ſtudia, id eſt, fortiora: an certè luxurioſorū menteis teneras appellat, quas vult luxuriæ inſtrumentis abiectis, auro & gemmis, aſperioribus ſtudiis reformari. *ingenuus.* nobilis. vt, ingenui vultus puer, ingenuiq. pudoris. *ludere.* ad ludendum. Culpat Romanos, quos omiſſo exercitu [illegible], ad Græcos ineptos, luxurioſóſque ludos, [illegible] tranſiuiſſe commemorat. *Græco* à Græcis [illegible]. *trocho.* rota. *vetita* prohibita. *cum periura patr.* cùm patris familię fides, ad congregandā heredi pecuniā, perfida hoſpites fallat & ſocios. *conſortem.* ſocium aſſe. *indignóque.* hæc, inquit, quæ per ſcelus acquiruntur, congreganti nihil proſunt, dū relicta indignis hęredibus per luxuriā cōſumuntur, & malè parta, malè dilabuntur. *properet.* acceleret, & accumulet. *improbæ.* Inexplebiles, inexhauſtæ. *ſemper aliquid.* numquā tantū res creſcit, vt cupiditati ſufficere videatur; nā cupidini ſemper aliquid deeſt.

CRVQVIVS.

I*Ntactis opulentior.* Obiurgat diuites auaros, qui licet Indis Arabibúſq. opulentiores omnia poſſideant, tamen id nec tranquillos eos efficiet vnquam, nec mortis euadere neceſſitatem, ſed contrà, inſanire magis Scythis ipſis Getiſq. barbariſſimis, qui nulla priuati boni cura, quærunt in commune omnibus, annui tantùm victus ſolliciti, moribus animóq. compoſiti, arant, ſerunt, metūt æquatis laboribus diuitiiſq.; virtutibus maiorum dotatæ virgines nubunt, maritis per omnia morigeræ: æmulationes nullæ, caſta coniugia, nec ea violata niſi morte vindice. Quæ Romanis

vitæ

vitę ratio ſi cordi eſſet, non virtute neglecta ciuicę factiones & cædes omnia perturbarent: non eſſent vanæ leges, non iudicia vana: denique nõ impunita peccandi licentia, nec ditescendi ſtudium fureret indomitum: Itur ad omne latus mundi, non æſtus, frigora, niues, non vn ſola maria & ab orbe propè remota deterrent ab instituto curſu; conquiruntur, conuaſantur, conuehuntur opes, aurum, gemmæ, lapides, nihil'que intentatum relinquitur, dum pauperes ne ſint, maiorúmq. virtutis viam cogantur ingredi. Monet itaque vt hũc tandem vitæ modum pertæſi, mentibus eximant habendi cupiditatem, eiúſque fomenta conferant in vſus publicos, in ornatum ciuitatis, reíque publicæ conſeruationem, in educandis & aſperius formandis teneris liberorum animis, vt equitare, luctari, venari, non etiam trocho Græco, non alea vetita ludere ſciant, quæ recta via eſt ad fraudeis, fallicias, periuria, & improbas diuitias hæredibus exitio futuras. *intactis.* intactum eſt integrũ, incorruptum; intacta virgo manet. Catull. in Epithalamio. intactæ opes Arabum, quas Romani nondum inuaſerant. *diuitis Indiæ.* de Indiæ opulentia lege Strab. lib. 15. & Indoſcythica Becani. *cæmentis.* cæmenta pro ſtructionibus, ædificiis, prætoriis, quibus Romani terræ limitibus non contenti, mare quoque inuadebant. vide oden 1. lib. huius. *& mare publicum.* ſic habet cod. Bland. vetuſtiſſimus cum hac adnotatione, id eſt, latè patens, cui cum Sil. conſonat alius Bland. ſed tertius Bland. legit Ponticum, & ſupra ſcriptum, vel Apulicum. Maldeg. ſine litura, Apulicum. Diuxi, Ponticum, & ſupra, vel Punicum: Alij omnes Ponticum. Ex qua varietate lector deligat impunè quod animo ſuo collubitum fuerit. *necessitas.* fingunt poëtę neceſſitatem Parcarum matrem ſæuam inexorabilem. Philoſophis autem eſt æterna ſeries, rerum ita cohærentium, vt ne diis quidem eis liceat obniti. vnde illud eſt Maro. fata viam inuenient. lege oden 35. lib 1. *clauos.* hoc eſt, ſi fato mors ingruat, viamque capiti vitæque faciat, non te liberabunt tuæ diuitiæ licet ampliſſimæ. Sumta autem metaphora eſt ab annali clauo; qui figebatur in parietibus ædium ſacrarum per annos ſingulos, vt per eos numerus annorum colligeretur. Feſtus. *campestres.* in campis & agris ſub ſcenis, vmbraculis, & tentoriis victitantes, νομάδες: Quæ gens vaga dicta eſt à mutandis paſcuis, Plinio lib. 5 cap. 1. ὀνειδισμὸς auaritiæ Romanæ συγκριτικῶς, ab exemplo Scytharum: de quibus legito 35. oden lib, 1. *vagas domos.* hinc dicti ſunt ἀμαξοφόρητοι καὶ ἀμαξόβιοι. *immetata.* Agriculturæ Scythicæ & annui victus notatio. *& Cererem.* ἰσοζύγητοις. *nec cultura p.* hoc eſt, annum colunt, annum vacant à labore, ſed eis ſuccedit vicarius, id eſt, eorum in cultura vicem ſuſtens ad annum, hoc eſt, viciſſim laborant, viciſſim vacant à laboribus æquali ſorte, id eſt, æquali condicione annua. *illic matre car.* laus nouercarũ in priuignos ab innocentia & fideli cura. *priuignis.* ellipſis prępoſitionis à. *temperat.* abſtinet, hoc eſt, benefica & benigna mitiſq. eſt in priuignos. *innoces.* ex antitheſi collige nouercas nocẽteis & iniuſtas *nec dotata.* qui dotatã ducit, libertatẽ vendit: dotata nãq; plurimùm imperioſa eſt, ſatis ea dotata eſt quæ proba eſt *dos eſt magna.* Sic & Euripides, τῶν γὰρ πλούτων, οὐδ' ἄρεστος γενναῖον λέχος ἰσχεῖν, id eſt, optimę ſunt diuitię generoſam inueniſſe coniugẽ. *certo fœd.* conſtanti & indiuidua vitę conſuetudine. *ô quiſquis volet.* ἐπάνοδος ad inſtitutum κατ' εὐχήν. propter perpetuam ſeditionem, cædeiſq. reipubl. cõdolens Horatius, optat ſibi dari virum fortem, qui compeſcat inſanam effrenémq. ciuium licentiam, Scytharúmq. in morẽ cõponat politicũ ſtatũ, quo pater patriæ ſuæ ſtatuæ inſcribi, poſteriſq. immortalis eſſe poſſit. Latenter hortatur Auguſtum, ſi non legibus, vt armis in ordinem ciueis redigat: hoc enim eum feciſſe laudat ode 15. lib 4. vbi ait, Et ordinem rectũ euaganti frena licentiæ iniecit, &c. *licentiam indomi.* Licentia indomita præcipuè eſt in pecuniæ ſtudio, quod neque legibus, neque ſententiis, nec niſi vi & armis reprimi poſſe videtur; cetera certè, aut vſu tædioſa fiunt, aut ætate moleſtiáq. ſopiuntur aut pereunt: Auaritia verò cum ętate creſcit inſatiabilis. *clarus poſtgenitis.* ab opinione poſt mortem. præclarum ſanè benefactorum pręmium, vitæq. honeſtæ à poſteris laudari. Poſt genitis, dictum eſt, vt ode 28. lib. 1. poſt natis, ἐξοπίσω παισὶν. *quatinus.* quoniã, eſt enim cauſalis, comprehendens in ſe cauſam, cur is ſit apud poſteros futurus pręclarus, aut, vt notat Canterus noſter ex veteri codice, carus, qui nimiam licentiam populi cohibuerit: Quia nos, inquit, virum fortem, dum ſupereſt, habemus odio, mortuum requirimus extollimúſque. Enthymema ex oppoſitis. *quid triſtes quer.* vna legum pars eſt punire ſcelera; quæ ſi neglecta iacet, fruſtra queruntur boni regnare malos. *triſtes.* ab effectu: viris enim probis nihil triſtius eſt quàm malitiam non coërceri. hinc Menander apud Stobæ. οὐ παντελῶς δεῖ τοῖς πονηροῖς ἐπιτρέπειν, ἀλλ' ἀντιτάττεσθαι· εἰ δὲ μή, τ' ἄνω κάτω ἡμῶν ὁ βίος λήσει μεταστραφεὶς ὅλος. id eſt, omninò non concedendum eſt malis, ſed reſiſtendum; ſin minus, ſurſum ac deorſum vita noſtra inopinato tota peruertitur. *quid leges.* Erotema à contemtu legum. *ſine moribus.* hoc eſt, quibus mos non geritur, quibus non obtemperatur,

quæ telis aranearum ſimiles perrumpuntur à potentioribus, ὅπου ἀσθενέστερός τε, ὁ πλούσιος, ὧν τὴν δίκην ἴσην ἔχει, id eſt, vbi & pauperior & diues æquale ius non experiuntur, Euripide teſte. *vanæ.* contemtæ. inutiles *ſi neque feruidus* hoc eſt, ſi non regatur auaritia, certiſque limitibus habendi ſtudium contineatur. vnde cetera mala, ambitio, ſeditio, regnandi cupido ſumunt incrementum. *pars incluſa.* periphraſis Indiæ à torrida zona quæ incluſa eſt duobus tropicis Cancri & Capricorni. *Boreæ finitimum.* deſcriptio plagæ ſeptentrionalis ſub circulo arctico, vbi niues altiſſimæ, & ſolo, id eſt, in ſolum duratæ, equis, curribus, hominibus, iter facientibus. legito Sigiſmundum Liberum Baronem de rebus Moſcouiticis. *horrida callidi.* amplificatio ab vndis marinis, quas non formidat auarus habendi ſtudio. *magnum pauperies opp.* ἐπεξήγησις. Pauperies quæ habetur opprobrio, cauſa eſt auaro diuiti, vt neglectis legibus, viáque virtutis deſerta currat ad extremos Indos, per mare, per ſaxa, per igneis, niui atque borealem circulum. pauperies autem hic non eſt inopia importuna, quæ inimica bonis eſt moribus, ſed tolerabilis victus, qui viris fortibus ſatis eſt ad vitam tranquillam felicémque, meráque frugalitas in rapis & ligneis catinis Curianis, ἡ τροφὴ διδάσκαλος Menandro. *vel nos in Capitol.* hæc clauſula eſt per diſtributionem ab honeſto & vtili huius hypotheſeos; ſi bene nos pœnitet ſcelerum (vt certè pœnitere debet) vel in Capitolium mittamus gemmas, lapides, &c. vel in mare proximum, &c. *in Capitolium.* hoc eſt, diis conſecremus ad religionem, ornatum ciuitatis, & dies feſtos agendos, ludóſq. populo gratos. aut in Capitolium, id eſt, in ærarium Romani populi, ad eius defenſionem, tranquillitatem & duro tempore ſuſtentationem. in Capitolij faucibus erat Saturni fanum & ærarium populi Romani *vel nos in mare.* id eſt, in naualia quibus mare à piratis aut hoſtibus tutum ſit nauigationi. Mehercule non placet Horatium hic tam eſſe philoſophũ, qui tamquã Crates aliquis ignarus politiæ, neceſſitatiſque publicæ, velit aquis immergi pecuniam, nulli poſtea vſui futuram. *aurum inutile.* quo non vtimur propter abundantiam ſupra modum neceſſarium nobis & amicis. cuius vſus eſt inutilis & pernicioſus, materies ſummi mali, ambitionis, ſeditionis, dominatus, regni appetendi, &c. *ſummi materiem.* ſic habent omnes lib. ſcripti quos ſecuti ſumus. *eradenda cupid.* primordia, occaſiones & cauſæ praui cupidinis & auaritiæ ſunt animis radicitùs euellenda. *& teneræ nimis mentes.* per epexegeſin, hoc modo, eradenda ſunt elementa, id eſt, teneræ mẽtes ſunt aſperioribus formandæ ſtudiis; nam educatio liberorum & inſtitutio praua molliſque indulgentia à primis annis ſunt elementa & cauſæ omnis malitiei. Quare interrogatus Pythagoreus aliquis, τίς οὖν ἀρχὴ πολιτείας, ἦν ἔφη, τροφὴ, id eſt, quod nam eſſet reipubl. fundamentum: adoleſcentum educatio, inquit. Sunt itaque elementa eiuſmodi cupidinis eradenda, non inſtillanda certè teneris animis, ſed potius ſi infuſa ſint, legibus coërcenda, grauibúſque monitionibus & diſciplinis ſanioribus corrigenda. *neſcit equo rudis hærere.* expolit aſperiora ſtudia, quę vult eſſe equitationem, venationem, & id genus alia in Martio campo exercitia. *Græco trocho.* molliores hi ludi ſunt, à quibus deterrendos ait adoleſcenteis. *cùm periur. p.* Illuſtrat quod dixit, vetita legibus alea, quaſi nolit omnem aleam legibus vetitam, ſed eam qua fides patris periura ſocium fallere poſſit & hoſpites, hoc eſt, quæ non animi recreandi, ſed lucri turpis gratia tractatur damnoſa & rei, & nomini, vt quæ nec ſocio fidem ſeruet in rebus agendis tractandíſque, nec hoſpitalitatem inuiolatam. Non me latet hos verſus, cum periura patris fides, conſortem ſocium fallat & hoſpitem, dependere poſſe à ſuprà poſitis, putà, eradenda cupidinis praui ſunt elementa; quaſi patris periurium ſit ex iis elementis vnum, quo nolit exemplo patris imbui liberos; verùm alterius expoſitionis deductio mihi clarior apparet minúſque inuoluta. ſed deligat lector pro arbitratu, aut aliam commẽtetur. *conſortem.* ſocium ſortis eiuſdem in damno & lucro. *hoſpites.* ſic habent Blãd. cum Maldeg. Sil. alij hoſpitem. *properet.* properando accumulet. *curtæ.* pro cupidine auari, cui ſemper aliquid deeſſe videtur.

LIBERVM PATREM
inuocat Auguſti laudes dicturus.

Ode XXV. ἐρωτικὴ.

QVO me Bacche rapis tui
Plenum? quæ nemora, & quos agor in ſpecus
Velox mente noua? quibus
Antris egregij Cæſaris audiar
Aeternum meditans decus
Stellis inſerere, & concilio Iouis?
Dicam inſigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. non ſecus in iugis
Exſomnis ſtupet Euias,

Hebrum

Hebrum proſpiciens, & niue candidam
Thracen, ac pede barbaro
Luſtratam Rhodopen. vt mihi deuio
Ripas, & vacuum nemus
Mirari libet! ô Naiadum potens,
Baccharumq́ue valentium
Proceras manibus vertere fraxinos,
Nil paruum, aut humili modo,
Nil mortale loquar. dulce periculum eſt,
O Lenae, ſequi Deum
Cingentem viridi tempora pampino.

COMMENTATOR.

QVÒ *me Bacche rapis tui plenum?* Metrum conſentiens ſuperiori. Hac ode Liberum patrem inuocat, eò quòd & ipſe Muſicus deus ſit, petens ab eo, vt ſe in ſecreta nemorum ſuorum ducat, vbi numinis eius repletus Cæſaris Auguſti laudes dignè canat, ſignificans non ſufficere ſpiritũ ſuum laudibus Auguſti decãtandis, niſi numinis eius inſtinctu iuuetur. *tui.* ſupp. numinis. *agor.* ducor. *quos ſpecus.* in maſculino genere. dicitur & hoc ſpecus. *mente.* propter numinis pręſentiam. *noua.* homini inconſueta, attonita. *quibus.* grauiter pronunciandum. *decus.* conſecrationem intelligit. ordo eſt, quibus antris meditans audiar inſerere ſtellis & conſilio Iouis æternum decus egregij Cæſaris. *conſilio.* nam dij intererant conſilio Iouis. *inſigne recens.* admirandum & nouum. *indictum.* non dictum adhuc ab alio. *exſomnis.* vigilans per furorem poëticũ. *Euias.* id eſt, non aliter quàm Baccha proſpiciens Hebrum fluuiũ Thraciæ, aut Rhodopen mõtem regionis eiuſdem delectatur, quàm ego videns nemora ſcripturus Cęſaris conſecrationem in antris Muſicis. *vt.* quemadmodum. *deuio.* vaticinanti. repleti enim numinis per deuia agi, & à populo remota loca conſueuerunt. Deuium autem dictum eſt à via remotum. *Naiadum potens:* habens poteſtatem in Nymphas & Bacchas. *valentium.* tantum autem virium dicit ineſſe Bacchi cultricibus, vt arbores radicitùs poſſint euertere numinis inſtinctu. *proceras.* magnas. *nil mortale.* nil quod mortali conueniat, ſi me in tuos ſpecus ac ſecreta nemorum duxeris. *ô Lenae.* ô Bacche. *ſequi Deum.* repleri Deo. *cingentem.* coronantem.

CRVQVIVS.

QVò *me Bacche rapis tui plenum?* Fingit Horatius ob magnitudinem rerum geſtarum ſe laudibus Cæſaris deprædicandis imparem, ſed opus eſſe mente diuina, vt qui iam Diuus factus, ſit in conſilium deorum referendus. itaque Bacchico furore agitatum audere ſe dicit eum diis adnumerare, idq́ue carmine non prius audito, vt qui Baccharum modo per flumina, monteis, & ſiluas errantium, ipſe Bacchum ſubſequatur per deuia quæque loca trahentem, confidens eius numinis tandem ſe plenum, non humili mortalique præconio Cæſarem, ſed planè diuino immortalique celebraturum, vbi deus ipſe eius tempora viridi pampino coronauerit, diuinúmque poëtam effecerit. *quò me Bacche ra.* Horatius ἐνθουσιαστικῶς alloquitur Bacchum, ſeq́ue iam numinis eius plenum rapi clamitat per nemora, & ſpecus incognitos. Bacchus autem canitur à poëtis incolere ſiluas & nemora, inq́ue ſuo comitatu habere Nymphas, Satyros, Faunos, Tityros, Panas, eóſque docere: propterea quòd poëtarum eſt odiſſe quidem turbam & ſtrepitum, ſed amare ſeceſſum & ſolitudinem. Fingit itaque ſe iam eſſe de comitatu Bacchi, ab eóque doceri, quo poſſit ore laudare Cæſarem, quod à ſe fit conſultò, cùm vt honeſtè, vt ſæpius facit, ſe fateatur rebus magnis pro maieſtate deſcribendis à natura minus aptum, tum vt maledicis occurrat, qui calumnientur Cæſaris amplitudinem non deſiderare lyram, ſed tubas tibiáſque, hoc eſt, non lyricum, ſed carmen Epicum. *rapis.* verbum furenti conueniens. *aut quos.* ſic habent omnia noſtra ſcripta, non, & quos, vt libri vulgati. *in ſpecus.* ſic ode 19. lib. 2. Bacchum in remotis carmina rupibus vidi docentem, &c. quam legito. *velox mente no.* attonitus ob mentem nouo numine raptam. ſic & ode dicta, Euœ, recenti mens trepidat metu, plenóque Bacchi pectore turbidum lætatur. *antris.* per ellipſin τῶ ex, potius quàm τῶ in. alludit enim ad antra ſeu adyta deorum vnde reddebantur oracula: perinde ac ſi carmen hoc ſit vaticinium de Cæſare in deorum numerum adſerendo ex antris auditum. *æternum dec. Cæſar.* ipſum Cæſarem. *ſtellis inſerere.* per ἀποθέωσιν. *conſilio Iouis.* ſic omnes manuſcripti noſtri, per ſ, non per c conſonam. *dicam inſigne.* locus attentionis à rebus magnis nouis, & antea non dictis. *non ſecus in iugis.* argumentum à ſimili. *exſomnis.* ἄϋπνος. *Euias.* Baccha, nam *Euius* Bacchus nominatur. vide oden vndecimam lib. 2. *Hebrum.* Strabo lib. 7. Hebrum non fluuium, ſed amnem nominat. Solinus cap. 15. Hebrum, inquit, Odryſarum ſolum fundit, qui fluuius excurrit inter Briantas, Dolaucas, Thynos, Corpillos, alióſque barbaros; tangit & Cyconas, &c. naſcitur autem non procul

cul ab Adrianopoli ex Rhodope monte, labitúrque in Aegæum mare e regione inſulæ Samothraciæ, voluens aureas arenulas. *pede barbaro.* nimirum à Thracibus barbaris. *luſtratam.* perluſtratã & illuſtratam. Scribit enim Mela lib. 2. cap. 2. Monteis interior (Thracia) attollit Hemon & Rhodopen & Orbelon ſacris Liberi patris & cœtu Mænadum, Orpheo primùm initiante, celebratos, &c. *vt mihi deuio.* red ditio comparationis. Cod. Diuæ. Sil. & Mart. habent, ac mihi deuio. Videtur autem hæc eſſe ſententia: non aliter Baccha miratur Thraciam barbaro carmine illuſtratam & celebrem factam, quàm mihi libet decantare ripas & nemus vacuum, id eſt, Italiam réique Romanas deuio pede ſeu carmine lyrico. Nemo enim Latinorum poëtarum ante Horatium eo pede ſeu carmine eſt vſus; quare meritò ipſis erat deuiũ & inuſitatum, & nemus vacuum à tali ſcriptore. *ripas.* flumina. *vacuum.* deſertum, à tumultu & ſtrepitu liberum, ſemotum à populo. *ô Naiadum potens.* Apoſtrophe ad Bacchum, quem veneratur & laudat à potenti dominatu in Naiades comites & Bacchas Orgiorum miniſtras ſacerdotes. *fraxinos.* fraxinus arbor maritandis vitibus apta, Plinio teſte. *nil paruum aut hu.* plenus tuo numine, non humana, ſed diuina, non humili, ſed ſublimi carmine loquar: hæc faciunt ad laudem Cæſaris, qui & Diuus iam factus immortaliſque; & diuina eius geſta, non humanum, ſed diuinum carmen exquirunt. *dulce periculum.* προκατάληψις criminationis quam facit minimi, dum poſſit afflatus diuino ſpiritu cum diis verſari; & quaſi iam deus factus deorum conſuetudine præſentiáque dicere diuina. cum eo conſentit quod huius lib. dicit ode 4. me ludit amabilis inſania. *O Lenæe.* Lenæus Bacchus ἀπὸ τοῦ ληνοῦ. ληνὸς autem eſt torcular ἀπὸ τοῦ λεαίνω, tero, contero, premo, torqueo. Donatus ait Lenæum dici Bacchum à leniendo, quòd vinum mentem leniat: ſed errat meo iudicio.

AD VENEREM,
lyræ & amori valedicens.

Ode XXVI. προσευκτική.

VIXI puellis nuper idoneus,
Et militaui non ſine gloria:
Nunc arma defunctumq́; bello
Barbiton hic paries habebit:
Leuum marina qui Veneris latus
Cuſtodit. heic heic ponite lucida
Funalia, & vecteis, & arcus
Oppoſitis foribus minaces.
O, quæ beatam diua tenes Cyprum, &
Memphim carentem Sithonia niue,
Regina, ſublimi flagello
Tange Chloen ſemel, arrogantem.

COMMENTATOR.

VIXI *puellis nuper idoneus.* Metrum Alcaicum vt ſuprà. Hac ode videri vult iam renuntiare carminibus, lyra Veneri conſecrata; amaréque deſinere. *vixi.* extiti. *idoneus.* aptus amoribus. *militaui.* allegoricôs. militiam nunc amorem vocat. *non ſine gloria.* commendatione & gratia. *arma.* bene amoris arma lyram dicit: hac enim expugnantur animi puellarum feroces. *marina.* mari ortæ. vt, fas omne eſt Cytherea meis te fidere regnis, vnde genus ducis. verba Neptuni ad Venerem. Atque ideò Aphrodite eſt dicta ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, id eſt, ſpuma. & eſt ordo, qui paries marinæ Veneris læuum latus cuſtodit. *cuſtodit.* reſpicit. *funalia lucida.* luciflua. *vecteis.* hæc inſtrumenta amoris vult intelligi, quibus etiam faſtus puellarum contemnentium per vim ſuperantur. *oppoſitis.* clauſis. *Cyprum.* in Cypro enim inſula Venus præcipuè colitur. *Memphim.* Memphis vrbs Aegypti celeberrima, vbi Venus etiam colebatur. *Sithonia niue.* denſa, qualis iacet in Sithone Thraciæ monte. Eſt enim Aegyptus regio calida. vt, Sithoniáſque niueis hiemis ſubeamus aquoſæ. *ſublimi.* in altum ſublato ictu: quod fit dum quis vehementius vult ferire. & ideò Chloën, quia arrogans eſt, & ſuperba amantibus, vult percuti vna amoris plaga vehementi.

CRVQVIVS.

VIXI *puellis nuper idoneus.* Veneri & amatoriis valedicturus Horatius contentionibus in quibus fortem ſe validúmq. militem fuiſſe gloriatur, arma ſua, quibus eo in bello eſt opus, ei conſecrat à læuo eius latere ſuſpenſa fixáque parieti: Atqui blandè eam precatur, cuius arrogantiam ipſe ferociámque nullis armis expugnare, & ſuos in amplexus pellicere poterat, vt Chloën tangat, eiúſque amoris incurabili vulnere ſauciam reddat. *Vixi puellis nuper.* διατύπωσις glorioſi militis de armis ſe rebúſque fortiter in ſuo bello geſtis magnificè venditantis: ne cogi-

tato Horatium ætate, ſed Chloës amoris impatientia victum hæc ſcribere ſeriò, ſed vt his quaſi minis Chloës animum adhuc rigidum flectat erga te, morbiorémque ſolito efficiat. *militaui.* armis vſus ſum magna cũ laude. hæc verba Chloën inuitare poſſunt ad eiuſmodi arma pugnámque experiundã; allegoricôs autẽ ad lyricum carmen pertinẽt, cuius ipſe inter Latinos facilè princeps extitit. *arma.* amatoria nocturnis amoribus præcipuè ſubſeruientia. *barbiton defunctum.* ὀυ βαρβιτίσεται, iners eſt & ſurdus. *paries habebit.* tale eſt illud in Alexi Virgiliana, Et dixit moriens te nunc habet iſta ſecundum. *læuum.* læua, rebus in humanis parũ fauſta ſolemus habere, ſed in diuinis feliciora: Quòd Etruſca diſciplina in auguriis, in auſpiciis, quæ à læua apparebant, ea dextra Dei manu fieri ſibi perſuaſit antiquitas: itaque ad læuum Veneri parietem, qui deam precanti ex oppoſito ſibi dexter erat, amatoria iubet arma ſua figi; vt eam magis habeat propitiam, in amorem ſui Chloën pertrahendam. *marina.* hoc ei datur epitheton, quando ſperatur ex amore concubitus, ob humoris ſalſi pruritum; quòd ipſamet ex ſpuma ſalſa maris & Saturni genitalibus mox nata putatur. *vectes.* quibus & foreis & parietes noctu effringebant amatores à meretriculis non admiſſi: hinc eſt vita vecticularia, eorũ qui vectibus parietes alienos perfodiunt furandi gratia. Cato, vecticulariam vitam viuere, repentè largiter habere, repentè nihil.. *oppoſitis.* obiectis, aduerſis; nimirum occluſis. *ô quæ beatam.* προσευχὴ, precatur Venerem, Chloës vt percellat animum ſui amore. *beatam.* diuitem, opulentam. *tenes.* protegis & amplecteris. tres ſcripti lib. Bland. vnus, Maldeg. & Mart. habent, regis. *ſublimi flagello.* Quid ſi per flagellum ſublime caſtigationem intelligamus, qua velit è ſublimi, hoc eſt, numine Venereo Chloën affici, vt deponat arrogantiam, nimirùm, vteri geſtatione? hæc enim vna res, puellas laſciuiores elatioris animi perdomare, dictóque obedientiores efficere ſolet. at flagellum propriè eſt hic in amore inſania.

AD GALATEAM, dehortans nauigationem ab exemplo Europæ.

Ode XXVII. προσφωνητική.

IMPIOS *parræ recinentis omen*
Ducat, & prægnans canis, aut ab agro
Raua decurrens lupa Lanuuino,
Fetaq́; vulpes:
Rumpat & ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquum ſimilis ſagitta
Terruit mannos. ego cui timebo
Prouidus auſpex?
Antè quàm ſtantes repetat paludes
Imbrium diuina auis imminentum,
Oſcinem coruum prece ſuſcitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix, vbicumque mauis,
Et memor noſtri Galatea viuas:
Téque nec læuus vetet ire picus,
Nec vaga cornix:
Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion? ego, quid ſit ater
Hadriæ, noui, ſinus: & quid albus
Peccet Iapyx.
Hoſtium vxores, puerique cæcos
Sentiant motus orientis Auſtri, &
Aequoris nigri fremitum, & trementeis
Verbere ripas.
Sic & Europe niueum doloſo
Credidit tauro latus, & ſcatentem
Belluis Pontum, mediáſque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis ſtudioſa florum, &
Debitæ Nymphis opifex coronæ
Nocte ſubluſtri, nihil, aſtra præter,
Vidit, & vndas.
Quæ ſimul centum tetigit potentem
Oppidis Creten: pater ô relictum
Filiæ nomen, pietáſque dixit
Victa furore.
Vnde? quò veni? leuis vna mors eſt
Virginum culpæ. vigilánſne ploro
Turpe commiſſum? an vitiis carentem
Ludit imago
Vana, quæ porta fugiens eburna
Somnium ducit? meliúſne fluctus
Ire per longos fuit: an recenteis
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc iuuencum
Dedat iratæ: lacerare ferro, &
Frangere enitar modò multùm amati
Cornua tauri.

Impudens liqui patrios Penateis:
Impudens Orcum moror. ô, Deorum
Si quis hæc audis, vtinam inter errem
Nuda leones.
Antè quàm turpis macies decenteis
Occupet malas, teneræq; ſuccus
Deſluat prædæ, ſpecioſa quæro
Paſcere tigreis.
Vilis Europe, pater vrget abſens:
Quid mori ceſſas? potes hac ab orno
Penaulum, zona bene te ſecuta,
Lædere collum.
Siue te rupes, & acuta letho
Saxa delectant: agè, te procellæ
Crede veloci: niſi herile mauis
Carpere penſum
Regius ſanguis, dominæq; tradi
Barbaræ pellex. aderat querenti
Perfidùm ridens Venus, & remiſſo
Filius arcu.
Mox vbi luſit ſatis: abſtineto,
Dixit, irarum, calidæq; rixæ,
Cùm tibi inuiſus laceranda reddet
Cornua taurus.
Vxor inuicti Iouis eſſe neſcis?
Mitte ſingultus: bene ferre magnam
Diſce fortunam: tua ſectus orbis
Nomina ducet.

COMMENTATOR.

IMPIOS *parræ recinentis omen.* Metrum Sapph. cum Adon. Amicam peregrè profecturam dimittens inuitè, timet ne malis pergat auſpiciis, & optat vt impij potius, quàm ipſa, augurio auis parræ, vel ceterorum quæ ſubiicit, proficiſcantur: atq. ita nititur eã reuocare ab itinere inſtituto. *parræ.* parra eſt auis parua. *prægnans.* quæ mali eſt ominis. *raua.* fulua, vel ab oculorum cólore vel crinium. rauus autem color dicitur niger cum fuluo miſtus. *fetáque.* grauida; nã & hæc eſt ominis mali. *ſi per obliquũ.* à ſerpentis celeritate, qua etiam bruta deterret. *mannos.* equos paruos, burdos, ſiue buridos. Mannus autem dicitur, quòd manſuetudine manuum familiarius ſequatur. *ego.* deſertus ab amica. *prouidus.* ſollicitus. *auſpex.* peritus obſeruationis auium. *ſtanteis.* quietas, non fluenteis. *diuina auis.* cornicem diuinam dicit, hoc eſt, præſciam imbrium imminentium. vt, tum cornix plena pluuiam vocat improba voce. *coruum.* dicit ſe ab ortu ſuſcitaturum coruum ad felicitatem Galateæ. *oſcinem.* oſcines quædam dicuntur aues quæ voce faciunt augurium: Præpetes autem quæ volatu. vt Virg. Qui volucrum linguas & præpetis omnia pennæ. *ſolis ab ortu.* Nam ab ortu ſolis omnia corui proſpera ſunt, ab occaſu aduerſa. *ſis licet felix.* ordo eſt, Galatea ſis felix & memor noſtri, licet viuas vbicumque mauis: hoc eſt, etſi ſine me eſſe mauis, ſis felix tamen. *Téque nec læuus.* à ſiniſtra picum mali ominis dicit, & vagam volatu cornicem. *vaga.* incerta, vagabunda. *trepidet.* properet, feſtinet in occaſum, cum magno ventorum & maris fremitu. *pronus.* vergens in occaſum. Orion ſidus eſt tempeſtuoſum; & quia amicam non valet precibus, conatur retinere minis tempeſtatis. vt, dum pelago deſæuit hiems & aquoſus Orion. *ater.* noxius. *Adriæ noſſi.* dicit ſe noſſe futuræ tempeſtatis ſigna, vel ex Adriatici maris ſono, vel ex flatu vẽti Iapygis, qui ex ſereno cælo ſubitam facit tempeſtatem. *Iapyx.* ventus flans ex Apulia. *peccet.* aut propter erectionem fluctuum, aut calorem nubiũ vacuarum. *hoſtium vxor.* imprecatur tempeſtatem vxoribus & liberis hoſtium. *cæcos.* improbos. *trementeis.* commotas. *verbere.* impetu vẽtorum & fluctuum. *ſic & Europe.* ab exemplo Europæ. Quemadmodum, inquit, tu præſumtuosè ſumis peregrinationem, ſic & Europe præſumtuosè credidit niueum latus doloſo tauro, & vide quid paſſa ſit. *niueum.* pulchrum. *doloſo.* falſo, fraudulento. *tauro.* Ioui in taurum mutato. *ſcatentem.* repletum, frementem. *mediáſque.* non fraudes medias, ſed in medio dolo cognitas, non antè repertas. *palluit.* vehementer timuit; id quod efficitur poſuit pro efficiente. *audax.* quæ prius fuerat audax ſe credere boni, tunc timuit & palluit. *ſtudioſa flo.* quæ Nymphis ſtudebat facere floreas coronas. *opifex.* artifex. *ſubluſtri.* lucida, ſerena. *quæ.* Europe. *ſimul.* mox vbi. *tetigit.* attigit. ordo eſt, quæ ſimul ac tetigit Creten potentem centum oppidis, dixit, ô pater & pietas, & relictum nomen filiæ. *relictum.* ſupp. à te. *pater.* verba ſunt Europę ingemiſcentis. *vnde? quò veni?* vt, quò feror, vnde abij? *leuis vna mors.* quantò minus virgo peccare debet, eò peccans dignior eſt maiori ſupplicio: leuior ſiquidem mors eſt, quàm culpa pudoris. vt Virg. ferróque auerte dolorem. *culpa.* culpa hic eſt amiſſio pudoris. *vigilánſne plo.* ſic incredibile dicit factum, vt etiam ſibi ſomnio ſimile videatur. *imago.* imago pro inſomnio. vt, ſi numquam

fallit

ſallit imago: & eſt ſenſus, an ſum ſine vitio, an hoc potius ſomnio? *porta*. per quam ſomnia vana æmittuntur. vt, altera candenti perfecta nitens elephanto, ſed falſa ad cælum mittunt inſomnia manes. *meliúſne*. ſemetipſam increpat. *carpere*. colligere ad honorem Nympharum. *infamem*. malitioſum, mihi infamem. *dedat*. tradat. *lacerare ferro*. vt, non potui abreptum diuellere corpus & vndis ſpargere? Quod dixit, vt indignationem ſimilis ſexus indignatione monſtraret. *modò*. dudum, paullò antè. vt, quem modò nauali Mneſteus certamine victor conſequitur. *impudens*. turpiter nomen pro aduerbio. *Orcum moror*. mortem retardo: quaſi dicat, eadem impudentia viuo qua patriam reliqui. *ô Deorum*. interiectio inuocantis. *inter errem*. tmeſis, pro errem inter leones. *nuda*. ſine auxilio, velut offerenda ſæuitiæ ferarum. *turpis*. quæ turpeis facit. optat perire ante tempus. *decenteis*. pulchras. *occupet*. inuadat. *teneraq́*. ſpecioſæ. *ſuccus*. vigor & pulchritudo corporis ſignatur. vt, corpus ſolidum & ſucci plenum. *defluat*. dilabatur. *præda*. iam ſe prædam fieri quærit tigribus. *vilis*. ſcilicet perdita virginitate. *vrget*. inſequitur. *Zona*. tamquam quæ adiutura ſit mortis neglectæ conſilium. *ſiue te rupes*. ſiue manis præcipitio dari. *letho*. morti, pro ad lethum. *te procella*. vento & mari; tamquam quæ debeat magis ſe tempeſtatibus tradere peritura, aut præceps per abrupta demitti, quàm dominæ alicuius imperium ſeruiendo perferre. *crede*. iniice, immitte. *regius ſanguis*. regia proles. *pellex*. concubina, connuba. vt exaggeret feritatem barbaricam, addit pellex, id eſt, quæ me ſic inſequetur vt pellicem, timens ſibi ob meam pulchritudinem. *perfidum*. doloſum. epitheton Veneris. perfidùm ridens: eò quòd rideret eam imagine iuuenci deceptam, & quaſi veræ pecudis concubitu illuſam. *remiſſo*. tamquam qui Europę iam pudorem expugnaſſet. *luſit*. inſultauit. *abſtineto*. ceſſa à caliditate & ira, id eſt, poſtquam paſſa eſt illam diu caſus ſuos conqueri, dixit, abſtineto irarum, &c. *calidæq́ rixæ*. ex calore & commotione animi venientis. *cùm tibi inuiſus*. Ironicè: quia minata fuerat ſe cornua tauri fracturam: quaſi dicat, non lacerabis eum, cùm ſe rurſus tibi obtulerit. *inuiſus*. odioſus. *mitte*. omitte. *ſectus*. diuiſus; eò quòd vna pars orbis Europæ nomen habet, altera Aſia, tertia Africa dicta eſt. vt, Europa atq. Aſia pulſus. *nomina ducet*. tuo nomine appellabitur. vt, vnde genus ducis.

CRVQVIVS.

IMpios parra recinentis omen.] Galateæ nauigio peregrè profecturæ precatur omnia fauſta feliciáq;, at ſceleratis & impiis imprecatur quęcũque ſunt iter faciẽtibus ominoſa, pollicetúrq. auguria ei ſiniſtra ſe precibus auerſuru, coruúmq. prius ab oriente vocaturum, quàm vel picus vel cornix appareat, aues tempeſtatum nunciæ: ſed obſecrat, vt, vbicumq. terrarum viuet, ſui non obliuiſcatur. Ceterùm in diſceſſu, cùm nequeat, vt fit, ab ea diuelli, profectionẽ diſſuadens, inducit ei in memoriam pericula nauigationis ab Orionis occaſu tempeſtuoſo, ab Adriatici maris vndoſo ſinu, ab Iapyge vento procelloſo: ſed ea quoque, ne quid ipſa ferat incommodi, cupit ab ea verti in hoſtium coniuges liberóſq. at interim non parum metuit, ne velut Europe altera in medio curſu monſtris territa marinis, ſuæ temeritatis ipſam pœniteat: néve memor præteritæ conuerſationis agens apud alienigenas aliquando doleat patrémq. patriámq. reliquiſſe; vnde tandem vitæ pertæſa, aut ſuſpendium optet aut præcipitium. *impios parra rec*. Exorditur ab inſinuatione, ne primo mox obtutu percipiat Galatea, profectionem ſibi diſſuaderi: enumeratio namq. ſignorum, quæ faciẽtibus iter, eſſe ſolent ominoſa, poſſet eam ab inſtituto deterrere: ſed artificiosè hoc mitigatur auerſione in impiorũ capita. *parra*. Plinio lib. vndec. cap. 37. parræ aui in capite corniculatus eſt apex, vt phaſianis, inauſpicatúſque, quæ Syrio oriente ipſo die nõ apparet donec occidat. lib. 18. cap. 29. dicta autẽ parra ab antiquo verbo parreo, pro pareo, id eſt, appareo: ea namq. auis ſuo cantu ſæpius prætereũteis ad ſe cogit aſpicere, quare ſæpiꝰ apparere dicitur. *ducat*. dux ſit itineris, nimirũ vt malè pereant. *raua*. fulua, nigricans: Nã fuluus color, ſi obtuſus quodammodo eſt, inquit Thyleſius lib. de colorib. cap. vndec. atque obſcuratus, vocatur rauus. ſic Horatius & lupum appellauit, cuius colorem noto magis verbo plerique omnes fuluũ dixerunt, &c. *fetaq́*. vnus Bland. habet, pęſtáque. alius Bland. ferráq. *volpes*. Varro lib. 4. de Latina lingua ex Aelio, & eius ſequaces, volpes interpretantur quaſi volipes, perinde acſi currẽdo videatur volare pedibus; quod quàm ſit abſurdum iudicent venatores: quin potius dicemus à Græco deriuari ἀλώπηξ, αἰολικῶς Fαλώπηξ, per digãma valopes, vnde poſt factũ eſt, volpes. De auguribus & ſignis inauſpicatis legito Alex. ab Alexãd. lib. 5. cap 13. *rumpat*. impediat; infauſtus ſit quidem impiis, tibiq. huius fortaſſe profectionis auctoribus comitibúſq;, ſed te ab inſtituto deterreat. *ſerpens ſimilis ſagittæ, ſi per obliquum terr. mannos*. periphraſis ἀκοντίας ſerpentis, qui Latinè quoq. iaculus dicitur, qui in modum ſagittæ ex ramis arborum in viatores ſe vibrare ſolet, auctore Plinio, lib. 8. cap. 23. iccirco ait Horatius per obliquum,

nimirum ex herbis vel arboribus viæ adſitis. *ſi.* τὸ ſi, Lamb. exponit, cùm. Ego malim eſſe cauſalem particulā, hoc modo: quia ſerpens ſimilis ſagittæ, ſeu iaculus, per obliquum terruit mannos, rumpat iter inſtitutū: videtur enim ſignificare, quibus ad naueis vecta fuit, mannos à iaculo ſerpente territos fuiſſe, quo terrore ſperat iter iri ruptum. *ego quid timebo.* variant hic cod. Bland. antiquiſſ. habet cui, cum litura, & ſuprà notatū, aliàs, quid. alius habet, cur. tertius cum reliquis omnibus habet, quid, quos ſecutus ſum in hanc ſententiam; quid ego prouidebo pro auſpicio timendum vitandúmque? *oſcinem coruum.* Oſcines aues quaſi oricines, quæ ore canentes futura prænunciant, vt coruus, cornix, noctua, aliæ ſunt præpetes quæ ſe ante auſpicantem ferunt, ſeu volant, nā præpetere dicebant antiqui pro anteire. Feſtus, Agell. lib. 6. cap. 6. *ſolis ab ortu.* hoc eſt, precabor vt ab ortu ſolis coruus clarè occinat, non etiā glotiat velut ſtrāgulatus quod eſt inauſpicatū, nec ab occaſu canat, quod eſt exitiale. *ſis felix.* προσευχὴ τῆς εὐπραξίας, quæ valedicendi benéq. precandi formula eſt. *ſis licet felix.* ſunt qui hoc enarrant, licet tibi eſſe felici, quod etſi non confutem, tamē amplecti malim ſimpliciorem Cōmentatoris ordinem, nimirū, ò Galatea ſis felix, & memor noſtri licet viuas vbicumq. mauis, ſupp. quàm nobiſcum. *vetet.* ſic habent omnia ſcripta, non vetat; & eſt modi potentialis, id eſt, vetare poſſit. *picus.* de pico, qui Martius cognomine, nec non arborarius Plinio dicitur, vide eundem lib. 10. cap. 18. Plutarcho autem in vita Numæ, πῖκος καὶ φαῦνος δαίμονες, hoc eſt, Picus & Faunus dæmones, id eſt, numina quædam Italiæ, quibuſcū verſabatur Numa. *ſed vides.* ἐπανόρθωσις. qua ſuadet ne proficiſcatur, ab occaſu Orionis turbulento *pronus Or.* vergens ad occaſum, nimirum, ſub Decembrem: totus enim Orion occidit exoriente Sagittario in Decembri. *quid ſit.* quàm ſit periculoſus. *noui.* ab auctoritate. *albus.* ἀργέστης, ἰάπυξ. vide oden 3. lib. 1. Argumentū diſſuaſionis ab impetu ventorum. *hoſtium vxores.* exprimit miros amoris affectus, primùm ex obſeruatione dicit auguria non eſſe inauſpicata, & ſi qua ſint occulta ſe precibus auerſurum: deinde valedicit, eíq. precatur omnia felicia: poſteà rurſus ponit ob oculos pericula à ſideribus, ventis & vndis maris Adriatici, quibus eam conatur à propoſito diuertere. Poſtremò, animaduertens eius conſtantiā, ne beneuolētia & amore excidat, hoſtibus imprecatur hæc pericula: At non deſinit tamen ad finem vſque dehortari profectionem ab exemplo Europæ. *hoſtium vxor.* abominantis ſunt hæc verba, quibus imprecatur hoſtibus, quicquid in nauigando periculi Galateā lædere poſſit.

vide adag. ſi quid mali, in Pyrrhā. *orientis Auſtri:* ſic habēt omnes & ſcripti & vulgati libri quos vidi, nec ineptè reſpondet Auſter Iapygi præcedenti ad vndas cōcitandas: Quare miror Lambinū legere Hædi. *nigri.* tempeſtuoſi. *ſic & Europe.* operosè multúmq. deſcribit Horatius incōmoda maláq;, quibus Europe obiectata fuit, eò quòd nimis temerè ſe tauro blandienti crediderit: hanc ob cauſam mihi perſuaſerim Galateā peregrini alicuius amore captam, vel inuitis parentibus & amicis hanc inſtituiſſe profectionē, à qua vt deterreat, amicorum fortaſſe gratia, tam varius hic eſt & tam artificioſus. De Europa Agenoris ex Telephaſſa coniuge filia, cum fratribus Cadmo, Phœnice & Cilice, Apollod. lib. 3. & Palæphatus. *tauro.* hoc ad fabulam pertinet de Ioue in taurum mutato. At Palæphatus virum quendam Cretenſem Taurum nominatum fuiſſe ſcribit, qui ex Tyrrhena regione cū ceteris puellis Europā quoq. regis filiā abduxit captiuam. Alij qua vecta eſt naui fuiſſe tauro nomen ferunt. *Pontum.* Boſphorū Thracium apud Byzantium: ſic dictum à bouis trāſitu vel geſtatione in tergo Europam ferentis. *palluit.* expauit, ἐνεργητικὸν, actiuū, cùm ſit alioqui neutrū. ſic Ouid. 2. Metam. de Europa. pauet hæc, littúſque ablata relictum reſpicit, & dextra cornu tenet, altera dorſo impoſita eſt, tenues ſinuantur flamine veſtes. *nuper in pratis.* amoris occaſio, otiū, licētia, & nimia parentū indulgentia. ſic Ouid. 2. Metam. iuuenci littora magna petunt vbi magni filia regis ludere virginibus Tyriis comitata ſolebat. hoc initium eſt narrationis fabuloſæ à luſu & ſtudio puellari. *debita.* ex promiſſo. *aſtra prater.* ἀναστρέφων dū tergo bouis vecta traiiceret pontum. *centum teti poten. opp.* C. Ilia β Κρήτην ἑκατόμπολιν. & Virg. Creta Iouis magni medio iacet inſula pōto, centum vrbeis habitant magnas vberrima regna. *pater ò relictum.* exclamatio Pathetica. ô nomen pater, per epexegeſin, relictum filiæ, id eſt, à filia, vt ſit caſus ſeptimus. *furore.* inſano amore tauri. *vnde? quò veni?* Erotemata inciſa vehemētiam doloris, & mētis emotionem denotant. *leuis vna.* hyperbolicôs: quaſi propter amiſſam virginitatē digna ſit mille ſubire morteis. *culpa.* ad culpā luendā violatæ virginitatis inſciis parentibus. *an vitiis carent.* an inculpata, ludificor phantaſmate? *porta fugit eb.* de ſomnij portis apud Hom. Odyſſ. τ & Virg. lib. Aen. 6. *melius ne fluctus.* hoc eſt, dulcius ne mihi iucundiúſve fuit traiicere pontum, an ſerta Nymphis florea cōponere? dolor ingens ex memoria vitæ anteactæ. *ſi quis infam.* ὑπόθεσις ἐρωτικὴ: in qua mirè ſubſeruit poëta decoro perſonæ. *iuuencum.* taurū. *tauri.* Bland. omnes habent, monſtri. cū adnotatione, alià: t

ri.ſed Mart.Maldeg. & Sil. monſtri, ſine adnotatione. Diuæ. habet, tauri. cum vulgatis: τὸ monſtri certè non diſplicet: & neſcio meliú ne quadret ira percitæ fœminæ. *impudens linqu.* querela facti vitæq́. impudentis & inuerecundæ: perinde acſi dicat, non puduit eſſe impiá in patrios penateis; nunc quoq. non pudet eſſe impiá in Plutonem, quē mea vita morte digna iudiſico. *ô deorum.* exclamatio exclamantis vitā, ſibíque crudele genus mortis imprecantis facti pudore. *antequam turp.* ab effectu: Nam vt ſenium deturpat faciem, rugoſamq́. facit, ita & dolor nimius ſua macie. *prædæ.* mihi quæ præda feris eſſe deſidero, dum ſuccus adhuc eſt integer caróque ſolida paſcēdis tigribus. *vilis Europæ pater.* Eraſmus primus, quod ſciam, indicauit hic Europę caſus eſſe datiui, quē ſubſecutus eſt Glareanus: ego certè ita ſcriptum inuenio in omnibus cod. Bland. & Diuæ. itaq. iam olim vulgati libri, in quibus Europe, per e vocalem legitur, ſunt emendandi, vt ſentētia ſit, pater vilis Europę, id eſt, vilipenſus, vili habitus, neglectus, &, vt ſuprà, relictus ab Europa, abſens quidē corpore, ſed in animo cogitationéq. præſens, vrget, increpat, perſequitur, mortem minatur, &c. *quid mori c.* cur tibi mortē conſciſcere differs? hæc per increpationē legenda ſunt. *potes hac ab orno.* hoc eſt, potes aut ſuſpendio mori aut præcipitio. *hac ab orno.* quam in marinis rupibus demonſtrabat, vbi in littore fortaſſis à Ioue ſtuprata fuerat: Gaudent enim orni locis ſaxoſis, ex ſententia Virg. 2. Georg. naſcuntur ſteriles ſaxoſis montibus orni. *Zona bene te ſecuta.* cingulo ſeu cinctu veſtium, quá zonam per quandam proſopographiam laudat, tamquā fidam comitem: in odium zonæ virginalis, quæ per ſtuprum eá deſeruerat: hinc zonam ſoluere dicitur virgo, quæ admittit marem. vt Hom. Epigrā. λύσει δὲ παρθενικὴν ζώνην. *& acuta ſaxa.* epexegeſis. *leto.* ad letum. caſus ſeptimus. *delectant.* hoc eſt, ſeu mauis ex ſaxis in mare te dare præcipitem. *age.* hortantis. *te pro. crede.* præcipita te in mare procelloſum, eiq. conſecrato tuā vitam. *niſi herile mauis.* periphraſis ſeruitutis, id eſt, niſi mauis in ſeruitutem tradi dominæ barbaræ, eiúſq. iuſſa exequi. *herile.* abs hera imperatū. *carpere penſ.* in fila ducere lanam, quæ tibi fuerit appenſa, id eſt, certo pōdere tradita: penſum enim pro appēſum dicitur: hinc eſt perſoluere penſum, debitū facere officium. vide adag. perſoluere penſum. *regius ſanguis.* ἔμφασις ἐξ ἀντιθέτου ſeruitutis; erat enim filia Agenoris regis Phœnicū. *aderat querenti.* aduerte huius odes epilogū mirè artificioſum, idq. ex artis præcepto, quod ad Piſones ſcribit, nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus inciderit. ſic in hac Europę querela, quæ quādam Tragœdiæ formam referre videtur, inexpectatò fingitur adeſſe Venus cum filio, quæ iam propè deſperanti, ſecúmque quid ageret deliberanti Europæ reddit animum, benéque ſperare iubet, vt quæ iam ſit vxor Iouis. *perfidum rid.* ἀντιμετρία, pro perfidè, καταμειδιῶν, ludo habens Europā. *remiſſo arcu.* prius enim adfuerat tenſo arcu, cùm ſuo telo tangeret eius animū, incenderétq. amore tauri. *abſtineto dixit.* ſolatur & monet, ἠρεμικῶς, animi ſedatioris, vbi taurus ei ſua fortaſſe cornua reddet lacerāda. *vxor inuicti Iouis.* ἀγανάκτησις μετὰ ἐπιπλήξεως, vt ſentētia ſit, neſcis eſſe inuicti Iouis vxor, id eſt, neſcis te gerere tāquam Iouis vxorem; quaſi dicat, indigna es Iouis coniugio, quē tu taurum tibi optas, inſulſa, lacerandū dari: aut eſt ἐρώτημα cum admiratione ignorationis Græco more, hoc modo. vxorem Iouis inuicti te eſſe neſcis? τοῦ Διὸς γυνὴ οὖσα, οὐκ οἶσθα; quod ſis Iouis vxor, hoc neſcis? *bene ferre mag.* cōſolatio à felicitate ſumma: diſce ferre ad phraſin Græcam μάνθανε εὐτυχῶν. *tua ſectus.* conſolatio à maximo præmio virginitatis amiſſæ.

AD LYDEN DE Neptunalibus ſacris.

Ode XXVIII. παραινετικὴ καὶ συλλογιστική.

FESTO quid potius die
Neptuni faciam? prome reconditum
Lyde ſtrenua Cæcubum,
Munitæq́, adhibe vim ſapientiæ.
Inclinare meridiem
Sentis, ac, veluti ſtet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli conſulis amphoram.
Nos cantabimus inuicem
Neptunum, & virides Nereïdum comas:
Tu curua recines lyra
Latonam, & celeris ſpicula Cynthiæ:
Summo carmine, quæ Cnidon,
Fulgenteiſq́, tenet Cycladas, & Paphon
Iunctis viſit oloribus.
Dicetur merita Nox quoque nenia.

COMMENTATOR.

FESTO *quid potius die.* Metrum dicolon, priore Glycon. altero Aſclepiad. Lyden amicam alloquitur, interrogans quid ſit agēdum ſacro die Neptuni,

Neptuni, potius quàm hilariter viuendum. *prome.* hauri, deter. *ſtrenua.* cita. parca, fidelis. *munita.* tutæ, quæ nulli caſui ſubiecta eſt. *vim.* acumen, augmentum; quod per vinum acquiritur. *inclinare.* labi in occaſum ſine lætitia. *ac veluti ſtet.* hortatur ad celeritatem promendi, dicẽs breuitatem diei, moræ impatientem. *parcis.* cellas. *horreo.* penu promtuario. *Bibuli.* proprium nomen: Quod Bibuli conſulatu reconditum eſt. *inuicem.* ſinguli viciſſim. *virides.* aquæ marinæ ſimileis. *recines lyra.* iterum canes *Latonam.* Dianam, eſt enim trinominis, Luna, Diana, Proſerpina. *celeris.* celeriter vulnerãtis. *Cynthiæ.* à Cyntho monte. *ſummo.* ſupremo. *Cnidon.* nomen ciuitatis in Caria. *fulgenteiſque.* fortunatas. *Cycladas.* nomina inſularum, quas Venus cygnis vecta circuit. *oloribus.* Venus fingitur vehi cygnis. *nenia.* carmine. *merita.* conuenienti, ſoporifero; quia nox ſomno conſecrata eſt. Nenia etiam carmen eſt quod mortuis cantabatur in honorem inferorum. nenia noctis, carmen ſomnolentum.

CRVQVIVS.

F*Eſto quid potius die.* Quando Neptuni feſto die nihil ſit quod agat optatius, inuitat Lydẽ vt hilariter ſecum viuat, vinum prius acceleret, quàm dies auolet, depromere Cæcubum: id poſtulare Neptunalia, non vt ſapiant, ſed vt alternis cantionibus reficiant animos, agántque iucundè. quare ſe quidem Neptunum cum ſuis Nymphis decantaturũ dicit, dum illa ad lyram Latonæ laudes à venatione reſonet. at ambos ſupremo carmine vult encomiis Venereis operam dare, donec ſuas ipſa nenias Nox audiat. *feſto quid p.* Erotema deliberantis eſt de re certa: ita namque ferè fit in otio, vt ſodaleis interrogemus ea de re quam & apud nos ſtatuimus, & eis non ingratam fore iudicamus. *prome.* hortatur Lyden, quaſi ex conuento, puellam ad genialiter viuendum commodiſſimam, vt vinum promat: fuere autem Lydi libidinis inſatiatæ & mollitiei notabiles, Athen. auctore lib. 12. *ſtrenua.* antimeria, pro ſtrenuè, mox. *munitæ adhibe vim.* expugna vino lætitiáque caſtra ſapientiæ, facito vim eius ſatellitibus vt loco cedant, valeant curæ, grauitas, ſeueritas, temperantia, moderatio, ſobrietas, ſiccitas, frugalitas, &c. munita namq. dicitur eius ſapientia, qui per vinum nondum ſecreta pectoris aperuit, ἐμφερῶς. *& veluti.* ſic habent duo Bland. & Diuæ. ſine vlla litura, & eſt ellipſis τῦ tamen. Arguit incuriam & inanimaduertentiam Lydes in notandis diei momentis velociter prętereuntis. *deripere.* ſic in omnibus manuſcriptis præter Mart. vbi diripere ponitur. *ceſſantem.* reconditam. Nota temporis à conſulatu Bibuli anno vr. con. 694. anno poſt natum Horat. 5. hic autem Bibulus aliis M. Calpurnius, aliis L. vocatus eſt. vide Comment. Sigonij in Faſt. Conſula. & Sueto. in vita Iulij Cæſaris. *inuicem.* Mart. habet in viceis, ſeparatim. Maldeg. inuiceis coniunctim, ſed ineptè. *Neptunum.* in honorem diei feſti. *Nereidum.* Nereides filiæ Nerei dei marini ex Doride. vide dictionarium Perotti. *Latonam & celeris ſpic. Cynt.* Latoniam Dianam in Cyntho monte celeribus iaculis feras ſectantem. has autem Latoniæ Dianæ decantandæ parteis Lydæ tribuit, perinde ac ſi velit Horatius notare Lyden venari quidem amores, ſed opus eſſe Diana duce in iis captandis. *Cynthia.* Cynthus mons Deli inſulæ: vnde & Apollo Cynthius. *ſummo car.* ſupremo ſeu vltimo carmine Venerem celebrabimus à locis ei ſacris. *Paphon.* Paphos vrbs in Cypro clariſſima, vnde Paphia Venus nominata eſt. *iunctis viſit oloribus.* per olores iunctos quibus currus Veneris trahi fingitur, non obſcurè notat Venereum carmen iunctim canendum, idque fore ſupremũ: ait enim noctem deſiderare ſuam neniam, quaſi velit in gremio Lydæ velut in cunis vagire ſopiríque. & neſcio an alludat ad τὸ νύννιον, τὸ ἐπὶ τοῖς παιδίοις καταβαυκαλώμενον, auctore Heſychio, id eſt, ad eam cantionem qua nutrices vti ſolent in infantibus ſopiendis, dum vagiunt, demulcendíſque, quales voces ſunt ni na, la la. hæc noſtra de Nenia noctis ſententia eſt. de nocte autem quæ putata aut habita dea eſt antiquis, nihil huc facere credo. iudicet lector. Ceterùm de Nenia puerorum, lege adnotata in lib. 1. Epiſto. 1. ad eum locum, Roſcia, dic ſodes, melior lex, an puerorum Nenia, &c.

AD MÆCENATEM, inuitans eum ad cœnam hilarem.

Ode XXIX. προσφωνητικὴ ἢ παραινετική.

TYRRHENA *regum progenies, tibi*
Non antè verſo lene merum cado
Cum flore, Mæcenas, roſarum, &
Preſſa tuis balanus capillis
Iam dudum apud me eſt. eripe te moræ,
Ne ſemper vdum Tibur, & Æſulæ
Decliue contempleris aruum, &
Telegoni iuga parricidæ.

Faſtidioſam

Faſtidioſam deſere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatæ
Fumum, & opes ſtrepitumq́; Romæ.
PLERVMQVE *grata diuitibus vices,*
Mundæq́; paruo ſub Lare pauperum
Cœnæ, ſine aulæis, & oſtro
Sollicitam explicuere frontem.
Iam clarus occultum Andromedes pater
Oſtendit ignem: iam Procyon furit,
Et ſtella veſani Leonis,
Sole dies referente ſiccos.
Iam paſtor vmbras cum grege languido,
Riuúmq́; feſſus quærit, & horridi
Dumeta Siluani: caretq́;
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu, ciuitatem quis deceat ſtatus,
Curas: & vrbi ſollicitus times,
Quid Seres, & regnata Cyro
Bactra parent, Tanaíſque diſcors.
PRVDENS *futuri temporis exitum*
Caliginoſa nocte premit Deus:
Ridétque, ſi mortalis vltra
Fas trepidat. QVOD *adeſt, memento*
Componere æquus: cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alueo
Cum pace delabentis Etruſ-
cum in mare, nunc lapides adeſos,
Stirpeſq́; raptas, & pecus, & domos
Voluentis vnà, non ſine montium
Clamore, vicinæq́; ſiluæ,
Cùm fera diluuies quietos
Irritat amneis. ille potens ſui,
Lætúſque deget, cui licet, in diem,
Dixiſſe, vixi: cras vel atra
Nube polum, pater, occupato,
Vel Sole puro: non tamen irritum
Quodcumque retrò eſt, efficiet: neque
Diffinget, infectúmque reddet,
Quod fugiens ſemel hora vexit.
FORTVNA *ſæuo læta negotio, &*
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.
Laudo manentem: ſi celeres quatit
Pennas, reſigno quæ dedit, & mea
Virtute me inuoluo, probamq́;
Pauperiem ſine dote quæro.
Non eſt meum, ſi mugiat Africis
Malus procellis, ad miſeras preces
Decurrere, & votis paciſci,
Ne Cypriæ, Tyriæq́; merces
Addant auaro diuitias mari.
Tunc me biremis præſidio ſcaphæ,
Tutum per Aegæos tumultus
Aura feret, geminusq́; Pollux.

COMMENTATOR.

TYRRHENA *regum progenies*. Metrum Alcaicum duob. verſ. tert. iamb. dimet. hypercatal. quart. Pindar. inuitat Mæcenatem ad epulas, cui deſtinatam vini amphoram & illibatam iam dudum apud ſe eſſe promittit. principium huius in ſententia ferè conuenit cum principio primæ odes, Mæcenas atauis edite regibus. ordo eſt: Mæcenas Tyrrhena progenies regũ, iamdudum apud me eſt tibi lene merum, non antè verſo cado cum flore roſarum, & balanus preſſa tuis capillis. *Tyrrhena.* Tuſca. ſic & Tiberis Tyrrhenus dictus eſt. vt, Tyrrhenóque boueis in flumine lauit Iberas. *tibi.* in honorẽ tuum. *non antè verſo.* nõ antè detecto. *lene.* vetuſtate domitum. *cado.* amphora. *cum flore.* cum magnifico & voluptuoſo apparatu. *preſſa.* expreſſa. *tuis capillis.* tuo capiti infundenda. *balanus*. balanus generaliter appellatur omnis glans ſiue nux: ſpecialiter autem glans odorifera, de qua conficitur vnguentum ſatis vnctioni capitis aptum, quod appellatur myrobalanum, teſte Iſidoro: hic autem glandem pro vnguento poſuit. *apud me eſt.* hoc eſt, hæc omnia in tuum honorem iam diu ſeruantur apud me. *eripe te.* feſtina, noli eſſe in mora. *vdum Tib.* propter aquarum copiam. *Æſulæ.* nomen vrbis alterius, in latere montis conſtitutæ. *decliue cõtemp.* turrim in hortis ſuis Mæcenas conſtruxiſſe dicebatur, vnde hæc proſpiceret *Telegoni iuga.* Tuſculum ciuitas eſt in iugo montis conſtituta: hanc ſignificat nomine conditoris: à Telegono enim Circes filio fundata eſt, qui per ignorantiam patrem ſuum Vlyſſem interemit. *faſtidioſam.* quæ faſtidiũ aliquãdo ingerit. *copiam.* luxum. *molem.* ædificiũ turriũ. *propinquam nub. ard.* in ſublime extructam. *omitte.* deſine. *beatæ.* fortunatæ. *fumum.* honores. *ſtrepitúmque.* tumultum. *plerumq; grata d. v.* viciſſitudinem rerum dicit gratam ſolere

lere eſſe diuitibus, quos interdum poſt diuitias & copias delectat ſumi iarium mediocritas. ordo eſt, plerumque magnæ cœnæ gratæ vices diuitibus ſine aulæis & oſtro ſuper paruo lare pauperum explicuere ſollicitã frontem. *ſine aulæis & oſt.* ſine tapetibus, id eſt, ſine magna pompa. vt, aula iſtam ſe regina ſuperbis. *ſollicitam.* triſtem. *explicuere.* frontem rugis obductam extenderunt. vt Plautus, Exporge frontem. *Andromedæ pater.* Cepheus Aethiopum rex inter ſidera collocatus propinquus Cynoſuræ. *oſtendit ign.* æſtatem. vt, findit canis æſtifer arua. *Procyon.* ſtella quæ ante caniculam oritur. *veſani.* morbiferi. *ſiccos.* æſtuoſos. *cum grege languido.* æſtu fatigato. vt, nunc etiam pecudes vmbras & frigora captant. *riuúmque.* ad depellendum æſtum. *horridi.* agreſtis, hirſuti. *dumeta.* ſpinas. *taciturna.* ſine ſono, vento non mota. vt, a'pice vertoti ceciderunt murmuris auræ, hoc eſt, iam tranſiuit tempus ventorum. *tu ciuitatem quis.* oſtendit autem Mæcenatem præfectum vrbis eo tempore fuiſſe *ſtatus.* honor. *Seres.* nomen populi. *regnata* à Cyro poſſeſſa. Cyrus rex Perſarum fuit vt, vltima ſecum Bactra vehit. *parent.* præparẽt *Tanaiſq; diſcors.* Tanais flumen in Mæotidem paludem fluens. *diſcors.* quia diſcernit Europam ab Aſia: aut quia incolæ regionis illius feroces ſunt, & frequenter inter ſe diſcordia colliduntur. *prudens.* prudenter dicit Deũ feciſſe neſciri futura; tamquam qui hominem vellet pro breuitate vitæ vti præſentibus. ordo eſt, prudens premit Deus futuri temporis exitum caliginoſa nocte, & ridet ſi mortalis trepidat vltra fas. *exitum.* finem. *caliginoſa nub.* denſa ignorantia. *premit.* reprimit. *fas.* licitum. *quod adeſt.* præſens eſt. *componere.* finire; vnde lites compoſitæ, dicuntur finitæ. vt, non noſtrum inter vos tantas componere liteis. *æquus.* patiens *cetera.* futura ſcilicet. *ferũtur.* dilabuntur, hoc eſt, ſuum curſum habent & rapiuntur. vt, ſi brachia forte remiſit, atque illum in præceps prono rapit alueus amni. Ordo eſt, cetera feruntur ritu fluminis, nunc cũ pace dilabentis in Etruſcum mare medio alueo, nunc voluentis vnà adeſos lapides, & raptas ſtirpeis, & pecus, & domos. per allegoriã deſcribit varietates & viceis humanæ vitæ, quæ dum quieta & læta eſt, ſubitò aduerſis caſibus inquietatur & perturbatur. *cum pace.* ſine perturbatione decurrentis fluminis. *Etruſcum.* Tyrrhenum. *ſtirpeſq;.* arbores. *raptas.* exſtirpatas. *clamore.* ſtrepitu, vociferatione. vt, rapidus montano flumine torrens ſternit agros, ſata læta, boumq. labores, præcipiteſq. trahit ſiluas, &c. *diluuies.* tempeſtas. *irritat.* incitat. vt, irritátq. virum telis & voce laceſſit. *ille potens.* id eſt, ille felix eſt qui modum vitæ ſuæ habet, & qui futura non curat. *deget.* viuet. vt, degere more feræ *in diem.* hodie. *vixi.* quietè degi. *cras vel atra* perſeuerat perſuadere præſentia tantũ curanda, nec futuris animum accommodandũ. *occupato.* occupa. *puro.* ſereno. *irritũ.* vanũ, id eſt, nõ poſſe cõmodum vitæ, quod iã perceptũ fuerit, infringi. *quodcumq; retrò* id eſt, quod iam tranſiit: quia præterita non poterunt immutari, quamuis futura ſint incerta: & ideo deſine eſſe ſollicitus de futuris. *diffinget.* cõfundet, immutabit. conuellet. *fortuna ſæuo.* quæ delectatur incertis, & inquietudine hominũ gaudet, cùm proſpera mutat aduerſis *inſolentem.* iniquũ, nouum. Iuuenal. Quoties voluit fortuna iocari. *ludere pert.* vt luderet. *tranſmutat incertos.* inſtabileis. vtrum ipſos honores incertos, an tranſmutando faciet incertis Fortunæ inconſtantia? *pertinax.* perſiſtens. *benigna.* proſpera. *laudo man.* cum non eſt mutabilis. *ſi celereis.* ſi ad aliũ deuolat, reddo quod dederat. *quatit.* cõmouet. *me inuoluo.* mea virtute me munio, non timens incerta Fortunæ, dum aut deſidero, aut formido quod præſtat bona cõſcientia, & probitate cõtentus *probámq;.* laudabilẽ, probabilem. *ſine dote.* ſine opibus, ſine præmio. *non eſt meum.* hoc eſt, nec vitæ, nec propoſiti mei eſt timere aduerſa, quia nec periculo, nec tempeſtati quæſtus cauſa me cõmitto. *remugiat.* reboët. *miſeras.* miſeris conuenienteis. *votis paciſci.* promiſſis placare: quaſi paciſcantur cum diis homines oblatione votorum. *auaro addant.* augmentent, inſatiabili, cuncta recipienti: quòd omnia intercipiat. *biremis.* duos ordines remorũ habentis. ordo eſt, aura & geminus Pollux feret me per Aegæos tumultus tutum præſidio biremis ſcaphæ. *geminuſq. Poll.* Pollux cũ Caſtore, quia gemini nati ſunt.

CRVQVIVS.

TYrrhena regum progenies. Horatius vt vbiq. ita hic quoq. mediocritate gaudens, rus inuitat Mæcenatem, vt inter flores odoréſq. iucundè ſecum vino indulgeat. hoc quidẽ decere principes viros, non vti ſemper aſſueta magnificentia, non ſplendore & luxu ſolito, ſed apparatu tenui nonnumquã mũdóq. victu in domibus pauperũ modicis lætari, faſtidioſiq. luxus obliuiſci: præſertim vbi tempus eſt in vmbroſis ſiluis ad fonteis & flumina in viridi gramine vitare Caniculę flagrãtiores æſtus: æquũ quidem eſſe ſuũ quemq. officium facere: Mæcenatẽ autem reipublicæ ſuæ fidei creditæ, curã gerere; ſed velle deos non iniquo ferre nos animo quicquid acciderit, non metuere ſupra modũ, ſed mente præſenti ſua componere, ſibiq. cõmittere cetera, nunc ita ſedata, vt nihil metuẽdũ. contrà, citiùs opinione ita turbulẽta, vt credas cęlũ terrę miſceri: hęc autẽ omnia fortunã voluere ſuo

ſuo nutu mutaréq. nunc huic,nunc alij benignã. Ceterum felicem eſſe eum beatumque qui lętus frontéque ſerena,rebúſque ſuis bene compoſitis in diem viuit, ad ſolam virtutẽ ſua referens omnia. *Tyrrhena regum prog.* Exorditur à ſtirpe regia Mæcenatis, ad beneuolentiæ conciliationem: de qua lege oden 1.lib.1. Mæcen. atauis &c. *non antè verſo.* apparatus Horatianæ cœnæ deſcriptio. *antè verſo.* inuerſo ad vinum promendum. *flore roſ.* roſa ferè ponitur pro ſiccis odoribus. *balanus.* nux pro oleo balanino,de quo ſuprà. Plin.lib.23. cap.4.balaninum,inquit, oleum repurgat varos, furunculos,lentigines,gingiuas. De myrobalano vide eundem lib.12.cap.22. *capillis.* de capillis ad voluptatem perfundendis oleo, multis in locis Horat. *eripe te moræ.* hoc eſt, iis rebus quæ tibi ſunt in mora, quæ te remorantur & detinent,quò minus ad nos venias. *ne ſemper vdum.* illuſtratio earum rerum quæ Mæcenatem remorantur. *vdũ Tbur.* hoc epitheton facit ad nauſeã loci, ex aëre minus ſalubri propter exhalationes ex aquis ſtagnantibus aërem inficienteis. vide Strab.lib 5 *parricidæ.* ad eius loci execrationem ingerendã Mæcenati,quò citiùs ad ſe veniat,ijs iam locis relictis vbi in æſtate apricari vmbrã que captare ſolebat. *Aeſulæ.* vnde Aeſulani Plin. ſeu Aſulani lib. 1. cap.5. *Telegoni iuga.* periphraſis Tuſculi oppidi à conditore. Strabo lib. 5. *faſtidioſam.* ab effectu, nam rerum abundantia, ſui ſatietatẽ, ſatietas autem parit faſtidium. *fumum.* metaph. ambitionẽ, arrogantiam, auram popularem,laudes, τὸ τῦφος, τὴν ἀλαζονείαν. Martia. vendere non vanos circum palatia fumos, plaudere nec cano, plaudere nec glaphyro. vide in Chiliad. fumus,&, fumos vendere *plerumq; grata.* amplificatio ex ἀντιθέτου. *vices.* varietas, quæ tædium diſcutit. *mundæq; frugales.* vide notata lib. 2. Saty. 2. ad eum locum, Mundus erit qui non offendet ſordibus. *ſine aulæis.* aulæa, τὰ περιπετάσματα, περιστρώματα, τάπητες, ſtragula, plagæ. vide Budæ. in Pandec. poſterior. *oſtro.* oſtrum propriè eſt purpuræ ſanies; ὄστρεον autem propriè eſt conchylium ſiue blatta piſcis,id eſt, purpura. Vitru. lib. 7. cap. 13.& 14. *explicuere fron.* explicare frontem eſt hilareſcere; cui contrarium eſt, contrahere frontẽ. vide adag. frontem exporrigere. *iam clarus occultum.* χρονογραφία ex ortu Cephei, Procyonis, leonis, quo tempore iucundũ eſt ruri verſari, καὶ τὸ σκιάζεσθαι, καὶ τὸ πίνειν ἱλαρῶς. *occultum.* corporibus noxiũ, eo quòd ea ſidera ex occulto lædant. *Andromedæ pater.* periphraſis Cephei patris Andromedæ quę ceto expoſita, liberata eſt à Perſeo. Apollod. Hyginus,lib.2. Arati phænom. omnes cod. ſcrip. habent Andromedæ. *Procyon.* exoritur poſt leonem exortum, cum pedibus prioribus canis & aquila tota. vide Hyginum lib 4.& Arati phænomenon. Ciceroni in verſione Arati nominatus Anticanis. *ſiccos.* propter multitudinẽ ſtellarum, ex quibus ea ſidera conſtant cum ſole ſimul exorientium. *iam paſtor.* amplific. tio ab adiunctis. *vagis ventis.* incertis & inconſtantibus. vnde ſatis apertè ex antitypo cõſtat eum ventos tunc ſtare ſtatos ſignificare quos Eteſi*s* nominamus,quas auras,id eſt, ventos leniores nominamus. ſic Ariſtot. de mundo, αὔρας τὰς ἐξ ὑγροῦ φερομένας ἐκπνοὰς καὶ ὕδρα, id eſt, auras dicimus exſpiratione, quæ ex humore prodeunt. Plin.lib.2.ca.47. de canicula loquẽs, huius exortum diebus octo fermè Aquilones antecedunt quos prodromos appellant; poſt biduũ autem exortus, iidem Aquilones conſtantiùs perflant diebus quadraginta, quos Eteſias vocãt: molliri eis creditur ſolis vapor geminatus ardore ſideris, nec vlli ventorum magis ſtati ſunt. deinde lib. 18.cap. 34. de Aquilone: Mollit ſidera æſtate media, mutátque nomen & Eteſias vocatur. Strabo autem lib. 3. non Aquilones Eteſios, ſed Subſolanos & Euros nominat. *tu ciuitatem.* per cõceſſionem tacitè notat Mæcenatem nimiæ ſollicitudinis in reipubl. cura, vt qui non præſentia modò ordinet, ſed in futura quoque anquirat pluſquã neceſſe eſt. *Seres.* de Seribus legito Solinum cap. 63.& in hunc Vadianum. *Bactra.* Solinus ca.62. vbi obiter quoque agit de Tanai. Mela de Tanai lib. 1.cap.21. Strabo lib. vndec. *prudens fut.* confutatio inquiſitionis rerum futurarũ à nutu diuino. *vltra fas.* ſi modum excedat. *quod adeſt.* probat rerum præſentium compoſitam moderatámque curam; hic enim à pleriſque non minùs peccatur atque in futuris à nimis curioſis prognoſtis. *cetera.* præter ea quæ in manu tua ſunt, moderari & attemperare pro arbitratu tuo. *fluminis inſtar.* artificioſa comparatio rerum futurarum ad fluminis vel placidum decurſum vel rapidum. *cum pace.* placidè. *delabentis.* ſic eſt in omnibus antiquis lib. quos vidi. *nunc lápides.* excauata rupiũ ſaxa. deſcriptio perelegans inundationis fluuialis, quæ ex altis decidẽs rupibus, quicquid obuium eſt ſecum trahit. *montium.* montanorum, eorum qui & monteis & ſiluas incolunt. *fera.* improba, magna. *irritat.* hoc autem verbum neque per vnicum r ſcribi debet, nec ab ira veniſ, ſed à verbo ruo cum præpoſitione in; quaſi inritat, per ectaſin pęnultimę ſyll. ſic enim non ſemel ſcriptũ inueni politiſſimè; ita vt inritare ſeu irritare, ſit incitare, prouocare, vim facere, mutare, perdere, deſtruere: atque hoc modo laceſſere inque iram prouocare. ſic diluuies irritat amneis, mouet & impellit vt ripas ſuas exſuperent. *ille potens ſui.*

hæc clauſula eſt, qua vult innuere Mæcenati non licere eſſe læto, niſi ſuis affectibus imperet, viuatque in diem, id eſt, tranquillè, de craſtino minime ſollicitus. *potens ſui.* ſuis affectibus imperans, compos mentis. *in diem dixiſſe, vixi.* videtur amphibolo, in diem dixiſſe, vel in diem vixi: ſed quia flagitioſis quoque & affectis miſerè licet in diem dicere, vixi, vt Dido apud Virg. vixi, & quẽ dedit curſum fortuna, peregi. potior eſt alia ſententia, putà, in diem vixi, hoc eſt, lætus & iucundus hunc diem peregi, non anxius quid cras futurum ſit. vide Adag. in diem viuere, ex tempore viuere. *cras vel atra.* conuenit cum illo apud Matth. Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum, craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi, ſufficit diei malitia ſua. vult enim Horatius virum bonum ad omnem euentum ſemper æquo animo viuere, neq. perturbari magis aduerſis quàm proſperis, futuráque habere tamquam præſentia. *non tamen irritum.* προκατάληψις: ne quis exiſtimet Horatiũ velle nos inſtar brutorum in diem viuere, ſine vllà mente vel honeſti ratione, ſed etiam futurorum habere curam, quæ poſteris noſtri nomen tradat & immortalem laudem, quod non fortuna nobis aut luxus quæ caduca ſunt, ſed rerum bene geſtarum virtus præſtare poterit quæ immortalis eſt. *quodcumq; retro eſt.* quia præterita certa ſunt nec vllo fato immutari poſſunt. *infectumq; reddet.* vide in Chilia. factum infectum fieri non poteſt. Vixi itaque in diem memor virtutis, quæ relicta poſteris perpetuò viuet; non etiam vixi in diem ſollicitus rerum fortuitarum; nam *fortuna ſæuo læta negotio.* hoc eſt, quæ gaudet ſæuire in aduerſis, & pertinaciter ſuum ludum inconſtantiæ ludere, neque apud te manebit ſemper, neque ad poſteros te transferet immortalem. ſic Ode 34. li. 1. hinc apicem rapax fortuna cum ſtridore acuto ſuſtulit, hic poſuiſſe gaudet. vide adnotata in eum locum. *laudo manentem.* oſtendit Horatius ſe non ita durum, vt affectibus nõ moueatur, fortunamque ſibi nolit eſſe perpetuò proſperam, ſed in omnem euentum ſe parat adeò conſtantem vt nõ ſupra modum doleat eam mutari, viuátque tranquillè ſua contentus mediocritate. *probamq; pauperiem.* per virtutem & honeſtam pauperiem periphraſticôs notat mediocritatem frugalitatémque. *ſine dote.* alludit ad id quod dici ſolet, ſatis dotata eſt mulier ſi proba eſt, ſic ſatis dotata pauperies ſi proba eſt. *non eſt meum* notat auiditatem auarorum, qui nulla vitæ cura maria nauigant in Aſiã, Africam terráſq. remotiſſimas ab orbe Romano, vt pretioſis mercibus diteſcant cum diis quodammodo pacti votis ſoluendis, vt ſalui domum reuertantur; ſe verò ait nihil tale aut pati aut facere, vt cuius inſtitutum vitæ longè diuerſum, non à fortuna, ſed virtute pendeat. *ne Cypriæ Ty.* hoc eſt, ex Cypro inſula, & Tyro Phœniciæ ciuitate antiquiſſima comparatæ. *tunc me biremis.* allegoricôs hæc accipio in hunc ſenſum: Quando alij dites cendi ſtudio vitam merceſque cum dijs precibus votiſque paciſcuntur, vt incolumes peregrè domum reuertantur, ſe quidem ait etiam Aegæis vndis iactari, id eſt, inſultus fortunæ varios experiri; ſed tutum tamen eſſe, non precibus & votis, ſed biremi ſcapha, id eſt, paupertate duobus acta remis, nimirum, tranquillitate & ſecuritate, non ſine aura leni adſpirante geminóque Polluce, id eſt, fauore & ductu virorum principum. vide num alludat ad antiquum prouerbium, ἐπὶ ῥιπὸς τὸν αἰγαῖον διαπλεῦσαι, id eſt, Aegæum ſtorea, ſeu crate viminea, traijcere.

AD MELPOMENEN Muſam, ſe ſcriptis ſemper victurum.

ODE XXX. ἀποτελεστικὴ, προσφωνητικὴ καὶ εὐχαριστικὴ.

EXEGI *monumentum ære perennius,*
Regaliq; ſitu Pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. vſque ego poſtera
Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obſtrepit Aufidus,
Et qua pauper aquæ Daunus, agreſtium
Regnator populorum, ex humili potens.
Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxiſſe modos. ſume ſuperbiam
Quæſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

COMMENTATOR.

EXEGI *monumentum ære perennius.* Metrũ Aſclepiad. monocolon. Dicit ſe æternitatem ſuo carmine conſecuturum: & hoc operis ſui monumentum ſtatuis æreis, & magnificis ſolidiſque Aegyptiorum ſepulchris diutius victurum. *exegi.* finiui, perfeci. ſic Ouidius, iámque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes, nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas. *monumentum.* opus carminum,

carminum, quod durabilius dicit ſtatuis diuitum ex ære factis. *perennius.* diuturnius, validius. *ſitu.* conſtructione. *Pyramidum.* Pyramides propriè regum Aegyptiorum ſepulcra ſunt, ingenti mole conſtructa, & in cacumen educta in modum flammæ ſurgentis. vnde & eis nomē eſt inditum. Ordo eſt: Melpomene exegi monumentum perennius ære, id eſt, durabilius metallo. *edax.* corrumpens vetuſtate. *non aquilo.* ventus tempeſtuoſus & proccelloſus, hiemalis. vt, & mediis properas Aquilonibus ire per altum. *impotens.* valde potens. *diruere.* euertere. *annorum ſeries.* vetuſtatis curſus. vt, annis ſoluit ſublata vetuſtas: Dicit ſua ſcripta, nec tempeſtatibus, nec vetuſtate abolenda. *non omnis moriar.* in litterarum laudem dicit ſe corpore quidem moriturum, ſed carminibus ſuis victurum. *libitinam.* capulum, in quo mortui efferebantur ad ſepulturam. *vſque ego proſp.* ordo eſt, ego recens creſcam poſtera laude, id eſt, per laudem poſterorum, vſque dum Pontifex ſcandet Capitolium cum tacita virgine. *recens.* nouus: noua enim magis conſueuere placere, vetera verò aboleſcere: quare ſe poſteris ait in oblectatione nouum futurum. *tacita.* hoc eſt, aut verecunda, aut pro ſacrificio tacente, aut pro ſacerdotij dignitate, clara. Conſueuerunt enim ſacrificaturæ Capitolium tacentes aſcendere. Virg. tacitæ per amica ſilentia lunæ. *violens.* torrens, impetuoſus: de quo amni Virgil. Adriacas retrò fugit Aufidus vndas. *obſtrepit* murmurat. *Aufidus.* per Aufidum vult intelligi Apuliam, cuius prouinciæ fluuius eſt. *dicar.* laudabor. *qua.* per quæ loca. *pauper aquæ.* egens aqua, quia inopia aquæ eſt ſiticuloſa. *Daunus.* Daunus fuit rex Apuliæ. Ordo eſt: ego potens ex humili princeps dicar deduxiſſe Aeolium carmen ad Italos modos, qua obſtrepit violens Aufidus, & qua pauper aquæ Daunus regnauit agreſtium populorum. *ex humili.* parua progenie. gloriatur ſe libertino patre natum ad tantam ſtudiorum claritatem veniſſe. *princeps.* primus. vt, Maſſicus ærata princeps ſecat æquora Tigri. Dicit autem carmen Aeolicū, quo vſus eſt Alcæus Poëta, deduxiſſe in vſum Latinum. *modos.* rhythmos. *ſume ſuperbiam.* nobilitatem mentis, non venientem à natalibus. ordo eſt, Melpomene ſume ſuperbiam quæſitam meritis, & volens cinge mihi comam Delphica lauro: ea enim erat ſacratiſſima propter Apollinem Delphicum. *meritis.* virtutibus. *cinge.* circumda, alliga, vt Virg. Baccare frontem cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

CRVQVIVS.

EXEGI *monumentum ære perennius.* In hac Ode trium librorum poſtrema, velut in operis perfecti coronide, Melpomenen Muſam precatur Horatius, vt lauro caput ſuum merita cingat ob carminis Lyrici dignitatem: quod ſe nunc id apud homines commendationis aſſecutum gloriatur, quam nec æneæ ſtatuæ, nec Pyramidū moles ſuſpiciendæ ſua diuturnitate ſuperare, nec vlla temporis iniuria poſſit abolere: hos enim modos Lyricos ab Aeoliis in Latium à ſe deductos, eam ſuæ vitæ partem continere quæ nec moritur cum corpore nec ſepelitur: ſed ex humili agreſtíque Apuliæ loco eum principem, primumque ſui auctorem poſteris tradere decantandum celebrandumque laudibus, tantiſper dum Pontificia Romæ dignitas ſtabit incolumis, imperiumque ſine fine datum. *Exegi monum.* Exorditur à laude facti, ab immortalitate. *monumentum.* ingenij mei & doctrinæ. *τὸ μνῆμα.* Monumentum, quicquid ob memoriā alicuius factū eſt, vt, fana, porticus, ſcripta, carmina; Feſtus. *ære.* ſtatuis ex ære. materia pro opere. *regali ſitu.* Quæ ſitæ ſunt ſeu cōſtructæ à regibus Aegyptiis, geometrica ratione ad ignis flammam à lato in rotundum. vide Plin. lib. 36. cap. 12. Melam lib. 1. cap. 9. *altius.* de altitudine Pyramidum lege, præter alios, Ammianum lib. hiſtor. 22. Suum autem hoc litterarum monumentum dicit altius eſſe Pyramidibus: non enim nubeis modò penetrat gloria virtute parta, ſed ſuper aſtra quoque fertur. *quod nō imber edax.* Ea namque ſola tempori & iniuriis cæli ſunt obnoxia quæ ex elementis conſtant. *aquilo impotēs.* ex alto, mari terríſque magno impetu incumbēs. *innumerabilis.* pro vetuſtate incomprehenſibili. *fuga.* lapſus, truditur enim dies die. *multaq; pars mei.* an ſpiritus ille diuinus? quem Deum nominat Plato. hinc Cicero in ſom. Scip. Quoniā nō is, quem videmus, homo eſt, ſed Deus ipſe in nobis exiſtens: An eius vires & exercitia, inuenta, dicta, ſcripta, eorum memoria? vtrumque certè nō temerè mihi perſuaſerim denotare Lyricum, nec minus animi quàm ſcriptorum immortalitatem ſtatuere. Nam licet in indulgendo genio cutéque curanda ſubſcribat aliquando Epicuro, tamen in hoc ab eo diſſentire videtur, quòd in animi tranquillitate virtutéque beatitudinē ponat; qui affectus animi cùm ſint immortales, neceſſe eſt quoq. immortalē eſſe animū: verùm fuiſſe eum omniū horarū hominem, vt aiunt, mihi ipſe fidem facit, inquiens, nullius addictus iurare in verba magiſtri, vt poſteà clarius aperiemus. *libitinam.* deam funerum. vide lib. 2. Saty. 3. & 6. libitinæ quæſtus acerbæ. *vſque ego.* hīc vel tmeſis eſt, vſque dum. i. donec. aut τὸ vſq. determinat τὸ recēs, vſq. recēs. i. ſemper recens. *ſcandet.* ad ſacra Idulia peragenda: Nam

da: Nam ſingulis Idibus à Pontificibus in arce ſacra fiebant quæ Idulia Pompeio dicta ſunt, quibus agna alba cædebatur. Idibus alba Ioui grandior agna cadit. Ouid. vide Idulis ouis, apud Feſtũ. Eſt autem periphraſis æternitatis à ſacris perpetuis. *tacita.* meticuloſa ſacrorũ reuerentia & religione. hoc facit illud Plutarchi de liber. educand. καὶ διὰ τοῦτό μοι δοκεῖ τὰς μυστηριώδεις τελετὰς οἱ παλαιοὶ καταδεῖξαι, ἵνα ἐν ταύταις σιωπᾶν ἐθισθέντες ἐπὶ τὴν τῶν ἀνθρωπίνων μυστηρίων πίστιν, τὸν ἀπὸ τῶν θεῶν μεταφέρωμεν. i. ob hanc cauſam (taciturnitatem) vt mihi videtur, arcanas cærimonias antiqui deſcripſerunt, vt in his aſſueti tacere, ad humanorum arcanorum fidem, Deorũ metũ transferamus. vide oden 2. lib. huius, de fidelitate. *dicar qua violens.* hoc eſt, ego Venuſinus ſeu Apulus Poëta dicar à poſteris princeps ſeu primus carmẽ Lyricũ ab Aeolis (Alcæi cauſa) deduxiſſe ad modos ſeu cantus Italos, id eſt, primus carmen Lyricũ Latinè cecinisſe. *Aufidus.* notatio Apuliç à fluuio Aufido ex Hirpinis montibus defluente in Adriaticum. *Daunus.* fluuius à Dauno rege Apuliæ ex Pilumno. *regnauit populorum.* ſic tres Bland. antiquiſſimus ſine vlla litura cum Sil. ſed duo alij Bland. per lituram. Rectè itaque monet Seruius aliique Grammatici hoc modo legendum ad helleniſmum ἐβασίλευσε, ἢ ἐκυρίευσε τῶν λαῶν. *ſume ſuperbiam.* Apoſtrophe ad Melpomenen Muſam, cui refert acceptam hanc ſuperbiam meritis quæſitam, id eſt, Lyrici carminis apud Latinos principatum ſeu primatum, τὸ πρωτεῖον. Quo nomine cupit ab ea ſibi laurea corona cingi caput. Idem facit Ode 5. lib. 4. Eſt autẽ hæc Apoſtrophe quædam gratiarum actio.

Q. HORATII FLACCI CARMINVM LIBER QVARTVS.

AD PAVLLVM FABIVM MAXIMVM,

ALLEGORICOS AFFIRMAT A SE EX INTERMISSO SCRIBI CARMINA.

ODE I. εὐκτικὴ ἐρωτική.

INTERMISSA *Venus diu,*
Rurſus bella moues. parce precor, precor.
Non ſum qualis eram bonæ
Sub regno Cynaræ: deſine dulcium
Mater ſæua Cupidinum
Circa luſtra decem flectere mollibus
Iam durum imperiis. abi
Quò blandæ iuuenum te reuocant preces.
Tempeſtiuius in domo
Paulli purpureis ales oloribus,
Comiſſabere Maximi,
Si torrere iecur quæris idoneum.
Namque & nobilis, & decens,
Et pro ſollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
Latè ſigna feret militiæ tuæ.
Et, quandoque potentior
Largis muneribus riſerit æmuli,
Albanos prope, te, lacus
Ponet marmoream ſub trabe Citrea.
Illic plurima naribus
Duces thura: lyráque & Berecyntia
Delectabere tibia,
Miſtis carminibus non ſine fiſtula.
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Salium ter quatient humum.
Me nec fœmina nec puer,
Iam nec ſpes animi credula mutui,
Nec certare iuuat mero,
Nec vincere nouis tempora floribus.
Sed cur, heu Ligurine, cur
Manat rara meas lacryma per genas?

Cur

Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua ſilentio?
Nocturnis ego ſomniis
Iam captum teneo, iam volucrem ſequor
Te per gramina Martij
Campi, te per aquas, dure, volubileis.

COMMENTATOR.

METRVM Dicolon diſtrophō, priori Glyconium, poſteriori Aſclepiadeum. Statuerat Horatius ad tertiū vſque librum complere opus carminum: verùm tribus libris iam editis, ex maximo interuallo hunc quartum ſcribere compulſus eſt ab Auguſto, vt refert Suetonius in vita Horatij, in laudem priuigni ſui Druſi Neronis, qui victor de Rhętis Vindelicis fuerat reuerſus. *intermiſſa Venus.* deprecatur Venerem, ne præter decorum, iterum res amatorias ſcribere ab illa cogatur, iam propemodum luſtris decem, hoc eſt, quinquaginta annis grauis, maturus, & ab omni voluptate alienus. *non ſum qualis.* commemorat amicam per occupationem. *bonæ.* benignæ, non nimis imperioſæ. *ſub regno.* tamquā imperet amatoribus quę amatur. *mollibus.* Antitheton: mollia ſunt imperia Veneris ab effectu: ſunt enim ludicra & delicata, quæ molleis efficiunt amatores: ſe verò durum ait, nec molleſcere, aut domari poſſe propter ætatē, nō magis quā pecora annoſa, quę nec iugo nec freno edomari poſſunt; metaphoricôs. *quo blandæ.* qui te vltrò vocant ad iocos, quibúſque facilè poſſis perſuadere quod velis, mihi verò ſeni non niſi difficulter poteris. *tempeſtiuius.* opportunius. *Paulli.* adoleſcens erat hic nobilis, elegās & diſertus, cui Venereus luxus cur maximè conueniebat, ſequentia indicant à nobilitate & forma. *purpureis.* pulchris, nitidis, puris, reginæ Veneri dicatis: vt propter regnum Veneris & dignitatē purpureos dixerit. *ales.* fingitur Venus à Poëtis vehi curru iunctis oloribus: hinc ales dicta, hoc eſt, volucris, ſiue velox. *comiſſabere.* delectaberis conuiuando, luxuriando. *ſi torrere iecur.* ſi tuum velis exercere officium. *iecur idoneum.* tuis ignibus & amoribus appoſitum: idcirco antē iecur amori dedit & libidini, quia iecore amare nos volunt Philoſophi, felle iraſci, & corde dolere. *decens.* flos ipſe iuuentutis. *& pro ſollicitis.* cauſſarum patronus diligens. *centum puer art.* finitum pro infinito, hoc eſt, qui pro facundia & cōmodo ingenio facetóque optimè poſſit in amore verſari. *latè feret.* validè amabit & libens. *& quādoque.* hoc eſt, quandocunque validior in amore quàm munera plurima æmuli, hoc eſt, riualis ſui. *riſerit.* hoc eſt arriſerit, & gratus fuerit. *æmuli.* riualis. vt, partim roſtro premit æmula Piſtris. *Albanos prope te.* in Albano monte, vbi Paullum dicit ad lacum habere optima prædia; quare illū & effuſiorem ad cultum Veneris promittit, & ad munera propenſiorem. *ponet marmoream.* ex ſolido marmore ſtatuet. *trabem Citream.* aut pro difficili, aut nobili poſuit, aut pro amœnitate Veneris odoratam, vt ædificantis diuitias oſtentaret. *lyráque & Berec.* à Berecynto monte Phrygiæ, vbi primùm inuenta dicitur tibia, vel à matre Deûm Berecyntia, cuius ſacris deputata eſt; vt, Ite per alta Dindyma, vbi aſſuetis biforem dat tibia cantum. *illic bis pueri.* in ſacello tibi dicató. *teneris.* pulchris, gracilibus, delicatis, paruis. *laudantes.* tuo numini hymnum canentes. *candido.* pulchro, nudo *in morem Saliûm.* Saliorū, ſacerdotum Martis. *quatient hunc.* Periphraſis ſaltationis ex agitatione & concuſſione pedum, Poëtæ vſitatus ſermo. *nec ſpes animi.* hoc eſt, amoris mutui: negat ſe amari poſſe, cùm per ætatem nollet amare. *nec certare iuuat.* hoc eſt, poculis æqualibus contendere. *nec vincire.* Synecdochicôs pars pro toto, coronare caput. *ſed cur heu.* Apoſtrophe pathetica, quòd recordatione Ligurini pueri adamati flere ſe queritur. *rara.* non amoris paruitate, ſed ætatis verecundia: ſeni namque prę amore flere non conuenit. *cur facunda.* indicium eſt nimij amoris ſubitò inter loquendum tacere, vt, Incipit effari, mediáque in voce reſiſtit. *nocturnis te ego.* ait ſe Ligurinum puerum ſemper præ deſiderio ſomniare, &, vt fit, terrore quodam mentis imaginari eum, quaſi diu quæſitum, & tandē inuentum, velut alitem ex ipſo euolare complexu. *te per aquas.* in Tiberi natare. *dure.* inflexibilis, inexorabilis. *volubileis.* fluuialeis.

CRVQVIVS.

INTERMISSA *Venus diu.* Rògat Venerem vt à militia ipſius vacare poſſit iam fractus, illi bello inutilis, & quaſi iam emeritus miles, qualeis viros illa non depoſcit, ſed integros, validos, & ſucci plenos, cuiuſmodi ſe fatetur ſub regno fuiſſe Cynaræ: idcirco illam transferre ſtudet ad Paullum adoleſcentem nobilem, diuitem, formoſum, peritum, & ſtrenuum in ea militia virum. *ſub regno Cynaræ.* regnū hic non tam ad graueis & ſuperbos amores, quàm ad dignitatem, maieſtatem, & beneuolentiam Cynarę declarandam pertinere videtur, qua gratia illam bonā nominat, vel quòd pauciora acciperet, vel quòd eſſet ipſi inter ceteros amatores beneuolentior. hæc alibi eadem Horatio proterua dicitur & rapax, quod ſcorto eſt propriū, vel quòd illius villicus non æquo ferret

animo, ſe quoque immunem Cynarę nō eſſe gratum. *Paulli.* an hic fuerit Paullus Fabius Maximus cum Q. Tuberone conſul anno ab vrbe condita ſeptingēteſimo quadrageſimo tertio, an alius, penes lectorem eſto iudiciu. *purpureis ales.* hic locus diu multumq. mihi moleſtus fuit Primum lectionē hanc ſeruandā omnino nō dubitaui, & cōmentatorem noſtrum ſatis apposite interpretari, præſertim omnibus antiquis codicibus manuſcriptis in hoc conſentientibus. Rurſum quandoquidē nihil ſit à ſenſibus magis alienum, quàm cygnū dicere purpureum, deinde cum ſit abſurdū dicere illud ignorauiſſe Horatiū in naturis reru perſpiciendis ſagaciſſimū; principio legi, furfureis, quāproximè accedens ad hāc purpureis: ſed quia furfures non omnes ſunt eiuſdem generis, euolui eos auctores qui de naturis rerum, quiq. de animalibus & regionibus variis ſcripſerut, num qua regio aleret ita cygnos purpureos, aut, ſi mauis, nigros, ſicut certò cognouimus coruos inueniri albos: interea temporis dum hæc mecu cogito, ad nos deferuntur Dionyſij Lambini in Horatiū commentaria, quæ cùm ſtudioſè & auidè legerem, perſuaſus hunc locum non magis ſubterfugere poſſe virum illum & doctiſſimum & in Horatio verſatiſſimum, quàm multa alia, quæ deprehenderā caſtigatiſſima, tandem offendi pro, purpureis, repoſitū marmoreis, nec id ineptè, nec ſine approbatione, vt ait, doctorum virorum. At qui quòd priores ſyllabę marmar nimis abcederent à purpur, quàm vt librarium culpandum ducerem, non potuit mihi probari tam è longinquo petita mutatio: Quid multis? Hoc aſſecutus ſum, Plinium in naturali hiſtoria ſcribere, Cythera, olim Porphyrim nominatam: protinus in Mela eandem ſententiā cùm inuenirem, reuerſus ad Bland. codices quod antea non obſeruaram, vidi in τὸ purpur, apertas maculas τοῦ porphy. quare ſine vllo ſcrupulo τὸ porphyreis, vt genuinam & Horatianam dictionem in ſua ſede ſtatuendam putaui, alluſione ad inſulam Porphyrim Veneri ſacram, vt ſint porphyrei olores, id eſt, Veneri ſacri. Antonius Thileſius, ex hoc loco Horatij, non dubitauit candidum colorem, quando intenſius oculos remoratur, & apparere & dici purpureū. iudicet lector diligens, quā hoc ab illo factum ſit φυσικῶς. *comiſſabere.* ita habent tres codices manuſcripti Blandinij, non comeſſabere, vt habent vulgares editiones, cōtra antiquam & Feſti & Varronis lectionem: non enim à comedendo venit comiſſatio, vt doctè & diligēter notauit Lambinus, ſed ἀπὸ τῶν κώμων, teſte Varrone: non etiā à vicis, vt ſcribit Feſtus, quas Grçci κώμας nominant: Comiſſatio autem longè aliud notat quàm comeſtio, vt ſic loquar; quemadmodū videre licet in verbo κωμάζειν. *namque & nobilis.* Aetiologia à naturę dotibus, nobilitate, forma, induſtria; à viribus & potentia, à recta inſtitutione & linguarū peritia, poſtremò ab opibus. *ſub trabe Citrea.* trabs, inquit Paullus, propriè dicitur duo ligna compacta itaque trabs Synecdochicôs pro ſacello ponitur. *Citrea.* ita habent duo codices Blandinij antiquiſſimi, ex quibus hanc dictionem repoſui. qua in dictione, Cypria, hic nunquā mihi feci ſatis, quod ea arbor vilior eſſet & neglectior, quàm vt ea donaret Venerem Paullus ad obſcuranda æmulorum larga munera, ex ea namq. Poëta naueis ædificatas ſcribit, Ode prima lib. primi, numquā demoueas vt trabe Cypria &c. quę verba fortaſſe huic lectioni locu dederunt. deinde neq; Cyprus arbor odorata, niſi in flore, aut ſemine cōtuſo conditóq. legitur. contrà, Citrum & odoratiſſimam, & maximi pretij apud Romanos, in delicijs fuiſſe ſignant tabulæ, lectuli, menſæ Citreæ illæ memorabiles, de quibus Cicero in Verrem 6. Tu maximam, & pulcherrimā menſam Citreā à Q. Lutadio Diodoro &c & Varr. 3. de re ruſtica: Nuncubi hîc vides Citrum aut aurum. Martialis 10. lib. Inſpicit aut pueros, nobiliúſue Citrum. Poſtremò ſcribit Plinius naturalis hiſtorię lib. 13. cap. primo: Cedri tantum & Citri ſuorum fruticum in ſacris fumo conuolutum nidorem veriùs quàm odorem &c. quæ verba, meo iudicio, appoſitiſſima ſunt pro odore Citri ad declarationem verſiculi ſequētis, illic, *plurima naribus duces.* Alexand. ab Alexand. lib. 4. cap. 17. proditum memoriæ eſt, inquit, Iliacis temporibus veteres nō ture, nec coſto, ſed Cedri & Citri fumo adoleuiſſe. Nō ſum tamen neſcius hæc etiam aliò referri poſſe, aliámque habere interpretationem, quā ego ſemper ſecutus ſum, donec deprehenderem in duobus codicibus Citrea, & in tertio non ſine lituris Cyprea: deinde opitulata mihi eſt annotatio licet barbara ac ferè vetuſtate deleta Trabem verò, inquit, Cithream, per aſpirationis notam, aut pro difficili, aut nobili poſuit, aut pro amœnitate Veneris edoratam, vt ædificantis diuitias oſtentaret. ſed quę diuitiæ in Cypro? quis odor memorabilis aut in caudice aut ramis? quis vſus illius in ſacris? Verum enimuero ne quis mihi controuertat, Citrum humiliorem, tenuiorémque in Italia & Hiſpania conſpici, quæ Citrea, ſiue Medica mala profert, quàm ex qua trabes parentur, paucis hic adnotandum duxi, Citrum alteram cupreſſo feminę ſilueſtri ſimilem folio, odore, caudice, ex qua celebres illæ menſæ olim in Africa Mauritaniáq. plurimā, vel Plinio teſte lib. 5. cap. 1. alteram humilem in Italia & Hiſpania omnibus obuiam, nunquā non pomiferam, vt videre eſt apud Theophraſtum, Plinium,

Plinium, Ruellium, & ex instituto, apud Nicolaum Monardum medicum Hiſpalenſem, in epiſtola ad Quadram ſuum, appoſita libello de ſecanda vena in pleuritide. Si quis hic contendat Cypriam trabem non eſſe Cypri arboris, ſed Cedri, quæ in Cypro inſula ita multa, & monſtroſæ cuiuſdam magnitudinis apud Theophraſtum legitur, vt eſſet vnde vndeciremis Demetrij ædificaretur, centum nempe & triginta pedum longitudinis, craſſitudinis autem ad trium hominum complexum, ego ſanè ab huius opinione ne vel latum, vt aiunt, pedem diſceſſerim, niſi me cogeret expreſſa dictio Citrea: nam & Cedri cor eſt odoratum, totáq. eius materies duriſſima, vt æterna olim ſit credita: quinimo eadem eſt arbor Cedrus & Citrus, vt doctiſſimè annotauit Gulielmus Pantinus medicus, in ſuis adſcriptis quę iam parat in Plinium, ex quibus hęc meo rogatu mihi conceſſit in hoc præſens argumentũ. Plinius lib. vigeſimi tertij capite ſexto Citrea vocat quæ dicuntur Perſica, item vt Medica & Cedromela, & Cedria: ex Theophraſto libri quarti hiſtoriarum capite quarto. Virgilius libro ſecundo Georgicon Medicam arborem graphicè depinxit. meminit & Plinius lib. 12. cap. tertio. idẽ lib. decimi tertij cap. decimo ſexto, & capite præcedenti, malè ab hoc diuulſo, crucem grammaticis grauem fixiſſe & erexiſſe creditur de menſis Cedrinis, quas Citrias ipſe lib. 5. cap. primo vocat: ſicut & Cicero in Verrem: propterea quod κέδρος etiam Citri ſit arbor, cuius materies Citrũ appelletur tum Varroni, tum Martiali, vnde & Cedrinæ & Citriæ menſæ ſunt nuncupatæ vocibus diuerſis, re eadẽ: nam & Cedromela nominantur Citrea, Citreáue mala. quin & de Citrei mali arbore poſt Cedri mentionem, Alia, inquit, eſt arbor eodẽ nomine &c. & lib. 12. cap. 55. de Parthorũ populo loquẽs. Porrò Citriorũ genera quatuor à viris doctis hodie enumerantur, Citria, Limonia, Arantia, Cerea, ſeu potius Aſſyria, aut Adami poma: certè Nicandri interpres malum Medicum Neranzium vocat. Ceterùm poma aurea apud Virgiliũ, ne quis hic erret, Cotonea ſunt, quæ & Chryſomela fuiſſe appellata, teſtis eſt ipſe Plinius lib. 15. cap. 11. etſi Athenæo lib. 3. aurea mala, Heſperidũ mala apud Virgilium ecloga ſexta, & poma Heſperidum Statio tertio ſiluarum, Citria, ſiue mala Medica exiſtimantur. Et quamquam & malum Medicum, Perſicum etiam appellet Dioſcorides, tamen ad exactiorum veriùs quàm ſua refert opinione atque ſententia, qui diſertè, item vt Theophraſtus hiſtoriar. lib. 4. cap. 4. hæc ipſa diſtinguit. Hæc Pantinus. *lyráque & Berecyntia.* ſic habet codex Blandinius antiquiſſimus: quæ ſi nõ multùm diſcrepent ab alia lectione, certè plenior eſt & magis ſonora, vt omittam ad lyræ, tibiæ, & fiſtulæ ſtrepitum velle Horatium pueros accinere & virgines, laudantes, inquit, nomen tuũ. Valde commodè meminit hic Hermannus Figulus ſtatuæ Apollinis, quæ in Delo dextra tenebat arcũ, & ſiniſtra Gratias, quæ ſingulæ inſtrumentũ muſicum geſtabant, hęc lyram, illa tibiam, media autem fiſtulam. *in morem Saliũm.* qui geſtantes ancilia, magna corporis iactatione ſaltabant, vt dicemus ode proxima. *ter quatient humum.* notat ſaltum & rotationẽ chori, aut proceſſum ſine retrogradatione ad numeros impares. *me nec femina.* Ellipſis aduerſatiuæ *nec puer.* huiuſmodi amatores à Diuo Paullo ἀρσενοκοῖται nominantur. *nec vincire nou.* Romanis enim moris erat corollas cum poculis accipere, feſtiſq. diebus coronatos, & ſertis redimitos epulari cum lemniſcis. *per gramina.* exercitia iuuentutis Romanæ in campo Martio certare curſu, luctà, equo, natatione.

AD IVLVM ANTONIVM M. Antonij Triumuiri filium. Antiquorum Poëtarum veneratio.

ODE II. ἐγκωμιαστική.

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Cùm ſuper notas aluere ripas
Feruet, immenſúsque ruit profundo
Pindarus ore.
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaceis noua dithyrambos
Verba deuoluit, numeriſque fertur
Lege ſolutis:
Seu Deos regéſque canit, deorum
Sanguinem: per quos cecidere iuſta
Morte Centauri: cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ:
Siue, quos Elea domum reducit
Palma cæleſteis, pugilémue, equúmue
Dicit: & centum potiore ſignis
Munere donat:
Flebili ſponſæ iuuenémue raptum
Plorat, & vireis animúmque, moréſque
Aureos educit in aſtra, nigróque
Inuidet Orco.

Multa

Multa Dircæum leuat aura cygnum,
Tendit Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: Ego apis Matinæ
More, modóque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, vuidíque
Tiburis ripas, operoſa paruus
Carmina fingo.
Concines maiore Poëta plectro
Cæſarem: quandoque trahet feroceis
Per ſacrum cliuum merita decorus
Fronde Sygambros.
Quo nihil maius, meliúsue terris
Fata donauere, boníque diui.
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum
Tempora priſcum.
Concines lætóſque dies, & vrbis
Publicum ludum, ſuper impetrato
Fortis Auguſti reditu, forúmque
Litibus orbum.
Tum meæ, ſi quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars: & ô Sol
Pulcher, ô laudande, canam recepto
Cæſare felix.
Téque dum procedis, io triumphe
Non ſemel dicemus, io triumphe
Ciuitas omnis, dabimúſque diuis
Tura benignis.
Te decem tauri, totidémque vaccæ,
Me tener ſoluet vitulus relicta
Matre, qui largis iuueneſcit herbis
In mea vota,
Fronte curuatos imitatus igneis
Tertium Lunæ referentis ortum,
Qua notam duxit niueus videri
Cetera fuluus.

COMMENTATOR.

METRVM Sapphicum dicolon tetraſtrophon. Continet hæc Ode laudes Pindari Poëtæ Lyrici celeberrimi, quem ſi quis imitari velit, is ita ſuæ æſtimationis & famæ periculũ, vt Icarus ſui conatus, incurrat. *æmulari.* imitari cum accuſatiuo. *ceratis pennis.* cera coniunctis, affixíſque corpori. *ope Dædalea.* artificio Dædali patris, qui dum pennas cera compoſitas ſibi & Icaro filio appoſuiſſet, affixiſſétque, vt volatu Minoidis tyrannidem effugeret, Icarus altum petens, cera ad ſolem liqueſcente, & pennis diſſolutis, ex alto decidit in mare, cui ſuo caſu nomen dedit Icareum. *nititur.* innititur, ſuſtentatur. *vitreo.* perſpicuo. vt, vitrea te Fucinus vnda. *monte decurrens.* Torrenti fluuio comparat ingenium Pindari, quem citum dicit in dicendo, & ſententiis abundantem. *quem.* ſupp. amnem. *aluere.* ſupp. imbres, id eſt, creſcere fecerunt aquæ pluuiæ, & ita aluere ſuper notas ripas, quia aluei ripas amnis velut aquis nutritus acceſſerit. *feruet.* ignei ingenij vim & acumen oſtendit metaphoricôs. *laurea donandus.* coronandus laurea corona: laurus Apollini eſt ſacra: hinc lauro coronari Poëtas dicimus *noua verba.* aut admiranda, vt, Pollio & ipſe facit noua carmina, aut ab eo inuenta. vt, Finibus expulſum patriis noua regna petentem. *Dithyrambos.* Dithyrambi genus eſt carminis in honorem Liberi patris rhythmis vehementioribus liberioribúſq. & numeris cõpoſitum. *audaces.* quia ſine certa pedum lege, æquali vocis ſono & rhythmo cantabantur, dicti hoc nomine à Græco vocabulo θύρα, hoc eſt ianua vel ingreſſus. *numeriſq.* quibus rhythmus ad ſonum pertinens colligitur ſine certa verſuum menſura, ſine certa lege. itaq. hic nõ deſideratur aut lex pedum aut certus ſyllabarũ numerus, ſed quali ſono vocis Dithyrambi & rhythmi canentur. *fertur.* rapitur, veluti vates. *ſeu deos.* ſcripſit enim Pæanas cantiones in laudem Apollinis. *regéſque.* propter encomia virorum principũ: quia in Olympicis laudauit Hieronẽ, qui ſuo tempore regnauit in Sicilia. *per quos.* laudauit Herculem, Ixionem, & Perithoum, qui occiderũt Centauros. *cecidit tremenda.* in Chimæra Bellerophontem laudatum intelligimus. *ſiue quos Elea.* laudari à Pindaro Caſtor & Pollux, qui in Elide Epiri ciuitate agone Olympico edito, pugillatu & equorũ curſu floruerunt. vt, Hic & ad Elei metas & maxima campi ſudabit ſpatia. In eodem agone Poëtæ Heroum laudibus decantandis, & accepto themate certabant, & victores coronabantur. *palma cæleſtis.* propter honorem numinũ quibus agõ impendebatur. *centum potiore ſignis.* quia magis illuſtratur honore quem Pindarus carmine ſuo agoniſtico celebrat, quàm ſi centũ ſtatuis honoretur. *flebili ſponſæ.* in Epitaphiis & Epicediis Pindarum inſignẽ fuiſſe cantat, cũ aut ſponſam celebrat, aut iuuenẽ fortẽ ſuæ ſponſæ nõ matura morte ereptũ deplorat, illúmq. inferis ſubducit, & laudib⁹ immortalitate donat. *plorat.* deſcribit plorãdũ, lamẽtatur. *aureos.* probos, honeſtos, ſanctos. vt, Aurea quæ perhibẽt illo ſub rege fuerũt Sæcula. *Dircæũ.* Thebanũ: Dirce fons Thebis. Statius, Cęrula cùm

rubuit Lernæo ſanguine Dirce: hinc Pindarum Dircæum nominat cygnum à ſuauitate carminis. *leuat aura.* multa fama fert ad cælos, & ſublimem facit. *apis Matinæ.* quia Pindarum cygno comparauit, ſe, vt arrogantiam fugiat, api confert quę in Calabriæ ſaltu Matino & circa terram volat. & amœnitatem depaſcitur florum: vt, Iam calidi lucent buceta Matini. *vuidi.* humidi, ab aquarum copia *fingo.* meditor, compono. vt, Corpora fingere lingua. *concines.* deſcribes, cantabis nobiſcum. *maiore plectro.* ſublimiori & grādiori metro victorem Cæſarem: quia Antonius Heroico metro Diomedeas ſcripſit duodecim libris, & nonnulla alia oratione ſoluta *quandoque.* id eſt, quandocumque. *feroceis Sygambros.* Germaniæ populum. *per ſacrum cliuum.* per viam ſacram, qua aſcēdebatur ad Capitolium, per aſcenſum Capitolij. *feroceis.* quia antea Centuriones Romanos, qui ad ſtipendia miſſi erant, circumuentos crucibus affixerant. *boníque diui.* liberales, propitij. vt, Sis bonus ó, felixque tuis. *redeant.* nec aureo ſæculo ſimilem Cæſari virum natum fuiſſe, aut naſci poſſe, ſi in eum ſtatum tempora recurrant. *concines.* publicam vrbis lætitiam decātabis. *& vrbis.* ferias imperatas, propter triumphum Cæſaris, & eius reditum. *forúmque litibus orbum* æquitate Cæſaris. *ſi quid loquar.* modeſta oratio, vt fugiat arrogantiam. vt, O mihi tam longæ maneat pars vltima vitæ Spiritus, & quantum ſat erit tua dicere facta. *audiendum.* memoratu & auditu dignum. *O Sol pulcher.* Solem pro eo die poſuit quo Cæſar victor eſt ingreſſus: vt, Tres adeò incertos cæca caligine ſoles Erramus. *pulcher.* felix & fauſtus. *O laudande.* laudibus celebrande. *recepto Cæſare.* recuperato à ferocibus & inhumanis Sygambris, quos non parum timebamus. *felix.* ego fortunatus te ſaluo & incolumi. *téque dum procedis.* Sacra acclamatio cum inuocatione ad ipſum triumphum, qua Io, Io dicebatur. vt, Io matres audite. *benignis.* reditum Cæſari benignum præſtantibus. *te decem tauri.* ad honorem enim maiorum numinum & potentium perſonarum pertinet ſi magnis victimis immolatio fiat. vt, Te maxima taurus victima. *me tener ſoluet.* abſoluet à votis pro ſalute Cæſari Diis factis. *relicta matre.* à lacte depulſus. *in mea vota.* à me Diis promiſſa. *curuatos igneis.* Lucem lunæ tertiæ imitatus cornuum incuruatione & breuitate. *Qua notam duxit.* vitulum pro reditu Cæſaris Diis promiſſum ait in fronte ſignatum nota candida, cùm reliquo corpore totus eſſet rufus. *niueus videri.* Hellenicōs. vt, certus amari. *cætera fuluus.* Synecdoche.

CRVQVIVS.

PINDARVM *quiſquis ſtudet.* Pindarus Lyricorum poëtarum facilè princeps, Quinctiliano teſte, natus Thebis in vico Cynocephalorum apud Dircen fontem, vnde Dircęus nominatus. Floruit Olympiade ſeptuageſima ſexta, vt refert Euſebius in Chronicis, ab vrbe condita ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, annos agens circiter triginta quatuor: Scripſit Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia, & oratione ſoluta admonitiones ad Græcos. Lyrici autem poëtæ Græci fuere nouem, Pindarus, Alcæus, Sappho, Steſichorus, Ibycus, Bacchylides, Simonides, Alcman, Anacreon. *nititur pennis.* tres codices manuſcripti Bland. hic habent, & vbique in aliis odis, pinnis, pro pennis. *quem ſuper notas.* In euulgatis ante annos decem adnotationibus, cenſui legendum ex Blandinio cod. vetuſtiſſ. *Cùm ſuper notas ſalieret ripas*; & per tmeſin ordinandum hoc modo, Cum imbres, id eſt, aquæ pluuiæ ſuper ſaliere notas ripas, idque ad euitandum vocum ordinem perturbatiorem: verùm quia video doctis hoc velut minus proprium non placere, Commentatorémque ſequi aliam lectionem, non grauatim mutaui ſententiam *feruet.* vnus codex hic habet feruit, antiquo more. *Dithyrambos.* hic non dubitarim tam ad cantionem ipſam rhythmicam, quàm ad chorum Bacchicum referri Dithyrambos, qui ad numeros ipſe, nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum magno & corporis & vocis impetu contendebat: quod certè ſatis indicat Alexander ab Alexandro lib. quarti cap. decimoſeptimo. fuit, inquit, obſeruatum, vt ſacrificantes aras circumcurrerent, auſpicati curſum à læua dextrorſum, quod religioſius putabatur: mox à dextra læuorſum. Cúmque hymnorum plures ſpecies forent quibus pſallebant Diis, hi tamen fuere in vſu frequentes. Hypingus Dianæ, Pæan & proſodia Apollini, Dionyſio Dithyrambus, Cereri Iulus, Eroticus Veneri decantabatur: præter quos fuere proſodion, Hyporchema, & Staſimon: quod ideo inuentum eſt, ne qua pars corporis religione vacaret, quaſi penitùs ſacro numine afflati, & quodam furore capti eſſent. Dithyrambus etiam epitheton eſt Bacchi παρὰ τὸ δύο θύρας βαίνειν: quòd bis natus duas veluti ianuas penetrauit. dicitur etiam Διθυραμβογενής, fortaſſe quia in διθύρῳ antro τῆς Νύσσης nutritus ſit: hinc διθυραμβικὰ δράματα, διθυραμβοποιοὶ, quos ait Ariſtophanis interpres vti λέξεσι πολυπλόκοις, quod hic Pindarus non obſcurè videtur innuere per noua verba. dicitur etiam ab Ariſtophane κυκλοδιδάσκαλοι, ex cuius nominis compoſitione liquido conſtat illos διθυραμβο-

διδασκάλοις etiam inſtituiſſe ſacrum & inſanientem chorum. *numeriſque fertur* an hic locus pertineat ad rhythmos Dithyrambicos tantùm, quia ſolutiores ſunt, nimirum numeri innumeri Comicíſque aliquanto liberiores nec vllis certis legibus aſtricti? an etiam velit oſtendere Pindarum non minus oratione quàm carmine valuiſſe, quòd etiam orationes Paræneticas ſcripſerit ad Græcos, per me vnicuique libera eſto ſua ſententia vel hoc aſſerendi vel negandi. *ſeu deos regéſq. can.* ad elucidationem huius loci, ſatis opportunè, vt mihi quidem videtur, poterit hîc adnotari illud tetraſtichon Archiæ:

τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροὶ,
οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λατοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο,
ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quatuor athletis ſacra ſunt certamina Græcis,
Terrigenûm duo ſunt, ſunt duo cælicolûm.
Nempe Iouis, Phœbique, Palæmonis, Archemorique,
Queis olea, & pinus præmia, mala, apium.

Namque in honorem Iouis ab Hercule inſtituta ſunt Olympica, in Olympia luco oleaſtris conſito, iuxta Alphæum fluuium, ad templum Iouis Olympici. Alterũ Pythicum erat certamen Apollini dicatum Delphis, ob interfectum Pythonem ſerpentem, vbi victoribus corona erat laurea. Tertium Iſthmicum à Theſeo inſtitutũ in honorem Melicertæ ſiue Palæmonis, in Iſthmo loco anguſto Corinthi. Atqui ſcriptores hîc multum varij ſunt, in honorem ne Herculis an Neptuni, an Palæmonis. Quartus Nemeus ludus ordinatus eſt propter Archemorum puerum Lycurgi in Nemea ſilua defunctum. In his itaque ludis, quando alij certabant curſu, lucta, pugnis, ſaltu, poëtæ & Muſici cantionibus, Heroúmq. deſcribendis laudibus contẽdebant, inter quos primas tenuit Pindarus. *ſignis.* tabulis, ſtatuis, ſimulacris, quæ vt motu ipſa carent, ita caduca tandem pereunt, at virtus clara æternáq. habetur, quæ ipſa cum ſuis comitibus omnia ſuperans, ad æternitatem prouehit ſui ſtudioſos. *munere.* munus hic accipimus carmen Pindari parœneticum, quod vt immortale, ita ſempiterna gloria donat & ſuos auctores, & quos illi laudibus celebreis efficiunt, vt Ouid. Scindentur veſtes, gemmæ frangẽtur & aurum, Carmina quã tribuunt fama perẽnis erit. Muſarũ gloria carmen eſt, inquit Heſiodus, ipſum vti virtus quã celebrat, æternũ & immortale. *flebili.* deflendæ. deplorãdæ. vt, Multis ille quidem flebilis occidit. *educit.* extollit. ſic ſcriptum inueni in vno codice antiquiſſimo contra vulgatam editionem *deducit*, non aptam etiam, teſte Lambino *inuidet nigro.* ſubtrahit, ſubducit ab obliuione, & donat æterna memoria *leuat aura.* hæc Apoſtrophe tacitè dehortatur Antonium ab imitatione Pindari poëtæ inimitabilis, ſuóq. exemplo ſuadet, humilius vt de ſe ſentiat, quàm vt inſtar Pindari, velit ſublimiori carmine deſcribere laudes magni Cæſaris. habet enim Horat. ſibi peculiare, & tamquam proprium, (vt ait Perſ. Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo) vt quẽ nolit apertè offendere, illum amicè, quaſi aliud agens, moneat ad meliora: concedit quidem Antonio maius plectrũ ad decantandum Cæſarẽ, ſed quaſi ex obliquo illabitur in illius animum, vt facilè intelligat ſe moliri aliquid ſupra vireis. *in altos nubium.* in eam vſque regionem ſeu plagam cæli, vbi nubes condẽſantur, hoc eſt, in cælos ipſos, ſeu eam ingenij ſublimitatem, ad quam pertingere non fas eſt cuiuis. *grata carpentis.* Thymus vel thymũ herba ſatis eſt obuia, cuius flos albus eſt apibus gratiſſimus, ex quo mella congerũt ſuauiſſima: at hîc, thymi nomine quoſuis flores accipimus, ne exiſtimemus hîc Horatium aliquid ſignare aliud, quàm omnis generis floſculos apib. gratos: quales ſunt flores meliſſophylli, fabarum, cytiſi, cunilæ, coniſæ, roſarum, thymi, &c. vt ſcribit Plinius lib. vigeſimiprimi cap. 12. *operoſa paruus.* elegãs verborum & venuſta *ἀντίθεσις*: paruus, operoſa, labore plena: paruus, quaſi naturam ſuperet & ingenij laboris magnitudo. honeſta hæc eſt Tapinoſis, & verecundè ſeruiens comparationi. *maiore plectro* Heroico carmine, quod lyrico maius eſt. *Sygambros.* hanc lectionem antiquam mutare nolui, quòd ſibi conſonarẽt codices Blandinij tres, tum quòd ex ea, vt genuina, nihil vidi ſuboriri poſſe vel difficultatis, vel obſcuritatis, propter litterarũ G & C inter ſe cõſenſum: vt taceam hanc huius dictionis *συγαμβρος*, antiquam & veram eſſe orthographiam, quod ex Strabone manifeſtũ eſt lib. ſeptimo in princip. verùm Sygambri Heſſi ne ſint, an Geldrenſes, cum Iuliis, Leodiis, & toto illo tractu Rheni ad foſſam vſque Druſianam, an vlterius etiam extendatur ad Oceanum, multa & diuerſa ſentẽtia eſt. quare ego antiquam illorum ſedem, aliquantò certiùs cognitam, vt litteris mandarem, non deſtiti, ad inſtar apis, peruolare loca & hortos omneis illorum auctorum, quos arbitratus ſum in ea cultura diligenter verſari: tandem in ea charta quæ ad oculũ nobis delineat Rheni tractũ, offendi in Marca Comitatu ad dextram Rheni ripam Sygamburgum oppidum, non procul ab origine Ruræ fluminis. hanc profectò crediderim & ſedem antiquam Sygambrorũ fuiſſe, & metropolin. Strabo autem lib. 7. ait: ad Oceanum præterea pertinentes Sygambri, &c. & paullò pòſt: ceterùm Sygãbri vicini Rheni amnis accolæ, belli exordia factitarunt. *in aurum priſcum.* in mores optimos, optimi

optimi ſæculi, quod ab excellētia verè aureū nuncupatur. atque adeò non in aureum tantùm, quod minus eſt, ſed in ipſum aurum purum putum. *ſi quid loquar.* ἐπιεικῶς omnibus eſt licitū de ſe ſentire & dicere. nulla namque virtus, aut immoderata eſt, aut non bene ſibi cōſcia: verùm hoc vehementer eſt cauēdum, ne, vitiorum cum virtutibus propinquitate decepti, à recto declinemus; vt canit Iuuenal. Decipimur ſpecie recti. Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbra. *meæ vocis.* magna pars mei carminis, eáq. prima, in laudem Cæſaris, & ſui reditus gratulationem accedet ad tuas laudes, & cantus digniores. *téq. dum procedis.* ſic legitur in tribus codicib. Bland. Deinde hunc verſum, *Non ſemel dicemus Io triumphe,* habet vnus codex huic prępoſitum. *Téque dum procedis.* verùm quòd locus non careret multis lituris & notulis, ſeruaui communē lectionem, quia dilucidior videretur, & minus perturbata. *benignis.* eiuſdem eſt ſententię cum eo quod ſuprà dixit, *boniq. diui.* *iuueneſcit.* adoleſcit, fit iunex. iunices erant tenera ætate boues, qui iam ceſſarant eſſe vituli, & nondum ad iuſtam magnitudinē peruenerant. hinc Perſius: Tot tibi cùm in flammæ iunicum omenta liqueſcant. non obſcurè ſignificat Horat. antiquum apud Athenienſeis morem in ludis celebribus ad Theſei ſepulchrum, vbi ex decreto & ſententia decem iudicum ex ſingulis decuriis electorū, Lyrici iuuencam immolabant, Tragœdi hircū, & poëtæ taurū.

COMMEMORANDO SVA ſtudia virtutem Poëtices proſequitur, ad Melpomenen Muſam.

ODE III. προσευκτική.

QVEM *tu Melpomene ſemel*
Naſcentem placido lumine videris,
Illum non labor Iſthmius
Clarabit pugilem: non equus impiger
Curru ducet Achaico
Victorem: neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quòd regum tumidas contuderit minas
Oſtendet Capitolio.
Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt
Et ſpiſſæ nemorum coma,
Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romæ principis vrbium
Dignatur ſuboles inter amabileis
Vatum ponere me choros:
Et iam dente minus mordeor inuido.
O teſtudinis aureæ
Dulcem quæ ſtrepitum Pieri temperas:
O mutis quoque piſcibus
Donatura cycnis ſi libeat ſonum,
Totum muneris hoc tui eſt,
Quod monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ:
Quod ſpiro & placeo, ſi placeo, tuum eſt.

COMMENTATOR.

METRVM dicolon diſtrophon, priori Glyconicum, altero Aſclepiadeum. Affirmat ſtudio poëtices deditum, nulli poſſe alij rei laudabiliter vacare: inde ſubiungit laudem Melpomenes Muſæ cum gratiarum actione. *ſemel.* mox: non ſemel naſcentem, ſed quem ſemel videris naſcentem, is non athleta, neque miles erit, ſed poëta: nemo enim niſi ſemel naſcitur. *videris.* delegeris. *labor Iſthmius.* certamen curule. Iſthmos locus eſt Corinthi, vbi celebrantur agones in honorem Neptuni. *clarabit.* nobilitabit, notum omnibus faciet. *pugilem.* pugiles autem dicuntur athletæ, quia pugnis valent. *non equus.* non equeſtri certamine enitefcet. *Achaico.* Græco, curru quadriiugo. *neque res.* neque Reſpublica eum oſtendet Capitolio triumphantem. *Deliis foliis.* laurea corona, qua triumphātes coronati Capitolium conſcendebāt. *Deliis.* Apollineis: à Delo inſula Apollini ſacra. *ſed quæ Tibur.* non ſuprà memorata eum facient nobilē, ſed aquæ quæ præterfluūt fertile Tibur ab eo deſcriptæ Aeolio carmine facient clariorem. *Tibur.* hoc propriè Horatius ad ſeceſſum ſuum refert. nam Tibur ferè otium ſuum dicebat, ibíq. carmina ſua conſcribebat. *Æolio.* quia alij Aeolica, vt Alcęus, dialecto magis ſunt vſi, hoc eſt, ſermone Ceïo. nam apud Lyricos quinq characteres in vſu fuere, Atticus, Aſianus, Aeolius, Communis, Rhodius. itaque Aeolio, hoc eſt Lyrico, Sapphico, Alcæo. *fingent.* facient. *dignatur ſuboles.* poſteritas Romana dignatur me inter poëtas enumerare, & in numero poëtarum habere. per ſuboles potiſſimùm ſignificat Nerones, quos Auguſtus non vt priuignos, ſed vt filios diligebat. *amabileis.* honeſtos. *& iam dente minus.* vici virtute & laude inuidiā, hoc eſt, minus me lacerant inuidi: ſecundum Salluſtianū illud, Gloria inuidiam viciſti. *O teſtudinis.* ex primo verſu adhuc pendet, vt ſit ſenſus, O Pieri Melpomene Muſa, quę temperas, hoc eſt, aptas, componis, modularis, dulcem ſtrepitū, ſonum muſicum, teſtudinis, hoc eſt, lyræ

aureæ, pulchræ & dulciſonæ. *Pieri.* vocatiuus Græcus eſt a nominatiuo Pieris, à nemore Pierio. *cygni ſonum.* cantus dulcedinem. *muneris tui.* gratiæ & beneficij. *fidicen.* poëta, à fidibus lyræ: vt, Threïcia fretus cithara fidibúſque canoris. *ſi placeo.* Ellipſis coniunctionis tamen.

CRVQVIVS.

LABOR *Iſthmius.* de Iſthmio certamine dictum eſt ode ſecunda huius lib. *Delijs folijs.* præcedenti ode dixit, merita fronde. *ſuboles.* ſic inueni in tribus codicibus Blandiniis, idque ex ſententia Feſti rectius, ab oleſcendo, inquit, id eſt creſcendo, vt adoleſcentes quoque & adultæ, & indoles. Lucret. lib. 5. ſiue virûm ſuboles ſiue eſt muliebris origo. Virgilius, Cara Deûm ſuboles magnum Iouis incrementum. Scribit etiam Lambinus in tribus codicibus Vaticanis ſe ita legiſſe. *Vatum amabileis choros.* id eſt Lyricos poëtas, qui amabilia ſeu amatoria canunt. *dulcem quæ ſtrepitum.* Hoc ipſum eſt chordarum ſeu fidium proprium: nam ψάλλειν, quod eſt τῶν κιθαρῳδῶν, κυρίως ἐστὶ τὸ τῷ ἄκρῳ τῶν δακτύλων τῶν χορδῶν ἅπτεσθαι, vt ait Suidas: à quo adducitur hoc exemplum, τὴν νεῦραν τοῦ τόξου ψάλλων, quod verbum etiam retinuit Horatius inquiens, Pſallimus & luctamur Achiuis doctiùs vnctis: deinde apud Euripidem Ione ſunt ψαλμοὶ τόξων. *O mutis quoque piſ.* Hìc aduerte quæſo, quàm parum ſibi conſtent adnotationes vulgatæ: ô muſa quæ es idonea ſonum quoque dare piſcibus mutis ſi velis: aut, quæ potentia tua, inquiunt, & muta animalia oblectari facis: propter Arionem, quem cithara in mari canentem ſecuti delphines dicuntur. Quàm ſunt hæc digna Acrone aut Porphyrione! quaſi non intelligerent Horatium velle ipſam muſam vocaleis poſſe reddere piſceis, non etiam citharæ ſtrepitu illos delectari, quàm non potius illi nebuloni conueniant per quem de ſua fama laborant tanti viri, & nominis integritate? Quis enim non videt ab Horatio hic ſcriptũ eſſe παράδοξον κατ' ἐξοχήν: neque enim natura piſcibus vocem conceſſit præterquam quibuſdam ſonitum aliquem; vt eleganter oſtendit D. Eraſmus in adagio, mutus magis quàm piſcis: & cygnos ſub mortem modulari tam omnium ſcriptis eſt celebratum, quàm nulli vel compertum vel creditum. Quare ego certè crediderim, ſi hariolari licet, hæc quæ de Cygnea cantione ſcribuntur, omnia ſumta eſſe ex Ornithogonia: vbi, inter alia, commendantur nautis auguria cygnorum: quòd iis in tempeſtate viſis, nautas hilariter canere, & τὸ εὐφημεῖν, ſuauiter inclamare conſtet: quemadmodum Virgilius ſcribit vſu veniſſe Aeneæ in extremis naufragij periculis laboranti: Aſpice, inquit, biſſenos lætanteis ordine cygnos. Itaque quòd dicantur cygni ſub mortem ſuauiſſimè canere, illud opinarer aſſcribendum periclitãtibus nautis, quòd illi ſub mortem, quam ob oculos verſari cernunt, cygnis apparentibus dulcius modulentur, certò perſuaſi ſe liberatum iri. Verſus autem ipſi ex Ornithogonia ſunt, Cygnus in auguriis nautis gratiſſimus ales, Hunc optant ſemper, quia numquam mergitur vndis. Apud Athenæum legimus, lib. ſeptimo, βῶξ ὀνομάσθη παρὰ τὴν βοήν· διὸ καὶ Ἑρμοῦ ἱερὸν εἶναι λόγος τὸν ἰχθὺν, ὡς τὸν κιθαρῳδὸν Ἀπόλλωνος, &c. vbi Pherecrates nullum alium piſcem omnino vult eſſe vocalem: βῶκες enim dicti ſunt quaſi βόακες, clamoſi: vocatur & βόαξ vel βόωψ: qui piſcis eſt ex Menarum genere, βὼξ Plinio nominatur: Gaza vocam vertit, noſtri autem boutynck appellant. hæc Pantinus medicus.

AD VRBEM ROMAM, de indole Druſi & inſtitutione ſub Auguſto.

ODE IIII. προσφωνητικὴ ἐγκωμιαστική.

QVALEM miniſtrum fulminis alitem,
Cui rex deorum regnum in aues vagas
Permiſit, expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flauo,
Olim iuuentas & patrius vigor,
Nido laborum propulit inſcium:
Vernique, iam nimbis remotis
Inſolitos docuere niſus
Venti pauentem: mox in ouilia
Demiſit hoſtem viuidus impetus:
Nunc in reluctanteis dracones
Egit amor dapis atque pugnæ:
Qualémve lætis caprea paſcuis
Intenta, fuluæ matris ab vbere
Iam lacte depulſum leonem,
Dente nouo peritura vidit:
Videre Rhæti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem Vindelici: quibus
Mos vnde deductus per omne
Tempus Amazonia ſecuri
Dextras obarmet, quærere diſtuli:
Nec ſcire fas eſt omnia: ſed diu

La-

Latéque victrices catervæ
Conſiliis iuuenis reuictæ
Senſere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus
Poſſet: quid Auguſti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus, & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina ſed vim promouet inſitam:
Rectíque cultus pectora roborant.
Vtcumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.
Quid debeas, ô Roma, Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen, & Aſdrubal
Deuictus, & pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma riſit adorea.
Dirus per vrbeis Afer vt Italas:
Ceu flamma per tedas, vel Eurus
Per Siculas equitauit vndas.
Poſt hoc ſecundis vſque laboribus
Romana pubes creuit: & impio
Vaſtata Pœnorum tumultu
Fana deos habuere rectos.
Dixítque tandem perfidus Annibal,
Cerui luporum præda rapacium
Sectamur vltrò, quos opimus
Fallere & effugere eſt triumphus.
Gens quæ cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuſcis æquoribus ſacra,
Natóſque, maturóſque patres
Pertulit Auſonias ad vrbeis,
Duris vt ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animúmque ferro.
Non Hydra ſecto corpore firmior
Vinci dolentem creuit in Herculem:
Monſtrúmve ſummiſere Colchi
Maius, Echioniaúe Thebæ.
Merſes profundo: pulchrior euenit.
Luctere; multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretq́;
Prœlia coniugibus loquenda.
Carthagini iam non ego nuntios
Mittam ſuperbos: óccidit, óccidit
Spes omnis, & fortuna noſtri
Nominis, Aſdrubale interemto.
Nil Claudiæ non perficiunt manus:
Quas & benigno numine Iupiter
Defendit: & curæ ſagaces
Expediunt per acuta belli.

COMMENTATOR.

METRVM tricolon tetraſtrophon, duobus verſiculis Alcaïcum, tertio iambicum dimetrum hypercatalectum, quarto Pindaricum. In hac ode laudatur C. Druſus priuignus Auguſti, is qui patrem Neronem habuit. In periodo principij huius duplicem facit comparationem: nam Druſum ait tanto vigore atque impetu hoſteis Vindelicos inuaſiſſe, quanta vi ſoleat aquila irruere in rapinam, primo agnorum, mox corroborato vigore, etiam draconum: ipſos autem hoſteis ita vi Druſi belligerãtis eſſe conterritos, vt capream viſu leonis in ſe irruentis. Itaq. qualem miniſtrum ſenſit Iupiter aquilam fidelem & fortem in rapiendo Ganymede, talem ſenſere Rhæti Vindelici Druſum bellantem. *miniſtrum fulminis alitem*. aquilam: quæ ideo tutelæ & miniſterio Iouis deputata dicitũr, quòd proſperum auſpicium illius aduerſus Titanas pugnaturus accepit. *regnum*. quia habetur auium regina â celeritate volatus; alij volunt, quia fixis oculis ſola auium intueatur ſolem. *in Ganymede*. vt, Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis. *flauo*. pulchro; vt, flauus crinis. *patrius vigor*. aquila patris. *propulit*. adhuc tenerum & volandi rudem incipientémque volare. *vernîque veniti*. id eſt temperati. *nimbis remotis*. hieme remota. *docuere pauentem*. priùs. *inſolitos niſus*. primos volatus. *amor dapis*. fames. *pugna*. vt, fulua draconem fert auis: Itaque fames quidem agit in oueis imbelleis, at amor pugnæ in reluctantes dracones; propter mutuum inter ſe odium. *qualémve lætis*. altera comparatio Druſi cum leone, ob inſignem & natiuam virtutem. *lætis*. opimis, fertilibus. *intenta*. tunc enim rarior eſt formido, quando occupat aliquem in deliciis poſitum. *dente nouo*. tunc primùm prædam rapturo, ſeu adhuc inconſueto ad prædam. *videre Rhæti*. qualem in fertilibus paſcuis poſita capra leonem primæ iouentæ videns expauit, talem hoſtes videre Druſum: hic enim ſubintelligitur, talem.

Rhæti Vindelici. his deuictis facta eſt ciuitas *Auguſta Vindelica in Rhætis Vindelic.* quæ gens eſt Galliæ in Alpibus. *quibus mos.* ordo huius eſt, quibus mos vt obarmet dextras Amazonia ſecuri, vnde deductus ſit quærere diſtuli, id eſt, non quæſiui: atqui Vindelici ſedibus ſuis vi Amazonum eiecti, extra Aſiam ſe contuliſſe, Alpiúmque locis conſediſſe dicuntur, & quòd potentiſſima in ſe tela ſecureis experti fuiſſent, ipſos quoque vſum earum in bello retinuiſſe. *nec ſcire fas eſt.* id eſt fas eſt non omnia ſcire, quia licet aliqua ignorare. *ſed diu latéq.* hoc ſolum, inquit, dicere mihi ſatis eſt: quòd Rhæti diu potentes & victores à Druſo adhuc puero ſuperati ſunt. *victrices.* anteà. *catervæ.* Rhætorũ. *iuuenis.* Druſi priuigni Aug Cæſ. quem Liuia de Ti. Claudio Nerone marito priori ſuſceperat. *reuictæ.* mirè autem reuictæ, quia ſuprà dixit victrices. *ſenſere.* expertæ ſunt virtutem & inſtitutionem Romanam. *mens.* aut pro animo, aut prudentia. *ritè.* opere ac ordine. *indoles.* ſuboles. indoles propriè dicitur ingenij bonitas & inclinatio. *fauſtis ſub penet.* felicibus; ſub cuſtodia virtutum. *in pueros.* Nerones priuigni Auguſti, quorum alterum in domo Tiberij mariti prioris Liuia peperit: alterum in vtero ad Auguſtum attulit: deinde altero in Germania per morbum extincto, alter adoptatus ab Auguſto, ſucceſſor ei in principatum fuit, & vocitatus eſt Tiberius Cęſar. *Fortes creantur fortibus.* Sententia omnis aut vera eſt, aut veriſimilis: hæc autem non quod fieri neceſſe eſt, ſententia continet, ſed quod contingere ſolet. interdum enim inuenimus ignauum à ſtrenuo natum: plurimùm autem id fieri videmus, filios à parentum virtute non degenerare. virtus namque à parentibus ingeneratur, induſtria verò doctrina conquiritur. *eſt in eq.* vt, pecoris generoſi pullus in aruis altius ingreditur. *promouet.* excitat, meliorem facit. *rectique cultus.* bona inſtituta, bonæ inſtitutiones: quod in gratiam Cæſaris ait, ne videretur nihil egiſſe Cæſar, ſi fortes nati ſint Druſi, quia innatam cuique virtutem & excitat doctrina promouétque, & confirmant recta inſtituta: quam omnem virtutis diſciplinam in domo Auguſti Nerones accepere. *vtcumque.* hoc eſt, quandocumque, vel quotieſcumque. *defecere mores.* id eſt, bona inſtituta. *dedecorant.* deformant. *culpæ.* mali mores. *bene nata.* generoſa. *quid debeas.* Neronum familiæ. *teſtis Metaurum.* Metaurus fluuius ex Piceni finibus oriens, in Flaminiam decurrit Galliæ Togatæ regionem: apud hunc cæſus eſt Aſdrubal Annibalis frater. nãm cùm Annibal vaſtaret Italiam, & videret exercitum ſuum ad indolem Romanam non poſſe ſufficere, fratri ſuo mãdauit Aſdrubali, vt cum multitudine militum ipſe veniret; cui venienti factus obuiam Claudius Nero conſul cum Salinatore collega, illum ita deuicit, vt nec profectum è caſtris conſulem Annibal, dum in conſpectu caſtra muniiſſet, nec reuerſum antè cognoſceret, quàm fratris caput ante caſtra proiectum, & de exercitu eius Pœnos captiuos vidiſſet: quo viſo Annibal ceſſit. hoc bello ſupra quinque & quadraginta milia Aſdrubalis exercitus cæſa feruntur: quare hìc poëta dicit, Vides, Roma, quãtum debes Neronibus, qui ab illo originem ducunt. *tenebris.* tenebras Afros vocauit, propter terrorem & mærorem. *Adorea.* laus bellica: quia adorandos facit illos qui vincunt. & ſenſus eſt iſte: Teſtis eſt dies quantum debes tu Neronibus, qui riſit Adorea, propter fugam Pœnorum. *poſt hoc ſecundis.* poſt victum Aſdrubalem proſperis rebus creuit Roma, proſperiúſque agere cœpere Romani. *tumultu.* clamore bellico, vt, cęcos inſtare tumultus ſæpe monet. *Deos habuere rectos.* ex iniquis, quorum templa in Italia violata ſunt à Pœnis, dij ſunt facti recti, hoc eſt, propitij: vt irati, auerſi dicebantur. vt, Diua ſolo fixos oculos auerſa tenebat. *perfidus.* quia primus fœdus inter Romanos & Pœnos factum fregit. *cerui luporum.* verba Annibalis ad milites ſuos. idcirco autem lupis comparauit Romanos, quia auctor nominis eorũ à lupa nutritus dicitur. *gens quæ crem.* tamquam Romana gens per damna & cędeis creuerit: ideo & exemplum Troiæ ponit ob oculos, à qua eſt oriunda. vt, quos nulla fatigant prœlia, nec victu poſſunt abſiſtere bello. *ſacra.* deos Penates. vt, ſacra ſuóſque tibi commendat Troia Penates, hos cape fatorum comites. *natóſq.* vt, Aſcanium Anchiſenque patrem Teucróſque Penates commendo ſociis, & curua valle recondo. *duris vt ilex.* Metaphoricῶs: intelligi vult calamitatibus Romanos ad virtutem reſurgere fortiores. *vt ilex.* opportuna comparatio ab ilice, quæ vt præciſis ramis magis creſcit, ita gens Romana per damna & cædeis magis floret. *tonſa.* cæſa, amputata. *feraci.* fertili. *nigræ frondis.* virentis. *in Algido.* qui mons eſt in agro Tuſculano: at hic pro quolibet monte poſuit. *per damna.* mirandum dicit quòd Romanis poſt tot cladeis numquam defecit exercitus. *ab ipſo.* ilex enim cæſa ferro melius pullulat. *non hydra ſecto.* quæ vt exciſis ab Hercule capitibus numeroſior excreſcebat, ita Romani bellorum damnis meliores ſemper effecti ſunt. *dolentem vinci.* qui dolebat ſe ſuperari ab aliquo. *ſubmiſere.* ediderunt: quod propter Iaſonem dictum eſt, cuius hæc eſt ſententia: neque apud Colchos maius ſurrexit monſtrum, quàm ipſi ſunt Romani: nam apud hos ex ſeminatis dentibus draconis acies armata ſurrexit, quam Medea carminibus ſuis perdidit,

didit, cùm eam coëgiſſet inter ſe armis confligere. *Echonieve Thebæ.* ab Echione conditæ; qui fuit pater Penthei, gener Cadmi, qui Thebanum draconem Marti ſacrum occidit, ex cuius etiam ſatis dentibus, monitu Palladis, armati prodierunt, ex quibus aliquos in ſocietatem cõdendæ vrbis Cadmus dicitur adſciuiſſe, quorum vnus fuit hic Echion. *merſes.* ſi merſaueris profundo, pulchrior, id eſt, fortior emerget. merſo, as, vt, fluuio merſare ſalubri. *proruet.* euertet, euincet. vt, proruit inſano contorquẽs vertice ſiluas fluuiorum rex Eridanus. *integrum.* alio tempore non victum. *victorem.* paullò antè. *coniugibus.* à coniugibus narranda. *ſuperbos.* proſpera nunciãteis. *occidit.* ſpes: nam Annibal viſo Aſdrubalis capite, in hæc verba præ dolore dicitur erupiſſe: Agnoſco te Fortuna Carthaginis. *Claudiæ manus.* vires Neronum. *curæ ſagaces.* optima conſilia animi, ingenium & induſtria. *expediunt.* expeditum faciunt. *per acuta belli.* per ea quæ periculi plena ſunt, per dura prœlia, & moleſtias belli graueis.

CRVQVIVS.

QVALEM *miniſtrum* Aquila Ioui ſacra dicitur à Cornuto, quòd volandi pernicitate alias aueis ſuperet; cuius hæc verba ſunt, *ἱερὸς δὲ ὄρνις αὐτοῦ ὁ ἀετὸς λέγεται εἶναι, διὰ τὸ ὀξύτατον τοῦτον εἶναι τῶν ἄλλων πτηνῶν*: alludendo ad ſignificationem verbi *ἀΐσσω*: at ſi Feſto credimus, qui aquilam numerat inter aueis quinque volatu ſuo auſpicia facienteis, rectiùs deriuabimus *παρὰ τὸ ἀεὶ ἐτεὸς εἶναι*: quòd ſemper verax ſit, & vera nunciet. erant autem aues hæ Buteo, Sanqualis, Immuſculus ſiue Immuſſulus, Aquila, Vulturius. *laborum.* hoc non tam eſt ad volatum referẽdum, quàm ad pugnam & prædam: alterum enim eſt naturæ, alterum cuiuſdam neceſſitatis. *propulit.* ſic ſcriptum inueni in duobus codicibus Bland. cui lectioni ſubſcribit Lamb. ex veteribus codicibus. *vernique venti.* puta Zephyri, vt, Vere nouo gelidus canis cum montibus humor liquitur, & Zephyris putris ſe gleba reſoluit. *inſolitos niſus.* elegans Periphraſis eſt volatus. vt ſuprà, nititur pennis vitreo daturus nomina Ponto. *mox.* alludere videtur Horatius ad raptum Ganymedis, quem rapuit Aquila *τὸν ποιμένα*. *viuidus impetus.* conſentit illi, vigor patrius. Viuidus à poëtis à vi magna dicitur, inquit Feſtus. *amor dapis.* *ἔνδεια τροφῆς*: vnde naſcitur edendi deſiderium: *ἔστι γὰρ ἀετὸς ὀξύπτερος*: famis impatiens. mira *ἔμφασις* naturæ & ſagacitatis aquilæ: primùm nido propellitur naturali vigore: deinde fame fertur ad prædam: poſtremò viuido impetu ad pugnam rapitur. *videre Rhæti.* de Rhætis, & Rhætis Vindelicis dicemus ode huius lib. decimaquarta. *nec ſcire fas eſt omnia.* in duobus codicibus Bland. legitur *neſcire fas &c.* vtra lectio rectior ſit iudicet lector: mihi certe poſterior non improbatur, atque adeò clara mihi apparet, vt, niſi quid impediret verbum *diſtuli*, aliam facilè obſcuret. *fas.* *θεμιτὸν*, vel *ἀνεμέσητον*. *quid mens ritè.* benè ac rectè: quę dictio hîc propriè poſita eſt ad docendam Druſi inſtitutionem tam in ſacris quàm profanis rebus agendis. nam in Ritualibus Etruſcorum libris perſcriptum eſt, ait Feſtus, quo ritu condantur vrbes, qua ſanctitate muri, quo iure portæ, quo modo tribus, curiæ, centuriæ diſtribuantur, exercitus conſtituantur, ordinentur, ceteráq. eiuſmodi ad bellum & pacem pertinentia. *quid indol.* Indoles, inquit Feſtus, incremẽtum induſtriæ. *Fortes creantur fortibus.* Nerones Neronibus: lingua namque Sabina Nero fortem ſignificat, quod monuit Giſelinus ex Suetonio in vita Neronis. Genus & naturam accipimus à parentibus, à quorum moribus & virtute diſcedere, degenerare eſt. hinc ait Homerus ἰλ. ζ. *μηδὲ γένος πατέρων αἰσχυνέμεν*. & mox, *ἥβης ἐν γνώμαις τε, καὶ ἴσχυμα αἵματος εἶναι* *eſt in iuuencis.* declaratio ex exemplaris à minori & diſpari. *doctrina ſed vim promouet.* accedit diſciplina naturæ & generi, ne efferatur & pereat, ſed promoueatur & vigeat: *φρα-δμοσύνη* propriè dicitur, quòd coniunctam habeat prudentiam. *quid debeas Roma.* Apoſtrophe Epidictica per Proſopopœiam. *teſtis Metaurum*, vt Rhenum flumen: Metaurus autem fluuius eſt Vmbriæ, vt ſcribit Plinius lib. tertij cap. decimoquarto, apud Faneſtrem Coloniam, vt ſcribit Mela: eſt autem Fanum Piceni ſeu Vmbriæ amœniſſima vrbs ſita in littore Adriatico: hinc Faneſtris Colonia Melæ. Quid autem hîc velit Commentator per Flaminiam Galliæ Togatæ regionem, quam nullam inuenio, nõ ſatis aſſequor, niſi mutilum fortaſſe, repoſitis ſibi membris, corpus ſuæ integritati reſtituamus: atque ita ad Metaurum victum dicamus Aſdrubalem cæſumque à Nerone cõſule, quemadmodum antè Flaminium conſulem ad Thraſymenum lacum ab Annibale. Oroſius lib. quarti capite decimooctauo ſcriptum reliquit, ſexaginta tria milia de exercitu Aſdrubalis ibi cæſa eſſe, & capta quinque milia quadringentos. Strabo lib. quinto tradita C. Flaminio cõſule cum M. Lepido collega, è Roma per Tuſciam & Vmbriam vſque Ariminum Flaminiam viam ſtratam fuiſſe: hanc exiſtimo hîc ſignari à Commentatore, ſed illius occaſionem non video. *alma Adorea.* non ab adorãdo Adorea eſt, ſed quia farris, quod ador dicitur, & ſimul omnium rerum adducat abundantiam, vt habet Feſtus. Adoream lau-

laudem ſiue gloriam dicebant, quia glorioſum eum putabant eſſe qui farris copia abundaret. vtrumque legitur, adorea & adoria. *Afer vt Italas.* hæc lectio ſatis placet, ſi, vt, interpretemur, poſtquam; & equitauit, pro, equitauerat. verum quia in vno codice inueni hanc lectionem, quam videtur Glareanus reiicere, *Dirus per vrbeis Afer it Italas, &c.* deinde ſupra verbum, it, notatum, ſtatim fugit; poſtremo, hanc adnotationem, *poſt cladem fratris fugam deſcribit Annibalis:* libuit hic ſciſcitari lectoris opinionem num hic ordo & ſententia multum abſint à re præſenti: puta ille dies pulcher, tenebris fugatis Latio, qui primus riſit propter adeptam victoriam, teſtis eſt, &c. *quo dirus Afer it*, hoc eſt, ſtatim fugit per vrbeis Italas ſibi ſocias, in Brutios, vt habet Oroſius lib. quarti cap. decimooctauo, *ceu flamma per tedas, &c.* vt hæc comparatio non tam vim & damnum illatum anteà vrbibus Italis quàm fugæ celeritatem denotet poſt inopinatam fratris cædem. *poſt hoc ſæ.* poſt hæc, ait Eutropius lib. tertio, Annibal diffidere de belli cœpit euentu, Romanis ingens animus acceſſit. *impio tumultu.* id eſt, clamore bellico, ait Commentator. quam interpretationem Glareanus non admittit, quia non clamore, inquit, ſed manu diruuntur fana. verùm id curioſius à Glareano dictum eſt meo iudicio. nam eadem ratione neque tumultu fana vaſtata dicemus, qui, vt volut Grammatici, timor eſt multus. *fana deos habuere rectos.* hic in antiquiſſimo codice Bland. ex vſu frequenti litteris propemodum deletis, coniectura vix aſſecutus ſum hæc verba, *ex inuerſis quorum templa violata ſunt in Italia à Pœnis, exinde recti eſſe cœpere dij Romani:* vbi non dubito, per Aphæreſin, rectos, poni pro, erectos. quem locum etiam diligenter obſeruauit Lambinus. præterea nihil eſt abſurdi, rectos deos, poni pro, ſtatuis rectis, vt apertè habet Athenæus lib. ſecundo, καὶ διὰ τοῦτο ἱδρύσθαι βωμὸν ὀρθοῦ διονύσου ἐν τῷ τῶν ὡρῶν ἱερῷ. Sic & corpus rectum dicimus ὀρθὸν σῶμα καὶ ἰσχνός. Quòd autem Commentator, rectum, interpretetur, propitium, nō memini me legiſſe: at pro honeſto, vero, & integro per tranſlationem, tam Latinè quàm Græcè paſſim eſt obuium. *ſectamur vltrò.* verba hæc ſunt Annibalis ad ſuos milites, dehortātis eos à perſecutione Romanorum, quos calamitatibus videbat ad virtutem erigi fortioreis: pugnamus, inquit, contra eos, quos vitare victoria eſt. *fortis.* infracta ad omnia damna & pericula. *creuit.* hoc eſt, duplicata eſt, inquit Commentator. quæ vera interpretatio eſſe poteſt ex ſententia Pauſaniæ, qui Hydram illam Lernæam vnicum vult habuiſſe caput, ita pro vno exercitu duos paratos fuiſſe intelligemus: aut rectiùs, creuit, exponemus, multiplicata eſt; dicta eſt enim Hydra, θηρίον πολυκέφαλον. Nam ſcribit Eutropius lib. tertio, vno tempore quatuor locis pugnatum eſſe, in Italia contra Annibalem, in Hiſpania contra fratrem eius Aſdrubalem, in Macedonia contra Philippū, in Sardinia contra Sardos & alterum Aſdrubalem Carthaginienſem. hic omitto hanc Pauſaniæ opinionem eſſe contra iam olim receptam de multitudine capitum Hydræ Lernææ. *merſes.* duo codices Bland. habent *merſus*. quæ lectio etſi non diſpliceret, ſecutus tamen ſum lectionem vulgarem, propter verbum *luctere* *coniugibus loquen.* à coniugibus, paſſiuè: niſi malimus eſſe datiuum iuxta illud Ouidij, Narrantis cōiunx pendet ab ore viri. videtur alludere Horatius ad γαγγυνοκόμους γυναῖκας, αἳ τὰς κώμας ἐμπιπλᾶσι βοῶσαι: ad vxores, quę ſuo clamore vicos replent, vt ait Suidas: idq́. vel lętitia, ira, dolore, metu; vel alio muliebri affectu. *perficiunt.* ſic habet codex antiquiſſ. Bland. quem ceteris probatiorem iudico, tum propter argumentum præſens, tum quòd verbum *expediunt* hic illi in tempore conſonet *per acuta belli.* idem codex hic habet, peracuta, vnica dictione compoſita: verùm ei lectioni nonnihil obſtat Polyſyntheton. acuta belli Achilles Statius Luſitanus interpretatur Strategemata, vbi opus eſt ingenio, & ſollertia ducum, quaſi διὰ τὴν τοῦ πολέμου ἀγχίνοιαν.

AD AVGVSTVM, DE expeditione eius tarda orat. Pæanis ſpecies.

ODE V. προσευκτική.

DIVIS *orte bonis, optime Romulæ*
Cuſtos gentis, abes iam nimiùm diu:
Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuæ dux bone patriæ.
Inſtar veris enim vultus vbi tuus
Affulſit populo: gratior it dies,
Et ſoles melius nitent.
Vt mater iuuenem, quem Notus inuido
Flatu Carpathij trans maris æquora
Cunctantem ſpatio longius annuo
Dulci diſtinet à domo:
Votis, ominibúſque, & precibus vocat:
Curuo nec faciem littore demouet:
Sic deſideriis icta fidelibus
Quærit patria Cæſarem:

Tutus

Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit rura Ceres, almáque Fauſtitas:
Pacatum volitant per mare nauitæ:
Culpari metuit fides:
Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos, & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes.
Quis Parthum paueat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit
Fetus incolumi Cæſare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ?
Condit quiſque diem collibus in ſuis:
Et vitem viduas ducit ad arbores:
Hinc ad vina redit lætus, & alteris
Te menſis adhibet deûm.
Te multa prece, te proſequitur mero
Defuſo pateris: & Laribus tuum
Miſcet numen, vti Græcia Caſtoris,
Et magni memor Herculis.
Longas ô vtinam dux bone ferias
Præſtes Heſperiæ, dicimus integro
Sicci mane die: dicimus vuidi,
Cùm ſol Oceano ſubeſt.

COMMENTATOR.

METRVM Dicolon diſtrophon, tribus primis verſibus Aſclepiadeum, quarto Glyconicum. Ad Auguſtum, quem precatur cùm in prouinciis transſmarinis diutius opinione maneret, Senatus ac populi precibus miſſa legatione, reditum iam diu expectatum vt acceleret. *diuis orte*. diis genite. *Romulæ gentis*. Romanæ gentis. *abes nimium diu*. ab vrbe Roma. *maturum reditum*. Laus cum incuſatione proficit ad dolorem. *ſancto concilio*. Senatui. *lucem redde*. tuo reditu. inuenit quod plus diceret quàm ſalutem, ſiquidem ſalutis illum auctorem vocat. lux etiam pro ſalute poni conſueuit: vt, O lux Dardaniæ, ſpes ô ſanctiſſima Teucrûm. *inſtar veris*. vt, inſtar montis equum diuina Palladis arte ædificant. quia verſu ſuperiore dixit *lux*. etiam verni temporis comparationem appoſuit. *vbi* quando. *affulſit*. affulſerit. *vt mater iuuenem*. comparatio ab affectu materno: ita dicit patriam deſiderare Auguſti præſentiam, ſicut à matre reditus abſentis filij expectari conſueuit. *inuido*. inimico, aduerſo: nam flatus ventorum quodámodo videntur inuidere matri, negantes vel impedientes reditum filij. *Carpathij*. Aegyptij: vt, Carpathium, Libycúmque ſecat. *cunctantem*. vt, Reginam thalamo cunctantem ad limina primi Pœnorum expectant. *ſpatio longius*. vltra annum. *diſtinet*. ſeparat. *votis ominibúſque*. quæ, tamquam mater deſiderio filij, pro reditu vota faceret, & omnia timeret aduerſa. *curuo nec faciem*. vt affectum deſiderantis oſtenderet, etiam eas parteis ſollicitè dicit obſeruare matrem à quibus ſperat reuerſurum filium. *icta deſideriis*. percuſſa amore: tamquam patria Auguſti deſiderio percuteretur, dum pro ſalute illius eſſet ſollicita. *fidelibus*. magnis ac iuſtis. *tutus bos etenim*. te præſente ô Cæſar. cauſam dicit cur patria deſiderat Auguſtum; quia omnis Italia ſecura eſt illius præſentia, & virtutibus, cuius etiam diſpoſitione agris præſtita quies. vt, ille meas errare boues vt cernis, &c. *almáque*. veneranda, ſancta. vt alma Ceres. *Fauſtitas*. felicitas, nouè dictum. hoc eſt, omnia florent tua præſentia. *volitant*. commeant: compreſſi namque ab eo fuerant & piratæ. *culpari metuit*. valet fides, nemo nec creditum nec depoſitum negat. *caſta domus*. vt, caſta pudicitiam ſeruat domus. *lex*. tua, quam de coërcendis adulteriis ſanxiſti. *maculoſum nefas*. quia ex nefariis rebus macula quædam innaſcitur animis hominum, vt perfidia, adulterium, periuria. *mos*. vitæ conſuetudo. *edomuit*. ſuſtulit. *laudantur ſimili prole*. fetæ. ceſſant adulteria, adeò vt abeſſe culpam matrimonio, prolis & parentum ſimilitudo demonſtret. vt, ſi quis mihi paruulus aula luderet Aeneas, qui te tantùm ore referret. *culpam pœna*. leges valent, ac per hoc qui peccant, continuò puniuntur, nec criminoſis pœna differtur. *quis Parthum*. incolumi Cæſare. *quis gelidum Scythen*. quia in Septẽtrione ea regio ſita eſt, multo frigore & niuibus rigida. *quis feræ*. quia indomitę & bellicoſæ ſunt Hiſpanarum gentes. *condit quiſque*. peragit, finit ſecurus. vt, cantando longos memini me condere ſoles. *collibus in ſuis*. ſecurus ab hoſtibus, in ſumma pace & tranquillitate, in operibus ruſticis. *viduas*. non maritatas vitibus. vt, ſtratus humi palmes viduas deſiderat vlmos. *hinc ad vina venit*. ex agricultura, à labore ad conuiuia. *& alteris*. ſecundis. nam antiquorum conſuetudo talis fuit, vt ſublata prima menſa, poneretur ſecunda, atque in ea poſitis pomis, infuſóque in pateras mero libaretur diis. vt, & menſæ grata ſecundæ dona ferunt: &, non ego te diis & menſis accepta ſecundis tranſierim Rhodia. ſic etiam Auguſto ſignificat exhiberi honorem Deorum, ritu diuino. *defuſo pateris*. hoc eſt, fuſo de pateris. vt, pateris libamus & auro. *te proſequitur mero*. tibi ſacrificat. *tuum miſcet nomen*. & cum Penatibus ſuis tuum nomen inuocant. *vti Græcia, Caſtoris*

& magni. id eſt, fortis *memor*. ob beneficia ab illis accepta. ſic à Romanis promittit Auguſtum Diis Penatibus ſociandum, quemadmodum à Græcis Herculem, Caſtorem & Pollucem: quos aut animi ciuica familiaritas commendauit, aut labor diligi fecit & virtus. *longas*. ſolebant Romani reuertente Imperatore ferias agere & ſacrificia: itaque precatur, quoniam eius vita omnibus ferias præſtat, diutius vt viuat, & fiant feriæ longiores. *Heſperia*. Italiæ. *ſicci*. ieiuni. *integro die* cùm totus dies reſtat. *vuidi*. ebrij, cœnati, vino pleni. vt, vuidus hiberna venit de glande Menalcas. *ſubeſt*. occidit.

CRVQVIVS.

DIVIS *orte bonis*. vt ode ſecunda huius lib: *boníque diui*. deinde: *dabimúſque diuis tura benignis*. quorum poſterius prioris eſt ſententia & interpretatio. *ſancto concilio*. ſanctum, inquit Vlpianus, quod nec ſacrum, nec profanum eſt, ſed ſanctione quadam confirmatum: quæ Sanctio lex eſt cum quodam terrore pœnæ: hinc ſanctæ leges, ſanctus Senatus, ſanctum Cõcilium, quod eſt inuiolabile, incorruptum, ab iniuria hominum defenſum ac munitum. *gratior it dies*. vnus codex Bland. habet, *gratior & dies*. quod etſi non videatur reiiciendum, nolui tamen recedere à vulgata lectione, quòd ea cõmodior videatur. Idem codex hîc habet *effulſit*. alij duo *adfulſit*. *Carpathij*. Carpathus vel Carpathum inſula eſt contra Aegyptũ, inter Rhodum & Cretam media; à qua vicinum mare Carpathium vel Carpathicum denominatur. Plinius lib. quarto, cap. duodecimo, & quinto, cap. trigeſimoprimo. Solinus cap. vigeſimoprimo. *diſtinet à domo*. ita ſcribitur in tribus codicibus Bland. rectius meo iudicio quàm *detinet*; cui reſpondet περιπτάομαι. *littore demouet*. tres codices habent *dimouet*. atqui malui legere cum Lambino *demouet*: motus auctoritate Terentij in Adelphis: caue nũc iam oculos à meis oculis quoquam demoueas tuos. *mos & lex*. lex Iulia de adulteriis: de hac lege dicemus ode vltima, *edicta rumpet Iulia*. *maculoſum*. vt macula turpitudo eſt, ita maculoſum ſordidum, turpe, immundum. Cicero in Verrem actione ſecunda: cuius vt adoleſcẽtis maculas, ignominiáſq. prætercam, &c. Lucilius: Quẽ ſcis ſcire tuas omneis maculáſq. notáſque. *culpam pœna* lepidiſſima Metaphora: ita namque indiuiduam culpę pœnam dicit comitem, quaſi pede pedem premat: cui omnino eſt conſonum. Voluptati mœror eſt comes. culpa hîc crimen eſt & delictũ, cuius pediſſequa pœna eſt, ἀδικημάτων δοῦναι δίκας, delictorum dare pœnas. *defuſo pateris*. ſic codex antiquiſſimus habet: alij duo ſequuntur vulgatam lectionẽ. *vti Græcia Caſtoris*. Græco more bibere, ait Alexander ab Alexandro, erat vina pateris circumferre, & largè bibere, nominatímque deſignare cui libarent: primò deos, deinde amicos appellare: & bona fauſtáque omnia deos precari: Quod idem docet Feſtus in dictione Calpar: vinum, inquit, nouum quod è dolio demitur ſacrificij cauſſa, antequam guſtetur, &c. Ioui enim prius ſua vota libabant, quæ appellabant feſta vinalia. Calpar autem propriè vas eſt, à quo vinum ipſum nouum deſumſit nomen. *cùm Sol ἀνατρέφῃ*. cùm Sol eſt ſub Oceano: quemadmodum pauló ſuprà, defuſo pateris, id eſt, fuſo de pateris.

AD APOLLINEM & Dianam.

ODE VI. προσευκτική.

DIVE, *quem proles Niobæa magna*
Vindicem linguæ, Tityóſque raptor
Senſit, & Troiæ prope victor altæ
Phthius Achilles
Ceteris maior: tibi miles impar:
Filius quamuis Thetidos marinæ
Dardanas turreis quateret tremenda
Cuſpide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulſa cupreſſus Euro,
Procidit latè, poſuítque collum in
Puluere Teucro.
Ille non incluſus equo Mineruæ
Sacra mentito, malè feriatos
Troas, & lætam Priami choreis
Falleret aulam:
Sed palàm captis grauis, heu nefas, heu,
Neſcios fari pueros Achiuis
Vreret flammis, etiam latenteis
Matris in aluo:
Ni tuis victus Venerisq; gratæ
Vocibus, diuûm pater annuiſſet
Rebus Aeneæ potiore ductos
Alite muros.
Doctor argutæ fidicen Thaliæ,
Phœbe, qui Xantho lauis amne crineis:
Dauniæ defende decus Camœnæ
Leuis Agyieu.

Spiri-

Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, noménque dedit poëtæ.
Virginum primæ, puerię claris
Patribus orti,
Deliæ tutela deæ, fugaceis
Lyncas, & ceruos cohibentis arcu,
Leſbium ſeruate pedem, meię
Pollicis ictum,
Ritè Latonæ puerum canentes,
Ritè creſcentem face noctilucam,
Proſperam frugum, celeremq́ pronos
Voluere menſeis.
Nupta iam dices, ego diis amicum,
Seculo feſtas referente luces,
Reddidi carmen docilis modorum,
Vatis Horati.

COMMENTATOR.

METRVM dicolon tetraſtrophon conſtans Sapphico & Adonio. Commendat Apollini ſua carmina ludis ſecularibus decantāda: qui poſt annos centum & decem celebrari, & populo exhiberi ſolebant ad Tiberim, vel in Capitolio: & ſimul alloquitur pueros puelláſque, quos carmen deceat ſeculare ad numerum modóſq. canere in honorē Apollinis & Dianę. *proles Niobæa*. laus à factis. fuit autem Niobe Tātali filia, vxor Amphionis, Thebarum regis: quæ fœcunditate partus ſui Latonæ ſe prætulit: cuius ſex filios in venatione Apollo, ob iniuriam matris, occidit: nihilominus tamen cùm eſſet orbata filiis ceſſauit inſultare Latonæ, prohibens ei ſacra fieri: quare ſex eius filias etiam Diana interfecit. *magna*. ſuperbæ. *Tityos raptor*: qui Latonam appetere auſus, eíq. vim inferre conatus eſt. *Troia alta*. magnæ. vt, hoſtis habet muros, ruit alto à culmine Troia. *propè victor*. quia maximè Troiam afflixit. *Phthius Achilles*. à patria. vt, Phthiam claráſq. Mycenas. *tibi miles*. vnde, Dardana qui Paridis direxti tela manúſque corpus in Aeacidæ. *Thetidos mar*. deæ Nerei filiæ. vt, longè illi dea mater erat. *quateret*. agitaret, concuteret. *tremenda*. metuenda. *Dardanas*. Dardanias. principale, ſeu primum, pro deriuatiuo gentilitio. vt, hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus. *mordaci ferro*. aut noxio, aut quia quicquid attigerit, quaſi mordicus tenet. *Teucro*. Teucrio. vt, & longo poſuit ſe Teucria luctu. *ille non incluſus*. dicit Achillem nihil fraude ſed ſemper palàm virtutis fiducia dimicaſſe, & dimicaturum fuiſſe: vt, nec equidē caua condemur in aluo, luce palam. *Mineruæ ſacra mentito*. quòd eſſent ſacra Mineruæ. vt, votum pro reditu ſimulant. *equo*. vt, inſtar montis equum diuina Palladis arte ædificant *malè feriatos*. perniciosè ferias agenteis. vt, nos delubra deùm, miſeri, quibus vltimus eſſet ille dies feſta velamus fronde per vrbem. *lætam choreis*. feſtalibus. *falleret aulam*. Ilion: Hyperbaton: non ſolùm regem Priamum Achiui fefellere inſidiis, verùm etiam totū populum. vt, tenebras & inertia furta Palladis. rurſum, & pueri circum innuptæque puellæ ſacra canunt. *ſed palam captis*. aperto ſemper bello Achilles, non inſidiis grauis. vt, non furto melior, ſed fortibus armis. *heu nefas*. dolenter exclamat in ſæuitiam Achillis: qui, ſi per Apollinem viuere licuiſſet, adeò ſæuus erat, vt nec infantibus, nec in vtero geſtantibus pepercisſet: in cuius rei crudelitatem eſt illud: Crimine quo parui cædem potuere mereri? quantò itaque minus Aeneas euadere potuiſſet illius manus, ad vrbem Romam meliori omine condendam? *neſcios fari*. infanteis, περιφραστικῶς. *ureret*. vſſiſſet. *etiam latentem*. quia in grauidas etiam mulieres ſæuiiſſet Achilles, & prægnanteis: *ni tuis victus*. penitùs periiſſet Troia, & Troiani ad vnum omnes manibus Achillis, ni Iupiter, flexus tuis precibus & Veneris, promiſiſſet, ab Aenea & eius poſteris, meliori omine, melioribus auſpiciis & auibus muros ducendos, ædificandos, ſeu Romam condendam. *victus*. flexus. *Veneris gratæ*. placidæ amabilis. *vocibus*. precibus. *potiore*. meliori auſpicio. vt, melioribus apto auſpiciis. *doctor argutæ*. loquacis, peritæ. Phœbum Thaliæ muſæ doctorem, ad ſuum ſtudium inuitās, ſuam illi muſam Dauniam commēdat, hoc eſt, artem lyricam. *qui Xantho*. fluuius eſt Troiæ. vt, Xanthiq. fluenta deſerit, ac Delum maternam inuiſit Apollo. *lauit*. lauat, more antiquo *Daunia*. Daunia, Apulia: à Dauno rege. *leuis*. imberbis. *Agyieu*. villane Apollo: quia in villis & vicis eius ſtatuæ erant: Agyiæ autem plateæ ſunt: vnde Apollo dictus Agyieus, quòd ex oraculo in viis publicis vrbis ſuæ Athenienſes ſtatutis altaribus Apollini ſacrificare inſtituerint *ſpiritum Phœbus*. Apoſtrophe per digreſſionē ad pueros & puellas nobileis, à quib. decantādum erat ſeculare carmen: quibus per exhortationem oſtendit ſeſe beneficio Apollini factum eſſe poëtam, vt facilius pueri puellęq. ipſius diſcant carmina quem Apollo poëtam facit. *virginum primæ*. nobiles & præcipuæ *Deliæ tutela deæ*. hoc eſt, qui eſtis in tutela & fide Dianæ, vos decantate Dianam, & Lyrico carmine celebrate. quod dicit Horat. vt hymnū operis ſui canendo cuſtodiāt. *ceruos cohibentis*. hoc eſt, comprehendentis, vulnerantis, occidē[illegible]is *Leſbium ſeruate pedem*. metru Lyricum, quo Alcæus poëta

Leſbius vi ſolebat. *ſeruate pedem.* numeros & modos. *meiq́; pollicis ictum.* quo lyra tangitur, id eſt, ionam & ſtrepitum lyræ, & moderationē carminis lyrici. quod ſuauiter dicit. quaſi ipſam lyram percutiat. *ritè Latonæ puerum.* Apollinem πυθοκτονὸς καὶ ἑκηβόλος eſt enim puer Latonę ſemper ephebus. *ritè.* ad ritum. ſeu ex inſtituto maiorum. *creſcentem face noctilucam* id eſt, lunam nocturno lumine claram eodem enim & Luna honore cenſetur: vnde & Dianæ Luciferę nomen accepit *proſperā frugū.* quia fruges nutrit & properat nocturno humore: vt, quantum longis carpent armenta diebus, exigua tantum gelidus ros nocte reponet. *celeremq́ pronos.* hoc enim Lunę, præter ceteros Planetas, proprium eſt, vt ſuum curſum in Zodiaco compleat ſingulis menſibus, quemadmodum Sol toto anno. *nupta iam dices.* hoc eſt, poſtquam nupſeris, hoc dicetis, Nos aliquādo ſecularibus ludis cecinimus edoctæ carmen vatis Horatij. ordo eſt, ego docilis modorū vatis Horatij, reddidi carmen amicum dijs ſeculo referente feſtas luces. *dijs amicum* amabile. *feſtas luces.* dies feſtos: poſt annos centū & decē. *docilis.* perita modorū Horatij. *docilis.* qui facilè docetur.

CRVQVIVS.

MAGNAE *linguæ.* magnam linguam rectè petulantem, atq. inſolentem interpretabimur, cuius vitium magniloquentiam, iactantiam, grandiloquentiam nominamus: μεγαληγορίαν μεγαλαυχίαν ἀλαζονείαν, inanem, ſtultam, & futilem de ſe prædicationē: cuius vltricē, Nemeſin finxit antiquitas. hoc itaque malo quòd laboraret Niobe, dijs immortalibus pœnas dedit orbata ſuis liberis: quod etiam ſcribit Statius tertio Thebaidos, inquiens, magnificos luit impia flatus Tantalis. huic autē malo vicinū eſt μέγα φρονεῖν altu ſapere, inſoleſcere & efferri ſupra modum. *Tityos raptor.* Pindarus in πυθ. ὠδ. δ. canit hūc Tityum à Diana interfectum, inquiēs, ἐ μὰν Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θήρευσε κραιπνόν. at eius interpres ex Pherecyde ab vtroq. telis confectū ſcribit: ὅτι δ' ὑπὸ Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος ἐτελεύτησε ... *propè victor.* nam interfecto Hectore præcipua belli moles cecidit: adeò vt totum bellum conficere Achilli fuiſſet facile, ſi illi ſupereſſe datum fuiſſet, iam de victoria deſperantibus Troianis. *Phthius Achilles.* Achilles ſenſit vindicem Apollinem: quia vel ab illo ſub figura Alexandri Paridis, teſte Hygino, vel eius cōſilio à Paride eſt occiſus: vnde eſt illud, Dardana qui Paridis direxi tela manúſq. &c. Quod etiam Ouid. 12. Metam. iuſſu Apollinis ait Paridem interfeciſſe Achillem: ſed an in templo Tymbræi Apollinis, an in campo Troiano, variāt ſcriptores. *Phthius.* à Phthia ciuitate Theſſaliæ. quòd autem idem Lariſſæus cognominatus ſit, ne idcirco exiſtimemus Lariſſam eius patriam fuiſſe: ſed hoc illi datum nomē eſſe ob vicinitatē Lariſſæ ad Phthiam. *cuſpide pugnax.* Synecdochicōs pro haſta, quam nemo præter illum vibrare poterat, quę πηλιὰς dicebatur, ἡ πηλιάς ὁ δόρυ qua vulnerare ſimul & curare poterat. vnde illa nata eſt fabula de Telepho, vt videre eſt apud Hyginū de qua latiùs dicemus in Iambico ad Canidiam. *ille mordaci.* argumentū à pari, nempe à pinu, vel ferro excita, vel vi ventorum eruta, ad declarandam molē & corporis vaſtitatem ipſius Achillis *procidit latè.* in latū: quo denotatur violentus caſus & repentinus, atq. magnitudo corporis; hoc eſt, præter expectationē occubuit, humi q. illa vaſta corporis moles procubuit. *in puluere.* hanc prępoſitionē *in* reperi in duobus codicibus Blandi. quam arbitror non omittendā *puluere* appoſita vox equis & viris militaribus, atque adeò omnibus exercitiis, non corporeis tantū, ſed & metaphoricōs animi. nam ſine puluere contingere dicitur quod quis facilè aut nulla opera conſequitur: cōtrà, quod magno labore vel animi vel corporis parandum eſt, hoc meritò puluerulētum dici poteſt. vnde illud eſt, in ſolem & puluerem educere: quod Cicero tertio de legibus Phalereū Demetrium feciſſe ſcribit, qui doctrinam ex vmbraculis doctorū otióq. non modò in Solem atq. puluerem, ſed in ipſum diſcrimen aciémq. perduxit. Iterum 2. de nat. deor. Sed ſi hæc non videtis, quia numquā eruditum illum puluerem attigiſtis &c. hinc ἀκονιτὶ ſine puluere, citra pulueris tactū. Plin. lib. 35. cap. 11. Qui Pancratio Olympiæ citra pulueris tactū (quod vocāt Aconiti) vicit, Coniti Nemea. hic (vt adnotauit Budæus) legendum potius eſt *tactum,* ἀπὸ τῆς ἀφῆς, quòd puluere poſt vnctionem ſe ſpargeret athleta iam in certamine cōgreſſurus: quo nō indecorè ſordidari canit Horatius eos qui certant Olympia, Epiſtola prima lib. primi: Quis circum pagos, & circum compita pugnax Magna coronari cōtemnat Olympia, cui ſpes, Cui ſit condicio dulcis ſine puluere palmæ? *equo Mineruæ.* Equo Troiano: quia propter animi magnitudinem nihil niſi fortiter egiſſet: nō dolo, non fraude, non inſidiis, quæ nō cadunt in virum fortem. hæc autem eò omnia pertinent, vt à fortitudine Achillis clarior fiat Apollo, qui & vicit, & cecidit Achillem. *equo.* cui incluſi erant Tiſandrus Steneluſq. duces, & dirus Vlyſſes, demiſſum lapſi per funē: Athamáſq. Thoáſq. Pelidéſq. Neoptolemus, primúſq. Machaon, & Menelaus, & ipſe doli fabricator Epeus: vt ſcribit Virg. 2. Aeneidos. *Troiano.* qui & Durateus Homero dicitur. & δούρειος, ἀπὸ τῶν δουράτων, hoc eſt lignis ſeu trabibus: vt canit poëta, ſectáque intexunt abiete coſtas. Hine

Apollo-

Apollonió lib. 2. Argonauticôn, lignea turris vocatur. vide Homer. Odyſſ. θ. & Eraſmű in adagio, Equus Troianus. *ſacra mentito*. hic mẽtiri eſt fingere ac ſimulare. fingebant enim Græci hunc ſe offerre equum Palladi placandę: vt canit Virgil. 2. Aeneid. ſic lana mẽtitur varios colores, in Pollione Virgilius. Dolorem capitis mẽtita puella, Ouidius 2. Amorũ *malè feriatos Troas*. id eſt ignauo inutili, potio vacantes, ait Budæus. malim tamen ma è feriatos interpretari, temerè ab armis cedantes: quod turpe eſt in viris militaribus, qui ſoli, etiam ferias à gente multitudine, non debent omnia, vel hoſte victo ſuperatóq. tuta putare: quod in Agamemnone docet Homer. *falleret*. lateret ſic Quinctilianus lib. 2. naturaliter fallant imperitos hæc ἐλλειπισμός. *grauis*. vt, hic ſæuus tẽdebat Achilles. *immitis*. iracundus, cedere neſcius, e de ſexta lib. primi. *ni tuis victus Venerisq*. codex antiquiſſimus Bland. habet, *flexus*. quod & blandius eſt, & minus imperioſum. cui correſpondet epitheton Veneris *grata*. hoc autem beneficium Aneę ſeruati cõiunctim aſſcribit Apollini, & Veneris apud Iouem precibus, ne videri poſſit in Venerem ingratus, quæ à Ioue ſuo filio Aneę impetrauit imperium ſempiternum. *annuiſſet rebus Æneæ*. id eſt, laboribus, conatibus, ad imperium ſtabiliendũ promiſiſſet muros ductos. *ductos*. Enallage temporis, pro *ducendos*: promiſſum namque, iam Roma conſtituta, impletum erat: quò reſpicere viſus eſt Horatius pro futuro preteritũ vſurpãs. ductos, qui iam ducti ſunt: hoc eſt, Periphraſticῶς Romã conditam. ducere autẽ muros, eſt erigere ac ſtruere. *doctor argutæ*. deflectit Horatius à fortitudine & rebus geſtis Apollinis ad illius citharã, modos, & canendi peritiam: atque precatur, vt, etſi ſit doctor fidicen argutæ Thaliæ, ne auerſetur tamẽ camœnam ſuam Dauniam, agreſtem licet atq. obtuſam: quibus verbis Apollinẽ ſuæ lyræ defenſorẽ parat. *qui Xantho*. fluuius Troiæ eſt Xanthus, qui Simoënti commiſtus influit in portum Achæorũ: ſic nominatus vel à flauore, vel quòd crineis ſua aqua lotos reddat flauos, vel (vt ſcribit Ariſtoteles hiſtor. tertio) ouium lanã ex ſe bibentiũ flaueſcẽtem. *lauit*. pro lauat lauere olim dicebatur pro lauare. *leuis* imberbis. Tibullus, Solis æterna eſt Phœbo Bacchóq. iuuẽta; nam decet intõſus crinis vtrumq. Deum. Codex Bland. antiq. habet, *latus Agylleu*. olim cum viris doctiſſimis pro Agylleus, ſcripſi Agyieus, contra conſenſum omniũ ſcriptorum codicũ, nolẽs diſſentire à tam multis viris doctis, quos itineris litterarij mihi velut ἀνδριάντας quoſdam ſemper veneror: Atqui non adeò nuper incidens fortè in hęc verba Strabonis lib. 5. In pythij Apollinis templo, Agylleorũ nominato, poſitus eſt theſaurus: nam quæ nunc Cære dicitur quondam nominabatur Agylla, &c. retrò vela dare cogor, & curſus iterare relictos, & τὸ Agylleus ſuo loco reponere, quod eos non improbaturos confido qui grauioribus occupati id non animaduerterunt. Cõmentator autẽ tam in contextu quã enarratione potius Acronẽ & Porphyr. vulgatos quàm antiqua ſcripta ſequitur quæ in contextu omnia conſonant, ſed in annotationibus. Blãdinij habent, Agylleus, id eſt, villanus, quia in villis & vicis Apollo reſponſa dabat. *claris patribus*. claris, poſitiuus pro clariſſimis poſitus eſt: ſicut inueni in annotationibus manuſcriptis. Clariſſimi autem parẽtes erant Senatores, matronęq. Senatoribus nuptę quorũ liberos hic primos nominat. *Deliæ tutela Dianæ*. ἐπισκήνιοις. hoc eſt, quæ eſtis ſub tutela Dianæ, ſeu protectione. *fugaceis lyncas* argumentũ futuri carminis in honorẽ Deæ, à venatione *noctiluca*. luna, quòd ſola lucet noctu, inquit Varro; itaq. ea dicta noctiluca eſt in Palatio, nam ibi noctu lucet templum. hîc fortaſſis alluſit Poëta ad νυκτιλαμπῆ, vt obſeruauit Achilles Statius ex Simonidis verſib. apud Dionyſ. Halicarnaſſeũ: cui etiã propriũ eſt νυκτιφανὴς id eſt, de nocte ſplendẽs, ſeu apparẽs *proſperã frugum*. adiectiuum verbale, agendi vim habẽs cũ gignendi caſu.

AD L. MANLIVM TORquatum de mortalitate, refert enim omnia mutari tempore.

ODE VII. παραινετική.

DIFFVGERE *niues: redeunt iam gramina*
Arboribúsq. comæ. (*campis*
Mutat terra vices, & decreſcentia ripas
Flumina prætereunt.
Gratia cum Nymphis, geminiśq; ſororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne ſperes monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora miteſcunt Zephyris. ver proterit æſtas
Interitura, ſimul
Pomifer autumnus fruges effuderit, & mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cæleſtia lunæ.
Nos vbi decidimus,
Quò pius Aeneas, quò Tullus diues, & Ancus:
Puluis & vmbra ſumus.
Quis ſcit an adiiciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora dij ſuperi?

Cunctа manus auidas fugient heredis, amico
Quæ dederis animo.
Cùm ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Reſtituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum:
Nec Lethæa valet Theſeus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

COMMENTATOR.

METRVM Heroicum, cuius prior verſus eſt hexameter, alter tripodia Heroica. Hac ode Torquatum ad vitam meliorem hortatur, ac dicit, vt vices ſunt temporũ, ita eſſe cuncta mortalia, & nihil vltra fata ſperandum, cùm nemo ab inferis ſit reuerſus. *diffugêre niues.* exordium à Veris deſcriptione, ſeu verni tẽporis amœnitate. *redeunt iam.* omniũ rerũ viciſſitudo eſt. *coma.* frõdes, folia. *mutat terra.* quia ratione temporum etiã natura ipſa mutatur. *decreſcentia.* langueſcentia *flumina prætereunt.* intra ripas labuntur, nec ſupergrediuntur. *gratia cum Nymphis.* frigoribus hiemis præteritis, ait amœnitate tẽporis ad ludũ & lętitiã Nymphas & Charites iam prouocari. *audet.* quia ſunt hieme pigriores præ frigore. *ducere nuda.* aut propter habitũ, quia nudę pinguntur, aut æſtũ *immortalia ne ſperes.* nil cogita eſſe immortale, quando etiã tempora finiãtur, & non eadẽ ſemper maneant. *frigora mitescunt Zephyris.* aduentante Vere & Zephyris flantib. docet per vices temporũ ęternum non eſſe quod temporale eſt. *ver proterit.* ſequitur, & cõſumit. *ſimul.* ſimulac, poſteaquã. *pomifer Autumnus.* proprium Epitheton. *Bruma recurrit.* reuertitur. *iners.* ab effectu, quia pigros & inerteis facit *damna tamen.* Quia condicionẽ mortalitatis tẽporibus anni cõparauit, ne crederẽtur & homines renaſci, tẽpora, immutationes elemẽtorum ſiue temporũ, reparari quidẽ dicit, ſed condicionẽ mortalitatis vt cõmunem omnibus, ita nobis oſtendit eſſe irreparabilẽ. ſenſus itaq. eſt: licet tempora anni per vices videantur occidere; tamen non occidunt, quia per eaſdem vices reparantur: nos autẽ poſtquam decidimus, non redimus, ſed tranſimus in puluerem. *dãna.* aut Lunæ ipſius immutationẽ, aut variationes temporũ. *quò pius Æneas.* per Aeneam, Tullũ, & Ancum, vult oſtendere cõmunem omnib. mortis condicionẽ. *quis ſcit.* propter incertum vitæ, neſciri ait, vtrũ homini ad diem quẽ agit ſequẽs adijcietur, cùm facilè & per horas poſſit occidere. *cuncta manus auidas.* auaras. nam in lucrũ veniũt quæ impenſa fuerint voluptati cõtrà, tibi pereunt quæ reliqueris heredib. *cùm ſemel.* vbi mortuus fueris, & inferis adiudicatus, inexorabilis eſt Orcus. *ſplẽdida* non cùm te ſplẽdidum ſuo iudicio Minos fecerit, ſed cùm te abſque vllo fuco, aut obſcuro odij inuidiæue liuore ſplendidè & lucidè iudicauerit. *reſtituet* ad vitam reuocabit *infernis neq.* reuocare quidẽ illum potuit, at immortalẽ facere nõ potuit: quia licet ad vitam dicatur reuocatus Hippolytus, nõ potuit tamen à Iunone in hac luce teneri. Itaq. aut fabuloſum & falſum dicit Hippolytũ ab inferis reuerſum, aut nihil ei ad condicionẽ immortalitatis profuiſſe, quòd ab equis ſuis diſtractus, vitæ reſtitutus ſit, dum in eandẽ ſortem ſit reuerſus, nec mortẽ perpetuò potuerit effugere. *nec lethæa valet.* Theſeus & Pirithous amici fuerunt, quos dicit coniurata amicitia morti eripi non potuiſſe. nam volentes Proſerpinam rapere apud inferos, poſtquam deſcendiſſent, remanſerunt, vt, ſedet æternúmq. ſedebit infelix Theſeus.

CRVQVIVS.

SVb hoc L. Manlio Torquato natus eſt Horatius, Anno ab vrbe cond. 689. *gramina campis.* gramen hic eſt nomen generis, pro quacumq. herba. ſicut in illo Virgil. 2. Georg. viridi ſe gramine veſtit tellus. hinc graminea corona, obſidionalis, quam ij qui ſunt liberati obſidione dant liberatori. *coma.* Metaphoricẽs pro frondib. & commune nomen eſt arboribus, fructibus, herbis. vnde apud Pliniũ, folium Balſami proximum rutæ, perpetua coma. ſic 4. Georg. Virgilij, Comam tondebat Acanthi. Coma lauri, 7. Aeneid. *flumina prætereunt.* præterlabuntur, non etiam exuberãt, vt hieme ſolent ex hiberna pluuia. *gratia cum Nymphis.* Gratias treis depinxit antiquitas, quòd oportet nos eſſe beneficos & liberaleis in dando, accipiẽdo, retribuendo: quarum nomina apud Heſiodum in Theogonia ſunt hæc: *Aglaie, Thalia, Euphroſyne*: cuius hi ſunt verſus, τρεῖς δ' οἱ Εὐρυνόμη χάριτας τίκε καλλιπαρήους ὠκεανοῦ κούρη, πολυήρατον εἶδος ἔχουσα, Ἀγλαΐαν, τε Εὐφροσύνην, θαλίην τ' ἐρατεινήν. Has autẽ nudas fingebat, vel quòd etiam pauperes & nudi potentioribus gratũ facere poſſint, vt habet Phornutus: vel quòd beneficia omni fuco & velamine carere debent. Manus ipſarũ inter ſe connexæ notant perpetuũ amicitiæ fœdus, gratiámq. à gratia diſiungi non poſſe. hinc illud eſt, ſegnéſq. nodum ſoluere Gratiæ. Sunt qui has eſſe velint Liberi & Veneris filias. nam per horũ munera Gratiæ cõciliãtur. ſtant hilari vultu, vt intelligamus, parata & promta debere eſſe noſtra in amicos obſequia. pinguntur iuuenes, quòd accepti gratia beneficij non debeat cõſeneſcere. Circumamiciuntur velamine pellucido, quandoquidem vera amicitia in rebus hone-

honeſtis conſiſtere debet. earum autem vna auerſa pingitur, duæ verò ad nos conuerſæ, quia ab accipiẽte gratiam duplicem reuerti decet. *immortalia ne ſperes*. non eſt hic annus latio illa orbium cæleſtium, quæ menſura rerũ eſt incõmutabilis; ſed affectio aëris in luce & tenebris, in qualitatibus illis primis: vnde temporum ſeries varium ſibi nomen ſortitur & viciſſitudinẽ. hinc ver, æſtas, autumnus, hiems: hinc annus, dies, menſis, hora: hinc illa, quæ ex elementis cõpoſita, ſuã ſpeciem perpetuò non ſeruant, ſed annua nunc oriuntur, nunc occidunt, etiãſi ex perpetuis cauſſis dependeant. Hoc itaque argumẽto monet Torquatũ, vt meminerit ſe cum hoc tempore ortũ, & poſt aliquando interiturum, quantũ ſcilicet pertinet ad eam ſui partẽ, quæ corporeis mutationibus eſt obnoxia *frigora miteſcũt Zephyris*. viciſſitudo temporis ex aëris qualitatibus, quæ cæli atq; aëris affectio varia potiſſimùm contingit ex acceſſu & receſſu Solis in noſtro Hemiſphærio: vt omittã primas cauſſas, & magna illa firmamenti ſidera *Zephyris*. Zephyrus ventus eſt tepidus & ſiccus ab occaſu Aequinoctiali, aut (vt volunt quidã) Solſtitiali flans aduerſus Eurum: vt Ariſtoteles in lib. de mũdo, Ζέφυροι καλοῦνται οἱ ἀπὸ δύσεως πνέοντες ἄνεμοι. dictus autem eſt Zephyrus quaſi Ζωηφόρος, vitam ferens, quòd tunc & plãtæ omnes germinare incipiant, & terra prius frigore cõſtricta, ſoluatur aperiatúrq. verùm de hoc plura ode 12. huius libri *damna tamen*: hic aduertat lector, quantũ ei debeamus, qui ex annotationibus ſcriptis, iiſq. barbaris, nobis pro vero Acrone obtruſit iam olim vulgata cõmentaria, qui videre nõ potuit, quæ quibus eſſent reddenda. nam hanc annotationẽ Commentatoris *quia condicionem mortalitatis temporibus anni comparauit*, &c. appoſuit his verbis odes præcedẽtis, *celerémq; pronos voluere mẽſeis* quod cuiuis manifeſtũ erit, ſi vulgata Acronis commentaria euoluat: non illum dico eaſdem annotationes non intellexiſſe *damna cæleſtia*. mũdana: quæ ſunt in viciſſitudine ortus & interitus; propter rerum temporúmq. variã quidem in ſucceſſione conſecutionẽ, at perpetuã tamẽ. Hic philoſophari, ac diligẽtius quid de natura rerũ dicere, non eſſet ab argumento alienũ, niſi nos impediret Horatianę lyrę ſtrepitus. atq. à grauioribus ad humaniora reduceret. *Luna*. Lunas hic accipiemus mẽſeis lunares de Lunę in mundũ hunc inferiorẽ vi & potentia, Macrobius in Somnium Scipionis affatim ſcribit. *quò pius Æneas*. Codex Bland. antiquiſſ. habet, *quò pater Æneas*. hæc verba tãquam exclamatio quædam interpoſita, oſtendunt mori omnibus eſſe neceſſe. neque enim pietas Aeneam, nõ Ancũ diuitiæ, neq; opes Tullum morti eripere potuere. *puluis & vmbra ſumus*: hoc differimus à ceteris quæ oriuntur & occidũt, quòd illa quidem reuiuiſcant ſuo tempore, nos verò, vbi mortui ſumus, non redeamus ad vitã anteactæ ſimilem. *quis ſcit an adiiciant*. quis certò ſibi polliceri poteſt ſe vel cras victurum? vt nõ iniuria quis dicat omnia noſtra in herba eſſe & flore: atq. adeò vitam hominis eſſe ſomniũ ac bullam. *ſumma*. habet idem codex *vita* atqui communis lectio magis placet metaphoricãs à numero & calculis. quid enim vita, quid tẽpus aliud quàm (vt ait Ariſtoteles) numerus motus per prius & poſterius? *amico quæ dederis animo*. verba Cõmentatoris hic ſatis apertè oſtendunt, *dare amico animo*, eſſe indulgere genio, & hilariter viuere. de hoc genere loquẽdi à Græcis deſumto legat hic quis Lambinũ *nõ Torquate genus*. hæc eſt expolitio illius, *quò pius Æneas* &c. quia nihil eſt in vita humana quod nos à morte liberare poteſt. *infernis neq; enim tenebris*. hoc argumentum à maiori validius aſſerit neminem poſſe mortem euadere. nam qua ratione exiſtimamus eloquentiã, opes, pietatẽ donare hominem poſſe immortalitate vitæ, quando ne diis quidẽ id conceſſum ſit? Iuno namque, etiamſi id potuit, vt iniquè diſcerptum Hippolytum ſemel in vitam reuocarit, tamen id præſtare non valuit, vt is perpetuò in vita maneret. quare neq; hoc factum negat Horatius, & vehementer ad rem facit; quod Commentator appoſitè indicat. Deinde Horatium non eſſe in ea ſententia, vt neget Hippolytum per Dianã ab inferis reuocatum, ſed ſolùm nõ immortalem factum, argumẽto nobis eſſe poteſt, quòd nõ ignorauit multos alios, Parcarũ licentia, ab inferis rediiſſe, quod de Cerere, Libero patre, Hercole, Aſclepio, atq. aliis legere eſt apud ſcriptores. de Hippolyto Theſei Aegęi ex Antiopa filio, déq. inſidiis Phædræ nouercæ, vide Hyginum, Plutarchum in vitã Theſei, Pauſaniã in Corinthiacis. *nec Lethæa vales*. hoc argumentum eſt ab eo quod maximum eſt inter mortaleis, nimirũ amicitia: cui ſi datum non ſit, vt propter eam nihil valeat mors in amicos; profectò nihil hic eſſe poſſit vnde quis ſibi immortalitatẽ polliceatur. de Theſeo & Pirithoo lege Plutarchum in vita Theſei.

AD C. MARTIVM CENſorinum. Comparatio poëtices, diuitiarum ſimul & virtutis.

ODE VIII. ἐγκωμιαστική.

DONAREM *pateras, grataque commodus*
Cenſorine, meis æra ſodalibus:
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum: neque tu peſſima munerum

Ferres,

Ferres, diuite me ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas.
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc deûm.
Sed non hac mihi vis: nec tibi talium
Res eſt, aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus: carmina poſſumus
Donare, & pretium dicere muneri.
Non inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus & vita redit bonis
Poſt mortem ducibus: non celeres fugæ,
Rejectæq; retrorſum Annibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quàm Calabræ Pierides: neque
Si charta ſileant, quòd bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ,
Mauortiſque puer, ſi taciturnitas
Obſtaret meritis inuida Romuli?
Ereptum ſtygiis fluctibus Aeacum
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum diuitibus conſecrat inſulis.
Dignum laude virum Muſa vetat mori:
Cælo Muſa beat. Sic Iouis intereſt
Optatis epulis impiger Hercules.
Clarum Tyndaridæ ſidus ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rateis.
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

COMMENTATOR.

METRVM Aſclepiadeum monocolon. fatetur Horatius ſibi facultates tantas non eſſe vt pateras poſſit & ſtatuas tripodéſque, & alia magni pretij munera donare, ſed carmen tãtùm in Cenſorini laudẽ, quod maius eſſe dicit, & omnibus illis diuitiis præferẽdum. *commodus*. benignus, humanus. *grataq*. gratitudinem declarantia, non ſine iucundo fructu. *æra*. ſtatuas æreas. *donarem tripodas*. quia in agone viri fortes accipiebant tripodes. vt, ſacri tripodes viridéſq. coronæ, & palmæ pretiũ victorib. *præmia fortium*. ἐπεξήγησις. *neq. tu peſſima*. nõ vilia, ſed maxima acciperes. *artium*. id eſt, harum rerũ quas aut Parrhaſius pinxit, aut Scopas cælauit. *Parrhaſius*. hic Athenis optimus & nobiliſſimus pictor fuit. *Scopas*. ſignorum ſculptor, ſtatuarius, marmorarius. *protulit*. hominibus euulgauit. *ſollers*. peritus. *hic*. Scopas. *ille*. Parrhaſius: nam *hic* viciniori reſpondet. *ponere*. formare, facere, fingere, pingere, conſtituere. vt, poſuítq immania templa. *non hac mihi vis*. abundantia taliũ rerum. *non tibi talium*. vt qui diues es re & animo, & contentus his quę habes: aut quia contemnis talia. *non inciſa notis marmora*. hoc eſt, marmora inciſa publicis notis nõ indicant clarius laudes virorum fortiũ quàm verſus & carmina. Notæ autem ſunt characteres, tituli, inſcriptiones, quibus defuncti Duces quandam immortalitatem conſequuntur. *per quæ ſpiritus*. quia per hæc monumenta vidẽtur viuere intuentibus *ſpiritus*. id eſt recordatio. *bonis*. fortibus, ſtrenuis. *celeres fugæ*. ſculptæ. *rejectæ*. remotæ, pro nihilo ductæ, quando ex Italia fugatus eſt. *non incendia Carthaginis impiæ*. quia contra fœdus iuramento violato, Romanis rebellarunt. quos etiã Cicero in Dialogis nominauit fœdifragos Afros. *eius qui domita nomen ab Africa*. Periphraſis P. Cornelij Scipionis Africani. Africanus autẽ dictus eſt ab euẽtu. vt Salluſt. Cui poſtea Africano cognomẽ ex virtute fuit. Senſus eſt, nõ tãtù præſtat victoria, nõ trophæa Africana marmoribus inciſa, non tantũ viris fortibus proſunt ſuæ virtutes, quantũ laudes carminib. cõſtitutæ & decãtatæ. *quam Calabræ Pierides*. carmẽ Ennij poëtę Calabri. Ennius Africani illius maioris geſta deſcripſit: oriũdus Rudino oppido Calabriæ. *ſi chartæ ſileant*. ſi nemo laudem tuã ſcripſerit, ſi taceant carmina. *quod bene feceris*. acceperis: quia facta clarorum virorũ, niſi carminib. illuſtrẽtur, ætatis ſuæ memoriã non excedunt. *quid foret Iliæ*. quid eſſet Romulus, ſi nemo carminib. illũ celebraſſet? *ereptum Stygiis fluctibus*. hũc poëtarũ ingenia clarum fecerunt & immortalẽ, inſulíſq. fortunatis conſecratũ. ereptum ſtygiis fluctibus, hoc eſt, morti & obliuioni. *virtus*. vis ingenij. *fauor*. ſtudium ob res geſtas. *lingua*. carmina. *diuitibus conſecrat inſulis*. fortunatis: quæ ideo beatæ dicuntur, quòd ibi omnia naſcãtur ſine ſtudio hominum, qui & Elyſij cãpi dicuntur. *conſecrat*. hoc eſt, donat immortalitate. *cælo Muſa beat*. id eſt, beatũ facit: quia beatitudinẽ cæli præſtat hominib. Muſa. nam per poëtas videntur viri fortes accepti in numerũ Deorũ. *ſic Iouis intereſt*. per carmina poëtarum in cęlo eſt, iunctus conuiuiis deorum. *impiger*. fortis. *clarum Tyndaridæ*. ἐπεξήγησις. Caſtor & Pollux fratres, filij Tyndari, qui poëtarũ carminib. putantur, quaſſatis tempeſtate nauibus, ſerena luce afferre ſalutem. *clarum*. ſuo ſplendore nauigantibus ſalutiferum. *ab infimis*. imis. *ornatus viridi*. ſic Bacchus deus factus carminib. poëtarũ, votis hominũ præſtat bonos euentus, felicia faciens vota precãtium.

CRV-

CRVQVIVS.

DONAREM *pateras*. Honeſtæ paupertatis honeſta & ingenua confeſſio, cui ſubiungit ingenij ſui approbationem modeſtã & laudabilẽ. *pateras*. ea vaſa olim fuiſſe honoratiſſima, docent ſacra & publica omnia, vbi his ſolùm vtebantur pontifices & ſacerdotes: quod ex Feſto doceri poteſt. Patellæ, inquit, vaſa picata, parua, ſacrificiis faciendis apta. atq. etiam ex Paullo: Pateram perplouere, ait, in ſacris cùm dicitur, ſignificat pertuſam eſſe. *commodus*. Feſtus à modo deriuat: vt cõmodus ſit modeſtus, moderatus, in vita & rebus agendis modũ ſeruans, ne quid nimis; etſi non ineptè dicamus commodum ſodalem, facilem & humanũ, non moroſum. Hãc lectionem Horatianã, ſcilicet *cõmodus*. & nõ *commodis*, vt vulgò legitur, docet Lambinus eſſe veram multis exemplis. ſic etiam habent tres codices Blandinij. *æra*. ex ære ſigna, ſtatuas, pocula, & id genus alia. materia poſita eſt pro ſuo effectu. *tripodas*. vaſa anſata, ſeu anſas aurẽ ſiue habẽtia, τρίποδες ὠτώεντες dicti Homero, & Heſiodo in operib. & dieb. Athenæus lib. 2. In Dionyſij templo victoriæ ſignũ eſt tripos, qui & cratera nominatur. Erãt autem antiquitus duo tripodum genera, alter igni ſuperponebatur, qui balneator eſt dictus ἐμπυριβήτης ἢ λοετροχόος. vt Aeſchylus, τὸ μὲν τρίπους ἐδέξατ' οἰκεῖος λέβης ἀεὶ φυλάσσων τὴν ὑπὲρ πυρὸς στάσιν. alter tripus crater dictus fuit καὶ ἀναθηματικὸς, ornatus gratia dicatus priuatis vel publicis vſibus, immaculatus, atque ignibus intactus, vt ſcribũt Ariſtophanis interpretes. in hoc vinũ miſcebant; atq. hic veritati enunciandæ aptiſſimus, tripos fuit, Apollini quidem ob diuinationẽ, Baccho verò ob ebrietatẽ. hic autem auritus erat, tres pedes habens pro ſuſtentaculo: vnde, quòd fortiter ſtaret, nec facilè caderet, viris fortibus dari ſolebat in ſignum victoriæ. Ὀδυσσ. ό. δώσει δέ τι ἕν γε φέρεσθαι ἤ τινα τρίποδ' εὐχάλκων, ἠὲ λεβήτων. *neq. tu peſſima*. litote: non peſſima pro optimis atq. nobiliſſimis. *ferres*. Aphæreſis, pro auferres, acciperes. *artium*. pro rebus, ſignis, tabulis, & poculis artificioſè elaboratis, quas diuitias ex opinione populi nominat. *Parrhaſius*. cuius cum Zeuxide pictore certamen meminit Plin. lib. 35. cap. 6. & 10. Parrhaſius, inquit, Epheſi natus primus ſymmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiã capilli, venuſtatem oris, confeſſione artificum in lineis extremis palmã adeptus: potiſſimum vſus ceruſſa Eretria & creta Cimolia. Xenophon tertio de dictis & factis Socratis: vbi Socrates cum illo agit de lineamentis, vmbris, &c. *Scopas*. cuius obiter Plin. mentionem facit lib. 36. cap. 5. *hic ſaxo*. fortaſſe alludit ad Herculem ſaxeũ à Scopa cælatũ, vt ſcribit Pauſanias: niſi ille Hercules ſit Meneſtrati, quem inter ceteros recenſet Plinius, lib. 36. cap. 5. *ſollers* peritus, in omni re prudẽs, ait Feſtus: ſeu integer, totus in arte, à Solo verbo Oſco. ſic habẽt tres codices Bland. *ſollers ponere*. ad ponendum: Helleniſmus. *ſed non hæc mihi vis*. honeſta excuſatio à tenuitate fortunæ. *non tibi talium*. codex antiq. habet, *nec tibi talium*. quẽ ſecutus ſum. *deliciarum*. quæ vulgus habet in deliciis. *carmina poſſumus*. diuitiæ Horatianæ, non ſine eleganti approbatione ſui ingenij, per eleuationẽ ſtatuarum, ſignorũ, marmorum, &c. in quibus viri principes ſuorum factorũ immortalitatẽ quærere videntur *& pretium dicere muneri*. ab hac lectione vt diſcedam, nihil eſſe video quod vehementer vrget, conſentientibus potiſſimum tribus codicib. Blãd. Certũ enim eſt *muneri* eſſe caſum, vt volũt Grammatici, ſeptimum; muneri, hoc eſt, ad munus, vel pro munere. nõ vult enim ſua carmina eſſe munus aliquod, quæ donare poteſt: verùm dicere illorum pretium, æſtimationem, nempe quòd amplius præſtare poſſint, quàm ſaxa, aut marmora inciſa demõſtrare, id eſſe muneri, id eſt loco muneris. tale fortaſſe eſt hoc Terentianum: Quid doti dicam te dixiſſe filio? deinde Cicer. ad Cluẽtium, Doti, inquit, Valeria pecuniã omnem ſuam dixerat. Atqui tamen in gignendi ne caſu an dandi legamus, re vera non multum intereſt, adeò vt nolim aliquem ea gratia valde eſſe ſollicitum, aut inſolentius litigioſum. *quàm Calabræ Pierides*. habent hic Cõmentaria excuſa tum Porphyrionis nomine, hæc verba: Sua vult intelligi carmina, quia in vrbe Venuſina natus eſt, quæ eſt in Calabria (quàm aptus eſt hic impoſtor! quaſi velit ab Horatio deſcriptã eſſe Africani Maioris vitam) tum Acronis, qui Ennium ſcribit oriundum de Rhudino ſeu Rhodino oppido Calabriæ. Neutram annotationem cõperi in codicib. manuſcriptis. Hinc coniiciat lector peritus, quantum fidei illis ſit dandum. Rhodinũ apud Geographos non inuenio; Rhudiam autem in tabulis Ptolemęi reperio inter Salentinos ad Tarentinum ſinum, inter Turium & Metapontum oppida. Habet etiam Pomponius Mela, Ennio ciue nobiles Rudiæ. *ſi chartæ ſileant*. huc accedit illa Ciceronis præclara ſententia: Sed pleni omnes ſunt libri, plenę ſapiẽtum voces, plena exemplorum vetuſtas; quæ iacerent in tenebris omnia, niſi litterarum lumẽ accederet. *Ilia Mauortiſq. puer*. Periphraſis Romuli à creditis parentib. *dignum laude virum*. Epiphonema in approbationem dictorũ. *quaſſas eripiũt*. hoc beneficium dicit Hyginus illos accepiſſe à Neptuno, lib. 2. *Liber vota bonos*. Hinc Suidæ dictus eſt Διόνυσος, παρὰ τὸ διανύειν ἑκάστοις τὸν ἄγριον βίον ζῶσιν: quòd viuentibus vitæ feritatem mitiget.

AD M. LOLLIVM CONS.

Conſecrari dicit carmina ſua mereri, quoniam nihil non carminibus illuſtratur.

Ode IX. ἐυχαριστικὴ.

Ne fortè credas interitura quæ
Longe ſonantem natus ad Aufidum,
Non antè volgatas per arteis
Verba loquor ſocianda chordis:
Non, ſi priores Mæonius tenet
Sedes Homerus: Pindaricæ latent,
Ceæq́, & Alcæi minaces,
Steſichoriq́ue graues camœnæ.
Nec, ſi quid olim luſit Anacreon,
Deleuit ætas. ſpirat adhuc amor,
Viuúntque commiſſi calores
Aeoliæ fidibus puellæ.
Non ſola comtos arſit adulteri
Crineis, & aurum veſtibus illitum
Mirata, regaleiſque cultus,
Et comites, Helene Lacæna:
Primúſve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non ſemel Ilios
Vexata: non pugnauit ingens
Idomeneus, Sthenelúſve ſolus
Dicenda Muſis prœlia: non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graueis
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus, pueriſq́ primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: ſed omnes inlacrymabiles
Vrgentur, ignotiq́ longa
Nocte, carent quia vate ſacro.
Paullum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus. non ego te meis
Chartis inornatum ſileri,
Tótue tuos patiar labores
Impune Lolli carpere liuidas
Obliuiones. Eſt animus tibi
Rerumq́ prudens, & ſecundis
Temporibus, dubiiſq́ rectus,
Vindex auaræ fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecuniæ:
Conſulq́ non vnius anni,
Sed, quoties bonus atque fidus
Iudex honeſtum prætulit vtili: &
Reiecit alto dona nocentium
Vultu: & per obſtanteis cateruas
Explicuit ſua victor arma.
Non poſſidentem multa, vocaueris
Rectè beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus ſapienter vti,
Duramq́ callet pauperiem pati:
Peiusq́ letho flagitium timet:
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

Commentator.

Metrvm tricolon tetraſtrophon, duobus prioribus Alcaicum, tertio iambicum dimetrum hypercatalecton, quarto Pindaricum. Suum carmen affirmat fore perēne, quāuis alij ante ſe meliores poëtæ fuerint. neque enim obſtare Homerum quo minus Pindarus & alij poëtæ, qui poſt eum ſunt orti, clari ſint. & quēadmodum ſe antiquis auctoribus, ita Lollium viris fortibus cōparauit, cuius ſe fortitudinē & res geſtas dicit ſcriptorū ad æternam memoriā. *ne fortè*. caſu. *credas*. credideris *interitura*. peritura *natus*. ego Horatius *ad*. prope. *Aufidum*. Aufidus Calabriæ fluuius à modum verticoſus. vt, Qui cum ingēti verberat vnda mare. *non antè volgatas*. quia primus ipſe inter Latinos poëtas lyrica carmina ſcripſit: vt ait ſuprà, Carmina non prius audita. *ſocianda*. iungenda, aptanda *chordis*. lyræ fidibus, ad lyram decantanda. *non ſi*. licet. *priores*. meliores, laudabiliores. *Mæonius*. Homerus, à Mæonia dictus. *Pindaricæ latēt*. viles ſunt. *Ceæq́*. propter Simonidem, qui de Cea inſula fuit. *Alcæi minaces*. Alcæus adeò amarus fuit, vt auſteritate carminis ſui multos ciuitate eiecerit, belláq́ cum Pittaco tyrāno geſta grauiter ſcripſerit. *Steſichoriue graues*. qui grauia carmina ſcripſit & magni pōderis. *luſit Anacreon*. bene luſit quia iocis & conuiuiis digna ſcripſit, & amorib. *luſit*. cantauit. vt, Carmina qui luſi paſtorū. *deleuit ætas*. vetuſtas deſtruxit. *ſpirat*. non occidit. *commiſſi fidibus*. lyrico carmini. *calores*. pro amoribus poſuit. *Æoliæ puellæ*. Periphraſis Sappho poëtriæ à patria Aeolia, in qua Leſbos, vnde Leſbia. vſa autē eſt Aeolica dialecto. hæc Phaonē puerum perditè adamauit, quod ipſa met verbis teſtata eſt & pueris & puellis. *non ſola comtos*. iterum docet quantum præſtāt poëtarum carmina: nimirum ſimilia ſæpe fuiſſe

fuiſſe geſta his quæ legimus, ſed ea tantùm eſſe nota, quibus deſcribendis nobilis poëta contigit. nam non ſola Helena Lacæna adulteri Alexandri amore flagrauit, ſed & aliæ ſimili culpæ obnoxiæ fuerunt: verùm hæc magis nobilitata & cognita fuit carminib. poëtarũ. *arſit*. amauit. vt, Corydon ardebat Alexin. *adulteri*. raptoris Alexandri. *aurum veſtibus illitũ*. Periphraſticôs, veſteis aureas. *regaleis*. quia regis Priami filius fuit. *& comites*. Paridis, in itinere. vt, At non ſic Phrygius penetrat Lacedæmona paſtor, Ledæámq. Helenam Troianas vexit ad vrbeis. *primúſve Teucer*. non primus Teucer fuit optimus ſagittarius, &c. nam Teucer Telamonis filius ab Homero inducitur ſagittis peritiſſimè vſus. *Cydonio*. Cretico, Cretenſi: à Cydone oppido Cretenſi, vbi primùm de pecudum cornib. arcus ornati ſunt. vt, Partho torquere Cydonia cornu ſpicula. *non ſemel Ilios*. Troia: nam etiam aliàs expugnata fuerat ab Hercule. Troia & Ilios dicitur, & Iliũ. vt, Cecidítq. ſuperbum Iliũ. *Idomeneus Sthenelúſve ſolus*. & hi carmine præ ceteris clari fuere. vt, Tiſandrus, Sthenelúſve Duces. Sthenelus autẽ Capanei & Euadnes filius fuit. *dicenda Muſis*. laudanda carminibus. *non ferox*. pugnax. oſtendere vult, licet multi viri fortes fuere, illos tantùm celebrari fama, quos commendauêre poëmata. nã nec ſolus Hector & Deiphobus pro patria perierunt, ſed hi carmine celebriores ſunt. ſic & Agamemnoni pares virtute plures fuiſſe dicit, ſed neſciri ſilentio, quia carmine non eſſent celebrati: & ideo ſe ad ſcribendũ confirmauit exemplo priorũ. *Deiphobus*. Priami filius, qui poſt mortem Paridis Helenam accepit in vxorem. Is capta Troia cùm ſomno opprimeretur, Helena vxore prodentẽ occiſus eſt à Græcis, multis prius tormẽtis affectus, nempe truncato manibus ac pedibus nares abſciſſæ & oculi ſunt euulſi. vt, Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora, ora manúſque ambas, populatáq. tempora raptis auribus, & truncas inhoneſto vulnere nareis. *inlacrymabiles*. nõ decantati, quòd nullus poëta ærumnis illorum decantatis, lacrymas mouere poteſt; quos nemo deſcribit occiſos. *vrgentur*. obliuione obſcurantur, celantur. *longa nocte*. perpetuo ſilentio, quòd neſciãtur mortui *vate ſacro*. optimo poëta *paullùm*. parum. *ſepulta*. quam nemo ſcire poteſt. *diſtat*. diuerſa eſt à virtute, ſeparata eſt, diſcrepat. *celata virtus*. virtus non laudata, ſimilis eſt inertiæ. ita enim ſilẽtio obſcuratur, tamquam ſi nulla fuerit, propterea quòd careat litterarum monumentis. *non ego te*. non patiar tuam virtutem ſilentio obſcurari. vt, non ego te Ligur, ductor tranſierim, &c. *inornatũ*. illaudatum. vt, Quis te magne Cato tacitum, aut te Coſſe relinquat? *impune*. immeritò. *carpere*. cõſumere paullatim & celare. *liuidas*. inuidas, obſcuras. *rerúmq; prudens*. verè es philoſophus: quia rerum prudentes, philoſophi ſunt & dicuntur *ſecundis*. proſperis. *dubiiſque*. aduerſis: quia aduerſa dubios nos reddunt. *rectus*. prudens es, ô Lolli, & recto animo: quia neque proſperis rebus es inſolens, neq. frangeris aduerſis: cùm neque proſpera, neq. aduerſa mutant animi tui fortitudinem. *vindex*. punitor. vindicare enim apud veteres nõ tantùm defendere, ſed & punire ſignificabat. *abſtinẽs*. cõtinenter pecuniæ. *ducentis*. quia auari ſtudent rapinis: & pecunioſorum gratiam omnes ſectantur. *cuncta*. res omneis. *conſulq; non vnius anni*. id eſt, modò conſul eſt animus tuus, ô Lolli, & ſemper conſul erit, ſiue bene iudicauerit conſul exiſtens, ſiue in bello imperator fortiter fecerit: nam qui fortis eſt imperator, & ſapiens conſul, is non vnius anni eſt tantùm, ſed ſemper. Itaque & præteritum tempus complectitur, quo recto animo vixit Lollius, & futurum ſignificat. *ſed quoties bonus*. puta; toties erit animus tuus conſul, quoties, &c. *bonus atque fidus*. à virtute, fide, & honeſtate *iudex*. quoties animus tuus honeſtè iudicans nocentium dona reſpuerit, toties conſul tamquam ex hoſtibus glorioſus triũphator tua virtute videberis reportare victoriam, *reiecit alto dona nocentium*. faſtidiuit prudenti & erecto cõſilio munera noxiorum, corrumpere iudicia tentantium. *per obſtanteis catervas*. per vitia reſiſtentia rationi. *victor*. toties animus tamquam victor euaſit. *arma*. Metaphoricôs: aut pro ratione, aut virtute. *non poſſidentẽ multa*. non rectè beatum vocaueris diuitem, ſed eum qui ſuis rebus contẽtus eſt, omni cupiditate remota. *rectiùs occupat*. id eſt, conſequitur, ſibi vindicat, rectius appellandus eſt beatus. *ſapienter vti*. qui ſuam felicitatem moderatur. *duráme. callet*. qui paupertatem non habet execrabilem tamquam ſummum malum. *callet*. ſapit, nouit tolerare. vt, legitimúmque ſonum digitis callemus & aure. *peiúſq. letho*. qui grauius ducit & plus timet peccare quàm mori. *timidus perire*. Helleniſmus.

CRVQVIVS.

MAEONIVS. Mæonia olim, nunc Lydia dicitur Plin. lib. 5. cap. 29. vnde Homerus ſibi nomen inuenit: quamuis multæ vrbes inter ſe contendãt de origine ipſius, iuxta illud epigrãma,

Septem vrbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Ceaq;. propter Simonidem, qui patria Iulites fuit, ab vrbe Cea inſulæ: & Melicertes cognominatus à ſuauitate cantus. floruit Olympiade quinquageſima ſexta, teſte Suida; Leoprepis filius, vt habet Herodotus, vel, vt alij, Theoprepis. Scripſit lingua

Doria Cambyſæ & Darij regnum: & Xerxis nauale prœlium, & Threnos, quas Nenias appellat Horatius. Ceæ retractes munera Neniæ. Catullus lacrymas nominat, Mœſtius lacrymis Simonideis. Cea autē inſula ſcientiæ lanificæ inſignis, ait Iulius Solinus, cap. 12. & Plinius lib. 4. cap. 12. *Alcæi minaces* hic, vt Laërtius ſcribit, nominat Pittacum παράπεδα, σάραπον, χειροπόδην, φύσκωνα, γάστρωνα, ζοφοδορπίδαν, ἀγασύρτον, &c. Quibus etiam conuicijs & maledictis ipſum Mytilum eſt inſectatus & Megalagyrum, Cleanthidemque, atq. alios nonnullos patriæ tyrannos, vt refert Strabo, quo nomine Staſiotica vocātur quædam Alcæi opera, id eſt, ſeditioſa. *Steſichorive graues Camœnæ.* fuit hic Hymerenſis, ex Hymera ciuitate Siciliæ: Catanæ autem litteris operam dedit. Claruit Olympiade trigeſimaſeptima vſq. ad quinquageſimam ſex ā: quem Lucianus in Macrobijs 85. annos vixiſſe teſtatur. Huius etiam meminit Cicero 4. in Verr. Scripſit lingua Dorica ſex & viginti libros poëmatum, vt refert Suidas. *Anacreon.* fuit hic Teius ex vrbe Teio in media Ionia: quare dialecto Ionica vſus eſt: cuius tota poëſis eſt amatoria. Eius ſtatua deſcribitur à Pauſania ebrio ſimillima. habitus eius, inquit, in Attica, eſt veluti hominis per ebrietatē cantātis. vixit Olym. circiter ſexageſimamprimam, vt habet Euſebius in Chron. *viuuntq; commiſſi calores.* nam Sappho Phaonem puerum in Siciliam nauigantem elegātiſſimo carmine eſt proſecuta: cuius amoris tādem ita impatiens fuiſſe dicitur, vt ſeſe è Leucade in mare præcipitē daret. *arſit crineis comtos.* adnotationes antiquiſſimæ hic habent, *arſit crineis* pro in crineis. *primuſve Teucer.* Hom. Ilia. θ. τοῖσι δ' Εὐρύπυλος, εὐαίμονος ἀγλαὸς υἱὸς, τεῦκρος δ' εἴνατος ἦλθε παλίντονα τόξα τιταίνων. *nō ſemel Ilios.* Ilios & Ilion Troia nominatur, vt habet cōmentator. ſic & in epigrāmate, ἴλιον αἰπύ. fuerat enim & ab Hercule obſeſſa expugnatáq. propter pactū à Laomedōte violatū; qui equos ſuos diuino ſemine procreatos Herculi paciſcebatur, ſi filiā ſuam Heſionem à Ceto lacerandam liberaret. *inlacrymabiles.* hic ſeruaui antiquā ſcripturā. *conſulq; non vnius anni.* hic locus in annotationib. Bland. citra vllū ſcrupulū nobis argumēto eſt ea neq. Porphyrionis eſſe neq. Acronis quæ hactenus à doctis pro talibus habentur. ſic enim ſcriptū inueni, *Acron interpretatur modò Cōſul eſt Lollius.* ex quo fragmento ſentētiæ facile eſt cōijcere Acronis cōmentaria ab inepto aliquo doctore lecta eſſe, qui ſcribat Lollium tunc temporis fuiſſe Conſulem cum Q. Lepido cùm hanc oden ſcriberet Horatius, anno ſcilicet ab vrb. cond. 733. ante mortē Horatij annos circiter quatuordecim: vt hæc ſit ſentētia, Animus tuus, ô Lolli, Cōſul eſt non huius anni tātùm: ſed quoties, &c. vult enim Acron ſubintelligi *modò ſed quoties.* commēdatio Lollij conſulis à virtute, fide, & honeſtate, poſtpoſita vtilitate, præcipuè illa quę cum honeſto nō eſt coniūcta, ſed turpitudinis partem continet. quod dictū vel ex opinione vulgari ſumtum eſt, vel ex ſchola Peripatetica, qui honeſtū ſeparant ab vtili: contra quos diſertè diſputat Cicero offic. 3. ex Panętij & Stoicorū dogmatis. *procaris amicis.* vt ſuprà, pro pudicis cōiugibus pueriſq. *timidus perire.* ita habet codex antiquiſſimus. Alij duo habent, *timidus peribit.* ſed quia altera lectio magis ſapit Horatium, eam nō mutaui, vt aliàs, *pro patria non timidus mori*, lib. 3. ode 29.

AD LIGVRINVM, PVERUM ſpecioſum, ſed arrogantem, aduerſum amatores.

ODE X. Ἐρωτικὴ.

O CRVDELIS adhuc, & Veneris muneribus
Inſperata tuæ cū veniet pluma ſuperbiæ: (potēs,
Et, quæ nunc humeris inuolitāt, deciderint comæ:
Nunc & qui color eſt puniceæ flore prior roſæ,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hiſpidam,
Dices, Heu (quoties te ſpeculo videris alterum)
Quæ mens eſt hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

COMMENTATOR.

METRVM Alcaicum choriambicum monocolon, conſtās ſpondeo, tribus choriambis & Pyrrhichio. Ad Ligurinū puerum quem amabat, querelas amoris nimis arrogantis continē. *O crudelis.* vt, ô crudelis Alexi, nihil mea carmina curas. *Veneris muneribus.* pulchritudine & forma. *potens.* qui potes adhuc ſubiacere libidinibus, & amatoribus ſatisfacere. *inſperata tuæ pluma ſuperb.* id eſt, prima & tenera barba, ſeu primæ barbæ lanugo, quā non ſperat tuus nūc ſuperbus animus, pulchritudini & libidini inimicā: quaſi ſperet ſe numquā deformē futurū. *& quæ nunc humeris.* quia pueris olim comæ nutriri conſueuerant, præcidēdę tempore pubertatis. *deciderint comæ.* vbi iam vir eſſe cœperis: non quòd caderet coma, ſed cùm cœperis non nutrire capillos propter adoleſcētiam. vt, Crines cui lactea ceruix excipit. *nunc & qui color.* & color qui nunc eſt. *prior.* melior, pulchrior, decētior. *puniceæ flore roſæ.* ſanguineī coloris. vt, Puniceis innecta rotis. *mutatus.* immutata forma per ætatem, per faciem hiſpidam, hirſutam, barbatam, ſetoſam. *alterum.* aliam formam. dolebis amiſſa pulchritudine, qua

ne, qua

ne,qua quęſtum non feceris:non ſine lacrymis dices, Vtinã ſenſus iſte fuiſſet in pueritia, aut pueri forma rediret ad hunc ſenſum: iuxta illud Terentij, Eheu me miſeram:cur non aut iſtæc mihi ætas & forma eſt, aut tibi hæc ſententia? *incolumes genæ.* imberbes, ſine lanugine.

CRVQVIVS.

CRVDELIS. Ode prima huius libri hunc Ligurinum nominat durum, quòd non ſineret ſe exorari ab amatoribus. *te ſpeculo.* duo codices Blandinij habent *in ſpeculo.*

AD PHYLLIDEM, DE die natali Mæcenatis, qui erat Id. April. inuitans illam ad conuiuium.

ODE II. ἐρωτική.

EST mihi nonum ſuperantis annum
Plenus Albani cadus: eſt in horto
Phylli, nectendis apium coronis,
Eſt ederæ vis
Multa, qua crineis religata fulges:
Ridet argento domus: ara caſtis
Vincta verbenis auet immolato
Spargier agno:
Cuncta feſtinat manus: huc & illuc
Curſitant myſtæ pueris puellæ:
Sordidum flammæ trepidant rotantes
Vertice fumum.
Vt tamen noris, quibus aduoceris
Gaudiis: idus tibi ſunt agendæ,
Qui dies menſem Veneris marinæ
Findit Aprilem:
Iure ſollemnis mihi, ſanctiórque
Pæne natali proprio, quòd ex hac
Luce Mæcenas meus affluenteis
Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupauit
Non tuæ ſortis iuuenem puella
Diues, & laſciua: tenétque grata
Compede vinctum.
Terret ambuſtus Phaëthon auaras
Spes: & exemplum graue præbet ales
Pegaſus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem:
Semper vt te digna ſequare: & vltra
Quàm licet, ſperare nefas putando,
Diſparem vites, age, iam meorum
Finis amorum,
(Non enim poſthac alia calebo
Femina) condiſce modos, amanda
Voce quos reddas. minuentur atræ
Carmine curæ.

COMMENTATOR.

METRVM Sapphicum hendecaſyllabũ cum Adonio, tetracolon. inuitat Phyllidẽ amicam cõmendatione vini Albani veteris, ad lætitiam conuiuij, quod celebraturũ ſe dicit ipſo natali Mæcenatis, nempe idib. April. *nonum ſuperantis.* decem annorũ. *plenus Albani cadus.* Albani vini. elocutio eſt Elliptica. vt, vina bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes. *nectendis apium coronis.* ex apio. ad exemplum Alcæi poëtę, qui apio coronari ſe gaudebat. vt, Atq. apio crineis ornatus amaro. *eſt ederæ vis.* vt, Et odora canum vis. *qua crineis religata fulges.* crineis religata, Synecdoche. vt, nuda genu. *fulges.* id eſt fulgere poteris, aut fulgere ſoles: non enim eam ad ſe coronatã venire cupit, ſed inuitat vt apud ſe coronetur. *ridet.* grata eſt, refulget, ſplẽdet. *ara.* ex ceſpitibus in terra exſtructa. *vincta.* coronata, religata. *caſtis.* ſacris & puris. *verbenis.* verbenæ ſunt omnes herbæ, frondéſque feſtæ ad aras coronandas: dictę quaſi herbenę. *auet.* auidè cupit, exſpectat. vt alibi, Ambo propoſitũ peragunt iter vrbis auẽtes. *immolato.* hoc eſt ſanguine immolati agni adſpergi, impleri, imbui. *cuncta feſtinat manus.* multitudo miniſtrantiũ facit ad apparatus feſtinationẽ & curã *manus.* multitudo ſeruorũ. *curſitant myſtæ.* mei ſerui & ancillæ feſtinãt pręparare conuiuiũ vt, Totidémq. pares ætate miniſtri. *ſordidum.* aut nigrũ, aut quia ſordida fiũt omnia quæ fumus cõtingit. *flammæ trepidant rotantes.* hoc eſt, veluti quodã tremore glomeratim voluentes. *vertice.* in verticẽ. *vt tamen noris.* occupatio ad faciendam fidẽ promiſſæ lætitię. hoc eſt, vt ſcias ad quod conuiuiũ voceris, Idus ſunt Aprilis, qui dies natalis eſt Mæcenatis, mihi propemodũ gratior quàm dies meus. *findit Aprilem.* nam Aprilis Veneri eſt dicatus à Romulo, quòd ab Aenea genus duceret, cuius mater Venus à poëtis fingitur. *findit.* diuidit: quia Idus mẽſem ferè in mediũ diuidunt. *iure.* iuſtè, meritò. *ſollemnis.* celebrãdus eſt mihi. *ſanctior.* religioſior. *panè.* pænè, inquit, ad vitandam adulationẽ. *natali proprio.* meo die natali. *ex hac luce.* ex hoc die. *affluẽteis.* accreſcẽteis, multos. *ordinat annos.* diſponit toto anno faciẽda. *Telephũ quẽ tu petis.* dicit Telephũ, quem oſtẽdit à Phyllide amari, alterius iam & ditioris puellæ amore occupatum.

potius. diligis. *non tuæ ſortis.* non tui loci, non condicionis, non profeſſionis meretriciæ, ſed diues & nobilis. *grata compede.* hoc eſt illecebroſo & delectabili vinculo amoris irretitum, ligatum. *terret ambuſtus.* ab exēplo Phaëthontis & Bellerophontis nos monet ſub perſona Phyllidis, ne quid auidè & ſupra condicionem noſtram appetamus, ne fortè in eiuſmodi mala incidamus. *auaras ſpes.* illicitas & immodicas hominu cupiditates. *exemplum graue.* periculis plenum. *præbet* ne maiora viribus audeamus poſtulare. *Pegaſus grauatus.* grauatim ferens. *equitem terrenum.* mortalem. *Bellerophontem.* qui cùm auſus eſſet cō cenſo Pegaſo ferri per aëra, dicitur in terram decidiſſe. *ſemper vt te digna.* præbet exemplum, ſeu monet appetere tibi conuenientia, & te digna ſperare. *vltrà quàm licet.* putandum eſt nefas te admittere, ſi plus ſperes quàm liceat: ita poteris vitare Telephum qui tui diſpar eſt. *age iam meorum.* exhortatio. O Phylli, tibi eſt diſpar Telephus, & aliam amat: age, me dilige, qui tibi par ſum. finis certè eris amoris mei, quia præter te diligam neminem, ſed in te deſinet amor meus. *non enim poſthac.* metaphora. vt illud, Ardet amās Dido. nullus alterius, ſi me ames, accendar amore. *condiſce modos.* hortatur ab vtili, ad lyræ modos, ad diſcenda carmina ſuaui & amabili voce dicenda, decantanda, reddenda. nihil enim vtilius ad minuendas amoris curas, quàm ſuaui carmine recreare ſenſus omneis. vt, Solaménque mali à collo fiſtula pendet. nam tunc voluptas admittitur cùm cura pellitur.

CRVQVIVS.

NECTENDIS *apium coronis.* caſus ſeptimus, ad nectendas coronas ex apio. de coronis inter pocula, ode 1. libri huius. Non caret aculeo Horatium hîc meminiſſe apij in tam celebri & læto cōuiuio, cùm nihil apud omneis qui de apio coronario, quale hîc notatur, ſcripſerunt, magis ſit in cōfeſſo quàm hoc apiū eſſe dicatū luctui, mortuis, ſepulcris, & certaminib. lugubribus: cuiuſmodi fuere Nemea. Quòd autē ſcribit Cōmentator Alcæum corona ex apio gauiſum fuiſſe, nō præter rem facit: quia ille nō niſi triſtia, acerba & propemodum ſtaſiotica ſcribebat, vt ſuprà demōſtrauimus. Præterea quòd corona ex apio luctuoſa ſit, teſtatur Suidas: σελίνου στέφανος, ἔφη, πένθιμός ἐστι· τὸ γὰρ σέλινον πένθεσι προσήκει. Quæ res etiā Timoleontis exercitui ſatis erat perſpecta, vt ſcribit Plutarchus in Sympoſiacis. vt hîc omittam Græcos in luctu mimos adhibuiſſe, qui Nenias decantarent apio coronati, defunctiq. laudes recenſerēt carmine quod Ialemon vocant. In euulgatis olim adnotationibus legi in epiſt. Cic. ad M. Cęlium, vtor ætatis vitio, velim ita ſit, ſed tamen togam prætextam texi apio: puto te audiuiſſe &c. ad hanc ſententiam meam ſtabiliēdam; ſed in poſteriore editione ſua Lambinus ex veteribus ſcriptis indicauit legendū Appio. quare Budæus quoque eſt emendandus, vbi in pandect. agit de apio. atque etiam apud veteres præter huiuſmodi apium aliæ omnes herbæ à lætis conuiuiis non aberant. At ſi quis hic contendat ex Plinij lib. 20. cap. 11. apiū nec ineptū menſis, nec inſuaue, ſed gratu & cōuiuiis congruū eſſe: quòd is teſtatur huius ramos largis portionib. per iura menſarum innatare: & in cōdimentis peculiarem habere gratiā: huic ego nō valde difficulter aſſenſero, ſi apiū illud Plinij noſtrū, quo familiariter vtimur, Petroſelinum interpretetur: nam & in ea ſententia eſt Gulielmus Pantinus medicus peritiſſ. & Mathiolus, & herbarū doctiſſimi quique. Verùm ſi apiū illud dicat id eſſe quod Dioſcoridi quidem eſt Eleoſelinū, nobis autem Paludapiū; omnino negauero. hoc enim agreſte eſt, iniucundum, luctiſicus apiū, & morbo comitiali excitando valde opportunu: idq. ſoliū Coronariū à veteribus accepimus: quod teſtatur numiſmata Selinuntiorum, in quib. & Selinum expreſſum eſt, & Hypſa amnis: in cuius paludib. Selini huius magnā fuiſſe copiam omnino non ambigo, adeò vt credibile ſit vrbē ipſam Selinum inde ſibi nomē adinueniſſe. Ea autem Selinuntiorū numiſmata Græca paucos poſt annos, ſi vita illi ſuperſtes maneat, euulganda, mihi exhibuit Hubertus Goltzius, vnicus ipſe & magno ſuo merito ſuſpiciēdus antiquitatis theſaurus. Quin & pro mea ſententia facit plurimū, cuius opportunè me monuit Guido Laurinus vir & eruditiſſimus & antiquitatis indagator admirabilis, Athenæū inter cōuiuales herbas Selini nullā mentionem facere. Quæ cùm ita ſint, facit Horatius, meo quidē iudicio, ſuo more: &, quaſi aliud agens, vltionem Phyllidi parat: quòd illa, ipſo neglecto, Telephū amplecteretur: iubens illam in mediis gaudiis triſtē eſſe: niſi mutata ſententia redeat ad priores amores. quod vt illi perſuadeat, argumentis vtitur præſentiſſimis, à nouis amoribus Telephi, ab imparitate, à difficultate & periculis, à ſuo erga illā perpetuo affectu, &c. quæ omnia mirum in modū mouere ſolēt animos amantiū. nam illa amorū interſeſe cōtentio ſolet mordere nō leuiter: qualis eſt illa in Eunucho Terētij, Actus tertij Scena 1. ad fin. *eſt edera vis magna.* in Cōmentariis Acronis nomine editis, Apio hæc verba ſunt adſcripta: *vel quia tardius depotatur qui prandet apio coronatus.* vbi pro *depotatur,* legendu eſt *demētatur:* & pro *prandet potat.* verum a nullo qui herbas tractarūt, hæc vis ebrietatis fugādæ attribuitur Apio, ſed Ederæ. ait enim Iſidorus lib. 17. cap. 9. de herbis Aromaticis ſiue cōmunibus: Ederæ frigidæ

terræ

terræ ſunt indices ſecundū phyſicos: nā antipharmacon ebrietatis eſt, ſi quis potās edera coronetur. Quare hęc inſcitè cōfuſa ſunt ab eo qui Acronem nobis perdidit. Ad Iſideri ſententiam confert hoc Tryphonis medici dictu contra eos qui arbitrātur Ederā vino miſtam ciere ebrietatem ſeu ebrietatis ſpeciem commāducatis illius foliis, vt Plutarchus diſſerit: quandoquidem, inquit, temulentiam eſſe iudicabit nemo eam noxā qua edera ipſa bibentes afficit, ſed animi perturbationem atq. deliriu: quale Hyoſcyamū atq. alia nonnulla præſtare certum eſt. Qua de cauſſa Ioānes Pierius in Thyrſo Hieroglyphico ebrietatis, non omnino candidè vſus eſt verbis Macrobij ad ſuā opinionem ſtabiliendā: quando Thyrſus non tam temulentiæ quàm pacis cum hoſtib. ineundę, aut vinculi cuiuſdam patientiæ ad obligandos belli impetus, ſignum fuerit. nō enim mucro ad ederam, quaſi Liber pater per obliquum feriret circumfuſæ ederę latitante mucrone, vt ait, ſed ad mucronem Thyrſi qui edera lambente protegitur, vt habet Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 19. vt taceam verba illa non tam ad Bacchum lætitiæ datorem pertinere, quàm ad eum quem ἐνυάλιον interpretatur, quod Martis etiam eſt proprium. *vincla verbenis.* verba Commentatoris tāquam doctiſſimi interpretis hìc exoſculor. non enim in animum meum facilè induxero, veteres in aris coronādis & ſacris diis offerendis vſos eſſe alia herba niſi paſſim obuia ad imitationem antiquorū Romanorum, qui Verbenā, teſte Plinio, habebant gramē ex arce cum ſua terra euulſum, lib. 22. c. 2. vbi Verbenam & Sagmina idem ſignificare docet; quibus legati & ad hoſteis, & clarigatum, id eſt res raptas clare repetitum, incedebātur. Quin & apud eundem lib. 15. cap. 29. legimus, Myrtea Verbena Romanos Sabinósq. purgatos. Nunc ergo viderint herbarum ſtudioſi, qua ratione Verbenam, hanc marem nominent, illam feminam. Hęc autē Verbena, ſeu potius herbena, ideo Hierobotane dicta eſt, quòd ex arce Capitolij ſeu loco ſacro eſſet euulſa, nō autem ſolùm quod ſacris rebus conueniret; aliàs multæ herbæ etiam eo nomine cenſerentur. At ſi quis hìc Verbenam eam eſſe contendat quæ Dioſcoridi Verbenaca ſiue Periſtereon nominatur, illi nō multū certè repugnauero. nam triclinium, vt ait, aqua illius adſperſum excitat hilaritatem: atq. etiam quòd vel ſuſpēſa vel alligata in ſacris luſtrationibus valere & efficax exiſtimaretur, quódq. circa hanc Magi præcipuè inſanirēt, hac perunctos impetrare quæ vellent, febreis abigere, amicitias conciliare, nulliq. non morbo mederi aiebant ſe poſſe. colligitur autem circa canis exortum, ſub Idus Iulias. Verùm quòd ea neq. ab omnibus neque vbiq. reperiatur, magis mihi placet prior expoſitio. nolo hìc cōmemorare morem maiorum in ſuffitibus faciendi, cùm per aduſtam laurum, tum per verbenam, ad eximēdam animo incuſſam religionem aliquam; ad confirmandam ſuprà ſcriptam opinionem: nimirùm Horatiū hìc meminiſſe Verbenæ, vt & Phyllidem conſoletur, & ex eius animo demat luctum propter amiſſos Telephi amores, *trepidant flammæ.* hìc notato, flāmæ rotantes, ſordidum fumu, ſingula Epitheta ſingulis appellatiuis naturali quadam ratione cōnexa. *Veneris marinæ findit Aprilem.* hoc Epitheto *marina*, alludit Hor. ad hoc nomen *Aphrilis*: quod ἀπὸ τῶ ἀφρῶ, hoc eſt, ſpuma, deducitur. ex qua Venerem progénitam fabulantur poëtæ, & cruore genitalium Saturni in mare proiectorum. vnde & Aphrilis mēſis Veneri ſacer, & ipſa ἀφροδίτη nuncupata eſt: quod & agnoſcit Neptunus apud Virgilium, Fas omne eſt Cytherea meis te fidere regnis, Vnde genus ducis, &c. At de huius nominis Aprilis origine & ſignificatione, an à Venere ἀφρίλις, an Aperilis ab aperienda terra, lege Macrobij lib. Saturn. 1. cap. 12. *affluenteis ordinat annos.* verba Cōmentatoris habent aliquam faciem veri interpretis, ſed obſcuriora & certè mutila ſunt: neq. ex illis facilè quis deprehendat quid ſit annos affluētèis ordinare, niſi ex ſingulis diebus natalibus accipiamus annos ſingulos dictim ordinandos: quid quibuſq. anni & diebus & tēporibus cuique, viro potiſſimum publico, ſit agēdum: quod ſignificare cupit Horat. nam hoc negotioſis hominibus eſt peculiare, vt à die natali ſecum ordinent & ſtatuant alterius cuiuſdam vitę initium, certo ordine rerum agendarum toto anno. Itaque verba Horatij non tam ſunt aſſeuerantis, (nemo namque vel craſtinum ſibi certò polliceri poteſt) quàm optantis. quaſi velit & multos annos affluere, hoc eſt accedere Mæcenati, & illos ordinari pro ſtatu & trāquillitate Reip. Non me latet, ordinari annos, hìc ab aliquibus, nec id ineptè, accipi pro *numerare annos à die natali*: verùm illa verba Cōmentatoris in hanc ſententiam me pertraxerunt: adeò vt non parū abfuerit quin affluētèis annos interpretatus ſim ſingulos illius anni dies, quādoquidē ordinare verbum aliud præterea notet quàm numerare, & nō aliò ſpectet quàm à die natali ad dies anni futuri ordinandos. *Telephum quem tu.* Occupatio amarulēta quæ facit ad indignationem & mærorē, cui cōuenit Apiū. Quid enim auditu grauius ipſi Phyllidi, quàm Telephum adoleſcentem ab alia puella adamari, eáque & ditiori & ſortis alterius? verùm id conſultò ab Horatio certum eſt dici, nimirum vt Telepho in odium adducto, ipſe Horatius illa potiatur ſolus, ab illa obſeruetur. *ambuſtus Phaëthon.* fabula Phaëthontis in Eridanum

ab Ioue

ab Ioue deiecti ſatis eſt cognita ex lib. 2. Metamorphoſeōn Ouidij. *Bellerophontem.* Nam Bellerophon poſt interitum Chimæræ, auxilio Pegaſi rebus ſecundis elatus, conatus eſt alite (hoc eſt, alato Pegaſo) cœlos conſcendere, vt quid rerū ageret Iuppiter, cognoſceret; ſed ille iratus immiſit œſtrum in Pegaſum, quo nimium fatigatus inde deiecit ſeſſorem ſuū Bellerophontem in campum Lyciæ, vbi ille poſteà fractis mēbris & mutilo debilitatoq. corpore miſerè errauit, vnde prius eiecerat Amazones, vt ſcribit Plutarch. de virtutib. mulierum: & Chimarrum Lyciorum piratam interemerat. *atra cura* ab effectu. redditur enim corpus exſuccum & languidum nimio amore. quem animi affectum vehementiorem cōſequi ſolet ingratus quidā corporis color; qua ratione etiam apud Heſiodum in operibus cenſetur λευκὸς μέλαινα.

AD VIRGILIVM, CONtinens veris deſcriptionem: quod tempus mortalibus eſt gratiſſimum.

ODE XII. παραινετική.

IAM veris comites, quæ mare temperant
Impellunt animæ lintea Thraciæ:
Iam nec prata rigent, nec fluuij ſtrepunt
Hiberna niue turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix auis, & Cecropiæ domus
Aeternum opprobrium, quod malè barbaras
Regum eſt vlta libidines.
Dicunt in tenero gramine, pinguium
Cuſtodes ouium, carmina fiſtula.
Delectántque deum, cui pecus & nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxere ſitim tempora Virgili:
Sed preſſum Calibus ducere Liberum
Si geſtis, iuuenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.
Nardi paruus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpicijs accubat horreis,
Spes donare nouas largus, amaráque
Curarum eluere efficax.
Ad quæ ſi properas gaudia, cum tua
Velox merce veni. non ego te meis
Immunem meditor tinguere poculis,
Plena diues vt in domo.
Verùm pone moras, & ſtudium lucri:
Nigrorumq́; memor, dum licet, ignium
Miſce ſtultitiam conſilijs breuem.
Dulce eſt deſipere in loco.

COMMENTATOR.

METRVM tetracolon, tribus verſibus Aſclepiadeum, & quarto Glyconicū. Monet Virgilium negotiatorē veris, quod tempus aptū docet nauigationi. *quæ mare temperant.* moderātur, tranquillant, atq. ad nauigandum parant. *impellunt animæ.* venti. vſitatum eſt poëtis animas nominare flatus, alluſione vocabuli Græci ἄνεμος. vt, Quantū ignes animæq. valēt. *lintea.* vela. *Thraciæ.* Fauonij. vt hic ſit ordo: animæ Thraciæ, id eſt, Fauonij venti ſeu Zephyri, veris comites qui mare temperant, impellunt lintea. *iam nec prata rigent.* dura ſunt, aut niue horrida. eo enim ipſo tēpore & hiems clauditur & veris amœnitas aperitur, quo Zephyri flare incipiunt. *hiberna niue turgidi.* pleni; quia hieme niue ſoluta ſolent flumina redūdantia ingentem in decurſu ſtrepitum concitare. *Ityn flebiliter gemens.* filium ſuum à ſe interfectum in odium Terei patris. *flebiliter.* quaſi lacrymabunda. *infelix auis.* Progne Terei vxor in hirūdinem verſa. *Cecropiæ domus* Cecrops Dux Athenienſium fuit. *regum eſt vlta libidines.* Progne, cuius ſoror Philomela, fuit ex Pandione Duce Athenienſi. per Prognen hirundinem intelligimus, quæ eo tempore apparet. Nota eſt fabula, quòd pro ſtupro ſororis Philomelæ ad vindictam Ityn Terei filiū Progne occiderit. vnde Tereus comperto facinore, dum ambas inſequitur, ipſe in vpupā mutatus dicitur, illæ verò, altera in hirundinem verſa eſt, altera in luſciniam. *æternum opprobrium.* perpetuum malū, ignominiam, infamiam nullo tempore delebilē, nempe ſtuprum. *malè vlta* parricidio minus enim malum grauiori vindicauit, inceſtum parricidio communis filij. *barbaras.* hominis barbari mariti ſui. *libidines.* turpeis & illicitos amores in Philomelam. *dicunt in tenero.* iam recēs enato. vt, Cùm ros in tenera pecori gratiſſimus herba. *dicunt carmina fiſtula.* modulantur. *delectántq. deum.* Pana, à quo & fiſtula. & τὸ παντάριον inuentu celebratur, contentio illa de canendi gloria inter paſtores. vt, Pan primus calamos cera cōiungere plureis inſtituit. *cui pecus.* Periphraſis Panos. vt, Pan curat oueis. *nigri colleis.* ſilueſtres, obſcuri, amœni, frōdoſi nemoris. *Arcadiæ.* vt, Pan deus Arcadiæ. *ſed preſſum Calibus.* ſi cupis apud me bibere vinū Calenū. *ducere.* ſpiritu attrahere, vel ſimplex pro cōpoſito. educere poculis, id eſt, bibere. *ſi geſtis.* geſtire eſt toto corpore lætitiam oſtēdere; ſed hic pro cupere & valde deſiderare ponitur. *iuuenū nobilium cliens.*

Nero-

Neronum, Claudij & Druſi, Auguſti priuignorũ. *nardo vina merebere.* permutatione nardi vinum accipies. nam ſe vinum Calenum prolaturũ promittit, ſi vnguentum nardinum accipiat. *Nardi paruus onyx.* Onyx, aut menſura eſt vnguenti, aut certè ampulla marmorea, quam Græci dicunt Onyche. Onyx enim marmoris genus eſt, ex quo ad vnguenta odorata parua fiebãt vaſa: de quo Lucanus ad oſtentatione luxus Cleopatræ, Totáque effuſus in aula calcabatur onyx. *Sulpicijs accubat horreis.* Sulpicius Galba horrea Romæ habuit, à quo dicta ſunt horrea Sulpicia, vbi oleũ condi cõſueuerat. *accubat horreis.* continens pro contento. *ſpes donare.* notandu eſt *ſpes* dictum pluraliter, vt, Spes pacis inanes. nã qui vino incaleſcit optimo, eóq. multo, quod per Cadũ ſignificat, omnia ſperat optima diuitias, ſpes, honores. *largus donare.* puta Cadus, figura Græca. *amaraq; curarum.* amaras curas. *eluere.* expellere quod vino eſt propriũ per hilaritatem. *efficax.* ſua largitate potens. *gaudia.* ſpes nouas, vina Calena. *merce.* Onyche nardi. *non ego te meis.* occupatio. *immunem.* ſine munere. *tinguere.* madefacere *poculis.* vino *plena diues.* non cogito tibi vinũ propinare ſine munere, vt diuites faciunt. *pone.* d pone, rumpe. *moras* cogitationẽ acquirendi, quæ te remoratur à voluptate vitæ præſentis. *& ſtudium.* cupiditatem. *lucri.* quod mercatoribus eſt optabile. *memor igniũ nigrorum* rogi & mortis. *nigrorum.* lugubrium: ab effectu epithetõ. *ignium.* quibus cadauera cremãtur *dum licet.* per mortem dum viuis. *miſce ſtultitiam.* coniunge negotiis voluptatẽ, miſce cum laboribus lætitiam. *conſiliis.* negotiis, laboribus. *breuem* propter temporis breuitatem. *dulce eſt.* iucundum eſt aliquando à ſeueritate remittere animum. *loco.* opportunè.

CRVQVIVS.

THRACIÆ. Mira ſignificatio hiemis iam præcipitis, & veris adoleſcentis. cõmiſcentur enim vẽti duo, Aquilo & Fauonius, aut (ſi mauis) Zephyrus, tanquam de principatu aëris contendẽtes, quorũ alter hibernus eſt & horridus, minus tamen validus adoleſcente vere: alter autẽ vernus & placidus, cuius hic comes dicitur. hi tan ẽ an bo Thracij ſunt vel Homero teſte Iliad. primo in initio, Βορέης καὶ Ζέφυρος τώ τε Θρήκηθεν ἄητον. vbi interpretes neglecta Geographiæ ratione ſententiã variant. Quis enim neſcit, modò vel prima Geographiæ elementa cognouerit, aliis alium eſſe orbis ſitũ & aſpectũ? adeò vt ventus Thracius his quidẽ ſit Boreas, aliis autẽ Zephyrus. ita Thracia etſi nobis Borealis ſit, illis tamen Zephyros oſtendit, quibus ad Thaſum, Lemnum, Imbrũ, atque ad Indiã eſt nauigatio. Quò cùm non ignoraret Horatius Virgilium parare iter, tempus deſcribit ei rei opportunũ, obtinens antiquum. quis enim nõ videt eum taxare Virgilij auaritiã, qui poſtremos huius odes verſus ad vinum reſecare volet? vt quem vel extremos ad Indos inuitat lucri bonus odor, nulla vel periculorum vel nauigationis habita ratione. hic locus variè diſcerpitur ab aliis: at inter ceteros qui ad Eteſias hæc verba transfert, nugas obtrudit. nam illi ſunt æſtatis adultæ comites. Non paruam lucem huic loco Horatij adferunt ſcripta Pantini. Venti nonnulli, inquit, ſicut & tempeſtates pleræque, ſtatis temporibus & naſci & exiſtere, & tinereq. ſolent: vt Fauonij ſeu Zephyri ſub nonas aut certè quartum Idus Februarij, cùm iam terra violas purpureas, veris aduentantis nuncias, profundere incipit. Et Eteſię ſeu Aquilones, vt refert Plinius lib. ſecundi cap. quadrageſimo ſeptimo, & lib. decimi octaui cap. trigeſimoquarto, inter quos & Eurum æquali interuallo Cæcias ſuas nubes cogit trahitq. Oriuntur autẽ & ſpirare incipiunt octo propè dies ante Canis exortum, qui ſub Iulias Idus Heliaco ortu emergere incipit, eóq. temporis ſpatio Prodromi & Canis antecurſores nuncupantur, durantq. poſt eiuſdem quem diximus ortum dies plus minus quadraginta duos: vt in vniuerſum ſpirent quinquaginta: nec id quidem aſſiduè continuóq. neq. enim mane, neq. de nocte, ſed à tertia diei hora exſurgere & ſpirare totum diẽ ſolent, non quidẽ conſtanter id, & in omnibus locis ac regionibus perpetuò, ſed quibus locis ſinnus ſibi proprias conſtitutáſq. temporu & rationes & viciſſitudines obſeruat. *infelix auis.* Comment. hic ſecutus eſt communẽ opinionem: ſed in manuſcripto codice Bland. vetuſtiſſimo ex characterum fruſtulis comperi Prognen quidẽ in luſciniam, Philomelã verò in hirundinem transformatã, eamq. hic dici infelicem auem, tum propter ſtuprum & linguam abſciſſam, tum quòd ſuo cõſilio & opera Itys eſſet interfectus. nec caret ea res probabili coniectura, quòd & Progne linguã haberet, quæ ad varios canendi modulos prorſus eſt neceſſaria: & quòd gemere illius eſſet potius, quæ neque verbis poſſet exprimere dolorem, neq. ſui vindicãdi noſſe vllã rationem: quod Philomelæ acciderat, cui & linguam præciderat Tereus, & in carcere prius ingemuerat quàm ſuæ ſorori id factum nunciaret. Huc accedit illud Gorgiæ de hirundine apud Ariſtotelem tertio Rhetoricorũ: αἰσχρόν γε ὦ Φιλομήλα· ὄρνιθι μὲν γὰρ εἰ ἐποίησεν οὐκ αἰσχρόν, παρθένῳ δὲ αἰσχρόν. Cui concinit illud Virgilij in Sileno: aut vt mutatos Terei narrauerit artus, quas illi Philomela dapes, quę dona parauit: quòd ipſa Ityn interfeciſſet, patriq. epulandũ appoſuiſſet. *Et Cecropiæ domus*

æternum opprobrium. non fuerunt hæ ſorores ex familia Cecropis, niſi ea ratione qua reges Athenienſes à Cecrope primo rege ſortiti nomen, dicti ſunt Cecropidæ: quemadmodum Parthorũ reges ab Arſace cognominati ſunt Arſaces; Aegyptij reges, Pharaones &c. Atqui fuere Pandionis regis Athenienſis filiæ; quarũ altera Tereo Thracũ regi in vxorem à patre data eſt, quòd is fuiſſet auxilio in profligãdo rege Ponti Athenas obſidente. Philomela autem apud patrem Athenis manſit: quã aliquando Tereus precibus vxoris accerſitã, atque in itinere conſtupratã lingua priuauit, ne vim ſibi illatam ſorori conquereretur. At illa poſt longam cuſtodiam tandem in tenuiſſima tela omnem rem acu depinxit. Sororis itaq. vindicandæ Orgijs ipſis Progne occaſionem nacta, ſororem liberat, cum qua communicato conſilio Itys filius occiſus eſt, patriq. Tereo edendus appoſitus. qui cùm ſæpius Ityn adeſſe iuſsiſſet, tandem pueri caput ſanguinolentum in cœnam delatam eſt: quo conſpecto, primum ſtupuit pater poſtea ſtricto gladio vtramque ſororem cum Daulia nutrice inſecutus eſt. At miſeratione deorũ Progne in Luſciniam, Philomela in Hirundinem, Daulia nutrix in Palumbem verſa eſt: Ipſe verò Tereus in Vpupam, qui adhuc puerum Ityn quæritans continuò in ſiluis canit πῦ, πῦ πῦ. Itys autem in Phaſianum mutatus fertur, plumis picturatis in morem regij pueri, qui variorum ornamenta colorum geſtare ſolitus fuerat. *adduxere ſitim tempora.* tempora, inquit Acrõ ille vulgatus, pro æſtate poſuit, quaſi. ὡς ὑπὸ μανδραγόρᾳ καθεύδων, non meminiſſet Horatium hic de Vere agere: quod etiam non animaduertens Landinus, animas Thracias interpretatur ventos Eteſios. non enim vult Lyricus tempora adduxiſſe ſitim, hoc eſt, bibendi & conuiuandi cupidinẽ propter calorem, aut aëris æſtum ariditatémque: ſed quòd Veris amœnitas, & aëris temperies ſuadeãt lætitiam, inuitarentq. ad voluptatem. adoleſcente namque Vere omnia quæcunque aliquo ſitæ munere funguntur, nouam quandã faciem induunt, iam horrore hiemis, & turpi ſqualore fugato. vt ait Poëta, Vere tument terræ & genitalia ſemina poſcunt. Huic Odæ concinit illa lib. primi quarta, tanquam huius interpretatio: Soluitur acris hiems grata vice Veris & Fauoni &c. *ſed preſſum Calibus.* Cales deducta colonia eſt poſt quadringentos annos quàm Galli vrbẽ ceperant, auctore Paterculo. vnde Calenum vrbs olim in primis eximia, adiuncta & ipſa Caſilino, inquit Strabo: ſed nunc vrbis ne veſtigium quidem apparet: hinc vinũ Calenũ, cuius meminit Athenæus lib. primo, ὁ Καληνὸς κῦφος, τῦ Φαλέρνυ ἐστὶ μετοχώτερος. *Nardi paruus Onyx.* hæc verba olent iocum non infacetum, quæ ſeriò notent Virgiliũ neſcio cuius tenacitatis, quòd ipſe vix parua donet vt magna accipiat, quæ commendantur à bonitate, à loco, ab effectu, vt quæ lætitiã ſpéſque nouas concilient & curas abigant. Onyx à Plinio lib. trigeſimi ſexti cap. ſeptimo, in Arabiæ montibus, nec vſquam alibi naſci ſcribitur ex veterum ſententia. Sed in Germania, inquit (vbi legendum eſt, Carmania) primùm potorijs vaſis inde factis, deinde pedibus lectorum ſellíſque Cornelius Nepos tradit magno fuiſſe miraculo &c. Poſtea cap. octauo Onychen ſcribit etiam alabaſtriten nominatum, quem cauant ad vaſa vnguentaria, quoniam optimè conſeruare incorrupta dicitur. In hanc ſententiam habet Iſidorus lib. decimiſexti cap. quinto, de marmoribus: Alabaſtrites, inquit, candidus, intertinctus varijs coloribus: ex quo Euangelici illius vnguenti vaſculum fuit. cauant enim hunc ad vaſa vnguentaria &c. Naſcitur circa Thebas Aegyptias & Damaſcum Syriæ ceteris candidior, probatiſſimus in India. Hinc ex vſu eius marmoris, quæ & Gemma dicitur, Onyx pro vaſe accipi cœpit. Martialis lib. ſeptimo, Vnguentum fuerat quod Onyx modò parua gerebat. & li. decimo, Paruus Onyx vna ponetur cenula menſa. Propertius: Et Crocino nares murrheus vngat Onyx. Polluci nuncupatur ὀνυχάριον, & Suidę ὀνυχίτης. Huius etiam meminit Dioſcorides lib. ſecundo, quem vocant herbarij vnguem odoratũ. atqui opinor eum ad hunc locum non pertinere. Quin & Athenæus lib. vndecimo cuiuſdam Onychis mentionem facit. ὄνυξ. πάμφιλος ἐν Ἀττικαῖς λέξεσι τὸ ξύ ... ποτήριον ἀπὸ τῆς ἰδέας ... &c. quam lectionem ſi admittamus, non dubitarim aſſerere id lignum, vnde tale poculum fiebat, habuiſſe colorem vnguis humani, nõ minùs quàm id marmor & alia quæ illo nomine cenſentur. *paruus Onyx.* hic locus olet iocum non infacetum, at huiuſmodi tamen qui ſeriò notet Virgilium ſordidæ cupiditatis, tum quòd ipſe vix parua donet vt magna accipiat, nimirum pro paruo onychẽ cadum vini; tum à pretio optimi, tum à loco, Caleni; tũ ab effectu, quòd hilaritatem & ſpes nouas conciliet, curáſq. abigat. *horreis.* hæc Plinio dicuntur Apothecæ, vt apothecæ vinariæ lib. decimi quarti, cap. decimo quarto, repoſitoria, cellæ: alia autẽ ſunt σιτοβόλια. *merce.* onyche: vnde facilè conijcias hunc Virgiliũ negotiatorem fuiſſe. *immunem.* ſine munere: nonnunquã enim gratis conuiuæ excipi ſolent: cuiuſmodi olim conuiuia εἰλαπίναι cum magno apparatu & ſplendore dicebantur, ad imitationem τῶν θοινῶν, quæ fiebant in honorem Deorum: quò nemini conuiuarum aliquid conferre erat integrum, vt habet Athenæus lib. 2. Σίλευκος δέ φησι τὸ παλαιὸν οὐκ εἶναι ἔθος οὔτε εἰλαπινάζειν ... οὔτε ἄλλως ἐπιχέειν.

ἀδύνατον περιφέρεσθαι, μὴ θεῶν ἕνεκα τοῦδ' ὁρῶντας. διὸ καὶ θοίνας καὶ θαλίας καὶ μέθας ὠνόμαζον. Huius vtriuſq. ſimul meminit Theognis ἐν ταῖς γνώμαις ἐλεγειακαῖς, θοίνας δὲ καὶ εἰλαπίνας ἀπαρισχεῖν πάσας: quia vtrumq. erat immune: at aliud etiã erat conuiuandi genus, τὸ ἔρανον καὶ ἐράνους. apparata quidem menſa, ſed quo quemque conferre erat neceſſe. huius rei hîc appoſitè etiam lectorem memorem facit Lambinus. tale itaque hoc erat conuiuium, ad quod ab Horatio inuitatus eſt Virgilius, quia illum nõ admittebat immunẽ. *tinguere.* ſic habet codex Bland. antiquiſſimus.

AD LYCEN, MERETRICEM vetulam. Gaudet compotem ſe voti ſui factũ eſſe, quòd illa anus iam facta ſit.

ODE XIII. παρασιτικὴ.

AVDIVERE, *Lyce, dij mea vota, dij*
Audiuere, Lyce: fis anus: & tamen
Vis formoſa videri:
Ludiſque, & bibis impudens:
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum ſollicitas. ille virentis, &
Doctæ pſallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.
Importunus enim tranſuolat aridas
Quercus: & refugit, te quia luridi
Dentes, te quia rugæ
Turpant, & capitis niues.
Nec Coæ referunt iam tibi purpuræ,
Nec cari lapides tempora, quæ ſemel
Notis condita faſtis
Incluſit volucris dies.
Quò fugit Venus? heu, quóue color decens?
Quò motus? quid habes illius, illius,
Quæ ſpirabat amores:
Quæ me ſurpuerat mihi;
Felix poſt Cynaram, notáque, & artium
Gratarum facies? ſed Cynaræ breueis
Annos fata dederunt,
Seruatura diu parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen
Poſſent vt iuuenes viſere feruidi
Multo non ſine riſu,
Dilapſam in cineres facem.

COMMENTATOR.

METRVM tetracolon, duobus verſibus Aſclepiadeũ, tertio Pherecratium, quarto Glyconicum. Inſultat meretrici Lycæ, de cuius ſuperbia conqueritur Ode 10. lib. tertij, *Extremũ Tanaim ſi biberes Lyce &c.* ei autem idcirco inſultat, quòd iam anus facta, & ætate defeſſa contemnatur à iuuenibus, de quorum antè amoribus multum ſibi applauſerat. *vis formoſa videri.* vis videri puella. inuitè itaque impudens, quod bibis, quod non eſt puellarum. *ludiſque & bibis.* vtrumq. in anu, muliere turpiſſimum eſt, quòd & puella videri velit & laſciuire. *impudens.* impudenter bibis: alludit ad fœdum illum rumandi morem. *& cantu tremulo.* tremulum vel ad vocem laſciuam, vel ætatẽ refertur. ſenio namque non ea vis eſt vocis efferendæ, quæ iuuentuti. *pota.* potulenta. *Cupidinem.* amorem. *lentum.* circa te, quia anus es, & ingrata per ætatem. *ſollicitas.* vis excitare. *ille.* amor. *virentis & doctæ.* multum decorã vult Chiam videri: quòd in ætate florenti, quòd docta pſallere, quòd formoſa, cuius formã in genis pulchris dicit reſidere, Synecdochicôs. nam & in oculis gratia eſt & illecebræ. idcirco ait, amor ſemper vigilat in forma Chiæ florentis per ætatem. *importunus enim.* Ironicôs, quia ad anum nolit accedere, ſed contemnat, & puellas ſequatur. *tranſuolat aridas quercus.* Irriſio plena mordacis amaritudinis. per quercum enim aridam, ſignificat anum exſuccam, quam neceſſe eſt amorem tranſuolare dum feſtinat ad iuuenes. *luridi.* pallidi, nigri, liuidi. *te quia rugæ.* vt, frontem obſcænam rugis arat. *turpant.* deformant. vt, Turpantem puluere crineis. *& capitis niueis.* cani, canities. lepidè permanet in toto capite deſcribẽdo, vt in cuius faciei pulchritudine Cupido excubet. vt ſuprà, in pulchris Chiæ genis. *nec Coæ purpuræ.* pretioſæ. à loco; nam in Co inſula veſtes tenuiſſimæ texuntur ad delicias muliebreis & luxũ, optimaque purpura tinguuntur. *tempora.* iuuentutem: quamuis te ornes & veſtibus & gemmis pretioſis, non poteſt tamẽ hic cultus tempora prioris æui reuocare, & priſtinam referre iuuentutẽ. *quæ.* tempora præterita. *notis.* publicis omnibus cognitis. hoc eſt, vt publica in Faſtis notata ſeruantur ac includuntur, ita priuata, quaſi in ſepulcro condita, prætereunt non reditura. *incluſit.* incluſa tenet ac ſeruat. *volucris dies.* decurrens ætas. *Venus.* venuſtas. *heu.* Ironia: fingit enim ſe illius miſereri, vt dolorem illi excutiat grauiorem. *quò motus membrorum.* ſaltatio. *quid habes illius?* quid habes illius ætatis priſtinæ? aut, quid tibi præteritæ gratiæ remãſit? multis enim modis poſſunt placere mulieres, quæ ei rei dant operam, nimirum pulchritudine & adſpectu, quæ in facie relucent;

inceſſu & motu quæ reliqui ſunt corporis. *quæ ſpirabat amor.* quæ ita pulchra erat vt amores exhalaret, emitteret. *quæ me ſurpuerat.* Syncope, pro ſubripuerat: alienum à mente fecerat, ſeu amentem. *felix poſt Cynaram.* non poſtponit Cynaram huic, ſed poſt illius pulchritudinem huius faciem dicit enituiſſe, alioqui minùs amatam. itaque *poſt* aut ad qualitatem pertinet, hoc eſt formā, hoc modo, Tu, ô Lyce, pulchritudine es ſecūda à Cynara, aut ad tempus, hoc eſt, tu poſt illam vita defunctā ad amandum es elegantior. *artium gratarum facies.* artium gratarum facie. ita dicitur, quæ oculis, nutu ſuperciliorum, ceruicis volubilitate, capitis gratia, toto denique corporis motu placet. *ſed Cynara breueis.* deploratio mortis, quòd ætate nondum matura perierit. *ſeruatura diu parē.* Imprecatio annoſitatis, vt fœdior Lyce fiat, & contemptior. hoc eſt, fata te facient annoſitate cornici ſimilem. *poſſent vt iuuenes.* hoc eſt, quæ lumine ac gratia vultus tui facis inſtar, incendiſti adoleſcentes, & conſumſiſti feruidos; ita nunc annoſitate fax tua cadat in cineres, iuuenibus huius ætatis facta riſui. nam ita iam perdidiſti pulchritudinem, ſicut fax conſumta deſinit in cinerem: ita mutata eſt pulchritudo in deformitatem.

CRVQVIVS.

AVDIVERE, *Lyce.* nempe quód hæc tua olim arrogātia in me, & nimia ſæuitia, in caput tuum redierit. Monuit Horatius Lycen Ode decima lib. tertij, vt ingratam Veneri ſuperbiam poneret, niſi aliquando illius iram experiri vellet: quod nunc illi pro ſuo merito vſu veniſſe vehemēter lætatur: nempe quód tanto ab omnibus iam magis haberi odio incipiat, quanto antea fuerat amabilior: quod indicat ipſa repetitio, quæ multū facit ad exaggerationem. *fis anus.* fis annoſa: ob annorum multitudinē: aut fis delira, ſeu ſine mēte, ἀπὸ τοῦ νοῦ & priuatiua particula α, vt ait Feſtus. *importunus.* importunum, ait Feſtus, in quo nullū eſt auxilium; verùm importunus etiam inquietus amor dicitur, vt eſt apud Virgilium, Bellum importunum ciues cum gente deorū. *luridi.* luridi, ſupra modum pallidi, teſte Feſto. *nec cari lapides.* hanc lectionem cur non mutarim fecit codex antiquiſſimus & interpretatio annotata, ſcilicet *pretioſi:* ſed duo alij cod. habent *clari.*

AD AVGVSTVM. PATRES & populum eſſe ſollicitos de honoribus illi decernendis.

ODE XIIII. ἐγκωμιαστικὸν.

Quæ cura patrum, quæue Quiritium
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguſte, virtutes in æuum
Per titulos, memoréſque faſtos
Aeternet? ô qua ſol habitabileis
Illuſtrat oras, maxime principum,
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte poſſes. milite nam tuo
Druſus Genaunos, implacidum genus,
Breunóſque veloceis, & arceis
Alpibus impoſitas tremendis,
Deiecit acer plus vice ſimplici.
Maior Neronum mox graue prœlium
Commiſit: immaneiſq; Rhætos
Auſpicijs pepulit ſecundis
Spectandus in certamine Martio,
Deuota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis:
Indomitas propè qualis vndas
Exercet Auſter Pleiadum choro
Scindente nubeis: impiger hoſtium
Vexare turmas: & frementem
Mittere equum medios per igneis.
Sic tauriformis voluitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Apuli,
Cùm ſæuit, horrendámque cultis
Diluuiem meditatur agris:
Vt Barbarorum Claudius agmina
Ferrata vaſto diruit impetu:
Priméſque & extremos metendo
Strauit humum ſine clade victor,
Te copias, te conſilium, & tuos
Præbente diuos. nam tibi, quo die
Portus Alexandrea ſupplex,
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus:
Laudémque, & optatum peractis
Imperijs decus arrogauit.
Te Cantaber non antè domabilis,
Medúſque, & Indus, te profugus Scythes
Miratur, ô tutela præſens
Italiæ, dominæq; Romæ:
Te fontium qui celat origінem
Nilúſque, & Iſter, te rapidus Tigris,

Te

Te belluoſus, qui remotis
Obſtrepit Oceanus, Britannis,
Te non pauentis funera Galliæ,
Duraq; tellus audet Iberiæ:
Te cæde gaudentes Sicambri,
Compoſitis venerantur armis.

COMMENTATOR.

METRVM tetracolon, duobus verſibus Alcaicum, tertio iambicum dimetrum hypercatalecton, quarto Pindaricum. Negat vllo Senatus populíque Romani obſequio poſſe pro meritis dignos honores tribui virtutibus Cæſaris, vt æternitati conſecretur. *quæ cura patrum.* quantu ſtudiú, vt dignè te laudibus, & magnis honoribus proſequantur ô Auguſte; vt, Quibus cælo te laudibus æquem. *plenis honorum.* maximis. Periphraſis ſuperlatiui, pro pleniſſimis, honorificentiſſimi. *per titulos.* indices virtutis tuæ. *memoreſq; faſtos.* annaleis, in quibus memoria annoru & temporú cōtinetur, ad commemorationem honorum, rerum geſtarum, & actorú publicorum. *æternet.* æternas faciat & laudibus conſecret. *ô qua ſol habitabilis.* propter terræ plagas inhabitabileis. διὰ τὴν ζώνην διακεκαυμένην, καὶ διὰ τὰς κατεψυγμένας. ordo eſt, ô maxime principū qui terram incolunt, qua parte ſol illuſtrat oras mundi habitabileis. *legis expertes Latinæ.* nō ſubiacentes Italis; vel ciuilitatis & humanitatis expertes & ignari. *Vindelici.* gēs eſt Ciſalpina. *quid Marte poſſes.* quantum poſſes in bello. adſcribit Auguſto victoriam Druſi de Vindelicis. *Genaunos implacidum genus.* Galliæ Ciſalpinę gētem implacidam, implacabilem. *milite nam tuo.* cauſſa cur adſcribat Auguſto victoriam: à ſuo milite. *Breunóſque.* gens Galliæ Ciſalpinæ. *plus vice ſimplici.* quia pluréis hoſtium proſtrauerat quàm perdiderat. Druſus enim læſus pacari non poterat, niſi duplicem inferret iniuriam. *arceis.* Rhętorú torreis: ab arcendis hoſtibus. *impoſitas.* exſtructas. *Alpibus tremendis.* metuendis, propter altitudinē: quia omne quod altum eſt, quaſi tremore quodá minatur ruiná: aut propter hoſtium feritatem. *deiecit.* diruit, deturbauit. *mox.* vt recepit exercitum, poſt deiectos Breunos & Genaunos. *immaneiſque.* forteis, ſæuos. *ſpectandus in certamine.* habet hæc vox in ſe admirationem, quo pacto ipſe Claud. Tiberius pectora aduerſariorū morti deſtinata, ſpectatu dign' magnis fatigaret ruinis: quod ad ſummam eius laude pertinet. *deuota morti.* deſtinata, nō timentia mortem. *pectora.* hoſtium. *libera.* libertatis amore. *ruinis.* cædibus. *indomitas propè qualis.* Comparatio viri fortis cum vnda furentis tempeſtatis; vt hæc ſit ſententia: talis fuit Nero in proſternendis hoſtibus, qualis eſt Auſter in turbādis vndis, orto ſidere Vergiliarum. *indomitas.* furenteis. *propè.* propemodum. *Pleiadum choro orto.* orientibus Vergiliis. *Pleïadum.* quæ & Vergilię dictæ ſunt. harū tempeſtuoſus & occaſus eſt & ortus. *ſcindente nubeis.* vento tempeſtuoſo faciente pluuiam. *impiger.* Ellipſis, Talis: nam talis fuit Tiberius impiger vexare. i. ad vexandú, hoſtiú turmas, qualis cōſueuit eſſe ventus ad cōcitandá tempeſtatem & vndas. *mittere equum.* irrumpendo hoſtiú cuneos. *medios per igneis.* per medium pugnæ feruorē, per mediu ardorē belli: nam pro aſperrimis concitatiſſimiſque periculis ignem poſuit. *Sic tauriformis.* vna eſt pars orationis compoſita. Nobiles autē fluuij corniger pinguntur, quòd ex impetu aquarū in anguſtiis decurrentiú obſcurus quidam ſonitus, quaſi boum mugitus, exaudiatur. vt, Corniger Heſperidū fluui' regnator aquarū. Hinc etiá tempora illorú perhibētur coronata arundinibus, quoniá ripæ fluminū illarú ſilua decorantur; quæ etiá ventis agitata obſcurè ſonat. vt Poëta, & tenera prætexit arundine ripas. vel alio modo: quòd diuerſo aquarū fluxu, quaſi cornibus, terrá proſcindant. *Aufidus.* Apuliæ fluuius. *diluuiem.* horrendú aquarū impetú cum euerſione agrorum. vt, Saxi de vertice torrēs ſternit agros. *Claudius.* Tiberius Nero. *ferrata.* ferro munita. *primoſque & extremos.* totá aciem. *metendo.* cædendo. vt, Proxima quæq. metit gladio. *ſtrauit humum.* impleuit humú, obtexit humum. *ſine clade.* ſine damno ſuorū militū. *te copias, te conſilium.* Apoſtrophe ad Auguſtum, cuius auſpiciis Tiberium dicit & hoſteis fudiſſe, & felicitatem cōſecutú, victoriámq. de Rhætis Vindelicis redundare in Auguſtū. *tuos diuos.* qui tibi fauent. *nam tibi quo die.* ætiologia ab euentu quodam fatali: quòd poſt annos quindecim quàm ceperat Auguſtus Alexandriam, eodē die Tiberius ſuperauit Vindelicos: qui locus victoriæ Tiberij totus Auguſto fertur acceptus, ab ipſius potentia, prudentia, felicitate in rebus gerendis, & à fauore numinis: quo factú eſſe videtur, vt Actiaco bello ab Auguſto impia Pompeij cædes vlta ſit, & Vindelici in eius poteſtatem redacti. *vacuam.* ſine hoſte, ſine domino, ſine honore pudicitiæ. *aulam.* domum regiam. deuicta Cleopatra Ægyptioru regina. *reddidit.* attribuit, adauxit. *peractis imperiis.* finitis, ſubacto orbe. *optatum decus.* immortalitatē ex conſecratione, quam meritus fuit Auguſtus, diuinis honoribus ſibi ob virtutem decretis. vt in Epiſtolis, Præſenti tibi maturos largimur honores, iurandúmq. tuú per nomē ponimus aras. *nō antè domo.* ſemper indomitus, nec prius ſubditus Romano populo quàm victus à Cæſare. *profugus Scythes.* quia nunquá eiſdem ſedibus viuit. *ô tutela*

præſens. ô tu Cæſar Auguſte, qui tutaris nomen & imperiū Romanū. *præſens.* propitius & potens. vt, Et vos agreſtum præſentia numina Fauni &c. *qui celat.* quia origo Nili neſcitur. vt, Et gens ſi qua iacet naſcenti conſcia Nilo. *Iſter.* Danubius, in Gallia ortum habens. *rapidus Tigris.* velox. horū fluminū cómemoratione deſignat gēteis illis vicinas. *te belluoſus.* belluis marinis abundās. *remotis.* longè ſeparatis. Britāni enim interfuſo Oceano à terris omnibus ſeparantur. vt, Et penitus toto diuiſos orbe Britannos. *non pauentis* non timentis mortē, aut propter ingenitā ferociā, aut quòd ſibi perſuaderent ſeſe aliquando reuicturos. vt Lucanus, Animæq. capaces mortis. *duræq.* laborioſæ. *audit.* colit, obtēperat. *cæde gaudentes.* bella optātes aſſidua. vt, aut impacatos à tergo horrebis Iberos. *cōpoſitis.* depoſitis & collectis; pacatis moribus & feritate depoſita.

CRVQVIVS.

QVAE *cura Patrum.* Quandoquidem Horatio pro comperto erat, Auguſto pro meritis munera digna à Patribus populóq. Romano deferri nō poſſe, in cuius honorē hæc Ode decantata eſt; hoc ſaltem optat, vt illi dona ſolitis maiora decernantur & honorificentiora, ipſi iā victori de Rhætis Vindelicis ac triumphanti. Solita autem præmia erant, aurū coronariū ex victis bello gentibus, quod Imperatori niſi per triumphū recepto, dari nō decebat. præterea locū in Circo ad ſpectandum cum laurea & ſella curuli inter viros triumphaleis & Conſulareis dari ſolitū erat triumphanti & ſuis poſteris. ſtatuam autē in foro equeſtrem ampliore ſumtu, cū decretis & honorū titulis in Palatio, in Capitolio aut in cella Iouis (qui maximus honor) Senatū populúmq. triumphū agenti Auguſto tribuere æquum eſſe iudicat. *Patrum.* ob honorem dicti Patres, quorū filij Patricij: ijdē & Senatores nominantur, propter ſeniū. nam ex ſenioribus centum elegit Romulus, quorū conſilio omnia gereret. *Faſtos.* faſtorū libri, inquit Feſtus, in quibus totius anni fit deſcriptio. *ô qua ſol habitabiles.* exclamatio parænetica, continens per enumerationem res ferè omneis ab Auguſto, & illius auctoritate geſtas. hic ego lectionē Græcā in Commentatore reſtitui quo ad eius fieri potuit ex characteribus Latinis, aut potius Gothicis, adeò numeris erāt ſimiles: quibus ſententia de Zona aduſta, & duabus extremis frigidis inhabitabilibus, ſignata erat. Cōmentaria vulgata præter hanc vnicam dictionē κεκαυμένην, nihil habēt: vnde cōiectura facilis eſt quantum nobis perierit per ſæcula barbara. *legis expert.* i. ciuilitatis, & humanitatis: nā Liuio teſte, verſantes in aſperis illis montibus, & regione ſqualllida atq. inculta, tēporis ſucceſſu facti ſunt & ipſi efferi & inculti. *Vindelici.* hoc nomen iam obſoleuit, præter vnicā ciuitatē Auguſtā Vindelicā, cuius vnius ſit mentio in libro de præfect. Romanis in Rhætia ſecunda. *Genaunos.* ſic ſcriptū inueni in trib. codicibus Bland. ſine vlla litura aut macula, quos vix dubito eſſe *Velaunos* paucis immutatis litteris in Rhætia ſecunda, quos delineat Plinius li. 3. ca. 20. & Ptolemæus in Rhætia Vindelica, Gallos Ciſalpinos, vnà cū Breunis & Naunibus ſeu Naunis (inflexionē enim in barbaris nominibus cōperimus in ſcriptoribus non ita curioſè obſeruatā.) In Annotationibus vnius cod. vidi *Cenaunos*, vicinitate certè litterarū G & C. vnde conicerē apud Strabonē legendū eſſe κεναύνους, pro γεναύνων, & βρεύνους pro βριγκῶν. nolim tamē inficiari eſſe Brencos aut Bregcos ſeu Breucos; verū dixerim illos nō eſſe Vindelicos, ſed potius Dalmatas, auctoritate Plinij. Si quis velit hic Rhæticę additā eſſe Dalmaticā victoriā, per me quidē licebit, ſed nō video hoc ſignificare Horatiū: & nimis temerariū arbitror, vnius vocis, fortaſſe nō ſuo loco poſitæ, gratia, præter rem quidquam ſentire & dicere. *Breunosq.* ſic ſcribitur in tribus codicibus Bland. quos ſecutus ſum, quia hoc nomē. & Ptolemæo cognitū eſt in Rhætia Vindelica ſiue ſecūda, vt diſtinxit ille qui de præfecturis Romanis librū edidit: & Paulus Diaconus Aquilegienſis li. 2. capite vndecimo hiſtoriæ Longobardicæ, & Plinius lib. tertij cap. vigeſimo, cum Velaunis, nō procul ab his diſſitis L. Florus lib. 4. ca. 12. habet Brennos. *acer plus vice.* nō vna pugna, aut vno congreſſu. hoc enim maioribus erat. *vice*, à vi deductū; ſed multifariam deiecit, hoc eſt ſedibus pepulit, multis vrbium & caſtellorum, vt habet Velleius, oppugnationibus: non quòd omnino deuicerit, ſed coërcuerit, vt memoria proditum reliquit Suetonius in Auguſto. Quod autem habet Velleius perdomitos fuiſſe, opinor hoc magis ad gratiam, quàm pro fide hiſtoriæ ſcriptū eſſe: vbi ego Suetonium pluris fecerim. *maior Neronum.* Claud. Tiberius Nero: nam cùm difficilius pugnaret Druſus, illi ab Auguſto in auxiliū ſubmiſſus eſt Tiberius ad conficiendum bellum: qui mox graue prœlium commiſit, immanéſq. Rhætos auſpiciis pepulit ſecundis. Inepta lectio eſt in Acrone vulgato, vbi Druſus eſt maior Neronū, contra fidem hiſtoriæ. nā Druſum enixa eſt Liuia intra Cæſaris Penates, auctore Velleio: Tiberiū autē ſecum attulit. Itaq. aut propter fratrē Druſum vulneratū miſſus eſt Tiberius, aut certè poſt mortem Druſi, Tiberius Rhętos aggreſſus mox ſtrauit, & in prouincię formā redegit. habet autē Euſebius in Chronicis, quod Olympiade 193. Tiberius de Rhætis Vindelicis, Armenijs, Pannonijs triumpharit. *præfluit.* ſic Ode tertia huius lib. *præfluunt.* in tribus cod. Bland. quos

ſecutus

ſecutus ſum contra vulgarẽ lectionẽ: propter Plinium qui li. tertij ca. vndecimo habet, Aufidus ex Hirpinis montibus Canuſiũ præfluens; quod oppidũ eſt in Apulia Daunia, ſecundũ deſcriptionem Ptolemæi: nec arbitror hanc lectionẽ nõ acceptã fore ijs qui & Italiæ à Plinio ſecundũ regiones diſtinctionẽ, & Ptolemæi ſextæ tabulæ ordinẽ ſunt amplexati. *meditatur.* tres codices habent *minitatur*: ſed quia annotatio ſcripta habet *meditatur*, nolui ab ea diſcedere, quòd exiſtimem illã eſſe veri interpretis, etiamſi hæc verba ab inepto adiecta ſint, *melius dixiſſet facit quàm meditatur*, quæ lectio eſt in vulgatis codicibus Porphyrionis. *nam tibi quo die.* annorũ numerus à Cõmentatore notatus, apertè ſcribitur ab Euſebio in Chronicis; ait enim, decimo quarto regni Auguſti Cleopatra & Antonius ſemet interimunt: & Aegyptus fit Romana Prouincia. poſtea, 29. inquit. Tiberius Vindelicos & eos qui Thraciarum confines erant Romanas Prouincias facit: qui anni intermedij ſunt 15. numero. *qui celat origi.* Quãmuis nonnulli Coſmographi in ſuis delineationibus oſtẽdere laborent Nilum habere originem ex montibus Lunæ: nõ arbitror tamẽ illud alicui certò conſtare. nã vt præteream Herodoti hac de re opinionẽ, id ipſum certiſſimis argumentis aſſerit Ioannes Leo in ſua Africa ipſe Africanus lib. 9. nondũ eſſe inuentum Nili fontem, ne ab ipſis quidẽ Aethiopibus, qui mercatũ exercent cum ipſis Ducalibus, quę ciuitas eſt Africæ. *Iſter.* Danubius eſt, ſed ſuũ nomẽ mutat: in ortu quidem Danubius, pòſt autẽ Iſter vbi Illyricum alluit, iterum Danubius in Euxinum ſe exonerans dicitur. Strabo lib. 4. Iſtri fontes, inquit, iuxta Sueuos & Herciniam ſiluam ſunt. Beatus Rhenanus in ſua Germania, Ab origine Nicri & arce Lupondo nõ ita procul abeſt ortus Danubij. Qui verò omnia quæ ad hunc fluuiũ pertinent cognoſcere velit, legat Commentaria in C. Iuliũ Solinum de Danubio. *rapidus Tigris.* velox in decurſu, adeò vt ſaxa ingentia aliquando ſecũ rapiat, ex Armeniæ montibus decidens: aut ex Tauro, inter Armeniã & Meſopotamiam, vt habet Strabo, à celeritate nomen adeptus; nam Medi ſagittam vocant Tigrim.

AD DIVVM AVGVSTVM.

ODE XV. ἐγκωμιαστική.

PHOEBVS *volentem prœlia me loqui,*
Victas & vrbeis, increpuit lyra,
Ne parua Tyrrhenum per æquor
Vela darem. tua Cæſar ætas
Fruges & agris rettulit vberes,
Et ſigna noſtro reſtituit Ioui,
Derepta Parthorum ſuperbis
Poſtibus, & vacuum duellis
Ianum Quirini clauſit: & ordinem
Rectum euaganti frena licentiæ
Iniecit, emouitque culpas:
Et veteres reuocauit arteis:
Per quas Latinum nomen, & Italæ
Creuere vires: famáque, & imperi
Porrecta maieſtas ad ortum
Solis ab Heſperio cubili.
Cuſtode rerum Cæſare non furor
Ciuilis, aut vis eximet ocium:
Non ira, quæ procudit enſeis,
Et miſeras inimicat vrbeis.
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia: non Getæ,
Non Seres, infidiue Perſæ,
Non Tanaim prope flumen orti.
Nóſque & profeſtis lucibus & ſacris
Inter iocoſi munera Liberi
Cum prole matroniſque noſtris,
Ritè deos prius apprecati,
Virtute functos more patrum duces,
Lydis remiſto carmine tibiis,
Troiamq; & Anchiſen, & almæ
Progeniem Veneris canemus.

COMMENTATOR.

METRVM idem cum præcedenti; continẽs laudes Cæſaris. *Phœbus.* increpuit me volentem loqui lyra, hoc eſt, carmine lyrico deſcribere prœlia & victas vrbeis ab Auguſto, & illius Ducibus; hoc eſt res geſtas Regúmq. Ducúmq. & triſtia bella: quandoquidẽ huiuſmodi rei grauitas non carmini lyrico, ſed magno operi conuenit: ad lyram autẽ decantantur cõuiuia, amores, & prœlia virginũ. vt, cùm canerem reges & prœlia, Cynthius aurem vellit, & admonuit, paſtorem Tityre pingues paſcere oportet oueis. *increpuit.* obiurgauit & monuit. *ne parua.* allegoricôs. ne grauem materiam & ſublimem humili carmini committerem: hoc eſt, ne darem parua vela, id eſt, ne crederem leuibus verſiculis, per æquor Tyrrhenũ. i. res bellicas. *rettulit vberes.* copioſas: ſeu quia in pace diligentior cultus vberiorem fructum facit, ſeu quia Cæſar ipſe factus deus faueat frugibus. vt, Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris Aſtrum, Aſtrum quo ſegetes gauderent.

gauderent frugibus. Quod autē hoc verū ſit, bellū ipſum demonſtrat, quo milites per agros & fruges iter facientes omnia conculcant, vaſtant & prædātur. *& ſigna.* militaria, quæ Parthi accepere occiſo Craſſo. *noſtro reſtituit Ioui.* Capitolino. vbi ſigna conſtitui & ſeruari ſolebant, ea autē vltrò mitia à Parthis Auguſtus ſuſceperat. *ſuperbis hoſtibus.* qui, ne victi dicerentur, vltrò miſerunt in ſocietatis & pacis ſignū. *duellis.* bellis. *Ianum* Iani templum. *clauſit.* pace facta per vniuerſum orbē. nā tempore belli patere conſueuit Iani templum, quod rebus omnibus pacatis clauditur: quare ad ſignificationē futuræ pacis ait Poëta, Claudentur belli portæ *& ordinem rectum eua.* eſt autē ordo: iniecit frena. i. legibus latis coërcuit. *licentia.* propter otiū & pacem & rerum abundantiā. *euaganti.* i. perturbāti, *ordinem rectum.* i. vitā quietā & honeſtā. *emouitq;.* eiecit. vt, Emoti procūbunt cardine poſtes. *& veteres reuocauit arteis.* virtutes quatuor, prudentiā, fortitudinē, iuſtitiam, & temperantiā: in quibus veteres vitæ arteis eſſe dicebant. nam ab his depēdent cetera omnia. *porrecta maieſtas.* Italię dignitas, & amplitudo extenta. *ad ortum ſo.* ab occidēte in orientē. vt, imperiū Oceano, famā qui terminet aſtris. & iterū, Et quē ſol inter vtrumq. recurrens reſpicit Oceanū. *non furor.* vt, Aſpera tum poſitis miteſcent ſæcula bellis. *aut vis eximet.* eijciet pacem. *procudit.* fabricat, exacuit; vt, Et telum ira facit. *inimicat.* inimicas facit. nouè dixit, quia inimico, as, at, verbū nouū eſt. *Danubium bibunt.* gētes accolæ Danubij. vt, Qui Tiberim Fabarimq. bibunt *edicta rumpent Iulia.* Cæſaris Auguſti: in Iuliā enim gentē fuerat adoptatus Auguſtus. *non Getæ, non Seres.* à nullis gentibus leges Auguſti cōtemnentur. *infidiue Perſæ.* quia Craſſum ſimulata pace necauerant. *non Tanaim.* Scythæ & Sarmatæ. *profeſtis lucibus.* profeſtæ luces dicuntur, quæ ſunt antę diem qui feſtus eſt futurus. profeſto autē die opus fieri licet, feſto autē non licet. feriatus enim eſt. *lucibus.* luces & ſoles pro diebus poni ſolent. *ſacris.* quibus ſacra celebrantur. *iocoſi Liberi.* inter vina & læta conuiuia. vt, Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno. *rite deos.* ritu maiorum deos inuocando primùm. *virtute functos.* deinde Duces forteis: qui pro patriæ ſalute perierūt, & cū gloria mortui ſunt. *Lydis remixto.* permixto. vt, vtroq. remixto. treis modos habebant, Ionicum, Lydium, & Phrygium, quem etiā barbarū nominabant. *Troiamq; & An.* hoc eſt, poſtremò, ô Auguſte, tuas laudes decantabimus à prima origine, *almæ progeniem.* Aeneā eiuſq. progeniem, hoc eſt gentē Iuliā: quę ab Iulo nepote Veneris eſt exorta.

CRVQVIVS.

PHOEBVS *volentem.* Hæc Ode incipitur in codic. manuſcrip. adhærere præcedenti indiuiſa, ea fortaſſe de cauſſa, quòd eiſdē numeris & modis eſſet deſcripta, & eſſet eiuſdē argumenti. *noſtro reſtituit.* vltrò à Parthis Auguſto reſtituta ſunt militaria ſigna ſocietatis ineundæ gratia. Euſebius ſcriptis tradit in Chronicis, Anno 41. regni Auguſti Cæſar cū Parthis amicitiā facit. *derepta.* ſic habent duo codices tertius autē *direpta,* ſed per liturā. *Ianum Quirini.* Oroſius li. 6. ca. 20. refert Iani portas primùm clauſas ab Auguſto quintū conſule cū L. vel, vt vult Glareanus, Sexto Appuleio: cùm ab oriente 8. Idus Ianuar. vrbem triplici triumpho ingreſſus eſt, ſopitis omnibus, finitiſq. bellis ciuilibus: anno ab vrbe cond. 725. Olympiade 188. anno ex quo regnare cœpit Auguſtus 15. ante obitū Horatij 18. annis aut circiter, teſte Euſebio: quo tempore in gratiā Auguſti exorſus eſt hunc 4. odarum, quemadmodū conijcere licet à natiuitate ipſius ab vrbe cōd. 689. L. Aurelio Cotta, & L. Manlio Torquato Coſs. & morte anno 746. C. Martio Cenſorino, & C. Aſinio Gallo Coſs. *euaganti.* hęc lectio eſt trium codic. Blād. *iniecit frena.* Oroſius: Clauſis igitur Iani portis Remp. bello quam quæſiuerat, pace enutrire atq. amplificare ſtudens, leges plurimas ſtatuit, per quas humanum genus, libera reuerentia diſciplinæ morem gereret. *emouitque culpas.* duo codices ſic ſcriptū habent, in tertio legitur *dimouit.* ſed priori reſpondent annotationes. *& veteres reuocauit arteis.* virtutes, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς. in his enim tota vita cōſiſtit honeſta, quā diſciplinā nominat Oroſius. *ad ortum.* vnus codex habet *ad ortus. Aut vis eximet.* duo codices conſentiunt lectioni vulgari, quos ſecutus ſum, quia hoc verbū huic loco eſt appoſitū, & foro cōuenit, definitore Pōponio iuriſconſ. & Vlpiano de actione eximenda: cuius reſtituendi gratia dicit hîc Hor. Auguſtū magnā impendere curā, legibus diuerſis ſanciendis: tertius autem codex, vnde ſumta videtur Porphyrionis lectio *exigit,* mendosè habet *exegit. edicta rumpent Iulia.* annotationes ſcriptæ habent in trib. cod. Quia legē de adulteriis ſanxit Auguſtus. quib. verbis ſubſcribit Vlp. qui legē de adulteriis vult à Diuo Auguſto latā: nec obeſt dictio *Iulia:* quandoquidē Auguſtus adoptatus fuit à Iulio Cęſare in ſuā familiam. *Lydis remiſto carmine tibiis.* Phrygia tibia à dextra vnū, à ſiniſtra duo habens foramina, pro animis mulcendis aut accendendis, nō vnos habebat ſonorū modulos: nā Aeolius ſimplex fuit, Aſius varius, Lydius querulus, Phrygius religioſus, Dorius bellicoſus, Gygius hilaris & lætus, Ionicus floridus. Græcis autem in comiſſationib. modi fuere Parœnij &c. Alexand. ab Alex. Verùm de modis Gręcis & barbaris latius dicemus in Epodo noua.

Q. HORATII FLACCI EPODON LIBER.

AD MÆCENATEM, QVEM DEDVCIT AD ACTIACVM BELLVM PROFICISCENTEM CVM AVGVSTO CONTRA ANTONIVM.

ἐπῳδὸς Iambica I.

Ibis Liburnis inter alta nauium
Amice propugnacula,
Paratus omne Cæſaris periculum
Subire Mæcenas tuo.
Quid nos? quibus te vita ſit ſuperſtite
Iucunda: ſi contra, grauis?
Vtrum ne iuſſi perſequemur otium
Non dulce, ni tecum ſimul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus. & te vel per Alpium iuga,
Inhoſpitalem & Caucaſum,
Vel occidentis vſque ad vltimum ſinum
Forti ſequemur pectore.
Roges? tuum labore quid iuuem meo
Imbellis ac firmus parum.
Comes minore ſum futurus in metu:
Qui maior abſenteis habet.
Vt aſſidens implumibus pullis auis
Serpentum adlapſus timet:
Magis relictis: non vt adſit, auxili
Latura plus præſentibus.
Libenter hoc & omne militabitur
Bellum in tuæ ſpem gratiæ:
Non vt iuuencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis:
Pecúſue Calabris ante ſidus feruidum
Lucana mutet paſcua,
Nec vt ſuperni villa candens Tuſculi
Circæa tangat mœnia.
Satis ſupérque me benignitas tua
Ditauit. haud parauero,
Quod aut auarus vt Chremes terra premam:
Diſcinctus aut perdam vt nepos.

COMMENTATOR.

LIBER hic inſcribitur Epodō quoniam ita verſus ordinati ſunt vt ſingulis quibuſque ſuæ clauſulæ recinant. Clauſulas autem dicimus præcisos & breuiores verſus: quales ſunt Dimetri ad trimetros: nam Dimeter binarius eſt, trimeter autem ternarius, quorum hic quidē προῳδὸς dicitur, quòd præcinatur: ille verò ἐπῳδὸς, quòd ſuccinatur. Liber itaq. ἐπῳδῶν dicitur, quaſi verſiculorum: quia per totum hunc librum maioribus verſibus ſeu longioribus poſtponuntur minores, ſeu breuiores. Metrum, hoc eſt, Iambicum: primus verſus eſt trimeter: ſecundus autē dimeter qui ἐπῳδικὸν dicitur, quia vna menſura minor eſt. Et quia decem primæ epódi conſtāt Iambicis verſibus trimetro & dimetro, ſciendum eſt quòd Iambicus trimeter habet ſex Iambos: dimeter autem quatuor. Verſus autem Iambicus triplex eſt, Tragicus, Comicus, & Satyricus. Iambicus autē trimeter Tragicus recipit pedes dextros iambum, ſpondeum, tribrachu ſcilicet primum, tertium, quintum; ſiniſtros autem ſolùm iambos ſcilicet ſecundum, quartū & ſextum: vt, Diui potentes ferte vexatis opem. Comicus autē frequentes habet tribrachos, præter ſextum qui ſemper eſt iambus: vt, Agite quid dubitatis hilareis dare choros? Satyricus eſt medius ſeu mixtus: vt, Muſæ Iouem laudate & hilareis date choros. *Ibis Liburnis inter alta.* ad Mæcenatē, qui omnem militiam Cæſaris naumachia, id eſt, nauali prœlio ordinaturus proficiſcebatur ad bellum Actiacum; cum quo ſeſe ait vnà velle proficiſci. *ibis Liburnis.* nauibus validis & conſtratis. *liburna.* nauis eſt minor à Liburnia regione ſeu Libya; his enim nauibus Libyci mercatores vehuntur, quibus etiam vtuntur qui ordinant nauale prœlium, diſcurrentes inter naues maiores &

militiam ordinantes. *inter alta propugnacula.* inter altas naueis. propugnacula in nauibus dicuntur loca altiora quaſi muri vnde milites ſuos hoſtes propugnant, aut manu, aut telis. *quid nos.* agimus, facimus, per ellipſin, aut in futuro, agemus, faciemus. dicit ſe penitus ignorare quid agat, an, domi manere iuſſus à Cæſare, carminibus ſtudeat, an ad prœlium cùm eo pergat. *te ſuperſtite.* te incolumi, te viuo. *ſi contrà grauis.* grauis eſt mihi vita te mortuo, ſi te mori contigerit. *iuſſi.* à te vel potius à Cæſare: dicitur enim Cæſar Auguſtus Horatio dediſſe militiæ vacationem, cùm id aliis denegaſſet. Nam totam vrbem ad delectum vocauit, valde enim timuit Antonium. *perſequemur.* inſtabimúſ-ne carminibus, quæ ab otioſis ſcribuntur? *non dulce.* iniucundũ mihi ſine te. *otium.* hoc eſt carmen quod poëtis delectationi ſolet eſſe, mihi eſt ingratum niſi tecum. *an hunc laborem.* an ea mente laturi ſumus hunc laborem militarem, qua mente illum ferre decet, non molleis, hoc eſt, forteis viros? *Alpium iuga.* id eſt, per Alpium ſummitates. Mõtes autem trifariam diuiduntur, in radices, quæ & pedes dicuntur, & latera, & iuga. *inhoſpitalem.* quia hoſpitiis non patet, vbi nemo habitat propter montis aſperitatẽ & ferarum multitudinem: vt, Et inhoſpita Syrtis. *Caucaſum.* Caucaſus mõs eſt Scythię aſperrimus, vbi piper naſcitur. vt, duris genuit te cautibus horrens Caucaſus. *ad vltimum ſinum.* ad Hiſpaniæ oram vltimam. *roges.* fortaſſis interrogabis me, quid iuuare poſſet tuum laborẽ meus labor, ſi tecum eſſem in prœlio, cùm ego ſim non multum fortis? Reſpondet: Quia tecum in bello præſens ſi fuero, minus tibi metuam quàm abſens. Quia illa eſt humanæ mentis ratio, vt quos diligimus, plus timeamus abſentibus, propter diuerſa pericula, quę generãt ſollicitudinem: vnde Lucanus, vt timorẽ ſollicitæ mentis oſtẽderet, inquit, Euentus belli ſciat vltima coniunx. *minore ſum futurus in metu.* hoc eſt, non hæc dico, quòd tuũ quidem laborem iuuem meo comitatu, ſed quòd minuam meam ſollicitudinem. *vt aſſidens implumibus.* Argumentum à comparatione ſumpta ab auibus, quæ cùm præſentes adſunt, pullis ſuis minus timent ſi ſerpentes aduenerint, quamuis illos defendere non magis poſſunt, quàm dum ſunt abſentes ab eis. Sic magis tuæ ſaluti timeo, ſi non fuero tecum præſens in periculo prœlij. Apta hæc eſt comparatio ab auibus, ad notandã ignauiam, & incuriam inertium hominũ: Aues enim nidos nõ relinquunt amore naturali, etiam ſi contra ſerpentes ſuos pullos tutari non poſſint. *aſſidens.* fouens, nutriens. *adlapſus.* impetus, incurſiones. *timet magis relictis.* ordo eſt, auis aſſidẽs pullis implumibus, timet quidem ſerpentium adlapſus, ſed magis timet relictis illis, id eſt, abſens, vt, relictis, ſit caſus datiui. quemadmodũ illud Terentij, Syre tibi timui malè. *non vt adſit.* id autem ſic ordinatur, Non latura, id eſt, allatura plus auxilij præſentibus pullis quàm abſentibus, vt adſit, id eſt, ſi adſit. *libenter hoc & omne militabitur.* libenter & hoc bellum, & omne aliud militabo tecum, tuam vt ineam gratiam, non vt habeam multa iugera, aut paſcua, vt pecus meum de Calabria tranſeat ad Lucaniam æſtate incipiente; neque vt villa mea Tuſculana, poſſeſſionibus iunctis, extendatur vſque ad Circæum montem. *militabitur.* à me. nouè dictum. *omne.* per ellipſin aliud. *in tuæ ſpem gratiæ.* vt tuã gratiam cõſequar. *non vt iuuencis illigata, &c.* Hypallage, hoc eſt, non vt illigati tauri ſub aratris nitantur, non propterea, vt plures iuuenci nitantur, id eſt, incumbant proſcindendæ terræ, ſeu vt habeam plura aratra. *pecúſue.* meum. *ante ſidus feruidum.* ante ortum Caniculæ, quæ oritur octauo calend. Iulias, quę pecori multam contagionem, & hominibus multos morbos adferre ſolet, per nimium calorem. *Lucana mutet paſcua.* Solent paſtores ex Calabria tranſire in Lucaniam, propter eius regionis temperiem, ante ortũ Caniculæ ſub menſem Iulium, quando Calabria nimio æſtu pecori eſt infeſta: contrà rurſum ex Lucania abeunt in Calabriam, propter nimium frigus Lucaniæ. *nec vt ſuperni villa.* hoc eſt, non militabo tecum vt dilatentur termini agrorum meorum, vſque ad Circæum oppidum Tuſculi ſuperni, hoc eſt, in monte ſiti, ad cuius latera ſuperiora Cicero ſuam villã habebat Tuſculanã. Tuſculũ autẽ oppidum conditum fuit à Telegono filio Vlyſſis, & Circes, quæ erat filia Solis. *candens.* ornata. *Circæa tangat mœnia.* Circæum oppidum à Circe ædificatum. *ſatis ſupérque.* abundè. *benignitas.* liberalitas. Nã donatum ſibi in Sabinis fundum à Mæcenate Horatius ſæpe teſtatus eſt. *haud parauero.* nolo tantum habere diuitiarum, quãtum diues auarus, vt illas in terra abſcondam, aut vt luxuria perdam, quaſi diſſolutus nepos. *parauero.* conquiram. Sic Virg. donec me flumine viuo Abluero. *Chremes.* ſenex eſt, quẽ Terentius in comœdiis introducit auariſſimum. *premam terra.* abſcondam. *diſcinctus.* diſſolutus luxu. *perdam.* dilapidem, prodigè expendam. *nepos.* Luxurioſus & prodigus. fortaſſis inde hoc nomen hanc ſignificationem habet ſecũdariam, quòd nepotes ab auis domi ſuæ delicatè enutriti, ſoleant poſtea laſciuire, & bona patris prodigè dilapidare: vel à Nepa ſerpente, qui omnes deuorat natos præter vnum, qui latenter in ſetis dorſi matris euadit.

CRVQVIVS.

IN euulgandis aliquando cõmentariis antiquis cũ noſtris adnotationib. τῶν ἐπῳδῶν, vt quid de iis ſentirẽ, ſatis, vt credidi, lectori facerem, dum coniecturas aliorũ commemoro, Diomediſque Grammatici non pœnitendi iudicium definitionémq. τῶν ἐπῳδῶν certius aſſero, prolixior certè fui quàm res ea deſiderare videbatur, vt quæ iam olim controuerſa, multúmque à doctis agitata, ſilentio à me potius tranſeunda fuerit, quàm nihil certi præter ceteros & comperti aſſerendum: obſcura namque eáq. tenuia declarare quid aliud eſt quàm velut cũ Euandri matre confabulari? nec ea profectò in re tantoperè laboraſſem, niſi nos eò rapuiſſent Blãdinij codices, partim propter Odarum nomen ad ἐπῳδοὺς ferè ſingulas in iis omiſſum, qua gratia cenſui non Odas, ſed Epodous epigraphe propria ſigillatim non temerè nominandas, partim nos impulerũt ad id inſcriptiones in iiſdem ſcriptis quædam priùs non lectæ, nimirum, Ad Pettiũ Epodos Elegiambica ſeu Elegoiambica. Rurſum ad Canidiam libidinoſam Epodos heroica. poſtremò, ad amicos Comicos Epodos Iambelega. Ad Inachiã meretricem ſenarius Epicus, Quadrat⁹ Dactylicus Epodicus. Ad Neæram ſenarius Epicus, Iambicus binarius Epodicus, &c. hæ nobis fuere cauſæ, vt non Odas, ſed Epodous ſingulis poëmatis πολυλογῶς affigi vellem: non quòd inficier eas odas eſſe, ſed quòd inſcriptio ipſa nomen hoc non vt proprium relinqueret: Qua verò mente conſilióve aut à lyrico noſtro aut alio quouis id factum ſit, dũ conamur omnes inſpicere, nihil quàm in coniecturis errare videmur. Quare vt conijcere pergam, ſi fortaſſe quid aſſequar quod lectori non inutiliter placeat: In gratiam Druſi Neronis, Auguſto poſtulante, ſcripſit Odarum librum quartum. Quid ſi ſtudio quoque Mæcenatis, cui ad Actiacum bellum comes eſſe non potuit, dicamus eũ flexiſſe animum ad hos verſus ſuccinendos, dum ſit à Mæcenate iuſſus otium colere, eáque gratia dictas ἐπῳδούς? Nam Muſicis ἐπῳδοὶ flexiones quoque ſeu conuerſiones dicuntur, vt habet Ariſtoph. interpres in nebulis. Et neſcio an Henricus Stephanus vir eruditionis eximiæ ea de cauſa ſingula poëmatia numeret ἐπῳδούς. Equidem ad imitationem veterum ſcriptorũ crediderim ſimpliciùs & clariùs poëmatia ſingula numerari poſſe hoc modo: Ode Epodice 1. 2. 3. &c. iudicet lector. *Ibis Liburnis inter alta nauium.* Non abſurdè Commentator hic meminit metri iambici, hoc ipſum diſtribuens in trimetrum, & dimetrum, quandoquidem decem primæ Epodi hoc genere carminis decantantur. Verùm quòd trimetrum diſtribuat in Tragicum, Comicum, & Satyricum, illorúmque diuerſitatem metiatur paucioribus & pluribus tribrachis, videtur quidem ſapere neſcio quid antiquitatis, ſi nominatim hoc conſideres: verùm ſi rem ipſam ſpectes, ea certè eſt litteratoris alicuius commentatio. nam Tragicum & Satyricum, quo iambici poëtæ potiſſimum vtuntur, pedibus inter ſe conueniunt: locis enim paribus 2. 4. 6. iambum accipiunt, interim tribrachum, rarò autem anapæſtũ: imparibus autem locis, præter hos, etiã dactylum & ſpondeum admittunt. Comicũ autem quod & mixtum dicitur, ſine delectu ferè omnibus locis, præter vltimũ, qui iãbo proprius eſt, vtitur quinq. dictis pedib⁹, quòd Comici poëtæ ſermoni familiari ſcribãt quàm ſimillima: in hoc autẽ Tribrachorũ pluralitas, ab aliis, Tragico puta & Satyrico, rectè diſtinctionẽ inuenit. De pedibus autem dextris & ſiniſtris, quos ponit commentator, dicere aut diſſerere, nulla hic nobis cura eſt, qui illum non interpretari, ſed corrigere ad veteres codices inſtituimus, aliàs fortaſſe diſputaturi, de dextris & ſiniſtris pedibus, vbi de tibiis dextris & ſiniſtris, paribus & imparibus agemus. *liburnis.* hic præter meritum ſuum Acron à Gyraldo obelo confoditur, quòd liburnas nauiculas dicat vimine contextas, quod illum nè ſomniaſſe quidem arbitror, ſed eſſe fetum puto inepti cuiuſdam ſuppoſititium. De liburnis ait commentator, eas dictas eſſe à Liburnia regione, aut à Libya, quòd huiuſmodi nauibus vtantur mercatores Libyci. Priorem opinionem approbamus auctoritatibus Appiani Alexandrini in Illyrico, Suidæ, & Vegetij lib. 4. de re militari. Poſterior videri poſſet minus apta, niſi in eadem ſententia eſſet Iſidorus lib. 19. cap. 1. de nauibus, & Ethicus Iſter idem ſentire videretur, vt refert Gyraldus de re nautica, vbi pro Libya dicit potius legendum eſſe Libymia, per y Græcum: ego certè & in Commentatore & duobus iam dictis auctoribus, ſi in dictione Libya errorẽ eſſe cenſuerimus, malim eius loco ſubſtituere Illyria: Illyrici namque iiſdem nauibus vſi dicuntur in inuadendis inſulis maris Ionij apud Appianum in Illyrico, vt omittam etiam Liburniam eſſe Illyriæ illius maioris partem. Verùm vt ad rem redeamus, Liburnicæ naues principio leuiores & ſpeculatoriæ fuere, teſte Plutarcho in Catone. λιβυρνικὰ δὲ καὶ κατασκοπικὰ καὶ ἄφρακτα παμπληθῆ. id eſt, liburnicæ autem & ſpeculatoriæ & apertæ complures. Verùm omnino incertum eſt, an Mæcenas ſit vſus huiuſmodi, quem ſolus commentator ſcribit naumachiæ à Cæſare fuiſſe præfectum. Ceteri namq. penes Agrippam eius belli molem fuiſſe tradunt, etiamſi Mæcena-

tem magnæ auctoritatis apud Cæſarē fuiſſe Dion hiſtoricus ſcriptum reliquerit. Certè ex Plutarcho in Antonio, Cæſarem in hoc bello legimus liburnicas quidem habuiſſe, ſed cum cataſtromatis, quas hic Commentator validas fuiſſe dicit & conſtratas. Suidas de Liburnis ſic ait, λιβυρνικαί, νῆες ἦσαν οὐ κατὰ τὸν τριηρικὸν ἐσχηματισμέναι τύπον, ἀλλὰ λῃστρικώτεραι χαλκεμβόλοι τε, καὶ ἰσχυραὶ καὶ κατάφρακτοι, καὶ τάχος αὐτῶν ἄπιστον hoc eſt, Liburnicæ naues erant non ad formā triremium ædificatæ, ſed magis ad prædam roſtratæ, & fortes, & conſtratæ, & celeritate incredibili. An Liburnum dicatur genere neutro, vt vult Lil. Gregorius Gyral. auctoritate Lucani fretus lib. 3. Ordine contento gemino creuere Liburno; non auſim contendere. ſed arbitror hoc carmen ita legendum, Ordine contentæ gemino creuere Liburnę. *propugnacula.* naues, arbitror, intelligit Antonianas, quæ turreis habebant; eas enim turritas appellat Virg. 8. Aeneid. Tanta mole viri turritis nauibus inſtant. Præterea Dion hiſtoricus, de hac pugna Actiaca: Naues, inquit, Antonius ædificauerat multo hoſtilibus maiores, turreiſque in eis altas extruxerat, multitudinémque in eis hominū collocauerat, qui quaſi de muro pugnarent. huic ſubſcribens Plutarchus, Antoniani, inquit, è ligneis turribus, catapultas in hoſtem iaciebant; Cæſaris autē naueis Brundiſij, ac Tarenti paratæ erāt non ad faſtigij, roboríſq. oſtentationem, ſed ad celeritatē facilitatémq. fabricatæ. Ceterùm de nauibus turritis Plin. lib. 32 cap. 1. *an hunc laborem mente laturi.* non libet hic nugari, cum iis qui Acronem & Porphyr. nobis ſplendidè mentiuntur. quorum alter negationem, non, ſuam vim explicare vult in verbum, decet, cùm nihil ſit ineptius: alter mentem à corpore, ſine mente ſeparans, pro magna animi ſolicitudine, quem laborem hic mentis nominat, non minùs futiliter accipiendam iudicat, quando mens hic ſit conſtantia & fortitudo: qua gratia Glareanus hic non immeritò reprehendit Mancinellum, qui cum illo nugatore Porphyr. idem de mente & corpore dicendum contendit, cui non magis aptè ſubſcribit Figulus. *Alpium iuga.* quę Græcè dicuntur τέρμα ὑπώρεια καὶ ἀκρώρεια. *Caucaſus.* Caucaſus ea Tauri montis pars eſt quæ Indiam ſpectat, vbi altitudine ſeipſum ſuperare videtur, diſtans ab India ſupra 30. millia ſtadiorum, Strabone teſte lib. vndecimo. Plinius lib. 6. cap. 17. hunc propter niueis Graucaſum nominatum ſcribit, Iſidorus lib. 14. Caucaſus orientali, inquit, lingua ſignificat candidum: vnde & Scythæ illum qui eidem monti junguntur, Croacaſin vocauerunt. Caſin enim apud eos candor ſiue nix dicitur. *inhoſpitalem.* illius enim vertices hieme ſunt inacceſſibiles, æſtate, propter glaciem ac niueis, bubulis caligis in tympani modū latis calceati aſcendunt. *vltimum ſinum.* Sinus qui major maris eſt receſſus, hic eſt Gaditanus per columnas Herculis. De ſinibus autem maris ampliſſimis vide Strabo. lib. 2. *non vt adſit.* Ita habent tres cod. Bland. & vt interpretatu ſi Quartus habet, *nō vti ſit auxili. vti.* id eſt, quo. *militabitur.* hoc vnum eſt ex iis verbis quæ doctiſſimo Theodoro vocantur ἀδιεξέργαστικά: qualia ea ſunt quorum actio in illud propriè ſolum tranſit, quod omnino loqui non poteſt: vt, actum agitur, vita viuitur. ſic alibi Cicero, Quo in genere etiam in republica multa peccantur. ſic apud Ouidium, Quot piſcibus vnda natatur. *Lucana mutet paſcua.* non mutaui vulgarem lectionem, etiamſi omnes cod. Bland. habeant *paſcuis.* quòd hæc lectio mihi plenior appareat: mutare autem Lucana paſcua Calabris, ſenſu & ſtructura cum illo conuenit Salluſtij in Catilina: Nemo niſi victor pace bellum mutauit. id eſt, loco belli pacem accepit. *candens.* fortaſſis quod ex marmore candido extructa domus, atque in editiori loco poſita, procul reſplenduit. *diſcinctus.* intēperans, omni luxu diffluens, metaphoricôs à veſte demiſſa, ac laxa, quali inambulare ſolent homines frugiperdæ: καταπεπολακτομένος, iners, ſtupidus, inutilis, ignauus, τούτων γὰρ ἐστὶ ὑγρὸς βίος, τοῦτ' ἐστὶ εὐκαταφερὴς εἰς ἡδονάς. cui aduertatur, ſuccinctus, accinctus, præcinctus, διεζωσμένος: non parua namq. cura erat antiquis, quopacto cingerentur iuuenes, vt ſcribit Strabo lib. 4. de zonæ apud Gallos menſura qua iuuenes cingi opus erat: ait enim, ἴδιον δὲ καὶ τοῦτο, ἀσκεῖν γὰρ αὐτοὺς μὴ παχεῖς εἶναι μηδὲ προγάστορας. τὸν δὲ ὑπερβαλλόμενον τῶν νέων τὸ τῆς ζώνης μέτρον, ζημιοῦσθαι. id eſt, Illud quoq. ipſis eſt proprium, vt ſeſe exerceant, ne pingues fiant, & ventricoſi. Siquis autem iuuenum zonæ præſcriptam menſuram excedat, mulctetur. Diſcinctus fuit ille Naca Perſij. *Nepos.* quod, teſte Paulo, natus pòſt ſit patri quàm filius. eius autem propria ſignificatio nota eſt: At tranſlatitia, Nepotes, inquit Paulus, luxurioſæ vitæ homines appellati ſunt, quòd non magis iis rei ſuæ familiaris cura eſt, quàm iis quibus pater auúſque viuunt.

LAVDATIO VITÆ ruſticæ exornatæ ſumma rerum tranquillitate.

Epodos Iamb. II.

BEATVS *ille qui procul negotiis,*
Vt priſca gens mortalium,

Paterna

Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni ſœnore:
Neque excitatur claßico miles truci,
Neque horret iratum mare.
Forúmque vitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.
Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat erranteis greges:
Inutileiſque falce ramos amputans,
Feliciores inſerit.
Aut preſſa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oues:
Vel cùm decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit,
Vt gaudet inſitiua decerpens pyra,
Certantem & vuam purpuræ:
Qua muneretur te Priape & te pater
Siluane tutor finium.
Libet iacere modò ſub antiqua ilice:
Modò in tenaci gramine,
Labuntur altis interim ripis aquæ:
Queruntur in ſiluis aues,
Fonteiſque lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod inuitat leueis.
At, cùm tonantis annus hibernus Iouis
Imbreis niueiſque comparat:
Aut trudit acreis hinc & hinc multa cane
Apros in obſtanteis plagas:
Aut amite leui rara tendit retia
Turdis edacibus dolos:
Pauidúmque leporē & aduenam laqueo gruem
Iucunda captat præmia:
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiſcitur?
Quod ſi pudica mulier in partem iuuet
Domum, atque dulceis liberos:
Sabina qualis, aut peruſta ſolibus
Pernicis vxor Appuli:
Sacrum vetuſtis extruat lignis focum
Laſſi ſub aduentum viri,
Claudenſq; textis cratibus lætum pecus,
Diſtenta ſiccet vbera:
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemtas apparet:
Non me Lucrina iuuerint conchilia,
Magíſve Rhombus, aut Scari:
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare:
Non Afra auis deſcendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Iucundior, quàm lecta de pinguiſsimis
Oliua ramis arborum:
Aut herba Lapathi prata amantis, & graui
Maluæ ſalubres corpori:
Vel agna feſtis cæſa terminalibus:
Vel hœdus ereptus lupo.
Has inter epulas, vt iuuat paſtas oueis
Videre properanteis domum?
Videre feſſos vomerem inuerſum boues
Collo trahenteis languido:
Poſitóſque vernas, ditis examen domus,
Circum renidenteis Lareis?
Hæc vbi locutus fœnerator Alphius,
Iamiam futurus ruſticus,
Omnem redegit idibus pecuniam,
Quærit calendis ponere.

COMMENTATOR.

METRVM hoc ſimile eſt præcedenti. Inducit Horatius Alphiū negotiatorem laudantem vitam ruſticorū, & eam omnibus deliciis præferentem, quaſi pertæſum ſuæ negotiationis, aut fœnoris, & ad agriculturam ſe transferre cupientem: ſub cuius perſona, primum, quaſi per tranſitum, commemorat negotiorum moleſtias, & vrbanæ vitæ incōmoda; deinde commendat delectationes ruſticorū, & ea refert quæ ab illis ſingulis anni temporibus aptiùs aguntur. *beatus ille.* ruſticus: vt, ô fortunatos nimium, bona ſi ſua norint, Agricolas. *qui procul negotiis.* ſemotus, ſeparatus à moleſtiis vrbanæ vitæ, & ſtrepitu negotiorum. *vt priſca gens.* notat aurea ſæcula quibus maiores in agris viuebant, eóſque ſine metu liberè colebant. *exercet.* colit, proſcindit: vt, exercétque frequens tellurem. *ſuis.* propriis, vtilibus, non aliunde locatis aut conductis. *ſolutus omni fœnore.* liber ab omni debito & lucro, vt qui nec fœneretur, nec ipſe fœnus accipiat. *neq; excitatur.* tria notat hominum genera militantium, negotiātium, & forenſiū qui cauſis interſunt forenſibus & litigāteis

placant. *excitatur.* ad pugnam. mirè oſtendit incommoda vitæ, quibus ruſtici carent, quibus nec ſomnos abrumpit cura ſalubres. *claſſico truci.* ſono tubæ terribili ac ſæuo. Claſſicum propriè vocatur tubarum ſonitus, à claſſibus, id eſt, equitibus, qui tubas ſemper ferebant. etiam claſſes vocantur naues, ἀπὸ τῶν ξύλων, id eſt, à lignis. *horret.* timet. *iratum.* concitatum in tempeſtate, ſæuum. *forumque vitat.* liteis quæ in foro aguntur. forum propriè hic dicitur publicus conuentus, vbi lites aguntur & diiudicantur. forum etiam dicitur, vbi mercatus exercetur. *Et ſuperba ciuium potentiorum limina.* quia non curat familiaritatem diuitum, vt vrbani, neque domos illorum frequentat, &, ſi obuios habuerit, non ſalutat, fugit ſalutationum officia. vt, Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis Mane ſalutantum totis vomit ædibus vndam. *ergo aut adulta vitium propagine.* hic incipit deſcribere quid ſingulis anni partibus agat ruſticus, & dilucidè exequitur illorum oblectamenta. *adulta.* matura, quæ ſua habet incrementa. *propagine.* propago, palmes eſt vitis quæ iam duci & propagari poteſt. *altas maritat populos.* arbores dicuntur maritari, quando illis vites adiunguntur. *maritat*, coniungit. hic enim ita, maritat, dixit, vt alibi viduas arbores, id eſt, vitibus carenteis. *populos.* ſpecies hic eſt poſita pro ſpecie, arbor pro arbore, populus pro vlmo: non enim populos, ſed vlmos vitibus maritare ruſtici conſueuere. *reducta.* ſecreta, ſeparata, depreſſa, aut certè ſinuoſa. *mugientium.* boum. *errantes.* liberè paſcenteis: vt, Ille meas errare boues, vt cernis, & ipſum Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti. *greges.* pro armentis hic poſitum eſt. *inutileiſque.* ſterileis, infructuoſos. *feliciores.* fertileis, vt: Exiit ad cælum ramis felicibus arbos. quia fertiliorum arborum vera eſt inſitio. *aut preſſa.* expreſſa fauis & eliquata. *puris.* defecatis & mundis. *mella condit amphoris.* mellis meſſem facit. *Mellameſſio* dicitur mellis collectio, quia æſtate mella conduntur. *aut tondet infirmas oueis.* nam oueis æſtate lanitondium patiuntur. *infirmas.* proprium epitheton ouium, quæ neque ſui curam gerere, neque ſaluti ſuæ prouidere ſciunt: præcipuè cùm onuſtæ ſunt velleribus ſuis & grauatæ: niſi maluerimus naturaliter dicere infirmas, id eſt, delicatas, quia natura oues ſunt infirmæ, & morbis obnoxiæ. *Vel cùm decorum mitibus pomis caput.* enumerat voluptates, aut potius commoditates, quas autumno conſequitur agricola. hæc autem eſt proſopopœia autumni, qui ita deſcribitur ab Horatio ſicut pingitur, ſcilicet pomis Deus coronatus. *decorum.* ornatum pomis. *autumnus aruis extulit.* proſopopœia. *vt gaudet.* cum admiratione dicit gaudere ruſticum, dum colligit fructus arborum quas ipſe plantauit, & inſeuit. *vt gaudet.* quàm lætatur proprios labores intuens: vt, Inſere Daphni pyros, carpent tua poma nepotes. *inſitiua decerpens.* quæ ipſe inſeuit manu legens: bene dicit inſitiua, quia ex ſemine nata degenerant, & fiunt agreſtia. *certantem & vuam purpuræ.* contendentem colore cum purpura: nam vuæ maturæ purpureum habent colorem: quæ & præciæ dicuntur. *muneretur.* munero, & muneror, vtrumque rectè dicitur in actiua ſignificatione, id eſt, dono. *te Priape.* cuſtos hortorum. *pater Siluane.* cuſtos agrorum & ſiluarum. *finium.* terminorum agri. *libet iacere modò ſub antiqua ilice.* antiqua, magna, & patula: vt, Fortè ſub antiqua conſederat ilice Daphnis. *modò.* aliquando. *in tenaci.* quod hærendo ſtringat. *labuntur.* defluunt. *interim.* interea dum iacet ruſticus. *queruntur.* garriunt, querula voce ſonant. Veteres omnium animalium voces, præterquam hominum, querulas vocabant: hinc querulæ cicadæ, Maro: querela ranarum, & de bobus, atque omne querelis impleri nemus. *obſtrepunt.* ſtrepitu & murmure ſomnos ſuadent: vt, ſæpe leui ſomnum ſuadebit inire ſuſurro. Obſtrepunt, id eſt, ſtrepunt, nam obſtrepere propriè dicitur qui ſtrepitu ſuo alterum impedit, ſeu contra alterum ſtrepit. *quod.* id eſt, quæ res. *leueis.* ſecuros, iucundos, & ſuaueis. *at cùm tonantis.* Enumerat ſtudia & commoda, quibus per hiemem ſe exerceant ruſtici, qui quando in agris colendis verſari non poſſunt, ſeſe tradunt venationi & aucupio. *annus hibernus.* hibernum anni tempus, ſynecdochicos pars pro toto: vt, Nunc frondent ſiluæ, nunc formoſiſſimus annus; pro vere. *tonantis Iouis.* id eſt, aëris, ex aëre fit tonitruum. ſic, Iupiter humidus auſtris. *imbreis niueiſq; comparat*, id eſt, viciſſim parat ſeu colligit poſt tempus æſtatis. *aut trudit.* impellit, cogit. *hinc & hinc.* ex omni parte. *multa cane.* multitudine canum, multis canibus, numerus pro numero. poëtæ ferè feminino genere, canes proferunt. Virgil. viſæque canes vlulare. *apros.* venatio aprorum. *in obſtanteis plagas.* in oppoſita retia. Plagæ dicuntur maiores: retia minora ſunt: vt, retia rara, plagæ. *aut amite leui.* aucupium ruſticorum. *amite.* Ames propriè eſt furcula ex qua rete ſuſpenditur ad capiendas aueis. *leui.* leuigato: nam aſperitas lignorum tollenda eſt quando vſui ea aptantur. *turdis edacibus.* in vorandis oliuis. *dolos.* Epexegeſis, tendit retia dolos edacibus turdis. *pauidùmque leporem.* epitheton naturale. *aduenam.* tranſmarinam, Thraciam: vt, Strymoniæque grues. hinc, quòd

quòd ſit aduena, dicitur auis exotica: nam ſingulis annis nobis noua aducuit. *laqueo.* pedica. *iucunda captat præmia.* per epexegeſim. hæc enim omnia, apri, turdi, lepus, grus, ſunt ruſtico iucunda laborũ præmia. *quis non malarum quas amor curas.* Omneis malas curas facilè ſuperat & ſub ſe habet amoris cura: ſed inter has delicias ruſticas non ſolùm quis obliuiſcitur malarum curarum, ſed etiam amoris qui maximè ſollicitat amãtem. *hæc inter.* inter hæc oblectamenta, has delicias ruſticas. *quòd ſi pudica mulier.* Quòd ſi & hoc conſecutus fuerit agricola, vt vxorem habeat bonam & caſtam, eſt omnium mortalium feliciſſimus; nam illa alteram laboris partem ſubibit, quæ eſt domeſtica, nutriendo liberos, focum excitando ſub aduentum mariti, cibos apparando, quibus ſe ipſe Alphius magis velle veſci poſteà aſſerit, quàm diuitum cibis accuratè præparatis. *pudica.* caſta, quæ omnibus bonis eſt præferenda. ſic, caſtum ſeruare cubile Coniugis, vt poſſit paruos educere natos. *Sabina qualis.* exempla pudicitiæ & amoris, à mulieribus ruſticis, ſumta. Sabinorum virgines, quas Romulus rapuit, viros ſuos adeò dilexerunt, vt pacem inter Sabinos Romanoſque facerent. *aut peruſta ſolibus.* nigra, propter nimium ſolis æſtum, & aſſiduum laborem diurnum. Soles enim pro diebus ponuntur. *pernicis.* velocis, celeris, impigri, agilis: vt, Progenuit pedibus celerem & pernicibus alis. *ſacrum.* Veſtæ conſecratum. Iuxta focum dij Penates poſiti fuere, lareſque inſcripti, idcirco quòd ara deorum Larium focus ſit habitus. *vetuſtis.* deſiccatis, non recentibus, repoſitis. *extruat lignis focum.* hoc enim vitæ ruſticæ & laborioſæ proprium eſt, amare focum, vt membra laſſa reficiantur calore ignis. vbi conſideranda eſt vxoris diligentia erga maritum & ſtudium. *ſub aduentum viri.* ſub, quando tempori iungitur, regit accuſatiuum, quia ſignificat paulò antè. *textis cratibus.* caulis, ſeptis, vt greges muniantur ab incurſione ferarum. vt, cùm fremit ad caulas. Deinde crates etiam texuntur à ruſticis ad mutandas pecudibus manſiones. *lætum.* pingue, fecundum. *diſtenta.* plena. *ſiccet.* mulgeat, exprimat. Lucanus, Diſtentas ſiccant pecudes. *horna vina.* nouella. ſic hornam frugem, hornum pomum, huius anni, ſeu hoc anno collectum: hoc autem ad idioma ruſticæ ſimplicitatis pertinet hornum vinum bibere, quod ruſtico dulce apparet. *dulci dolio.* id eſt, vina dulcia. *dapes inemtas apparet.* id eſt, non emtas, ſed ſuo labore acquiſitas. vt Virg. dapibus menſas onerabat inemtis. *non me Lucrina.* non tantum me iuuant deliciæ vrbanæ conchylia, rhombi, ſcari, piſces delicatiſſimi, non aues nobiliſſimæ, quantum oliuæ pingues, hædi, agna me iuuare poſſunt. *Lucrina.* Lucrinus & Auernus duo lacus ſunt ad mare Baianum: In Lucrino autem abundant conchylia & alij piſces delicatiſſimi. *magiſve rhombus.* pro, rhombúſve magis, per anaſtrophen. *iuuerint.* delectauerint: vt, iuuat euaſiſſe tot vrbes. *rombúſve aut ſcari.* piſces ſunt pretioſi & ſapore & raritate, qui aliquando tempeſtate maris orientalis delati in mare Italicum, circa Italiam capiuntur, ſed rarò, quo nomine ſunt cariores: In orientali autem mari abundat hoc genus piſcium. *intonata.* pro, intonita: rara locutio. *hiems intonata.* tempeſtas concitata, vt, dum pelago deſæuit hiems. *mari.* Italicum. *non Afra auis.* gallina Numidica, quæ magna eſt, & pinguiſſima, quam & Garamantiam vocant, & Africanam. *attagen Ionicus.* hanc autem vocans perdicem Aſiaticam, ab Ionia quæ pars eſt Aſiæ: Attagena autem femella eſt, inter nobiliſſimas habita. *quàm lecta de pinguiſſimis.* non tantum delectant quæ magno emuntur, quantum quæ in agris naſcuntur. *lapathi.* lapathum herba in cibo ſumta ſtomachum confortat, ventrem purgat, vrinam prouocat, ructum excitat & nauſeabundis comedendi auiditatem reddit: naſcitur in locis ſabuloſis & planis. *graui.* ægrotanti. *vel agna feſtis cæſa.* Oſtendit hic frugalitatem ruſticorum, qui non aliis diebus pecora mactant niſi feſtis, aut etiam niſi è lupi faucibus rapta fuerint; reliquis autem ferè diebus fructus terræ illis cibum miniſtrant, cùm vrbani quotidie carnibus veſcantur. *Terminalibus.* in feſtis Termini Dei: qui dies feſti celebrantur pro finibus agrorum. *hædus ereptus lupo.* Quià cariora ſunt quæ ex periculo liberantur. *vt iuuat.* quantum delectat. *paſtas.* ſaturas. hoc quoque eſt ruſtico voluptati, quòd videat quantum prætereà vtilitatis ex agris pecudes domum referant. *feſſos.* diurno labore. *collo trahentes languido.* laſſo: vt, Aſpice, aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci. *poſitóſque vernas ditis examen domus.* Comparat apibus collectam ſeruorum multitudinem; nam ſicut examen apum procedit ab aluearijs, ſic ſerui, vernæ, totáque familia operi intenta ſuum officium exequitur. *renidenteis.* nitidos, reſplendentes. *hæc vbi locutus fœnerator Alphius.* vrbaniſſimè ſub perſona Alphij fœneratoris vult Horatius omnes ſcire, quid iucunditatis habeat vita ruſtica, quam fingit Alphium meditari, & viuere velle relicto fœnore vrbano; ſed conſue-

conſuetudinem vitæ in omnibus tantum poſſe oſtendit, vt ab ea, cui aſſueuerit, nemo poſſet diſcedere: quemadmodum Alphius, laudauit quidem vitam ruſticam, & ad eam ſe parauit; ſed continuò memor iduum, & kalendarum, rediit ad antiquã vitam. *locutus*. eſt. *iamiam*. mox. *ruſticus*. de fœneratore. *omnem redegit*. collegit, congregauit, redegit in vnu & exegit à debitoribus pecuniã, iam cõparaturus prædia, ſed rurſus ſtimulatus vſuræ cupiditate, quærit kal. ſequentibus eam dare fœnori. *Idibus pecuniam*. vſui datam & fœnori; nam olim Idibus exigebantur vſuræ: vt Cic. Prætermitto ruinas fortunarũ tuarũ, quas omnes impendere tibi proximis Idibus ſenties. *ponere*. deponere, in fœnus dare.

CRVQVIVS.

BEATVS agricola non tantùm quòd rebus iis omnibus abundet quę ad vitę cultum neceſſitatémque pertinent, quantùm quòd in ſumma animi tranquillitate vitam peragens, nullis angatur malis iis quæ miſerè ſollicitant animos, vitamq́; perturbant illorum qui vrbanis moleſtiis aguntur, quos metus terrent, ægritudines exedũt, mille libidines incitant, & multæ futiles lætitiæ exultanteis, languidis liquefaciunt voluptatibus. *procul negotiis*. procul, ſiue aduerbium, ſiue præpoſitio, nunc ablatiuo iungitur: idq́; frequentius, vt hic. deinde Tacitus: Nec procul cæde aberant. nunc accuſatiuo. Plin. in natur. hiſtoria, Villa eſt Campaniæ haud procul Neapolim. Liuius, Locus procul muros ſatis æquus agendis vineis fuit. *neque*. hic codices Bland. bis habent, neque; Lambinus ſemel: Libri impreſſi ferę omnes, nec, nec: ſed parùm intereſt. *altas maritat populos*. Quid ſi *opulos* legamus quibus mirè gaudent vites, vt habet Columella lib. 5. cap. 6. Sed vitem maximè opulus videtur alere, deinde vlmus, pòſt etiam fraxinus? hos verſus, meo quidem iudicio, Henricus Stephanus aptè redegit in ordinem, his continenter ſubiiciens. *inutileiſque falce ramos amputans feliciores inſerit: aut in reducta valle mugientium proſpectat errantes greges, aut preſſa pur.* &c. *mella condit amphoris*. habet hic Commentator duo vocabula, puta, mellameſſio, & lanitondium, quæ arbitror non inueniri apud alios ſcriptores claſſicos: mellationem habemus apud Columellam & Plin. At non inuenio, quid illi reſpondeat alteri, nec etiam lanatio, quod fingere licet, idem notare poteſt: nolui tamen omittere, quin quod ſine vllis lituris adnotatum vidi, his ſcriptis infererem, præſertim quòd viderem hinc deductionem, illinc compoſitionem non eſſe abſurdam. *autumnus aruis extulit*. cod. quatuor habent, *autumnus agris extulit*. quæ lectio minùs placet, propter hoc Feſti, Aruum dicimus agrum necdum ſatum: ſed & altera æquè eſt ſonora. *Vt gaudet inſitiua*. inſititia. arbor autem inſita Græcè nominatur ἐμβολὰς *certantem & vuam purpura*. iidem codices habent, *purpura*. quæ lectio per ellipſin præpoſitionis plenior apparet. *libet iacere modò ſub antiqua ilice*. hic ſecta eſt hæc Epodos in duobus codicibus Bland. & Buſlidiano vno, his verbis: Introducit fœneratorem laudantem vitam quietam, ſed tamen propoſitum non deſerentem: quaſi alia ſit hæc Epodos à priori. atque hanc lectionem propugnare videtur Glareanus, cõtra Mancinellum, verùm ego Mancinello potius ſubſcripſerim; cur enim non erit perpetua laus vitæ ruſticæ ſub perſona Alphei, etiamſi priores quidem verſus operam ruſticam, poſteriores autem vitæ eiuſdem & amœnitatem delinient & commoditatem? profectò exiſtimo hanc ſectionem non tam eſſe aptã quàm ab inepto aliquo doctore profectam. *libet iacere modò*. à voluptate & amœnitate quæ æſtate & hieme ruri capitur. Theoc. Idyll. 1. ἁδὺ ὑπὸ τὰν πτελέαν ἑσδώμεθα, &c. *labuntur altis interim ripis aqua*. codex antiquiſſimus habet *riuis*. quod mihi magis arridet, tum propter proprietatem verbi, labuntur, tum propter præpoſitionem, ab, quæ erat adſcripta, ſic, ab altis riuis labuntur aquæ. *iucunda captat præmia?* quanta hæc laus eſt ruſticationis: quæ nullis rebus inferior eſt vrbana vita, cuius ſi delicias in cibis ſpectes, qua in re vrbani non minimam vitæ iucundæ partem ponere conſueuerunt, nemo inficiabitur ruſticos præter fructus terræ ſuauiſſimos cibos nullo cogente creatos, omnibus modis ea in re illis ſuperiores eſſe. nam quæ ipſi in cibos delicatiſſimos admittere libenter ſolent, iiſdem illis non carent ruſtici, & iucundius conuiuantur: quippe qui de ſuo præter ſtudium & laborem in captandis feris, nihil impendant, quando ſplendidioribus ciuibus, magna plerumque ſuarum rerum iactura epulari ſit neceſſe. De delectu autem & apparatu ciborum qui huic loco ſeruire poteſt, legenda eſt ſatyr. 4. lib. 2. *Vmber & iligna nutritus glande, &c. ſacrum vetuſt*. lege *ſacrum & vetuſt*. ex cod. Siluio. *& grauis malua*. propter Saburram congeſtam; nam maluæ diſſoluunt & eiiciunt, ſunt enim laxatiuæ. vide Satyr. 4. lib. 2. *terminalibus*. Siculus Flaccus. Termini in terra collocabantur, conſecrabantúrque cæſa immaculata hoſtia à dominis, qui confines agros poſſidebant; &, vt opinor, quotannis

annis Terminalibus agnas cædebant, iucundéque epulabantur. *fœnerator Alphius.* Alphij fœneratoris dictú apud Columellã, bona nomina nonnũquam mala fieri, ſi numquam interpelles. meminit quoque Plin. lib. 9. cap. 8. Flaui cuiuſdam Alfij cum Mæcenate. *omnem redegit idibus pecuniam.* ſic habent quatuor codices Bland. & Buſlidiani duo cum Diuæi codice, non etiam *relegit.* atque illam arbitror eſſe genuinam lectionem, quia nihil eſt opus accipere cõmodatò quod domi habes: nam redigere pecuniam, propriè eſt in vnum reducere: in qua ſignificatione relegere verbum eſt tranſlaticium, nec fortaſſe niſi Horatio hoc loco cognitum, idque ex ſententia Acronis illius fictitij; at redigere & Ciceroni vſitatum eſt & aliis antiquis ſcriptoribus. Cic. pro L. Flacco: Quid ſi iſta omnis pecunia huic adoleſcẽtulo L. Flacco reddita eſt? ſi petita? ſi redacta? Idẽ in Verrem: Deinde bona vendit, pecuniá redigit. Plinius Epiſt. 9. lib. 3. Seſtertium quadragies redegi. *kalendis ponere.* Ellipſis huius orationis, in fœnore: ponere autem in fœnore dicimus pro fœnerari, vt 1. Sermon. ſatyr. 2. Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis.

AD MÆCENATEM.
Iambica epodos III.

Execratur allium quod apud Mæcenatem ederat, cuius æſtu torquebatur.

PARENTIS *olim ſiquis impia manu*
Senile guttur fregerit:
Edit cicutis allium nocentius.
O dura meſſorum ilia,
Quid hoc veneni ſæuit in præcordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me feſellit: an malas
Canidia tractauit dapes?
Vt Argonautas, præter omneis candidum
Medea mirata eſt ducem:
Ignota tauris illigaturum iuga,
Perunxit hoc Iaſonem:
Hoc delibutis vlta donis pellicem,
Serpente fugit alite:
Nec tantus vnquam ſiderum inſedit vapor
Siticuloſæ Apuliæ:
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarſit æſtuoſius.
At ſi quid vnquam tale concupiueris
Ioccoſe Mæcenas, precor
Manum puella ſuauio opponat tuo,
Extrema & in ſponda cubet.

COMMENTATOR.

METRVM Trimetrum & Dimetrum iambicum. Execratur Horatius allium, quod multis rebus oſtendit incommodum propter nimium calorem, quo afficit in cibo ſumtum illos qui illud edunt. *parentis olim ſi quis.* id eſt, ſi aliquis fuerit tam impius in patrem vt illum ſtranguler, edat pro ſupplicio allium, quod eſt cicuta multo execrabilius. *edit cicutis.* Sic loquebantur antiqui, vtinam edim, edis, edit; edimus, editis, edint. *allium.* Alium, dicendum eſt per vnicum l, quia a corripitur. ſic etiam produxit Virgilius, per epentheſim, Allia ſerpyllúmque herbas contundit olenteis. *cicutis.* cicuta herba venenata, quæ vertit in amentiam eos à quibus eſt comeſta. *ô dura meſſorum ilia.* Admiratur ruſticos & meſſores, qui & comedere alium, & illius fœtidiſſimum odorem valeant ſuſtinere. *ô dura ilia.* fortia præcordia, quòd tam olenti cibo, & æſtuante non lædantur, ſed reficiantur: vt Virgilius, Theſtilis & rapido feſſis meſſoribus æſtu, Allia ſerpyllúmque herbas contundit olenteis. *quid hoc veneni.* id eſt, quantum hoc venenum ardet in præcordiis meis. *num viperi.* vtrum ſanguis viperæ ſerpentis his herbis incoctus, id eſt, immiſſus, me feſellit? *Canidia tractauit dapes.* Canidiæ nomine Gratidiam Neapolitanam vnguentariam vult intelligi, quam vt veneficam Horatius ſemper inſectatur, & quia non licet aliquem ſuo notare nomine, poëtæ propriis nominibus ſolent effingere ſimilia. ſic Virgilius in Bucolicis pro Citheride Lycoriden nominat. *vt Argonautas.* Ordo huius eſt: Poſtquàm Medea mirata eſt Iaſonem ducem, præter omneis Argonautas, candidum, hoc veneno, id eſt, allio perunxit illigaturum iuga inſolita tauris indomitis, vt eum muniret aduerſus vim taurorum flammas vomentium, qui prius iugo ab illo ſubiiciendi erant, quàm aureum vellus auferret. notat hanc fabulam: Iaſon dum reſponſo Apollinis Colchos peteret ad tollendum vellus aureum, hoc prius obtinere non potuit, quàm tauros ferociſſimos ignem ſpiranteis è naribus, ſub iugum mitteret: hunc autem cùm vidiſſet Medea AEetæ regis Colchorum filia veneficarum maxima, ſtatim adamare cœpit, vtpote iuuenem

pulcherrimum, cuius conſilio, & magicæ præſidio Iaſon, & tauros ſubiugauit, & peruigi[l]ē ſerpētem interfecit, & aureum vellus abſtulit; deinde tauris proſciſſam agrū conſeuit hydræ interfectæ dentibus, de quibus è terra ſedes armatorum ſurrexit, qui primo impetu in Iaſonem facto cùm nihil proficerent, poſteà mutuis vulneribus conciderunt: Iaſon autem Medeam ſecum abduxit & in vxorem habuit: ſed dum ei ſuperinduceret pellicem Glaucen filiam Creontis regis, hæc illi dedit tunicam veneno infectam, quam cùm Glauce induiſſet, eius incendio conſumta periit. Poſtea Medea non ferens iram indignantis contra ſe Iaſonis, curru alatorum ſerpentum fugit, interfectis prius ſuis ex Iaſone filiis Medo & Mermero. *vt Argonautas. vt*, id eſt, poſtquam. *Argonautas*. Argo dicta eſt nauis qua Iaſon vectus eſt Colchos. vnde ſocij eius vocati ſunt Argonautæ. *candidum*. pulchrum: vt, candida Maia, candida Daphnis, candida Dido. vt, Candidus inſuetum miratur limen Olympi. *mirata eſt*. adamauit. *ignota*. inſueta, grauia, & ponderoſa. *illigaturum iuga*. id eſt, iugis iniectis ſubacturum tauros igniuomos. *perunxit hoc Iaſonem*. vt per hoc etiam arte magica eum flecteret in amorem ſui. *hoc delibutis*. perfuſis, hoc allij ſucco. *donis*. veſtibus. *ſerpente alite*. pennatis draconibus currui iunctis. *nec tantus vnquam*. non tanto ardore ſiderum ſiccata eſt Apulia, quanto ardore teneor comeſto allio. *inſedit*, incubuit, inuaſit Apuliam. *vapor*. calor, æſtus. *nec munus humeris efficacis Herculis*. Neſſus Centaurus vulneratus ab Hercule in raptu Deianiræ & ſui vlciſcendi auidus, ſuo ſanguine intinctam lanam, qua ſe cruentum terſerat, Deianiræ dedit, docens ab Hercule ſe vehementer poſſe diligi, ſi ex ea confectam tunicam daret Herculi induendam: quæ credula, cùm præcepta Neſſi ſeruaret, Herculi cōfectam obtulit tunicam. Hic, mox vt eam indutus eſt, tanto ardore corripitur, vt ipſe ſibi ſuos artus dilaniaret, & ad extremum, cùm dolore victus eſſet, in Oeta monte constructa pyra, ſeſe in ignem coniiceret, qui purgatus corpore, dicitur in numerum deorum receptus. hoc argumentum ideo ab Horatio hic poſitum eſt, vt doceret quouis ardore allium comeſum eſſe ardentius. *efficacis*. laborioſi & fortis, cui ad effectum omnia patebant. hoc epithetō Herculis eſt perpetuum. *inarſit*. inflammatum eſt. *æſtuoſius*. ardentius. *quod ſi quid vnquam tale*. ſi vnquam volueris allium comedere, precor vt puella manum ſuam opponat tuo oſculo, nec ſinat ſe oſculari à te. *tale allium iocoſe Mæcenas*. ſolitus enim fuit Horatius, vrbanè iocari cum Mæcenate. *iocoſe*. vel, vt futuras ſui ioci lacerationes vitet, vel vt illi ſuos iocos commendet. *ſauio opponat tuo*. amoris oſculo. *extrema & in ſponda*. id eſt, in extrema parte lecti, non vnà in lecto tecum, vt illius cupiditate expellatur tibi cupiditas edendi allij. *cubet*. ne acri fœtore offendatur.

GRVQVIVS.

SENILE *guttur fregerit*. ἐπιθεῖεν παλάμην. guttur frangere impropriū eſt, pro eo quod propriè dicitur frangere ceruicem. Græcè ſignificantius & magis propriè λαιμοτομεῖν, iugulare. τραχηλίζειν. *edit cicutis*. ſic habent quatuor codices contra vulgarem lectionem. *edit*. eius formæ adhuc habemus, ſim, velim, faxim; quod notauit Nannius in ſuis Miſcellaneis; à quo non diſſentit Lambinus ex Victorio & antiquis cod c. *quid hoc veneni*. Lambini expoſitio vehementer placet per ſubintellectionem prouocabuli, quod: nimirum, Quid hoc veneni eſt quod ſæuit in præcordiis? Commentator autem, quid, reddit, quantum: ſed eam ſignificationem nō facilè arbitror apud alios ſcriptores inueniri poſſe. Bonfinis legit queis, vt ſit prouocabulum meſſorū, ſed parùm aptè, meo iudicio. An allium l ſimplici ſcribi debeat, vt vult Commentator; omnino dubito: non negarim hoc tamen ſi ab oleo, verbo deduci verum ſit, vt vult Iſidorus: vnde quidam aleum, ſcribendum putarunt, quos reprehendit Soſipater: malim certè non recedere ab vſu doctorum, qui vnanimiter omnes per ll duplex ſcribunt, præter vnicum Pomponium Etruſium, vt refert Pomponius Fortunatus 11. Columellæ cap. 3. *malas Canidia tractauit dapes*. malè contrectauit, veneficio aliquo malas reddidit. vim allij tam ſibi Horatium aduerſum & inimicum ſenſiſſe mirum videri non debet, cùm fuerit natura mirum in modum & temperatura calidus & adeò pyrrocholos, quod de ſe ipſe teſtatur, vbi inquit: Iraſci facilis tamen vt placabilis idem. Eſt enim & allij vis calida, aridáque & acris, atque mordax: nautis tamen & meſſoribus aptiſſima, tum quòd vitioſitatem aquarum, quas vtrique copioſas ingerere ſolent, & ſudorum copiam & peſtilentium humorum aëriſque & omnium venenorum perniciem temperet atque emendet, nec ſitim tamen accendat & flatus omnem eduliorum maximè diſcutiat. vide Galenum lib. 12. methodi med. Etſi Dioſc. lib. 2. cap. 146. inflationes creare ſcribat, vt annotauit Pantinus medicus. *ſiticuloſæ*, aridæ, πολυδίψιον: eodem modo aliqui exiſtimant exponendum illud Homeri, καί κεν ἐλέγχιστος πολυδίψιον Ἄργος ἱκοίμην, alij verò πολυδίψιον interpretantur,

pretantur, deſiderabile ac amabile: in qua ſententia eſt Athenæus lib. 10. *ſauio*. Sic legitur in ſcriptis codicibus, non ſuauio. hinc etiam ſauia i. hæc mihi aliquanto amabiliora videntur, quàm ſuauium & ſuauiari. hinc etiam Commentator vtitur deminutiuulo, oculſculum, quod apud neminem alium inueni. *extrema & in ſponda cubet*. non ineptè nec inconcinnè quis extrema cubare ſponda cum eo dici poterit, qui cùm illi quidem congruit, ſed deminutè, exiliter, & non vndequaque perfectè, vt ſi diligat, ſed amore inchoato & imperfecto: cùm ſententiam opinionemq́ue cum alio communem tuetur, ſed non ex animo omnino & ex omni parte conſentiente.

IN VOLTEIVM MENAM libertum Pompeij Magni. Epodos Iambica IIII.

Lupis & agnis quanta ſortitò obtigit,
Tecum mihi diſcordia eſt,
Ibericis peruſte funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet ſuperbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Vidéſne ſacram metiente te viam
Cum bis ter vlnarum toga,
Vt ora vertat huc, & huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic triumuiralibus
Præconis ad faſtidium,
Arat Falerni mille fundi iugera:
Et Appiam mannis terit:
Sedilibúſque magnus in primis eques
Othone contemto ſedet.
Quid attinet tot ora nauium graui
Roſtrata duci pondere
Contra latrones, atque ſeruilem manum,
Hoc hoc tribuno militum?

COMMENTATOR.

ASPERRIME inuehitur in Menam Pompeij Magni libertum, qui cùm ſeruus fuiſſet, de ſeruili condicione ortus, ita paulatim diuitiis creuit, atque iniquis artibus ſubuectus eſt, vt eques ab Auguſto prius factus, tandem peruenerit ad dignitatem tribuniciam: vnde cùm nimis ſuperbiret, & ſuæ condicionis immemor, alios deſpiceret, Horatio factus eſt inimicus. hic autem Mena fuit Pompeij Magni libertus, poſtea præfectus claſſi Sexti Pompeij, aduerſus Auguſtum bella gerentis, qui primùm cum ſua claſſe ad Cæſarem tranſiit: deinde ad Sextum Pompeium rediit, poſtremò ad Cæſarem reuerſus eſt. *lupis & agnis*. ex profeſſo dicit ſeſe inimicum Menæ: quanta, inquit, eſt diſcordia naturali ſorte inter lupos & agnos, tantam ego profiteor mihi eſſe tecum ô Mena. Omnes autem inimicitię aut à natura proficiſcuntur, quales ſunt inter bruta; aut à voluntate per electionem, quales ſunt hominum inter ſe. *ſortitò*. ſorte naturæ, ſeu inſtinctu: aduerbium eſt qualitatis, non etiam euentus pro fortuitò, vt legerunt aliqui. *tecum mihi diſcordia eſt*. Elipſis dictionis, tanta *Ibericis* Hiſpanicis, quia in Iberia, id eſt, Hiſpania plurimum ſparti naſcitur, vnde funes fiunt. *peruſte funibus latus*. id eſt, habens latus valde cæſum, tanquam vilis ſeruus, vt notas adhuc habeas in lateribus, & dorſo: vult enim ſignificare illum olim ſeruum, in Hiſpanica nauigatione, valde cęſum fuiſſe *peruſte latus, peruſte crura*. ſynecdoche; vt, lacrymis oculos ſuffuſa nitenteis. *peruſte crura*. qui habuiſti crura vincta, & excruciata: *dura*, id eſt, ferrea compede. *licet ſuperbus*. quamuis habeas ingentem pecuniam; tamen nobilis eſſe non poteris. numquam enim diuitiæ efficient vt non ſis libertus. *fortuna*. felicitas. *vidéſne ſacram*. vidéſne quomodo omnes conuertant ora ſua, cùm togatus incedis per ſacram viam, indutus togam ſex vlnarum, nimis ſcilicet longam, & extenta habens brachia in modum veli: vt, Tullius velis amictos non togis. *ſacram*. ſacra via Romæ erat quæ ducebat ad Capitolium. cùm incedis, inquit, magna pompa ornatus, ad Capitolium, populus iuſtè indignatur. Tribunis & nobilibus moris erat prolixas quidem habere veſtes, ſed non minus longas & amplas. *vertat*. conuertat *euntium*. prætereuntium hominum. *liberrima indignatio*. id eſt, iuſtiſſima, ſeu apertiſſima: liberrimum populi iudicium, quod liberè redarguit & ſine timore, quod vtique iuſtum eſt: indignatio enim aut libera eſt, aut tacita: libera, eſt aperta ſine vllo timore: tacita autem qualis erat illa de Chryſogono Syllæ liberto, quem potentiſſimum quidem indignabantur Romani, ſed id palam loqui non audebant. *ſectus flagellis hic*. hæc quaſi indignantis populi verba ſunt in Menam. *ſectus*. grauiter cæſus. vt Iuuenali, Secat ille flagellis. *flagellis triumuiralibus*. Triumuiri capitales erant, qui verberabant & necabant à conſulibus damnatos: & Triumuiri hic accipi videntur, pro quibuſuis iudicibus; nā omnibus poteſtatibus ſeruos

cædendi ius erat. Triumuiratus capitalis, trium virorum poteſtas eſt, quorum iuſſione rei flagellis quibuſcumq. vel cruciatibus puniebâtur: Triumuiri autem ſunt ipſi qui vnam poteſtatem habent in tres diuiſam, & vnuſquiſque illorũ Triumuir vocatur, quaſi vnus vir de tribus. *præconis ad faſtidium.* ellipſis dictionis, vſque; vt ſenſus ſit, vſq; ad faſtidium præconis: Nam ad præconis vocem flagellabantur noxij. *faſtidium.* ſatietatem. *arat.* excolit. *Falerni.* Falernus mons Campaniæ optimi vini ferax. hæc autem verba referenda ſunt ad Italiæ ſitum, vbi ligatis ad arbores vitibus, omnes arantur vineæ. *& Appiam.* viam qua itur ad agrum Falernum, cuius occaſione notat Menam nimis mollem & delicatum, qui non pedibus iter ad ſuos agros faceret, ſed equis, non quibuſlibet, ſed mannis, quod eſt virorum principum: Manni autem equi ſunt quos vulgo Burdones vel Burichos nominamus. *ſedilibúſque magnus in primis eques.* hoc eſt, in ſedilibus primis equitum ſedet, contemto Othone. Nam L. Roſcius Otho trib. plebis lege ſua iuſſit ex infimo genere hominum equitem fieri non licere, ſed ex certis ordinibus homines voluit venire ad ſummos gradus honorum: iccirco quatuordecim gradus in theatro ſenatui ſeparârat, ex quibus primi Tribunicijs poteſtatibus vacarent: at iſte Menas cùm eſſet libertus, contra hanc legem venit ad primum honoris gradum. huius autem legis meminit Iuuenalis inquiens, Sic libitum vano qui nos diſtinxit Othoni. *quid attinet.* oſtendit tunc temporis ex ſeruili condicione latrones collectos nauali diſcurſione Italiam deuaſtare, contra quos Romanus dirigebatur exercitus. itaque quid attinet, cum ingenti indignatione dictum eſt: id eſt, quid prodeſt armari claſſem ab Auguſto contra ſeruos, ac fugitiuos quos armauit Sextus Pompeius, ſi Mena ſeruus ac latro tribunus eſt militum & claſſis præfectus? *roſtrata.* Roſtra dicuntur ſummę partes nauiũ ære & ferro munitæ.

CRVQVIVS.

LVPIS *& agnis.* de naturali odio quorundam animalium inter ſe, atque rurſum de amicitia, Plin. lib. 10. cap. 74. callent enim cuncta animalia, ſciũntque non modò ſua commoda, verùm & hoſtium aduerſa, norunt ſua tela, norunt occaſiones, quod vt pro ſollerti, ita & ſedula natura in omnibus id fieri animantibus, diſputat egregiè Cicer. offic. 1. In eos autem omnes hoc accommodari prouerbiali ſermone poteſt, qui tacito ac naturali quodam inter ſe odio, diſſimiliimíſq; ingenijs prędití ſunt. *tecum mihi diſcordia eſt.* nam iuxta illud Eurip. ἦ δεινόν ἐστι τοῦτο τοῖς ἀμείνοσιν ὅταν πονηρὸς ἀξίωμ' ἀνὴρ ἔχῃ. hoc eſt, valde hoc moleſtum eſt melioribus, quando vir malus obtineat dignitatem. *licet ſuperbus ambules.* velut qui Iunonis ſacra ferret, ait ſaty. 3. lib. 1. de Hermogene Tigellio. huiuſmodi hominum genus Græcis ſignificanter dicitur σοβαρεύεσθαι, hoc eſt, inſoleſcere & cum faſtu omnia agere: & perquã venuſtè, prouerbialíque ſchemate, Mandronis ficulna nauis, is dicitur, qui præter meritum ad opes & felicitatem euectus eſt, nec priſtinæ condicionis memor, præſenti rerum ſucceſſu inſolenter abutitur. *cum bis ter vlnarum toga.* Lambinus ex impoſtore Porphyrione, (quaſi illius eſſent Porphyr. docti verba) refert iuſtam togæ magnitudinem ſex vlnis conſtitiſſe. ego, vt in commentatore videre licet, in adnotationibus manu ſcriptis nihil tale inuenio: ſed contrà, Horatium certum eſt notare togæ nimis magnam amplitudinem in Mena; ſupra tunicam verò vela pro togis induiſſe, animi fuit imbellis & eneruati: Alexand. ab Alexand. lib. 5. cap. 18. Plautus Pœnulo: Quis hic eſt cum tunicis longis quaſi puer cauponius? quod etiam ſignificare legimus Ciceronem 2. in Catilinam: Quos pexo, inquit, capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videris, manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos non togis: quorum omnis induſtria vitæ, & vigilandi labor in antelucanis cœnis expromitur: in his gregibus omneis aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicíq. verſantur. hanc integram ſententiam appoſui, quòd multum faciat ad declarationem huius loci. *Othone contemto ſedet.* non diſſentit hic locus, ſi luxum ſpectes & mollitiem, ab eo ſaty. 2. lib. 1. Malthinus tunicis demiſſis, &c. De lege Theatrali lata à L. Roſcio Othone, vide Alexandrum ab Alex. lib. 5. cap. 16.

IN CANIDIAM VENEFICAM.
Epodos Iambica v.

AT ô deorum quicquid in cælo regit
Terras & humanum genus,
Quid iſte fert tumultus? & quid omnium
Voltus in vnum me truces?
Per liberos te, ſi vocata partubus
Lucina veris affuit:
Per hoc inane purpuræ decus precor:
Per improbaturum hæc Iouem.
Quid, vt nouerca, me intueris? aut vti
Petita ferro bellua?
Vt hæc trementi queſtus ore conſtitit
Inſignibus raptis puer,

Impube

Impube corpus, quale poſſet impia
Mollire Thracum pectora:
Canidia breuibus implicata viperis
Crineis, & incomtum caput,
Iubet ſepulcris caprificos erutas,
Iubet cupreſſus funebreis,
Et vncta turpis oua ranæ ſanguine
Plumamq́; nocturnæ ſtrigis,
Herbáſque quas Iolchos, atque Iberia
Mittit venenorum ferax:
Et oſſa ab ore rapta ieiunæ canis
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Auernaleis aquas,
Horret capillis, vt marinus, aſperis
Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veia conſcientia,
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
Quo poſſet infoſſus puer
Longo die bis, terne mutatæ dapis
Inemori ſpectaculo:
Cùm promineret ore quantum extant aqua
Suſpenſa mento corpora:
Exſecta vti medulla, & aridum iecur,
Amoris eſſet poculum:
Interminato cùm ſemel fixæ cibo
Intabuiſſent pupulæ.
Non defuiſſe maſculæ libidinis
Ariminenſem Foliam:
Et otioſa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum:
Quæ ſidera excantata voce Theſſala
Lunamq́; cælo deripit.
Hic irreſectum ſæua dente liuido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? ô rebus meis
Non infideles arbitræ
Nox, & Diana, quæ ſilentium regis,
Arcana cùm fiunt ſacra:
Nunc nunc adeſte: nunc in hoſtileis domos
Iram atque numen vertite:
Formidoloſæ dum latent ſiluis feræ,
Dulci ſopore languidæ:
Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanæ canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meæ laborarunt manus.
Quid accidit? cur dira barbaræ minùs
Venena Medeæ valent,
Quibus ſuperbam fugit vlta pellicem
Magni Creontis filiam,
Cùm palla, tabo munus imbutum, nouam
Incendio nuptam abſtulit?
Atqui nec herba, nec latens in aſperis
Radix feſellit me locis.
Indormit vnctis omnium cubilibus
Obliuione pellicum.
Ah, ah, ſolutus ambulat veneficæ
Scientioris carmine.
Non vſitatis, Vare, potionibus
(O multa fleturum caput)
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marſis redibit vocibus.
Maius parabo; maius infundam tibi
Faſtidienti poculum:
Priúſque cælum ſidet inferius mari
Tellure porrecta ſuper:
Quàm non amore ſic meo flagres, vti
Bitumen atris ignibus.
Sub hæc puer, iam non, vt antè, mollibus
Lenire verbis impias:
Sed dubius vnde rumperet ſilentium,
Miſit Thyeſteas preces.
Venena, magnum fas, nefáſque: non valent
Conuertere humanam vicem.
Diris agam vos, dira deteſtatio
Nulla expiatur victima.
Quin, vbi perire iuſſus expirauero:
Nocturnus occurram furor;
Petámque voltus vmbra curuis vnguibus:
Quæ vis deorum eſt Manium:
Et inquietis aſſidens præcordiis,
Pauore ſomnos auferam.
Vos turba vicatim hinc, & hinc ſaxis petens
Contundet obſcœnas anus.
Pòſt inſepulta membra different lupi,
Et Eſquilinæ alites.

Neque hoc parenteis, heu, mihi ſuperſtites
Effugeris ſpectaculum.

COMMENTATOR.

HANC epodon ſcripſit Horatius in execrationem Gratidiæ veneficæ mutato nomine, pro Gratidia Canidiam ponens; decreto namq. cautum fuit, vt nemo publicè nominatim alicuius vitia carperet: hæc autem Gratidia Varum quendam adamauit; quem cùm in amorem ſui flectere nequiſſet, furtim raptum puerum quendam patricium, humíque mento tenus defoſſum necauit, vt ex eius cadauere, arte necromantica, ſua maleficia adimpleret. hic ſciendum eſt quòd Necromantia ſeu Necyomantia, quam hic deſcribit Horat. differat à Sciomantia: nam Necromantia eſt maleficium quòd fit ex hominis cadauere aut ad aliquid diuinandum, vel vt hic, ad hominum menteis permutandas in amorem, vel odium: *νεκρὸς* enim mortuus, & *μαντεία*, diuinatio eſt: Sciomantia autem eſt euocatio vmbrarum ab inferis; quod fit per Magicæ artis præſtigium, vt aliquid futuri ex ipſis vmbris dignoſcatur: *σκιὰ* enim vmbra dicitur, ſicut de Pythoniſſa legimus. In exordio itaque huius epodi verba ſunt exclamantis pueri, & deprecantis veneficas: poſteà deſcribit poëta omnem apparatum futuri maleficij: deinde inuocationem noctis, & cetera verba Canidiæ: poſtremò imprecationem iam morientis pueri. *at ô deorum.* exordium ab exclamatione pueri prætextati, mirè abruptum: vt, at tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis, huiuſmodi ſunt Comica initia, quæ ex abrupto incipiunt: vt, Vos iſtæc intro auferte, abite. *quidquid.* i. quæcumque poteſtas deorũ terrena & humana gubernat. *quid iſte fert.* hoc eſt, vult. vt, In noua fert animus. *& quid omnium voltus in vnum me.* contra me ſolum volunt. *truces.* auſteri. Omnium vultus earum dicit, quæ cum Canidia conſciæ in rapiendo puero, & miniſtræ ſceleris eius fuerunt. *per liberos.* tuos, ô Canidia te precor, ſi aliquando verè parientem te Lucina iuuerit, quaſi dicat, Canidiã numquam peperiſſe, ſed puerum ſibi ſuppoſuiſſe, quòd eſſet ſterilis. *Lucina.* Diana: inuocatur à parientibus, dicta Lucina quòd præſit naſcentibus in lucem. *per inane hoc.* Quo magis exaggeret atrocitatem huius ſceleris, prætextatum, ac per hoc mollem, & delicatum hunc introducit puerum. Decus ergo purpuræ apud illam inane fuit, quia nihil proficeret ad miſericordiam, cuius adſpectu nihil commota, in illum, tamquã in quemlibet ſæuiret. *per hoc purpura decus*, id eſt, per prætextam meam, quæ indicium eſt meæ nobilitatis. *improbaturum.* damnaturum, puniturum, vindicaturum. *Iouem.* qui vindex eſt malorum. *hæc.* maleficia. *quid vt nouerca me intueris.* quia nouercæ in alienos filios iniuſtæ eſſe, & ſæuire ſolent. *petita ferro bellua.* ſunt enim belluę plurimæ, quę, cùm ferro petuntur, crudeliores fiunt, vt aper, vrſus. *vt hæc trementi queſtus ore conſtitit.* hucuſque locutus eſt puer. ſequentia verba ſunt poëtæ, quorum hic eſt ordo, vt puer queſtus hęc trementi ore conſtitit, Canidia implicata crineis, raptis inſignibus pueri, iubet aduri flammis Colchicis impube corpus, quale poſſet mollire impia pectora Thracum. *vt.* poſtquam. *conſtitit.* tacuit, aut ſtetit. *inſignibus raptis.* inſignia pueri vocat illius ornamenta bullam & prætextam. *impube.* *ἄνηβον.* tenerum & delicatum. *quale.* intelligitur tale. *poſſet mouere impia.* id eſt, barbara, dura. *Thracum*, id eſt, etiam Thracum pectora barbara mouere poſſet. tale eſt illud Virgilij, Quis talia fando Myrmidonum, Dolopúmue, aut duri miles Vlyſſei, temperet à lacrymis? quaſi dicat, etiam hoſtes fando talia, non temperarent à lacrymis: quo pacto nos Troiani à lacrymis temperemus, fando talia? *Canidia breuibus implicata viperis.* *ἀνακόλουθον* habitum Canidiæ furialem deſcribit: nam ſicut furiæ infernales pro capillis habent angueis & ſerpenteis; ita & illa in veneficio hoc componendo furibunda ſtabat. *breuibus.* quia nulla de ſerpentibus breuior eſt, qua non ſit & peior. *implicata crineis.* quaſi hoc exigeret ars maleficorum, vt implicarent ſuos crineis ſerpentibus. *incomtum.* impexum. *iubet ſepulchris* ſignificat hęc ſacrificia eſſe infernalia & malefica, dum caprificos ſepulcris extractas, & cupreſſus infauſtas, cum reliquis hic vult adhiberi, quaſi diis inferis ſacrificatura. *caprificos.* Caprificus, ſpecies eſt fici ſilueſtris, adeò penetrabilis, vt ſaxa etiã ſepulcrorũ perrumpat. Hic autẽ dicit nõ vndelibet, ſed ſepulcris erutas, quòd inferna eſſent ſacrificia. *cupreſſus funebreis.* inferis conſecratas & funeri aptas, quia funeribus adhibebantur: vt, ferales ante cupreſſus conſtituunt: nam vt cupreſſus reciſa numquam repullulat, ita mortui non redeunt ad vitam: cupreſſus autem & per ſecundam & quartam declinationem effertur. *& vncta turpis oua ranæ.* ordo eſt, & oua plumamque nocturnæ ſtrigis, vncta ſanguine turpis ranæ, &c. *vncta*, imbuta. *turpis.* deformis, veneficiis apta eſt rana, & inferna. vt Iuuenal. Et ſtygio ranas in gurgite nigras. aut turpis, id eſt, grandis: vt, cui turpe caput. cuiuſmodi ranæ, rubetæ dicuntur. Iuuenal. ranarum viſcera numquam inſpexi. idem, miſcet ſitiente rubetam. *nocturna ſtrigis.* Strix nomen auis,

auis, malũ omen habentis, quæ ſtridorem nocturnum pro cantu habet, de qua Lucanus: Quod trepidus bubo, quod ſtrix nocturna queruntur. *herbas.* magicas. *quas Iolchos.* vrbs eſt Theſſaliæ, quæ regio venenorum ferax eſt. *Iberia.* nõ Hiſpaniam dicit, ſed illam quæ eſt in Ponto, herbis magicis abundante. vnde Virgil. naſcuntur plurima Ponto. *& oſſa ab ore.* non quòd verè ab ore ieiunæ canis denteis tollere potuerit, ſed animum retulit maleficorum, qui ex impoſſibilibus effectum ſibi promittunt. *flammis aduri Colchicis.* hoc eſt, magico ritu præparatis incendiis & per veneficia accenſis, quod propter Medeam Colchicam dictum eſt, huius artis peritiſſimam, quæ veſtem pellici ſuæ datam, vnà cum ipſa & tota domo regia conflagrari fecit, non ignis quidem ardore, ſed incantatione. *at expedita.* cincta, ſuccincta ne defluentes veſtes impedimento eſſent. *Sagana.* malefica, ex cõſciis vna & Canidiæ ſubminiſtra. ſic & Virgilio inducitur Amaryllis. *Auernaleis.* infernaleis; ſumtas ex Auerno lacu, quà dicitur ad inferos eſſe deſcenſus: Sparſerat & latices ſimulatos fontis Auerni. *horret capillis.* horrida apparet. *aſperis.* erectis ipſo ſacrorum furore. Lucanus, Erectis diſciſſa comis, & inhorruit armos. *echinus.* ſemipedalis piſcis in modum ericij, aſper, & ſetoſus *currens aper.* furens. *Veia.* nomen eius eſt quam vult eſſe Canidiæ ſociam. ordo eſt, Veia nulla mali conſcientia abacta, exhauriebat humum duris ligonibus, ingemens laboribus. *abacta.* quæ nulla conſcientia à maleficiis abigi poterat; nullius enim mali ſibi non gaudebat eſſe conſcia. *humũ exhauriebat.* effodiebat vt puer infoderetur. *longo die.* æſtiuo. *bis terque mutatæ dapis.* ante oculos defoſſi pueri cibos poſitos per momenta ferè mutabant, vt mutatæ dapis deſiderio intabeſceret, atq. ita moreretur miſerabiliter. *inemori.* id eſt, tabeſcendo mori. *cùm prominueret ore.* extaret è terra mento tenus. *corpora.* natantium. *exſecta vti medulla.* hic cauſam reddit tanti facinoris, nempe vt ex pueri nimio afflictu cruciati, mortuiſque medulla & iecore Varo amoris præpararet, & potionem temperaret. *aridum iecur.* propter famem & ſitim. *interminato.* interdicto, prohibito. *fixæ pupulæ.* immotæ, cùm præ nimia fame puer oculos à cibo non moueret. *intabuiſſent.* defeciſſent: vt, Et fame tabentes artus in littore ponunt. *non defuiſſe maſculæ libidinis.* atrocitatẽ facinoris auget loci diſtantia: quaſi Neapolitani non audiuiſſent modò hoc facinus, ſed etiã noſſent illi interfuiſſe Foliam veneficarũ peſſimam. *maſculæ libidinis.* quæ tam mõſtroſæ erat libidinis, vt etiam cũ feminis rem haberet; quo crimine etiam Sappho malè audit. huiuſmodi autem feminæ Hermaphroditæ nominantur. *otioſa Neapolis.* quieta, minus curioſa. ſic Virg. illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti: quòd aptiſſimus eſſet ſeceſſus quietis in ea. quare etiam fabuloſa dicta eſt, quòd à rebus grauibus vacaret & fabulis indulgeret. *vicinũ oppidum.* etiã Puteolana ciuitas. *excantata,* ſuperata. *voce Theſſala.* carminibus magicis. Theſſalia regio eſt Græciæ vicina, vbi magia viget plurimum, & herbæ magicæ abundant, quare ab aliquibus illa dicitur inuentum Theſſalum. *Lunamq; cælo deripit.* multi namq. magi præſtigiis ſuis ita oculos hominum deludunt, vt videantur Lunã & ſidera cælo detrahere in terrã & commouere. ſic Virgil. Carmina vel cælo poſſunt deducere Lunam. *irreſectum.* valde ſectum. *dente liuido.* inimico, nigro, deformi. *hic.* tũc. vt, Hic regina grauem gẽmis auróq. popoſcit, impleuítq. mero pateram. *pollicem.* vnguem pollicis. expreſſit habitum & modum furentis Canidiæ. Petronius, vt monſtraret furentem pollice, ait, vſque ad periculum roſo. *quid dixit.* Hyſteron proteron, pro, quid tacuit? aut quid non dixit? interrogatio admirationis & deteſtationis plena. i. quanta, & qualia ſcelera, & verba nefaria non dicere, aut ſilentio præterire potuit, quæ in tãto maleficio dicenda erant! *ô rebus meis.* verba hæc ſunt Canidiæ inuocantis Noctem & Dianã, tenebrarum præſides deas, & rerũ occultarum. *rebus meis.* i. his artibus magicis. *arbitræ.* teſtes conſciæ, aut præſentes. vt Salluſt. arbitris procul amotis. *Diana.* Luna, quæ noctibus præeſt. *quæ ſilentium regis.* noctem in poteſtate habes. *arcana.* malefica. *ſacra.* veneficiorũ. *in hoſtileis domos* Varo hæc imprecatur, qui eam faſtidiebat. *numen.* potentiam veſtrã irarum. *formidoloſæ.* timendæ, quòd timorẽ incutiant. *feræ.* hoc eſt, ne nocte quidem ſine quieſcere Varũ, quæ etiã feris eſt quieti. vt, Cùm tacet omnis ager, pecudes pictæq. volucreis. *languida.* reſolutæ, feſſæ. *adulterum.* Varũ amatorem, qui, me ſpreta, aliã adamat. *latrẽt Suburanæ canes.* eum perſequantur furiis agitatæ, cũ eo iocentur, eũ derideãt canes Suburanæ, id eſt, meretrices de Subura, iuxta quàm degit Varus. Subura autẽ dicta eſt à ſuburẽdo, quòd in ea regione Romæ aliquãdo ſubuſtionibus paludes ſiccatæ ſint. *nardo.* meo. *quale.* vnguentum. *perfectius.* efficacius ad conciliandũ amorem. *quid accidit.* indignans admiratur, cur non victus Varus ſuis venenis ad ſe venit, quid ſit impedimento. *cur dira barbaræ.* hoc eſt, cur minus dira venena mea valent, venenis barbaræ Medeæ? cur venena mea Varo data, minus ſunt efficacia venenis Medeæ? Aut cur dira venena Medeæ minus valẽt ſolito? hæc enim ſua

dicit

dicit eſſe Medeæ, quòd ab illa fuere inuenta, cùm ſe de pellice ſua Glauce, Creontis filia vlta eſt. *ſuperbam.* potentem. vt hic, populum latè regem belloque ſuperbum. *fugit.* curru ſerpentum. *cùm palla.* palla munus, epexegeſis. *tabo.* veneno. aliàs ſignificat corruptum ſanguinem. vt, terram tabo maculant. & eſt nomen diptoton tabi, tabo. Sunt qui Medeam, non pallam, ſed coronam Glaucæ dediſſe volunt. *imbutum.* infectum. *nuptam.* Glaucen. *atqui nec verba.* dicit ſe vehementer admirari, quid id ſit quòd ſua venena non poſſint ſolitam vim exercere, cùm in herbis & radicibus veneficis inquirendis nihil à ſe ſit prætermiſſum. *herba.* venefica. *fefellit.* latuit. *in locis aſperis.* in montibus. *indormit.* non laborat, inquit, Varus meis veneficiis, ſed potius ſecurus dormit, ſine amoris inquietudine, oblitus omnium ſuarum pellicum. ſic illum etiam ſui immemorem dicit: ita enim ordinatur, indormit cubilibus vnctis obliuione omnium pellicum, *Ah ah.* dolentis vox eſt. ſcio equidem, inquit, quid accidit: altera inuenta eſt à Varo malefica me peritior, cuius auxilio ipſe effugit mea veneficia. *ſolutus.* liber à meis veneficiis. *non vſitatis.* nouis, magnis, quibus ad me redibis, velis nolis, nec amplius vllis incantationibus poteris ab amore mei diuelli; non Marſi, non Peligni, ab amoris mei vinculis te liberabunt. *ô multa.* id eſt, multum. *fleturum caput.* hæc per parentheſin ſunt accipienda. *non vocata mens.* reuocata. *Marſis vocibus.* magicis incantationibus. hoc eſt, ita te defigam nouis & inſolitis maleficiis, vt mentem numquam recipias, etiam ſi Marſos tibi adhibeas: Marſi autem Italiæ populi ita venenorum fuere periti, vt & ſaliua ſoliti ſint etiam morſus curare ſerpentum. *infundam.* conficiam. *faſtidienti,* aſpernanti me. *priuſq; cælum ſidet.* ſubſidet, peſſum ſidet, & terra ſuper mare erigetur: hoc eſt, antè tota natura rerum mutabitur, quàm Varus non ita amoribus meis ardeat, vt igni bitumen immiſſum. bitumen autem materia eſt tenaciſſima, adeò vt poſtquam aridum fuerit, nulla re diſſoluatur; admotum autem igni flammas ingentes emittit: fertur autem eſſe igneæ naturæ, cæleſtíque igni nutriri. Vnde & in căpo Sennaar, vbi frequentiſſima fulmina cadunt, multi bituminis putei eſſe leguntur: Græcè autem Aſphaltum vocatur. *ſub hac puer.* puer prætextatus cùm videbat ſeſe interficiendum, diutius ſilere minimè potuit. *iam non, vt antè, mollibus.* vt cui adderet deſperatio dicendi libertatem. *mollibus.* blandis: vt, mandítque trahítque molle pecus. *lenire.* lenibat: nam prius ſperabat ſe poſſe eas reuocare ab interitu ſuo, blandè illas compellando, at iam deſperatione adductus, diris execrationibus deuouet. *vnde rumperet ſilentium.* quid primum diceret, vnde ſumeret exordium loquendi. *Thyeſteas preces.* graues & noxias imprecationes, duras, qualibus Thyeſtes vſus eſt contra Atreum fratrem, qui eius filium coctum illi appoſuit edendum. *venena magnum fas nefaſq;.* verba ſunt pueri. hæc autem epexegeſis eſt, nempe venena quæ ſunt magnum fas nefáſque, &c. nam fas eſt, ſi hoc detur impio & ſcelerato: contrà verò, eſt magnum nefas ſi propinetur innocenti: ſicut & gladius fas eſt, & nefas: fas quidem, ſi ſtringatur in hoſtem; nefas autem, ſi contra ciues euaginetur. hæc itaque venena non poſſunt permutare humanam ſortem, vt hi qui boni ſunt, ſi veneno occidantur, noxij ſint; aut hi qui alios perimunt, ſint à ſcelere immunes. *conuertere humanam vicem.* vt ex innocente ſit aliquis nocens, aut contrà: venena non poſſunt conuertere quod ſemel decretum eſt, nec facere, vt, quod eſt iuſtum, videatur iniuſtum, & vt pœna liberentur qui illam ſunt meriti: vices autem appellantur pœnæ quæ in ſceleratos regeruntur. *diris.* furiis, execrationibus. *agam vos.* perſequar: pollicetur ſe in eas ſæuiturum poſt mortem. vt, Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pœnas. *dira deteſtatio.* execrabile factũ. deteſtatio autem eſt execratio, quæ fit ab innocente contra nocentem. *nulla expiatur victima.* i. non poterit vllo purgari ſacrificio. *quin.* inſuper. *iuſſus.* à te ô Canidia. *nocturnus occurram furor.* id eſt, nec de nocte vos quieſcere ſinam, ſed ſemper conſcientias veſtras ſtimulabo tanti maleficij memoria. *petámq; vultus.* impetum in vos faciam, ac dilacerabo facies veſtras. *vmbra.* ego. *quæ vis deorum.* quæ ſcilicet vmbra. *vis deorum eſt.* violentia, & vltio, vt per vmbras ſe vindicent, & infeſtent quieſcenteis. *inquietis.* numquam quieſcentibus. *aſſidens.* inhærens. *vos turba.* multitudo populi. *vicatim.* per ſingulos vicos. *contundet obſcenas.* immundas anus, hoc eſt, pro meritis veſtris multitudo ciuium, cùm anus fueritis, tanquam inſanas, & amenteis à ſuis ædibus repellent, fuſtibúſque contundent, & lapidibus obruẽt. *different.* dilaniabunt, diſcerpent, diuident. *Eſquilinæ alites.* voltures aues. Eſquilinus mons Romæ ex ſeptem montibus; hinc Eſquilina porta Romæ dicitur, ad ſeſſorium, vbi certus erat locus ſepulcrorum, ad corpora pauperum, aut ſceleratorum, viliúmque comburenda, aut canibus proiicienda. *neque hoc parenteis, heu, mihi ſuperſtites.* Patheticôs hæc proferendã ſunt. dolet enim parenteis ſibi ſuperſtites in luctu futuros, ſed ſperat illis ſolatio fore tam execrabilem mortem harum veneficarum.

CRV-

CRVQVIVS.

At ô deorum. abrupta & feſtinata exclamatio pueri ingenti timore & inopinato perculſi. At, enim interiectio timentis, pro geminis poſita eſſe videtur, At, At, vt nõ tam dolere aut cõqueri puer, quàm timere iudicetur. At, in illo Virgilij, At tibi pro ſcelere, exclamat; abruptũ quidem eſt, ſed indignabundum cum execratione. *quicquid regit.* ſic habent Bland. codices. *& quid omnium.* non, *aut quid omnium*, vt habent impreſſi libri. *Lucina.* Dionyſius Halicar. 4. antiquitatum Rom. Tradit. L. Piſo 1. Annalium, inquit, Tulliũ ſtatuiſſe quãti pretij nummos pro ſingulis naſcẽtibus inferre deberent cognati in ærarium Ilithyiæ (Romani Iunonem Lucinam vocant) pro naſcentibus: in Veneris ærarium, quæ in Luco ſita eſt (ipſi Libitinã appellant) pro defunctis: in Iuuentutis, pro togã virilem ſumentibus, &c. Iuno namque & Lucina quòd lucem, & Opigena dicta eſt, quòd naſcentibus opem ferat. *inſignibus raptis.* prętexta, & bulla, quę ornamenta fuere filiorum Senatorum. Macrob. li. Saturnal. 6. bullam ſcribit auream cum toga, cui purpura prætexitur, patriciorum inſignia fuiſſe; bullam autem à collo dependentem ad pectus habuiſſe formam cordis, vt ea inſpecta, ſe viros meminiſſent ſi corde præſtarẽt. At Plutarchus in Romulo non in figuram cordis ait bullam efformatam, ſed bullæ aqueæ ſimilem fuiſſe, qui tumor eſt in aqua citò euaneſcens: eius autem hæc verba ſunt: *φορεῖν δὲ καὶ παῖδας αὐτῶν τὴν καλουμένην βοῦλλαν ἀπὸ τοῦ σχήματος, ὅμοιον πομφόλυγι περιδέραιόν τι.* id eſt, ſed & liberos ipſorũ geſtare bullam, à figura nominatam, colli puta ornamentum ſimile bullæ. hæc certè Plutarchi opinio mihi non minus adlubeſcit, quàm illa Macrobij; quid enim homo eſt aliud quàm bulla euanida, iuxta Varronis ſententiam? deinde quòd bullæ forma rotunda fuerit & capitata, Appuleius li. 6. clarè oſtendit, inquiens bullis multis aureis inoculatum, velut ſtellis relucentem &c. Feſtus tamen de illius origine, quòd dicta ſit ἀπὸ τῦ βύλη, cum Macrobio ſentit. *impube corpus.* Figulus Porphyrionẽ impreſſum ſecutus, vt coniicio, hic ponit ἐπεξήγησιν, nempe puer impube corpus exiſtens: Commentator autem refert impube corpus ad ea verba, iubet flammis aduri: verùm prior ſententia placet magis. *Thracum.* quiſquis hic nobis Porphyrionem mentitur, certè refert ſine capite fabulam, nimirũ eadem ad verbum quæ in vnis annotationibus offendi; ea autem ex aliis tribus, quantum potui, in commentatore quę deſiderabantur appoſui, nec aliam eius loci ſententiam video, quàm eam quæ à dialecticis nominatur à minori argumentũ. Gręcis huiuſmodi coniunctionum particulę expreſſæ, vel implicitæ ἐλλειπτικὰ nominantur, quæ id quod minus eſt rationi conſonum, concedi dignũ indicant: quales ſunt, ſaltem, & cùm pro ſaltem accipiuntur, at, certè, etiã, vel, vt, ne vel latum pedem ceſſit. *implicata viperis crineis & incomtum caput.* coniunctio &, per ἐπεξήγησιν explanat præcedens; nimirum, implicata crineis, hoc eſt, habens caput incomtum & breuibus viperis implicitum furiarum inſtar. talis lib. 6. à Lucano deſcribitur Erichtho Theſſalis, Terribilis ſtygio facies pallore grauatur, Impexis onerata comis. notanda hic eſt ſynecdoche, implicata crineis, implicata caput. *plumamque nocturnæ ſtrigis.* ſtrigem deſcribit Ouidius faſtorum lib. 6. *Iolcios*, non Colchos, vt habent libri impreſſi ferè omneis contra codices manuſcript. Blandinios 4. atque ita legit Lambinus ex codicibus ſcriptis. *& oſſa ab ore rapta ieiunæ canis.* ſententiam & expoſitionem Commentatoris in hunc locum ſic accipiendam arbitror, vt ea omnibus his Canidiæ magicis præceptionibus adaptetur, ex quibus hoc philtrum Varo paratur: nã quis alius eſt huiuſmodi maleficorum conatus, quam vt abſurdis, inhumanis, execrabilibus, atque adeo à communi natura abhorrentibus dictis, factiſque, aut vim naturæ ſe facere, aut ſaltem miſeris, omniumque rerum ignaris, atque frequenter nimis credulis hominibus, ſe miranda pręſtare poſſe perſuadeant? nam ſi cuncta hæc Canidię iuſſa inter ſe conferas, minus promtũ diiudices, oua, & plumas nocturnę ſtrigis, huic maleficio à Canidia applicari poſſe, quàm denteis rapere ex ore ieiunæ canis. quamuis nec eam eſſe Poëtę ſententiam facilè dixeris ex Lucano, qui ſexto libro deſcribens Erichtho Theſſalam maleficarum peſſimam, hunc locũ nobis elucidat. nam Erichtho venefica non dentes ex ore lupi, ſed artus cadauerum & oſſa rapere ſtudet ex ſiccis, id eſt, ieiunis faucibus lupi. Lucan. lib. 6. Et quodcunque iacet nuda tellure cadauer, Ante feras volucreſque ſedet, nec carpere membra Vult ferro manibuſque ſuis, morſúque luporum Expectat ſiccis raptura è faucibus artus. Huc etiam facit illud Appuleij de Pamphila venefica, cui Fotis ancilla inter cetera ad philtrum apta hęc commemorat, inquiens, Et extorta ferarum dentibus trunca caluaria, &c. *echinus.* Echini, inquit Plinius lib. 9. cap 12. cruſtis & ſpinis teguntur. & ca. 31. Echini quibus ſpinæ pro pedibus ingredi his eſt in orbem volui. Iſidorus lib. 12. cap. 6. craſsè confundit echinum piſcem cum echeneide piſciculo qui Latinè Remora nominatur: qui illius iconẽ videre deſideret, inſpectet Rondeletium & poſt eũ Geſnerum. *currens aper.* his enim iratis ſetæ in dorſo eriguntur. *longo die.* id eſt, æſtiuo, inquit Commentator: fortè quòd alludat Poëta ad ancillarum

feſtum, quod à liberis matronis ſimul & ancillis in honorem Iunonis Caprotinæ celebrabatur Nonis Iulijs, ſub caprificu. Macrob. Satur. lib. 1. cap. 11. vel longum diem, æſtiuũ interpretabimur, quemadmodum in illo Martialis, Hora nec æſtiua eſt, nec tibi tota perit: opus eſt exponere æſtiuam horam, longam: nam ſi dies artificialis, nimirum ab ortu ſolis ad illius vſq. occaſum, in duodecim horas æqualeis Romanis ſemper diuiſus ſit; quis pro longitudine & breuitate dierum poterit infitiari horis etiam multa vel accedere momenta temporis, vel decedere? vnde prorſus eſt neceſſe in æſtate & diem & horam multis partibus excedere ſolis in noſtro hemiſphęrio curriculum hibernũ. *exſectu.* In hac dictione conſentiunt cod. Blandinij, verùm in annotationibus ſcriptú eſt, extracta, quod mihi videtur magis quadrare: nam ſic habet Lucanus libro 6. Aſt vbi ſeruatur ſaxis, quibus intimus humor ducitur, & tracta dureſcũt tabe medullæ Corpora, &c. tracta tabe, id eſt, extracta tabe. Lambinus admonitus à Gulielmo Faërno legit exſucta; cui ſubſcribit codex Diuæi, manuſcriptus cũ adnotatione codicum Blandiniorum ſuprà dicta. habet enim exucta, id eſt, extracta. ea autẽ lectio vera eſſe poteſt ſi medullã hic intelligamus liquidam, quam fluidam ſugimus: at ſi conſtricta ſit, vt in Lucano ſonat verbum, dureſcunt; exugi non poterit ſed extrahi. vulgati codices habent, exerta: per me libera eſt omnibus ſua opinio. *iecur.* quod à Philoſophis amoris ſedes dicitur, iecore namque amamus, felle iraſcimur, & ſplene ridemus. Perſius ſatyr. 1. ſed ſum petulanti ſplene cachinno. *interminato.* vetito. in paſſiua ſignificatione ſcribit Lambinus omnium verborum quæ deponentia vocantur, participia à nobilioribus Grammaticis tradi etiam paſſionem ſignificare. Sed ſi puer iſte patricius in ſcrobem defoſſus mento tenus fuerit, quid opus erat illi interminari ne cibum caperet? neceſſe enim erat illum manibus vti non poſſe, nimirum etiam defoſſis. Quare ſignificantiùs interminato cibo, id eſt appoſito quidem, ſed nõ tacto, non permiſſo vti, idq. per impedimentum defoſſionis; nouo tamen crebrò appoſito defoſſi famem irritante aſſiduè & continuò eam valde ſuo odore exacerbante. *cùm ſemel.* hoc aduerbium ſemel, non participium, fixæ, ſed verbũ intabuiſſent, determinat, vt ſignificet, omnino, prorſus: quemadmodum Budæus interpretatur illud Ciceronis pro Deiotar. Cùm facilè exorari Cæſar, tum ſemel exorari ſoles. ſignificatur autem mortis præſentia, cùm intabeſcunt pupulæ, iuxta illud Plinij lib. 28. cap. 6. Augurium ex homine ipſo eſt non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginẽ reddant. Et Hippoc. oculorũ aciem præſtringi oculosq. rigeſcere atque conuelli, iam animam agentis notam ſtatuit. *otioſa Neapolis.* vide Strabon. libr. 5. *Ariminenſem Foliam.* Folia, venefica ſocia Canidiæ, ab Arimino ciuitate Italię, Plin. li. 3. ca. 15. *deripit.* ſic habent codices Bland. non, vt vulgo, diripit: deripere autem eſt deorſum rapere ex ſuperiori loco. *hic irreſectum.* Lucan. ſcribit Erichtho non ſuum pollicem, ſed arrodere manus cadaueris: Tunc, inquit, omneis auidè deſæuit in artus, Immergítque manus oculis, gaudétque gelatos Effodiſſe orbes, & ſiccæ pallida rodit Excrementa manus. Quid ſi hic idem de Canidia coniiciamus, illam non ſuum pollicem valde ſectum roſiſſe, ſed pueri extracto è foſſa altero ſub necem vel vtroque brachio, vnde medullam & ſanguinem rodendo exſugeret ad hoc maleficium? aliâs rodere pollicem, eſt cogitabundi indicium & minitabundi. *formidoloſa.* ſic ſcriptú eſt in 4 cod. Bland. cũ annotatione hac, propter horrorem noctis & ferarum: ſed quod parum intereſſet, & aliam annotationem inuenirem, nolui mutare communem lectionem. *latrent Suburanæ canes.* Subura, inquit Marlianus, lib. 4. cap. 20. in Topographia vrbis Romæ quæ inter Eſquilias & Viminalem iacet, principium habuit à foro Romano, ſiue à foro Neruæ Imperator. finem verò ad cliuum Suburanum, dicta, vt Iunius ſcribit, ab eo quòd fuerit ſub antiqua vrbe. In Subura Cæſar dictator habitauit primùm modicis ædibus, deinde poſt pontificatum maximum in via ſacra. Cliuus autem Suburanus, in Eſquilias præbens aſcenſum, à fine Suburæ initium capit. hic autem meretrices habitaſſe Martialis ſignificare videtur his verſibus, Famæ non nimium bonæ puellæ, Quales in media ſedent Subura. Quod autem Subura per vnicum r, ſcribi debeat, & non Suburra; argumento nobis ſunt omnes antiqui codices manuſcripti, idipſum etiam conteſtante Lambino. Quæ autem ſit eius dictionis deriuatio, hic ſcribit Commentator: At Iunius vt paullò ſupra poſitũ eſt, dicit ab antiqua vrbe nomen habere, quaſi ſub vrbe. Feſtus ex Verrio dicit, Suburanam à pago Succuſano nominatam regionem vrbis Romæ vnam ex quatuor, quarum aliæ tres ſunt, Palatina, Collina, & Eſquilina, vt videre eſt apud Plin. lib. 18. cap. 3. & Dionyſium Halicarnaſſeum lib. 4 antiquitatum vrbis Romæ. hoc autem Verrius maximè probat eorum auctoritate, qui aiunt ita appellatam & regionem vrbis, & tribum à ſtatiuo præſidio, quòd ſolitum ſit ſuccurrere Eſquilijs infeſtantibus eam vrbis partem Gabinis; indicióque eſſe quòd ea tribus per c litteram, non b ſcribatur. *nardò perunctum quale.* Si luberet hic fumum vendere, liceret ex annotationibus manuſcriptis

lectoribus eſſe riſui tenebrionis illius inſtar, qui Acronem nobis adulterauit, ſed nugis omiſſis vnum hoc aſcribam quod videtur à vero non omnino alienum. Nardum, inquit, appellat hic vnguentum veneficum ad homines conuertendos in amorem vel odium; nam nardum in neutro genere veneficium ſignificat, vel adiectiuè vnguentum nardi cum veneficio, quaſi nardinũ vnguentum cum veneno. verùm omnino dubitandum non eſt, quin hic nardum non herbam ipſam, ſed vnguentum notet: quemadmodum & apud Tibullum legimus, Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo. Sic & Horat. Ode VII. lib. II. malobathrum ſeu malabathrum, vt illic notauimus, non pro folio, quod verè malabathrum dicitur; ſed pro ipſo vnguento ex malabathro confecto. De hac autem Enallage accuſatiui quale, pro ablatiuo quali, vide Linacrum lib VI. & Priſcian. quamuis cenſeam non tam Grammaticum iſtud eſſe, quàm verè Horatianum. *laborarunt*. antiquiſſimus codex habet *laborarint*. quod mihi æquè placet ac laborarunt, nimiru vt ſit modi potentialis in hanc ſententiam quale meæ manus labore conficere poſſint. *ſuperbam*. ſic offendi in 4. codicibus Bland. contra vulgatam lectionem, ſuperba. D. Lam. idem notauit. *tabo*, id eſt, veneno. ait Commentator, in qua ſignificatione tabem vſurparunt antiqui, inquit Feſtus, quæ faceret tabeſcere. deinde habet Commentator, tabi, tabo, nomen eſſe diptoton: at Deſpauterius ex [illegible]nct. ſcribit eſſe triptoton; tabum, tabi, tabo: Sosipater Chariſius, Maſculina ſemper ſingularia, inquit, hic clauus, id eſt, impurpurata veſtis, ἱματόρφυρος ἐσθὴς καὶ ἵππος: hic tabus, τὸ λύθρον, cruoris inquinatio: poſtremò ſunt, inquit Commentator, qui Medeam non pallam ſed coronam Glaucę dediſſe volunt. in eam ſententiam Plin. lib. 2. ca. 105. Ita ferunt à Medea, inquit, pellicem crematam, poſtquam ſacrificatura ad aras acceſſerat, corona ignem rapta: loquens de Naphtha quæ propriè eſt petroleum, oleum illud liquidum quod ad nos licet corruptum, ferunt Agytthę, teſte Chriſtoph. Encelio de re metallica lib. 5. cap. 15. &c. *indormit vnctis omnium cubilibus obliuione pellicum*. ordo hic bifariam accipi poteſt, vel vt habet Commentator; vel hoc modo: Varus indormit cubilibus omniũ pellicum vnctis obliuione mei. quem ordinem videtur amplecti Glareanus propter ſequentia, ah ah, ſolutus ambulat, quaſi ſua pharmaca nullius ſint efficacię. *ô multa fleturum caput*! notat rectè Lamb. proprietatem Græci ſermonis in fleturum, οἰμώξεις flebis, id eſt, miſer eris, quod fit dum malum precamur aut minamur alicui. *Marſis vocibus*. de Marſis Apuliæ popul. Plin. li. 7. cap. 2. & lib. 24. cap. 1. vide & Gellium lib. 16. & Silium Italicum lib. 8. *bitumen*. Chriſtophorus Encelius de re metallica lib. 3. cap. 14. ſcriptũ reliquit quo ad ſubſtantiam bitumen eſſe duplex, glutinoſum durum in terra, liquidum in aqua, & fontibus etiam, vt teſtatur Curtius, natans, & tenax, quod puluerizari quidem nonnunquam poteſt, ſed non reſolui, habens fœtorem Naphthæ: Græcis Aſphalton dicitur, forſitan à lacu Aſphaltide in Iudæa qui nunc vocatur Mare mortuum, vbi olim fuere Sodoma & Gomorrha. *vnde rumperet ſilentium*. hanc loquendi formam rumpere ſilentium, rumpere vocem, pro eo quod eſt loqui, eleganter docet Lamb. & multis exemplis tam Græcis quàm Latinis ſcriptoribus vſitatam. *vos turba vicatim hinc & hinc ſaxis petens*, hæc eſt expolitio illius diræ deteſtationis, quam puer his veneficis imprecatus, dixit nulla expiari victima; nam deteſtatio hic malorum eſt, imprecatio horribilium, & extremorum quæ ab Adraſtia infliguntur hominibus inexorabiliter: hanc autem Adraſtiam vocant Philoſophi retaliationis ordinẽ, qui eſt diuinarum legum ineuitabilis poteſtas, qua poſteà rependitur vnicuique pro ratione & meritis vitæ prioris. *poſt inſepulta*. nihil abominabilius antiquis, quàm & inſepulta manere cadauera, abijciq; , & ea eſſe in prædam lupis, canibus, auibus. *different*. membratim diſcerptas rapient ſinguli ſuas parteis. *Eſquilinæ alites*. ita reperi in quatuor cod. Blandinijs, nõ Eſquiliniæ, vt legendum arbitratur Bonfinis propter eliſionem diphthongum æ. verùm eius nulla ſit cura, nam Poëtis non eſt rarum non elidi vocalem aut diphthongum, ſed an legi debeat Exquilinæ potius quàm Eſquilinæ; diſputat Marlianus, in Topographia vrbis Romæ lib. 4. cap. 14. Exquilias, inquit, ab excubijs regis, multi dictas volunt: cui opinioni ſuffragatur Ouidius; Adde quod excubias vbi Rex Romanus agebat, Qui nunc Exquilias nomina collis habet. Alij ab excolendo, quòd ibi Seruius Tullius rex ædificaret ſuam regiam: Alij ab aucupibus Eſquilias dictas arbitrantur, quòd ibi quiſquilijs ſparſis aues illuderentur. Hanc lectionem probat & aſtruit Lamb. ex antiquis marmorib. & codicibus ſcriptis manu, & ex Dionyſio Halicar. lib. 2. antiquit. Roman. vbi ſcriptum eſt hoc nomẽ ἐσκύλινον λόφον: hic autem locus fuit, cui puticulæ nomen, vbi puteos fuiſſe proditum eſt, in quos defunctorum publicè cadauera mittebantur.

IN CASSIVM SEVERVM.
Iambica Epodos VI.

QVID *immerenteis hoſpites vexas canis*

Ignauus aduerſum lupos?
Quin huc inaneis, ſi potes, verte minas,
Et me remorſurum pete.
Nam qualis aut Moloſſus, aut fuluus Laco,
Amica vis paſtoribus,
Agam per altas aure ſublata niueis,
Quæcumque præcedet fera.
Tu cum timenda voce compleſti nemus:
Proiectum odoraris cibum.
Caue, caue: namque in malos aſperrimus
Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ ſpretus infido gener,
Aut acer hoſtis Bupalo.
An, ſi quis atro dente me petiuerit,
Inultus vt, flebo, puer?

COMMENTATOR.

INVEHITVR in Caſſium Seuerum, qui dicaciſſimus erat, & amarulentia verborum optimos quoſque inſectabatur, ſed facilè placabatur ingluuie ventris, adeò vt ſi quis ei ventrem repleret, ab eius ceſſabat conuiciis. Quare Horatius eum cani comparat, qui cùm clariſſimos latratus contra aliquem emittat, proiectum tamen vel lapidem vel panem odoretur: Ita hic accepta pecunia, à maledicentia & nimia dicacitate in eos qui laceſſiti reſpondere non poterant, abſtinebat. huic itaque malè minatur Horatius ſi ſolita rabie inceſſere pergat miſeros. *quid immerenteis.* nil meritos, innocenteis, minus forteis, miſeros. *vexas,* afficis, dilanias, fatigas maledictis & conuiciis. *canis.* apposita metaphora hominis maledici, qui in morem canis mordere videtur dum obloquitur alicui. *ignauus.* placidus, tranquillus. *lupos.* forteis reſpondere mordere, potentes. *quin.* potius. *huc.* in me atque me præſentem laceras. *verte.* conuerte. *pete.* impete. *nam qualis.* Allegoricôs Horatius ſe quidem comparat optimis canibus moloſſo Epirotico, & Laconi, in quorum alteris fortitudo, in alteris laudatur agilitas. vt Virg. acremque moloſſum Pa ce ſero pingui. Caſſium verò cani peſſimo ignauiſſimóque confert. dicit itaque, Quemcunque perſequi cœpero more optimi canis aure ſublata, id eſt, alacer illum perſequar vbique locorum: hoc eſt, quicumque me laceſſiuerit, tantè illũ ego conuiciis inſectabor, vt intelligat mihi non deeſſe in remordendo, & conuicia retaliando, linguæ amaritudinem. *amica vis paſtoribus.* Epexegeſis perutilis, efficax defenſio paſtoribus contra lupos: vt, nunquam cuſtodibus illis Nocturnum ſtabulis furem incurſuſque luporũ Aut impacatos à tergo horrebis Iberos. *vis.* à ſagacitate. vt, & odora canum vis. *agam.* talis ego perſequar eum qui me prouocauerit. *aure ſublata.* alacer, lætus, omni quidem conatu & omnibus viribus aure erecta ſurſum, quod propriè canum eſt dum ſæuiunt, alioqui timentium aureis demiſſæ ſunt. *altas niues.* montium. *quæcumque præcedit fera.* id eſt, quicumque prius me laceſſiuerit, allegoricôs. *tu cum timenda voce compleſti nemus.* id eſt, tu cùm tumidus & minitans inueheris in aliquem, expectas vt accepta pecunia deſinas maledicere. *timenda voce.* terribili latratu, id eſt, maledico carmine. *proiectum odoraris cibũ.* more ignauiſſimi canis, oblatis epulis, ſeu pecunia, quieſcis ab oblocutione, vt canis, qui reperto cibo inſectari deſinit. *caue, caue.* tibi à me. dicet ſe non munere placandum, non precibus, cùm maledictis alicuius reſpondere cœperit. *malos.* maledicos. *parata tollo cornua,* ad feriendum bouis in morem qui cornibus impetit hoſteis. *qualis Lycambæ.* talis ego ſum, qualis fuit Archilochus Poëta Lycambæ ſocero, qui cùm Archilocho deſponſam ſuam filiam Neobulen, ſe in vxorem daturum denegaſſet, tamdiu opprobriis & metris Iambicis illum Archilochus eſt perſecutus, & eius filiam, vt & ipſe Lycambe, & ex dolore patris, Neobule laqueo vitam finirent. *aut acer hoſtis Bupalo.* qualis Hipponax Poëta fuit, Bupalo, & Hipponax Poëta fuit acerrimus, fœda & vitiata facie: hunc aliquando Bupalus pictor in ſcena depictum populo exhibuit, vt riſum moueret: At ille iratus Iambis eum ita fatigauit, vt vitam ſuſpendio finiret. *an ſi quis atro.* inuida & maledica lingua. *oppetiuerit,* carpſerit. *inultus.* non vindicatus plorabo vt puer? omnis fletus & ploratus ex puſillanimitate procedit; at viri non eſt plorare, ſed illatam iniuriam vlciſci.

CRVQVIVS.

IN inſcriptione huius epodi tres codices Blandinij conſentiunt, quartus ſequitur vulgatam lectionem. De hoc autem Caſſio Seuero oratore & Poëta meminit Quinctilianus lib. 10. cap. 1. Ingenij plurimum, inquit, eſt in eo & acerbitas mira & vrbanitas, & vis ſumma, ſed plus ſtomacho quàm cõſilio dedit, præterea vt amari ſales, ita frequenter amaritudo ipſa ridicula eſt. Hunc item Tacitus ait libidine quadam viros atque illuſtreis feminas procacibus ſcriptis diffamaſſe. Quare inductus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis tractauit. Meminit & Seneca huius Caſſij in præfatione

ſatione libri tertij Declamationum. *quin huc inaneis, ſi potes, verte minas.* hanc lectionem habet codex antiquiſſimus, & codex Diuæi, quam ſeruaui, quòd mihi videretur ſtomachoſior alia; non enim tam interrogat Horatius quàm hortatur hũc maledicum, vt in ſe detorqueat ſua maledicentiæ ſpicula, nimirum ad retorquendum paratum. itaque, quin, aduerbium hìc nõ interrogatiuum eſt, pro cur non, ſed hortantis. hanc etiam lectionem reliqui tres codices Blandin. in annotationibus agnoſcunt, nam vertis pro conuerte, & petis pro impete, poſitum eſt, inquiunt. *fuluus Lacon.* duo codic. Bland. habent Laco. Canes Laconici ab agilitate commendatiſſimi. Virgil. 3. Georgic. Nec tibi cura canum fuerit poſtrema ſed vna Veloceis Spartæ catulos acremq́. moloſſum Paſce ſero pingui, &c. *Bupalo.* non autem Bubalo, habent quatuor cod. & Diuæi, cum Buſlidiano. De Hipponacte & Bupalo quod hic ſcribit Commentator hunc ab illo ad ſuſpendium adactum, negat Plinius naturalis hiſtoriæ lib. 36. cap. 5. nam hoc, inquit, falſum eſt; complura enim in finitimis inſulis ſimulacra poſteà fecere, ipſe puta Bupalus & ſuus frater Anthermus, ſicut in Delo, quibus ſubiecerunt carmen, non vitibus tantum cenſeri Chium, ſed & operibus Anthermi filiorum, &c.

AD POPVLVM ROMANVM, execratio belli ciuilis in Brutum & Caſſium.

Iambica epodos VII.

QVO, quò ſceleſti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?
Parúmne campis atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt Latini ſanguinis?
Non vt ſuperbas inuidæ Carthaginis
Romanas arceis vreret:
Intactus aut Britannus vt deſcenderet
Sacra catenatus via:
Sed vt ſecundum vota Parthorum, ſua
Vrbs hæc periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vnquam, niſi in diſpar, feris.
Furórne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? reſponſum date.
Tacent: & ora pallor albus inficit,
Menteíſque perculſæ ſtupent.
Sic eſt; acerba fata Romanos agunt,
Scelúſque fraternæ necis,
Et immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

COMMENTATOR.

VEHEMENTER inſurgit contra principes Romani populi, qui bella ciuilia, ad tempus omiſſa, rurſus inſtaurare moliebantur: verùm horum omnium malorum præcipuã cauſſam transfert in immaniſſimum Romuli ſcelus, quod commiſit, quando innocentis Remi fratris ſanguinem funderet. *Quò, quò.* exordium ab exclamatione in indignitatem noui tumultus. *ſceleſti.* impij in patriam. *aptantur enſes conditi.* reſerantur, reparantur arma iam aliquot annis concluſa, enſes nudantur. *parúmne campis.* hoc eſt, parum ne vobis videtur ſanguinis Romani, terra marique eſſe fuſum, niſi iterum mutuis corruatis cædibus? *Neptuno ſuper.* anaſtrophe. id eſt, terreſtri & nauali prœlio. *non vt ſuperbas.* occupatio: non, inquit, arma ſumitis vt hoſteis veſtros debelletis, ſed vt in vos ipſos arma vertatis. *inuida Carthaginis.* Carthago ſemper fuit æmula gloriæ Romanæ, nam & fœdus cum Romanis pactum, tertiò perfidè rupit. *Romanus.* miles. *intactus.* indomitus, nondum ſubditus Romanis, bellis ſcilicet nondũ victus. *deſcenderet.* per viam ſacram duceretur pro triumpho ad Capitolium. *ſed vt ſecundum vota.* ideo, inquit, vultis prœliari vt vota Parthorum, Medorum, & inimicorum veſtrorum adimpleatis: nam Parthi & Medi orientales gentes, Romanis inimiciſſimæ multum timuiſſent Romanos, circumuento & occiſo Craſſo, ni exorta fuiſſent bella Romanorum ciuilia. *vota Parthorum.* extincto Craſſo. *ſua dextera,* bellis ciuilibus. Lucanus: In te verte manus, nondum tibi defuit hoſtis. *neque hic lupis mos.* Exprobrat Romanis pluſquam ferinam crudelitatem. Vos, inquit, facitis quod abhorret belluæ; neque enim lupus lupum, aut leo leonem, ſed lupus leonem perſequitur, aut leo lupum. At vos, contra omnem naturam, bellis inteſtinis in mutuum ſanguinem inanitis. *niſi in diſpar.* id eſt, niſi in animal alterius naturæ & generis. *furórne cæcus.* Tria interrogat, amentiane exagitati, an acriori vi, id eſt, ira deorum, an culpa ex ſcelere Romuli arma contra ſe ſumerent. *furor.* amentia. *acrior.* maior: id eſt, aliud pluſquam furor, nempe fatalis quædam & inuicta neceſſitas. *an culpa.* pro ſcelere Romuli. *tacent.* eleganter ſubijcit ex taciturnitate, pallore, & ſtupore, mentem malè ſibi conſciã. Sic alibi Cicero,

Cùm tacent clamant. Quaſi ad hæc verba Romani conuicti ſteterint, deinde ſceleris conſcientia ſtupeſcentes, palluerint, quia non habebant in promptu quod reſponderent. ſic Virgilius, Hæc effata ſilet, pallor ſimul occupat ora. *albus.* epitheton palloris. *mentes.* malæ ſibi conſciæ. *ſic eſt.* vt dico, inquit, fato & culpa, agimur ad hoc bellum, ſupplicium pendentes ob cædem à Romulo in fratrem admiſſam. *acerba fata.* dij irati. *agunt.* perſequuntur Romanos. Hæc autem infert, quaſi ipſis tacentibus intelligeret belli ciuilis originem inde in nepotes tractam, quòd occiſo fratre Romulus parricidium perpetrauit: vnde, Fraterno primi maduerunt ſanguine muri. *vt.* poſtquam. *immerentis,* innoxij. *nepotibus*, poſteris. *ſacer,* execrabilis.

CRVQVIVS.

SCELESTI. Scelus eſt contra ius & æquum admiſſum facinus. Sceleſti itaq; ,quòd & impij ſint in patriam, & ſibi mutuis cædibus iniqui. *deſcenderet ſacra catenatus via.* Sacra via dicta eſt quòd per eam ſacra quotquot menſibus ferrentur in arcem, aut quòd in ea fœdus ictum ſit inter Romulum & Tatium Regem. Hæc initium habuit à Carinis, Strenięque ſacello, protenſa per comitium forumque Romanum ad Capitolium, habens à dextris templum Pacis, à ſiniſtris verò Solis & Lunæ templa. vide Marlianum in vrbis Romæ topographiæ lib. 3. cap. 8. *in diſpar feris.* Nugator Porphyrio legit hic, indiſpar, pro indiſpariter, nomen pro aduerbio, nec diſſentiunt ab illo adnotationes manuſcriptæ; ſic enim habent, Non fuit iſte mos vnquam lupis aut leonibus, niſi feris indiſpar, id eſt, indiſpariter, hoc eſt, quas natura indiſpariter creauit. ſed ineptum illud ſeculum non tantùm admiror erraſſe, quantum eum qui à paucis hinc annis hæc ſcripta vulgauerit Porphyrionis nomine, niſi ſimiles etiam habuerint labra lactucas, vt fertur. Quanto rectiùs & Commentator, & Glareanus, & poſt hos Lamb. doctiſſimè exponunt, Niſi feris in diſpar, genus ſeu animal. *furórne cæcus.* qui vos cæcutire facit. In eadem ſententia dubius eſt Cicero, multis in locis potiſſimum pro Marcello, nimirum quæ poſſit eſſe cauſſa tanti & tam diuturni furoris ciuilis: Etſi aliqua culpa, inquit, tenemur erroris humani, à ſcelere certè liberati ſumus. ambigit enim vocétne furorem illū ciuium Roman. culpam an errorem, ignorationémne, an fatum. *ſic eſt.* ingenioſa ſubiectio, qua vitandi odij cauſſa transfert hanc culpam à ciuibus Romanis in cædem Remi innocentis.

IN ANVM LIBIDINOSAM.

Epodos Iambica VIII.

ROGARE *longo putidam te ſeculo*
Vires quod eneruet meas?
Cùm ſit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem ſenectus exaret:
Hietq; turpis inter aridas nates
Podex velut crudæ bouis?
Sed incitat me pectus, & mammæ putres,
Equina quales vbera:
Ventérque mollis, & femur tumentibus
Exile ſuris additum.
Eſto beata: funus atque imagines
Ducant triumphales tuum:
Nec ſit marita quæ rotundioribus
Onuſta baccis ambulet.
Quid? quòd libelli Stoici inter ſericos
Iacere puluillos amant?
Inlitterati num minus nerui rigent?
Minúſue languet faſcinum?
Quod vt ſuperbo prouoces ab inguine,
Ore adlaborandum eſt tibi?

COMMENTATOR.

SCRIBIT in anum libidinoſam, quam aſpernatur, quoniam querebatur eum circa ſe lentum eſſe in Venerem, & frigidioris virtutis. *rogare.* ſubaudiendum, mirum eſt. cuius hic eſt ſenſus: Cùm ſis longæ ætatis & ob id deformis, & putida, mirum eſt te meos deſiderare amplexus, præſertim cùm ſine iniuria virium mearum hoc tibi præſtare non poſſim. *putidam.* fœtentem. *longo ſeculo.* ætate longa. *eneruet.* debilitet neruos, & non delectet. *ater.* niger præ ſenectute. *exaret.* id eſt, rugis tanquam ſulcis, proſcindat: vt Virg. obſcœnam frontem rugis arat. *hietq;.* dehiſcat, pateat. *podex.* anus, pars corporis poſterior pudenda. Iuuenal. ſed podice læui. *crudæ.* indomitæ, vel vetulæ. *ſed incitat.* prouocat ad amorem. ironicôs, quaſi minimè incitat. *putres.* putidæ, laxæ, reſolutæ malitia. *quales,* pro qualia, more Græco, relicto ſcilicet proximo *vbera,* tranſit ad mammas, quod remotius eſt. *ventérque mollis.* mollem ventrem neceſſe eſt eſſe cute iam rugoſa, vel maximè in aniculis. *femur.* femur ea pars eſt corporis quæ protenditur à renibus vſq. ad genua: hic autem pro coxis ponitur. Coxæ, inquit, tuæ exiles

exiles adiunctæ ſunt inflatis tibijs. *exile*. gracile. *tumentibus ſuris additum*. eleganter dicit additum, quaſi applicitum & appoſitum ſit, non ſuum: quia nihil deformius eſt, quàm pedes genibus, & femore craſſiores. *eſto beata*. diues: vt, Neſciàs an te generum beati Phyllidis flauæ decorent parentes. *imagines triumphales*. nobilium parentum, quorum facta præclara publicè nota erant. Solebant enim in funere nobiliſſimi cuiuſque imagines maiorum præferri ad oſtentationem nobilitatis, quod adhuc obſeruari videmus in funeribus principum virorum. Videtur latenter illi exprobrare intempeſtiuos amores, præcipuè quòd morti eſſet proxima. *ducant*. præcedant. *marita*. maritata. nulla, inquit, ſit coniunx quæ te ſit gemmis ornatior. *rotundioribus*. perfectioribus & pretioſioribus. *bacis*. gemmis, lapillis. Bacæ enim ſunt vniones ſeu peruli. vt, colloque monile bacatū. *quid? quòd libelli*. Solita erat hæc libros Philoſophorum etiam in lectis repoſitos habere ad tegendam libidinem, vt adueniente amatore ſimularet ſe Philoſophiæ ſtudere non libidini. Quid prodeſt, inquit, oſtentare te litteratam eſſe, cùm nihil te hoc adiuuare poſſet ad incendendam libidinem viri, id eſt, ad arrigendum penem, qui litteras neſcit, nec earum ſtudium habet. *puluillos*. ceruicalia, quæ ceruicibus ſupponuntur. deminutiuum eſt à puluinus: hic autem puluilli ſunt lecti. *amant*. ſolent. *inlitterati nerui*. id eſt, penes inlitteratorum hominum. Neruos enim pro membro virili poſuit. Quare, inquit, adhibes libros lectulis tuis? nunquid illitterati homines minus feruēt amore quàm litterati? an ideo libros habes, vt homines cogas amare? ironicôs. *minus rigent*; torpent, frigidi ſunt. *faſcinum*. virile membrum, quod faſcia tegi ſolet, ſiue campeſtribus. *quod*, faſcinum. *ſuperbo*, faſtidiente. *prouoces*. paratum facias ad coitum. *ore*. blandimentis, aut lingua & nefariis oſculis, alioqui non poterit alicuius libido prouocari in te, quia nimis es deformis & rugoſa.

CRVQVIVS.

FASCINVM, virile membrum appellatur, propterea quòd puerorum collis appenſum faſcinum arcere olim creditum eſt. Varro; Pueris, inquit, turpicula res in collo quędam ſuſpenditur, ne quid obſit, bonæ ſcenæ cauſſa. Quin & Faſcinus, deus erat, faſcini depulſor. Faſcinus, inquit Plinius, imperatorum quoque, non ſolum infantium cuſtos, qui deus inter ſacra Romana à Veſtalibus colitur, & currus triumphantium ſub his pendens defendit medicus inuidiæ, iubétque eoſdem reſpicere. Adde quòd & hortos & fores cōtra inuidentium effaſcinationes dicare, vt Plinius quoque refert, ſolebant, próque remedio ſatyrica erant ſigna. nam & ſatyrion inuidiam depellere putabatur: quæ enim turpia erant & ridicula, ad auertendum illam peſtem accommodata exiſtimabantur, obtutu & aſpectu inuidentium ex obſcenitate & miraculo turpitudinis euocatis, vt ſcribit Plutarch. Porrò teneris, quàm adultiori ætati magis nocere creditur. Virg. Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinet agnos. facilius enim mali ſenſus & noxa oculo inferebatur, & intuitui quem ὀφθαλμὸν βάσκανον Plutarch. nominauit. Cauſſam huius & ipſe & Alexander Aphrodiſæus quærunt. Scribit autem Plinius fuiſſe in Africa, effaſcinantium familias, quarum laudatione interibant probata; (ſic enim ipſe Græcè nominat, oues pecudéſque intelligens) areſcebant arbores, infantes emoriebantur. ſcribit item Plinius fuiſſe in Triballis & Illyriis, fuiſſe quoque in Ponto Thebios, (ſic enim in ipſo legendùm Adrianus Turnebus aduerſariorum lib. 9. cap. 28. tomi prioris, ex Plutarcho & Stephano annotauit) qui viſu effaſcinarent & interimerent, quos diutiùs intuerentur, oculis præcipuè iratis: atque binas in ſingulis oculis habuiſſe pupillas. Lactantius Cuninam memorat deam, quæ faſcinum in cunis vagientium intuitu ſubmouebat.

AD MÆCENATEM, VOTIS deſignat victoriam Cæſaris aduerſus Anton. & Cleopatram.

Epodos Iambica IX.

QVANDO repoſtum Cæcubū ad feſtas dapes
Victore lætus Cæſare,
Tecum ſub alta (ſic Ioui gratum) domo
Beate Mæcenas, bibam,
Sonante miſtum tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis Barbarum?
Vt nuper, actus cùm freto Neptunius
Dux fugit vſtis nauibus,
Minatus vrbi vincla, quæ detraxerat
Seruis amicus perfidis.
Romanus (eheu) poſteri negabitis,
Emancipatus fœmina,
Fert vallum, & arma miles: & ſpadonibus
Seruire rugoſis poteſt:
Intérque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit conopeum.

At huc

At huc frementeis verterunt bis mille equos
Galli canentes Cæſarem.
Hoſtiliumq; nauium in portu latent
Puppes ſiniſtrorſum citæ.
Io triumphe, tu moraris aureos
Currus & intactas boues.
Io triumphe, nec Iugurthino parem
Bello reportaſti ducem,
Neque Africano: cui ſuper Carthaginem
Virtus ſepulcrum condidit.
Terra marique victus hoſtis, Punico
Lugubre mutauit ſagum:
Aut ille centum nobilem Cretam vrbibus
Ventis iturus non ſuis,
Exercitatas aut petit Syrteis Noto:
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, ſcyphos,
Et Chia vina aut Lesbia:
Vel quòd fluentem nauſeam coërceat,
Metire nobis Cæcubum.
Curam metúmque Cæſaris rerum iuuat
Dulci Lyæo ſoluere.

COMMENTATOR.

INVITAT Mæcenatem ad conuiuium, vt iterum læti ſint ob victoriam Auguſti de Antonio & Cleopatra apud Actium Epiri promontorium, quemadmodum antea fuerant ob illius victoriam de Sex. Pompeio Cn. Pompeij filio nauali pugna victo & fugato. *quando.* interrogatio. *repoſtum.* repoſitum, ad hoc reſeruatum, vt non niſi ad feſtas epulas proferatur. *Cæcubum.* vinum à loco, ſicut & Falernum. *victore.* quòd ad Actium Antonium & Cleopatram ſuperauerat. *ſic Ioui gratum.* parentheſis. probat hoc Iupiter, qui auctor eſt victoriæ. *alta domo.* Mæcenatis. *mixtum.* propter victorias Cæſaris & hoſtium cladeis. *hac.* lyra. *Dorium.* proſperum propter felicem Cæſaris ſucceſſum. *illis.* tibiis. *barbarum.* Phrygium, inimicis infeſtum & ferale. dicit itaque, lyra ſe canere velle geſta Cæſaris, & victoriam Actiacam: tibiis autem Antonium ſuperatum fugatúmque cum Aegyptiis & barbaris aliis nationibus. hic notandum eſt modos muſicos eſſe ſeptem, Dorium, Hypodorium, Phrygium, Hypophrygium, Lydium, Hypolydium, Mixolydium, à nationibus ſcilicet Doribus qui Græci ſunt, Lydiis, & Phrygibus, qui ſunt barbari. *vt nuper.* ſubaudi, tecum bibi, cùm Sext. Pompeius Cn. Pompeij filius in Siculo mari piraticam exercens, nauali prœlio à Cæſare victus fugatúſque eſt. *actus.* coactus. *freto.* Siciliæ. *Neptunius.* Sex. Pompeius, qui ſe filium dicebat eſſe Neptuni, vt ait Liuius, elatus rerum mari geſtarum felicitate; quare in habitu Neptuni, veſte nimirum cyanea, contra hoſteis pugnabat. *vſtis nauibus.* ab Auguſto. *minatus.* quondam. *vrbi.* Romæ. *vincla.* ſeruitutem. *quæ detraxerat.* Nam ergaſtulis Siculorum ſolutis, aſylóque facto, omneis qui ad ſe fugerant ſceleratos ſecum duxit ad nauale certamen, tanta arrogantia, vt vinctis ablatas compedes minaretur Romanis ciuibus. *Romanus.* ad comparationem præſentis lætitiæ, mentione facta Sext. Pōpeij & fugæ eius, redit ad id quod cœperat, proſequens turpitudinē Antonij & ſuarum partium. *eheu.* exclamatio pathetica. quaſi dicat, Quantū hoc eſt nefas! Quanta hæc turpitudo! Antonium principem virū Romanum ſeruire Cleopatræ Aegyptiæ! Quanta infamia Romano nomini, nobiles & milites Romanos Antonium ſecutos quaſi dotaleis Cleopatræ ab Antonio datos, ſeruire ſpadonibus rugoſis, id eſt, eunuchis Aegyptiis! Non credent, inquit, hæc poſteri: tam ſunt fœda, vt non videantur ab vllo Romano admitti potuiſſe. *negabitis.* quod ſum dicturus. *emancipatus.* antea liber, nunc ſua ſponte traditus & factus ſeruus. *femina.* Cleopatræ. *fert vallum.* id eſt, papiliones munimentum caſtrorum, terram & palos ad vallum conficiendum. *ſpadonibus ſeruire rugoſis poteſt.* hæc verba ita pronuncia, vt indignitatem rei exprimas. *rugoſis.* euiratis, qui vbi virilitatem perdiderunt, rugoſi efficiuntur. *turpe.* aut per exclamationem legendum. vt hic ſit ſenſus; turpe, hoc eſt, res eſt turpis, quòd caſtra Antonij comitantur feminæ, quod eſt illicitum: aut, turpe, eſt epitheton conopei, quia illud non conuenit caſtris, neque militibus, ſed thalamis & feminis, quod vt magis deteſtetur, dicit ſolem hoc aſpicere, id eſt, palam cunctis publicè deportari, & videri. *conopeum.* genus eſt retis ad muſcas & culices abigendos, quo Alexandrini potiſſimùm vtuntur, propter culicum illic abundantiam. Hic autem accipitur pro omnibus deliciis & mundo Cleopatræ. *κώνωπες* autem culices dicuntur. hinc *κωνώπεια* vela ad arcendos culices. *at huc frementeis.* ſignificat duo millia equitum Gallorum ab Antonio ad Auguſtū defeciſſe. Ordo eſt, At Galli caneuteis Cæſarem, id eſt, laudantes, verterunt huc, id eſt, ad nos tranſtulerunt bis mille equos frementeis. *Galli.* Gallos ideo commemorat, vt pudore pulſet animos Romanorum, qui paſſi ſunt ſeruitute ſe ſubijci ſpadonibus, quod Galli ſunt dedignati. *canentes.* vt, regémq. canebant.

canebant. *ſiniſtrorſum.* hoc quaſi augurium fuit victurum Auguſtum; quòd naues Antonij ſtarent obuerſæ mari, ſpectantes in ſiniſtrā partem: contrà naues Auguſti aduerſæ in dextram. Nam in littore Epiri vbi pugna nauali, cum Antonio fuit, ſi Italiam petis, in dextram incedas neceſſe eſt; ſi Alexandriam, in ſiniſtram. *ſiniſtrorſum.* verſus Alexandriam. *citæ.* celeres, & ad fugiendum paratæ. vt, Prima citæ Teucris ponam certamina claſſis. *io triumphe.* alloquitur triumphum. tu, inquit, remoraris victoriam; nam ſi voles Antonium cum Auguſto congredi vt pugnent cominus, iam parta eſt nobis victoria. *io triumphe.* vox eſt acclamantium militum. *intactas.* indomitas, nondum ſub iugum miſſas, & paratas ad ſacrificium. vt, & intacta totidem ceruice iuuencas. A triumphantibus bos alba & indomita in capitolio immolari ſolebat. *parem.* Auguſto. *ducem.* Marium dicit qui ſepties Conſul clariſſimū de Iugurtha triumphum deportauit. Nō tanta, inquit, gloria C. Marius triumphauit de Iugurtha Afrorum duce, neque etiam Scipio Afr. de Afris, quos vicit atque ſubegit, quanta Auguſtus de Antonio. itàque Cæſarem & Mario & Scipioni Africano præponit. *neque Africano* triumpho reportaſti parem Auguſto ducem. P. Cornelium, Scip. Africanū maiorem intelligit. *cui.* Scipioni. *ſuper Carthaginem.* victoriam Carthaginis. *virtus.* ſua. *ſepulcrum.* æternam memoriā laudis. Sepulcrum autem hoc loco nō pro ſepultura ponitur, ſed pro æterna memoria & laude. neque enim Scipio conditus eſt in prædeceſſorum Conſulum ſepulcris, ſed cùm victor rediret ab Africa, neque eum Romanus pop. recipere vellet ob inuidiam; ille reuerſus eſt in priuatum agrum Linterni, vbi tanquam à Romanis in exilio poſitus vixit: quare iuſſit in tumulo ſuo ſcribi quòd patria careret ſepultura. Videtur etiā tangere hiſtoriam in qua ſcriptum eſt ex oraculo ad compeſcendos Afros, debere ſepulcrum Scipioni Africano ita conſtitui, vt Africam intueretur; hoc autem monitu deorum poſitum eſt inter Hoſtia & portum. *terra marique.* terreſtri naualíque prœlio. *victus.* à Cæſare. *hoſtis.* Antonius. *Punico lugubre mutauit.* id eſt, depoſito puniceo, hoc eſt, hyacinthino, aut Pario, coccineóue ſago: lugubre, id eſt, luridum & nigrum, luctûque & fuga dignum ſumpſit. Romani enim milites in bellum euntes coccineis ſagis vtebantur, vt ne quis vulneratus, cruoréque ſuo reſperſus, terrorem incuteret ſociis, nam coccineus color cruori ſimilis eſt. Itaque dum Antonius fugeret, ne agnoſceretur, depoſuit coccineam, & nigram chlamydem indutus eſt. *centum nobilem Cretam.* vnde Creta dicta eſt ἑκατόμπολις, id eſt, centum ciuitatum. vt: Centum vrbes habitant magnas vberrima regna. *non ſuis.* nō proſperis, ſed aduerſis, & contrariis. vt, Contra ferunt ſua flamina claſſem. vnde non ſuis ventis nauigat, aut vadit is qui non pergit ad loca deſtinata, ſed fertur arbitrio ventorum. *exercitatas.* tempeſtate commotas. *petit.* fugiens. *Syrteis.* loca ſunt in mari arenoſa & vadoſa. *noto.* vento. *aut fertur incerto mari.* hypallage, id eſt, ipſe incertus quò nauiget. Ita, inquit, victus eſt, & conſternatus animo, vt prorſus neſciret quò fugeret, verſus Cretā ne an ad Syrteis, ſic errat ventis impeditus. *capaciores.* maiores, grandiores, qui multum capiunt. mandat puero propter lætitiam triumphi Auguſti, vt vinum amplius ſolito miſceat. *Chia.* à loco Chium vinum. *Lesbia.* Lesbium vinum à Lesbo inſula. *fluentem nauſeam.* fluens phlegma; nam ex nauſea multum humoris, & phlegmatis fluere ſolet. poteſt etiam hic pro faſtidio intelligi, ex nimia mora triumphi. *metire.* miſce, profer, hauri ex cratere, & quod vulgo dicitur, menſura. *Cæcubum* quod epotatum reſtringere ſolet fluxum phlegmatis. *curam metúmque Cæſaris.* quæ ante euentum pugnæ ſuſtinui: iuuat, inquit, nunc relaxare vino optimo ſollicitudinem, & metum, propter incertum belli euentum. vt, nunc vino pellite curas.

CRVQVIVS.

HAC *Dorium, illis barbarum.* Barbarū, inquit Commentator, id eſt, Phrygiū, inimicis infeſtum & ferale. verùm hæc additio, nempe inimicis infeſtum ac ferale, vt hoc loco parū Phrygiis apta modis eſt, ita nec commodè barbarum carmen hic Phrygium reddi poteſt. Quod priuſquam oſtendamus, de modis ſiue tropis antiquis nonnihil diſſeramus, quos Commentator ſeptem numerat conflatos ex Græcis & barbaris, nimirum Dorium, Hypodorium, Phrygiū, Hypophrygiū, Lydium, Hypolydium, Mixolydium; quem poſtremum ego repoſui illius loco quem in annotationibus Hyperlydium ſcriptum repperi, claſſicis, vt arbitror, prorſus incognitum, ſed ab ἀναρμόστοις imperitè poſitum, quibus certè quod patrocinetur ſuo more, in concentibus eorúmque nominibus malè aptandis, ipſa διαφωνία, aliquo modo ignoſcendum arbitror: verùm quod ἐναρμονίων μελῶν διδάσκει à veteribus modis aut nonnihil diſcedāt, aut eos abſurdè in alienam naturam detorqueant huiuſmodi ἀμικόνων gratia; nulla id certè venia dignum putarē, niſi docti ferè omnes vnanimi ſtudio in id incumbere viderentur, vt religione quadam & veneratione doctrinæ (quæ immortalitati ſacra eſt) etiam virorum doctorū nomina ab omni

m errore

errore libera poſteritati tradant. Quod potiſſimum fieri compertum habemus in Donato, Seruio, Porphyrione, Acrone, cæteriſque primi nominis grammaticis, quorum commentarios malè ſana barbaries ita conſpurcauit, vt niſi ipſi auctores aliquando reuiuiſcant, non crediderim vnquam illam ſpurcitiem elui poſſe. Quare ad vnũ omneis doctos obteſtatos velim, in vindicãdis ab omni iniuria doctis nominibus, vt magno delectu vtãtur, ne dum aſſumtum aliquod vel adulterinum nomẽ temerè tuentur, ipſi in reprehenſionem non minimam incidãt. Quid enim aliud, quàm Porphyrionis nomen multis viris doctis impoſuit? quàm multos Acron ſubditicius in errorem induxit? Sed quæ Glareano viro alioquin εὐαρμοστικωτάτῳ, alia cauſſa fuit, vt hoc loco in ſuis adnotationibus Lydium modum in Ionico intelligendum diceret, atque Porphyrionem vulgari more locutum? Profectò tanti non debuit eſſe tanto viro ille Porphyrio inſulſus, qualem ipſemet Glareanus, multis in locis ſuarum adnotationum, eſſe, non obſcurè fatetur, vt antiquitus diſcreta, noua quadam interpretatione, vna, eademque faceret, aut alterũ fingeret in altero (quæ generis ſunt nõ eiuſdem) cõtineri, diuerſa certè miſceri quidem poſſe arbitror, at illa fieri eadem non arbitror. Quis enim Græcos modos pro tribus omnino Græciæ nationibus (vt ex Heraclida Athenæus lib. 14. ſcriptum reliquit) tres non fatetur, Dorium, Aeolium, Ionium? quis item barbaros reijcit Aſianum, Phrygiũ, Lydium, hos poſteriores, illos priores? verùm Græcos barbaros dicere, & contrà, aut eoſdem eſſe modos vtriuſque gentis, hominis arbitror non omnino ſani. Atqui ex his inter ſe commixtis, muſicam harmoniam conſtare, nemo vel mediocriter eius artis peritus facilè neget; id enim & res ipſa probat & modorũ nomina iſta, Doriũ, Phrygium, Lydiũ, ex quib. cũ ſubordinatis, Hypodorio, Hypophrygio, Hypolydio cũ Mixolydio cõpoſiti ſunt διὰ πάσων, modi omnes muſici, Chromatici, Enarmonici, & Diatonici, de quib. plura ſcribere ſuperſedebimus, quia non eſt huius loci, modos amplius tractare Harmonicos. Quam ob rem ad inſtitutum recurrat oratio, & quoad eius fieri poteſt oſtendamus, per barbarum carmen non aptè intelligi, aut Phrygium aut Lydium. Nam barbarum, hîc hoſtibus eſt ominoſum, infauſta omnia, atque infelicia Antonio comminans, nimirum, metum, fugam, deſperationem, perniciem. At Phrygium nihil canit huiuſmodi, cùm ſit religioſum diuinúmque, & numine quodam mentes permoueat, vt ſcribit Ariſt. 8. Politicon. δοκεῖ ποιεῖν, ἔφη, ἐνθουσιαστικούς, ἡ φρυγιστί: cui concinit Lucianus in Harmonide. καὶ ἑκάστης ἁρμονίας διαφυλάττειν τὸ ἴδιον· τῆς φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς λυδίας βακχικόν, τῆς δωρίου τὸ σεμνόν, &c. Caſſiodorus de his modulis epiſtolar. lib. 2. Phrygius, inquit, pugnas excitat & votum furoris inflammat. Quare cùm hic Horatius non bellicos furores Antonij, ſed eius fugam, trepidationemq́; canere velit, non putarim barbarum hic appoſitè exponi poſſe Phrygium, neque ob eandẽ cauſſam Lydium, qui Bacchicus eſt & mollis, contráq. nimias animi curas tædiáq; repertus, vt ait Caſſiod. Qua de cauſſa ego illum libentius, mixolydium interpretarer, qui auditores grauiore efficit animo contractioréque, Ariſtotele teſte, qui Politicôn octauo inquit, πρὸς μὲν ἐνίας ὀδυρτικωτέρως καὶ συνεστηκότως μᾶλλον, οἷον, πρὸς τὴν μιξολυδιστὶ καλουμένην. nec ab Ariſtotele diſſentit Plutarchus, qui in ſua muſica, Mixolydius, inquit, concentus affectibus eſt refertus & Tragœdiis aptus. Reperiſſe eum Sappho Ariſtoxenus prodidit, ab ipſáque Tragicos didiciſſe, qui poſtea coniunxere Mixolydios modos cum Doriis, quorum alteri maieſtatem, atque auctoritatem, alteri affectus afferunt, ex vtriſque enim commixta eſt Tragœdia, &c. Quæ verba Doriis modis, Romanis quidem accinunt victoriam, Antonio verò Mixolydiis perturbationes. Quin etiam (vt taceam hoc Horatij vocabulum mixtum, quod non paruo alicui argumento eſſe poteſt huius opinionis aſſerendæ) facilè quis dixerit Poëtam hic exhibere imaginem veræ Tragœdiæ, vbi primùm pompam Cleopatræ & conopeum cum Antonio ad bellum progredi nõ ſine magna ſpe & lætitia victoriæ iam quaſi certæ, deinde illius incertam fugam cum magno tremore, & formidine, quaſi ob oculos ponit. *emancipatus feminæ*. Emancipare autem eſt, è ſuo mancipio, id eſt, dominio, ſeu poteſtate emittere, & alteri poſſidendum permittere. Mancipare autem alteram tantum vim habet, nimirum mancipio alicui dare, vt ait Budæus; ſed hæc propriè rerum ſunt, quæ manu dari & accipi ſolent: transfertur autem ad eam emancipationẽ quæ eſt perſonarũ, quemadmodum ait Feſtus, Emancipati duobus modis intelliguntur, aut ij qui ex patris iure exierũt; aut ij qui aliorum fiunt dominij: quorum vtrumque fit mancipatione. Ita Romanus miles hic dicitur emancipatus feminæ Cleopatræ, id eſt, ſua ſponte traditus, vt ait Commentator. hæc interpretatio ſatis aperta eſt, & verbis Horatij conſentanea: Attamen quam in annotationibus ſcriptis aliam inueni, nolui celare lectorem, quòd & ingenij nonnihil præ ſe ferat, nec aliena ſit à propoſito. Ordo eſt, inquit, Eheu poſteri negabitis quòd Romanus miles emancipatus, id eſt liber, & ingenuus tulit quondam vallum, id eſt, papiliones, & arma feminæ. i. mollitiem omnem cum conopeo,

& præterea

& præterea poteſt ſeruire ſpadonibus rugoſis. Emancipati autem dicuntur liberi, quaſi ab omni condicione mancipiorum remoti; Mancipia veró dicuntur qui in prœlio manucapti in ſeruitutem rediguntur: ſicut ſerui à ſeruando, quòd in prœliis ſeruati & à morte liberati ſint. hactenus annotationes ſcriptæ. *ſpadonibus*. Spadones impudicitię morbo erant infames, quos Cleopatra habuit plurimos. *at huc verterunt*. hæc verba habet codex Diuæi, & vnus codex Bland. manuſcriptus expreſſè: alij tres habent, Ad hunc aliàs, At huc. quā notam ſecutus ſum tanquam magis appoſitam atq; conſentientem ſcriptis annotationibus. *ſiniſtrorſum*. hoc præter proprium ſignificatum, notat infortunium & fugam Antonij, nam ſiniſtra ominoſa ſunt. *cita*. duo codices habent ſitæ, id eſt, ad ſiniſtram partem motæ; nam Antonius qui cū ſuis ab Aegypto venerat, ſic naueis ſuas locauerat, vt facilis pateret fuga. Verùm ego priorem lectionem ſeruaui, quòd altera non careret litura. *intactas boues*. in omnibus ſacris hoc à gentilibus notatum, & ferè obſeruatū fuit, feminini generis victimas potiores fuiſſe: itaque ſi per marem litari non poterat, femina ſuccidanea dabatur, non contrà. nam ſi per femininam hoſtiam minimè perlitatum foret, ſuccidaneam adhiberi non licebat, præterquam apud Aegyptios & Derbices Perſicā gentem, quibus immolare feminam eſt habitum nefas. Inſuper hic non eſt prætermittendum, Romanos conſueuiſſe, pro rebus quas citò expediri cuperent, ætate grandioribus hoſtiis; vbi verò rem augere vellent & produci, iuniori victima ſacrificare: Nam idipſum innuere videtur Horatius, ægrè ferens triumphi cunctationem, quem dicit remorari currus triumphales, & boues intactas, id eſt, iuniores, quæ nondum per iugum domitæ fuiſſent, vt habet Commentator. hinc dicuntur iniuges hoſtiæ Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 5. *neque*. de hoc ſepulcro quod Linterni eſt, Africani illius prioris, vide Strabonem lib. 5. *Africano*. Badius, inquit Glareanus, legit hic Africanum, expeditius quidem, ſed durius; fit enim, inquit, comparatio Ducum, non vrbis ad ducem, quod opus erit ſi legatur, Africano, in quo neceſſe eſt per repetitionem intelligi, bello, cui, inquit, ineptè ſubijcitur, hoc modo: cui bello virtus Romanorum condidit ſepulcrum ſuper Carthaginem, &c. verùm vir ille prouocabulum, cui, non animaduertit referre Ducem: non etiam bello; vt ſit ſententia: cui Duci virtus Romanorum, &c. deceptus lectione Badij. *lugubre mutauit ſagum*. Oroſius lib. 5 cap. 18. Senatus ſagum, inquit, id eſt, veſtem mœroris, quam exorto ſociali bello ſumſerat, hac ſpe arridente depoſuit atque antiquum togæ decorem recuperauit. Nemo ſibi perſuadeat, ſi poſt Bayſium de Sago ſcribam me velle Herculi extorquere clauam. Nam tantùm abeſt vt illius viri doctiſſimi ſcripta velim eſſe mea, vt me illi firmiora ſua reddere, atque illuſtriora exiſtimem, ſi quæ ab illo diffuſius memoriæ prodita ſunt, aliquanto certiùs contractiúſque ordinem, ac veluti in tabella ſpectanda depingam. Eodem certè, quo ille, ſtudio ducor, nimirum vt litterarum ſymmyſtis mea opera proſim. Quod ſi non aſſequar, non eó conatus minus pomptus ad id, atque honeſtus fuerit. Saltem id præſtitero, ſi nihil aliud, vt ſtudioſis animos addam ad ea rectiùs diſquirenda ſi quæ à me prætermiſſa viderint. Sagum autem veſtem militarem fuiſſe omnibus in confeſſo eſt. At eius duo fuiſſe genera non omnibus arbitror ita definitum: Alterum enim craſſum duplex erat & densè villoſum & commune, ἐσθὴς στρατιωτική Plutarcho, vt opinor, in Galba nominatum, quod idem ſcribit in Tiberio, Lege militari C. Gracchi militibus publico ſumptu datum, ſine vlla diminutione ſtipendij militaris. Alterum autem tenuiſſimū, ſimplex, molle, & delicatum, nonnunquam leniter villoſum, imperatorum ſuperindumentū, album vel purpureum ſeu puniceum, vt ſcriptū reliquit Valerius libro primo de Craſſo loquens, id paludamentum nominans proprio vocabulo. hoc autem ipſum mutauit Antonius in fuga cum ſago lugubri, id eſt, communi, quod quidem illi lugubre fuit, non tam quòd eſſet nigrum ſeu pullum (quale tradit Valerius Craſſo traditū contra Parthos) quàm quòd illi quaſi ob oculos poneret mutatam fortunam, & exitium præſens. Hic ſi quis hanc Sagi diſtinctionem, in Sagum commune, quod propriè Sagum dicitur nomine generico, ſuę formę, ſeu, vt philoſophicôs loquar, ſpeciei accommodate: quo fieri neceſſe eſt, teſte Ariſtotele, vbi forma propria voce caret, & in Sagum quod paludamentum nominatur: Si quis, inquam, hoc quaſi nouum commentum, aut verius ſomniū aliquod explodendum clamitet; quod neque vt res aut rerum formæ, ita, nec illarum ſigna poſſint nobis eſſe cognita. Primum contra hunc, vt aliam contentionem præteream, mihi patrocinio erit hoc Martialis lib. 6. epigram. 11.

Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia nutrit.
Vis te purpureum, Marſe, ſagatus amem?
Vt praſtem Pyladen, aliquis mihi praſtet Oreſtem,
Hec non fit verbis: Marce vt ameris, ama.

Quis hic vtrumque non videt, & purpureum denotari paludamentum, & Sagum commune?

Deinde non ſinent me Græci temerè iniuria affici, quibus Sagum commune χλαῖνα παχεῖα καὶ ἁπλῆ nominatur, ἀπὸ τοῦ χλιαίνειν, quod pro tempore ſumitur ad frigus, pluuiamque, & ventos propellendos. vnde Adagium natum eſt in eos qui non ſuo tempore rebus vtuntur neceſſariis, ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις, hoc eſt, æſtate pęnulam deteris, interprete Eraſmo (forſitan impropriè) quia pęnula ferè viatoria erat, qua vtebantur & viri & feminæ. Alij ænam reddunt. mihi certè Sagū magis congruam apparet. nam hoc etiam, extra militiam, aliquando indumentum erat ſan itare, Vlpiano auctore, in De auro & argento legato. Poſtremò quòd altera Sagi forma fuerit inſigne imperatorum & ducum, Græcis χλαμὺς, aut potius χλανὶς Polluci ἱμάτιον λεπτὸν, mecum fatebitur qui excuſſerit hęc Athenæi verba 5 lib. πρῶτοι μὲν, ἔφη, εἰς τὸν ὄχλον ἀπεργόντες σειληνοὶ πορφυρᾶς χλανίδας, οἱ δὲ φοινικίδας ἠμφιεσμένοι. id eſt, Sileni, qui primi turbam coërcuerunt, alij quidem purpurea ſaga, alij verò punicea induti fuere. in eandē ſententiam apud Aeſchinem ait Thomas magiſter legi, χλανίσκιον. εἰ γάρ τις σοῦ τὰ κομψὰ ταῦτα χλανίσκια περιελόμενος. ſi quis enim tua ornata hæc ſagula abſtulerit. Multa liceret adducere alia argumenta ad hanc rem; verùm ne cui ſim tædio mea prolixitate, ſatius eſſe duxi paucis placere, quàm diſplicere pluribus. *Syrteis* De ſitu & amplitudine Syrtium maioris nempe, & minoris, vide Strabonem lib. 17. & Oroſium lib. 1. C. Iulius Solinus Polyhiſt. cap. 40. Varro, inquit, auctor eſt perflabilem ibi terram ventis penetrantibus, ſubitā vim ſpiritus citiſſimi, aut reuomere maria, aut reſorbere, &c. ipſum autem nomen à Græco verbo σύρειν deducitur, quod trahere ſignificat. Pomponius Mela lib. 1. cap. 7. Syrti, ait, ſinus eſt centum ferè millia paſſuum, quà mare accipit patens, trecenta quà cingitur, &c. *Cæcubum*. Cæcubum vinum & Setinum valde dicebatur concoctioni ciborū, quorum cruditas generat nauſeam, Albanum neruis, Surrentinum capiti & ſtomacho, Signinum profluuio ventris, Falernum à decimoquinto anno mediam ætatem habebat, corpori ſaluberrimum, vitiis caſſi, aluum ſiſtebat, & corpus alebat. *dulci Lyæo ſoluere*. ἐξ ἀντιτύπου. contraria namque contrariorum ſunt remedia: nam vt metus curáque animū cōſtringunt, ita eundē ſoluit *Lyæus*. ἐτυμολογικῶς ἀπὸ τοῦ λύειν, quod eſt ſoluere, nominatus.

IN MAEVIVM POETAM, quem deuouet horrendis tempeſtatibus.

Iambica Epodos x.

Mala ſoluta nauis exit alite,
Ferens olentem Mæuium:
Vt horridis vtrumque verberes latus,
Auſter memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus inuerſo mari,
Fractóſque remos differat.
Inſurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementeis ilices.
Nec ſidus atra nocte amicum appareat,
Qua triſtis Orion cadit.
Quietiore nec feratur æquore,
Quàm Graia victorum manus:
Cùm Pallas vſto vertit iram ab Ilio
In impiam Aiacis ratem.
O, quantus inſtat nauitis ſudor tuis,
Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis eiulatio,
Preces & auerſum ad Iouem:
Ionius vdo cùm remugiens ſinu
Notus carinam ruperit.
Opima quòd ſi præda curuo littore
Porrecta mergos iuueris:
Libidinoſus immolabitur caper,
Et agna tempeſtatibus.

COMMENTATOR.

PROFECTVRO & in tranſmarina fortaſſe migraturo malè imprecatur Mæuio, eíque augurium vult eſſe contrarium, vt mediis intercipiatur fluctibus. Mæuius autem Poëta fuit inimicus Horatij, obtrectator certè omnium virorum doctorum, ipſe ſectator vocum antiquarum, de quo Virg. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui. hunc ergo execratur proſequiturque diris execrationibus, coniurans tempeſtates & ventos, vt nauem eius opprimant in mediis fluctibus. *ſoluta*. nauis autem ſolui dicitur, quando de ſtatione vel portu dimittitur. vt, Soluite vela citi. *mala alite*. malo omine: Alitem feminino genere protulit, quia malum omen notat. ſic mala ducis aui domum. aliàs ferè maſculino proferunt Poëtæ, vt, Qualem miniſtrum fulminis alitem. & Virg. Namque volens rubra fuluus Iouis ales in æthra. *olentem*. putidum turpem, malum Poëtam, cuius carmina puteant nimia vetuſtate, vel ipſemet vitio corporis. vt *horridis*. Apoſtrophe iucunda προσωποποιητικῶς, quaſi præſenti Auſtro præcipiat perniciem Mæuij. *horridis*. periculoſis, crebris, tempeſtate criſpantibus. *vtrumque latus*. nauis qua vehitur.

vehitur Mæuius. *niger.* tempeſtatem mouens, tempeſtuoſus *rudentes.* funes ſunt in nauibus quibus vela panduntur. *inuerſo mari.* perturbato & commoto commutatóque. *differat.* diſſoluat & diſcindat. *inſurgat Aquilo.* qui flat ab alto, & idcirco grauiſſimas tempeſtates concitat. *quantus.* per ellipſim, tantus. *trementeis.* concuſſos, quia maiori ſubiacēt tempeſtati altitudine ſui. *nec ſidus atra.* Precatur Horatius, vt, qua nocte Orion occidit, & mare tempeſtuoſum reddit, nullum aliud ſignum arrideat Mæuio, vnde poſſit ſperare ſalutem. *atra.* nigra, obſcura, ſine lumine Lunæ. vt, nec candida curſum Luna negat *amicum.* proſperum. *qua.* nocte. *triſtis.* ab effectu tempeſtuoſus, quia in occaſu ſuo grauiſſimas excitat tempeſtates: vt, nimboſus Orion. *cadit.* occidit. vt, ſuadentq. cadentia ſidera ſomnos. *quietiore.* leniore, tranquilliore, minus concitato. *Graia.* optat Mæuio, vt non minus tutus ſit à naufragio quàm fuere plerique duces Græcorum poſt excidium Troiæ, quorum alij cùm ad montem Capharæum appuliſſent, tempeſtate in mare demerſi ſunt; alij ita deiecti, vt in Græciam redire non poſſent, excepto Pyrrho qui monente Helena, pedeſtri itinere in patriam eſt reuerſus. Vlyſſes & Diomedes, propter raptum Palladium è templo Mineruę, diu errauerunt. Vlyſſes diu per mare iactatus tandē vix nudus enatauit: Diomedes, ad Calabriā deiectus eſt, vbi Arpos condidit ciuitatem: Aiax iuxta Capharæum montem orta tempeſtate, ictus eſt fulmine à Pallade, ibique ſubmerſus, propter raptam de ſuo templo Caſſandram ſuam ſacerdotem Priami filiam. vt, Pallas ne exurere claſſem Argiuûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto, Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei? Deinde, illum expirantem transfixo pectore fixit. *vſto.* cremato. *vertit iram.* odium vertit in Græcos, quod prius in Troianos habuerat propter iudicium Paridis. *impiam.* in deos irreligioſam. *ò quantus inſtat.* Apoſtrophe Poëtica ad Mæuium, fingens nautas ſuos iam laborare, ipſum Mæuium eiulare, & in pallorem conuerti propter tempeſtatem imminentem. quale eſt illud Virgil. Heu quantæ cædes miſeris Laurentibus inſtant! *nauitis.* epentheſis, pro nautis. *ſudor.* metus. *tuis.* in periculo laborantibus. *luteus.* croceus: ſic dicimus Auroram luteam. *non virilis eiulatio.* ſed feminea, nam eiulatio eſt feminarum, vagitus infantum, clamor & gemitus virorum. *preces.* inſtant tibi. *auerſum.* duplex lectio eſt. vel auerſum, id eſt, non audientem vota tua, vt, Auerſa deæ mens. vel aduerſum, id eſt, contrarium, infenſum & iratum. *vdo.* pluuiali, aquoſo. *notus.* tempeſtatem mouens. *carinam.* nauem, ſynecdochicôs. *ruperit.* fregerit, & diſſoluerit. *opima quòd ſi præda.* promittit ſe tempeſtatibus ſacrificaturum, ſi Mæuij corpus in littore mergos pauerit. *opima.* pinguis. hinc initio dixit putidum, quia ſuperflua caro ſolet incaleſcens grauem generare putorem. ipſius itaq. corpus pingue ſignificat, quod, iam fluctibus marinis putre, in littus eiectum marinis auibus præda iaceat. *porrecta.* extenta, expoſita. vt, Quámque iacet medium Rhodope porrecta ſub axem. *inueris*, paueris. *immolabitur.* à me. *libidinoſus.* laſciuus. *caper & agna.* animalia pollicetur ſe immolaturum, pro interitu Mæuij, quæ eius affectibus conueniant. Caprum pro libidine & petulantia, potiùs quàm ratione ſacrificij: Agnum propter metum, quo ſignificat Mæuium timidū fuiſſe, & omnino effeminatum. Agna tempeſtatibus immolari eſt ſolita, ſed non caper. vt, Et tempeſtatibus agnam Cædere deinde iubet.

CRVQVIVS.

MALA *alite.* Lactantius in illud tertij Thebaidos, vt refert Deſpauterius, noctis vaga lumina teſtor, Et ſocios manes, & te mala protinus ales; vult ales femininum malum augurium ſignificare, maſculinum autem bonum omen: ego certè arbitrarer, Poëtas, ſiue inhibas, ſiue præpetes alites, vſurpaſſe femininè potiùs quàm maſculinè, non tam boni vel mali ominis, quàm rei ſacræ & religionis gratia, quæ in augurio exerceri, & haberi erat ſolita, ſicuti ſuprà epodo præcedenti notauimus, in ſacrificiis antiquitus obſeruatum feminas quàm mares diis fuiſſe gratiores. *olentem Mæuium.* Quandoquidem Commentator ſcribit hunc Mæuium antiquarum vocum fuiſſe ſectatorem, ego alteram illius opinionem veram dixerim, puta, Mæuium, tetri odoris notatum animi potiùs vitio, quàm corporis; primùm quòd inſulſus ſit & ineptus Poëta: deinde quòd libidinoſus & petulās vt caper, ſecundū illud Appuleij, Homo ſordidus, & hircina libidine fœtens; qua gratia caprum ſe pollicetur Horatius immolaturum, ſi medijs fluctibus opprimatur: poſtremò, quòd effeminatus, & timidus vt agna, non habeat aliquid viri aut prudentiæ in rebus ſuſcipiendis, cuius illum inſimulat nomine agnæ tempeſtatibus ſacrificandæ. Alterā verò commentatoris ſententiam, Mæuium ſcilicet, olentem dictum vitio corporis, non difficulter dicerem eſſe ſuppoſititiā, ex ea dictione ad finem huius epodi, Opima præda, nam opimum non ſemper pingue ſignificat, ſed etiam gratum; qua in ſignificatione, hoc loco mihi exponendum videtur; nam etiam notat aliquando magnificum & amplum, vt apud Feſtum, Opima

ſpolia, quæ populi Romani dux duci hoſtium detraxerat. Nolo tamen hic dicere ſudorem, & in obeſis corporibus incaleſcentibus, minus olidum eſſe quàm ſit hircus alarum & in macerrimis aliquando, & extenuatis prorſus corpuſculis; nam res ipſa, & humana conuerſatio docet vtrobique aliquando ineſſe pedorem grauiſſimum. *quantus.* vnus codex Blandinius hic habet qualis, ſed alia lectio magis conuenit, propter Aquilonis denſitatem, qua altas æquet humo turres, tectáque rapta ferat: hunc ventum deſcribit Ouidius 6. Metamorphoſ. *atra nocte amicum.* tacita antitheſis inter atrum quod triſte eſt, & infauſtum, & ſidus amicum: Sed omnia precatur aduerſa Mæuio, cælum, ſidera, ventos, noctem, maria, tempeſtatem, deos denique ipſos, ne euadat naufragium. *quietiore nec feratur æquore.* id eſt, perturbatiore, per litoten. verùm æquor perturbari, eſt contra etymon, quod ab æqualitate nomen inuenit: atqui quod eſt freti, hic ſine diſcrimine æquori datur Poëtis ſcribendi genere familiari. *pallor luteus.* à luto herba luteus color dictus eſt, qui calthæ flori reſpondet. Hinc in Corydone Virg. luteola caltha: pallor autem luteus, ingratiſſimus, & mortis propinquæ color eſt; conſtat enim ex fuluo pallidóque nigricantibus maculis, lineoliſque immixtis. meminere luti herbæ & Vitruuius & Plinius lib. 33. capite de Chryſocolla. *Ionius vdo cùm remugiens ſinu Notus.* codices Blandinij in hac lectione conſonant, quæ mihi probatior videtur quàm vulgata, tum quòd hic ventus Notus ex Ionia primarius ſit, vehementiſſimè in Adriaticum pelagus incumbens; tum quòd Notum precetur, vt vdo ſinu velorum, impetu vehementi diſſipet, rumpátque nauem qua vehitur Mæuius: idem enim ſupra precatus eſt Auſtrum, Eurum, atque Aquilonem. Deinde valde improprium eſt ipſum ſinum rumpere, & diſijcere naueis, quod, vel mediocriter docto, viſu facile eſt. Quòd autem hactenus vulgata lectio mutata non ſit, in cauſſa eſſe arbitror, epitheton, vdum, proprium ferè Noto: præterea cùm ſinum Ionium eſſe non ignorarent lectores, otiosè, *καὶ ἐκ περιόδου*, cetera expenderunt, vbi neque manifeſtum deprehenderent errorem, & quod non careat temeritate in auctoribus aliquid reſtituere, niſi magno iudicio id fiat, vel ex antiquis codicibus. *porrecta.* mortua. alluſio ad geſtum mortuorum qui pedes porrigunt ſeu extendunt. *agna tempeſtatibus.* nam Romanis ipſa Tempeſtas dea eſt credita, cui agnam nigri velleris immolabant.

AD PETTIVM CONTVbernalem, indicans occupato ſibi amore Lyciſci pueri non libere verſus ſcribere.

Epodos Elegiambica ſeu elegoiambica συναρτητῶν XI.

PETTI, *nihil me ſicut antea iuuat*
Scribere verſiculos, amore perculſum graui:
Amore, qui me præter omneis expetit,
Mollibus in pueris, aut in puellis vrere.
Hic tertius December, ex quo deſtiti
Inachia furere, ſiluis honorem decutit.
Heu me, per vrbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui! conuiuiorum & pœnitet.
In queis amantem & languor, & ſilentium
Arguit, & latere petitus imo ſpiritus.
Contrà ne lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium querebar applorans tibi,
Simul calentis inuerecundus Deus
Feruidiore mero arcana promorat loco?
Quòd ſi meis inæſtuet præcordiis
Libera bilis, vt hæc ingrata ventis diuidat
Fomenta, vulnus nil malum leuantia:
Deſinet imparibus certare ſummotus pudor.
Vbi hæc ſeuerus te palàm laudaueram,
Iuſſus abire domum, ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu, mihi poſteis, &, heu,
Limina dura, quibus lumbos, & infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitia, amor Lyciſci me tenet:
Vnde expedire non amicorum queant
Libera conſilia, nec contumeliæ graueis:
Sed alius ardor, aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

COMMENTATOR.

ALLOQVITVR Pettium amicum ſuum & ſodalem, dicítque iam ita ſe non poſſe componere carmina ſicut priùs, propter amores ſcilicet Lyciſci pueri quem diligebat. Nam priùs amauerat Inachiam meretricem, quæ quia plures habebat amatores, eóſque diuites, ſpernebat Horatiū. vnde indignatus dicit ſe ab amore illius receſſiſſe, & iam Lyciſcum adamare. In hac epodo prior verſus eſt Iambicus trimeter catalecticus. Poſterior eſt elegiambicus ſiue elegoiambicus, epodicus, conſtans

conſtans ex pentemimere dactylica, hoc mo lo, Scribere, verſiculos. & Iambico dimetro acatalecto, hoc modo, amo re per cuſſum graui. *Petti nihil me.* dicit ſe amoribus occupatum non habere animum ad verſus ſolito more ſcribendos. *nihil.* non. ἀναλλαγὴ partis. *amore.* Lyciſci. *amore qui me.* ἀναδίπλωσις amoris. vt, vos hæc facietis maxima Gallo, Gallo cuius amor tantùm mihi creſcit in horas, &c. *præter omneis.* vltra omneis. *expetit.* valde cupit. *hic tertius December.* μετάληψις: per tres enim Decembreis, gradatim ſignificat treis annos tranſactos, poſtquàm cœpit non amare Inachiam. *furere.* amare; vt hæc duo nomina, furor & amor, ita ſibi familiaria ſunt, vt alterum pro altero ſæpè ponatur: ſic furere & amare. *furere Inachia.* amare Inachiam. *ſiluis honorem decutit.* Ordo eſt, hic tertius December ſiluis honorem decutit, id eſt, hic tertius eſt annus: nam Decembrio menſe ſpoliātur arbores decore foliorum, Sole ad inferiores circulos deſcendente. Pridie namque idus Iunias, aut circiter, incipit Sol à nobis recedere, & ſuus ſuccus arbores deficere vſque ad pridie idus Decembrias, Sole ſcilicet à ſuperioribus circulis ſimiliter abeunte, & contrà, à 12. Decembris aſcendente Sole ad ſuperiores & aquilonares Zonas vſque ad 12. diem Iunij ſimul accedit ſuus vigor, & ſuccus arboribus. Itaq. quia menſe Decembri folia virtute & vigore ſucci carent, plurimùm cadunt. *honorem.* folia. vt ait Maro, Frigidus vt ſiluis Aquilo decuſſit honorem. *heu me per vrbem fabulæ quanta fui.* prius ingemit, pòſt cauſſam ſui gemitus exponit, per parentheſim inquiens, Nam pudet tanti mali. tantum malum dicit, quòd innotuit vniuerſæ ciuitati eius amor. *tanti mali.* tanti amoris & furoris in Inachiam: qua gratia ego fui fabula vulgo. *pudet.* pudere ad verecundiam, pœnitere ad factum pertinet. legimus in vita Horatij, illum hoc vitio plurimùm laboraſſe, adeò vt imaginem ſcorti in cubiculo proprio depictam libenter inſpiceret. *fabula quanta fui.* id eſt, quantum deriſus ab omnibus, quanta deriſio propter amores Inachiæ. *in queis.* quibus cùm intereſſem, languor, ſilentiū & ſuſpiria prodebant amorem meum. Quare pœnitet, inquit, me illis conuiuiis interfuiſſe in quibus ego deridebar, & obloquendi mihi cauſſam dedi. *languor.* pro pallore ponitur, nam ex amoris impatientia naſcitur triſtitia, ex qua languor, ex languore pallor, ſilentiū, & ſuſpiria, ex quibus, vt ex adiunctis ſignis, certò cognoſcitur amor: Amantes enim pallent, ſilent, gemunt, & ſuſpirant. *arguit.* approbauit. eſt præteriti temporis. *imo.* ab imo latere petitus ſpiritus, id eſt, ingēs gemitus & ſuſpiria ab imo producta. Latere, inquit, quia conſtat in ſuſpiriis latera vehementer laborare, & ſpiritu repercuti; vt non ineptè ſic definiatur, Suſpirium eſt ſpiritus ab imo latere petitus. *contrane.* Senſus eſt, numquid meminiſti, quòd in illis conuiuiis, quando incaleſcerem vino, & ſecreta mea tibi aperirem, & quererer tibi plorando, candidum meum ingenium, quia pauper eſſem, nihil poſſe apud Inachiam auaram, contra lucrū & riualium munera largiora? Per hoc autem ſignificat ſe amorem ſuum Pettio ſæpe inter conuiuia confiteri ſolitum. *lucrum.* munera riualium ditiorum. *candidum ingenium.* laus, commendatio, nobilitas ingenij, nihil habent gratiæ apud auarā puellam, ſine muneribus. *ſimul.* mox vt, poſtquam, vt, Quæ ſimul inuerſum cōtriſtat Aquarius annum. *calentis.* ebrij. *inuerecundus deus.* id eſt, Liber, quo liberius ſumpto omnis verecundia elabitur, adeò vt interdùm faciat nos non erubeſcere in his quæ tacenda ſunt: interdum autem, in, habet ἐπίτασιν, & tunc inuerecundus ſignificat valde verecundus, quod etiam Libero conuenit: vt, verecundumque Bacchum ſanguineis prohibete rixis. *arcana.* mea. *promorat.* promouerat, id eſt, excluſerat. *loco ſuo,* a ſecreto cordis, id eſt, vbi veritas ebrietate fuerat expulſa, querebar tibi de amoribus meis. *quod ſi meis.* Et hoc tibi in conuiuiis aliquando dixi. Quòd ſi in me aliquando commota fuerit libera bilis, id eſt, iracundia contra Inachiam, ſtatim eam deſinam amare, mihi non congruentem. *inæſtuet.* incandeſcat, commota fuerit. *libera bilis.* iracundia. nam irati liberius loquuntur, nec celant quidquam eorum quæ ſentiunt. *ingrata fomenta.* querimonias nihil gratiæ apud Inachiam habentes. *ventis diuidat.* in auras diſpergat, nihili pendat, obliuiſcatur. *vulnus.* amoris mei. *imparibus.* cū riualibus meis, quibus in muneribus largiendis impar ſum & inferior. *certare imparibus.* notanda locutio, ſicut apud Maronem, tibi certet Amyntas. *ſummotus pudor.* verecundia ex animo meo deleta, quæ modò in me cùm riualibus certat. *ſeuerus.* iratus. *te palam.* coram te. *laudaueram.* arroganter dixeram, quaſi conſtans in propoſito futurus eſſem. *iuſſus.* à te. *ferebar.* hoc verbo demonſtratur, & obiurgantis affectus, & incertus amatoris animus; iuſſio namq; Pettij illū rapiebat domū, amor contrà ad amicā. *incerto pede.* incertus ego vtrū manerem in ſententia, an non. *ad non amicos.* inimicos. *infregi.* valde fregi dormiens in humo dura. *limina dura.* quibus continetur dura illa Inachia. *nunc gloriantis.* Hæc ita ſunt ordinanda: Amor Lyciſci gloriantis ſe vincere mollitia quamlibet mulierculā, nunc tenet me, qui Lyciſcus puer pulchritudine ſe gloriatur & iactitat feminis omnibus præferri. Quæritur autem quòd nunquam

nunquam ab amoribus vacet. Antea quidem poteram, inquit, queri cùm Inachiam diligerem, nunc autem in Lyciſci pueri amore remedium inuenire nō poſſum, niſi me alius puer, aut puella ad ſe pelliciat. *unde expedire.* à quo amore liberare me, abſoluere me. *libera conſilia.* veri namque amici liberè ſolent de ícta amicorum redarguere ſtudio emendationis, atque illis apertè dicere, quæ ſibi videntur honeſta, & vtilia; nam nō eſt liberum quando dicenda tacemus, vel amore, vel terrore. *contumelia graues.* obiurgationes *ſed alius ardor.* amor oſtendit quòd amor nulla alia re pelli poteſt niſi amore, iuxta illud Tullij, in Tuſculan. Nouo quodam amore veterem amorem, tanquam clauum clauo eijciendum putant. *teretis pueri.* obeſuli, ſuras habentis teretes & rotundas, ſucco pleni. *renodantis.* in nodum colligentis, ſeſe ornantis, id eſt, pueri comati. Antea enim pueri formoſuli ſuam comam vitta nectebāt, vt compoſiti ſuis amatoribus magis placerent.

CRVQVIVS.

PETTI *nihil me.* Tametſi parùm interſit, Petti ne, an Pecti, legamus; ſeruaui tamen Petti, gemino t, propter antiquitatem codicum Blandiniorum, & annotationes carminibus aſcriptas. *ſicut antea.* an dicat Horatius ſe non ſolito more verſiculos ſcripturum, propter decem epodos præcedenteis, quæ omneis æquali filo decurrunt, cùm hæc epodos non vna & ſimplex, ſed mixta ſit ex pētemimeri Heroica, & Iambico dimetro συναρτητῶς, vt in omnibus ſcriptis libris, vel διαρτητῶς, vt à paucis hinc annis viri quidam doctiſſimi? an etiam propter argumenti nouitatem, quod in ſe artificioſam comœdiæ formam complectitur, vt poſtea demonſtrabimus, lectori diſcutiendum propono. *mollibus.* delicatis, formoſulis, obeſulis, vt ait Commentator in dictione teretis, in fine huius epodi; hic enim molleis pueros nominat quos illic teretes. *pueris aut in puellis vrere.* vnus codex Bland. hic habet, *& in puellis.* ſed vulgata lectio cum poſtremis huius epodi verſibus concordat, in diſiunctione; iccirco illam mutare nolui. *hic tertius December.* hic obiter lectorem monitum volui me ſolſtitium hibernum & æſtiuum in commentatore, reduxiſſe ad Ephemeridem ſeu Kalendarium quo nunc vtimur, nimirum æſtiuum ad decimum tertiū Iunij aut circiter, nempe Sole ingrediente primum punctum Cancri, vbi Colurus ſolſtitialis interſecat Zodiacum; & hibernum ad xiij. Decembris, Sole ingrediente primū punctū Capricorni: Nam in annotationibus manuſcriptis habetur, à xij. kal. Iul. vſque ad xij. kal. Ianuar. à ſuperioribus circulis, deſcendit Sol, &c. Rurſus à xij. kal. Decemb. vſque ad xij. kal. Iul. aſcendente Sole, &c. hunc ego errorem (ſi tamen erratū ſit) tacitus præterire non potui, quòd hic & elegantes characteres ſine litura vlla offenderim, & candē Solſtitiorū notam in his ſcriptis obſeruauerim ſæpius. Quid ſi quis dicat ante annos mille ſcriptos commentarios, nunc, prô dolor, miſerè laceros & dierum per tot annos acceſſione immutatam aut potius deperditam rationem kalendarij Romani? quod optimi quique & deplorarūt olim non emendari, & hodie etiamnum ſummis votis exoptant in integrum reſtitui. *heu me.* exclamatio pathetica per metatheſin ſenſuum. *nam pudet tanti mali.* coniunctio, nam, vim hîc habet aduerſatiuam, pro autem. *& latere.* quantitas huius vltimæ ſyllabæ, nulli debet eſſe curæ, longa ne ſit, an breuis, quandoquidem vltima ſyllaba cuiuſque verſus Grammaticis eſt communis: hæc autē epodos non vnicum metrū eſt, ſed compoſitum, ſiue mixtum ex pentemimeri dactylica priore, & iambico dimetro poſteriore. idem eſto iudiciū in illo, Inachia furere; deinde in fine epodi, Libera conſilia; poſtremò in concurſu vocalium ſine eliſione, Vincere mollitia, amor Lyciſci me tenet. *contraque lucrum.* hic ſecutus ſum codices Blandinios, & annotationes manu ſine vlla litura aut macula ſcriptas contra vulgatam lectionem, quam nō improbo, puta, Contráque lucrum &c. nam varietas lectionis gratior eſſe videtur, ad affectus amātis varios & multiplices exprimendos, qui poſt multa tandē victus amore, redit ad antiquum ingenium, fitque placidus, & amicæ ſupplex. *lucrum.* Inachiæ pro lucro munera ſunt riualium Horatij, cōtra quæ conqueritur nihil poſſe ſuum ingenium candidum, id eſt, carmina ſua ad Inachiam candoris & fauoris plena, quibus apud illam cum riualibus ſuis diuitibus de amore contendebat quidē ſed illa carmina, cùm verba ſolùm darent, ab auara Inachia minoris habita ſunt quàm largitiones riualium. *quòd ſi meis.* Horatius Inachiæ iras minatur quidem, ſed per hypotheſim (vt ſolēt, quibus præ amore animus pendet & oratio) nam ſi debeat illi aliquando iraſci, pollicetur tantò liberiore ira, (ſummota prius verecundia qua hactenus illam fuerat amplexa) ſe palā omnibus illam obiurgaturū, & tantis conuiciis oneraturū, quantò antea maiore ingenij ſui candore, quantíſq. gratioribus laudibus, euigilarat illam commendare, potiſſimùm quòd intelligat pro donis ab illa non haberi nobileis huiuſmodi, & gratiæ plenas chartas, videatque illas non modò non fouere in eius animo, aut nutrire amores, qui ſuum illud amoris vulnus, aliquo fauore ſubleuarent; ſed etiam ingratas

grataſ illi eſſe, & viliores muneribus ſuorum riualium. *libera bilis.* quæ increpando, vt nihil ſperet maioris beneuolentiæ, ſi taceat vitia, ita non metuat plus indignationis, ſi eloquatur tacenda. *ingrata.* Inachiæ, quia non erant lucroſa. *fomenta.* amatoria munera, quæ non ſuum, ſed ſui amorem fouere deberent in Inachia. *deſinet imparibus certare ſummotus pudor.* huius carminis, vt arbitror, hæc eſt ſententia: Pudor paupertatis meæ, quæ vetat me magnificis donis explere auiditatem meretriciam: ſummotus liberiore ira in me exæſtuante tantùm non deſinet de amore cum imparibus & ditioribus riualibus amplius candidè & verecundè certare, verùm etiam erumpet in apertam contumeliam, atque hæc fomenta Inachiæ ingrata ventis diuidet, id eſt, in vulgus populumq́. diſperget, ac manifeſtabit auaram illam, non amoris laudes, & munuſcula candidi, ſed munera ſequi ditiorũ. hic ego ventos interpretor leuitatem popularem, qua veluti mare quoddam re.publica concitatur. *laudaueram.* quaſi laude digna me facturum iactaueram. *ferebar incerto pede.* hypallage, pro, incertus ego quò irem, quidue agerem. *ad non amicos, heu, mihi poſteis & limina dura.* Si quis in hac epodo priora poſterioribus cõferat, facilè animaduertet Horat. in ſuis his amoribus nihil aliud quã κωμῳδίαν διδάσκειν: nam & ſolitum ſcribendi ſtudium neglexiſſe ſe fatetur, & ita ſe excæcatum amore, vt etiam exiſtimatione & fama ferè perdita, ipſe vulgo cœperit eſſe fabula; interea tamen tanquam ſui oblitus, ad amorem fouendum Inachiæ munera cõfert, in quibus cùm ſe à riualibus victũ, minus ab Inachia admitti percipit, accedit ad amicos, conqueritur de iniquis amoribus, conſiliũ rogat; tamen iras minatur Inachiæ & conuicia; ſe virum pollicetur niſi intromittatur: tandẽ ab amicis obiurgatus, & abire iuſſus, vbi pati non poteſt, vltrò ad eam venit, indicans ſe amare & ferre non poſſe, vt inquit Terentianus ille Parmeno.

IN LIBIDINOSAM Canidiam conuerſo nomine.

Epodos Heroica XII.

Qvid tibi vis mulier nigris digniſsima barris?
Munera cur mihi, quidue tabellas
Mittis nec firmo iuueni, neque naris obeſa?
Namque ſagacius vnus odoror,
Polypus, an grauis hirſutis cubet hircus in alis:
Quàm canis acer, vbi lateat ſus.
Quis ſudor vietis, & quàm malus vndiq; mẽbris
Creſcit odor, cum pene ſoluto,
Indomitam properat rabiem ſedare: nec illi
Iam manet humida creta, colórque
Stercore fucatus crocodili: iamq́; ſubando
Tenta cubilia, tectáque rumpit:
Vel, mea cùm ſæuis agitat faſtidia verbis:
Inachia langues minus, ac me.
Inachiam ter nocte potes mihi ſemper ad vnum
Mollis opus, pereat malè, quæ te
Lesbia quærenti taurum monſtrauit inertem:
Cum mihi Cous adeſſet Amyntas,
Cuius in indomito conſtantior inguine neruus,
Quàm noua collibus arbor inhæret.
Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ,
Cui properabantur? tibi nempe:
Ne foret æquales inter conuiua, magis quem
Diligeret mulier ſua, quàm te.
O ego non felix, quam tu fugis, vt pauet acreis
Agna lupos, capreæq; leones.

Commentator.

Invehitvr in Canidiam fœdam ac libidinoſam, quæ appetens eius amplexus, ſolita erat ipſum diptychis ad coitum illicere. Hæc epodus conſtat ex ſenario epico ſiue heroico, & tetrapodia heroica, ſiue quadrato dactylico epodico. *quid tibi vis.* dum cupis me ad amorem tui flectere. *nigris.* deformibus. *barris.* elephantis Aethiopicis. Barri ſunt elephanti: hinc barritus & barrire, elephantorum more ſonitum emittere, vnde ebur etiam à barris dicitur, & lyra barbiton vocatur, quòd ebore ornetur. Elephanti autẽ auerſi coëunt ſicut cameli, equi, canes. dicit itaque Poëta tantæ deformitatis illam eſſe, tantíque fœtoris, vt nullus poſſet cum illa concumbere niſi auerſus more barrorum: ideóque ait eam ita debere alicui iungi, vt facies eius videri non debeat. *tabellas.* epiſtolas diptychas in quibus ſollicitas me ad tuam libidinem. *nec firmo iuueni.* mihi non adeò valido & forti vt poſſim ſufficere tuæ libidini, quæ eſt inſatiabilis. *iuueni.* qui interdum etiam cum fœdis animalibus coëunt, cùm calor iuuenilis fuerit excitatus. *neque naris obeſa.* obturatæ nec odorẽ ſentientis. Obeſum dicimus pinguem, & craſſum. Virg. de equo obeſa terga, id eſt, pinguia. Sed hoc loco pro obturato, & clauſo, poſuit obeſum: nam pinguedine nimia ſolent obturari corporis ſpiracula. Quare, inquit Horat. nõ habeo obturatas nareis, vt poſſim tuũ ſuſtinere fœtorem, ſed patulas,

quoniam ſagacius odorari poſſum fœtorem libidinoſæ mulieris, vel meretricis, quàm canis aprum. hoc ait Horat. quaſi illa tales debeat quærere qui craſſi ſint & non odorentur. *ſagacius.* id eſt, citius & acutius ego ſolus odoror, vtrum polypũ habeat mulier, an grauem hircum in alis ſuis, quàm rimatur canis cubilia ferarum. *polypus.* genus eſt morbi, & narium vitium: hinc polypoſus dicitur qui nares habet fœtentes. *grauis.* noxius, graueolens. *hirſutis alis.* piloſis axillis. *hircus.* odor axillarũ, inſtar hircorum fœtens, qui putor in libidinoſis, ex ſudore pilis alarum inhærente, grauis percipitur. *quàm canis.* odoratur. *quis ſudor vietis.* iſtud pronunciandum eſt vehementius, cum exclamatione, in abominationẽ huius meretricis. *quis ſudor vietis membris.* tortis, ſenilibus, rugoſis; vt Terentius, vetus, vietus, veternoſus. *membris.* libidine victis, vel ſenectute deficientibus, nam vieta membra dicuntur viribus carentia, & præ ſenectute curua. *quàm malus odor.* quàm teter pędor. *cum pene ſoluto.* id eſt, veretro euirato. hic penis ab hoc pene tertię inflexionis, ſignificat membrum virile, quod & mentula vocatur. *ſoluto.* euirato, nec vllá vim habente propter faſtidium tui, vel delaſſato poſt coitum. *indomitam rabiem.* nimiam libidinem & inſaturabilem. *properat.* libidine in Venerem prouocata. *ſedare.* explere. *neque illi.* ſententia eſt: Tantæ libidinis eſt illa fœtida anus, vt dum vellet explere ardorem libidinis, tanto motu agitaret ſeipſam, vt præ ſudore de facie flueret variorum colorum compoſitio, qua ad nitorem ori præſtandũ, ſolent vti meretrices deformes. *humida.* ex ſudore. *creta.* qua faciem inficit: cretam hic appellat ceruſſam, quæ cretæ candidiſſimæ eſt ſimillima, fitque ceruſſa ex plumbo & aceto. Solẽt autem meretrices ex ceruſſa, purpuriſſo, quod ſtibio adhibetur, & ſtercore crocodili efficere fucum, quo faciem illinunt, ad pulcritudinem augmentandam. *fucatus.* tinctus, coloratus. fucus autem herba eſt qua veſtes tinguntur. hinc fucare, tingere dicimus. *fucatus* etiam eſt non verus, falſus, ſuppoſiticius, non natiuus, qualis eſt cui admiſcetur ſtercus crocodili. *iámque ſubando.* Subare propriè dicuntur ſues, quando libidinantur. hîc autem *ſubando,* id eſt, ſupra virum ſe agitando: hinc propter libidinẽ ad alia animalia, atque etiam mulieres tractũ eſt. *cubilia.* lectum intortis funibus, vel faſciolis tentum. *tectáque.* coopertoria lectuli ſtragula. Iuuenal. Cadurcum nominat & inſtitam. *rumpit.* ſeſe agitando. *vel mea cum ſæuis.* vel ſubaudiendo ſeu repetendo, quantus eſt ſudor membris. *cum agitat.* ciet incumbendo, ſuccumbendo. *mea faſtidia.* meum penem langueſcentem, & illam faſtidientem. *ſæuis.* iracundis dictis increpans, me minus apud eam valere. *Inachia langues minus.* hæc verba ſunt Canidię, obiurgantis Horatium, quòd ille citatiorem Venerem cum Inachia exerceret, quàm cum ipſa; languidior es, inquit, apud me quàm apud Inachiam, minus langues, id eſt, minus deficis, validior es in illa quàm in me, quia plus illam ardes. *ac me.* quàm me. *petes.* ſubaudi inire. *vnum opus.* coitum. *mollis.* es debilis, laſſus. *pereat qua.* execratur Canidia Lesbiam, quæ ei laudauerat Horatium fortem eſſe ad oſcula. Lesbia aut lena eſt, aut obſtetrix: illis enim ſolẽt honeſtiores paulò, conſilia ſua, & deſideria patefacere. *quærenti.* mihi. *taurum.* fortem virum. *inertem.* pigrũ ad hoc opus. *Cous.* de Coo inſula. *Amyntas.* iuuenis robuſtus, & potentia validus. *in indomito.* indefatigabili ac forti. *conſtantior.* fortior, firmior, erectior. *neruus.* penis, veretrum. *noua.* nouella, iuuenis. *muricibus Tyriis.* purpureo cruore. Murices piſciculi ſunt marini, quorum ſuccus eſt purpura; hinc purpura ipſa aliquando vocatur murex. *iteratæ vellera.* iteratæ lanæ vellera, id eſt, bis tinctæ: purpuram autem quæ iterum tincta eſt, dibaphan nominant. *cui properabantur.* accelerabantur à me; exprobratio mollis & blanda, quaſi dicat, veſtem tam pretioſam, cuius vſibus tantum feſtinaui parare & texere? tuis nempe. *tibi nempe.* ad tuum opus. *æqualeis inter.* anaſtrophe, ne eſſet inter ſocios coæuos. *conuiua.* aliquis. *mulier.* vxor. *quàm te.* ſupple ego diligam: hoc eſt, ideo hęc purpura dibapha tibi à me properè conficiebatur, ne inueniretur aliqua ex cõuiuis tui æqualibus, vxor, quæ maritum magis diligeret, quàm ego te. *ô ego.* exclamatio amatoria. *non felix.* infelix. *vt,* ſicut. *capreaq́.* pauent.

CRVQVIVS.

QVID *tibi vis mulier &c.* In vno cod. Blandinio hanc inueni inſcriptionem: Ad Canidiam meretricem. Primus ſenarius epicus, ſecundus quadratus dactylicus epodicus qui eſt clauſularis, dictus ab Epo auctore. Hinc conijce lector, cuius te moneo ſæpius, quàm miſerè barbari illi Doctores lacerarint, atque perdiderint, quę in cõmentariis doctiſſimorum virorum intelligere non potuerunt. *barris.* Barri dici poſſunt geruli aduſti perpetuo Sole valido & ſucculento corpore, quos ideo nigros vocat, nõ etiã, vt arbitror, analogia ab elephantis accepta, vt habet Commentator; qui vt magno erant animi ſtupore, ita nullo nitore corporis, nulla munditie gaudebant, homines plebeij & moribus planè impoliti: vnde & barros amaros illos & inſuauis conuerſationis homines, quorum meminit in Satyris Horatius, dictos autumem, niſi

etiam

etiam de ijſdem hic Poëtam agere quis malit. Diſpiciat itaque lector, vtrum horũ ſententiæ Horatianæ magis congruat. *nec firmo iuueni neque naris obeſa.* in hac lectione non diſſentiunt verſus ſcripti, ſed in annotationibus habetur, nõ firmo iuueni neque &c. obeſæ. obeſus, ut Paulus, pinguis quaſi ob edendum factus. *polypus.* πολύπους Latinè vertitur multipes, genus eſt venenoru animalium à multitudine pedum. è quibus piſcis multipes πετρεφυὴς πολύπους nominatur à Phocylide: & analogicos πολύπους dicitur tuberculum in naribus, præter naturam nutriuorum, & narium vitiũ. hinc ſumta ſimilitudine, vel quòd ad pedum multitudinem multas habeat radices, aut quod, vt piſcis acetabulis venãtes inuadit, ita hic nares occupat vſque ad ſermonis & anhelitus impedimentum. Galenus lib. 3. κατὰ τόπους ca. 3. de eodem malo vide Corneliũ Celſum lib. 7. cap. 8. *creta.* creta hic aut eſt annularia, qua muliebres picturę illuminantur, teſte Plinio lib. 35. cap. 6. aut Cimolia ad purpuriſſum inclinans, eiuſdem lib. cap. 17. *crocodili.* de crocodilis vide Plin. lib. 28. cap. 8. vbi inter cetera ſcribit crocodileam illitam ex oleo Cyprino, moleſtias in facie enaſcentes tollere, varoſque ac omneis maculas, nitoremque reddere. Idem ſentit Paulus Aegineta de fimo terreſtris crocodili. quod Plin. alterius crocodili inteſtinis aſcribit, id Dioſcorides, fimo ſtercoríque, quem Aegineta exteríque ſequuntur, tribuit. *tenta.* interpretationem Lamb. hic amplector pro pene tentigine arrecto, id enim cõijcio ex his verbis Acronis ſuppoſiticij, habet, inquit, hic turpia verba quæ ego faſtidio nec ponere volo. *cui properabantur?* vnus cod. Bland. hic habet, *cui properabuntur?* in futuro promiſſiuo. hæc lectio ſi placeat, vt mihi certè non diſplicet, habebit ſubiectionem ironicam: Solent enim mulieres habere neſcio quid vanæ pollicitationis in huiuſmodi amoribus, vt inuitent & incitent amantes ad acrius deſiderium.

AD AMICOS COMICOS.

Epodos Iambelega συναφητῶς XIII.

HORRIDA tẽpeſtas cælũ cõtraxit: & imbreis
Niueiſq; deducunt Iouẽ. nũc mare, nũc ſilua
Threicio Aquilone ſonant. rapiamus amici
Occaſionem de die: dumq; virent genua,
Et decet, obducta ſoluatur fronte ſenectus.
Tu vina Torquato moue conſule preſſa meo.
Cetera mitte loqui. Deus hæc fortaſſe benigna
Reducet in ſedem vice: nunc & Achæmenia
Perfundi nardo iuuat: & fide Cyllenæa
Leuare diris pectora ſollicitudinibus:
Nobilis vt grandi cecinit Centaurus alumno:
Inuicte mortalis dea nate puer Thetide,
Te manet Aſſaraci tellus: quam frigida parui
Findunt Scamandri flumina, lubricus & Simois.
Vnde tibi reditum certo ſubtemine Parcæ
Rupere: nec mater domum cærula te reuehet.
Illic omne malum vino, cantúque leuato
Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis.

COMMENTATOR.

HORTATVR lepidos ſuos ſodales ad conuiuium, nacta ex hoc occaſione, quòd pluuio cęlo tempeſtuoſus ſit aër, quo nihil aliud agi poſſit. Epodos eſt iambelega, nam prior pars eſt iambus dimeter acatalectus, qui hoc modo ſcanditur: niues que de ducunt Iouem. Poſterior eſt pentemimeris elega, hoc modo, nunc mare nunc ſil uę. Aut hęc epodus cõſtat ex priore verſu epico ſeu heroico quadrato: poſteriore ex iambico dimetro & pentemimere dactylica. *horrida.* pluuioſa. *cælum.* cælum hic pro nubibus poſuit; itaque contraxit cælum, id eſt, nubes coëgit, ac per hoc denſas tempeſtates effecit: vel contraxit cælum, id eſt, nubibus obduxit, obſcurauit. vt, atque in nubem cogitur aër. *deducunt Iouem.* deſcendentem ad terrã, quia aër quaſi ad terrã deducitur, magnitudine & pondere pluuiarum, & niuium, dum effuſim in terrã decidunt. *Threicio.* Thracio. à Thracia flat Aquilo ventus Borealis frigidiſſimus. *occaſionem.* opportunitatem conuiuij & epularum. *de die.* ſic alibi, partem aliquam de die ſumere, dixit. *de die.* iſto quia pluuius eſt. *dúmque virent.* valent genua, id eſt, dum adhuc ſumus viri validi. *decet.* nos per ætatem indulgere genio. *obducta fronte.* ſeuera, ac per hoc in rugas contracta; vel obducta, id eſt, contecta, triſti. vt Virg. Et obductum verbis vulgare dolorem. *ſenectus.* id eſt, memoria ſenectutis. dũ, inquit, fortes, & iuuenes ſumus, longè ſit à nobis ſeueritas ſenum, & indulgeamus voluptati, omni ſemota triſtitia, quæ corrugat frontem. *tu vina Torquato.* Alloquitur puerum, vt proferat vina quæ ſunt preſſa, gerente conſulatum L. Manlio Torquato, ſub quo ipſe natus eſt: vnde ipſe ad Amphoram, O nata mecum conſule Manlio. Itaque iubet vinum afferri natale & ſibi coæuum. *moue.* miſcendo. *preſſa.* expreſſa, calcata & effuſa in cados. *meo conſule.* quo ego natus ſum. *cetera mitte loqui.* de alijs rebus ad conuiuia nihil pertinentibus,

tinentibus, ne ſis ſollicitus. *hac.* de quibus nunc es ſollicitus. *reducet.* reuocabit in ſuum ſtatum, & tranquillitatem priorem. *benigna vice.* id eſt, deus ipſe benignus fortaſſis reſtituet omnia meliore viciſſitudine, & reddet tibi ſtatum priſtinum, mærore depulſo. fortaſſe conſolatur amicum in triſtitia conſtitutum. *nunc.* dum pluit hilari ſimus. *Achæmenia.* Perſica ab Achæmene Perſarũ rege, cuius ira ſedari non poterat, niſi cæde duodecim hominum. Sedulius, Cuius Achæmeniam rabies accenderat iram, &c. Perſæ primum dicuntur inueniſſe vſum nardi. *iuuat.* libet. *fide Cyllenia.* lyra Mercuriali, quam Mercurius inuenit. *fide.* chorda. à parte totum. *Centaurus.* Chironem Centaurum ſignificat nutritorem Aeſculapij Dei, Iaſonis, & Achillis, quem docuit tangere citharam, atque illi prædixit quòd à Troiano prœlio nõ eſſet reuerſurus domũ; verùm hoc ei dedit conſilium, vt, quia decreta fatorum nequaquam vitare poterat, tactu citharæ, & vini potatione ad Troiam, leniret dolorem ſuum, vt vel ſic mortis vicinitatem non recordaretur. *alumno.* Achilli, quem nutrierat. *inuicte.* hæc verba ſunt Centauri ad Achillem, prædicentis illi ſua fata. *inuicte.* quia nec vinci, nec vulnerari poterat, propterea quod ſua mater illum Stygiis vndis intinxerat. *mortalis.* quia vulnerabilis erat mortaliter in ea parte pedis qua mater illum manu tenebat, dum illum in Stygiam paludem immergeret. *nate.* genite. *Thetide.* nympha & dea maris. *te manet.* te expectat tuis quidẽ manibus euertenda, ſed ibi ſepeliendum. *Aſſaraci tellus.* id eſt, Troia. Aſſaracus fuit pater Capydis, Capys autem Anchiſæ; per nobilem ergo familiã, intelligit patriam. *parui.* id eſt, exigui. aut ſi praui legas, id eſt, tortuoſi, non recti, ſinuoſi. *Scamander*, aliter dictus Xanthus, & *Simois*, fluuij Troiani ex Ida mõte defluentes. *findunt.* præterfluunt, ſulcant, diuidunt. vt, vbi tot Simoïs correpta ſub vndis, Scuta virûm, galeáſque, & fortia corpora voluit. *lubricus.* limoſus, labens. *vnde.* à Troia. *ſubtemine.* filo, quod ſtamini intexitur, quia certa ſunt fatorum ſtamina. vt Virg. extremáque Lauſo Fila legunt Parcæ. *rupere reditum.* ad filum hoc referendum eſt, quod Atropus dicitur ſecare. *mater cærula.* Thetis mater marina, per quam vult intelligi metonymicõs ipſum mare. *cærula.* marina, à cyaneo colore maris. *deformis.* quia triſtitia deformes facit. *ægrimonia.* triſtitiæ: ægrimonia eſt animi triſtitia: acrimonia, vigor eſt animi. Ne, inquit, contriſteris propter fata impendentia, ſed lætifica te, & mæſtitiam obliuiſcere vino atque cantu. *dulcibus alloquiis.* familiarium ſermonibus & amicorum communicationibus debes diſſoluere quicquid tibi imminet triſtitiæ.

CRVQVIVS.

IMBREIS *niueiſque deducunt Iouem.* tanquã comites aëris tempeſtuoſi & in terras incumbentis, cum ventis validiſſimis, qui per Aquilonẽ Thracium denotantur, quibus Iuppiter, qui aëri præſidet, fertur per aërem, maria & terras. *horrida tempeſtas.* per tempeſtatẽ horridam, videtur Horatius, ſuo more ſignificare tumultum aliquem ciuilem, aut alicuius principis graueis iras, & minas in amicos ſuos quos hortatur ad hilaritatem dum tempus datur, ſi Deus ipſe, qui fortaſſe Auguſtus eſt benignior factus, animum ſuum commutauerit. *niueiſque deducunt.* hic verſus in omnibus libris ſcriptus συναφητικῶς legitur, ſed ab hinc annis aliquot viri doctiſſimi διαιρετικῶς, id eſt, diuiſim legerunt & euulgarunt; quod non diſplicet, etiam ſi veteres συνεχῶς, id eſt, coniunctim legerint. quod & Ode 11. ſuprà monuimus. *Threicio aquilone.* ſine eliſione vocalium. *rapiamus.* rapere verbum, aut vim notat, aut feſtinationem. monet itaque nõ eſſe aut deliberandum diutius, aut cunctandum de genio indulgendo, quandoquidem omnis mora, quantumuis breuis, eſt ingrata, vbi deſideratæ rei potiundæ occaſio præſens adlubeſcit. *dúmque virent genua.* in genibus robur corporis, vim, potentiam, atque adeò vitam repoſuiſſe videtur ipſa natura, vt non fruſtra his vocibus, genu, & genus, ferè ſine diſcrimine vſa ſit antiquitas, quòd in genibus vitalitas, & præſens gignendi vis ineſſe credatur, teſte Heſiod. ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις, Μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρότατοι δέ τοι ἄνδρες Εἰσίν, ἐπεὶ κεφαλὴν καὶ γούνατα σείριος ἄζει. id eſt, Cuncta ſalax vxor, ſed debilis ipſe maritus, Cùm genua atque caput damnoſa Canicula adurit. & paullò poſt inquit, φίλα γοῦνατα, &c. Quòd autem in his præcipua quædam ſit vita, teſtatur Homerus ὅθεν ἐξ ἀνδρῶν ὑπὸ γούνατα ἔλυσε, virorum genua ſoluit, hoc eſt, vitam eripuit. Plin. lib. 11. cap. 45. Genibus hominis, inquit, ineſt quædam religio obſeruatione gentium, hæc ſupplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorãt, fortaſſis quia ineſt iis vitalitas, &c. atque ob eam cauſſam Miſericordiæ ſacra ſunt. *cetera mitte loqui.* Aphæreſis pro omitte. tale eſt illud Ode 9. lib. 1. permitte diuis cetera. *Deus hæc fortaſſe benigna* an vicem hic accipiamus pro rerum & temporum viciſſitudine, qualem deſcripſit Ode 7. lib. 4. an pro ſtatu tranquilliore ſuorum amicorum, diiudicet lector. Commentator certè in alteram partem magis inclinatur, cui ego non grauatim ſubſcripſerim, propter argumentum Achillis. *leuare.* ſubleuare, ἐπικουφίζειν. *grandi.* non grandæuo, vel adulto, ſed forti, & nobili. *flumina.* fluctus aquarum decurrent. am. *deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis.* ita habent

ita habent quatuor cod. Bland. ſine vlla copula: quod etiam obſeruauit Lambinus accuratiſſimè in omnibus antiquis codic. quos ſe vidiſſe ait, cuius etiam doctiſſimam interpretationem multũ approbo, vt per epexegeſim exponamus hunc locũ, nimirum hoc modo: Illic leuato omne malum vino cantúque dulcibus alloquiis, id eſt, quæ ſunt alloquia dulcia & quaſi ægritudinis tuę ſolatia. quod autem Commentator habet dulcibus alloquiis, id eſt, familiarium ſermonibus, &c. non dubito illud eſſe ſuppoſiticium: ipſa tamen verba omittere non potui, quia in tribus cod. ſine vlla macula illa adſcripta inueni. Sed in quarto cod. ad marginẽ quidem hoc ſcriptum erat, lætifica te, & mæſtitiam obliuiſcere vino atque cantu, vt vides in Commentatore; verùm ſupra hæc verba, dulcibus alloquiis, notata fuit hæc vox, ſociorum. vnde omnem errorem prorſus arbitror eſſe natum; nam puto commentatores antiquos expoſuiſſe hæc verba, dulcibus alloquiis, ſubaudiendo ſonorũ; pulſanti enim lyram fides clarè reddunt ſua quædam alloquia, eáque dulcia & conſolatoria: atqui eã ſententiam cùm barbari homines non intelligerent, facilè pro ſonorum, ſuppoſuere, ſociorum. quam deinde expoſitionem alij docti licet incurij tamen aliis quaſi per manus tradiderunt, addita copula &, hoc modo: *deformis ægrimonia & dulcibus alloquiis.* ſociorum, pro ſonorum. Muretus etiam vinum ſimul & cantum interpretatur alloquia, quòd apud Latinos olim alloqui eſſet quod Græcis παραμυθεῖσθαι aut παρηγορεῖν. itaque alloquia ſunt ſolamina malorum.

AD MÆCENATEM.

Epodos Iambica XIIII.

MOLLIS *inertia cur tantam diffuderit imis*
Obliuionem ſenſibus,
Pocula Lethæos vt ſi ducentia ſomnos,
Arente fauce traxerim,
Candide Mæcenas, occidis ſæpè rogando.
Deus, Deus nam me vetat,
Inceptos olim, promiſſum carmen, iambos
Ad vmbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arſiſſe Bathyllo
Anacreonta Teium:
Qui perſæpe caua teſtudine fleuit amorem
Non elaboratum ad pedem.
Vreris ipſe miſer. quod ſi non pulchrior ignis
Accendit obſeſſam Ilion:
Gaude ſorte tua. me libertina neque vno
Contenta Phryne macerat.

COMMENTATOR.

FREQVENTER imprecatus à Mæcenate Horatius quòd nimijs amoribus diſtentus, carmina olim inchoata turpiter deſereret; reſpondet illi Horatius, amorem quidẽ in cauſſa eſſe, ſed ipſùm non debere hoc illi exprobrare, quòd ipſe quoque detineretur amore puellæ. Hæc epodus conſtat ex ſenario epico proodico & binario iambico acatalecto epodico. *mollis.* quia molleis, & ſegneis facit. *inertia.* animi torpore. *diffuderit.* infuderit, immiſerit. *imis ſenſibus.* meis præcordiis. *ducentia.* generantia. *Lethæos ſomnos.* id eſt, dicis me ita oblitum promiſſi carminis, quaſi biberim pocula Lethęi fluminis infernalis, ex quo qui potant, obliuiſcuntur omnium rerum. hinc lethęus ſomnus, lethargus dicitur. *arente.* ſitiente. *traxerim.* biberim. Virg. 6. Aeneid. Lethæi ad fluminis vndam Securos latices & longa obliuia potant. *candide.* bone. *occidis.* crucias me. *rogando.* interrogando me obtundis. *Deus, Deus.* reddit cauſſam ſuæ ceſſationis, dicens ſe à Cupidine prohibitum, ne cœptos olim iambos ad vmbilicum, id eſt, finem tam citò perduceret. *me vetat.* id eſt, vis ſcire quid mihi infuderit obliuionem? Amor qui & te ſollicitat. *promiſſum carmen iambos.* epexegeſis. *ad vmbilicum.* ad finem & perfectionem. ſumta metaphora ex vmbilico corporis, ad cuius figuram ex oſſe, ligno, aut alia materia vmbilici formati, libris addi & apponi ſolent, ad conſeruationẽ & ornatum. Ad vmbilicum adducere, pro finire, naturale, & proprium eſt; nam corporis in vtero formati, in vmbilico finis eſt & concluſio, iccirco in medio corpore exiſtit, ſuperioris corporis finis, & inferioris partis initium. *Bathyllo.* nomen eſt pueri adamati ab Anacreonte, cuius amorem ſcripſit, nõ ita perfecto & elaborato pede, quàm dulcibus modulis. *Teium.* à loco & ciuitate, vnde fuit oriundus, vt alibi, Et fide Teia dices laboranteis in vno. *caua teſtudine fleuit.* periphraſis eſt lyræ. *amorẽ.* Bathylli. *elaboratum* perfectum, perductum. *pedem.* finem. *vreris ipſe miſer.* amas tu quoque. *pulchrior ignis accendit.* id eſt, ſi Helena, quæ fuit cauſſa incendij & ſubuerſionis Troiæ, non fuit ſpecioſior quàm Terentia, quam deperis, illa vtere, & gaude fato tuo, quo nactus es puellam tam pulchram. Mirè autem dicit vreris, deinde ignis: alterum, propter amorem qui exurit amanteis, alterum, propter incendium Troiæ. *gaude.* vtere, gloriare. *me libertina.* oſtendit ſe no eſſe eius dignitatis, vt in amoribus cum Mæcenate certare velit, & iccirco ait

ſibi ſufficere, libertinam Phrynen, ex ancilla liberam factam, quæ etiam nõ ſibi propria erat, ſed cum multis communis. *vno.* amatore. *contenta.* nempe meretrix. *macerat.* torquet amore.

CRVQVIVS.

MOLLIS *inertia.* Periphraſis amoris, qui ſegnitiem habet comitem, hoc eſt, nullius rei, vel vtilis, vel honeſtæ curioſum laborem: dicitur enim Segnitia, definitore Paulo, quòd ſit ſine nitendo quid vtile aut honeſtum. Ignauia. ῥᾳθυμία, μαλακότης, quæ facilè diſſoluit omneis animi vireis; & hebetat, vt canit ille, Cumque animus languet, conſumit inertia corpus. *obliuionem.* promiſſi carminis ἀμέλειαν, craſſam negligentiam, neglectum obliuioni proximum. *Lethæos ſomnos.* periphraſis lethargi qui morbus veternus Latinè redditur, quem tanta dormiendi neceſſitas conſequitur, vt vix expugnari poſſit, ideóque ſolet ei comes eſſe obliuio. *ducentia.* per Aphæreſin, pro adducentia, efficientia; cui eſt contrarium, ſomnos educere: Silius vndecimo, ſub hiberno ſomnos educere cælo. *Deus Deus nam me vetat.* Tranſlatio, qua purgat ſe ab obliuione, & amore, quæ in cauſſa non fuiſſe ait carminis nõ abſoluti, ſed Cupidinem amoris deum hoc noluiſſe; quaſi theomachia ſuperatus à Cupidine Apollo, tamdiu illi Horatium cedere opus fuerit, quamdiu Cupidini videretur. *arſiſſe Bathyllo.* amore Bathylli. ſic ode 4 lib. 2. Arſit Atrides medio in triumpho Virgine rapta. Deinde Ode 9. li. 3. Donec nõ alia magis arſiſti &c. *non pulchrior ignis.* Litote; non pulchrior, id eſt, turpior: hoc eſt, ſi Helena, cuius gratia Troia incendio periit, fuerit turpior tua puella, tibi plaude, tua beatitudine contentus fruere. *Phryne.* Phrynes meretricis nobiliſſimę, quę & Mneſarete prius dicebatur, meminit Athenęus lib. 13. copioſiſſimè, fortaſſe ἀπὸ τοῦ φρύνος deducto vocabulo, ſeu à colore lurido. videndus eſt prętereà Arnobius de gentibus, de Phryne Theſpiaca: vnde facile quis videat Mæcenatem hic ludibrio haberi ab Horatio, quòd ſua Phryne libertina licet publica, tamen forma ſuperaret puellam Mæcenatis.

IN NEÆRAM AMICAM, querela periurij.

Epodos Iambica XV.

NOX erat, & cælo fulgebat Luna ſereno
Inter minora ſidera:
Cùm tu magnorum numen læſura deorum
In verba iurabas mea,
Arctius atque edera procera aſtringitur ilex,
Lentis adhærens brachiis:
Dum pecori lupus, & nautis infeſtus Orion
Turbaret hibernum mare:
Intonſóſque agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum virtute Neæra:
Nam ſi quid in Flacco viri eſt,
Non feret aſſiduas potiori te dare noctes,
Et quæret iratus parem.
Nec ſemel offenſæ cedet conſtantia formæ,
Si certus intrarit dolor.
Et tu, quicunque es felicior, atque meo nunc
Superbus incedis malo:
Sis pecore, & multa diues tellure licebit:
Tibíque Pactolus fluat:
Nec te Pythagoræ fallant arcana renati:
Formáque vincas Nirea:
Eheu, tranſlatos aliò mærebis amores:
Aſt ego viciſſim riſero.

COMMENTATOR.

CONQVERITVR de Neæra, quòd non ſeruet fidẽ iuramenti ſibi præſtiti, quo ſe obſtrinxerat ſemper cum Horatio victuram, ſed contrà ſe periuriis eius deceptum iam ab illa deſpici, quòd ſeriò amorem ſuum in alium tranſtuliſſet, quem tamen negat perpetuum futurum. Hoc metrum conſtat ex ſenario epico proodico, & binario Iambico epodico. *nox erat.* tempus noctis. horrendũ ipſum iuſiurandum facit, augétque iſtiùs periurij culpam, ab adiunctis, quod metuendo tempore & ſacro, quaſi diis magnis teſtibus factum ſit, nimirum, nocte ſilente, cælo ſereno, & Luna cum minoribus ſtellis lucente. *inter minora ſidera.* ad cõparationem globi Lunaris appellat ſtellas, minora ſidera. *tu,* ô Neæra. *læſura numen.* peieratura, pollutura tuum iuramentum, quia es mentita. ad euentum autem refert, quoniam nõ, cùm iuraret, ſtudium fallendi in animo haberet, ſed quòd poſtea fidem rupit. *in verba iurabas mea.* id eſt, ſecundum ea verba quæ proponebam. hoc autẽ iuſiurandum, conceptis verbis, dicitur, cùm alter alteri verba dicit quæ ſequatur. *arctius.* ſtrictius: id eſt, iurabas te arctius mihi coniunctam fore, quàm ilex edera aſtringitur. *atq.* pro quàm. *lentis.* mollibus, tardis, diutius in amplexu hærentibus. aliquando ſignificat flexile: vt, lentæque geniſtæ.

adhærens.

adhærens. inhærens. *brachiis.* meis. *dum,* donec. *lupus.* erit inimicus, id est, habitur. Tale est illud Virgilian. In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ Luſtrabunt, conuexa polus dum ſidera paſcet, &c. *hibernum.* tempeſtuoſum, & turbando quaſi hibernum faceret, quòd Orion hiberno tempore concitet maiorem tempeſtatem. *intonſóſque agitaret.* Apollo crinitus & iubatus depingitur propter iubas luminis quas Sol emittit, qui & Apollo dicitur. *aura.* dicitur aura agitare crineis Apollinis, quòd feruor Solis & ardor refrigerentur aura agitata ventis. *fore hunc amorem.* hæc ad verbum iurabas referenda ſunt. *mutuum.* parem & alterum. *ô dolitura.* hoc eſt, ſi iratus à tuo ſemel amore receſſero, valde dolitura es, quia non amplius poteris animi mei conſtantiam euincere, & ad tuum amorem flectere. *virtute.* animi conſtantia. *viri eſt.* id eſt, ſi quid in me eſt virtutis. *nō feret aſſiduas.* integras & continuas. *potiori.* riuali qui tibi potior videtur. Ceterum Flaccus riualem ſuum nunquam ſibi ipſe præferret, vt alibi, Cerea brachia Telephi, & roſeam ceruicem, dixit ex animo meretricis. *parem.* puellam quæ illum amet. *nec ſemel offenſa.* Quod ſolet in amanteis cadere, nam poſt litem & iracundiam ſolent amaſijs denuo eſſe ſupplices. Eſt autem ſenſus: Conſtantia mentis meæ non cedet formæ tuæ, à qua ſemel eſt offenſa, quò minus eam contemnat, ac relinquat, ſi indignationem contra te concepero: Conſtantia itaque amatoris cedit formæ mulieris, quando læſus nō audet ab amore decedere forma offenſa pro ea qua offenderit, voce quidē paſſiuum eſt, offenſa, ſed ſignificatione actiuum. *ſi certus intrarit dolor.* ſi ira cor meum penetrauerit. *& tu quicunque es.* Apoſtrophe ad ſuum riualem, qui eum ridebat, & lætabatur à Neæra deſpici & excludi. *malò.* quòd eiectus nunc ſim. *licebit.* pro licet, id eſt, quamuis. *tibiq́; Pactolus fluat.* ſcilicet aurum: id eſt, etſi tantas habeas diuitias, vt tibi videatur Pactolus aurum fluere: Pactolus autem & Hermus fluuij ſunt Lydiæ, arenas aureas ſecum in decurſu trahentes. vt, Pactolus qui culta ſecat non vilior Hermo. *fallant.* lateant. *arcana.* præcepta ſecreta omnis Philoſophiæ, quę Pythagoras docuit: id eſt, quamuis ſis Philoſophus Pythagoricus. *renati.* id eſt, denuo nati: Quia dicitur anima Pythagoræ primum Euphorbi Troiani fuiſſe, vnde dictus eſt Panthois, deinde Homeri, poſtea in ipſum Pythagoram tranſiſſe, in cuius rei argumentum dicebat ſe agnouiſſe eundem clypeum quo ad Troiam militauerat. Simili modo etiam Appuleius ſcribit de Aſino aureo, animam ſuam fuiſſe in corpore Aſini, meminiſſeque ſe deuexiſſe plurima ſagmenta & onera in Aegyptum. Nam dicebant antiqui ſecundùm eam quam quis vitam duxiſſet, ſecundùm eandem illius animam poſt mortem in alia corpora migrare. *formáque vincas Nirea.* Tria commemorat, quibus amor naſcitur & augetur, nimirum, diuitias, ſapientiam, & pulchritudinem. Idem facit Virg. in 2. Ecloga, inquiens de diuitiis, Mille meæ Siculis errant in montibus agnę, &c. de ſapientia. vt, Canto quæ ſolitus ſi quādo armenta vocabat Amphion Dircæus, &c. De pulchritudine. vt, Nec ſum adeò informis, nuper me in littore vidi. *Nirea.* accuſatiuus eſt Græcus à Nireus, ſicut τὸν Ὀρφέα, τὸν Ἀτρέα. *marebis.* flebis. *amores.* Neæræ, nam tibi fidem mentietur, quam nec mihi ſeruauit. *viciſſim.* alternatim te ridebo cùm fueris ab illa ſpretus.

CRVQVIVS.

LÆSVRA. lædere propriè eſt afficere contumelia, à Græco nomine λοιδορία, quod cōuicium ſignificat. verùm communiter transfertur ad omnem offenſionem, ſiue dicto ea contingat, ſiue facto. Plautus in Captiuis, Memini cùm dicto haud audebat, facto nunc lædat licet. dicit autē Horatius, læſura numen, puta facto. nimirū quòd iuramento violato, daret alij nocteis aſſiduas, cuius periurij culpa augetur, quòd eo tempore iurauerat quo erat diffuſa membris Horatij. Criminatur itaque Horatius Neæram conceptis verbis peieraſſe, inexpiabili periurio. *in verba iurabas mea.* id eſt, ego verba iuriſiurandi præibam quæ tu iuramento confirmabas. *intonſóſque agitaret.* fingitur enim Apollo imberbis & capillitio prolixo. Hinc Pindarus illum ἀκερσεκόμην ſeu ἀκειρεκόμην, nominat, qui & à pulchra coma dicitur χρυσόκομος, auricomus *nam ſi quid in Flacco viri eſt.* fortaſſe per anthypophoram obiecti conuicij, alludit ad adiectiuum *flaccus*: quaſi Horat. flaccidis & demiſſis auribus, in re Venerea illi nō ſatisfeciſſet; nam cognomen *Flaccus* ab auribus flaccidis mobilibúſque deductum eſt. *& tu quicunque es.* vulgata editio habet, *at tu quicunque es*: quā ſequuntur omneis. At quatuor cod. Blandinij habent, *& tu* &c. quos ſecutus ſum. cuius cauſſam lector peritus iudicare poterit. *ſis pecore.* conceſſio cauſſarum amoris. *eheu tranſlatos.* tres codices Bland. habent, heu, heu: 4. autem eheu.

AD POPVLVM ROMANVM,
commiſeratio Reip. propter ciuilia bella.

ALTERA iam teritur bellis ciuilibus ætas,
Suis & ipſa Roma viribus ruit;

Quam-

Quam neque finitimi valuerunt perdere Marſi,
Minacis aut Etruſci Porſenæ manus,
Aemula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Nouiſque rebus infidelis Allobrox:
Nec fera cærulea domuit Germania pube,
Parentibusq́; abominatus Hannibal:
Impia perdemus deuoti ſanguinis ætas:
Feriſq́; rurſus occupabitur ſolum.
Barbarus heu cineres inſiſtet victor: & vrbem
Eques ſonante verberabit vngula:
Quæq́; carent ventis, & ſolibus oſſa Quirini,
Nefas videri, diſſipabit inſolens.
Fortè quid expediat communiter aut melior pars
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla ſit hac potior ſententia Phocæorum,
Velut profugit execrata ciuitas;
Agros atque lares patrios, habitandáque fana
Apris reliquit, & rapacibus lupis:
Ire pedes quocunque ferent, quocunque per vndas
Notus vocabit, aut proteruus Africus.
Sic placet? an melius quis habet ſuadere? ſecunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed iuremus in hæc: ſimul imis ſaxa renarint
Vadis leuata: ne redire ſit nefas:
Neu conuerſa domum pigeat dare lintea, quãdo
Padus Matina lauerit cacumina:
In mare ſeu celſus procurrerit Apenninus:
Nouáque monſtra iunxerit libidine
Mirus amor: iuuet vt tigreis ſubſidere ceruis:
Adulteretur & columba miluio:
Credula nec rauos timeant armenta leones:
Amétque ſalſa leuis hircus æquora.
Hæc & quæ poterunt reditus abſcindere dulceis,
Eamus omnis execrata ciuitas,
Aut pars indocili melior grege: mollis & expes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus eſt virtus, muliebrem tollite luctum,
Etruſca præter & volate littora.
Nos manet Oceanus circumuagus: arua, beata
Petamus arua, diuites & inſulas:
Reddit vbi Cererem tellus inarata quotannis;
Et imputata floret vſque vinea:
Germinat & nunquam fallentis termes oliuæ:
Suámque pulla ficus ornat arborem:
Mella caua manant ex ilice: montibus altis
Leuis crepante lympha deſilit pede.
Illic iniuſſæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refertq́; tenta grex amicus vbera:
Nec veſpertinus circum gemit vrſus ouile:
Nec intumeſcit alta viperis humus:
Pluraq́; felices mirabimur, vt neque largis
Aquoſus Eurus arua radat imbribus,
Pinguia nec ſiccis vrantur ſemina glebis:
Vtrumque rege temperante cælitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus:
Neque impudica Colchis intulit pedem.
Non huc Sidonij torſerunt cornua nautæ:
Laborioſa nec cohors Vlyſſei.
Nulla nocent pecori contagia: nullius aſtri
Gregem æſtuoſa torret impotentia.
Iuppiter illa piæ ſecreuit littora genti
Vt inquinauit ære tempus aureum:
Aere, dehinc ferro durauit ſecula, quorum
Pijs ſecunda, vate me, datur fuga.

COMMENTATOR.

CONQVERITVR Horat. atque execratur quód bellis ciuilibus nullus finis imponatur. Metrum eſt priore verſu heroicum, poſteriore iambicum trimetrum acatalectum. *altera ætas.* Quia poſt bellum commiſſum à Cæſare & Pompeio, ſtatim alterum parabatur ab Auguſto Cæſaſare contra Brutum & Caſſium interfectores Cæſaris. *teritur.* conſumitur. *ſuis viribus.* mutuis cædibus. Sic & Liuius, magnitudine laborat ſua, id eſt, in perniciem ſuam fortis facta eſt Roma. *quam neque finitimi valuerunt.* Senſus in multos verſus protenditur priuſquam concludatur: id eſt, quam tot hoſtes non potuerunt perdere, nos impia ætas perdemus ciuilibus diſcordijs & bellorum furiis? *finitimi.* vicini. *Marſi.* populi Italiæ bellicoſi, Romanis diu fuere infeſti, quibus primi mouerunt bella ſocialia. *Porſenæ manus.* Porſena rex fuit Etruſcorum, qui cum Tarquinio Superbo Romam obſedit, minatus illam ſe demoliturum, niſi Tarquinium eiectum intra vrbem reciperent: ſed Romanorum virtutem deijcere non valuit: vt, Porſena iubebat Accipere, ingentíque vrbem obſidione premebat. *æmula nec virtus Capuæ* Quia Capua ſperauit ſe poſſe eripere Romanis imperium, affectauit enim regnum Italiæ, iccirco bello Punico Capuenſes pro Carthaginienſibus ſtabát. Capua autem ciuitas eſt inter Romam ſita & Beneuentum,

neuentum, à qua Campania regio dicta eſt. *nec Spartacus acer.* Spartacus dux & princeps gladiatorum illorum quatuor & ſeptuaginta, qui ludo Lentuli egreſſi, graue prœlium cum Romanis geſſerunt, magna vndique ſeruorũ manu coacta. *nouiſq; rebus.* coniurationi Catilinariæ. *infidelis.* non fidus ſed proditor. Quia & Lentulo principio quidem conſenſere Allobroges & Catilinæ: ſed poſtea illos prodiderunt Senatui, timore potius, quàm amore affecti erga Romanos. Quod grauibus poſtea bellis contra Romanos geſtis oſtenderunt. Allobroges autem ſunt Galli ruſi, & Sequanici dicti, incolentes illum tractum Alpiũ qui eſt à Viſontio in Germaniã, qui vehementer res nouas affectant, vnde & ducibus ſuis rarò fidem ſeruant, habentque flauum præcipuè capillitium. *cærulea pube.* Retulit autem hoc ad colorem oculorum: habent enim Germani, alij cæruleos, alij cęſios ſiue glaucos oculos, quorum hi ſunt alijs atrociores. *parentibuſq;.* maioribus noſtris. *abominatus.* execrationi habitus. *impia perdemus.* hic clauditur periodus, id eſt, clauſula ſuperius cœpta. nos, inquit, perdemus Romam Romani, quàm ſuprà dictæ gentes & hoſtes acerrimi perdere non valuerunt. *nos impia ætas.* id eſt, nos impia ætate nati. *deuoti ſanguinis.* id eſt, rei & execrandi. *feriſq; rurſus.* ante enim quàm ædificiis ornaretur Roma, ſilua fuit & ferarum habitaculum. *occupabitur ſolum.* interfectis ſcilicet ciuibus, ac vrbe deleta. *barbarus heu.* ingemiſcit ita deſertum vrbis locũ futurum, ſicut fuit antequam conderetur. *cineres inſiſtet.* id eſt, ſuper cineres ſtabit. dicimus autem, inſiſto illam rem, & inſiſto illi rei. cùm, inquit, bellis ciuilibus vrbs noſtra in ſolitudinẽ fuerit redacta, reliquias illius barbari occupabunt, per eas equitabunt ac ſuperbè inſultabunt, atque illa quę iam religioſe ſepulta ſunt, effodient, diſſipabuntque. *vrbem.* vrbis reliquias. *quæq; carent ventis.* hoc ſic dixit, quaſi Romulus ſepultus eſt, &, aut non ſublatus ad cælum, aut nõ diſcerptus à patribus. certè fabuloſum & fictum eſt, quòd inter deos dicatur fuiſſe tranſlatus. nam reuera fulmine ictus, totuſque conſumtus interiit, oſſaque eius ſepulta ſunt. Nam & Varro pro roſtris ſepulcrum Romuli dixit, vbi etiam in huius rei memoriam duos leones erectos fuiſſe cõſtat, vnde factum eſt vt pro roſtris mortui laudarentur. Quare rectè canit Horatius: *quæq; carent ventis & ſolibus oſſa Quirini.* quia in ſepulcro condita, nec Solis calore, nec flatu ventorum moueri aut labefactari poſſunt. Alij hoc referunt ad templum Quirini ſemper clauſum, quod nunquam temerè patefacere licebat. *nefas videri.* exclamatio pathetica, id eſt, cõtra fas eſt, vt videantur oſſa Romuli ſepulta, & palàm fiant. *forte quid expediat.* ſenſus eſt: Quia pacem habere in noſtro ſolo nolumus fortaſſe communiter. i. generatim omnes ſapientes, & inſipientes, nobiles, & ignobiles, aut melior pars ſapientum & nobilium, quęritis quid nobis vtile ſit, & quo conſilio poſſumus carere malis his laboribus bellorum ciuilium? accipite conſilium ne potior nobis vlla ſit ſententia, quàm vt eamus quocunq. nos pedes ferent, velut Phocæorum ciuitas profugit, execrata agros atque lares patrios, fanáq. reliquit habitanda apris, &c. *fortè quid.* fortaſſe quid expediat, ſupplendum, quæritis. *melior pars.* quæritis, ſyllepſis: ſicut, pars in fruſta ſecant. *malis laboribus.* propter perpetua bella ciuilia. *nulla ſit hac p.ſ.* hortatur iam illos in hanc ſententiam, nempe vt ſequantur Phocæos. Phocæa ciuitas olim Ioniæ relicta à ſuis ciuibus Phocæenſibus, cùm oppugnarẽtur ab Harpago regis Cyri præfecto, qui relicto patrio ſolo venerunt in Galliam, Maſſiliamque vrbem condiderunt. *ire pedes quocunque.* Hæc enim melior eſt ſententia. *proteruus.* peruicax. *ſic placet?* per interrogationem. *ſecunda ratem.* Suadet non eſſe cunctandum quin naueis conſcendãt, dum nemo proponit aliam ſententiam. *ſecunda alite.* ſecundo auſpicio, bono omine. *ſed iuremus in hæc.* Senſus eſt, ſed antequam nauigemus, iuremus in hęc verba, nos non redituros ad domos noſtras antiquas, donec ſaxa ab imo maris renatarint ac emerſerint ſurſum. quod nunquam futurum eſt. quo argumento intelligendum eſt illò decreuiſſe non eſſe redeundum. *ſimul imis.* ſimulac, mox vt. *ne redire.* ne videatur nobis nefas redire ad patriam, cùm hęc facta fuerint. *conuerſa lintea* naueis ad vrbem Romam verſas. *dare lintea conuerſa domum.* eſt renauigare ſeu nauigio domum redire. *Padus.* fluuius Italiæ, qui & Eridanus dicitur. *Matina cacumina.* verticem montis Matini qui eſt in Calabria. hoc autẽ ſimile eſt illi: Antè pererratis amborum finibus exul, aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim &c. Nam cùm ne radices quidem montis Matini Padus contingere poſſit, quopacto ſuperfluet illius verticem? Padus enim Galliæ citerioris fluuius eſt, & Matinus mõs Calabriæ longiſſimo tractu à Pado diſtans. *in mare ſeu celſus.* ſuppl. tunc non pigeat redire domum, quando Apenninus, qui procul eſt à mari, procurrerit eò, vt promontorium eius fiat. Apenninus autẽ mons ab Alpibus ortus & mediã Italiam longiſſimo tractu verſus Siculum fretum, quaſi dorſo quodam ſcindens, inferum mare à ſupero diuidit. *monſtra.* diſpares feras. *noua libidine.* nouo deſiderio. *iuuet.* delectet. *ſubſidere.* ſuccumbere ad coitum. & eſt hypallage, pro; delectet ceruos ſubſidere tigribus. *adulteretur.* coëat, ſeu patiatur columba ſubiici ſe

o miluo.

miluo. *credula* in hoc ſcilicet vt non timeant leones, ſed ſe illis committant. *leuis hircus.* ſine ſetis, nō hirſutus, nō ſetoſus. *amet æquora.* gaudeat manere in aquis & natare. *hæc & quæ.* in hæc verba iā dicta cùm iurauimus, & alia, quæ poſſunt abſcindere, id eſt, prohibere reditus noſtros, dulceis quidē omnibus natura, ſed ingratos nobis propter bella ciuilia. *eamus omnis.* ſyllepſis in numero, & epexegeſis. *aut pars indocili.* hoc eſt, aut omneis, aut nos melior pars indocili grege eamus. *indocili grege.* gregem indocilē vocat vulgus ignobile & imperitum, quod perſuaderi nō poteſt. *mollis.* ſegnis, iners. *expes.* ſine ſpe: expers, ſine parte: exlex, ſine lege. *inominata.* i. mali ominis, ſiue malum omen habentia. *perprimat.* quaſi torpens lectulos ſuos continuo calcet. Meritò autē ſubiungit cubilia, nam præmiſit grege. *vos quibus eſt.* vos qui eſtis cōſtantiores, & ſapientiores. *muliebrem luctum.* epithetō naturale, quia omnis luctus eſt mollis. vel *tollite.* i. pellite luctum muliebrem, ne poſſint vos flendo vxores ab inſtituto curſu detinere. *præter & volate.* id eſt, prȩternauigate, & fugite vltra mare Etruſcu. *nos manet.* expectat. *Oceanus circumuagus,* id eſt, circumfluus, inſulis fortunatis vicinus. *arua beata petamus arua.* elegans repetitio. Sic & Maro: Si datur Italiam, &c. & iterum, Ita iam læti Latiumque petamus. *diuites.* id eſt, fortunatas inſulas, quę ſunt ſupra Britanniam, vltra Orcades inſulas, vbi nullos niſi pios, & iuſtos habitare, primùm ſcripſere Græci, ſuiſque carminibus celebrauere amœnitatem loci, & fertilitatem, eum appellantes Elyſios campos. *reddit vbi Cererem.* meſſem copioſam. vt, ipſaque tellus omnia liberius nullo poſcente ferebat. *imputata.* non purgata, non præciſa. *floret vſque.* ſemper eſt copioſa & abundans. *numquā fallentis.* ſemper feracis. *termes.* Termites autē dicuntur caules, thyrſi ſeu rami olearum. Caulis autem nomē eſt generis, propriè tamē conuenit omnibus herbis, & humilioribus fructibus. vnde legimus, Cùm iam videritis cauliculos foliorum procedere, ſcitote quod æſtas vicina eſt, id eſt, prima folia. Legimus etiam apud Romanos, ſi quis vulnus in prœlio accepiſſet, illū domeſtico caule curari, id eſt, olere. Thyrſi autem & arborum rami ſunt, & velamina puellarum. *ſuamq;.* id eſt, naturalem, non inſitam. Meritò autem dixit *ſuam.* nam quod apud nos magno labore inſitio facit, ibi ipſa natura ſuggerit. vt Virg. cùm de inſitis arboribus loqueretur, ait, Miratúrq. nouas frondeis & nō ſua poma. Et quoniā ficus quæ ſponte, & ſine inſitione, aut cultura naſcuntur, duræ eſſe ſolent & fatuę, ac citò decidere, ibi, inquit, tales naſcuntur, vt etiā puellæ ornent ſuam arborem, nec deſidant antequam ſint maturę. *pulla.* nigreſcens & matura, aliâs pullum, ſignificat nigrum, vt Tullius, Cum tunica pulla ſedere ſolebat & pallio. Sic & Virgil. ne maculis infuſcet vellera pullis. *caua.* carie conſumta. *leuis lympha.* leniter defluens. Eleganter autē ipſo verſu ſuſurrū aquæ ſalientis imitatus eſt. *crepante pede.* i. reſonante meatu, metaphoricôs, ad nymphā deam. *iniuſſæ.* ſua ſponte *mulctra.* mulctrum vas eſt in quo lac preſſum recipitur. dicitur etiā mulctra in feminino genere. Virgil. Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus. vocatur etiam mulctrale. *refertq;.* domum. *tenta.* plena, diſtenta. *amicus.* propter commoda *vbera.* vt Virg. ipſę lactē domum referent diſtenta capellæ Vbera. *nec veſpertinus.* dixit huc vſque bona quę ibi adſunt, nunc viciſſim enumerat mala quæ ibi non ſunt. *veſpertinus.* nocturnus, quia per noctem luſtrat ouilia. *circumgemit.* inſidiatur. Proprietatē autem vlulorum expreſſit in verbo gemere. Sic nec magnos metuent armenta leones. *nec intumeſcit.* neq; ſæuiunt viperæ in illa regione. & eſt hypallage, id eſt, neq; humus in altas latebras premit viperas. *pluraq;.* id eſt, hæc & plura alia mirabimur, ſi eò peruenerimus. *vt neque largis.* nō erunt ibi nimiæ & frequentes pluuiæ, quæ ſolent eſſe noxiæ, ſed lenes ingéſque, nec etiā nimij ſolis calores. *radat.* vexet nimiis frigoribus, aut nimia tempeſtate. *vrantur.* aut calore aut frigore. *vtrumq;.* hiemem & æſtatē. *temperante.* moderante. *cælitum.* cælites dicimus, cæleſtes, tantum pluraliter. *non huc Argoo.* dicit fortunatas inſulas ſecuras eſſe ab incurſu hoſtium, nec poſſe illuc peruenire aliquem nautam, quales fuere ſocij Iaſonis, neque aliquam maleficam, qualis fuit Medea, quæ Iaſonem ſecuta è Colcho cum Argonautis nauigauit. *Argo* autē vocata nauis eſt Iaſonis: hinc Argonautæ dicti, qui cū Iaſone in pontum profecti ſunt ad auferendū vellus aureū. quo argumento docet in inſulis fortunatis, nullas huiuſmodi inſidias fieri poſſe. *Colchis.* Medeam ſignificat, quò vult illic nullam eſſe veneficam. *Sidonei.* per Sidoneos vult Cadmum intelligi, qui cū ſociis maria perluſtrauit. *torſerunt.* conuerterunt. *cornua.* antennarū: vt, Cornua velatarū obuertimus antennarū. *cohors Vlyſſei.* Vlyſſes cū ſuis ſociis. Quæ vtiq; cohors ſi huc veniſſet, capta loci bonitate nunquā poſtea deceſſiſſet. *contagia.* peſtilentia. Contagium morbus dictus eſt, quòd tactu contaminet omnē gregem. vt, nec mala vicini pecoris cōtagia lædent. *impotentia.* nimis vehemens potentia, qualis eſt Sirij ſtellæ, & Leonis aſtri, & aliorum quorundam: vt Maro, Tum ſterileis exurere Sirius agros. *Iuppiter illa piæ.* reddit autem cauſſam, quare tantę amœnitatis ſint inſulæ fortunatæ, nempe, quia Iuppiter illarum inſularum littora ſegregauit habitanda pijs hominibus.

nibus. *vt.* poſtquam. *inquinauit.* permutauit. *are.* æreo ſæculo. *durauit.* dura fecit & mala, & per hoc deprauauit. Sæcula autem diſtincta ſunt metallis: primum auro, alterum argento, tertium ære, quartum ferro. *quorum.* ſæculorum æris & ferri *pijs.* vobis. *ſecunda fuga.* proſpera declinatio *me vate.* me ſuaſore, meo cõſilio vobis datur opportunitas, vt fugiatis peſſima ſæcula plena ferro & ciuilibus armis.

CRVQVIVS.

ALTERA *iam teritur.* Non eſt veriſimile ætatem hic eſſe ſæculum, vt volunt aliqui, & continere omneis tumultus ciuileis, à Tiberij Gracchi temporibus vſque ad ſedatam ab Auguſto omnibus ſuis deuictis hoſtibus, rempubl. Nam ſi hoc ſentiamus, neceſſe erit nos omnino ineptire. Poſt Antonium enim pugna Actiaca victum & extinctum (quo tempore etiam in viuis erat Horatius) Romæ ceſſatum eſt à ciuili diſcordia: nec alia póſt ætas, quã deteſtaretur ſuo tempore Horatius, legitur magnopere illis malis obnoxia fuiſſe. quare neceſſe eſt vt aliò nos vertamus, atque ætatem propriè deſcribamus nempe triginta annorũ ſpatium paulò plus minuſue. qua in re conſentiunt doctiſſimi quique. Priorem itaque ætatem bellorũ ciuilium (nam anteà omnes ciuium inter ſe contentiones, atque tumultus, verſùs factiones quàm vera bella nominauerim) eam accipimus, quæ ſub annum ab vrbe condita ſexcenteſimum ſexageſimum ſecundum plus minus orta eſt inter Syllam & Marium, durauitque ad ea vſque propè tempora quando à Pompeio & Cæſare de primatu Romanæ vrbis dimicari cœptum eſt. vide adnotata in oden 1. lib. 2. Alteram verò ætatem, Horatio hîc impiam & execrandam appellatam, illam intelligendam exiſtimo, quæ paulò poſt initium habuit, quàm Auguſtus Athenis reuerſus perſequi cœpit interſectores Cæſaris, Brutum & Caſſium cũ reliquis coniuratis. Atqui nõ crediderim, quod tamen ſubindicare videtur Comment. Horat. tunc temporis hos verſus cõſcripſiſſe, vt qui tunc ſtabat tribunus militum à cauſſa & partibus Bruti, ſed tunc cùm Auguſtus ſuam claſſem ornaret in Antonium & Cleopatram, quo tempore & ipſe Auguſtus & tota Roma magno metu Antonij concuſſa traditur ob illius potentiam. Ergo altera impiáque ætas naſcente expeditione in formidabilem Antonium intelligenda eſt; vel gliſcente bello in Brutũ impia hæc ætas oborta eſt. Certè vtracunque ea fuerit, de illa ipſa eadem hæc ſcripta eſſe probabile eſt, quam putarim fuiſſe ſub initium potius Antoniani belli. Fidem huius facit publica vrbis tunc & maxima trepidatio: quanquam & alterius facere poteſt, optimorum plurimorumque tum ciuium cum Horatio in Brutum & commiſeratio & fauor: quibus impulſus Horatius hęc ita tanquam in rebus ſummè deſperatis, conſcripſerit. *qua neque finitimi.* Hirmos figura. *Marſi.* belli Marſici, quod partim Agamemnone archipirata duce contra Romanos, partim Franco imperatore geſtum eſt, Sex. Iulio Cæſare, & Lucio Martio Philippo conſulibus, meminit Oroſius lib. 5. cap. 18. quod anno ſcribit ab vrbe condita, ſexcenteſimo quinquageſimo nono extitiſſe, ſed illi in numero annorũ cum alijs minimè conuenit. nam Euſebius vnà cum Glareano in ſua Chronologia, hoc bellum geſtum ſcribunt, eiſdem quidem Conſul. ſed anno ſexcenteſimo ſexageſimo tertio. Eutrop. lib. 5. anno 650. Hic etiam Oroſio cum Appiano, & Strabone diſcordia eſt de duce. Nam hi Popedium nominant, quem Oroſius vult fuiſſe Italicum ducem. De Marſis autem ita ſcriptum reliquit Appianus bellorũ ciuilium lib. 1. Eſt enim gens hæc pugnaciſſima. ferunt nunquam aliàs de his triumphũ viſum. nam ad id tẽporis nec ſine Marſis nec de Marſis triumphatum fuerat. *Etruſca Porſenæ manus.* De bello Etruſco cum rege Porſena contra Romanos ſcribit T. Liuius annaliũ libro ſecundo, & Lucius Florus libri primi cap. decimo. *æmula nec virtus Capua.* Cicero in oratione quã de lege Agraria, ad populum habuit contra P. Seruilium Rullum tribunũ plebis: Capuam alterã Romã nominat. T. Liuius tertiæ Decadis libro tertio Capuanam à Romanis ad Annibalem defectionem ſcribit per Subium Virium cœptã & perſuaſam. vbi Annibalem commemorat, gratias agere Campanis, quòd amicitiam ſuam Romanæ ſocietati prætuliſſent, & inter cetera magnifica promiſſa pollicitum, breuí caput Italiæ omnis Capuã fore, &c. *nec Spartacus acer.* de bello Spartaco vide L. Florum libri tertij capite vigeſimo, Oroſium libri quinti capite vltimo. *infidelis Allobrox.* De Allobrogibus legatis, qui vnà cum Vulturtio capti, quo pacto coniurationem Catilinariam, in quam prius conſenſerãt, patefecerint, lege Salluſtium in coniuratione Catilinæ: & Ciceronem in Catil. tertia, vbi hanc Allobrogum de coniuratione detectionem, non eorum erga populum Romanũ caritati, aut fidei, aut conſtantiæ, tribuendum eſſe cenſet; ſed Deorum in pop. Rom. beneuolẽtiæ & benignitati. *carulea.* cæruleus color dictus eſt, quaſi cæluleus, quòd propriè ſit color cæli ſereni. hinc Ennius, Cæli, inquit, cærula templa. vnde & mare cæruleum. *abominatus.* vnus cod. Bland hic habet, *abominandus.* ſed alterũ mihi magis conuenire videtur. *deuoti ſanguinis.* id eſt, addicti & deſtinati in mutuã cædem & necẽ. *quæq; carent ventis.* de ſepulcro Romuli vide Dionyſ. Halicarnaſſ. antiquitatũ Rom.

libro ſecundo, & Marianum lib. 3. cap. 6. topographiæ vrbis Romæ. *nefas videri.* ad hunc locũ facit illud Ciceron. Philippica nona: Statuæ intereũt tempeſtate, vi, vetuſtate; ſepulcrorum autem ſanctitas in ipſo ſolo eſt, quod nulla vi moueri neque deleri poteſt, atque vt cetera extinguuntur; ſic ſepulcra fiunt ſanctiora vetuſtate. *videri.* ita habent quatuor codices Bland. cum annotationibus, & Buslidianus cum Diuæi cod. vbi malim ſententiã apertam, quàm vnius pedis Iambi, eo loco nõ omnino neceſſarij, poſitionem conſeruare: quantumuis etiam reclamet Glareanus *fortè.* pro fortaſſe, dubitandi, nõ etiam euentus aduerbium, quod rarum eſt, vt etiã annotauit Lamb. *melior pars.* quandoquidem iam & animis & bello ciuili diuiſa videbatur eſſe ciuitas, iccirco ait melior pars, id eſt, ſanioris iudicij & animi: non autem interpretabimur hic, melior, id eſt, maior, vt habet Porphyrio vulgatus, auctoritate Virgilij: Nunc adeò quoniã melior pars acta diei. Nam calceus etſi aptus ſit, tamen, iuxta commune prouerbium non omni pedi adaptandus eſt; ita neque cuiuſque dictionis quæuis ſignificatio cuiuis loco ſeruire debet. *ſententia Phocæorum.* hoc modo habent expreſsè tres cod. Bland. cum Buſlidia. nimirum vel per διαίρεσιν διφθόγγου, vel à nomine φωκαιεύς. de Phocæa Ioniæ ciuitate, vide Herodotum lib. 1. vbi luce meridiana clarius videbis, Porphyrionem vulgatum, & cũ eo Glareanum, tota errare via, in eo quod ſcribunt, execrata participium, vim ſuam explicare in accuſatiuos ſequenteis, ſcilicet agro. atq; lareis patrios, & cetera, quaſi execrata, id eſt, deteſtans agros &c. cùm execrata hic ſit execrationibus aſtricta; habet enim Herodotus: Porrò Corſicã traiecturi Phocæenſes, prius diuerterunt Phocæam, præſidiáque illic Perſarũ quę ab Harpago fortè cuſtodiæ cauſſa relicta fuerant, trucidarunt, quibus patratis quotquot ex claſſica ſodalitate ſupererãt, cõmuni conſilio ſeſe mutuis execrationibus, dirſque deuotionibus aſtringunt &c. Porrò deuotionis faciendę ritum deſcribit T. Liuius primæ Decadis li. 8. de execratione. vide Salluſtium in Catilina, & Tit. Liuium Decad. tertiæ lib. 6. de Acarnanibus. *ferent.* hanc lectionem 4. codicum & Diuæi ſeruaui, quia illi reſpondet in tempore vocabit. *ſimul imis ſaxa renarint.* alludit Horat. ad iuramentum Phocæorum, quod Herodotus his verbis deſcribit, ad hæc grande ſaxum in mare demergunt, iuramentóque confirmant, nõ prius ſe de repetenda patria cogitaturos, quàm ſaxum vadis imis leuatum renatet. Hæc verba ſunt interpretis Laurentij Vallæ, qui τὸ μύδρον reddit ſaxum, alij vertunt maſſam ferream ardentem, alij laminam. *Matina lauerit cacumina.* Matinus mons eſt, ſeu promontorium Apuliæ, de quo Lucanus lib. 9. ſic ſcribit: Sic vbi depaſtis ſubmittere gramina campis, Et renouare parans hibernas Apulus auras, Igne fouet terras; ſimul & Garganus & arua Vulturis & calidi lucent buxeta Matini, &c. hic neſcio quo iudicio adductus Hermannus Figulus, vir alioqui bene litteratus, commentatus eſt Padum pręterlabi Matinũ montem, qui multis paſſuum milibus à Pado diſterminatus eſt. *procurrerit Apenninus.* Tale eſt illud Plinij, Et excurrente velut in altum Attica terra, nã quęcunque terra in mari prominet, in mare excurrere ſeu procurrere, quaſi montem mari factura videtur, vnde promontorij nomẽ ſumptum eſt. *miluo.* Quatuor cod. Bland. cum Buſlid. & Diuæi habent miluo per diæreſin. *credula nec raues* hæc dictio rauus, vel à colore leonum qui medius eſt inter flauum & cæſium, vel ab oculis illorũ, aptior mihi viſa eſt quàm fluus. pręſertim in eam conſentientibus quatuor cod. Blãd. iccirco illam ſuo loco putaui non eſſe mouendam. *tellus inarata.* ἀνήροτος. *imputata.* imputatum, inquit Feſtus, mundũ, purgatum; putum enim eſt purum, vnde putare vites dicimus, hoc eſt, detrahere, quę impedimento ſunt ad fructum. *termes oliua.* Termes, inquit Paulus, ramus direptus ex arbore, nec foliis repletus, nec nimis glaber, cui à terminandis agris, ante metam poſitam, nomẽ datum videtur. Gellius li. 2. ca 26. vbi de coloribus agit. Spadica, inquit, Dorici vocant auulſum è palma termitem cum fructu. *circumgemit vrſus ouile.* 4. cod. habent ouili.

IN CANIDIAM, CVIVS ſe fingit veneficiis ſuperatũ; & allegoricôs illã deprecatur vt ſibi parcat. Iambicus trimeter.

IAM iam efficaci do manus ſcientiæ,
Supplex & oro regna per Proſerpinæ,
Per & Dianæ non mouenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa cælo deuocare ſidera,
Canidia parce vocibus tandem ſacris:
Citumq́ retro ſolue, ſolue turbinem.
Mouit nepotem Telephus Nereium:
In quem ſuperbus ordinarat agmina
Myſorum: & in quem tela acuta torſerat.
Vnxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem:
Poſt quàm relictis mœnibus rex procidit,
Heu, peruicacis ad pedes Achillei:

Setoſa

Setoſa duris exuēre pellibus
Laborioſi remiges Vlyſſei
Volente Circe membra: tunc mens & ſonus
Relatus, atque notus in voltus honor.
Dedi ſatis ſuperq́ pœnarum tibi,
Amata nautis multum & inſtitoribus,
Fugit iuuentas, & verecundus color
Reliquit oſſa pelle amicta lurida:
Tuus capillus albus eſt odoribus:
Nullum à labore me reclinat otium:
Vrget diem nox & dies noctem: neque eſt
Leuare tenta ſpiritu præcordia.
Ergo negatum vincor: vt credam miſer,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputq́ Marſa diſſilire nenia.
Quid amplius vis? O mare, & terra, ardeo:
Quantum neque atro delibutus Hercules
Neſſi cruore: nec Sicana feruida
Virens in Aetna flamma. tu donec cinis
Iniurioſis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quæ finis? aut quod me manet ſtipendium?
Effare: iuſſas dum fide pœnas luam,
Paratus expiare. ſeu popoſceris
Centum iuuencos: ſiue mendaci lyra
Voles ſonari: tu pudica, tu proba,
Perambulabis aſtra ſidus aureum.
Infamis Helenæ Caſtor offenſus vice,
Fraterq́ magni Caſtoris, victi prece
Ademta Vati reddidere lumina.
Et tu (potes nam) ſolue me dementia,
O nec paternis obſoleta ſordibus,
Nec in ſepulcris pauperum prudens anus
Nouendialeis diſſipare pulueres.
Tibi hoſpitale pectus, & puræ manus:
Tuusq́ venter Pactumeius: & tuo
Cruore rubros obſtetrix pannos lauit,
Vtcumque fortis exilis puerpera.

Verba Canidiæ reſpondentis & Horatio veniã denegantis quia eius veneficia vulgauerat.

Quid obſeratis auribus fundis preces?
Non ſaxa nudis ſurdiora nauitis
Neptunus alto tundit hibernus ſalo:
Inultus vt tu riſeris Cotytia
Vulgata, ſacrum liberi Cupidinis?
Et Eſquilini pontifex venefici
Impune vt vrbem nomine impleris meo?
Quid proderit ditaſſe Pelignas anus,
Velociúſue miſcuiſſe toxicum,
Si tardiora fata te votis manent?
Ingrata miſero vita ducenda eſt in hoc:
Nouis vt vſque ſuppetas doloribus:
Optat quietem Pelopis infidi pater,
Egens benignæ Tantalus ſemper dapis,
Optat Prometheus obligatus aliti:
Optat ſupremo collocare Siſyphus
In monte ſaxum: ſed vetant leges Iouis.
Voles modò altis deſilire turribus:
Modò enſe pectus Norico recludere:
Fruſtráque vincla gutturi nectes tuo,
Faſtidioſa triſtis ægrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicus eques:
Meaq́ terra cedet inſolentiæ.
An quæ mouere cereas imagines,
Vt & ipſe noſti, curioſus, & polo
Deripere Lunam vocibus poſſim meis:
Poſſim crematos excitare mortuos,
Deſiderique temperare poculum:
Plorem artis in te nil agentis exitum?

COMMENTATOR.

QVONIAM ſuperius ipſius Canidiæ famæ derogauerat Horat. & multis probris ei turpiſſimè detraxerat, fingit hic ſe iſtius magica amentem iam factum ob illius amorem, ſeque palinodiam canere velle, quaſi doleat talia ſe ſcripſiſſe: interea eleganti vrbanitate illam in vna eademq́. clauſula ſimul & laudat & vituperat. *efficaci* potẽti. *ſcientiæ.* arti magicæ. *do manus.* dare manus dicimus, quando nos per omnia aduerſario tradimus & credimus. *do manus.* cedo. *regna per Proſerpinæ.* Proſerpinam, quæ dea præſes eſt inferorum, magici colunt & inuocant. *Dianæ non mouenda numina.* nõ violanda, non offendenda, ad iram non prouocanda, non mentienda non execranda. vel nõ mouenda, quia numina infera non mouentur, neque flectuntur. Per autem Dianæ numina ſignificat Hecaten, & his verbis ſatis indicat Canidiam eſſe veneficam. *carminum.* magicarũ incantationum. *refixa.* detracta, euulſa: vt, Danais de poſte refixum. *deuocare.* deducere in terras: vt, Siſtere aquã fluuiis,

vertere ſidera retro. *vocibus tandem ſacris.* carminibus deteſtabilibus, nefariis, execrabilibus. *citūq;.* citò velocem. *ſolue turbinem.* libera me ijs amentiæ nexibus quibus mentem meam antè illigaſti. Turbinem autem vocat carmē Rhythmicū, quod ſicut velociſſimè in ſe rotatur, ita mens amantium ſemper in gyru videtur peragi, & huiuſmodi ſpecies eſt maleficij, vt vertigine quadam per artem magicam cogat homines ad amorem, quam Græci rhombum nominant. *mouit nepotem.* exemplis docet etiam inimicos precibus eorum quibus offenſi fuerant, ad commiſerationem adductos. *mouit.* ad miſericordiam flexit. *Nereium.* Achillem. Græcos ad bellum Troianis inferendum proficiſcentes Telephus rex Myſorum neq; hoſpitio ſuſcepit, neque per ſuos fines tranſire paſſus eſt; quare orto bello ab Achille vulneratus eſt. qui cùm curari non poſſet, cōſultus Apollo reſponſum dedit, illum ab alio curari nō poſſe, quàm à quo fuerat vulneratus. Achilles itaque precibus Telephi adductus, illum eadem haſta curauit qua læſerat. ita inquit Horatius: Tu me ô Canidia quem illigaſti imprecationibus mutatis tuis iam ſana carminibus. *vnxere.* ſepelire. *addictum feris.* traditum & deſtinatum, quaſi deditum & antè damnatum. Senſus eſt, & Hectorem iam ad lictum feris reddidit Achilles ſuis ſepeliendum. poſtquam à Priamo rogatus eique ſupplici inclinatus eſt: ita & tu Canidia, mitiga iram tuam ad meas preces. *homicidam Hectorem.* virum fortem, quòd multos hoſtes occidit. in quo imitari voluit Homerum, qui illum ἀνδροφόνον nominat. *Rex.* Priamus. *heu.* aut ad animum reſpiciens procidentis Priami ad pedes Achillis ob indignitatem facti hoc dixit, aut quaſi Romanus poëta, & amator patrum Romanorum ingemuit. *peruicacis.* pertinacis, inſoleſcentis. Peruicaces autem dicuntur, qui in aliquo certamine ad vincendum perſeuerant, ſicuti Pernices à pernitendo. *ſetoſa duris.* ordo eſt, remiges Vlyſſis exuere ſetoſa membra duris pellibus volente Circe: id eſt, cùm exorata Circe fuiſſet, conuerſi dudum in feras Vlyſſis ſocij, ab eadem ad humanitatem redierunt. Circe malefica fuit Solis filia. *tunc mens.* integra ſcilicet. *relatus* reuerſus. *notus in voltus honor.* id eſt, priſtina forma humana. *dedi ſatis ſuperq; pœnarū tibi.* id eſt, abundè à te punitus ſum, ò Canidia iam ignoſce. *amata nautis.* ex nimia Canidiæ libidine vilem ſignificat eam fuiſſe meretricem, ſiquidem adamatam à viliſſimis, & cuiuſcumque ſortis hominibus. *inſtitoribus* inſtitores propriè ſunt qui exercēt ipſam mercaturam. videtur eam laudare, quaſi tam pulchra ſit, vt mereatur habere tot amatores, ſed reuera magis illā vituperat. *fugit iuuentas.* flos iuuētutis, pulchritudo, hilaritas. *& verecūdus color.* nitidus, rubicundus, rubens, pudibundus: vt, verecundumq; Bacchum. Sed hic per verecundum colorem, ruborem intelligit, qui comitatur verecundiam, quē fugiſſe ait, & per hoc pallere ſe nunc dicit. Hæc autem omnia dicit ſibi accidiſſe propter ipſius pulchritudinem, ſed obliquè carminibus id vult factum intelligi. *oſſa.* mea. *lurida.* ſubnigra, pallida. *tuis albus.* ſenſus eſt, ego diſcrucior mæroribus, & tu vacas delicijs, ironicôs. nam odores & vnguenta vocat illius maleficia. *albus.* canus. *reclinat.* adimit, liberat. *vrget diem nox.* id eſt, per noctem opto diem aduentare, & per diem cupio noctem adeſſe, quia impatiens ſum omnium temporū. *neque eſt.* nō poſſum. *tenta.* diſtenta, laborantia. id eſt, neq; cōtingit, neque conceditur, vt leuentur aliqua ratione ſuſpiria; quaſi velit quibuſdam tormentis veneni animum ſuum cruciari. *ergo negatum.* id eſt, ad hoc adducor, vt credam, vt confitear carmina Sabella plurimum poſſe, quod antè negabam. *negatum.* antea. *Sabella.* magica. *increpare.* alienare. *Marſa.* Marſica. *diſſilire.* frangi, rumpi. *nenia.* propriè eſt carmen funeſtum. Hic autē poſuit pro malefico carmine. *quid amplius vis?* quàm vt confitear quod amo. vt, habes totum quod mente petiſti. *ô mare & terra.* exclamatio. ſic Terentius, O cælum, ô terra, ô maria Neptuni! *quantum neque.* ſupple, arſit Hercules. *delibutus.* vnctus. *Neſſi.* Centauri. Neſſus autem Centaurus ab Hercule interfectus eſt, ob ſtuprum cum Deianira Herculis amaſia tentatū. *feruida.* efferuente. *virens æſtuās,* id eſt, nec tantum flamma virens ardet in Sicana Aetna, quantū ego ardeo. *tu donec cinis.* ſenſus eſt, Tu ô Canidia quæ es quædam officina maleficiorum, tamdiu cales venenis Colchicis contra me, donec aridus cinis factus fiam ventis ludibrium. *cales.* ardes. *Colchicis.* propter Medeam Colchicā. *quæ finis.* quam finem huius mali mihi ſtatuis? *aut quod me manet ſtipendium.* quod miniſterium, obſequium, quod tributum, vel quam pœnā tibi dare debeo ſuperatus. Stipendiū enim propriè dicitur quod datur militib. *effare.* eloquere. *iuſſas.* imperatas. *cum fide.* fideliter, ſine prætermiſſione. *centum iuuencos.* tibi immolari. *mendaci.* plena mendacij. Mendacium enim eſt ſi te laudauerim; tua enim vita veras laudes non admittit. *voles ſonari.* laudari, decantari. *tu pudica, tu proba.* vt ſic dicam, canam & mentiar. *perambulabis aſtra.* Conſecraberis & tu, & reciperis in numeru ſiderū more Erigones. quæ virgo Icari filia caſtitatis pietatiſque cauſſa inter ſidera eſt collocata. *infamis Helenæ.* i. defamatæ verſibus Steſichori Poëtæ. *offenſus vice.* propter Helenam læſus, ſiue propter iniuriā Helenæ factā. *vati.* Steſichoro. nā Steſichorus Poëta

Græcus

Græcus ſcripſit Helenæ vituperationē: quare irati Caſtor & Pollux illi lumina ademerunt. Sed poſtea monitus Steſichorus, illius laudem decātauit; quare oculos iterum illi reddiderunt, & priſtinum lumen recepit. *ſolue me dementia.* quam patior. *obſoleta ſordibus.* id eſt, non infimo genere nata, nō nata per adulteriū. Obſoleti ſordibus dicuntur qui de adulterio naſcuntur. amarulenta irriſio hæc eſt in Canidiam. *neque in ſepulcris.* id eſt, nec manes euocas cantibus poſt nouem dies ſepulturæ datos. *pauperum.* nam diuitum ſepulcra ſuis cuſtodibus erant curæ. *prudens anus.* gnara, docta. *nouendialeis diſſipare pulueres.* quæ neſcias eruere, ceu manes vocando vexare ſepulcra pauperū, & poſt nouē dies quibus ſunt ſepulta corpora, excitare: humilium enim maximè à magicis vmbræ ſuſcitari ſolent. Apud antiquos moris fuit, vt triduo corpus defuncti iaceret domi: vnde apud Poëtam, Sedibus hunc refer antè ſuis. & poſt triduum in rogū ponebatur: vnde idem, Tertia lux cælo dimouerat vmbram. item poſt triduum cinis in vrnam cōdebatur, & tumulo mādabatur. ideo dixit nouendiales pulueres, id eſt, cineres recentes, numero multitudinis, quod eſt notandū. *tibi hoſpitale.* mite bonum, benignū pectus eſt. *pura manus.* ſuppl. ſunt à ſcelere innocentes. *tuúſque venter Pactumeius.* ſenſus eſt, & Pactumeius eſt tuus venter, id eſt, tuus partus & filius. Nam hoc nomen Pactumeius eſt nomen ſuppoſititij, quem ſibi filium eſſe dicebat, ſupra enim ſuppoſititij partus ipſam ream fecit. venter autem hic pro partu ponitur. *obſtetrix.* quæ obſtat dolori parientis. *vtcunque.* quotieſcunque exilis, id eſt, exultas fortis puerpera. quo dicto oſtendit illam non peperiſſe: ſed ſibi filiū alienum ſuppoſuiſſe nomine Pactumeium.

Negat Canidia ſibi reconciliari poſſe Horatium.

CANIDIA.

QVID *obſeratis.* clauſis. *ſurdiora.* quàm aures meæ ſunt ad preces tuas. *nudus nautis.* è naufragio ereptus. *Neptunus hibernus.* id eſt, cū mare procelloſum verberat ea ſaxa cōmotis fluctibus. *inultus vt tu riſeris Cotytia ſacrū liberi Cupidinis.* per epexegeſim eſt hæc data deſcriptio Cotytiorum: vult autem Canidia ſignificare aliquando ſe commiſiſſe Horatio quædā ſecreta ſacrificiorū ad amorem conciliandū quę ipſe irridendo vulgauerat: ea autē Cotytia nominauit, vt honeſto vocabulo turpitudinem ſuam celaret. ſic Iuuenalis, Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotyto. *liberi Cupidinis.* liberum autem Cupidinem ait, quia nulli ſit obnoxius, ſed omnes ipſe deludat. vnde Maro, Nate patris ſummi qui tela Typhoëa temnis. *&* *Eſquilini.* Eſquilinus mons fuit vbi ſepeliebantur cadauera mortuorū, quò pergebant qui volebāt animas excitare. illic Canidia magicā noctu exercere conſueuerat. *pontifex.* Pontificem vocat Horatium quaſi cenſorem veneficiorū, quia pōtifices de ſacris iudicabant: aut pontifex. i. conſcius. *venefici.* pro veneficij per ἀποκοπὴν. *impune vt vrbem.* i. ſine vlla vindicta magicam artem, & patefacta tibi à me ſecreta tu ne deriſeris, & me vrbis fabulā feceris: *quid proderit.* id eſt, quid prodeſſe poterit ſi ditaueris tuo magno pretio Pelignas magicas, vt tu ſolutus à dementia, velocius moriaris ſi fata nō permittant? *Pelignas.* Sabinas, à Peligno monte. *miſcuiſſe.* vt moriaris. *ſi tardiora.* ſi dij nolunt ſed te reſeruent, vt maiora luas ſupplicia. *ingrata.* plena tædij & laboris. *miſero.* tibi. *in hoc.* propter hoc. *vſque.* ſemper, diu. *ſuppetas.* ſufficias ad nouos dolores, & labores perferendos, & pœnas. *infidi.* quia Myrtilum præcipitauit in mare per quem vicit. *benigna.* largæ, opulentæ, aut potius quæ ſemper ſe oſtendit paratam. *optat.* ſuppl. quietem. *aliti.* vulturio. *ſupremo.* alto, ſummo. *Iouis.* Plutonis. *voles.* optabis. *deſilire.* præcipitare te in fluctus. *Norico.* forti, pro qualicunque gladio; eſt enim ſpecies pro genere poſita, vt mos eſt Poëtarū vel maximè lyricorum. *fruſtráq.* ſine cauſſa voles colligare vinculo guttur tuum, quia nō morieris. *triſtis.* in qua nihil placet. *faſtidioſa ægrimonia.* ſeptimus caſus, ægrimonia, angor, triſtitia quæ vitam faſtidit tot ſupplicijs addictam. *vectabor humeris.* i. cùm ego de te vindicata fuero, incedam glorioſa, equitans ſuper humeros tuos mihi inimicos. ſeu victrix inſultabo in te mihi inimicum. *meáq. terra.* i. terra in hac vindicta non capiet meum gaudiū. *inſolentiæ.* efficaciæ, quaſi nouæ potentiæ. *an quæ mouere.* ſenſus eſt, an quæ tantum carminibus poſſim, vt difficiliora faciā, ſcilicet vt cereas imagines moueam, Lunam cælo deuocem, vmbras ſepulcris eliciam, & per hęc, potione quadam amoris, menteis incendam, nihil vnquam in te potero, & artis meæ circa te impotentiam, velut miſeranda, flebo? *deſiderique temperare poculum.* philtrum, amoris venena miſcere. *plorem.* deplorare debebo. *artis.* magicæ.

CRVQVIVS.

HOC carmē neq; Epodō inſcriptā in his cod. Bland. inuenio, neq; odē, ſicuti nec præcedēs: cuius lectorem monitū volui, eique in memoriā reuocatum, ne fortaſſe eorum me immemorē iudicet, quæ ſuprà cùm de epodis pauca controuerterem diſſereremque, dixi me peculiariter in his cod. notaſſe carmina in hoc opere quædā neq; Epodi, neque odes habere adſcriptam epigraphen. *regna per Proſerpinæ.* per regna Proſerpinæ vniuerſitatem ſuperorum & inferorum accipimus, quæ magicis rebus

rebus & carminibus ſunt accommoda numina. *per & Diana.* teſtantur veteres, inquit Cornutus, Dianam operam ſuam præſtare ſagis, & è cælo ad domos deduci, additũ eſt ipſam luctu & cæde gaudere plurimum: hinc quidam moti vt eius numen placarent ſanguine humano. *mouit nepotem Telephus Nereium.* Strab. lib. 13. memoriæ proditũ reliquit, Herculem Alæi filiam Augen corrupiſſe, atque ex ea natum Telephum Myſorũ regem, qui ab Achille vulneratus in femore, ab eodem curatus eſt; verùm an eadem haſta vulnus acceperit & curationem Telephus, an ab Achillea herba, an ab ærugine haſtæ ſeu gladij, vnde emplaſtrum confectum vulneri appoſitum fuit, incertum eſt. Atqui certè Achilles ita depingi ſolebat, vt cuſpide gladij immitteret æruginem in vulnus Telephi. Ouidius vulneris remediũ adſcribit haſtæ primo de remedio amoris: Vulnus Achilleo quæ quondã fecerat hoſti, Vulneris auxiliũ Pelias haſta tulit. quò etiam alludit hoc epigramma, Τήλεφος εἰμὶ κόρη, σὺ δὲ γίνεο πιστὸς Ἀχιλλεύς· κάλλει σῷ παῦσον τὸν πόθον ὡς ἔβαλες: Telephus eu ego ſum, tu ſis mihi fidus Achilles, Ore puella necas, ore beare potes. Claudianus autem herbæ tribuit, inquiens, Sanus Achilleis remeauit Telephus herbis, Cuius pertulerat vireis, & ſenſit in imo lethalem placidámque manum medicina per hoſtẽ Contigit, & pepulit quos fecerat ipſe dolores. *vnxere.* Lambinus nõ minus copioſè quàm probabiliter hic aſſerit legendũ eſſe *luxere.* quam quidem lectionem non reprobo; verum tamen malui ſeruare antiquam 4. cod. Blandiniorum & vnius Diuæi, hac ratione præcipuè ad id inductus, quòd in duobus cod. Bland. vidi adnotata hęc verba, Vnxere legendum eſt, & nõ luxere; quibus verbis nulla cauſſa præterea aſcripta erat. ſed & hãc lectionem nec ipſe Lambinus diffitetur in plurimis cod. ſe reperiſſe integram, etiamſi multis argumentis docere conetur, luxere, eſſe aptius quàm vnxere, idque ſcriptoribus magis eſſe vſitatum, nempe, vt cadauera lacrymis potius & luctu proſequamur, quã vel vnctione vel lotione: quod profectò facilè & libenter illi dederim, præſertim propter Homeri locum Iliad. ω, quem exprimere voluiſſe videtur: verùm quia hoc beneficij adſcribit matribus Iliis, quarum eſt & abluere & vngere cadauera ante ſepulturã; vnxere magis appoſitum non dubito: Nam vt hoc matrũ eſt, ita lugere omnium propinquorum & amicorum. Sic & Theocrito Adonis vngitur à Venere, ab amoribus lauatur. vide Adagium, Terreſtria balnea. Quin vt illud Ennij omittam, Tarquini corpus bona femina lauit & vnxit, etiam ex Euangelio apertè cognoſcimus vngendi ritũ antiquitus valde celebrem fuiſſe, & mulieribus præcipuè commendatum. Sed lectorem remitto ad xix. caput lib. 3. Antonij Mureti variarum lectionum. *relictus manibus.* nam fabulatur Homerus ιλ.ω. Priamum à Mercurio noctu per caſtra Gręcorum ad Achillem deductũ, nemine Græcorum alio eius rei conſcio; cuius ad pedes cùm procidiſſet, genuáque & manus exoſculatus eſſet, ab eo petit, vt accepto pretio ſibi Hectoris corpus ſepeliendum traderet. *relatus.* duo cod. habent relatus, quos ſecutus ſum, cum Lambino: alij duo habent relapſus. *amata nautis multum & inſtitoribus.* per nautam intelligimus exercitatorem, qui, definitore Vlpiano, l. i. ff. de exercitatoria actione, eſt ad quem obuentiones, & reditus omnes perueniunt, ſiue is dominus nauis ſit, ſiue à domino nauem per auerſionem conduxerit, vel ad tempus vel in perpetuum. hunc vocat Horatius lib. 3. Ode 6. magiſtrũ nauis. Inſtitor autem apud eundem in l. 3. de inſtitoria actione, negotiator appellatus eſt, ex eo quòd negotio gerendo inſiſtat, nec multum facit tabernæ ſit præpoſitus, an cuilibet alij negotiationi. *vrget diem nox.* duo cod. habent vrguet. *ergo negatum vincor.* eſt qui *negatum* participium, ordinet cũ hoc nomine pectus, vt hic ſit ordo; ergo vincor, vt ego nunc miſer credam Sabella carmina increpare pectus meum, hactenus tibi denegatum: ſed non aptè, meo iudicio. Glareanus exponit negatum, id eſt, vt negem: ego verò arbitror hanc eſſe ſententiam: ergo miſer vincor vt nunc credam negatum, ſubaud. prius à me, id eſt, quod hactenus negaui, & credere non potui, ſcilicet, carmina Sabella, ſeu cantiones Canidiæ increpare pectus, id eſt, perturbare & grauiter afficere mentes humanas. *Marſa.* Marſi, Sabinis finitimi, à Circes filio genus ducunt, & de auita potentia deberi ſibi ſentiunt ſeruitium venenorum, eóque venena contemnunt, vt ait Solinus. *ò mare, & terra, ardeo!* pathetica exclamatiô vehemens, ſed ironicôs. *Neſſi cruore.* Neſſus Centaurus Ixionis & Nubis filius fuit: huius rei fabulam vide Epodo 3. ad Mæcenatem de allio. *virens.* hoc participium in 4. cod. ſcriptum, tollere ſuo loco nolui, propterea quòd mihi videatur accommodè ſeruire præſenti comparationi. Nam ſicut ignis & flamma in ipſa Aetna nunquam extinguuntur, etiamſi non ſemper emicet flamma, ſeſeque in auras attollat, iuxta illud Strab. li. 6. E lõga verò creditum eſt obſeruatione, flammas ipſas flatibus cõcitari in Aetna, quibus ceſſantibus ceſſant & flammæ: ita ſine intermiſſione ſe fingit Horatius perpetuo veneficio intrinſecus aduri & penitus conſumi: nam dicit, Canidiam tanquam venenorum officinã, ſemper calere; nec à maleficijs conficiendis ceſſare, & ſe noctéque diéſque non quieſcere, nec mali remiſſionem ſentire; cui rei ſignificandæ

valde

valde conuenit virens: Maiores enim noſtri verbo virere præcipuè vſi ſunt, quando notare vellent vires in aliquo magis magíſq; iucreſcere. Hinc metaphoricos quæ viridia fiebant, maiorémq. vigorem acquirebant, virere dicebant; quod multis hic liceret auctoritatibus palàm facere, niſi id notius exiſtimarem, quàm vt operam noſtram illi impendamus. Quod autē Lambinus vir doctiſſimus hic legendū docet, vibrans in Aetna flamma, mihi certè omnino probari non potuit, tametſi diſertè & eruditè ſuam opinionem multis rationib. communiat; namque in emaculandis auctoribus nunquā ea temeritate fui, vt ſine adminiculo cod. antiquorum id in animū inducerem, præſertim vbi lectio ipſa ſuo auctori ſatis eſt conſona, qualis certè hæc eſt, *virens in Aetna flamma*. virere enim & igni, & omnibus iis de quibus dicitur, internum eſt, non etiam vibrare, ſed ferè aduenticium & externum, adeò vt illo, non niſi in abſoluta ſignificatione aliter vtamur, quàm in illis quę nobis extrinſecus adſunt; dicimus enim vibrare haſtam, gladiū, telum. verumtamen ſi cui lectio Lambini magis arrideat, ego certè illi non inuidebo. *quæ finis*. antiquis ſcriptoribus, finis nomē in feminino genere vſitatius erat quàm maſculino, vt alibi notat Seruius. *expiare*. purgare, & læſam te placare. *centum iuuencos*. alludit ad Hecates ſacrum ἑκατόμβην. *ademta vati reddidere lumina*. propterea quòd Steſichorus palinodiam caneret, vbi intelligeret hoc mali ſibi ab iratis fratribus illatum. huius rei meminit Plato in Phædro, & Pauſanias in Laconicis, ſed multò aliter quàm ab aliis ſcribitur. vide Adagium παλινῳδεῖν, & Pauſaniam. *potes nam*. Anaſtrophe, pro, nam potes me ſoluere ab huiuſmodi dementia. *ô nec paternis obſoleta*. viliſcens obſcuritate & ignobilitate parentum. *Pactumeius*. Sic reppen ſcriptum in quatuor cod. Bland. cum Buſlid. & Diuęi, & annotationibus; iccirco mutare nolui, cùm parum intereſſe viderem in fictitio vocabulo Pactumeius ne, an Partumeius diceretur, niſi malimus legere turpitudinis obtegendæ gratia quam velatam cupit Horatius, Pateomenus, id eſt, conculcatus aut contaminatus ex partu filij tui ironicôs, alluſione ad Græcam dictionem πατούμενος. Scribit enim Suidas, πατούμενοι ὑβριζόμενοι, id eſt, contaminati ſeu iniuria affecti.

CANIDIA.

Cotytia. Strabo lib. 10. Similia, inquīt, ſunt & quæ apud Thraces celebrantur, quæ Cotytia & Mendidia, apud quos & Orphica initium habuerunt. ipſam ſanè Cotyn, quæ apud Edonos colitur, & eius inſtrumenta memorat Aeſchylus, &c. Eraſmus in Adagio, ἀρπαγὰ κοτυττίοις, Cotytia, ait, feſtum quoddam erat, apud Siculos, in quo ex more placentulæ quæpiam & arborum fetus ramis alligabantur, eáque diripienda proponebantur; vnde liquet hoc Adagium dici ſolitum, de bonis temerè profuſis direptiſque. Hinc fortaſſe κότταβος, luſus conuiuialis, in honorem Veneris & Cupidinis: & κοττάβεια, præmia eo ludo vincenti data, quæ, vt Athenæus ſcribit lib. 11. & 15. erant triticeæ placentulæ & ſiſaminæ. Cotyto autem ſiue Cotys dea erat ipſius turpitudinis præſes, cuius ſacra valde exagitat Eupolis in Baptis comœdia & Iuuenal. ſatyra 2. *velociúſue miſcuiſſe toxicum*. hic, velocius, contra quoſdam nominaliter exponēdum eſt, pro eo quod citiſſimè penetrat: eſt enim toxicum venenum efficaciſſimum, non à taxo, vt quidā ſcripſere, ſed ἀπὸ τοῦ τοξεύω, quod eſt iaculor. vel vt habet Dioſcorides lib. 6. cap. 20 τόξικον δοκεῖ μὲν ὠνομάσθαι, ἐκ τοῦ τὰ τόξα τοὺς βαρβάρους ὑπ' αὐτοῦ χρίεσθαι. quod eo barbari ſuas ſagittas inficerēt. *optat quietem*. artificioſa refutatio commiſerationis, à fabulis illis oppoſita argumentis, quibus Horatius etiā fabuloſè vſus eſt ſuprà ad perſuadendum Canidię, vt ipſum à ſuis veneficiis liberaret. *inſidi*. ſic inueni in 4. cod. cum interpretatione appoſita. *obligatus aliti*. ſic etiam habent 4. cod. *nectes*. duo cod. habent nectes, alij duo innectes. *triſtis*. δυσαρεστῶν, miſerè affectus & infeliciter viuens. ſeu δυσαρεστούμενος, moroſus, de ſua valetudine querulus. *an quæ mouere*. à maiori, vt vult Quinctil. vel, vt docent Philoſophi, à minori. *deripere*. ita ſcriptum eſt in tribus cod. ſed quartus habet, diripere. *Plorem artis in te nil agentis exitum*. duo cod. habent, nil agentis exitum; alij duo, nil agentis exitus. in vnis annotationibus ſcriptum eſt, nunquid plorem artem meā non habentem in te exitum, cùm maiora poſſim? Atqui ſi quis hic velit noſſe elegantem coniecturam, legendum ne ſit, *Plorem artis in te nullum habentis exitum*, ſimul & variam lectionem, euoluat Commentaria Lambini in hunc locum ingenioſiſſima.

CARMEN SÆCVLARE AD Apollinem & Dianam προσευκτικῶς, quod trinoctio patrimi & matrimi cantauerūt pueri puellæq.

PHOEBE, ſiluarúmque potens Diana,
Lucidum cæli decus, ô colendi
Semper, & culti, date, quæ precamur
Tempore ſacro:
Quo Sibyllini monuere verſus
Virgines lectas, pueróſque caſtos

p *Dijs quibus*

Dijs quibus ſeptem placuere colles
Dicere carmen.
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis & celas, aliúſque & idem
Naſceris: poſſis nihil vrbe Roma
Viſere maius.
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres:
Siue tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.
Diua producas ſobolem, patrúmque
Proſperes decreta ſuper iugandis
Feminis, prolíſque noua feraci
Lege marita.
Certus vndenos decies per annos
Orbis, vt cantus referat ludóſque
Ter die claro, totiéſque grata
Nocte frequenteis.
Voſq́; veraces cecinisse Parcæ
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum
Terminus ſeruet, bona iam peractis
Iungite fata.
Fertilis frugum, pecoríſque tellus
Spicea donet Cererem corona:
Nutriant fetus & aquæ ſalubres,
Et Iouis auræ.
Condito mitis placidúſque telo
Supplices audi pueros Apollo:
Siderum regina bicornis audi
Luna puellas.
Roma ſi veſtrum eſt opus, Iliæq́;
Littus Etruſcum tenuere turmæ,
Iuſſa pars mutare Lareis, & vrbem
Soſpite curſu.
Cui per ardentem ſine fraude Troiam
Caſtus Aeneas patriæ ſuperſtes
Liberum muniuit iter daturus
Plura relictis:
Dij probos mores docili iuuentæ,
Dij ſenectuti placidæ quietem:
Romulæ genti date remq́;, prolemq́;
Et decus omne:
Quæq́; vos bobus veneratur albis
Clarus Anchiſæ, Venerísque ſanguis,
Impetret bellante prior, iacentem
Lenis in hoſtem.
Iam mari, terraq́; manus potenteis
Medus, Albanáſque timet ſecureis:
Iam Scytha reſponſa petunt, ſuperbi
Nuper, & Indi:
Iam fides, & pax, & honor, pudorq́;
Priſcus, & neglecta redire virtus
Audet: apparétque beata pleno
Copia cornu.
Augur, & fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptúſque nouem Camœnis
Qui ſalutari leuat arte feſſos
Corporis artus:
Si Palatinas videt æquus aras,
Rémque Romanam, Latiúmque felix,
Alterum in luſtrum, meliúſque ſemper
Proroget æuum.
Quæq́; Auentinum tenet Algidúmque,
Quindecim Diana preces virorum
Curat: & votis puerorum amicas
Applicat aureis.
Hæc Iouem ſentire, deosq́; cunctos,
Spem bonam, certámque domum reporto
Doctus, & Phœbi chorus, & Dianæ
Dicere laudes.

COMMENTATOR.

METRVM hoc tribus conſtat Sapphicis, & quarto dipodia. Carmen ſęculare vocatur, quod in ſæcularibus ludis ſecundum ritum priſcæ religionis in campo decantatum eſt, à virginibus pueriſque prætextatis. ludi autem ſæculares qui & ſcenica & theatrales, ideo dicti ſunt, quód per centum & decē annos celebrabantur trinoctio, id eſt, tribus diebus & tribus noctibus. Sęculares autem, quód à primo ſeculo, id eſt, ab origine Romanæ gentis reperti & inſtituti ſunt ſcilicet à Numa Pompilio, à quo Romanis, poſt centum & decē annos, ſemper in vſu fuere. Verrius autem Flaccus refert carmen ſæculare & ſacrificium inſtitutum, intra annos centum & decem, Diti & Proſerpinæ primo bello Punico, decem virorum reſponſo, cùm iuſſi eſſent libros Sibyllinos inſpicere ob prodigiū quod eo bello accidit. Nam pars murorum icta fulmine cecidit. Atque ita reſponderunt bellum aduerſus Carthaginē eis proſperè geri poſſe, ſi Diti & Proſerpinæ triduo, id eſt, tribus diebus & tribus noctibus continuis, ludi fuiſſent celebrati, & carmē cantatum.

tatum inter ſacrificia. hoc autē accidit Appio Claudio Pulchro conſ. Prætereà ludi ſæculares celebrati ſunt, cùm Roma peſtilentia laboraret, quãdo ex libris Sibyllinis iuſſum eſt, vt Diti patri ad Tarentum ſtipis mitteretur. hoc etiam iidem libri iuſſerunt, vt nobilium liberi in Capitolio carmen decantarent trinoctio, quia tres dies & tres noctes celebrabantur ludi iſti. Itaque cùm Auguſtus ab Actio Epiri promontorio, ſuperato Antonio, eſſet victor reuerſus; ludos ſcenicos Romæ celebrauit in honorem Apollinis & Dianæ, ſed præcipuè Apollinis, quòd putaret ſe ab illo præcipuè fuiſſe defenſum, & propter hos ludos & carmē, Auguſt⁹ Diuus tunc eſſe meruit, in cuius gratiam Horatius in Capitolio decantari fecit à pueris & puellis hoc carmē à ſe edoctis. *Phœbe ſiluarúmq. potens Diana.* Continet hoc carmen laudes Apollinis & Dianæ alternis vicibus. Ita autē incepit Horatius vt Maro in Georgicis: Vos ô clariſſima mundi Lumina &c. His enim duobus ferè reguntur omnia terrena, calore quidem Solis per diem, humore verò Lunæ per noctem; itaque iidem ſunt Sol & Luna, qui Apollo & Diana, Liber & Ceres; vnde & Dianæ arcus aſſignatur, ex ſimilitudine Lunę incipientis. *Phœbe.* qui & Sol & Apollo & Liber: *Diana.* quæ & Luna eſt. *ô colendi.* in futurum. *culti.* in præterito. *tempore ſacro.* ſacrificij, quo ludi iſti ſæculares celebrantur. *quo Sibyllini.* oracula prolata, & deſcripta per Sibyllam. *monuere.* docuerunt. *verſus.* libri. *lectas.* illibatas. *caſtos.* intactos. *dijs quibus ſeptem colles.* id eſt, Roma. ſic Virg. Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma, Septemque vna ſibi muro circumdedit arceis. hi autem colles ſunt Auentinus, Palatinus, Eſquilinus, Capitolinus, Viminalis, Cælius, Quirinalis. *dicere carmen.* ſcilicet date. *promis.* aperis oriens. *celas.* claudis recedens & occidens. *aliúſque & idem naſceris.* quia oriens lucem exhibes, & occidens noctem adducis. hac ergo viciſſitudine nouus ſemper videris alius in ortu, alius in occaſu, cùm tamē ſemper idē ſis, quia nō mutaris reipſa. *poſſis nihil vrbe Roma.* ſubaudiendo, date precamur, vt poſſis nihil viſere maius, id eſt, carius vrbe Roma, id eſt, nulla res ſit apud te potior quàm Roma. *ritè maturos.* tempeſtiuòs, vt ſuo & ſtatuto tempore pariant. *lenis.* facilis, propitia. *Ilithyia.* Diana, à nobis quidem Lucina dea, à Græcis autem Ilithyia dicitur: ſic & Homerus eam nominauit, quia parientibus fauere putabatur. *tuere.* defende. *Lucina.* quia naſcentibus præeſſe & lucem dare creditur. *probas.* eligis, vis. *genitalis.* quæ præfecta ſis gignētibus vel partubus. Nam vt calore Solis animantur ſemina, ita Lunæ humore nutriuntur; penes ipſam enim & corporū omniū ratio eſſe dicitur, & poteſtas. *diua producas ſobolem.* Ordo eſt, ô diua precamur, vt producas ſobolem Romanam, & proſperes decreta patrum, ſuper iugandis feminis, & ſuper lege marita feraci nouæ prolis. atque ita impleta eſt elocutio, ſcilicet repetēdo, precamur *proſperes.* proſpera facias ſenatuſconſulta. *ſuper iugandis feminis.* de matrimonijs contrahendis, quoniam ſenatuſconſultum de matrimonijs propoſitū fuerat. *lege marita.* id eſt, maritali: vt Plautus, apud quem ſenex, Pulchra ædepol, inquit, dos pecunia eſt, cui reſpondet alius, quæ quidem non marita eſt, pro eo quod eſt, quæ non eſt maritalis: lex autē marita dicitur, quæ de maritandis ordinibus lata erat, quæ & Iulia dicta eſt: Cæſar enim poſt bellū legē tulit, ne quis aut cœlebs eſſet, aut vidua nubilis, quo poſſet iactura iuuenum reparari, quæ bellis ciuilibus contigerat. Nam propè octoginta milia armatorum interierant. *feraci.* fertili, fecunda, quę lex ferax ſit prolis, quaſi lex fertilitatem feminis dare poſſit vobis annuētibus. *certus vndenos.* id eſt, precamur, vt orbis, id eſt, circulus annorum centum & decem in ſe redeuntiū, certus, id eſt, plenus, & perfectus referat cantus & ludos ſæculares, frequenteis, celebreis, ad quos multi conueniant: & notandus tropus eſt; nam per metonymiam ait, orbis certus, id eſt, homines certi illius & ſtatuti temporis, referant ludos & cantus orbe completo. *ter die claro.* id eſt, tribus diebus. *totiéſque grata.* id eſt, iucunda. *nocte.* id eſt, tribus noctibus: hoc eſt, vt referat tibi populus Romanus trina die clara, & nocte grata dignas laudes, fac adoleſcere pubem Romanam. *vóſque veraces cecinisse Parcæ.* Ordo & ſententia hæc eſt: Veraces Parcæ, iungite bona fata iam peractis, id eſt, pręteritis fatis: & terminus, id eſt, ordo rerum, ſtabilis, id eſt, firmus, & perpetuus, ſeruet quod dictum eſt, vos ἀπαθῶς ſemel cecinisse. optat enim vt decreta ſua ſtabilia faciant quæ promiſerant Aeneæ, dū Italiam peteret, permanſurum ſcilicet Roman. imperiū in perpetuū, vt canit Virg. His ego nec metas rerū nec tempora pono, Imperiū ſine fine dedi. Parcæ autē veraces ſunt, quia nō mutant aut variant quod ſemel promittunt, vnde κατὰ ἀντίφρασιν, Parcæ vocantur, quòd minimè parcant. Inuocat autem Parcas poſt Apollinem, quia Apollo fatis præeſt, vnde & ſortilegus vocatur. *terminus ſtabilis.* id eſt, ordo rerum firmus & cōſtans, ſeruet à vobis ſtatuta, & precamur, vt ſit ordo perpetuus. *fertilis frugum.* Optat frugum vbertatem, & proſperam pecorum feturam. *nutriant fetus.* fetus generaliter omnium rerum accipere debemus, etiam animalium quæ ad vſum noſtrum pertinent. *& aqua ſalubreis.* nam pluuia & grata aura nutriuntur omnia, & præcipuè ſegetes. vt, Tum tenues date rurſus

aquas, & paſcere rurſus. *Iouis aura.* ſerenus & tēperatus aër. vt, Solis ad occaſum cùm frigidus aëra veſper Temperat. quando quidem ſalubres ſatis, planìque nō tantum aquæ ſed & auræ intelligendæ ſunt. *condito mitis.* deprecatur iram Apollinis; pingitur enim cum telo, arcu, & pharetra, qui ſi telum manu teneat, dicitur eſſe noxius; ſed hoc cùm recondit, mitis & placidus: hinc iratus dicitur nocere, & peſtem iaculari. quod & de illo ſenſiſſe videtur Homer. ἰλ. α. cùm ait ὡς ἔφατ' εὐχόμενος· τοῦ δ' ἔκλυε Φοῖβος Ἀπόλλων. βῆ δὲ κατ' οὐλύμποιο καρήνων χωόμενος κῆρ. quibus verbis ſignificat Apollinem Græcis peſtem immiſiſſe & planctum. Sic & Plautus in Mercatore, matrē familias inducit precari Apollinem, vt filio ſuo parcat. *placidus.* exorabilis, beneuolus. *ſiderum regina.* ποιητικῶς, quòd lucidiſſima inter ſtellas apparet. *bicornis.* Corniculata enim Luna eſt, & cùm eſt menſtrua, & in defectu. *Roma ſi veſtrum eſt opus.* id eſt, ſiquidem per vos facta Roma eſt: quia oraculo Apollinis Troiani ad Italiam perrexerūt, vt ait Virgil. Si tot reſponſa ſecuti Quæ ſuperi maneſque dabant. *littus Etruſcum.* littus Tiberinum, quia ab Etruſcis oritur. *Iliæ turmæ.* Nam Aeneas auctor eſt Romani generis. *iuſſa pars mutare.* Non ſine cauſſa ait *pars*: quia non omnes cum Aenea in Latium peruenerunt; non nulli enim cum Antenore etiam effugerunt, & in Italiam appulerunt. vt, Antenor potuit mediis elapſus Achiuis, Illyricos penetrare ſinus. *iuſſa.* veſtro reſponſo. vt, Italiam Lyciæ iuſſere capeſſere ſortes. &, Auguriis agimur diuûm: & alibi, mutandæ ſedes. *ſoſpite curſu.* proſpero nauigio, integra nauigatione. *cui per ardentem.* non ſine fraude ardentem: nam fraude Græcorum incenſa fuit, ſed ſine fraude Aeneas muniuit iter ſuæ turmæ, id eſt, ſine noxa, ſine damno flammæ eripuit, & incendio Troiano: vt alibi, Nodo coërces viperino Biſtonidum ſine fraude crineis. vel, vt ordo ſit, Caſtus Aeneas ſine fraude ſuperſtes patriæ, &c. vt Troia nō proditione Aeneæ videretur euerſa, ſed fato. *liberum muniuit.* ſecurum & tutū reddidit; vt, flammam inter & hoſteis Expedior, dant tela locum, flammæque recedunt. Mirè liberum iter appellauit, quo libertatem ſint adepti, & ſeruitutem Græcorum effugerint. *daturus.* Iliæ turmę. *plura relictis.* id eſt, quàm reliquerant in Troia. vt, Bellum ingens geret Italia, populóſque feroceis Contundet, moréſque viris & mœnia ponet. *docili iuuentæ.* iuuentuti peritæ, aut facili ad diſcendum. *quietem.* περιφραστικῶς, pro pace & vacatione à laboribus bellicis: eſt enim ſenectus impatiens laborum. *Romulæ genti.* id eſt, Romuleæ, hoc eſt Romanæ: vt Maro, Dardana tela, pro Dardania. *remq; prolemq;.* diuitias, opes, genus. *decus omne.* omnem maieſtatem, imperiū & honorem. *quæq.* quæcunque ſeu quamcunque rem vos precatur clarus ſanguis Anchiſæ & Veneris, vos dij facite vt impetret. *bobus.* immolatis. *veneratur.* venerando precatur & poſtulat. *albis.* triumphalibus, quia victimis albis ſacrificia diis faciebant triumphantes. *clarus Anchiſæ Venerisque ſanguis.* id eſt, poſteritas Aeneæ. hoc ad Auguſtū pertinet, qui ab Iulio Cæſare, Iulius autem ab Iulo, originē ſuam ducere dicebatur; Iulus ab Anchiſa & Venere: ideóque Veneri genitrici templum Romæ conſtitutum & conſecratum fuit. *bellante prior.* fortior & ſuperior. *iacentem lenis in hoſtem.* deuictum. vt, Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. *manus potenteis.* Romanam potentiam. *Albanáſque timet ſecures.* Romanos magiſtratus, ab Albanis deſcendenteis. vt, Albaníque patres, &c. de Alba ciuitate traditus eſt hic mos, vt primò rei virgis cæderentur, deinde ſecuri ferirentur. *reſponſa.* præcepta Romanorum expectant, tanquam à potentibus, & imperata. *ſuperbi nuper.* inſoleſcentes, & inſultantes aliquando Romanis. *& Indi.* vt, Imbellem auertis Romanis arcibus Indum. *iam fides & pax.* Armis pacem & honorem, pudorémq;, Romanos dicit acquiſiuiſſe, & reparata virtute, ſuperiori tēpore neglecta, rediiſſe fortunam; ipſa enim eſt quę copiam beato, id eſt, diuite cornu diffundit. *neglecta.* ſuperiori tempore. *audet iam ridere.* Auguſti temporibus properant, nil addubitant ridere quæ fuerunt Saturni tempore. vt Virgilius, Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo. *beata.* diues. *copia.* rerum omnium abundantia, plena fecunditas. *augur.* diuinus, propter oracula & augurādi ſcientiam. *fulgente decorus arcu.* propter ſagittandi peritiam. *acceptúſque.* gratus, amabilis propter muſicam. Virgil. Augurium citharámque dedit celeréſq. ſagittas. *qui ſalutari leuat arte.* περιφραστικῶς. id eſt, medicina, cuius ipſe Apollo inuentor inducitur, ita loquens de ſeipſo apud Ouidium: Inuentum medicina meū eſt. *feſſos corporis artus.* id eſt, hominum infirmitates: vel συνεκδοχικῶς, corpora morbo defatigata. *ſi Palatinas videt aequus aras.* apparet iam eo tempore ab Auguſto in Palatio dedicatum Apollini fuiſſe templum; vt Maro teſtatur, Ipſe ſedens niueo cādentis limine Phœbi Dona recognoſcit populorum. *aequus.* propitius, placidus. vt, nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis. *Latiúmque* quòd inter montes latitet. *felix.* ſecundus: vt Poëta, Si felix noſtrumque leues quęcunque laborem. *alterum in luſtrum.* Luſtrū pro tempore accipitur & ætate. *proroget.* dilatet, prolonget. ſenſus eſt, ſi acceptas aras habet Apollo, quę in Palatio ei ſunt dedicatæ, hoc eſt, ſi propitius Romanos aſpicit, melius ſęculum tribuet in futurum.

quæq;

quæq; Auentinum tenet. gubernat. *Algidúmque.* Algidus mons ab aſſiduo frigore appellatus eſt, nõ longè ab vrbe Roma, in quo monte Romani etiã Dianæ ſacra celebrabant. *quindecim Dianæ preces virorum.* Quindecim viri ſacerdotes erant, penes quos erat ex libris Sibyllinis reſponſa dare, & ludorum ſæcularium curam gerere. *amicus applicet aures.* id eſt, ſi Diana curet preces quindecim virorum, & exaudiat vota puerorum; eſt enim particula, ſi, huc arceſſenda. *hæc Iouem ſentire.* Ordo eſt, ego chorus, nos pueri puellæque, doctus dicere laudes Phœbi & Dianæ, reporto domũ ſpem bonã certámque, Iouem & deos cunctos hæc ſcire, hæc velle, hæc ſentire. Hæc enim erat finis ſacri carminis, & in hæc verba deuotio ſoluebatur, quãdo diceretchorus omnium præſentium nomine, Iouem preces & vota exaudiuiſſe & ceteros deos, ſeq; ſpe certa domum reuerti.

CRVQVIVS.

COMMENTATOR in auctore ludorum ſæcularium, & ipſo tempore quo primum Romæ instituti fuere, deinde in ſæculi deſcriptione, multum ab aliis diſſentit. In primis cũ Valerio Maximo illi controuerſia eſt; is enim, quem ceteri ſequuntur, qui hac de re aliquid memoriæ tradiderunt; P. Valerium Publicolam primum ludos ſæculareis Romæ inſtituiſſe ſcribit, ad exemplũ Valeſij cuiuſdam Sabini, vt refert, cùm ipſe Commẽtator Numæ Pompilio Romanorum regi altero hoc inuentum adſcribat: quod certè vero propius videtur, tum quòd is religionis & diuini cultus ſtudioſiſſimus, ferocem bello populũ, huiuſmodi multis cærimoniis, religione & iuſtitia gubernare conatus ſit, adeò vt quæcunque ſacra doceret, ea ſe monitu deæ Egeriæ populo ſignificare diceret: tum quòd aram Diti & Proſerpinæ ſacram, legamus ſtatim ludis finitis terra fuiſſe obrutã in aliud ſæculum; quo fortaſſe factum eſt, ad vſque tempora illius Valeſij Sabini, arã illam latuiſſe, donec Dis & Proſerpina illam detegerẽt ad preces & vota Sabini; ex quo tempore, indies magis ac magis inualeſcentibus Romanis, curioſius ludi à Publicola inſtaurati, ac ſinguli fortaſſe exinde ſæculis repetiti, illorum auctor & inuentor ipſe à poſteris ſit habitus. Porrò Commentator ſæculum, pro primis illis temporibus Romę conditę accipit, quibus ludos iſtos Diti & Proſerpinę decretos ait: Rurſum ſæculum ex Valerio Flacco deſcribit, & terminat ſpatio centum & decem annorũ, à Varrone diuerſus, qui à ſene ſæculũ deducens, definit annis centum, quaſi illa ſit humanæ vitæ longiſſima ætas. Verùm Flacci ſententia & antiquior apparet & doctis omnibus probatior, quòd & illi reſpondeant Quindecim virûm Commentarij, & carmẽ Zoſimi ſine apicibus & notis, quod ipſe Sibyllinũ eſſe dicit, εἰς ἰσίαν ἐμβεβλήκη κύκλον ὁδεύων. Ceterùm ludos ſęculareis ab Auguſto publicè poſt Actiacam victoriã exhibitos, Dion hiſtoricus libro quinquageſimo quarto, hos Quinctius, inquit, perfecit, T. Furnio, C. Iunio Silano conſſ. *Phœbe ſiluarúmque potens Diana.* exordium ab inuocatione. *lucidum cæli decus.* per epexegeſim, ſiue, vt vulgò fertur, per appoſitionẽ. *quo Sibyllini monuere verſus.* quatuor codices Bland. habent vnà cum Diuæi exemplari, *quod Sibyllini monuere.* quã lectionem ſecutus fuiſſem, niſi alia clarior eſſet. Nã libri Sibyllini pro ratione ſacrificij monuerunt, vt precibus aliis, ita & alio carmine deorum laudes decantari. quare ſic hunc locũ & legi poſſe & exponi debere putarem: Date dicere hoc carmẽ diis Romanisquod Sibyllini verſus monuere, id eſt, docuerunt pueros ſeu iuſſerunt à pueris cantandum eſſe. verùm lectoris iudicio id relinquo. *Sibyllini.* Sibylla, inquit Lactantius libri primi cap. 6. dicta eſt à deorum conſiliis denunciandis; σιοὺς enim deos, & βουλὴν cõſiliũ, pro θεοὺς καὶ βουλὴν, dicunt Aeoles. de numero autẽ Sibyllarum, nominibus, prudẽtia, auctoritate & veritate, vide Lactantium eodẽ loco. *ſeptem colles.* periphraſis vrbis Romæ quæ ſepticollis appellatur. *alme Sol.* quòd ſuo calore cuncta fouendo alere videtur. *curru nitido diẽ.* Quem currum circum terram intra horas viginti quatuor & paulò amplius celerrimè rapiunt equi quatuor, vt fabulantur Poëtę, Pyrois, Eous, Aethõ, & Phlegon. *aliúſque & idem naſceris.* Quaſi diuerſorum effectuum diuerſa cauſſa: nam ſua præſentia lumẽ adducit; ſua verò abſentia noctem, & tenebras. hinc apud Græcos φοῖβος vocatus eſt, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ἀεὶ νέος, qui Sol quotidie ſe renouans veluti nouus apparet. *Ilithyia.* Lucina, parturientibus propitia, filia Iunonis & Iouis, vt ſcribit Heſiodus. Φουρνοῦτος ἐν θεωρίᾳ περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως, ἔφη περὶ τῆς Ἀρτέμιδος, δοκεῖ δὲ καὶ πλείοσιν ἡ αὐτὴ εἶναι καὶ εἰλείθυια ἀπ' αὐτῆς εἰλυομένη. καὶ θέουσα περὶ τὴν γῆν, ἣν ἐπεύχονται ἐλθεῖν ἀνώδυνον ἤπιον καὶ λυσίζωνος αἱ ὠδίνουσαι, hoc eſt, videtur pleriſque hęc eadem εἰλείθυια, quòd cõtinuò circum terram vertatur & eandem ambiat. hãc optant adeſſe ſibi placidam parturientes. Homerus ἰλ. π. μογοστόκος εἰλείθυια, id eſt, Lucinam obſtetricem. ἡ μογοῦσα καὶ πονοῦσα τοὺς τόκους λεχοῦσα, vt inquit interpres; ſed Heſiodi interpres alibi pro partu videtur accipere, μετ' εἰλείθυιαν, quaſi poſt partũ *lege marita.* Hæc lex de maritandis ordinibus lata eſt à M. Pappio Mutilo, vt legit Dion alij, Papio, & Q. Poppæo ſecundo Auguſto rogante ſeorſum cælibes & nuptos, aut quibus eſſet proles, quoniam equites magno ſtudio

eam legem quæ de coniugij liberorumq́; expertibus lata fuerat, antiquari cupiebant: hæc autem lex dicta eſt Papia Poppæa, vbi Aymarus Riuallius malè legit, Papia Pompeia. huius legis meminit Suetonius in Octauio, quam ſcribit nõ ſinilè perlatam. lectorem remitto ad Dionem in initio libri quinquageſimi ſexti, vt examinet orationem Auguſti ad cælibes. *certus vndenos.* ita ſcriptum inueni in quatuor cod. Bland. & Diuæi. Ludouicus Viues, alibi non video, inquit, cur legi non poſſit, Certus vt denos decies per annos. quod equidem illum hoc interrogare arbitror, propter ſententiã Varronis, qui anno, vt diximus, centeſimo finit ſæculum. verùm Flacci opinionẽ magis approbo. *ter die claro.* triduum & trinoctium. *vóſque veraces cecini ſſe Parcæ.* vide lector candide, quanta iniuria hic affectus ſit vir doctiſſimus Porphyrio à nugiuendulo illo, qui à ſe & non intellecta, & malè ſarta pro integris in vulgus edi curauit: cuius rei cauſſa hic à Lambino vapulat immeritò: non hoc dico quòd Lambinum virum eruditiſſimum hic agam reum criminationis alicuius; is enim pro officio interpretis, docet lectores quid rectum ſit, & contrà quid minus aptum & inſulſum. Nam quod nomine Porphyr. in vulgatis libris habetur, ſcilicet ſyllepſis eſt, ex verbo enim ſingularis numeri, ſeruet, pluralis naſcitur ſeruent: hoc ego inueni in vno codice Blandinio, adnotatũ hoc modo, Senſus eſt à ſingulari, ſeruet, ad plurale, ſeruate; vt ſit Ordo: O vos veraces Parcæ, ſeruate quod dictum eſt vos ſemel cecini ſſe, & terminus rerum ſtabilis ſeruet idipſum, & vos Parcæ iungite bona fata iam peractis fatis bonis, & ſimiliter ſeruet ordo rerum perpetuus hæc fata bona. Hinc iudicate quàm malè apud viros doctos audiat Porphyrio, nulla ſua culpa. *ſeruet.* habent quatuor cod. Blãdinij & Diuæi; non, ſeruat. *ſpicea donet Cererem corona* hoc eſt, terra ipſa fertilitate & abundantia frugum pulchrè ornata donet Cererem ex ariſtis concinnata corona, iuxta illud Phornuti, περὶ τῆς Δήμητρος. ἡ μὲν τοι Δημήτηρ κατὰ τὸ ἀγαθοποιὸν τῶν σπερμάτων εἰδοποιουμένη, πάνυ οἰκείως στάχυσιν ἐστεφανωμένη. hoc eſt, Ceres autem quia ſemen & ſpeciem & formam producit, admodũ propriè coronam ariſtis grauem gerit. Hinc etiam ab Heſiodo ἐυστέφανος δημήτηρ, nominatur. *condito mitis.* Apollo namque ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν, id eſt, perdendo dictus eſt; nam Sol ipſe omnia animantia perimit, cùm peſtem caloris intemperie immittit. vnde & παιὰν ἀπὸ τοῦ παίειν, à feriendo, & λοίμιος, peſtilens. *Ilia turma pars iuſſa mutare lares.* per epexegeſim. *Ilia.* ab Ilio regia Priami, id eſt, Troianæ. *quæq́; vos bobus veneratur albis, &c.* deinde, *impetret bellante prior, &c.* hanc lectionem non mutaui, quia in quatuor codicibus eadẽ erat cum ſuis annotationibus, & Diuæi cod. Si cui tamẽ alia magis apta videbitur, ſcilicet, *quique vos & impetret bellante p.* per me illi hoc erit liberum. *albis.* P. Valerius Publicola in ludis ſæcularibus ad aras Iouis & Apollinis mactari iuſſit candidũ taurum; ad Iunonis verò iuuencam candidam, & hęc quidem interdiu, noctu autem Dianæ: Proſerpinæ, Terræ & Parcis furuæ hoſtiæ immolabantur. *Medus.* de Medis, qui & Parthi, quo pacto ſupplices facti ſint Romanis, traditis regiis obſidibus, vide Oroſium libri ſexti capite vigeſimoprimo. *iam Scythæ.* Lucius Florus, libri quarti capite vltimo, Nam Scythæ, inquit, miſere legatos & Sarmatæ amicitiam petentes. Suetonius in Octauio: Qua virtutis moderationíſque fama, Indos etiam ac Scythas, auditu modò cognitos pellexit ad amicitiam ſuam, Populíque Romani vltrò per legatos petendam. vide Oroſium in fine ſexti libri. *fulgente decorus arcu.* eſt enim dictus ἀργυρότοξος, ab arcu argenteo, ab Homero ſæpius nominatus ἑκηβόλος, ſagittarius. *acceptúſque nouem.* eſt enim τῶν μουσῶν μουσηγέτης καὶ ἐπίσκοπος, καὶ παίζει μετὰ μουσῶν συνομιλῶν, ἐκ γὰρ μουσάων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπιχθόνιοι ὡς ἁπλῶς φησὶν ὁ ἡσίοδος. *qui ſalutari leuat arte.* hinc ἀκέσιος καὶ ἀλεξίκακος, quòd medeatur & mala depellat. *videt aequus.* placatus, propitius, placidus, ἵλεως. *arceis.* aras habent codices Blandinij. *proroget.* quatuor cod. Bland. hæc verba, *proroget, curet, applicet,* habent in præſenti indicandi modo, ſcilicet, *prorogat, curat, applicat:* quæ lectio mihi certè commodior videtur, adeò vt eam iudicem alteri præferendam: non mutaui tamen vulgatam, quia ſatis apta videatur, & eruditorum hic opinionem iudiciumq́; expectare malui. *quindecim Diana preces virorum.* de quindecim viris ſcribit Alexander Alexandrinus libri tertij cap. 16. vnde hæc pauca huc facientia adſcripſi. Triumvirûm numerus à Sextio & Licinio Tribunis plebis creatus, mãſit ad Cornelium Syllam, quo tempore Quindecim viri, qui ſacris faciundis, ſupplicationibus & lectiſterniis præeſſent, quique placamenta Deûm & expiationes ediſcerent, officiáque cærimoniarum exequerentur, librorúmque & carminum Sibyllæ curam agerent, creati ſunt, &c.

Q. HORA-

Q. HORATII FLACCI

SATYRARVM LIBRI.

ECLOGA I.

TANTALVS.

QVi fit, Mæcenas, vt nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu ſors obiecerit, illa
Cõtentus viuat? laudet diuerſa ſequenteis?
O fortunati mercatores, grauis annis
Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contrà mercator, nauim iactantibus auſtris,
Militia eſt potior. quid enim? concurritur: horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat iuris, legúmque peritus,
Sub Galli cantum conſultor vbi oſtia pulſat.
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in vrbẽ eſt,
Solos feliceis viuenteis clamat in vrbe.
Cetera de genere hoc (adeò ſunt multa) loquacem
Delaſſare valent Fabium. ne te morer, audi,
Quò rem deducam. ſi quis deus, en ego, dicat,
Iam faciam quod vultis: eris tu, qui modò miles,
Mercator: tu conſultus modò, ruſticus. hinc vos,
Vos hinc mutatis diſcedite partibus. eia:
Quid ſtatis? nolint. atqui licet eſſe beatis.
Quid cauſæ eſt, meritò quin illis Iupiter ambas
Iratus buccas inflet? neque ſe fore poſt hac
Tam facilem dicat, votis vt præbeat aurem?
Præterea, ne ſic, vt, qui iocularia, ridens
Percurram: quanquam ridentem dicere verum
Quid vetat? vt pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint vt diſcere prima.
Sed tamen amoto quæramus ſeria ludo.
Ille, grauem duro terram qui vertit aratro:
Perfidus hic caupo, miles, nautæq́;, per omne
Audaces mare qui currunt; hac mente laborem
Seſe ferre, ſenes vt in otia tuta recedant,
Aiunt, cùm ſibi ſint congeſta cibaria: ſicut
Paruula, nã exemplo eſt magni formica laboris,
Ore trahit quodcunq; poteſt, atque addit aceruo,
Quem ſtruit, haud ignara, ac nõ incauta futuri.
Quæ, ſimul inuerſum contriſtat Aquarius annũ,
Non vſquam prorepit: & illis vtitur antè
Quæſitis ſapiens: cum te neque feruidus æſtus
Demoueat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrũ:
Nil obſtet tibi: dum ne ſit te ditior alter.
Quid iuuat immenſum te argenti põdus, & auri
Furtim defoſſa timidum deponere terra?
Quòd ſi comminuas, vilem redigatur ad aſſem.
At, ni id fit, quid habet pulchri cõſtructus aceruus?
Millia frumenti tua triuerit area centum:
Non tuus hoc capiet venter plus, quã meus: vt, ſi
Reticulum panis venaleis inter onuſto
Fortè vehas humero: nihilo plus accipias, quàm
Qui nil portarit. vel dic, quid referat intra
Naturæ fineis viuenti, iugera centum, an
Mille aret. at ſuaue eſt ex magno tollere aceruo.
Dũ ex paruo nobis tantundẽ haurire relinquas:
Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris?
Vt, tibi ſi ſit opus liquidi non amplius vrna,
Vel cyatho: & dicas, magno de flumine mallem,
Quàm ex hoc fonticulo tantundẽ ſumere. eò fit,
Plenior vt ſi quos delectet copia iuſto:
Cum ripa ſimul auulſos ferat Aufidus acer.
At qui tantulo eget quanto eſt opus, is neq; limo
Turbatã haurit aquã, neq; vitã amittit in vndis.
At bona pars hominum decepta Cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, inquit: quia tanti, quãtũ habeas, ſis.
Quid facias illi? iubeas miſerum eſſe libenter.
Quatinus id facit. vt quidã memoratur Athenis
Sordidus, ac diues, populi contemnere voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat: at mihi plaudo
Ipſe domi: ſimul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina. quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. congeſtis vndique ſaccis
Indormis inhians: & tanquam parcere ſacris

Cogeris,

Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Neſcis, quid valeat nummus? quē prabeat vſum?
Panis ematur, olus, vini ſextarius: adde,
Queis humana ſibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesq́; diesq́;
Formidare malos fures, incendia, ſeruos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuuat? horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.
At ſi condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te affixit: habes qui
Aſſideat, fomenta paret, medicum roget, vt te
Suſcitet: ac gnatis reddat, cariſque propinquis.
Non vxor ſaluum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ.
Miraris, cùm tu argento poſt omnia ponas,
Si nemo præſtet, quem non merearis, amorem?
At ſi cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis, ſeruaréq. amicos:
Infelix operam perdas: vt ſiquis aſellum
In campo doceat parentem currere frenis.
Deniq; ſit finis quærendi. quóque habeas plus,
Pauperiem metuas minus: & finire laborem
Incipias, parto quod auebas: nec facias, quod
Numidius quidam. non longa eſt fabula. diues
Vt metiretur nummos: ita ſordidus, vt ſe
Non vnquam ſeruo melius veſtiret: ad vſque
Supremum tempus ne ſe penuria victus
Opprimeret, metuebat. at hunc liberta ſecuri
Diuiſit medium fortiſſima Tyndaridarum.
Quid mi igitur ſuades? vt viuam Næuius, aut ſic
Vt Nomentanus? pergis pugnantia ſecum
Frontibus aduerſis componere. non ego, auarum
Cùm veto te fieri, vappam iubeo, ac nebulonem.
Eſt inter Tanaim quiddam, ſocerúmque Viſelli.
Eſt modus in rebus: ſunt certi denique fines,
Quos vltra, citráque nequit conſiſtere rectum.
Illuc, vnde abij, redeo. qui nemo vt auarus
Se probet, ac potius laudet diuerſa ſequenteis?
Quódque aliena capella gerat diſtentius vber,
Tabeſcat? neque ſe meliori pauperiorum
Turbæ cōparet? hunc, atq; hunc ſuperare laboret?
Sic feſtinanti ſemper, locupletior obſtat:
Vt cùm carceribus miſſos rapit vngula currus:
Inſtat equis auriga, ſuos vincentibus, illum
Præteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, vt rarò, qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, & exacto contentus tempore, vita
Cedat; vti conuiua ſatur, reperire queamus.
Iam ſatis eſt: ne me Criſpini ſcrinia Lippi
Compilaſſe putes, verbum non amplius addam.

COMMENTATOR.

IN his duobus Sermonum libris generalis Horatij intentio eſt carpere vitia, vt ab his deterriti homines inuitentur ad mores bonos. In hoc autē primo ſermone inuehitur in auaritiam, qua dicit inconſtantiam & leuitatem longè eſſe tolerabiliora, cumq́ue ſcribit ad Mæcenatem magnæ auctoritatis in republica virū: quia vt eſt principū præeſſe populo, eumq́ue corrigere, ita illorum intereſt eos à vitiis eſſe alieniſſimos. Sermo autem eſt oratio humilis & depreſſa, quotidianę collocutioni finitima, dictus, quòd quaſi inter pręſenteis ſeratur. In quo libri iſti ab Epiſtolarū libris differunt, quæ ad abſenteis mittuntur; epiſtolis enim abſentibus loquimur, ſermone verò præſentibus. Quamuis autem hoc opus Satyram eſſe Horatius ipſe profiteatur, cùm ait, Sunt quibus in Satyra videar nimis acer, & vltra legem tendere opus, &c. tamen proprios titulos voluit ei accommodare, hos priores quidem duos libros Sermonum, poſteriores autem Epiſtolarum inſcribens. Satyra dicitur lancis genus; tractum à choro Liberi patris, qui eſt dator vini & lætitiæ: ab ea autem lance, quæ plena diuerſis frugibus in templum Cereris inferebatur, nomen accepiſſe plerique dicunt. Alij propterea hoc carmen Satyram appellauerunt, quia ita multis & variis rebus refertum eſt, vt nimio plus audienteis ſaturet. Alij rurſum quòd ita conuicia & crimina hominum liberè inuadat, vt ſaturi, id eſt, ebrij ſolent homines dicteriis aut contumeliis afficere. Satyra autem iſtius inter Lucilij Satyram & Iuuenalis eſt media: nam & aſperitatē habet qualem Lucilius, & ſuauitatem qualem Iuuenalis. At ſciendum tamen eſt, quòd Satyrarum carmen primo omnium auctore Lucilio ſit repertum, etiam ipſomet Horatio teſte. *Qui fit.* id eſt, vnde, quo modo, & qua cauſa; ita vt ſenſus ſit, quę ratio, quæ res facit, vt ſtudia diuerſa laudentur? *ſortem.* propoſitum, profeſſionem, inſtitutum vitæ. *ſeu ratio.* aut ratione inimus propoſitum vitæ, aut fortuna; verbi gratia: aliquis ſecum init rationē vt militet; hoc rationis eſt: alius de ſummo gradu felicitatis ad ima detruſus init docēdi, aut arandi neceſſitatē; hoc eſt fortunę. *ſeu fors ob.* ſignatè dixit, ratio dederit, fors obiecerit; & breuiter duas ſectas tágit: nam cùm

cùm dicit ratio, Stoicos notat; cùm fors, Epicureos. Stoici namque dicunt omnia ratione fieri: Epicurei, fortuitu. *diuerſa*. ſtudia. *ô fortun*. hic inſtabilitatem carpit humanæ vitæ. *fractus membra*. figuratè, ſicut pictus acu chlamydem. *militia eſt pot. κατὰ κοινὸν*, ſupp. ait. *quid enim*: cur non? & eſt Comicum. *concurritur*. confligitur à milite in pugna. *momento*. puncto temporis: nam ei citò mori eſt pro beneficio. *agricolam lau*. beatum appellat. *iuris, legumq́*. quia eſt aliud ius ſcriptum, aliud nō ſcriptum. *ſub galli c*. paullò ante galli cantum. vt, ſub noctem cura recurſat. *conſultor*: qui conſilium rogat; nam conſultus eſt qui dat conſilium. *vadibus* ſponſoribus; à vadimonio, quo promittit ſe is qui ad iudicium vocatur, certo die affuturum. vades ideo dicti, quòd qui eos dederit, vadendi, id eſt, diſcedēdi habet poteſtatem. *extractus*. coactus ad ſoluendum vectigal. *clamat*. magno affectu laudat. *de genere*. qui diuerſa laudant per inconſtātiam. *delaſſare*. valde laſſare. adeò ſunt multa, vt ſi velit hæc enumerare, etiam garrulus nimium defatigetur. *Fabium*. Fabius Narbonenſis equeſtri loco natus, & Pompeianas parteis ſecutus, nonnumquam de ſecta Stoica cum Horatio contendit acriter. ſcripſit etiam aliquot libros de philoſophia Stoica. *ne te morer*. nimia copia. *audi quò rem d*. quia omnibus ſua diſplicere dixi, audi quò, id eſt, ad quam maiorem inconſtantiam & inſaniam eos deducam. *eris tu*. eſto. *qui modò mi*. eras. *nolint*. mutare. *atqui*. certè. *licet eſſe b*. Magna breuitate occurrit quatuor perſonis, quæ cùm multum ſint cōqueſtæ de ſuis profeſſionibus, nemo tamen ab aliquo deo induci poteſt, vt ſuam deſerat. *buccas inflet*. iraſcatur. ordo eſt: Quid cauſæ eſt, *quin*, id eſt, vt Iuppiter iure dicat ſe deinceps non tam fore facilem & propitiū votis, id eſt, precibus illorum. Inflare buccas, ſignum eſt indignantis. *præterea ne ſic*. ne, quemadmodum qui iocularia narrat, ea ridens percurrit, ita ego ridens percurram quod cœpi. Intelligitur percurrit, aut ſimile verbum per zeugma. *quamquam riden*. ſenſus eſt, nihil vetat ridendo verum dicere, vt riſus remedio durities, quæ vera dicentem ſubſequi ſolet, temperetur: néve aſperè audiatur quod verum narratur. *olim*. nonnumquam, aliquando, interdū. *cruſtula*. placentas. Cruſtula quādo in neutro genere dicimus, edulia ſignificamus. Virg. Et violare manu maliſque audacibus orbem fatalis cruſti. Sic & Lucret. Guſtaui cruſtula ſolus. Quando in feminino, fragmenta ſignificamus. vt Virg. Concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ. *amoto ludo*. iocularibus rebus, riſu. *ſeria*. neceſſaria. *terram qui vertit a*. qui ruſticæ vitæ ſtudet. Hactenus de inconſtantia locutus eſt, nunc de auaritia. *qui curritur*. Propria locutio. vt, vaſtūmque caua trabe currimus æquor. *hac mente*. hoc conſilio, hoc propoſito. *aiunt*. dicunt ideo ſeſe à prima ætate laborare, vt habeant in ſenectute vnde viuant. *perfidus hic c*. qui multa perfidè acquiſiuit iniqua menſura. *congeſta*. viaticum, alimētum. cùm ſibi ſint collecta quæ ad vitam tolerandam poſſunt ſatis eſſe. *nam exemplo*. parentheſis. *magni formica lab. ἀντὶ ἐπιθέτου*, paruula magni laboris. *non incauta f*. prouidens. vt Virg. metuénſque inopi formica ſenectæ. *quæ ſimul*. id eſt, ſimul ac, mox vbi, cum primum. *inuerſum*. mutatum, inclinatum in hiemem; eſt epitheton anni perpetuum; vt, Vertitur interea cęlum, & ruit Oceano nox, quoniam in ſe ſemper annus vertitur & voluitur. *cōtriſtat aquarius*. tempeſtate, pluuiis, & frigoribus, quæ maxima concitantur ſole in aquario conſtituto decimo quinto Calend. Februarias, atque in eo eſt diebus triginta, ſcilicet vſque ad decimumquintum Calend. Martias. *non vſquam pror*. in eo cautior eſt quàm tu, ô auare, quòd per hiemem quieſcit, & vtitur paratis; tu verò vt nemo ſit te ditior, nulla pericula pertimeſcis. *antè quæſitis*. pēr ęſtatem. *ſapiens*. prudens, prouida. *cùm te*. inſurgit in auaru. *demoueat*. ceſſare faciat, vel prohibeat à negotio. *obſtet*. obſtare poſſit. *dum ne*. vt non. *quid iuuat*. hoc eſt, cùm tanto ſtudio pecuniam quæras, quid te delectat eadem non vti, ſed humi defoſſam ſeruare. *quòd ſi comminuas*. minutatim conſumas. eſt anthypophora; quaſi dicat auarus, ſi cœpero hoc argento vti, redigatur, hoc eſt, redigi poterit ad aſſem, hoc eſt, ferè ad nihilum. *timidum depon*. te, vt in arte poëtica, Quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti. *at ni id fit*. id eſt, niſi minuas, & expendatur argentum. Verba ſunt Horatij admonentis auarum; quaſi dicat, quid ergo voluptatis erit in pecunia acquiſita, ſi eam nō impendis, cùm vſus eius ſit neceſſarius, certè perinde hoc eſt, ac ſi eam non habeas. *plus quàm*. tuus venter aliquando ſaturatur, vt meus. *vt ſi reticulum panis*. hoc eſt, quemadmodum inter venaleis pueros, qui panes portabit, non plus accipiet quàm is puer qui vacuus & nihil portans ambulabit: ita tu quamuis plus laboraueris in acquirēdo quàm alius, cùm factus ſis pecunioſus, non plus venter tuus recipiet, quàm eius qui exiguum poſſidet. *reticulum*. rete, quo in vrbe panis portari ſolet. *venaleis inter*. anaſtrophe, pro inter venaleis ſeruos. *referat*. expediat, proficiat. *intra naturæ fines viuenti*. intra naturæ fineis viuit, qui paucis contentus eſt, qui ſeruit naturæ legibus. Itaque naturæ fines ſunt, vt cùm ſatur ſit homo, hoc ei ſufficiat, quod etiam exiguo cenſu contingere poteſt. ſenſus autem eſt, cùm naturæ fineis non poſſis excedere magnitudine diuitiarū;

quia omni modo eſt naturæ legibus ſeruiendum, quid tibi prodeſt lata & ampla poſſeſſio? numquid ideo quia habes centum milia modiorum, plus potes comeſſe quàm ego, qui tantum habeo centum modios. *at ſuaue eſt.* obiectio anthypophora. hæc contentio inter duos eſt quidam dialogus. *dum ex parua.* Poëta reſpondet auaro, dicens nihil intereſſe ex magno an ex paruo haurias, cùm ſatiando ventri noſtro non opus ſit multo. *haurire.* accipere, ſumere. *relinquas.* concedas. *cùm tua plus.* cumeram dicimus vas ingens vimineum, aut fictile non abſimile dolio, quinque, vel ſex modiorum, in quo recõditur & reponitur frumẽtum. ſic & alibi, Fortè per anguſtam tenuis vulpecula rimã repſerat in cumerã frumenti, &c. *granaria.* horrea, repoſitoria frumẽti capaciora. quod dicit ad differentiam cumerarum. *vt tibi ſi ſit opus.* aptiſſima comparatio. ait autem ita ſtultum eſſe ex magnis potiùs velle quàm ex paruis diuitiis ſumere vt ventrem impleas, ac ſi deſideres vrnam vel cyathum aquæ, & malis eum ex magno flumine haurire, quàm ex fonte minore. *liquidi.* aquæ, humoris, liquoris, more Græco. *eò fit.* ideo fit vt propter auaritiam multi periclitentur. Hæc autem eſt allegoria, qua indicat eos qui magnas diuitias appetunt, cùm modicæ illis ad vitam tuendam poſſint ſufficere, & plerumq. illis ipſam acquirendi cupiditatem eſſe exitij cauſam. *plenior iuſto.* quàm oportet, quàm iuſtum eſt, moderatum & ſufficiens. *copia.* abundantia, multitudo pecuniarum & bonorum. vt, reſpicio, & quæ ſit me circum copia luſtro. *cum ripa.* allegoricôs. hoc eſt, periculum quod comitari ſolet huiuſmodi cupiditatem, & ipſos auaros, & omnia ab eis acquiſita miſerè perdet. *auulſos.* raptos, ſublatos. *ferat.* demergat. *Aufidus.* Apuliæ fluuius. *acer.* cum impetu defluens. *at qui tantulo.* hic in mediocritate ſignificat eſſe ſecuritatẽ, vt ab illa abundantia deterriti, citius ad hanc feramur. *quanto eſt opus.* quantum ſufficit. *limo.* vita perturbata. *turbatam.* continuatio allegoriæ. turbata aqua pro quæſtu ſordido. *neque vitam.* id eſt, non cadit in periculum, neque nimia negotiorum mole, tamquam aquæ impetu raptus, obruitur. Docet autem allegoricôs paruis contentum, neque ſordidum quæſtum ſectari, neque implicari periculis. *at bona.* maior pars. *cupidine falſo.* falſa opinione, aut inepta & inani cupiditate. & notandum cupidinem genere maſculino pro cupiditate omnino nouè poni. *quia tanti q. h.* multi hæc dicunt, pecuniæ maximæ ſunt congerendæ; quia pro illarum magnitudine & modo perſonis publicus honor defertur: nam dat cenſus honores. *quid facias illi.* qui talis eſt, vt ab hac perſuaſione remoueri non poſſit. *iubeas.* ſinas atque permittas eum eſſe miſerum. *quatenus.* pro quo vſque, quamdiu, aduerbium temporis. is autem libenter eſt miſer; qui quodammodo vouet vel maximo ſuo labore maximam quærere pecuniam. *vt quidam mem. Ath.* de Timone Athenienſi dicit, qui cùm odium generi humano indixiſſet, ipſe tamen pecunia ſua lætatus eſt. *ſordidus.* auarus. *populus me ſibilat.* quia ſolebat populus bene de ſe meritis in publico applaudere, ſed malos & improbos auerſari & exſibilare. *ſic ſolitus.* ſupp. dicere. *contemnere v.* non curare obloquia populi. *ſimul ac.* poſtquam aſpicio & conſidero nummos meos. *Tantalus à lab.* auaros ait ea pœna vrgeri quam Tãtalo fabulæ aſſcripſerunt: ſed appoſitè hæc pronuncianda ſunt, & attentè. ſenſus eſt; ſimilis eſt Tantalo qui habet pecuniam & ea nõ vtitur. nam quemadmodum Tantalus non poteſt vti præſentibus, ita nec auarus: ille à furiis, iſte ſua ſponte prohibitus. *captat.* cupit, deſiderat. *quid rides?* ô auare. *mutato.* ſupp. certè. *indormis.* vacas. *inhians.* timens ne amittas, ſollicitus vt plura acquiras & ſtupens præ gaudio quando illa aſpicis. *parcere.* illis tamquam rebus ſacris, quas ne tangere quidem licet. *cogeris.* ab auaritia. *& pictis tamquam.* apta comparatione ſacra & picturas introducit, oſtenditque pecunias auari illis eſſe ſimileis, nam ſacra tangere, & ex illis quæſtum facere prohibebat religio; pictæ verò tabellæ propter artificium ſine alio fructu intuentium animos illudebant: ita auaritia prohibet contingere pecunias, & illas ſine vſu tantum contemplari permittit & viſu frui. *neſcis quò va.* ἐρώτημα, ad oſtendendum vſum fructum ipſius pecuniæ. *quò.* ad quid? *panis ematur.* enumeratio earum rerum quibus emendis neceſſarij ſunt numi. *adde queis.* adiice, inquit, illa quibus ſibi negatis, id eſt, non conceſſis, natura humana doleat, id eſt crucietur aut pereat: ea autem ſunt, non quæ ad delicias pertinent, ſed quæ ad vtilitatem, vtpotè veſteis, balneum, vſus mulieris, & huiuſmodi quibus & frigus & fames depellitur. *doleat.* eſt modi potentialis; pro, dolere debet. *an vigilare.* hæc ſunt quæ patiuntur auari. *compilent.* expolient. *fugientes.* fugitiuos. *hoc iuuat.* delectat, ſcilicet ſemper timere, ſemper ſollicitum eſſe. *horum.* quæ tu bona iudicas. *pauperrimus.* hoc dictum eſt vt diues opum cum genitiuo caſu. ſenſus eſt, ego malim egentiſſimus eſſe, quàm habere illa bona quæ mihi afferant cruciatum. *tentatum.* cruciatum, malè affectum ſit corpus tuum aut frigore, aut aliquo caſu condoluit, id eſt, ægreſcat, nemo te optabit conualeſcere. *qui aſſideat.* qui apud te ſedeat, præſtans tibi omnem curam & officium. *fo-*

menta paret. qui te foueat. fomenta à fouendo dicta ſunt, inde & fomites, quibus ignem fouemus & alimus. *ſuſcitet.* ſubleuet è lecto & ſanum faciat. *non vxor.* nulli optant tuam ſalutem quibus durus es per auaritiam & iniquus. *miraris cùm tu.* miraris te omnibus eſſe odio, cùm tu omnia poſtponas argento, id eſt, minoris facias quàm tuam pecuniam & illam omnibus præponas. *poſt omnia po.* τμῆσις figura. *at ſi cognatos.* ſententia eſt, at ſi cognatos tibi, quos natura conceſſit amicos humanitate deuinxeris, videris tibi ita operam perdere, vt ille, qui aſino velut equo vult vti. Aliter, at ſi nolis aliquo obſequio, aliqua ſedulitate conciliare tibi tuos cognatos & affineis, perdes operam, ſicut is qui docet aſinum currere. Hoc autē eſt prouerbiale ſchema, docere aſinū currere. *nullo natura.* qui nullo noſtro labore, nulla induſtria nobis naſcuntur amici. *doceat parentē.* ordo eſt: doceat aſinum parentem, id eſt, obedientem frenis, id eſt, frenatum currere in campo. *denique ſit finis.* ſenſus eſt, poſtremo cùm aucta ſit pecunia tua, minùs iam debes paupertatem metuere, ſed labor finem debet accipere, cùm habeas acquiſitū quantū optaueras, habes enim quod auebas, id eſt, auidè cupiebas: vnde auidi dicti ſunt auari. *parto.* id eſt, parato eo quod deſiderabas. *cúmque habeas.* ſupp. quàm ſit neceſſe. *pauperiem met. mi.* ſupp. fac vt non metuas paupertatem. *diues.* ſupp. ita: vt ſit ita diues, vt metiretur numos, non numeraret: vel adeò diues, vt, &c. *non vmquam.* numquam. poteſt & nonnumquam pro aliquando, ita vt perrarò Vmidius ſeruo ſuo melius veſtitus fuerit. *ſupremum tempus.* vitæ ſuæ. *fortiſſima Tynda.* ſignificat Clitęmneſtram Tyndari filiam, quæ virum ſuum Agamemnonem adiuuante Aegiſtho adultero interfecit. *quid mi ig.* obiectio per μεγαλοφωνίαν ipſius auari. *viuam Na.* Næuius hic tam parcus fuit, & auarus, vt ſuo merito ſordidus diceretur. at contrà L. Caſſius Nomentanus adeò ſuorum bonorum profuſus fuit, vt ſeſtertiûm ſeptuagies libidini & gulæ impenderet. Huius cocum nomine Damam Salluſtius Criſpus centenis numis conductum habuit. hic autem dictus eſt Nomentanus cognomento ab oppido Nomento: Nam Caſſius proprium erat. *pergis pugnantia ſe.* perſeueras in contrariis, & pugnantia ſecum, id eſt, inter ſe frontibus aduerſis, id eſt, ex oppoſito pergis componere. id eſt, comparare. interrogatio obiurgatoria. *non ego auarum.* ſolutio à remotione vtriuſque obiecti. Vappa hic dicitur perditus, & luxurioſus, ſtultus, inſulſus, qui nihil ſapit, à vino corrupto & euanido, quod ſaporem perdidit. Nebulones autem vani & leues vt nebulæ: nam cùm ſine certo conſilio vitam degant, nebulis ſunt & vmbris hominum ſimiles. *eſt inter.* adagium facetum ad diſſimilitudinem oſtendendam inter auarum & prodigum. Nam vt inter hernioſum & ſpadonem medius eſt qui omnia ſua membra ſana habet & integra, ita inter ſordidum & luxurioſum eſt liberalis. Tanais autem ſpado fuit Mæcenatis libertus, at Viſellij ſocer hernioſus. *eſt modus in r.* iuxta illud Phocylidis, πάντων μέτρον ἄριστον, id eſt, omnium modus eſt optimus. huic autem ſimile eſt, μηδὲν ἄγαν, id eſt, ne quid nimis, vt ait Terentius. *fines.* vltra hos fineis & citra rectum nequit conſiſtere, ſed intra eoſdem: quare vltra hos ſi procedas, vel citra ſubſiſtas, à recto aberras. *illuc vnde.* Quia digreſſionem fecit, ad ſermonis ſui ſenſum, quem inchoauerat, recurrit: nam cùm cœperit dicere nullum hominem ſtatu rerum ſuarum gaudere, ſed laudare diuerſa, ab iis tamen diſſentire ait auarum, & ſolum propoſito ſuo gaudere. *quódque aliena.* ita Ouid. Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro, Viciniúmque pecus grandius vber habet. Nam aliena nobis, noſtra plus aliis placent. *neque ſe maiori.* ad idem redit quod dixit auarum ſe probare, quia ſe non ſolum non patitur eſſe pauperem, ſed ſtudet omneis ſuperare diuitiis. *comparet.* comparare velit. *hunc atque h.* vnumquemque. *ſic feſtinanti.* quia ſemper ditiorem inuenit, ideo miſeria cupiditatis eum numquam deſerit, dum ſemper laborat ſuperiores diuitiis vincere. *vt cùm carcer.* totus iſte verſus eſt διφορὸς, nam coniungit aptiſſimè ſequēteis verſus ſuperiori ſenſui, hoc pacto: quemadmodum auriga inſtat equis his qui curſu vincunt ſuos, & contemnit eum quem à tergo relinquit; ita auarus neglecto paupere ſemper feſtinat opibus vincere ſe ditiorem. *carceribus miſſos.* emiſſos carceribus currus, id eſt, ex eo loco vbi ſtant parati ad currendum, vt fit in certaminibus Olympicis & aliis. *rapit vngula.* ἐναλλαγὴ numeri, pro vngulæ. deinde πρῶτος eſt συνεκδοχὴ pro equis. *inde fit.* ὑπερβατόν. ſic enim eſt ordinandum: inde fit vt rarò reperire queamus, qui dicat ſe vixiſſe beatum, adeò ardet auiditate pecuniæ auarus, etiam circa diem mortis, vt illud pecuniæ ſtudium numquam eum ſinat requieſcere, ne tunc quidem cùm moritur. *iam ſatis eſt.* modum ſibi ſtatuit de auaris dicendi. *ne me Criſp.* philoſophi cuiuſdam loquaciſſimi nomen, qui ἀρεταλόγος dictus eſt; ſcripſit etiam verſus de ſecta Stoica: Quare, inquit Horatius, finem facio, ne quis putet me hæc ſuffuratum Criſpino. *ſcrinia.* capſæ ſunt quibus libri continentur, aut aliud quippiam. *lippi.* non oculorum ratione, ſed mentis, quòd fuerit inſulſus poëta.

CRVQVIVS.

De inſcriptione librorum qui Sermones dicuntur.

NON parua eſt controuerſia inter eruditos, inſcribi ne debeant hi libri Satyræ, vt non indoctè contendit Lambinus, an Sermones iam olim vſitato vocabulo: quare non omnino inſulsè me arbitror facturum, ſi & meam ſuper hac re ſententiam, & quæ in veterum collectaneorum libris offenderim notata, conferam in medium: ne in eodem ego cum multis aliis argumento aut ἄμουσος, nihilque poſſe, aut commodis aliorum ſtudiiſque non adeò propensè fauere iudicer. Si quid autem hinc compendij emolumentique ſtudioſorum conatibus accedat, illis quidem gratulabor, mihi verò gaudebo: Sin minus, obteſtabor certè bonos omneis, vt benigniùs hoſce noſtros labores interpretentur, æquique bonique conſulant. Itaque vt quid velim curſoriis quibuſdam notis exequar, in codicibus manuſcriptis ante annos ſeptingentos (quod argumentis indubitatis aliquãdo teſtabimur) nihil eſt tanti, quod magnopere alicui fidem faciat, qua epigraphe fuerint olim inſigniti libri tam ſermonum quàm epiſtolarum: Sed facilis eſt coniectura hac in re tot ſenſus quot fuiſſe capita, omneiſque pro arbitratu id ſenſiſſe, quod inſtituto videretur maximè idoneum, vt fit ab iis qui in triuiis cõſtituti, & itineris ignari, quò ſe vertant planè neſciunt. In tribus autem codicibus Blandiniis & Buſlidiano pro titulo ita ſcriptum eſt: incipit primus liber Sermonum Horatij. deinde ſingula poëmata inſcribuntur Eclogæ. Quinque autem alij codices nullam omnino habent inſcriptionem. Antiquiſſimus autem ex Bibliotheca Blandinia (quæ nunc, prô dolor, vnà cum Dunenſi à barbaris, nec vnquam ſatis execrandis εἰκονοκλαστῶν prorſus lacera, diſtracta, deperdita, exuſta eſt, non ſine incomparabili rei litterariæ, & omnium diſciplinarum immedicabili vulnere,) is inquam habet, Q. H. F. Carmen ſeculare explicit: incipit Eclogarum liber primus, maiuſculis quibuſdam (ita tamen vt aliquo modo legi poſſent) characteribus eraſis, atque in earum locis depictis aliis, qui lectori τὸ Sermonum exhibent: Quare coniecturam facimus hoc antiquiſſimo habitu ea ſcripta olim prodiiſſe in publicum. Sed is, cùm malè ſalſis ingeniis, quibus nihil eſt mentis, redoleret neſcio quid exoticum, nec domi ſuæ natum, reiecto ex humeris Græco eo ſchemate inſcriptionis, cenſuerunt ea Latino cultu emittenda. Quod dum faciunt, déq. eius forma diſceptãtes non mediocriter (vt eſt vero conſentaneũ) inter ſeſe diſſident, ſcinduntur incerti ſtudia in contraria, vt poëtæ verbis vtar: Nam alij quidem libros Sermonum, ex eo fortaſſe quod dixit, neq. ſi quis ſcribat vti nos ſermoni propiora, &c. Alij verò contrà ex eo, Sunt quibus in Satyra videar nimis acer, &c. libros Satyrarum inſcribendos omnino decreuerunt, maiori certè cum iudicio (vt ego quidem cenſeo) & applauſu quàm ceteri, nimirum quod ad imitationem Lucilij non temerè dixeris Horatium Romanos monere voluiſſe, ſui quemque officij. Verùm demirari ſatis nequeo, quid in mentem venerit illis tam emunctæ naris hominibus, quòd ſui quaſi immemores, non perinde toti operi induxerint ſuam epigraphen Græcam atque ſingulis eius poëmatiis: Nam in codice Buſlidiano & Blãdiniis ſingula notata ſunt hoc titulo Ecloga 1. 2. 3. &c. quos etiam numeros cum id genus appendice Lambinus nõ diffitetur ſe obſeruaſſe. Rurſum non ſatis ſcio quid hoc ſit portẽti, huic quidem operi inſcriptionem hanc eſſe prępoſitam, LIBRI SERMONVM, & ſingulis ſcriptis poëmatis eam ita penitùs ablatam, vt neq. Satyræ vlla nota neque Sermonis appareat. Verumenimuero cùm ad me redeo, iniquior meritò videri poſſum cenſor alienorum laborum, & non cernere acutum (vt ait Lyricus) vt qui nõ videam hos librarios (quicumq. tãdem ij fuere) in excudẽdis (pænè dixeram deſtruendis) ſcriptis Horatianis, tam fuiſſe prouidos, vt futuri nonnihil præſagiſſe videantur, quando ita prioribus adiunxerint poſteriora, ac tanto conſenſu inter ſe ſingula cohærere ſcilicet voluerint, vt, qui fortaſſe de ſuis finibus exoriterentur æmuli, non haberent quod iure in calumniam raperent: nam vt inde à capite hanc in intitulandis Horatianis ſcriptis (vt cum illis loquar) tam præclaram operam ad calcem vſq. (vt fertur) acceſſamus: Quis in quatuor Odarum libris eorum induſtriam non odoretur (adoret dicere volebam) qui bene formatum corpus, mutato capite, totum id monſtroſum oſtentent? Quis enim non æſtimet hoc ineptum, ſingulas quidem inſcribi Odas, toti verò operi præfigi hoc frontiſpicium, Q. H. F. libri 4. Carminum, non etiam, libri 4. Odarum ſuum nomen proprium. Nunc quæſo lector candide vide quanta cura, quo labore, ingenio, quãta denique induſtria in inſigniendis his ſcriptis Acroniani illi & Porphyriani cuculi ſint vſi? Rurſum vt nos aliò transferamus, quàm miſera hactenus & periculoſa contentione per inſigneis hos τελεσιάρχας laborarunt ἐπῳδοὶ cum odis? eò namque ventum erat, vt ſolo ἐπῳδῶν nobis reliquo nomine, & vis eius in difficile certamen cum odis deſcenderit; &, ni Deus aliquis propitius epodos reſpexiſſet, eis aut pereundum, aut in exulium

lium perpetuum fuiſſet abeundum: odis, putà, iam olim ſedem earum vſucapientibus. Poſtremò non fuit ſatis his nugiuendis eſſe funditus portentoſis, niſi & ſe impios declararent. Quid? eſt ne ab omni humanitate alienum filium familiâs nullo ſuo merito quaſi in inſulas deportare, nedum à familia nomine & portione hęreditaria arcere? Nemini enim vel propriis vnguibus non eſt notius, quanta iniuria ad Piſones epiſtola à ſuis coëpiſtolis (vt ſic loquar) tamquam cohæredibus auulſa ſit, reiectáque in locum non ſuum: aliiſque inſignibus quàm ſuæ familias, omnium oculis expoſita, puta, Q. H. F. liber de arte poëtica. Quod eo fortaſſe conſilio ab eis factum eſt, ne illi miſeræ, ſui nominis aliquando recuperandi vlla ſpes ſupereſſet: Quod ei profectò hoc fuiſſet difficilius, quò minùs vnas eaſdémque ſedes occupauerit: Nam in codicibus Blandiniis duobus, Tonſano & Diuæi, ante libros Eclogarum: in aliis duobus Blandiniis & Baſſidiano, ante libros ἰάμβων: in Nannij & Martinio codice locum habet ante libros epiſtolarum: vt taceam codices quos Lambinus tractauit. Nunc itaque apud te cogita lector beneuole, num immeritò pluribus hic conquerar huiuſcemodi iniuriam ab improbis ſciolis vt odis & epiſtolæ ad Piſones, ſic his quoque libris, quos nunc euoluimus, eſſe illatam. Nam quod ita ſit, & antiquam horum librorum inſcriptionem hanc fuiſſe, Libri Eclogarum duo: in primis præ ſe fert vetuſtiſſimus codex Bland. Deinde hæc in codic. ſcriptis manu ad marginem adnotatio, nec recens, nec omnino inepta, nobis veſtigium non otioſè prætereundum demonſtrat, his verbis, Eclogę habent hæc nomina: ſi ad Iouem, Proſodia dicuntur. ſi ad Apollinem, Dianam aut Latonam, Pęanes. ſi ad Liberum aut Semelen, Dithyrambi. ſi ad ceteros Deos, Hymni. ſi ad homines laudandos, vituperandos, reprehendendos, lugendos, Odæ. Sunt enim poëmatia breuia. Quid? numquid ex his veſtigiis vel mediocriter in ſcriptis verſatus, cenſere meritò poteſt, non aliter inſcribēdos hos libros, quàm Eclogarum nomine? Profectò huiuſce ego rei diſquirendæ gratia maiori vterer animo, & ἐπιχειρήμασι non vulgaribus docerem hæc ſcripta potius Eclogas, quàm Satyras nominādas, niſi iam multis retrò ſeculis doctiſſimorum virorum conſenſus vnanimis, meis rebus iuberet imponere modum. Atqui tamen hoc citra culpam omitti nō poteſt, & ſermones & epiſtolas, aut vno Satyrarum nomine inſcribi debere, iuxta illud Sidonij hac in re (meo quidem iudicio) non inepti arbitri, vbi ait: Non quòd per Satyras epiſtolarum ſermonúmque ſales, &c. vtrobique enim & amarulentiam irriſionémque inuenias, & cum argumento dictionem humanæ conſuetudini, colloquióque familiari quàm ſimillimam: Aut illis quidem proprium relinqui vt dicantur Eclogæ, his verò vt ſint epiſtolæ: Nam ſermonis nomen, vt latè patet, & in epiſtolis etiam reperitur, ita minus eſt commodum ad hæc inter ſe ſcripta diſcernenda: niſi fortaſſe quis velit (in qua ſententia eſt M. Arnoldus Woulardus vir doctiſſimus) Satyras quidem ab Horatio ad imitationem Lucilij ſcriptas, ſed non inſcriptas, eáque, etiamſi nominatim quædam ſint ſcriptæ ad Mæcenatem, tamen generatim ad omneis pertinere; Epiſtolas verò ad eos propriè ad quos ſcribuntur. Sed lectorem remitto ad epiſtolam ad lectorem poſt Commentarios poſitam. Quare his nunc valere iuſſis, vt ad Commentatorem veniam, & Satyram hic agnoſcam, hoc ad ea quæ ſcribit tamquam auctarium apponēdum non inutile fore putaui. Nimirum quòd poſt legem apud Athenienſeis ab Alcibiade latam contra comœdiæ antiquæ petulantiá, videtur Satyra ſumſiſſe originem Cratino auctore: is enim Athenis in feſtis Dionyſiis primus eam inſtituit: ea nimirum de cauſa, vt perſonis huiuſcemodi, quales erant Satyri, dij valde ridiculi, grauitas illa Tragica, iocis & ſalibus condiretur. Quod & Horatius in epiſtola ad Piſones graphicè depingit, inquiens, mox etiam agreſteis Satyros nudauit, & aſper incolumi grauitate iocum tentauit. De etymo autem ipſius nominis Satyra, præter ea quæ iam diximus, quæque à Commentatore commemorantur, opinatur Varro ſecundo libro Plautinarum Quæſtionum, eſſe quoddam farciminis genus: Satyra eſt, inquit, vbi paſſa & polenta, & nuclei pinei ex mulſo conſperſi. Sunt qui à lege Satyra nomen habere putant: equidem potius contrà, & legē Satyram dixerim hoc poëmatis genus ſubſecutam, quòd velut vno faſce cōprehendat omnium vitia, vel ipſo teſte lib. 2. Satyr. 1. Primores populi arripuit, populumque tributim, &c. Ceterùm in hac prima Satyra & Ode prima lib. 1. ſunt qui exiſtiment à ſe diſſentire Horatium, ſed falluntur, vt arbitror. Nam & hic & ibi in confeſſo eſt Horatium nihil quàm vitæ humanæ docere actiones eſſe minimè conſtanteis, omneiſque homines vnum aliquod amplecti ſtudium tantiſper dum omnia ſuccedūt pro arbitratu. Cōtrà optare & ſequi varia, vel exemplo mercatoris in Ode prima, qui dum aura flaret minus ſecunda, deteſtato negotio laudabat otium & oppidi rura ſui. Ita namque ingenio plerique ſumus omnes, inquit Comicus, noſtri noſmet pœnitet. *qui fit Mæcenas.* hæc enumeratio, aut, Dialectico more, inductio inuerſa eſt, nam themati poſtpoſita eſt ſua ratio, hoc ordine ſtatuenda: nō mercator,

non miles, non agricola, non iuriſperitus, non aliquis generis huius alium non beatiorem prędicat, ergo nemo ſua ſorte contentus viuit. *vt nemo.* ſors hic eſt actio, euentum, profeſſio vitæ, ars, honor, ceteráque quibus humana vita ſurſum deorſumq. variè agitatur. *ſeu ratio.* admodum propriè dicit rationem dare, & fortunam obiicere ſortem (ſic enim habent omnes manuſcripti codic.) ſeu ſors obiecerit, non etiam, ſors obiecerit. vt aliqui legunt, non aptè: Nam ſi ratio eſt eorum quæ ſunt ſemper aut quæ vt plurimum; & fortuna ſeu ſors, eorum quæ præter hæc fiunt (vt habet Ariſtoteles 2. de Phyſico auditu, cap. 5.) neceſſe eſt rationis quidem eſſe ſua munera certo quodam modo dare; fortunæ verò, temerè quæuis obiicere cuilibet. Verumenimuerò vt hæc res quaſi ob oculos poſita ſit, & quorſum Horatius euadat perſpicuè cerni poſſit, paullò diligentiùs adlaborandum eſt, vt quod ab illo θετικῶς, id à nobis, quò ad eius fieri poteſt, ἐξ ὑποθέσεως diſquiratur. In primis nobis pro comperto eſſe debet, hoc auctoris ἐρώτημα ex intimis philoſophiæ penetralibus depromptum eſſe, qualia propemodum ſunt omnia, & Satyrarum & Epiſtolarum argumenta. Naturæ autem (vt aiunt illi) & animorum vis duplex eſt, quibus tamquam ducibus aguntur humana ferè omnia: altera quidē ratio: affectio verò & in agendo impetus, eſt altera, quæ Græcis ὁρμὴ nominatur. Ratio autem certo conſilio iudicióque dirigit & ſibi conſtare facit ſuas actiones, muneráque & profeſſiones, vt quæ ſibi habet adiunctam prudentiam, quæ docet & explanat quid agendum fugiendúmve ſit: & ob eam cauſam poſſeſſiones huius ſunt certiſſimæ, nullis motibus, perturbationibus, caſibus, nullis denique fortunæ ludibriis obnoxiæ. Sed altera illa ὁρμὴ, quæ in ſe neque conſilium neque modum habet vllum, tam eſt varia, tam incerta & mobilis, quàm ſunt caduca & inſtabilia, quæ extrinſecus ei obiiciuntur: adeò vt hominem ſæpe rapiat in præcipitium, extremáque conſectari compellat, donec aliquod rationis moderamen quaſi frenum ipſi obiectetur iniiciatúrque. Hanc ego arbitror Horatium ſignificare cuiuſque ſortem, quæ partim quidem à ratione, eam aliquo modo gubernante, partim verò à fortuna ipſius impetus comite non infrequēti, dependet: cuius inſana cæcitate, Cothurno (vt aiunt) verſatilior factus humanus animus, vel ad quemuis auræ ſtrepitum infelicem, nunc huc nunc illuc impellitur ſine recti veríque cognitione. Huc facere poſſent ea quæ à Platone de neceſſitate, iuſſiſque Dei ineuitabilibus diſſeruntur: déque vi aſtrorum, in qua fortuna ſita eſt, ſine certa fixáque cauſa: nec non de fati cauſis indubitatis & firmis: Præterea Lacheſis illius hic ſpargere poſſet ſuas ſorteis: verùm hæc ipſa cupio eſſe remota à Chriſtianis & oculis & auribus. *laudet diuerſa.* hæc vitæ conditio tædioſa, quam ex ſenſu mali alicuius à nobis apprehenſi volumus omnes cum alio commutatam, ex eo fonte dimanat, quòd & aliena mala leuiora exiſtimemus, & noſtram cum felicioribus vitam conferamus: quemadmodum ad finem huius Satyræ liquidò tradit Horatius. Quare ſi huiuſcemodi moleſtis affectionibus ire obuiam, eáſque reprimere deſideremus, ποιήσομεν δὲ τοῦτο, ἀντεχόμενοι φρονήσεως καὶ σωφροσύνης καὶ μεταχειριζόμενοι τοῖς παροῦσιν καὶ μὴ πολλῶν ὀρεγόμενοι. id eſt, hoc faciemus, inquit Hipparchus in lib. de tranquillitate apud Stob. ſi prudentiam & temperantiam aſſecuti, præſentibus vtamur, & non multa deſideremus. *fractus membra.* Synecdóche conſtructionis, habens membra labore militari fracta. Quàm fuerit Romanorum militia laborioſa, in ferendo cōmeatu, in geſtandis armis, & vallo, plena ſunt ſcripta veterum: icirco vult alius militiam à mollitia per antiphraſim dictam, quòd ea minimè mollis fuerit, ſed dura & aſpera. *quid enim.* coniunctio enim, hic expletiua eſt, ita vt pleniorem quidem reddat orationem, ſed nihil addat vlterius: talis eſt, atenim apud Cicer. ad Q. fratrem. at enim inter ipſos exiſtunt graues controuerſiæ. ſic, ſed enim, apud Virgil. Sed enim Troiano à ſanguine duci audierat. Plautus, Quia enim metuo ne in aqua ſumma natet. *cita mors.* ſic habent 4. codices Bland. Tonſ. Diu. & Mart. *datis vadibus.* vas, inquit Varro lib. 5. de ling. Latina, appellatus eſt, qui pro altero promittebat. Conſuetudo erat, cùm reus eſſet parum idoneus inceptis rebus vt pro ſe alterum daret, à quo caueri poſſet, lege cautum eſt ab his qui prædia venderent, vades ne darent: & ab eo ſcribi cœptum in lege mancipiorum, vades ne poſcerent, nec dabitur. Hæc Varro. ex quo facile colligere licet, primum vadem dictum, qui ex pactis, conuentis & mancipiis ſeſe pro reo, vadimonio obligaret, ſi fortaſſe res ab emtore euicta eſſet, vt apparet ex lege venditionis. At poſteà cœpit vas quidem dari in re capitali: præs verò in re ciuili & numaria. Quemadmodum Auſonius in ſuis monoſyllabis ſcribit: Quis ſubit in pœnā capitali ſupplicio? vas: Quis cùm lis fuerit numaria, quis dabitur? præs. Aſconius autem Pedianus ſcribit prædes dici fideiuſſores, quorum bona prædia dicuntur. *loquacem delaſ.* ἐξ ἀναλόγου certum eſt hunc Fabium fuiſſe moleſtum aliquem percontatorem. ea enim ferè in orbem redeunt, loquacem eſſe, & percontatorem: niſi quis malit eum clamoſum fuiſſe cauſidicum,

cum,

cum, ad quem omnes certatim ex eo genere hominum accurrerent patrocinij cauſa: non raro enim iudices clamoribus & improbitate actoris impulſi, vel accelerant vel pronunciant ſententiã, quam plerumq. poſtea velint eſſe tacitam. Videtur itaque talem denotare, qui etiamſi gaudeat in turba litigantium verſari luctarique, cum tamen nimia hac multitudine tandem poſſe defatigari. *ne te morer.* locus attentionis à breuitate *ſi quis Deus.* vide quàm cõmodè in hoc ſtatu cauſæ pro rei magnitudine, de qua hic omnibus ſecum dicit eſſe controuerſiam, nõ iudicem aliquem hominem (vt qui omnes inter ſe diſſentiãt) ſed Deum introducit arbitrum, ſi ſingulis citra damnũ alicuius, pro voto faciat ſatis, vt da is vnicuiq. partibus æquis, tranquillos & beatos dimittat: quod quidem beneficium ab homine dari nequit; ſed ab vno Deo, qui auctor eſt ſortis cuiuſque. & tribuendæ, & pro arbitratu ſuo vel in melius vel peius commutandæ; iuxta illud Dauidis: In manibus tuis ſortes meæ. *buccas inflet.* de arrogãtibus & ſuperciliosis, vt inquit Suidas, ἐπὶ τῶν ἀλαζόνων καὶ ὑπερηφάνων: quo loco ipſe coniungit duo adagia eiuſdem ſententię, ὀφρῦς ἀνασπῶντες, καὶ γνάθους φυσῶντες. id eſt, ſuperciliis contractis, & buccis inflatis. *nolint* ſic ſcriptum eſt in omnibus codic. vt ſit modi potentialis, hoc ſenſu, non poſſunt, nec æquum eſt eos velle, vt mutatis vitæ inſtitutis hinc diſcedãt. Tale eſt illud Virgil. Quicquid eris, nam te nec ſperent tartara regem, hoc eſt, ſperare non poſſunt. Cicer. ad Q. fratrem: Quod labores, nihil eſt: pro, debes laborare. *iocularia.* ex Quintiliano de ridiculis cognoſci poteſt, quòd iocus ſit in verbo, ludus in facto; ſed alterum frequẽter ſubit vicem alterius, vt hoc loco, iocularia pro ludicris rebus. Sic Iuuenalis, Quoties voluit fortuna iocari, non dicto, ſed facto. Ouid. Hos ignara iocos tribuit natura puellis, Materia ludunt vberiore viri. *quamquam rid.* hoc eſt, ridere & verum dicere; ridere autem hic eſt dicere aliquid riſu dignum, aliquid ſalſi & lepidi, quod riſu mordeat. *cruſtula.* cruſtula, inquit Varro, à cruſta pultis, cuius ea quæ vt corium exuritur, cruſta dicta. Quare cruſta à corio venit, quaſi coruſta, vt à fide, fiduſtum, à veru, verbuſtũ, vt caro verbuſta apud Plautum. *ſed tamen amo.* reditus ad prius inſtitutum, egreſſus eſt enim à themate, quaſi aliud agens. *ille grauem duro.* hic quaſi baſim iacere incipit futuræ cõcluſionis huius ἐπιχειρήματος, nimirũ omneis quidem ſequi diuerſa ſtudia, ſed ad eandem collimare finem vltimam, putà auaritiam *ille grauem.* periphraſis agricolæ. *nautaq.* mercatores. *vt in otia tuta.* egregius auaritię prætextus, ab otio & quiete ſenili, iis hominibus ferè perpetuus, qui ſordido quæſtu rem faciunt, quem prætexunt inopi ſenectæ: ita ſit vt neque iuuenes, neque ſenes beatè vitam tranſigant, vt eleganter habet hoc epigramma ἄθλιος ἦν νέος, ἀλλὰ πένης, νῦν γηρῶν πλούσιος εἰμι. ὢ μόνος ἐκ πάντων οἰκτρὸς ἐν ἀμφοτέροις. ὃς τότε μὲν χρῆσθαι δυνάμην, ὁπότ' οὐδὲν ἔχον, νῦν δ' ὁπότε χρῆσθαι μὴ δύναμαι, τότ' ἔχω. Quod ita Latinè reddidi: Pauper eram iuuenis, ditem premit ipſa ſenectus: Heu mihi, tunc iuuenem, nunc dolet eſſe ſenem. Vti cùm poteram, mihi nil erat æris in arca. Vti cum nequeam, nunc mihi plus ſatis eſt. *paruola nam ex* paruola habent Bland. codices. argumentum ab exemplo peculiari ſordidis, qui magno quidem labore aiunt ſe bona conquirere, ſed non perinde fatentur ſe non in omnibus reſpondere induſtriæ & ſagacitati ipſius formicæ, nam quæſitis non vtuntur dum tempus poſtulat ipſius inſtar. *atque addit a* uere renaſcantur fruges ſecat ore ſepultas, inquit Baptiſta Mãtuanus in Eclogis. *quæſitis* acquiſitis cibis. *ſapiens.* in hoc conſentiunt omnes manuſcripti codices. nam moderatè ſuis vti docet ſapientia. *demeucht* in omnibus ſcriptis præter Marr. *neque hiems i. m.* feſtinata narratio per aſyntheton. *dum ne.* ὡς μὴ, vt ne πλεῖον. niſi maximus ſic exponere, *dum ne*, donec, vel dummodo non ſit alius te ditior. *quid iuuat.* amica monitio, cum tacita obiurgatione *defoſſa terra depo* id eſt altius foſſa, vt denſare, ſupra, valde laniare. Hæc autem oratio, deponere pondus immenſum defoſſa terra, an præpoſitionem requirat, pro deponere in defoſſa terra, non auſim dicere: nam deponere hic aliam quàm propriam vim notare videtur. verùm hoc diſputent Grammatici: ego certè huic ſimilem video vſurpaſſe Columellam lib. 5. cap. 4. de vineis loquentem: Omnium autem laterum ferè eadem eſt conditio, nam vel ſcrobe vel ſulco ſemina deponuntur. *timidum* proprium auari, is enim perpetuò ſollicitus eſt, ne diuitias paratas amittat, vt Eucho ille Plautinus ſic Ariſtoph. ἀλλὰ λέγουσι πάντες, ὡς δειλότατόν ἐσθ' ὁ πλοῦτος, hoc eſt, Quin dictitant omnes diuitias eſſe quid timidiſſimum. Euripides de auaro qui aurum ſeruat defoſſum, ait, ἐγὼ μὲν οὔποτ' αὐτὸν ὄλβιον καλῶ, φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων δυσδαίμονα. hoc eſt, hũnc ego nequaquam beatum nominauerim, ſed potius felicem diuitiarum cuſtodem. *quod ſi comminuas* ad nummum vnum: iuxta illud Perſij Satyr. 2. nequicquam fundo ſuſpiret nummus in imo. *quid habet p* τὸ pulchrũ eſt hic bonum vtile: vſu namq. ſplendeſcit pecunia. *milia frumenti.* per l vnicum in omnibus ſcriptis. *tua triuerit A.* per trituram reddiderit. aut eſt hypallage, pro triuerint tuam aream, dum excuterentur triturarentúrq. eſtque conceſſio. vel ſubintelligere eſt opus τὸ etſi,

aut

aut ſimilem particulam; vt hæc ſit ſententia: ſit ita vt tua area, &c. vel, etſi tua area terat cent. mil. fru. non hoc, id eſt, non ideo capacior eſt tuus venter meo. ſic enim arbitror accipiendum τὸ hoc, vt poſteà τὸ eò. *reticulum.* reticulum apud maiores notat varia, eſt enim quo religatur coma, Capillare ipſi Martiali. eſt & Paſtillus olfatorius, vt poſteà, Paſtillos Ruffillus olet, Gorgonius hircum. Cic. reticulum ad nareis apponebat plenum roſæ. hic autem capitur pro ſacculo ad panem geſtandum, ſiue loculis ad reponendam pecuniam. Vegetio eſt follis. Oſtendit à ſimili auarum non eſſe melioris condicionis in exaturando ventre, ex ampliſſimis ſuis diuitiis, quàm ſit ſeruus, cui inter venalitios ab opere vacuos, panarium geſtanti ex dimenſo diurno, æqua cum aliis portio dabatur. *vel dic.* reſponde ô auare. *Aufidus.* perpulchra, & huic comparationi aptiſſima allegoria, quam lubet paucis euoluere, vt tegumento detracto res aperta ſit omnium oculis. Fonticulus hic, eſt natura recti & honeſti particeps; flumen autem magnum, vita & conuerſatio humana: ex fonticulo haurire, eſt melioris illius naturæ ductum ſequi, qui vnicus eſt ſimplex, & ab omni vitiorum inquinamento purus, & ſine vllo ſtrepitu tranquillus: ad flumen non procul à capite defluum, id eſt, vita nondum perturbatius agitata, ſeruat ſui fontis magnam quidem integritatem: verùm vbi ad multa iam ſtadia ab origine ſua, atque adeò miliaria delabitur, fit aqua pluuia turbatum, vndequaque torrentibus, riuis, lacunis, omnia cœnoſa ſecum omnémque immunditiem deuehentibus, cuius in ripa ſubſiſtere periculoſum: aquam quoque ex ea hauſtam bibere & noxium eſt, & plerumque mortiferum. Ad hunc modum conuerſatio humana eſt eò purior, quò propius abeſt à natura recti conſcia; verùm vbi longius ea valere iuſſa, cœpit implicari ſuis affectibus, ita tota redditur ab origine ſua aliena, vt vix ſcintillam recti in illa emicare videas; hinc adeſt dolus, iſtinc periurium, illinc furta, rapinæ, cædes, ambitio, aſſentatio, ceteráque omnium vitiorum caterua, quæ, tamquam putidi riuuli, & cœnoſi, tanto impetu & furore rapiunt hominem, vt natura neq. ſui recuperandi vllas vireis habeat, neque illum ab interitu vindicandi, ſed vitam amittat in vndis. Quinetiam dictum hoc Horatij ſimpliciter accipi poteſt, vt adnotauit Arnoldus Woulardus; ita vt per magnum flumen & fonticulum intelligamus immenſas & mediocreis opes, vt reſpiciat dictum illud Heſiodi ἀνιγματῶδες, dimidium plus toto. *at bona pars.* ſubiectio: qua oſtendit Horatius cedendum quidem eſſe multitudini, ſed non cum ea ſentiendum, niſi quis velit libenter errare à vero & recto. *quatinus id ſa.* ſic habent codices Bland. Mart. & Tonſ. cum hac adnotatione: quia ſeruit pecuniæ. *vt quidem Ath.* Cõmentator exiſtimat hoc ad Timonem Miſanthropum pertinere, ſed mihi non ſit veriſimile, propter hoc Ariſtonymi apud Stobæum, Τίμων ὁ μισάνθρωπος, στοιχεῖα ἔφη τῶν κακῶν εἶναι, ἀπληστίαν καὶ φιλοδοξίαν. hoc eſt, Timon ille oſor hominum elementa malorum eſſe dixit, inſatiabilitatem & ambitionem. Verùm ad marginem vnius codicis Bland. ſcriptum inueni, hic quidam notatur Fabius. *Tantalus à l.* quàm lepidè, καὶ παρόδον, auari quaſi aurem vellicat, inducta hac Tantali fabula; non eſt enim ouum ouo tam ſimile, quàm auarus Tantalo, quẽ mentotenus in aquis ſtantem, eamque haurientem ipſa ſubterfugit, quémque vt Dij decreuerunt in perpetuum ſitire, ita auarum ſuis vti bonis non ſinit dea auaritia. De genere verò apud inferos eius ſupplicij, inter ſeſe diſſentiunt auctores. Homer. ὀδυσσ. λ. cum Horatio facit. At Pindarus cum Euripide vult imminens capiti ſaxum perpetuò minari caſum cum ingẽti horrore Tantali. Elegans eſt epigramma γάλλου lib. 4. epigram. in effigiem Tantali: οὗτος ὁ πρὶν μακάρεσσι συνέστιος, οὗτος ὁ νηδὺν πολλάκι νεκταρέου πλησάμενος πόματος. Νῦν λιβάδος θνητῆς ἱμείρεται. ἡ φθονερὴ δὲ κρᾶσις ἀεὶ χείλευς ἐστὶ ταπεινοτέρη. Πῖνε λέγει τὸ τόρευμα, καὶ ὄργια μάνθανε σιγῆς, οἱ γλώσσῃ προπετεῖς τοῖσδε κολαζόμεθα. hoc ſic Latinè à me verſum eſt: Priſtinus hic conuiua Deûm, qui plena liquoris Sæpius exhauſit pocula Nectarei: Nunc guttam potus mortalis deperit, atqui iugiter à labris inuida lympha fugit. Hoc bibe, ait, ſignum, ſed & orgia diſce tacendi; Has dare me pœnas lingua proterua iubet. *mutato nomine.* λαλόδεις fabulæ. *ſaccis.* ſacci vel ſacculi ſuprà meminimus in dictione reticuli. hinc ſaccularij Vlpiano, qui magicis artibus, & hos auarorũ loculos incantare, & pecuniam interuertere credebantur. σακκίζειν enim, ἐστὶ τὸ ἐκκενῶσαι διὰ τὴν κλοπὴν τοὺς σάκκους, vt habet Heſych. id eſt, euacuare per fraudem ipſos loculos ſeu ſaccos, vt non immeritò magna cura ſuis ſaccis indormirent. *neſcis quo v.* ſic legitur in 3. Bland. Tonſ. Buſl. Diu. codic. videtur autem hic locus alludere ad ea Menandri apud Stobæum, τὸ ἀργύριον εἶναι μειράκιόν σοι φαίνεται, οὐ τῶν ἀναγκαίων καθ' ἡμέραν μόνον τιμὴν παρασχεῖν δυνατὸν ἄρτων, ἀλφίτων, ὄξους, ἐλαίου, μείζονος δ' ἄλλου τινός. id eſt, argentum ô adoleſcens tibi videtur, non modò rerum neceſſariarum quotidiè pretium præbere poſſe, vt panis, polentæ, aceti, olei, ſed quippiam habere maius. *quibus doleat.* dolor hic paupertatis comes eſt, ex quo tamquam ex oppoſito intelligitur hæc ſententia,

Adde præter hæc, quæ corpori alendo ſunt neceſſaria, ea etiam bona, ſine quibus non licet in voluptate viuere, ſummóque bono frui, genióque per omnia indulgere, quod nemini fortaſſe eſt integrum ſine vſu pecuniæ; quæ tamen ſi negentur, natura dolet, ſummóque malo afficitur, ex Epicureorum ſententia. *an vigilare m.* à periculis, moleſtia, metu, docet auaros vſu bonorū eſſe paupertimos. *at ſi condo.* frigus hic non eſt elementaris ea qualitas quæ menſibus hibernis corpus adurit, quæque facilè etiam ſine fomentis adhibitis à medico pelli poteſt; verùm eſt horror ille aquæ intercutis, quem hydropem nominamus; is enim lecto corpus grauiter affligit, id eſt, ad lectū: hic opus eſt medico qui ſuſcitet afflictum ac reddat amicis. *afflixit.* habent omnes codices, præter Tonſ. qui habet affixit. *ac reddat na* tres Bland. codices habent, ac gnatis reddat, quod magis eſt ſonorum. *non uxor.* remouet ea quæ commoda dicebat ſe expectare ab amicis, qui multò eum interire magis optant, quàm priſtinæ reſtitui ſanitati, vt, ſi non viuus, mortuus ſaltem prodeſſe poſſit. *at ſi cognatos.* In duobus Bland. codicibus reperi hæc interrogatiuè ſcripta, per an, ad eum vſque verſum, *denique ſit finis.* verùm vſitata doctis lectio mihi probatur magis, nimirum vt hæc ſit clauſula remotionis ſuperioris: at enim coniūctio hic eſt illatiua per enallagen, pro quare, itaque, ergo, aut ſimili: ſicut ἀλλὰ apud Homerum, ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες, ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον. Tale eſt & illud Ouid. 2. Metamorph. Vix me patiuntur vbi acres incaluere animi, ceruíxque repugnat habenis: At tu, funeſti ne ſim tibi muneris auctor, nate caue. In hunc ergo modū hæc collige: Quare ô auare, ſi cognatos, quos nullo labore dat tibi natura, velis ſeruare amicos, infelix operam perdas, id eſt, perdere debes, potentialiter. Atqui hæc illatio, parùm certè Dialectica, nonnihil habet ſcrupi; quare opinor eam non primoribus tantum labris (vt aiunt) deguſtandam: ſi quid autem præter eos quos vidi interpretes hic conari velim, lector candidus id in bonam partem accipiet, ſibíq. perſuadebit, me laureolam non quærere in muſtaciis, ſed ſibi plus ceteris operam dare: quod facile deprehendet in ratiocinatione ſuprà poſita, ſi Dialecticos canones preſſius cōſulat, nam ſi Connexa (quam Hypotheticam ſeu condicionalem nominant) ea demum vera eſt quæ partem priorem ſignificat ſine poſteriore veram eſſe non poſſe, hæc Connexa, ſi tu auare velis cognatos ſeruare amicos quos nullo labore dat tibi natura, infelix perdis operam, planè falſa eſt & inualida, niſi per Synchyſin (quæ figura eſt Horatio familiariſſima) addas τὸ nullo labore, (pro ſtudio & benemeritis) prioribus, non etiam verbo, dat, ad hunc modum, ſi nullo labore velis ſeruare amicos cognatos, quos tibi natura dat, infelix ludis operam. alioqui enim prior pars vera eſſe poterit per ſubintellectionem eius vocis, munificentia, aut ſimilis aliundè petitæ, cùm poſterior pars non fuerit vera, nam auarus ſi ſit in cognatos liberalior, non perdet operam, ſed eos retinebit amicos. Dominus VVoulardus cenſet τὸ nullo labore, eſſe exaggerationem ingratitudinis. quæ ſententia quoque non diſplicet, modò hic ſit ordo horum verſuum, At ſi tu infelix, his tuis moribus & auaritiæ ſordibus, velis cognatos ſeruare, quos natura tibi dat amicos, etiam nullo tuo labore, perdas operam. Iudicet lector doctus. *perdas.* codex vnus Bland. habet perdes; Mart. perdis. reliqui omnes perdas. *in campo.* ſic ſcriptum eſt in omnibus antiquis, vt ſit motus in loco. *aſellum docet.* Eraſmus in Chiliadibus habet, aſinum ſub freno currere doces, id eſt, doces indocilem. cui contrarium eſt, τὸν ἵππον εἰς πεδίον, hoc eſt, equū in campum ſupp. prouocas. *parentem curr.* hoc eſt, doceat parere & currere, vt ſuprà, ridētem dicere verum. *denique ſit finis.* aduerbium denique, pulchrè notat hac vltimā eſſe cōtentionem cū exhortatione, vt aliquando ſui miſertus auarus, vtatur quæſitis & miſerè viuere deſinat. *ne faciat.* in hac ſcriptura cōſentiunt omnes ſcripti codices, nec reuera aliter legi debet, quia ſuadet Horatius auaro, ne faciat quod Numidius quidā, &c. & ita hunc locū refert Soſipater Chariſius lib. 2. de cōiunctione, his verbis: Itē τὸ ne, accentu acuto imperatiua recipit, vt, ne fac. Quoties verò graui accētu, pro eo quod eſt, ἵνα μὴ, accipitur, optatiua recipit, vt apud Horatiū, ne facias quod Numidius, &c. Nonnumquam, etiam ſi acuto accentu efferatur, optatiua quoque recipit, vt, ne facias, ne ſcribas: ſed intereſt inter hoc & illud, quod diximus, ne fac, quod hic imperamus ſuperiùs ſuademus. Hactenus Chariſius, apud quem etiam vides ſeruatam hāc dictionem, Numidius, de qua etiamnum magna fuit controuerſia ex codicibus manuſ. quænam ea eſſet, an Vmidius, Vmmidius, Humidius, Fūfidius, an Vuidius, legi deberet, vt ait Nannius nōſter per ἀντίφρασιν, cum eo, inquit, nihil fuerit ſiccius *non longa.* attentio à breuitate. *metiretur.* metiri nūmos non perinde nouum & inauditum eſt ac noſtris τραπεζίταις maximopere pretiū. *fortiſſima Tyndaridarum.* magna me tenet admiratio, viros etiam doctiſſimos in hac dictione Tyndaridarū, canones Grāmaticos de Patronymicis in es, maſculinis, & in is, femininis, maluiſſe ſúſque dēq. habere, vt fertur, quàm ἐκθλίψει explicuiſſe pro Tyndaridū, quæ filiæ fuere Tyndari: vt alitoū pro

aliorum apud Lucretium. Profectò Caſtor & Pollux Tyndaridæ merito cum quibuſdam de iniuria grauiſſima expoſtularent, qui ſororum Clytæmneſtræ & Helenæ de parricidio cauſam ipſis communem faciunt, in maſculis ſcilicet intelligendo feminas. Quanto rectius certè Iuuenalis fratres ab huiuſcemodi cæde liberans, ait ad finē Satyr. 6. Occurrent multæ tibi Belides, & Eriphylæ, mane Clytæmneſtram nullus non vicus habebit. hoc tantum refert quòd Tyndaris illa bipennem inſulſam & fatuam læua dextrâq; tenebat, &c. Nam & Belides, Beli filiæ quinquaginta ſuos maritos occiderunt, præter Hypermneſtram: & Eriphyle cædi paſſa eſt Amphiaraum maritū per proditionem. *Vt vitam Næuius, aut ſic vt No.* ſic habent omnes ſcripti codices. *Eſt modus in.* hoc enim pro confeſſo eſt apud omneis ſanos, μεσότητας ἀρετὰς εἶναι, hoc eſt, virtutem in mediocritate conſiſtere. huc facit illud Pythagoræ, μὴ δαπανᾶν παρὰ καιρὸν ἀπειροκάλως ἐνὶ ἠμῶν μηδ' ἀνελεύθερος ἴσθι. μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. id eſt, ne ſumtus temerè & importunè feceris, ſed neque illiberalis eſto: modus in omni re eſt optimus. *illuc vnde abij* Superioribus annis euulgaui Commentarios noſtros in hunc locum, ſed obſcurius (fateor) expoſui noſtram ſententiam: Qua gratia Henricus Stephanus vir doctrina in primis excellens nos tacitè quidem, ſed candidè monuit: quo vtinam docendi modo docti inter ſe liberaliter & non maleuola cauillandi laſciuia gauderēt, multo certè rectius agerentur omnia: nunc propter Archilochicam illam mordacitatem, quæ ferocior ſæpe eſt quàm deceat humanitatē (taceo Chriſti profeſſionem) & diſciplinæ paſſim malè audiunt, quòd inflare credantur animos, & harū doctores viris principibus odio ſunt & neglectui. Nec me Hercules, immeritò: nam qui præcipiunt ea quæ recta ſunt, iis ne conuenit iniquè aut dicere aut facere? profectò hæc beneuola Stephani ſignificatio effecit vt & hunc locum & alios, vt poſtea patebit, preſſiùs examinarem. Quo nomine magnoperè me lætor in ære eius eſſe: quod maiori cum fenore vt accipiat, velim ab eo, ſi per occupationes liceat, in aliis quoque locis id fieri quos minus aptos vel apertos exiſtimabit. Ceterùm vt illuc vnde abij redeā, hęc eſt in ſcriptis noſtris ante annos aliquot vulgata lectio. Reuertitur Horatius ad primum ἐρώτημα, &c. rectiùs hoc modo: Poſt ἐπεισόδιον ad fabulam Numidij, & cōparationem Næuij & Nomentani redit ad auarum, vt oſtendat inconſtantiæ humanæ præcipuam cauſam eſſe habendi ſitim ſub prætextu quietis & otij ſenilis. *nemon' vt auarus.* hæc vulgaris lectio in duobus eſt cod. Bland. Diuæi, Tonſani, Mart. Buſl. Nan. ſed tertius Blandin. habet, *nemo vt auarus*, ſine eliſione vocalium, quod in hoc auctore inuentu non adeò rarum eſt. quartus autem Bland. & antiquiſſ. habet, *qui nemo vt auarus.* quæ lectio mihi videtur optima. In Diuæi codice τὸ *qui*. ponitur ſupra τὸ *ac.* poſteà, *ac potius laudet*, quod non ſuo loco poſitum hîc ponendum curaui in hanc ſententiam: Qui fit vt nemo alius in ſua ſorte ſibi plaudat vt auarus (populus me ſibilat, at mihi plaudo) ſed omnes potius laudent diuerſa ſequenteis? rurſum, Qui fit vt nemo tabeſcat, &c. nemo ſe maiori pauperiorum turbæ comparet, & ſic, vt auarus, hunc atque hunc ſuperare laboret, & vt ſic feſtinanti ſemper locupletior obſtet, ſed omneis alij potius laudent diuerſa ſequenteis? Cuius inconſtantiæ cauſam ſuprà dixi eſſe auaritiā ſub velamine ſenilis quietis, quæ quaſi fons eſt & ſcaturigo malorum omnium, vt habet Apollodorus apud Stobæum, ἀλλὰ σχεδὸν ἤδη τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν εἴρηκας, ἐν φιλαργυρίᾳ γὰρ πάντ' ἔνι. id eſt, propemodum caput malorum nominaſti, auaritiæ enim inſunt omnia. hinc ait Horat. omneis errare perturbarique, nec aliquem ſua ſorte contentum tranquillè viuere, nec beatū vita cedere, non auarum, qui licet ſibi plaudat, tamen à rapiēdo numquam ceſſet, non alios ob inconſtantiam, qui ſuæ ſortis pertæſi ſemper maius lucrum ambitioſi ſectantur. Quòd autem ſint in auaritia cetera ferè mala, teſtatur Horatius ad finem Epiſtolæ lib. 2. ad Florum, inquiens: Non es auarus? abi. quid cetera? iam ſimul iſto cum vitio fugere? ritè caret tibi pectus inani ambitione, caret mortis formidine, &c. Ita namque legitur locus ille in ſcriptis omnibus quæ mihi videre contigit, vt ibi dicemus, auſpice Chriſto. Henricus Stephanus hūc locum paullo aliter exponit, vt mihi videtur, inquiens: Qui fit vt nullus auarus ita ſibi placeat ac potius laudet diuerſa ſequēteis, vt alij faciunt? Sed ea ab hac noſtra relatione tantum diſcrepat; nos enim miramur alios non eſſe cum auaro in inſtituto vitæ ſtabileis: ille verò contrà, miratur auarū non ſentire cum aliis & laudare diuerſa ſequenteis. diiudicet lector. *ac potius lau.* Bland. antiquiſſ. cod. & Sil. habent *at. ſic feſtinanti.* dum rapiendis opibus dat auarus operam, fit vt ditiorum cōparatione numquā ſibi acquieſcat & ſatis animo faciat. *locupletior obſtet.* ſic habet cod. Tonſanus ſine vlla litura. cuius lectionis mihi auctor eſt Stephanus, cùm ad eius coniecturam diligentius ſcripta noſtra perlego, à quo non diſſentio. *inde fit vt. r.* huic ſententię concinit illa Phauorini philoſophi apud Stob. οὐδεὶς γοῦν οὕτω πλουτεῖ, ὅστις οὐκ ἐλάττω ἔχει ὧν βούλεται. τὸν δὲ εὐθυμεῖσθαι θέλοντας, χρὴ ἐν μὲν τοῖς ἀγαθοῖς ἀφορᾶν εἰς τοὺς ἐλάττω ἀγαθὰ

κεκτημέ-

κεκτημένους, ἐν δὲ τοῖς κακοῖς εἰς τοὺς μᾶλλον δυστυχοῦντας. ἐὰν δέ γε ἐν τοῖς ἀγαθοῖς εἰς τὸ ὑπερέχον ἢ ἐν τοῖς κακοῖς εἰς τὸ ἐνδεέστερον ἀποβλέπῃς ἀεὶ λυπήσῃ. hoc eſt, nemo ſanè adeò diues eſt, qui non pauciora habeat quàm deſideret: at illū qui animo futurus eſt tranquillo, & bene compoſito, oportet in læta fortuna alios reſpicere qui pauciora bona poſſident: in ſiniſtra autem infeliciores. Si verò in proſpera fortuna meliorem, aut in aduerſa minus malam ſpectaueris, perpetua triſtitia laborabis. *vita cedat*. hæc vera eſt, & genuina lectio, in ea namque correſpondent omnes cod. manuſ. præter Diuæ. nec eſt cur de ea quis ambigat cùm ſit appoſitiſſima & Latiniſſima: Nã cedere vita, eſt hic quaſi vltro & forti animo ex hac vita migrare, exacto iam vitæ curriculo, quemadmodum ſolet conuiua exaturatus diſcedere magno cum deſiderio. Verùm quia perpauci ſe beatos in hac vita prędicant, perpaucos ait Horatius inueniri qui libenter vita cedant, & hinc abeant ad ſuperos. Ad hũc modum dixit Cic. ad Octauium: Cedam vita, quæ quamquã ſollicita eſt, tamen ſi profutura eſt reipub. bona ſpe poſteritatis me conſolatur, qua ſublata non dubitanter occidam, atque ita cedam, vt fortuna iudicio meo, non animus mihi defuiſſe videatur. *ne me Criſpini*. elegans occupatio tædioſæ cuiuſdam loquacitatis, quo vitio ad nauſeam vſq. laborabat hic Criſpinus Lippus Stoicus.

ECLOGA II.

CVPIENNIVS.

AMBVBAIARVM collegia pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne
Mæſtum, ac ſollicitum eſt cantoris morte Tigelli.
Quippe benignus erat. cõtrà, hic ne prodigus eſſe
Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo, durámque famem depellere poſſit.
Hunc ſi percuncteris, aui cur, atque parentis
Præclarã ingrata ſtringat malus ingluuie rem,
Omnia conductis coëmens obſonia nummis:
Sordidus, atque animi parui quod nolit haberi,
Reſpondet. laudatur ab his: culpatur ab illis.
Fufidius vappæ famam timet, ac nebulonis,
Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exigit: atque
Quanto perditior quiſq; eſt, tanto acrius vrget.
Nomina ſectatur modò ſumta veſte virili
Sub patribus duris tironum. maxime, quis non,
Iuppiter, exclamet, ſimul atque audiuit? at in ſe
Pro quæſtu ſumtum facit. hic, vix credere poſſis,
Quam ſibi nõ ſit amicus: ita vt pater ille, Terẽti
Fabula quem miſerum nato vixiſſe fugato
Inducit, non ſe peius cruciauerit, atque hic.
Siquis nunc quærat. quò res hæc pertinet? illuc:
Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.
Malthinus tunicis demiſſis ambulat: eſt qui
Inguen ad obſcenum ſubductis vſque facetus,
Paſtillos Rufillus olet: Gorgonius hircum.
Nil medium eſt. ſunt qui nolint tetigiſſe, niſi illas
Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte.
Contrà, alius nullã, niſi olenti in fornice ſtantem.
Quidã notus homo, cùm exiret fornice: macte
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis.
Nam ſimul ac venas inflauit tetra libido:
Huc iuuenes æquum eſt deſcendere: non alienas
Permolere vxores. nolim laudarier, inquit,
Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.
Audire eſt operæ pretium, procedere rectè
Qui mœchis non vultis, vt omni parte laborent:
Vtq; illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara, cadat dura inter ſæpe pericla.
Hic ſe præcipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem cæſus: fugiens hic decidit acrem
Prædonũ in turbã: dedit hic pro corpore nũmos:
Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud
Accidit, vt cuidam teſteis caudámque ſalacem
Demeteret ferrum: iure omnes: Galba negabat.
Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda?
Libertinarum dico: Salluſtius in quas
Nõ minus inſanit, quam qui mœchatur. at hic ſi,
Quà res, quà ratio ſuaderet, quáq; modeſtè
Munifico eſſe licet, vellet bonus, atque benignus
Eſſe: daret quantum ſatis eſſet: nec ſibi damno,
Dedecoríq; foret. verùm hoc ſe amplectitur vno:
Hoc amat, hoc laudat: matronã nullã ego tango.
Vt quondam Marſæus amator Originis, ille,
Qui patrium mimæ donat fundúmq;, larémq;:
Nil fuerit mi, inquit, cũ vxoribus vnquã alienis.
Verùm eſt cũ mimis: eſt cum meretricibus: vnde
Fama malũ grauius, quã res trahit. an tibi abũde
Perſonam ſatis eſt, non illud, quidquid vbique
Officit, euitare? bonam deperdere famam,
Rẽ patris oblimare, malũ eſt vbicũq;. quid inter-

tur & barathrones, qui bona ſua deuorando quaſi in barathrum mittunt. Idem & blaterones propriè dicti ſunt à blaterando, id eſt, vaniloqui. *cantoris morte.* mutato nomine per inuidiam cantorem pro muſico poſuit cum obtrectatione, fuit enim modulator optimus, in Sardinia natus: Is fortaſſe carmina Horatij negabat ſatis peritè & modulis ſuis deſcripta, & ideirco carpitur ab illo. *Tigelli.* Marcus Tigellius Hermogenes muſicæ artis peritiſſimus, & vocis eximiæ C. Iul. Cæſari dictatori familiaris fuit, & pòſt Cleopatræ acceptus maximè, Auguſto quoque Cæſari amiciſſimus, eò quòd dulce caneret & vrbanè iocaretur, adeò vt inter familiares & domeſticos haberetur: ſed is adeò largus erat, vt muſicis, ſcenicis, ſcurris & circulatoribus multa donaret: quare ob mortem eius omnes triſtati ſunt. Huius autem exemplo monet omnes auaros, vt muneribus ſibi quærant amicos. *benignus.* ἀνυγρλοσία. largus, non enim benignus erat, ſed prodigus. verùm hoc dicit ex illorum perſuaſione, quibus benignus donando habebatur. *contrà, hic ne p.* auarus, & quicumque alius diuerſæ vitæ. *hunc ſi per.* profuſum ſi interrogaueris, inquit, cur maiorum ſuorum mores vitans, pecuniam deuoret? reſpondebit, ſe nolle videri ſordidi puſilliſque animi, quod alij laudabunt, & alij vituperabunt. *præclaram rem.* ampliſſimum patrimonium. *ingluuies.* ingluuies eſt gulæ voracitas, quæ normam, & modum, ſiue gratiam non habet *ſtringat.* conſumat, attenuet, deminuat, radat: ſumta metaphora à ramis quos ſtringimus quando illos nudamus folijs, vt Virg. ecloga 9. hic vbi denſas agricolæ ſtringunt frondeis, &c. *malus.* ſibi nequã. *conductis.* nummis fœnori ſumtis: nummi enim quaſi conducuntur pro quibus merces ſoluitur: quod facere ſolent adoleſcentes qui ſub duris parentibus viuunt, qui aliquando etiam centeſimas ſoluunt, vt pecuniam à fœneratore accipiant. *Fufidius.* auarus quidam fœnerator. *laudatur ab h.* à frugi hominibus. *ab illis.* à ſordidis & auaris. *vappa f. t.* id eſt, niſi acriter exigat vſuras, metuit ne dicatur vappa & nebulo, id eſt, vilis nugator, qui neſcit rẽ facere. *nebulonis.* Nebulones Comici ſeruos vileis, & fraudulentos nominant. *hic.* Fufidius. *capiti.* à ſumma capitali. *quinas merces exſecat.* id eſt, quinas centeſimas de ſorte deducit in ſingulos menſeis, quas aut accipit, aut in tabulis notat. *quantò perditior.* tantò, inquit, grauioribus vſuris onerat vnumquemque, quantò intellexerit eum negligentiùs rem ſuã agere. *vrget.* inſiſtit ad dandam pecuniam fœnori. *nomina ſectatur.* obiectionis tacitæ ſolutio, ne quis fortaſſe putaret non inueniri, qui pro fœnore quintas centeſimas reddere vellent, oſtendit quibus hoc fiat, inquiens, ſectatur nomina tironum, qui nuper exuta prætexta ſumſerunt virilem togam, ardentioréſque ſunt ad explendam ſuam libidinem, qui, cum nihil accipiant à duris, id eſt, nimis parcis patribus, coguntur adire fœneratores, qui etiã ſunt tã præcipiti auaritia, vt non dubitent filiis familiãs pecuniam credere, dummodo grauiores vſuras imponãt; quod libenter adoleſcentes faciunt, vt pecuniam accipiãt. *ſub patribus d.* non licebat per Senatuſconſulta tironibus fœnerari, ne bona paterna prodigerent. *maxime, quis n.* exclamatio in deteſtationẽ. Quis, inquit, non miretur, cùm audierit illum quinque centeſimas exſecare, & exclamet, ô maxime Iupiter. *at in ſe. ὑποφορά.* fortaſſe dicet aliquis: at quæſtum ſuum erogat in victum, & pro maiori quæſtu, vnde naſcitur opulentia, maiorem ſumtum facit, & plus expendit. *hic vix credere.* reſpondet, vix poſſis credere, quàm hic malè ſe tractet, & abſtinendo defraudet ſuum genium. *hic.* hic pronomen eſt; hic, ſcilicet auarus. *vt pater ille.* ita ſibi eſt inimicus auarus, vt non peius ſe afflixiſſe videatur Menedemus ille Terentianus, de ſe pœnas exigens, quòd filium ſuum à ſe per duritiam fugauerat. *atque hic.* id eſt, quàm hic auarus. *dum vitant ſt.* id eſt, dum nolunt dici prodigi, efficiuntur auari. *Malthinus.* Malthini nomine quidam Mæcenatem ſignificari ſuſpicantur: à re autem ipſa fictum eſt nomen. μαλθακὸς enim & μαλακὸς, idem eſt quod mollis & delicatus. Porrò autẽ tunicis demiſſis ambulare, eorum eſt qui ſe molleis & delicatos haberi volunt. *eſt qui inguen.* eſt qui ſibi facetus eſſe videatur, ſi altiùs tunicam ſubſtringat. *Paſtillos Ruſillus olet.* hæc quoque ad immoderatam intemperatámque voluptatem pertinent, munditiem plus iuſto affectare, & nullã corporis ſui curam habere. *paſtillos.* paſtilli, διαπάσματα, vnguenta. *nil medium* nil fit mediocriter ab iſtis in cœtu luxurioſorum. *tetigiſſe.* pro tangere. propriè autem dixit tetigiſſe, vnde & intactæ virgines dicuntur; vt, cui pater intactam dederat. *quarum ſubſuta.* periphraſis matronarum, quia matronæ ſtola vtuntur ad imos vſque pedes demiſſa, cuius imam partem ambit inſtita ſubſuta id eſt, coniuncta. Inſtita autem Græcè dicitur περιπόδιον, quòd ſtolæ ſubſuebatur, qua matronæ vtebantur, erat enim tenuiſſima faſciola quæ prætextæ adijciebatur. ſenſus autem eſt: ſunt qui non alias quàm matronas petunt. *quidam notus.* honeſtus & nobilis. Cato ille Cenſorius cùm vidiſſet hominem honeſtum ex fornice exeuntem, laudauit, exiſtimans libidinem compeſcendam eſſe ſine crimine: at poſtea cùm frequentius eum ex eodem lupanari exeuntem

aduertiſſet, adoleſcēs, inquit, ego te laudaui quòd interdum huc venires, non quòd hic habitares. *macte.* id eſt, magis aucte: vt, macte noua virtute puer. oratio eſt collaudantis & exhortantis. *dia.* diuina. *venas.* membrum virile. *tetra.* odioſa. *huc.* ad fornicem. *permolere.* violare, polluere, affectare, appetere, ſubagitare. vt habemus in Terētio de ipſo actu turpi. *ſic me.* vt ille laudatus fuit à Catone. *mirator.* amator. *Cupiennius.* Cupiennius Libo Cumanus Auguſti familiaritate clarus, fuit corporis ſui ſtudioſiſſimus, & concubitus matronarum ſectator. *albi.* matronalis & nobilis. reſpexit ad ſtolam candidam, qua veſtiebantur matronæ, nam meretrices habebant nigram veſtem. *audire eſt oper.* audite, inquit, quæ patiuntur mœchi, qui eos odiſtis; fructus enim vobis eſt vtilis audire quantis incommoditatibus affligantur: vrbanè abutitur Ennianis verſibus; ait enim ille, audire eſt operæ pretium procedere rectè qui rem Romanam Latiúmque augeſcere vultis. hic, vultis, ait; ille, non vultis. *rara cadat.* meritò hæc dicitur, cum adulteris rarò contingat concubitus earum quas ſectantur, & ipſo metu periculi non ſinceram inde voluptatem percipiant. *cadat.* eueniat, contingat. *hic ſe præcip.* enumeratio incommodorum quæ patiuntur adulteri. *ille flagellis.* hoc de C. Criſpo Salluſtio dicitur, qui deprehenſus ab Annio Milone in adulterio cū vxore Fauſta Syllæ filia, flagellis cæſus eſſe dicitur, vt refert Aſconius in eius vita. *ad mortem.* propè ad mortem. *pro corpore.* ne puniretur, néve teſtes ei exciderentur, pecuniam dedit. *hunc perminxerunt.* ſtuprauerunt. Calones ſunt ſerui militum liberi homines, à lignis & palis ferendis dicti; lixæ verò ſunt ſerui eorundem. *accidit.* accidere ſolet, vt in adulterio deprehenſi virilibus amputatis dimittantur. *teſteis.* teſticulos. *caudámque ſalacem.* veretrum, virile membrum, ſalacem, id eſt, libidinoſam, à ſaliendo dictam. *demeteret.* abſcinderet. *iure omnes.* ſupp. factum dicebant. *Galba negabat.* ſupp. iure factum. notat hic amare Seruium Galbam iuriſperitum, qui quaſi contra manifeſtum ſcelus pro adulteris reſponderet non iure factum eſſe, vt teſtes amputarentur, quia primò adulterij pœna pecuniaria erat. ſed erat hic Galba inſignis mœchus, & matronarum ſectator. *tutior at quanto.* quantò tutius eſt libertinæ cōditionis mulieres ſectari, quàm matronas; ſi quis tamē in libertinas propenſior fuerit, vt Salluſtius Criſpus, in infamiam corruptorū morū incidet: fertur enim Salluſtius tanto ardore inſaniuiſſe in libertinas, quanto mœchus in matronas: quod cùm illi in ſenatu à cenſoribus obiectum eſſet, reſpondit ſe non matronarū, ſed libertinarum ſectatorē eſſe: quare ex ſenatu eiectus eſt, quod ipſe excuſat in Catilinæ libello. *qua res qua.* hoc eſt, Salluſtius ſi vellet ea ratione, qua modeſtè vti licet, largus atque benignus eſſe, daret quantū ſatis eſſet, & quantū res ipſa flagitaret. *hoc ſe amp.* hoc ſolo ſibi blanditur. *amator Orig.* Origo meretricis nobilis nomen, in qua Marcus patrimoniū ſuum impendit. Romæ fuerunt tres meretrices nobiliſſimæ, Origo, Licoris, & Arbuſcula. *verum eſt.* verum eſt, inquit Horatius, intelligi volens ex amore mimarum & meretricū nimio, vexari quidem & diminui cenſum, ſed multò grauiora damna accidere famę. *an tibi ab. p.* Zeugma in verbo euitare. *quicquid vbiq; off.* an non ſatis eſſe per onam matronæ euitare, niſi etiam illud quicquid vbiq; nocet atq. officit, euites; qualis eſt & libertina & mima, & meretrix, cū quibus & famā & rē perdis. *oblimare.* deterere. conſumere, tractum à lima qua fabri vtuntur. *quid intereſt.* negat intereſſe quicquā, an quis in matrona delinquat, an libertina vel meretrice. ſecutus opinionē Stoicorū, qui omnia peccata paria eſſe dicebant. *peccéſve. tog.* Matronæ quæ à maritis repudiabantur propter adulterium, togam accipiebant, ſublata ſtola alba, propter ignominiam: meretrices autem proſtare ſolebant cum togis pullis, vt diſcernerentur à matronis adulterij conuictis & damnatis, quæ togis albis vtebantur. *Villius in Fauſta.* Fauſta Syllę filia Tit. Annio Miloni nupta eſt, quem hic Longarenum nominat mutato nomine, vt alibi, me dulcis dominæ muſa Lycymniæ, pro, Terentiæ. & Malthinus tunicis demiſſis ambulat, pro Mæcenas. *Syllæ gener.* non verè gener, ſed quia Syllæ filiam ſtuprauit, ita frequēter, vt gener vulgò haberetur; nam ea Milonem, Longarenum dictum, habuit maritum. *hoc miſer vno n.* quòd filiam nobilem & matronam ſectaretur, hanc enim cùm Villius affectaret, fortè Longarenus maritus domi erat, à quo colliſus eſt plagis, & ferro petitus. *excluſus fore.* notandum fore numero ſingulari. Terent. in Adelphis: Quidnam concrepuit foris? Cic. pro Corn. aperuit forem ſcalarum. *vſque ſupérque.* diu & pluſquàm ſatis. *cùm Longarenus.* verus coniux. *huic.* Villio. ſi animus loqueretur ex verbis mutonis. Muto autem dicitur membrum virile, vt Lucil. lib. octauo, Lena manu lacrymas mutoni abſterget amica. *magno p. d. e. c.* de ſtirpe magni conſulis oriundā. *velatúmq;.* quod eſt matronæ. *magno p. r.* hoc reſponderet Villius: quia eſt nobilis. *at quanto m.* natura abundans his quæ vſus exigit, id eſt, neceſſariis non denegat voluptatem honeſtam. *diſpenſare.* illam naturæ opem erogare, regere, eſt cum ratione viuere. *fugienda.* illicita, nempe meretricem, vel matro-

matronam appetere. *petendis.* licitis. *tuo vitio r.* putas tu nihil intereſſe vtrū tuo vitio labores, an naturæ? noſtro quidem vitio laboramus, ſi dolemus cùm deeſt phaſianus, aut aliquid delicati. rerum autem ſiue naturæ vitio, cùm deeſt panis, aut id quod neceſſe eſt; ita vitio noſtro laboramus matronam concupiſcentes: rerum vitio, ſi nobis ad vſum femina deſit. *vnde.* à quo: vt, genus vnde Latinum. nō eſt autē loci, ſed perſonæ. *haurire.* acquirere, percipere. *quā ex re.* ex coitu. plus enim mali accipit qui amat nobilē, ſi fuerit in re deprehenſus, quàm fructus & iucunditatis ex amore. *nec magis huic.* huic, id eſt, matronæ: & ſermonem ſuum conuertit ad puerū Cerinthum pulcherrimum eo tempore. ſenſus eſt: nec magis erit huic quàm tuum femur, ô Cerinthe, tenerum aut crus rectum, ſi inter niueos viridéſque lapillos iacuerit, &c. Hic autem docet natura, non etiam ornatu pulchras eſſe mulieres. Cerinthus autem dicitur illis temporibus fuiſſe pulcherrimū ſcortum, inſigni ſpecie & candore. Ordo eſt, nec femur aut crus magis tenerum eſt huic matronæ, licet ſit inter niueos, & virideis lapillos, quàm hoc tuum, ô Cerinthe, cū ſi rectius femur, atq. etiam melius crus perſæpè ſit togatæ. *niueos.* vniones & margaritas. *virideis.* ſmaragdos. *adde huc.* ad hæc. *mercem.* corpus venale. *ſine fucis.* ſine lenocinio, fallacia, ſine externis ornamentis, non enim tecta, & fucata corpora habent in vſu, ſed nuda conſpiciuntur: Matronæ autem, ſi quid formoſi habent, id ſolū oſtendunt: quod verò reprehenſibile eſt, magnopere occultant. *ſine fucis.* fucus genus eſt herbę marinę, qua lana inficitur, vt in carmin. Horat. neq. amiſſos colores lana refert medicata fuco & Virg. alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno. Inde etiam corruptæ merces, fucatæ vocantur: & accipitur pro dolis & fraudibus. Terent. in Eunucho: fucum factum mulieri. *honeſti.* pulchri. vt Poët. & quodcumque decus circū caput egit honeſtum. *iactat h. p.* quod diuites matronæ faciūt. *quæris quo.* repeti debet negatio, nec, vt ſit, nec quærit, quo turpia celet. *Regibus hic mos eſt.* Reges ſi equos emant, eos opertos inſpiciunt, ne ſi pulchritudo eorum, mollitiem vngularū deſtitueret capti & inductl forma, inutileis equos mercarentur. hoc argumento monet vnumquemq. debere idē facere in contemplanda muliere, vt magis cōmoditatem mulieris quàm formæ ſpeciē, aut nataleis ſectetur. *regibus.* reges hic diuites ſunt & nobiles. *ne ſi facies.* Ordo eſt, ne ſi facies decora fulta eſt molli pede, inducat hiantē emtorem, id eſt, admirantem pulchritudinē, & prætereat illius vitia. *molli.* debili. *fulta.* ſuſtentata. *inducat.* ſeducat, decipiat. *hiantem.* emendi cupidū. *pulchra clunes.* clunes dixit feminino genere, maſculo autem ferè vtimur. *Lynceus.* Lynceus Apharei filius tanto fuit oculorum acumine, vt per parietem videret: qui ſtans in Sicilia videbat naueis ex Africa ſoluenteis. ſenſus eſt, noli tam acutus eſſe in deligendis bonis, vt in iis quæ ſunt his contraria, prorſus cæcutias, ſed in vtramq. partem æquè circumſpectus eſto. *Hypſæa.* Placea Hypſæa matrona vitioſos oculos habuiſſe dicitur, quā hic obiter notat. *rectè.* ſupp. faciunt. *ô crus.* laudat crura & brachia togatæ, quæ fingit admirari ſpectatorem. *verum depygis.* ſine natibus magnis, ſicut callipygis, quæ cōſpicua eſt magnis natibus. Pyga enim nateis ſignificat. *de.* hic deminuit. *breui latere.* deforme eſt in feminis ſuream habere latere maiorem. *matronæ præter f.* nam reliquæ partes corporis veſte celantur: niſi fortaſſe Catiæ ſimilis ſit, quæ propter pulchritudinē crurū, neglecto pudore veſte accincta vtebatur: aut quæ libenter crura nudabat, quæ pulchra videri volebat. Hæc autē adeò impudica fuit, vt in æde Veneris Theatinæ ad Theatrū Pompeianum, quod in campo fuit, adulterium cū Valerio Siculo colono, tribuno plebis, velo obducto cōmiſerit. *ſi interdicta p.* ſi honeſtæ feminæ quā compellare non licet, cuius cauſa maximè incenderis, concubitus appetes, multa erunt quę te impedient, quò minùs perſpicere poſſis, qualis ſit quam cōſpic.s. *vallo circumdata.* allegoricōs, cuſtodiis ſepta ac munita. *inſanum* ardentē in libidinē quod cuſtodiatur. ſemper enim ad id plus incendimur, quò diffi ilius peruenimus. *lectica.* vehiculum. *ciniflones* ciniflones & cinerarij, eadem ſignificatione apud veteres dicebantur ab officio calamiſtrorū, qui acus & veruta flando in cinere calefaciebant, quibus matronæ crineis criſpabant. eius & Virg. meminit, inquiēs, vibratos calido ferro. *ſtola.* [illegible]. *palla.* pro peripodio ponitur, quod tam copallium dici poteſt. *plurima.* ſupp. ſunt. *inuideant.* officiant, obſtent. *rem.* corpus mulieris. *altera.* togata, quæ ſcilicet proſtat, pellucida veſte vtitur, ita vt tanquā nuda conſpici poſſit. hæc autem veſtis in Co inſula conficitur, per quam, ob nimiam ſubtilitatem, quæcumq. ſunt interiora tranſlucent. *pæne videre e.* ſenſus eſt, togata induta eſt veſte ſubtiliſſima Coa, & ideo potes eā totam videre, brachia, tibias, pedes, quaſi ſit nuda. *an tibi.* interrogatio togatæ. *mercem.* corpus nudum. *leporem venator.* reſpōſio amatoris matronæ: quemadmodum venator ſectatur leporem magno labore vt capiat, cātat verò & apponit focis, & non fruitur; ita amator togatas contemnit ſibi paratas, & ſectatur matronas, quibus aut numquam, aut non ſine magno labore, & periculis frui potent. *vt.* quēadmodum.

apponit.

lio, qui ſæpe ducentos ex his habebat in ſuo comitatu, vt videre eſt Satyra ſequenti: ſub Pharmacopolis, vnguentarij, pigmentarij, aromatarij, veterinarij, lithotomi, aliptæ, &c. Sub mendicis, tibicines, ſyticines, citharœdi, circumforanei, phyſiognomi, metopoſcopi, oniropolæ, chiromantici, agyrtæ, &c. Sub mimis, hiſtriones, ſcenici, geſticulatores, atellani, pantomimi, perſonati, ludiones, ſaltatores, funambuli, grallatores, pyrrhicharij, &c. Sub Balatronibus fuere recenſiti, ardeliones, paraſiti, ganeones, præuaricatores, aleones, catillones, popinones, bibones, nebulones, & huiuſcemodi alij omnes dicti ambubaiæ (meo quidē iudicio) κατ' ἐξοχὴν, ab ambubeiæ herbæ venditatoribus, vna tantum mutata littera: ea namque Plinio dicta ambugia, vitiato, vt opinor, nomine, ab imperito librario, pro ambubeia, apud Dioſcoridem, Celſum, Pantinum, Matthiolum, Ruellium, &c. legitur, cum nominum & varietate, & multiplicitate, vireis habere formáſque æquè varias atque multiplices: Seris enim Græcis nominata, & Latinis intubus vel intubum (ceterorum velut genus) conſtituit ſpecies ferè geminas, primùm complectens ſiluestreis, ſatiuáſque: & has rurſum binûm vtraſque formarum, in quibus continetur Cichorium tum ſilueſtre tum domeſticum: adde & Aegyptiacum, Theophraſti Aphacam, vtramque Chondrillam ambóſque Sonchos: quæ difficillimum eſt ſuis quibuſque rebus ſine controuerſia noſtro tempore accommodare; nam facultatibus non plurimùm diſcrepare deprehenduntur: quas ita valere in plurimis proditum eſt; vt fuerint qui vnum Cichorium (cetera vt miſſa faciamus) & Panchreſton & Pancration nuncupare nō dubitauerint ab vtilitate eximia, atque adeò quadam omnipotētia: quorum nos bonā partem facilè adducimur vt credamus ab illis agyrtis & circumforaneis (quos ambubeias, & ambubeiarū magicorúmq. magiſtros, quaſi præſides ac duces extitiſſe ſuſpicari licet) factū eſſe, vt qui ſimilibus nominibus rem facerent, victúmque quæritarēt, cantores, mimi, blaterones, &c. tanquàm familiæ & collegia illius primæ gentis ambubeiarum, ſeu Cichorij buccinatores, nomine & appellatione inſignirentur, ita vt collegia omnia pari propemodum arte vitam victúmque tolerantes, ſimili paríque appellatione continerentur: qua de re nemo profectò dubitabit qui non ignorat tales impoſtores ac nugiuendos (etiamnū hac tempeſtate paſſim in Italia) infinitam nebulonū turbā quaſi in cliētela & miniſterio ſuo ſecū trahere, Vnguētarios, ad vnguenta porrigenda: Tibicines, ad cōcurſum ciendum: Mimas & hiſtriones, ad riſum & applauſum demerendū: Mendicos, ardeliones, ad patronū ſuum, quē aſſectantur, commendandū prędicandúmq. à doctrina, vſu, experientia, ad dictorum factorúmque fidem faciendam: ad vireis herbarū earúmq. vſum planè diuinū cōminiſcendum. quale eſt illud Plinij de Cichorio, quod eos fauorabiliores efficit: quorū corpora, inquit, cum eius totius ſucco, cum oleo peruncta eſſent, faciliúſque quod vellent, impetrarent. omitto hoc iis hominibus eſſe familiare, vt ſinguli pro tēpore & loco non dubitent quāuis perſonā agere, ſéq. nūc pro Pharmacopolis venditare, nunc tibiam inflare, nunc ſaltare & hiſtrionicā exercere, plurimum aſſentari potentibus paraſitaríque, adeò vt nō immerito nec inepto vocabulo omnes Ambubaiæ, id eſt, nugatores nominētur rerúmq. viliū oſtentatores: vnde etiamnū hodie (vt nobis perſuademus) eius vocis poſterior pars, putà, baiæ, pro nugis vulgò vſurpatur Italis. Nunc ſupereſt vt agamus de etymo vocis ambubeia. Ruellius, præter ceteros, ait Latinū eſſe vocabulum, ambubeiámq. Italiā intubū erraticū nominare. Nobis certè ex Cōmentatore & Matthiolo & aliis, dictio Syriaca paucis immutatis litteris formam Latinā cepiſſe putatur: habet enim Matthiolus in Dioſcoridem lib. 2. cap. 125. Mauris Ambubeiā nominari Dúbebe. Deinde ex Commentatore pro confeſſo eſt nomen eſſe Syriacum, quamuis non ignorē id nō videri Turnebo, tamen ſcripta antiqua nolui negligere, ex quibus Cōmentatorem deſumſimus. Quòd autē Ambubaiæ Cōmentatori ſint mulieres tibicinæ, Lābino potius tibicines, Pſeudoporphyrionem in cauſa eſſe coniicimus, qui cùm doctiſſimi Porphyrionis definitionē hanc, Ambubeia, eſt intubum erraticū, minùs intelligeret; hāc vocem, intubum, ſecuit in duas, ex quibus poſtea ſuam dedit hanc deſcriptionē, Ambubeia eſt mulier in tuba ſeu tibia canens, erratica, vaga, & vilis, quæ certè multis etiamnū doctiſſimis viris impoſuiſſe videtur. Hæc autē noſtra de Ambubaiis & ambubaiarū collegiis diuinatio, ſi cui minus probabitur, aut veriorem ipſe comminiſcatur & in medium proferat, aut his mecum vtatur, quando coniecturam, quę nobis faciat ſatis, cuiuſpiam nō inuenerim vllam. *Ambubaiarum colleg.* exorditur (vt mihi quidē videtur) ab enumeratione partiū, ita vt Pharmacopolæ, mendici, mimæ, balatrones ſint partes collegiorum Ambub. *benignus.* benignus hic non tam munificum notat, quàm quod Grǽcè φιλόφρων dicitur affabilis, humanus, facilis, cōmodus, & non vnquam largus ſupra modum; quemadmodum lib. 2. Saty. 3. vini ſomníque benignus, id eſt vino & ſomno plus ſatis indulgens. Donatus in Hecyra, benignè præbeatur, id eſt, abundè, largè: hoc enim, inquit, eſt gratius, non

ſolùm præbere, ſed benignè præbere. Socrates cùm huiuſcemodi aliquem benignum, qualis ab Horatio deſcribitur Tigellius, animaduerteret, qui omnibus gratificari, nullóq. delectu quælibet ſuppeditare vellet, κακῶς εἶπεν, ἀπόλοιο, ὅτι τὰς χάριτας παρθένους οὔσας, πόρνας ἐποίησας, id eſt, malè, inquit, pereas, quòd Gratias virgines, tanquā ſcorta proſtituiſti. *contrà hic.* Hermogenes, qui, quòd ſcortis & decoctoribus benignus eſſet, ſanioribus quidē prodigus videbatur, at iniuſtiſſimus in amicos pauperes, quibus etiam vitæ conſeruandæ neceſſaria denegaret. poteſt & hoc ad auarū & amico pauperi egenóque incommodū pertinere, alium à Tigellio. *hunc ſi per.* aut Tigellium, aut alium voraginem patrimonij & inſignem nebulonem, ἄσωτον. *ingrata ingluuie.* ingluuies propriè eſt gurgulio, & colum in gutture, γαργαρεὼν in homine, in auibus verò quibuſdam πρόλοβος Ariſtoteli. hęc autem bono iure ingrata dicitur, quòd, inſtar auari, nihil quàm conquiſita congerat, vorétque ac perdat, ſine vlla grata ſatietate, quotidie noua ſapidioráque comminiſcens quibus delicatè fruatur: & cùm aliæ voluptates rariùs incidant, ταύτης δ' ἡδονῆς (inquit Muſonius de victu) ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν πάντως πειρᾶσθαι ἀνάγκη. hoc eſt, hanc experiri quotidie neceſſe eſt. *omnia conductis.* vera periphraſis ὀψοφάγου, id eſt, obſonatoris. eſt autem ὀψοφαγία genuina ſoror & comes indiuidua τῆς γαστριμαργίας. *ſtringat.* ſtringere eſt cumulatim bona omnia, quaſi in maſſam redacta, ſtrictim vorare: quod Græcè dici poteſt δαπανᾶν: cui contrariū eſt ἐλευθερίως ἀναλίσκειν, id eſt, moderatè conſumere. *ſordidus.* φειδωλὸς εἰς δαπάνας, id eſt, nimis parcus in ſumtu faciendo. *paruis nolit.* tacita litote, nimirum, quòd velit haberi liberalis & magni animi, μεγαλόψυχος. *Fuſidius vappa.* ſub Fuſidij perſona ponit exemplum alicuius ſordidiſſimi Romani, ſuperioribus ex antitheſi repugnans. Tigellius enim vel quiuis alius, publicè largus fingitur & benignus, quò liberalis habeatur & magni animi: hic contrà, publicè parcus, ne prodigus æſtimetur & nebulo: Ille in publicū largitur, hic populo fœneratur. Codex Bland antiquiſſ. habet Furidius. Matt. verò Fuſidius. *famā.* codex Tonſ. habet nomē. *diues agris.* hic ex Grāmaticorum præceptis notandum eſt hoc adiectiuum diues ſibi adſciſcere ablatiuum perſonæ diuerſæ. ſic Cic. pro Roſcio, locuples metu. Virg. loca fœta furētibus auſtris. In Odis, viduus pharetra riſit Apollo. Plautus, amor melle & felle fœcundiſſimus. *quinas hic capiti exſecat.* exſecat ſcriptum eſt in omnibus codicibus. quinas autem cēteſimas exſecare, id eſt, de ſorte, ſeu capitali ſumma (vt fertur) fœnus exigere, eſt, quod Flandricè dicitur, vyue ten hondert: quod quidē exiguum eſt in annos, at in menſes ſingulos, intolerabile: quod ne fieret apud Romanos, cenſoribus negotiū datū erat, vt habet Andreas Dominicus Floccus de magiſtratu Roma. horū fœneratorū autem accuſator, ab Aſconio propriè quadruplator dicebatur, quod eū pœna lege conſtituta in quadruplū condēnari curabat. *nomina ſectatur.* nomina pro debitis: ſectatur nomina tironum, hoc eſt, ſtudet fœnerari tironibus. *ſumta veſte v.* veſtis autē virilis erat toga pura, omnis ſcilicet expers purpuræ, & candida. Dioni ἀνδρικὴ ἐσθὴς, Plutarcho λευκὸς τήβεννος, & ἀνδρεῖον ἱμάτιον: quā veſtem tirones ſumebant depoſita prætexta, poſt annū ætatis decimum ſextum, νέοι μηκέτι ἐπιτρόπων δεόμενοι, hoc eſt, adoleſcentes nō amplius exiſtentes ſub tutela, ſub patribus duris, vt ait hic Horatius, qui dicebātur ἀνδροῦσθαι & ἄνδρες γεγονέναι. *ſub patribus duris.* hūc locū non parum declarāt verba ſerui in Phormione ad patrem, cuius adoleſcens filius eo abſente vxorē duxerat. Seruum namque pater iurgiis afficiebat, quòd puellæ dotem non dediſſet, qua donata filiū dimitteret, etſi non eſſet ad manū pecunia, eam aut mutuò ſumeret, aut fœnore: ad hęc verba reſpondet ſeruus, hui dixti pulchrè; ſiquidē quiſquā crederet, te viuo. nam vetus Senatuſconſultum (quod arbitror à Solone ad Romanos delatū) cauebat filio ſub patria poteſtate credi pecuniā non licere; & qui crediſſet, petitionē non habere, ne ære nexus, vt creditum redderet, aut patri necem machinaretur, aut turpiùs eam aliunde peteret. *at in ſe.* ſic habent omnes cod. præter Diuæ. in ſe, pro, erga ſe, per enallagen. *pro quæſtu ſ. f.* pro ratione modóq. lucri corpus curat, & ſplēdidè viuit, perinde ac ſi dicat; etiamſi cōtra alios ſit iniquior, augmentando & extorquendo fœnore, multò tamē erga ſe eſt æquior & opinione liberalior. *prius crucia.* alluſio ad epigraphen Terentianæ comœdiæ ἑαυτὸν τιμωρουμένου, id eſt, ſeipſum cruciantis. *ita vt p.* refutatio per μείωσιν: tantum enim abeſt, vt hic Fuſidius benigniùs ſeſe accipiat, vt miſeria, parcitate & auaritia longè ſit infra Menedemū omnium mortalium ærumnoſiſſimū. *ſi quis.* ſubiectio Rhetorica. *dum vitant ſtul. v.* huius cauſa thematis eſt, amor ſui, vt in epiſt. 18. lib. 1. ad Lollium. ſic & Socrates apud Ariſtonymum, ἔστιν ἐν βίῳ βλάπτει μάλιστα, τὸ ἀνοήτους ὄντας τοὺς πολλοὺς οἴεσθαι φρονίμους εἶναι, id eſt, hoc in vita in primis eſt damnoſum, quòd multi ſe ſapere exiſtiment, cùm maxima pars ſtulta ſit. *Malthinus tunicis d. a.* ſubiungit διατυπώματα quædam ad expolitionem iā dicti thematis: Sunt qui putent (inquit Cōmentator) hæc de Mæcenate dici ab Horatio, fortaſſe propterea quòd & mollis eſſet, &

veſtibus

veſtibus diſcinctis gauderet. de qua ſententia nihil mutat Turnebus & alij plerique: at Lambinus ab iis nonnihil diſſentit, eò quòd nolit tam ineptè deſipere Horatiũ, vt de eo tam ſcribat imprudenter, à quo eſſet innumeris beneficiis affectus: Equidẽ pro libertate Horatij, familiarique iocandi modo, dixerim hoc non omnino abſurdè nec improbè accommodari poſſe Mæcenati, præſertim cũ vulgò Mæcenas molliter viueret & malè cinctus incederet: ſi quis autem non ferat tam liberam clientis cum patrono ſuo dictionẽ, fingamus licet, notari Volteium Menam Pompeij libertum, in quem Epodo quarta inuehitur acerrimè, tam propter longam tunicã, quàm vitæ mollitiem, vt eo loco videre licet. *Paſtillos Rufillus olet.* Haud ſcio an Rufillus & Gorgonius, alter aromatarius oluerit paſtillos, à temperandis diapaſmatis, an coëmtos haberet, nimis muliebriter mũditiei ſtudioſus; alter veterinarius tragiatróſve, dicatur olere hircum, quòd τὰ δέρματα plurimùm contrectaret; an, quòd omnino balnea & omnẽ cultum elegantiámque negligeret? Paſtillus autem Flandricè nominari poteſt een rieckballeken, Græcè à forma rotulæ τρόχισκος, aut à figura panis, ἀρτίσκος. Ciceroni eſt reticulum, vt notauimus Satyra præcedẽti. In Pſeudacrone impreſſo habetur διαπλάσματα: cuius ego loco in Commentatore ex ſcriptis poſui διαπάσματα, quòd hoc exiſtimem ei loco eſſe congruentius, propter odores ſiccos. Quid autem diſcriminis ſit inter διαπάσματα, καταπάσματα, quæ ex ſiccis odoribus, & διαπλάσματα, καταπλάσματα, quæ ex liquidis componebantur, conſulendi ſunt medici. veruntamen hoc addam in ſtudioſorum gratiã; medicos καταπλάσματα nominare, quæ ex herbis & contuſis ſtirpibus aut decoctis, nullo oleo addito, parantur: ſecus autem in emplaſtris. καταπάσματα verò, ſeu διαπάσματα medicamenta ſunt, quæ corporibus inſperguntur, præcipuè ad cohibendos ſudores: ſicuti Plin. ait lib. 13. cap. 2. Siccis odoribus cõſtant quæ διαπάσματα vocantur. & lib. 21. cap. 19. de roſa, Diapaſmata, ait, inde fiunt ad ſudores coërcendos, ita vt à balneis inareſcant corporibus, deinde frigida abluantur. *nil medium eſt.* propoſitio futuræ diſtributionis in fornicarios (vt ſic loquar) adulteros & mœchos. Medium autem capitur pro modo, mediocritate, virtute: vt ſententia ſit, omnes eius ſortis homines, nulla virtutis aut modeſtiæ habita ratione, cupiditates ſuas & libidines ſequuntur. *ſunt q. n.* hæc prior eſt pars diuiſionis. eſt autẽ Helleniſmus, pro εἰσὶν οἵ. *quarum ſubſuta talos.* Inſtita συνεκδοχικῶς pro ſtola ponitur, pars pro toto, erat enim inſtita faſcia tenuis, latiuſcula, quæ ſtolæ matronarum ſubſuebatur, ab inſiſtendo ſeu incumbendo pedibus dicta; quæ & prætexta à prætexẽdo, vt & ſtola ἀπὸ τοῦ στέλλεσθαι, quòd ad pedes vſq. demittebatur. quod pòſt paullò ſcribit, ad talos ſtola demiſſa. Sed & Ouid. 1. de arte Amand. Inſtitam pro ſtola ponit, Eſte procul vittæ tenues inſigne pudoris, quæque tegis medios inſtita longa pedes. In editis olim à nobis hîc Cõmentariis diſſentire me ſcripſi ab aliis, ſed meam ſententiam recantare me facit Petronius Arbiter in Satyricis, duas inſtitas, ait, ancilla protulit de ſinu, alteráq. pedes noſtros alligauit, altera manus. eas certè τὰ περισκελῆ Græcè dici arbitror, vbi ornatus gratia tibiis aptantur. *contrà al.* altera diſtributionis pars. *olenti.* olido. ab olidis ſcortis. *fornice.* fornix, inquit Iſidorus, appellatus eſt, vbi proſtitutæ pudicitiæ mulieres ſtabant: hinc fornicariæ mulieres in ſacris, quas hic intelligit Horatius, inſano quodam furore ab aliquibus appeti. Nemo in vltima ſyllaba huius vocis, fornice, exiſtimet licentiam quandam eſſe poëticam, quod doctiſſimus quidam pluribus oſtendere conatur, quaſi ea produci deberet, propter ſequentis dictionis bina conſona: aliud enim docent canones verſificantium, qui talem vocalem extendi nolunt, niſi per licentiam. *macte virtute.* ἀρίστευε μοι. eſt enim oratio collaudantis, & gratulantis ei qui rectè feciſſe creditur. ita Græci, οὗτος ὤν. eſt autẽ caſus enallage, vocatiui puta, pro nominatiuo; quale eſt illud Perſij, Cẽſorémve tuũ vel quòd trabeate ſalutas, pro trabeatus. *ſententia dia Cat.* Periphraſticôs, pro, ipſe Cato, vt Epiſtola 12. lib. 1. an Stertiniũ deliret acumen, id eſt, Stertinius. *venas inflat.* verbũ aptũ peni languido. alludit ad σατυρίασιν quandã ſiue tentiginem. *tetra libido.* impura, fœda, quòd fœdè polluat & perdat libidinoſos. *deſcendere.* appoſita vox, non quòd fornices ſemper ſint in humilioribus, defoſſis ſeu depreſſis locis, ſed quòd Subura, vbi meretrices proſtabant, erat in decliui inter Eſquilias & Viminalem: habet enim Marlianus de antiquitate vrbis Romæ lib. 1. cap. 7. à Quirinali verò plana Subura & valle Quirinali, &c. deinde lib. 4. cap. 15. Cliuus Suburanus in Eſquilias præbens aſcenſum, à fine Suburæ initium capit. Poſtremò eiuſdem lib. cap. 20. Subura, quæ inter Eſquilias & Viminalem iacet, principium habuit à foro Romano, &c. Hunc autem vicum frequentiſſimum ſcribit fuiſſe Iuuenalis, inquiens. Cedere namque foro, iam non eſt deterius, quàm Eſquilias à feruenti migrare Subura. *permolere vxores.* alludit ad Græcam Paronomaſiam μύλλω à μύλλειν: Molere autem vetus verbum eſt pro adulterare, ſubagitare. quo verbo in deponenti ſignificatione vtitur alibi Auſonius, inquiens;

quiens; Deglubit, fellat, molitur per vtramque cauernam. Hinc etiam molitores dicti ſunt ſubactores, vt apud eundem, cùm dabit vxori molitor tuus, & tibi adulter. *audire eſt op.* facit attentionem docilitatémque ab adulterorum voluptatibus impuris, periculis, & vario pœnarum genere, quò facilius boni omnes & animoſiùs virtutem amplexentur, & honeſtè, temperatè modeſtéque vitam tranſigant. σωφροσύνη γὰρ, ἔφη ὁ Ἀριστοτ. ἐν τῷ ῥητορ. ἐστὶ ἀρετὴ δι' ἣν πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῦ σώματος οὕτως ἔχουσιν, ὡς ὁ νόμος κελεύει, ἀκολασία δὲ τοὐναντίον. hoc eſt, temperantia virtus eſt, cuius opera moderationéque erga corporis voluptates ita affecti ſunt animo, vt lex iubet, cui opponitur intemperantia. vide epiſto. 18. libri 1. ad Lollium. ἀλλὰ καὶ αὕτη μὲν μόνη ἀταραξίας καὶ ἔνδιον καὶ βίον ἠρεμαῖον ψυχῇ παρασκευάζει, id eſt, ſed & hæc quidem ſola tranquillam, ſecuram, ſerenam & compoſitam cum anima vitam adornat. *procedere recte.* Apoſtrophe ad eos qui gaudent mœchis non rectè procedere, id eſt, non ſuccedere omnia ex animi ſententia. *vt omni p. l.* id eſt, quo pacto miſeris modis affligentur. *hic ſe precip.* hæc ſuppliciorum genera, hi metus, & effugia laborioſa ſubſequuntur. l. ſi adulterium. §. imperatores. ff. de adulter. & l. 4. de adulter. Nam quos marito liberum erat occidere, eos & verberibus cædere, & quauis parte corporis mutilare, aliiſque, quas dolor ſuggeſſerat, pœnis, multiſve punire licebat, vt ſcribit Iuuenalis Satyra 10. Exigit autem interdum ille dolor pluſquam lex vlla dolori conceſſit, necat hic ferro, ſecat ille cruentis verberibus, quoſdam mœchos & mugilis intrat. Eſt & de adultero cui nares erant abſciſſæ facetum & elegans Martia. Epigr. lib. 3. Quis tibi perſuaſit nareis abſcindere mœcho? nil hac peccatum eſt parte marite tibi. Stulte quid egiſti? nil hic tua perdidit vxor, cùm ſit ſalua tibi mentula Deiphobi. *dedit hic p. c. n.* Ariſtoph. in Pluto. ὁ δ' ἀλούς γε μοιχὸς διὰ σέ που παρατίλλεται, id eſt, alius autẽ adulterij condemnatus depilatur. vbi interpres, αὕτη γὰρ, ἔφη, ὥριστο δίκη τοῖς μοιχοῖς πένησιν, ἀποῤῥαφανίδωσις καὶ παρατιλμός. οἱ γὰρ πλούσιοι χρήματα παρέχοντες ἀπελύοντο. hoc eſt, hæc enim definita pœna erat mœchis pauperioribus rhaphaniſmus (in Attide quidem) vulſura Athenis: nam diuites data pecunia abſoluebantur. Illarum autem pœnarum deſcriptionem habet interpres Ariſtoph. in Nebulis: οὕτω γὰρ τοὺς ἁλόντας μοιχοὺς ᾐκίζοντο, ῥαφανῖδας λαμβάνοντες καθίεσαν εἰς τοὺς πρωκτοὺς τούτων, καὶ παρατίλλοντες αὐτοὺς τέφραν θερμὴν ἐπέπασσον βασάνους ἱκανὰς ἐργαζόμενοι. id eſt, hoc enim modo mœchos condemnatos puniebant, acceptos rhaphanos immiſerunt in podices ipſorum, & pilis euulſis cinerem calidum inſpergebant, cruciatu ſatis graui eos afficiendo. *vt cuidam t.* Lambini emendationem ex vetuſtis codic. non poſſum non amplecti, cum & in codice Tonſ. τὸ cuidã expreſsè ſit adſcriptũ, & in codice Diuç. in dictione, ferro, maculata videatur vltima ſyllaba, atque pro. um, ſubſtitutum ſit o, fortaſſe notatur Carbo, quem Bibienus deprehenſum fœdum in modum caſtraſſe dicitur: Romanis enim, qui ingenuã violaſſet, virilia exſecabantur. *tutior at q.* non temerè tamen leges permittunt in quamuis libertinam petulantiam ſuam exercere: Nam alia eſt in concubinatu patroni, alia nequaquam: quę autem ſeſe patroni cõcubinam eſſe non patitur, in eam ſtuprum non contrahi Papinianus ait l. 16. §. 1. ff. de his vt qui indig. Sed quæ eſt patroni concubina, in ea committitur adulterium, ſiue ſtuprum (hæc enim duo Iuriſconſultis ſunt eiuſdem notæ) nam matronæ nomen nõ amittit. l. ſi vxor, §. 1. ff. de adulter. etiamſi matrisfamilias honeſtatem non retineat, cũ obſequiũ patrono debeat. Vnde Seneca lib. 4. controuerſiarum, ait, Memini illũ cùm libertum eum defenderet, cui obiiciebatur, quòd patroni concubinus fuiſſet, dixiſſe, impudicitia in ingenuo, crimen eſt; in ſeruo, neceſſitas; in liberto officium. Imò nec in ingenuas mulieres ſtuprum committebatur, quæ corpore palam quæſtum facerent, atque iccirco in concubinatu haberi poterant. l. 3. ff. de concub. *libertinarum d.* verbum dico in epexegeſi habet peculiare quiddam, nam & in accuſatiuo reperitur. Cic. ad Atticum, Non fuit apud me Cornelius, hunc Balbum dico. Et in aliis caſibus. Quintil. Incipiamus ab eo, qui cùm frequentiſſimus eſt, tum longè pulcherrimus, tranſlatione dico. hic autem genitiuo additur, libertinarum dico, &c. *at ſi qua res.* εἴ τῃ. Sentẽtia huius eſt, ſi Salluſtius vellet eo modo bonus atque benignus eſſe, qua, id eſt, quo modo res, facultates, bona, &c. quomodo ratio, honeſtas, boni mores ſuadent, hortãtur, monent, & quomodo licet ei eſſe modeſtè munifico, hoc eſt, non profusè & largiter, ſed munera donaret moderatè, & quãtum ſatis eſſet, ſi rationem audiret, &c. *at ſi qua.* qua, in Tonſano cod. id eſt, quatenus. In Diuæ. qua, id eſt, in quantum. at ſi quis exponet, qua, id eſt, qua ratione, per me quidem licebit, ſed parum placebit, durius enim id mihi videtur, ſi qua ratione ratio ſuaderet, &c. Vide num, qua, per pleonaſmum redũdet: ſicut in illo Virg. Ne qua ſcire dolos, mediúſve occurrere poſſit. Idem, Si qua fata ſinant. *munifico.* ſic habent omnes codices præter Diuæ. & Buſſ. qui habent munificum. *hoc amat, hoc laudat.* cod. Tonſ. Diuæ. Mart. & vnus Bland. habẽt, hoc amat & laudat. *vxoribus vnquam alienis dux*

xis. duæ formæ ſunt vxoris, vt ſcribit Cic. in Topicis, altera vxor tantum, altera vxor materfamilias. Boetius interpres, tribus modis, inquit, vxor habebatur, vſu, farre, coëmtione, ſed ea ſola erat vxor materfamilias, quæ per coëmtionem veniebat in manũ viri: aliæ duæ vxores quidẽ & matronæ, ſed non matresfamilias: poteſt itaq. Marſæus intelligi per alienas vxores demõſtrare nõ matreſfamilias modò, ſed & eas quæ matronæ cenſebantur, quales erãt ancillæ in concubinatu patroni. *an ſibi perſonam.* in hoc incũbit Horatius obnixè admodũ, vt Marſæus & eius ſimiles tandẽ reſipiſcãt, & in rectã viã redeant; neq. id ſibi proponant, ſolũ eſſe extimeſcendũ, fugiendũmq;, quod legibus adiuncta pœna vetitũ eſt, putà mœchari, & matronas ſectari, verùm etiam quicquid vbiq. gloriæ, & exiſtimationi parùm conducit: vtitur autẽ hac ratione Syllogiſtica, Quicquid vbiq: officit, hoc eſt, quod per ſe & ex ſui natura malum eſt, hoc vehemẽter euitandũ eſt, at cum matronis, mimis; meretricibus deperdere famã, rem patris oblimare, &c. omnino malũ eſt, itaque peribit malè qui tantũ ſcelus à ſe non depellit. *quid intereſt.* hęc per parentheſin legito. Marſæus videtur nonnihil indignari, quòd Horatius malum aliud alio dicat eſſe deteſtabilius, cùm ex opinione Stoicorũ peccata ſint æqualia: ſed non videt miſer ſe huius contentionis auctorem eſſe, qui mœchari quidem metu pœnæ vitandum putet, non etiam cum mimis, & meretricibus, nomen in diſcrimen vocare, & bona conſumere: quod etiam ſi impunè liceret, tamen reipſa ab alio non diſtat. Quare cùm ſentiat Horatius ei ſe eſſe ludicro, eúmq. argutari potiùs, quàm rem ad viuum reſecare, vt viciſſim eum illudat, vtitur exemplo Villij, qui non facti quidem, ſed perſonæ nomine graueis pœnas dedit. *matrona, ancilla peccéſve to.* ſic habent omnes codices ſcripti, non etiam peccéſne. Matronam hic ſignificari opinor vxorem matrem familias; Ancillam, libertinam quæ eſt in concubinatu patroni, cui ex officio ancillatur; Togatam, in fornice meretricem. *infauſta.* ex adiecto, ſeu (vt fertur) ex perſonæ circumſtãtia crimen maius, nempe quòd matrona nobilis. *mutonis.* muto membrum virile apud Lucilium teſte Feſto, & mutonis manu perſcribere poſſe tagacem, id eſt, furunculum. hinc eſt mutonium, amuletum contra inuidiæ faſcinum. Arbitror certè è Græco deductum eſſe, & metaphoricôs accipi pro pene; nam μυτὶς μυτίδος, naſus eſt in marinis piſcibus Ariſtotele teſte de Sepia, ait enim eam ἐν τῇ μυτίδι τὸν θορὸν ἔχειν, id eſt, in naribus habere ſemen: ſed & μύρτον, eſt caruncula in pudendis muliebribus, quæ mutoni reſpondet vnica demta littera. *quid vis tibi.* lepida proſopopœia, qua muto per remotionem culpæ, fingitur interrogare Villium. *animus.* pro ea affectione quæ ſub ſe habet voluntatem, iram, cupiditatem. *depoſco.* tanquam rẽ debitam. *conferbuit ira.* cũ incendor libidine. ὀργίσου πρὸς σύμπλεξιν, Gaza ex Ariſtotel. *at quanto m. m.* ἐπίδειξις ἐπιφωνηματικὴ τῆς ἀνταρκείας, d. monſtratio eius quod ſatis eſt per acclamationem: cui conuenit illud Epicuri apud Stobæum: χάρις, φησὶ, τῇ μακαρίᾳ φύσει, ὅτι τὰ ἀναγκαῖα ἐποίησεν εὐπόριστα: τὰ δὲ δυσπόριστα, οὐκ ἀναγκαῖα, hoc eſt, gratia, inquit, habenda eſt naturæ bonæ, quę neceſſaria parabilia fecerit, difficilia autem paratu non neceſſaria. *pugnantiáq; iſtis.* Helleniſmus. τὰ μαχόμενα τούτοις. *ac non fug. pe.* ab adiunctis contrariis: bona ſunt, ergo petenda; mala, ergo fugienda: in quibus cùm reipſa nulla ſit concordia, fit, vt in huiuſcemodi perditis, in quibus ratio obnubilata eſt, peſſima quæq; pro optimis habeantur. *tuo vitio, rerum.* nullis rationibus aſſequi valeo aut cõmentatoris expoſitionẽ, aut eorum qui ad eius veſtigia ſe compoſuere, eorũ putà, qui hic rei vitium manifeſtè ediſſerunt eſſe eius rei inopiam & egeſtatẽ: quaſi verò, ſi quis careat, aut pluriano aut vino aut femina, is laboret, id eſt, cõtaminetur aut inficiatur earũ rerum vitio, cùm ipſæ res in ſe ſint bonę, purę & incorruptę, & quas ne cõtigit quidẽ: nã ſi contaminatæ ſint & vitiatæ, eíſque vſus ſit, ſua ipſis argumenta libenter conceſſerim, cùm ſit indubitatũ imbuta rebus impuris vitiatíſque corpora corrumpi: ſecus autem, non facilè quis me in id inducat vt credam, id quod pro voto non adeſt, mihi in vitio eſſe, adeò vt hinc malus habear aut grauiter corrigẽdus. Verùm hoc ego ſenſerim verius, eſſe rerũ vitium, à quo res vitioſæ, malæ, & corruptę dicuntur, iuxta illam Cic. diſputationem in De fin. bon. & mal. 3. Qui virtutibus igitur, inquit, rectiſſimè mihi videris, & conſuetudinem noſtræ orationis, vitia poſuiſſe contraria: quod enim vituperabile eſt per ſeipſum, id eo ipſo vitiũ nominatum puto, vel etiam à vitio dictum, vituperari. Nunc ex hac notatione vide, quæſo, num rei alicuius vitio laborare, ſit hic in defectu boni ſeu virtutis eſſe? Quare huiuſcemodi expoſitione valere iuſſa, dicemus Horatium, quod iamiam ex theſi, nimirum Villij exemplo, oſtendit, idipſum facere nunc generatim ex hypotheſi: vtpote omnes laborare ſuo vitio, qui ſibi non imperant, ſed affectus ſibi imperare ſinunt; rerum autem vitio, quãdo ſibi negatis & illicitis vtũtur fruuntur, vnde ſcelerati habentur & infames: atque hac ratione duabus de cauſis culpandi caſtigandíq. ſunt adulteri, quòd neq; modũ in libidine à natura imperatũ ſeruãt, neq. à cõſectandis matronis ſe cõtinent,

quæ tamen eis ſunt maximo malo & periculo. Quòd autem hunc locum ſit aliter interpretatus Commẽtator, id ideo accidiſſe puto, quod Ethici τὴν κακίαν (quod Cic. 3. de fin. & Tuſcul. 4. vitiū mauult quàm malitiam nominare) defectu metiantur & exceſſu, qui vterque ratione medij, (quæ virtus eſt habitus animi rectæ rationi conſentaneus) cū in vitio eſſe dicatur, viſus eſt Acrō, neglecto animi bono, defectum quidem egeſtatem inopiámque, exceſſum verò interpretari copiam & rerum abundantiam: in qua etiamnum ſententia paullò pòſt iudicat eſſe Horatiū, vbi ait, Num tibi cùm fauces vrit ſitis, &c. ſed fallitur; nō enim de rei vitio, aut (vt volunt) defectu ibi loquitur, ſed de delectu: vt putà, quòd amator, cùm poſſit in libertinam ſeſe effundere, nihil quàm matronam deſideret. *quare ne pœniteat.* clauſula ſuperioris argumenti, qua hortatur Salluſtium vt rerum vitio ne laboret, miſſas matronas faciat, quarum conſectatio plus laboris mali, id eſt, contumeliæ, ex multis periculis & infinita moleſtia, quàm voluptatis conferre poſſit earum contrectatio fruitióque. *nec magis h. i. n. n.* Occupatio per μείωσιν: ait ornatū quidē & ſplendorē corporis cōmendare formam, ſed non promouere voluptatem, nec corpus efficere delicatius. *ſit licet hoc Cer.* horum trium verſuum ſeſe continuò ſubſequentium varia eſt lectio. Tonſ. cum Diuæ. codice habet, ſit licet, ô Chærinte tuum, &c. Bland. vnus, ſit licet hæc Chærinte tuum. Martinius cū reliquis, ſit licet hoc Chærinte tuum, tenerum eſt femur, aut crus rectius, atque etiam melius perſæpe togatæ eſt. quam poſtremam exiſtimo eſſe probatiſſimam. Verùm vt ad declarationem verſuum veniamus, mihi videtur hæc apoſtrophe vel præferre amorem maſculum amori matronarum ex obliquo ſub perſona Chærinti ſcorti delicatiſſimi: vel dirigit ad nobilem aliquem Romanum (pæne dixerim Mæcenatem, eò quòd eum delicatè Chęrintum nominet:) quandoquidem pergit in eodem argumento de matrona & togata, ad finem vſque Eclogæ: Præterea vtitur δεικτικῶς τὸ huic, pro delicatula matrona, inſignique cùm genere tùm forma, & ornatu: ídque contendere videtur, vt nobilem illū deterreat à mœchatu, propterea quòd ſub externo habitu ſplendido, contecta ſint multa deformia, putidáq;. Verſuum autē hic ordo eſt: O Chærinte, femur neq. eſt magis tenerū, neque crus rectius huic matronæ quam deperis, licet ſit inter virideis nitidóſque lapillos, quàm ſit hoc tuum ſupp. femur: atque etiam perſæpe rectius eſt & melius togatæ quàm matronæ: atq. ita ſubintelligitur particula electiua, quàm, ac, aut ſimilis. quod loquendi genus, nec Græcis in τῷ ἤ, nec Latinis multùm eſt infrequens: vt apud Varronem de re ruſtica, Non minores oportet inire bimas, vt trimæ pariant, id eſt, quàm bimas. Liu. hoſtium plus mille cæſi. Terent. auctore Quintiliano, Accede ad ignem hunc, iam calesces plus ſatis. Idem, Plus millies audiui. Plin. 5. Torrentes verò amplius centum, &c. Si verò ſit qui legere volet, ſit licet, ô Chærinte tuum, &c. non iudicabo eum facere ineptè. *adde huc q. m.* Imo, inquit, togata non femur ſolùm mollius aut crus rectius, ſed totam ipſam mercē ſæpe gerit probatiorem, hoc eſt, totum corpus, ſine vllo naturæ vitio, ſanum & integrū, nullo artificio, nullis lapillis, purpura nulla commendatum, nec vllis denique pigmentis fucíſve infectum; de quo, vt ne dubites, id apertè totum, ſi voles, oſtendit: non enim, matronarum inſtar, aut eam tantùm corporis partem palam habet & oſtentat quæ honeſta eſt, pulchra & elegans; aut ſolùm quærit in propatulo nō eſſe, quæ viſu ſunt aut contactu turpia deformiáque: ſed totam ipſam mercem tuis oculis, & ſenſibus habet expoſitā. Hic ei non libenter ſubſcripſerim, qui mercem interpretatur partem corporis pudēdam: nam ſi neque turpia celet, neque ſolum detegat, venditéve quod illecebroſum eſt, me hercule, corporis omnia membra habet venalia, alia in vſum, alia in commendationem formæ, ad concitandam Venerem alia. *nec ſi quid ho.* hæc à partibus corporis, aliis non ad oſtentationem, libidinis ergò, denudatis, aliis non celatis turpiter, eſt quædam epexegeſis totius mercis, hoc eſt corporis venalis. *Regibus hic mos eſt.* Perpulchrè hanc comparationem equi ad feminā, præſenti argumēto accōmodat, vt edoceat Romanos quid in conſectādis feminis facto opus ſit, ne cum ingenti nominis & rei diſpendio cadant in infinita pericula atque horrenda mala, quando neglectis aliis corporis partibus, ſolius faciei & capitis gratia, inſanis quibuſdam conatibus matronas conſectantur potius, quàm togatas, quas nudas tamē inſpicere licet. *opertos inſpiciunt.* apta comparatio hipponetarum ad gynæconetas ſiue mulierum captatores, qui ſimili ferè cura & induſtria, hi mulieres, illi equos, æſtimant, nimirū ex inſpectione formæ & totius corporis integritate. quo argumēto togatas nudas, matronis ſola facie detectis, pręferēdas iudicat. Verum vniformis ſcriptorum lectio nonnihil parit obſcuritatis: habēt enim omnia τὸ opertos, cōtra Pſeudoporphyrionē, qui legit, apertos, cum vulgaris aliquot libris: quorū lectio primo obtutu apertior eſt, & præſenti comparationi fortaſſe magis conſentanea. quod lectori pluribus oſtendere non eſt operæ pretium. at ſi *opertos* legamus, vt habent ſcripta omnia, eóſq. ſic inſpicere

non

non inutile credamus, non inutile quoque fuerit nos decipi, matronáſque opertas conſectari, togatis nudis valere iuſſis. Quod quàm ſit alienum ab Horatio, & Virg. 3. Georg. & ſenſu communi, nemo non intelligit: attamen ab antiqua lectione diſcedere, nefas eſt. quam quidem vt conſeruemus integram, neglecta interpunctione ceterorum codicum, puta, *regibus hic mos eſt, vbi equos mercantur, opertos inſpiciunt*, &c. ſequemur eam quę τὸ opertos, apponit verbo mercātur, hoc modo, vbi equos mercantur opertos, inſpiciunt, &c. quam lectionem oſtendit codex Tonſ. & Diuæi. *opertos.* tectos, ornatos, aut ſi mauis, phaleratos. ſic Seneca epiſtola 47. Quemadmodū ſtultus eſt, qui equum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum eius ac frenos, &c. *facies.* ſpecies, pulchritudo, quæ eſt in lineamentis & ſymmetria earum partium quæ ad primū obtutum ſeſe offerunt. *emtorem inducat.* quod in matrona facit aperta facies, quæ ita pellicit, fallit, perdit, & enecat incautos, vt de reliquis partibus nulla plerunq. ſit cura. *mollis fulta p.* ſi malos pedes habeat: κακόποδες δ' εἶεν, inquit Xenophon. *ne cor. o. L.* Lyncei, habet codex Bland. vetuſtiſſ. quem ſecuti ſumus, cum Eraſmo, qui & contemplans, cum Glareano, putat eſſe legēdum; ſed ea lectio in nullis eſt cod. antiquis. *depugis.* ſic habēt omnes Bland. codices, in quibus υ ferè per u ſcribitur. *matrona p. f.* ἀνταπόδοσις. *hoc facit inſa.* nitimur enim ſemper in vetitum, & cupimus negata: neque quod licet, libet, inquit Seneca. *tum officient res.* ſic habet codex Bland. antiquiſſ. reliqui omnes ſcripti, *officiunt.* vnus autē Bland. habet, *dum officiunt res.* quam etiam lectionem ait Turnebus ſe inueniſſe. *cuſtodes, lectica.* hæc eſt enumeratio earū rerum quibus, tanquam vallo, eſt matrona circumdata. *ſtola demiſſa.* ſuprà diximus ſtolam Latinè dici inſtitam. *circumdata palla.* pallam non ignoramus haberi pro peplo, ſeu matronæ indumento, teſte Non. Marcello: verùm hic opinor accipi pro limbo, quam veſtem ait paulló ſuprà eſſe inſtitæ ſubſutam. *lectica.* ſcribit Commentator lecticā eſſe vehiculi genus, nimirū, quo nobiliores matronæ per publicum deferri ſolebāt. Suèton. in Othone, ſellam muliebrem, Tunc, ait, abditus properè, muliebri ſella in caſtra contendit, &c. *ciniflones.* hi & cinerarij Catullo nominantur. Hoc autē officium ſeu miniſterium dicit Soſipater eſſe muliebre. Columella capitū & capillorum concinnatores. Tertullianus ſtructores capillaturæ nominat: Græci βοστρυχοπλόκους καὶ κομμώτας. *altera nil obſtat.* putà togata, per ἀντίθεσιν, quā Coas veſteis indutā, tibi pænè nudam intueri licet, ita vt nil prætereà ſit obſtaculo, nō cuſtodes, lectica, ciniflones, nō toga demiſſa, &c. Eſt autem Coa veſtis, à Co inſula: vbi non minùs quàm in Ceo inſula ei propinqua, ſubtilioris veſtis amicula, arte lanificæ ſcientiæ prima, vt ait Solinus cap. 12. ex Varrone, in ornatu feminarum inuenta eſſe probabile eſt: Nam Coas veſteis, à bombycinis quidē nihil differre (quas tamē à ſericis ſeparant) graueis auctores voluere. Huiuſcemodi autē veſtem nominat Petronius nebulam lineam, prętenuiſſima & ſubtiliſſima, inquiens, palam proſtare nudā in nebula linea. *altera nil obſtat.* Lambinus Hypodiaſtolen collocandā cenſet poſt pronomen tibi; at ſcripti, quos legi, codices omnes habēt interpunctionē poſt verbum obſtat; & eo etiā modo refert Linacer de emendata ſtructura lib. 6. verùm (meo quidem iudicio) parùm intereſt. *Cois tibi.* per ellipſin præpoſitionis in. Sic & Ouid. Siue erit in Cois, Coa decere puta. *ne crure malo.* curuo. *pede turpi.* magno & deformi. Codex vnus Bland. habet, vt nudum. quā lecturam ſi quis probet, ſic ordinandam cenſuerim: Nam in Cois ita pæne videre eſt eam, vt nudum latus (Synecdochicôs) oculo metiri poſſis, &c. *pretiúmque.* pretium ſuæ merci præfigi ſolet, quando ea venalis eſt: quemadmodū vino vendibili ſua edera. Rogat autem togata amatorē, velíſne ſibi poni inſidias, non minus à ſe quàm à matronis, quæ pro merce venalitia, id eſt, vſu corporis, priùs exigunt pretium, quàm eam inſpexerint, num proba ſit. *leporem venator vt alta.* Sectator matronarū reſpondet togatæ, venatoris inſtar, acquiſitu difficilia amare ſe & perſequi, non etiam quæ in medio poſita ſunt, quibus nullo labore frui licet. *in niue ſectetur.* ſic ſcriptū eſt in omnibus codicibus præter Diuæi, in quo ponitur, ſectatur; ſed aliud Lābinus præfert, quod & conuenientius arbitror, vt ſit potentialis modi. hic etiam num Lambinus pro, cantat, ſua opera & induſtria reponit, captat: ſed ea de re priuſquam diſſeramus, lectorem monere neceſſe eſt, hoc à meo more penitus eſſe alienum, vt in veterū ſcriptis antiquis quicquam immutandum iudicem pro arbitratu, niſi res vrgeat, aut inter ſe ſcripta non conſtent: nam contrà quicquam conari, nimis eſt hominis temerarij: adeò vt mihi potius ignoſci, ſi quid non aſſequor, quàm pœnitendæ ſententiæ culpam deprecari velim. Non hæc dico quaſi non ſæpius errare me poſſe exiſtimem, aut veluti pro oraculo habenda velim quæcumque à nobis proficiſcuntur: cùm non infitier nihil humani à nobis eſſe alienum, iuxta Comicum: Sed de iis loquor, qui quæuis ſcripta quouis iudicio inuertunt & mutant, vt imperitis ſapere videantur. In viris autem doctis, huiuſcemodi philautia & ambitio locū nullū habere poteſt, vt quibus multa & varia lectione, diffi-

ne, difficillima quæque & corruptiſſima vel nullo labore ſunt aperta, vel ſuæ ſententiæ reſtituta. aut ſi aliter ab iis fieri nequeat, ita ſunt reparata, emendatáque, vt doctiſſimo cuique probentur. Quā ē certè hoc loco animaduerſionem à Lambino prætermiſsam non poſſum multis nominibus non cōmendare in verbo, captat, poſito pro cātat, ita vt peritiſſimo cuiq. prima fronte grata & non parua laude digna videri debeat: verùm ſi nō improbabili coniectura adnitar verbū, cantat, (pro omnium veterum codicum laudabili conſenſu) reddere ſuo loco, hoc ita confido Lambinum accepturum (nemo enim vnus aduertit omnia) in eámque partem interpretaturum, qua me patior ab eo caſtigari, ſi quid à me minùs rectè aut dictum aut ſcriptum notarit: Cædimus enim ſcriptores, inque vicem præbemus crura ſagittis. Quare vt ad inſtitutum reuertar, & huius loci ſententiam difficilem, mehercule, & tenebroſam, quantum poſſim, elucidem, hanc accipe cum ordine ſententiam; Venator vt nolit tangere leporem, ſic, (δεικνύς, oſtendendo, putà, togatam domi ſuæ expoſitam cunctis amatoribus) poſitum in cubili ſuo, ſed cantat, id eſt, cantu buccinæ ciet, vt ſectetur per altas niueis fugientem, & apponit ſibi captum, fruitúrque iucundè, meus eſt amor huic ſimilis, &c. hîc vide ἀπόδοσιν concinnam; Venator non vult tangere ſeu capere leporem in ſuo cubili poſitū, amator tranſuolat togatam in medio poſitam; Venator cantu ſectatur fugientem, amator fugientia captat, &c. Hanc autem commentationem ſatis quidem (vt nobis videtur) aptam ad verbum cantat pro fide omnium codicum, ſuo loco ſtabiliendum, cum D. VVoulardo Blankebergano communicaſſem viro eruditiſſimo, nec non in Horatiana lectione verſatiſſimo, nec poſt multam contentionem penitus inter nos conueniret, poſtridie eius diei per puerum miſit ad nos ſuum hoc ſcriptum extemporaneum: Reuerſus heri domum à noſtro congreſſu, ac ſumto prandio ad focum, quem, vt fert anni tempus, & valetudo mea poſtulat, luculentum extruo, deſidens, cœpi cogitare, vt aliud ex alio incidit, etiam de noſtra concertatione ſuper loco Horatij de cantione amatoris, vt mihi ſemper viſum eſt, & experiri meditando, an aliquid diuinare poſſem, poſt heroas eos, ac giganteos venatores, qui magnas etiam ſiluas indagine cingunt, & magnis canum moloſſorum laconicorúmque turmis ſtipati, putant nullam quamtumuis feram feram eos effugere poſſe, Turnebum dico & Lambinum & Cruquium noſtrum quoque: an aliquid, inquam, non oculorum perſpicuitate, qui vel talpa cæcior ſum, ſed ſagaci odoratu; quo ſi me negem aliqua ex parte donatum, putiditate mea ingratitudinis erga Deum, à quo omnia procedunt bona, reus merito videri poſſim, aſſequi valeam, quod illos altioribus rebus intentos effugerit: Et mihi videor aliquid aſſecutus, ac genuinum ſenſum Horatij ex tenebris eruiſſe, μὰ τῆς φιλαυτίας ἐμῆς, aut veriùs φιλαυτίας; ſed te iudicem conſtituo. Si enim, vt, aduerbium accipiatur qualitatis, non comparationis, pro qualiter, & quomodo, omnis mihi videtur ſublata difficultas, hoc ſenſu, cantat amator, qualiter venator leporem in alta niue ſectetur, quem in ſuo latibulo deliteſcentem nolit vel tangere. vt videatur alluſum ad cantionem quamdam vulgatam de generoſis venatoribus: Sicut alibi cantionis meminit puerilis, quam neniam vocauit. Et extat in epigrammatis Græcorum puerorum trocho ludentium τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα. hoc modo ſeruatur fides antiquis exemplaribus, à quibus non temerè diſcedendum eſt, & ſententia eſt clariſſima: ac ſic etiam locutus eſt Virg. in Sileno ſuo de Sileno, Namque canebat vti magnum per inane, &c. Apponit, autem cum Turnebo pro, addit, accipi debet, imitatione Græcorum. ſic Ciceroni eſt προστίθημι, pro addo etiam. item lib. 1. Od. 9. lucro appone. in Pſeudulo act. 1. ſc. 3. Indunt coriandrum, fœniculum, allium, atrum olus, apponunt rumicem, braſſicam, betam, blitum, &c. Terent. in And. act. 2. ſcen. 1. Cùm is nihil promereat, poſtulare id gratiæ apponi ſibi. Cic. 1. in Verr. Cuſtodem, inquit, Tullio me apponite. Ita apponit, hoc loco, pro addit, eſt velut declaratio quædam cantionis, aut applicatio veriùs ad rem præſentem. Hæc te celare nolui, etiamſi cæcus iter monſtrare videar. Quod autem attinet ad duo illa venationum genera quæ hic Horatius tangit, etiam omnibus hodie ſunt in ore, legitima venatio & illegitima, quod noſtri dicunt, **ghewep ende onghewep**. Et ferina longa curſitatione laſſitudinéque ita teneteſcens, vt propemodum putreſcere videatur, in ſummo eſt nobilibus pretio: contrà illegitima illa venatio, feram baculo venatorio in ſuo cubili conficere, adeó eſt contemtui, vt magni conuicij & ignominiæ loco vocentur **cloppeerbers** noſtrate lingua, à percutiendo & impingendo. Simile dictum audiui ſæpiſſimè ex ore D. Andreæ à Claerhout, D. de Ardoye cognati patruelis Mæcenatis noſtri piæ memoriæ, D. Iacobi à Claerhout D. de Maldeghē. &c. numquá cepiſſe ſe leporem, quin captū iam, & viſcerationi canū datum, vellet iterū reſtitutū in pedes, vt noua voluptate ſe reficeret. boni cōſule noſtras ineptias ſi nō faciūt pro ſtomacho tuo, ac bene vale

Cruqui

Cruqui cariſſime. Tuus Arnoldus Woulardus, aliàs Motorius. Cæterùm paucos poſt dies, quando intelligeret ex Pantino noſtro (vt qui mecum ſentiret) nobis non videri hæc verba, cantat, & apponit, eſſe ad amatorem ſed venatorem referēda, protinus aliud meditatus, vt eſt ingenio vir ſagaciſſimo, id litteris mandatum per puerum iterum ad nos deferri curauit, quod hic appoſitum vides. Dies diem docet, ac poſteriora meliora, vt habet Prouerbium. A proximo noſtro litterario congreſſu poſtridiè me adiit Pantinus noſter, qui pro ſua humanitate me crebrò inuiſit, vt excutiat mihi ſolitudinis tædium, ac refricuit memoriam loci Horatiani, de quo tres iam egimus, nec adhuc planè conuenimus, nam non vſquequaque etiam id quod nuper excogitaui, ei placere intelligo: & quia omnino perſiſtis adductus veterū interpretū auctoritate, vt, cantat & apponit, pertineant ad venatorem non amatorem, cœpi apud me iterum cogitare de inuenienda commoda aliqua ſententia, ſeruata vbique, etiamſi ſubſannet doctiſſimus Lambinus, antiquorum librorum auctoritate, & interpretum diligentia, ac tandem aliquid mihi videor aſſecutus, hoc modo: Venator cantat, id eſt, cantu ſignum facit ad leporis inſectationem. Solent enim domo egredientes venatores (quamquam non omni ex parte nobis in venatione cum veteribus conueniat) leporarij ſtatim velut auſpicium quoddam facere ſono buccinæ aut cornus (vt intelligentius cum Plinio loquar) partim ad excitandos ſocios & συνθηράτας, partim ad colligendos canes, qui ſparſim ſeruantur in villis, quos numellis colla vltrò præbenteis iuxta ſe habent, donec eò ventum eſt, vbi venandum putent, ac vinculis abſolutos dimittant ad excitandum leporem, quem capiendum maioribus canibus, & præuelocibus, vt vocat Plinius, obijciunt, quos à celeritate, qua ventos etiam ſuperent (quæ vſitata poëtis eſt hyperbole) noſtris videntur **wynden** dici: cùm alij qui tardiores, ſed ſagaces, à curſu, non, vt alij, à volatu, **loopende honden** dicantur. Quantopere autem laborioſa hæc venatio ſit veteribus probata, vel ex ſolo Horatio pater, leporem ſectatus, &c. Satyr. 2. lib. 2. Item, Cùm labor extuderit faſtidia, ſiccus, inanis ſperne cibum vilem, &c. & alibi, Romanis ſollemne viris opus vtile membris & famæ. Et, Vt pariter cœnes pulmenta laboribus empta, &c. Quid? an nón hic occaſio eſt iterum ineundi conuiuium poëticum, aut etiam venatorium, vt nuper cum Pantino & Nanſio communibus amicis noſtris? atque adeò vtinam dignetur quoque nobis adeſſe D. Iudocus Maldeghemius D. de Leiſchot, & maioris & minoris venationis omnia pernoſceas myſteria: quem etiam Dux Albanus poſt heroa noſtrum D. Iacobum à Claerhout, dignum putauit quem venationi Flandricæ præficeret. Hæc tibi ſomniabam poſt mediam noctem, quando veriora dixit Horatius ſomnia ex ſententia Hippoc. Speróque pro mea ſtultitia & philautia, vt me ob inuentionem inauretis, aut ſaltem, quia hoc arrogantius eſt, inargenteris; nam Pliniana verba etiam aliud agenti, ob aſſiduitatem occurrunt. bene vale amiciſſime Cruqui, & boni conſule noſtra ſtudia, quæ tibi non tam ſudant quàm ſomniant. Tuus Motorius. Ex his itaque noſtris & D. VVoulardi commentis, lector candide, ſi tuo ſtomacho non ſit factum ſatis, ita vt iudices in verbo, cantat, nobis potius & antiquis ſcriptis omnibus aſſentiendum, quàm Lambino in verbo, captat; ſaltem hoc tibi perſuaſum eſto, nos foreis aperuiſſe, vt fertur, ad vlteriorem coniecturam. *hiſcine verſiculis*. hæc verba ſunt Horatij ſuaſorij generis, ab vtili, honeſto & neceſſario, cum tacita obiurgatione, ab inutili, inhoneſtoque. hiſcine (ſic habent omnes ſcripti libri quos legere mihi contigit) verſiculis, amatoriis cantionibus ad illiciendam captandamque matronam, venatoris in morem, arbitraris elapſa præda, condimentóque naturæ neglecto, dolores, æſtus, tentiginem libidinis fomitem ceſſare, nullóque adhibito medicamine extingui poſſe? Studéſne cum natura pugnare, quæ ſtatuat, id eſt, ſtatuere tibi & imperare modum debet, quo ſuæ neceſſitati ſuccurras? quem ſi in togatis nolis, & in matronis aſſequi non poſſis, dolebit ne natura, & ferre non poterit? Perpulchrè docet Horatius eam naturæ neceſſitatem omnibus eſſe ingenitam, vt curemus quibus ad vitam opus eſt, inutiliáque reſcindamus. Quare ſi non libidini voluptatíque ſeruiamus, ſaltem naturæ intra præſcriptos honeſti limites reſpondere conemur. *è pectore tolli*. ſic habet codex Bland. antiquiſſimus, quem ſecutus ſum, præcipuè propter euphoniam. *ſtatuat*. ſtatuere debet, vt ſit modi potentialis. In hoc etiam ſecutus ſum ſcriptos codices. *num tibi cùm f.* demonſtrat argumento inductiuo, neceſſitati, non etiam voluptati parendum. Ex his verſibus ſumta eſt ea interpretatio, quam paullò antè confutaui de rerum vitio. *tument tibi cùm*. hoc vitium Græcis σατυρίασμος καὶ πρίαπισμος nominatur, τάσις τοῦ αἰδοίου, Galeno de locis affect. lib. ſext. cap. 6. item lib. 9. *non ego nam q.* nam quicquid à natura nobis datum eſt, hoc firmum, ſolidum, & cum ſumma tranquillitate animi (ſi moderatè ſumatur) coniunctum eſt. Cōtrà, Quicquid à natura deuium eſt, ſectaturq. vehementem illam, & inordinatam ὀρμὴν, hic

nihil habet vita ſedati, nihil recti, ſed tumultuoſa omnia, vana & improba omnia. *namque parabilem.* à ſua perſona ſuadet parabilibus vtendum, negligendáque difficilia: ea autem qualia ſint, in ſequenti verſiculo deſcribit ex adiunctis ſignis: Temporis quidem, vbi dicit matrona, veniam quidem, ſed paullò pòſt: Pretij verò, cùm ait, veniam, ſed non tam vili: Occaſionis autē, inquiens, veniam, ſi vir exierit. talem matronam ſub perſona Philodemi optat rudioribus, & moræ minùs patientibus, ſe verò malle potius ait commodiore, faciliore, candidiore, mundiore, minus fucata, & ad naturæ meliorem non efficta formam ſtudio induſtriáque. *Gallis hanc Philodemus.* fuit hic Philodemus Epicurus (vt Strabo ſcribit) patria Gadaræus: quem Aſconius Pedianus in oratione Cic. pro Lucio Piſone, ſcribit Epicureum fuiſſe ea ætate nobiliſſimum: Sed arbitror apud Aſconium legendum eſſe pro Epicureum, Epicurum dictum, vt habet Strabo, vel hunc ex illo reſtituēdum: tamen Epicuri cuiuſdam (quem etiam Gargettium nominat) frequens eſt mentio apud Stobæum. Huius autem Philodemi carmen amatorium ex ceteris lib. 7. Epigrammaton deſumtum hic appoſui: *ἡ κομψὴ; μεῖνόν με, τί σοὶ καλὸν ὄνομα; ποῦ σε ἔστιν ἰδεῖν; ὃ θέλεις, δώσομεν· οὐδὲ λαλεῖς; ποῦ γίνῃ; πέμψω μετὰ σοῦ τινὰ, μήτις ἔχει σε; ὦ σοβαρὴ, ὑγίαιν'; οὐδ' ὑγίαινε λέγεις; καὶ πάλι καὶ πάλι σοι προσελεύσομαι· οἶδα μαλάσσειν καὶ σοῦ σκληροτέρας. νῦν δ' ὑγίαινε γύναι.* Quod ferè ad verbum ſic vertimus: Comtula quæ? me operire; tibi quod nomen honeſtum? heus vbi te? quoduis, accipe: non loqueris? Quò vadis? comitem dabo: numquis habet te? Crudelis, ſalue: me ecquid auere iubes? Quin rurſum accedam, noui mage dura mouere pectora; nunc ſana ſis mihi mente precor. *hæc vbi ſuppoſuit.* Codex Tōſanus habet, dextrum corpus mihi læuo; quæ lectio conuenit cum ſimplici faciliſque modo concumbēdi, quem deſcribit Ouid. de arte amādi lib. 3. Mille modi Veneris, ſimplex minimíſque laboris, Cùm iacet in dextrum ſemiſupina latus. Et hæc lectio videtur eſſe vera genuináque, quandoquidem ferè hic enumerat cetera quæ coniuncta ſunt commodæ Veneri. *vepallida.* ve, hic auget, vt habet Comment. cui conſentit Feſtus ex aliquorum ſententia in voce, vegrande, inquiens, vegrande ſignificare alij aiunt, malè grande, vt vecors, veſanus, malicordis, maléque ſanus: alij paruum, ſiue minutum, vt cùm dicimus vegrande frumentum, &c. Quod autem dicit vegrande, malè grande; τὸ malè, ex ſententia Soſipatri in aduerbiis, interpretor valde; ita vepallida, non miſerè, ſed valde pallida. *doti deprenſa.* Nam adulterij conuicta mulier, dotis parte multabatur: Quod etiam ante legem Iul. Valer. Max. lib. 8. cap. 2. ſeruatum indicat; referens quoddam Marij iudicium: Enimuerò adulterij damnatæ dos non publicabatur, hoc enim quinque legibus tantum ſcribit Vlpianus ſancitum, Maieſtatis, Iuliæ, vis publicæ, parricidij, veneficij, & de ſicariis. leg. 3. ff. de bon. damn. vt ſcribit Breſſonius ad L. Iul. de adulter.

ECLOGA III.

TIGELLIVS.

OMNIBVS *hoc vitiū eſt cantorib. inter amicos*
Vt numquam inducāt animum cantare, rogati:
Iniuſſi numquam deſiſtant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Cæſar, qui cogere poſſet,
Si peteret per amicitiam patris, atque ſuam, non
Quidquam proficeret: ſi collibuiſſet, ab ouo
Vſque ad mala citaret, Iô Bacche, modò ſumma
Voce, modò hac, reſonat quæ chordis quatuor
Nil æquale homini fuit illi: ſæpe velut, qui (ima.
Currebat, fugiens hoſtem: perſæpe velut, qui
Iunonis ſacra ferret. habebat ſæpe ducentos,
Sæpe decem ſeruos: modò reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modò ſit mihi menſa
tripes, &
Concha ſalis puri, & toga, quæ defendere frigus
Quamuis craſſa queat. decies centena dediſſes
Huic parco, paucis contento: quinque diebus
Nil erat in loculis: nocteis vigilabat ad ipſum
Manè: diem totum ſtertebat: nil fuit vnquam
Sic impar ſibi. nunc aliquis dicat mihi, quid tu?
Nullane habes vitia? immo alia haud fortaſſe
minora.
Mænius abſentem Nouiū cùm carperet: Hèus tu,
Quidam ait, ignoras te? an, vt ignotū, dare nobis
Verba putas? egomet mi ignoſco, Mænius inquit.
Stultus, et improbus hic amor eſt, dignusq; notari.
Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? at
tibi contrà
Euenit, inquirant vitia vt tua rurſus & illi.
Iracundior eſt paullò? minus aptus acutis
Naribus horum hominum rideri poſſit, eò quòd
Ruſticius tonſo toga defluit, & malè laxus

In pe-

In pede calceus hæret: at eſt bonus, vt melior vir
Non alius quiſquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc ſub corpore. denique te ipſum
Concute, num qua tibi vitiorum inſeuerit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala. namque
Neglectis vrenda filix innaſcitur agris.
Illuc præuertamur, amatorem quòd amicæ
Turpia decipiũt cæcum vitia: aut etiam ipſa hæc
Delectant: veluti Balbinum polypus Agnæ.
Vellem in amicitia ſic erraremus: & iſti
Errori nomen virtus poſuiſſet honeſtum.
At pater vt nati, ſic nos debemus amici,
Si quod ſit, vitium non faſtidire. ſtrabonem
Appellat pætum pater: & pullum, malè paruus
Si cui filius eſt: vt abortiuus fuit olim
Siſyphus. hunc varum, diſtortis cruribus: illum
Balbutit ſcaurum, prauis fultum malè talis.
Parcius hic viuit? frugi dicatur. ineptus
Et iactantior hic paullo eſt? concinnus amicis
Poſtulat, vt videatur. at eſt truculentior, atque
Plus æquo liber? ſimplex, fortiſq; habeatur.
Caldior eſt? acres inter numeretur. opinor,
Hæc res & iungit, iunctos & ſeruat amicos.
At nos virtutes ipſas inuertimus: atque
Sincerum cupimus vas incruſtare. probus quis
Nobiſcum viuit, multum demiſſus homo ille.
Tardo, cognomen pingui damus. hic fugit omneis
Inſidias: nullíque malo latus obdit apertum:
(Cùm genus hoc inter vitæ verſetur, vbi acris
Inuidia, atque vigent vbi crimina) pro bene ſano,
Ac non incauto, fictum, aſtutumq; vocamus.
Simplicior quis & eſt (qualem me ſæpe libenter
Obtulerim tibi Mæcenas) vt fortè legentem,
Aut tacitum appellem, quouis ſermone moleſtus:
Communi ſenſu planè caret, inquimus. eheu,
Quàm temere in noſmet legẽ ſancimus iniquã.
Nam vitiis nemo ſine naſcitur. optimus ille eſt,
Qui minimis vrgetur. amicus dulcis, vt æquũ eſt,
Cùm mea compenſet vitiis bona: pluribus hiſce,
(Si modò plura mihi bona ſunt) inclinet, amari
Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius. æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem, reddere rurſus.
Denique, quatinus excidi penitùs vitium iræ,
Cetera item nequeunt ſtultis hærentia: cur non
Ponderibus, modulíſq; ſuis ratio vtitur? ac, res
Vt quæque eſt, ita ſuppliciis delicta coërcet?
Si quis eum ſeruum, patinam qui tollere iuſſus,
Semeſos piſces, tepidumq; ligurrierit ius,
In cruce ſuffigat: Labeone inſanior, inter
Sanos dicatur. quanto hoc furioſius, atque
Maius peccatum eſt? paullum deliquit amicus:
Quod niſi concedas, habeare inſuauis, acerbus:
Odiſti, & fugis, vt Ruſonem debitor æris:
Qui, niſi cùm triſtes miſero venêre Kalendæ,
Mercedem, aut nummos vnde vnde extricat: amaras,
Porrecto iugulo, hiſtorias, captiuus vt, audit.
Comminxit lectum potus: menſáve catillum
Euandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem,
Aut, poſitũ antè mea quia pullum in parte catini,
Suſtulit eſuriens; minus hoc iucundus amicus
Sit mihi? quid faciam, ſi furtum fecerit? aut ſi
Prodiderit commiſſa fide? ſponſúmve negarit?
Queis paria eſſe ferè placuit peccata, laborant
Cùm ventum ad verum eſt: ſenſus, moreſq; repugnant,
Atque ipſa vtilitas iuſti propè mater, & æqui.
Cùm prorepſerunt primis animalia terris,
Mutũ, et turpe pecus, glandẽ, atq; cubilia propter,
Vnguibus, & pugnis, dein fuſtibus, atq; ita porrò
Pugnabant armis, quæ pòſt fabricauerat vſus:
Donec verba, quibus voces, ſenſuſq; notarent,
Nominaq; inuenere. dehinc abſiſtere bello,
Oppida cœperunt munire, & ponere leges,
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus deterrima belli
Cauſſa: ſed ignotis perierunt mortibus illi:
Quos Venerem incertam rapientes more ferarũ,
Viribus editior cædebat, vt in grege taurus.
Iura inuenta metu iniuſti fateare neceſſe eſt:
Tempora ſi, faſtoſq; velis euoluere mundi.
Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum:
Diuidit vt bona diuerſis, fugienda petendis;
Nec vincet ratio hoc, tantundẽ vt peccet, idemq;
Qui teneros caules alieni fregerit horti:

Et qui nocturnus diuûm ſacra legerit. adſit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas.
Ne ſcutica dignum, horribili ſectere flagello.
Nam, vt ferula cædas meritum maiora ſubire
Verbera, non vereor: cùm dicas eſſe pares res
Furta latrociniis: & magnis parua, mineris
Falce reciſurum ſimili te, ſi tibi regnum
Permittant homines. ſi diues, qui ſapiens eſt,
Et ſutor bonus, & ſolus formoſus, & eſt rex:
Cur optas, quod habes? non noſti, quid pater, inquit,
Chryſippus dicat: ſapiens crepidas ſibi nũquam,
Nec ſoleas fecit: ſutor tamen eſt ſapiens. quô?
Vt, quãuis tacet Hermogenes: cantor tamẽ, atq;
Optimus eſt modulator: vt Alfinius vafer, omni
Abiecto inſtrumento artis, clauſáq; taberna,
Sutor erat: ſapiens operis ſic optimus omnis
Eſt opifex ſolus: ſic rex. vellunt tibi barbam
Laſciui pueri: quos tu niſi fuſte coërces,
Vrgeris turba circum te ſtante; miſerq;
Rumperis: & latras magnorum maxime regum.
Ne longum faciam: dum tu quadrante lauatum
Rex ibis, neque te quiſquam ſtipator, ineptum
Præter Criſpinum, ſectabitur: & mihi dulces
Ignoſcent, ſi quid peccauero ſtultus, amici:
Inq; vicem illorum patiar delicta libenter:
Priuatúſque magis viuam te rege beatus.

COMMENTATOR.

ARGVIT Stoicos, qui magna ſua vitia non cernentes, amicorum & aliorum etiam parua notabant acerrimè, quique omnia peccata æqualiter punienda dicebant, ſeque ſolos ſapienteis. Quare ſimulat ſe Stoicum, vt ad eorum reprehenſionem commodius accedat, docens quòd alter alterius vitia debet patienter ferre, aut omneis debere puniri, ſed alios aliis grauius; nam ſi in minimis peccatis etiam maximæ pœnæ conſumuntur, reſtat vt maxima peccata aut maneant impunita, aut noua ſupplicia adinueniantur. *rogati.* ſupp. etiam. vt ſenſus ſit, cantores inter amicos, etiam rogati nolunt cantare. *Sardus habebat.* ab exemplo cantoris Tigellij, in quem grauiter inuehitur; & Sardum nominat, quòd eſſet in Sardinia natus: Sardinienſes, ſecundum veteres grammaticos, dicuntur incolæ Sardiniæ. Licinius autem de Hermogene loquens ſic ait, Sardi Tigelli putidum caput venit. *ille.* demonſtratiuè, quòd de nobili cantore loqueretur, per emphaſim. *Cæſar.* Auguſtus. *patris.* C. Iulij Cæſaris, patris per adoptionem. *proficeret.* impetraret, perſuaderet. *ab ouo.* ab initio cœnæ; ouum enim erat initium cœnæ, quippe quod in exitu à balneis ſtatim offerebatur. *vſque ad mala.* vſque ad ſecundas menſas. Nam apud veteres mala inter cetera bellaria ſecundæ menſæ apponebantur. *citaret.* clamitaret, aut recitaret aliqua carmina in laudem Bacchi: vel citaret, id eſt, clara voce inuocaret Bacchum, his verbis, Io Bacche. Nam citari dicuntur, qui clara voce vocantur: hinc præcones citare dicuntur. *modò ſumma voce.* acutiſſima chorda, quæ ſuprema eſt, & νήτη dicitur. *modò hac voce.* id eſt, chorda quæ craſſa eſt & ima, quę ὑπάτη nominatur. *chordis quatuor.* ſupp. in, vt ſit, quæ eſt ima, id eſt, infima in chordis quatuor, hoc eſt, in tetrachordo muſico inſtrumento, quod quatuor chordis conſtat. *nil æquale* mediocre. *ſæpe velut.* aliud Tigellij vitium. *currebat.* ſic Salluſtius in Catilina: citus modò, modò tardus inceſſus erat. *fugiens hoſtem.* ſupp. currit, κατὰ σύλληψιν figuram. *qui Iunonis ſacra.* qui ſacra in capite portantes ſenſim incedebant, ac lento gradu, qui κανηφόροι apud Athenienſeis dicebantur: adeò inæqualis ſibi fuit Tigellius, vt interdum tardiſſimo gradu ambularet, interdum citato. *Tetrarchas.* Tetrarchæ dicuntur, qui quartam partem regni habent. *loquens.* loquendo imitabatur. *magna.* miranda & magnifica. *modò ſit mihi.* ſupp. aiebat. *menſa tripes.* Delphica à tribus pedibus dicta. *concha ſalis p.* concha marina ſine condimentis. *puri.* ſimplicis, non conditi; quia pauperiores in marina concha ſalem tritum habere ſolent, quo cum pane veſcantur. *defendere.* depellere. *decies centena.* decies centum millia ſeſtertiûm, id eſt, mille talenta. *huic parco.* ordo eſt; ſi dediſſes decies centena huic parco paucis contento, poſt quinque dies nihil apud illum inueniſſes. *in loculis.* deminutiuum à locus. *noctes v.* accuſatiuum pluralem poſuit, vt iugem ſiue continuam vigiliam denotaret, vt, vna cum gente tot annos bella gero. *ad ipſum.* vſque ad ipſum mane. *ſic impar.* ſic inconueniens. *imò alia.* conſiteor me habere vitia, ſed fortaſſe leuiora: nec ſum ſimilis Mænio, qui dicebat ſe ignoſcere peccatis ſuis; & ea tamquam leuiora pro nihilo ducere. *Mænius ab. No.* Męnius cũ de Nouio malè loqueretur, ait ei quidam, dic mihi tu, neſcis te? Qui autem de perſonis Horatianis ſcripſerunt, aiunt, Mænium ſcurrilitate Romæ nobiliſſimum fuiſſe. Hic poſt patrimonium obroſum Calendis Ianuariis in Capitolio clara voce optauit, vt quadraginta nummorum æris alieni haberet, quærente quodam quid ſibi vellet, quòd tam ſollemni die æs-

die æs alienum optaret, noli mirari, inquit, octoginta habere debeo. Hic fertur domo ſua, quam ad forum habebat, diuendita, vnam columnam ſibi excepiſſe, vnde gladiatores ſpectaret, quæ ab eo columna Mænia nominabatur. Huius meminit Lucilius, Mænius columnam peteret cùm, &c. *ſtultus.* apertè inuehitur in Stoicos. *hic amor.* quo ſibi quis ignoſcit. *cùm tua.* ſenſus eſt, cùm tua mala inunctis oculis, quaſi lippus, peruideas, cur ad amicorum vitia perſpicienda cernendáque, tam acutè accedis, quàm aut aquila aut ſerpēs Epidaurius, id eſt, draco. *lippus.* quaſi lippus, vt Perſius: hos pueris monitus patres infundere lippos cùm videas, &c. id eſt, quaſi lippos. *aquila.* eſt enim aquila viſus acutiſſimi, nam ſola auium fertur ſolem rectis oculis intueri, idque ſuos pullos docere, oppoſitis ſoli oculis; & ex alto latentem leporem cōſpicere. *ſerpens Epidaur.* periphraſis draconis, qui viſus eſt in Epidauro: ex libris Sibyllinis Romani ſunt moniti pro remedio ciuitatis cōtra peſtem, vt ſimulacrum Aeſculapij in Epidauro peterēt, quò Romani cùm veniſſent, & Aeſculapium ſalutarent, in conſpectu omnium ſerpens nauem Romanorum petiit, qui ad vrbem delatus, in ripa ſeu inſula Tiberis viſus, ſubitò non comparuit, vbi eius anguis ſimulacrum poſuerant. *Epidaurius.* apud Epidaurum Græciæ ciuitatem erat Aeſculapij templum, vbi frequētiſſimè colebatur Aeſculapius. *at tibi contra.* ſint aliqui ecōtrariò, qui velint inquirere tua vitia. *rurſus.* inuicem *& illi.* quorum vitia reprehēdiſti, amici tui. *iracundior.* ſenſus eſt, habet aliqua vitia, ſed paullò iracundior eſt, vt nō poſſit deridentium vrbanitatem, quæ tunc maximè exercetur, ſuſtinere, præſtat tamen de ſe ridendi materiam, eò quòd ruſticius ſit tonſus, & toga ipſius ex humeris defluat, & laxos calceos habeat, &c. *minus aptus.* ineptus, quales ſunt, qui ſe non aptant moribus hominum, & obſeruare neſciunt temporum opportunitatem, qui etiam ſunt importuniores. *acutis naribus.* hi ſunt proniores ad ridendum, quia ſunt magis ingenioſi. hoc μυκτηρισμὸς dicit à canibus, qui odore inueniunt cubilia ferarū. *ruſticius.* imperitiùs aduerbialiter. de Virgilio hoc dictum eſſe volunt, quòd fluebat ſemper eius toga, nō bene compoſita, & vteretur imperito tonſore. *malè laxus.* multum laxus: cui hoc Virgilij eſt contrarium, Vnanimem alloquitur malè ſana ſororem, id eſt, parū ſana. ſed melius dicemus, malè hæret, id eſt, indecenter, vel non hæret. *at eſt bonus.* his exemplis colligit amicorum vitia, ſi leuia ſint, ferenda eſſe. iuxta illud, Amici mores noueris, non oderis. *at tibi ami.* ita pronunciandū eſt, vt eius ſignificatio exprimatur. *at ingens ing.* Iterū hæc ad Virgilium referuntur, qui habitus erat incompoſiti: hæc autem in inculto corpore celantur, quia non facilè putat eum aliquis eſſe aut bonum, aut ſapientem, qui malè veſtitur. *te ipſum concute.* excute. cōſidera, diligenter exquire. *num qua tibi.* num aliqua vitia tibi natura ingenuit. *aut etiam.* mirè hæc duo coniunxit, vitia enim aut innaſcuntur, aut mala conſuetudine contrahuntur. ex conſuetudine autem nobis multa inſunt vitia, quæ ſi neglexeris te, vitioſus efficieris, quemadmodum neglecto agro ſpinæ innaſcūtur. *urenda filix.* herba inutilis & incōmoda: manifeſta allegoria, qua ſignificatur ingenium hominis debere diſciplinis exerceri, vel vitiis perire. *illuc prauert.* illuc redeamus & prius dicamus, illuc veniamus, ad exempla ſcilicet: tale eſt illud, volucremque fuga præuertitur Hebrum. ſenſus eſt, nō debemus offendi vitiis amicorum, ſed ea tolerare, imitādo amatores, qui non ſolum non offenduntur vitiis amicarum, ſed ea ſæpe laudant, aut, decepti amore, non vidēt, aut videre nolunt, aut delectari ſe fingunt. *Balbinum.* Luciliana vrbanitate vſus, in tranſitu amaritudinē aſperſit. *polypus.* vitium fœtidū ipſarum narium. *Agnæ.* Agna nomen meretricis, naribus putidis: quod vitium fingit non offendiſſe Balbinum. *vellem in a.* vtinam eum errorem haberemus erga amicos, vt aut laudaremus eorum vitia, aut non videremus, ita fieret, vt error ille potius virtus, quàm vitium diceretur. *vt gnati.* vitium non faſtidiri oſtendit à parentibus filiorum vitia, aut non intelligi, aut intellecta diſſimulari, quod præcipit circa amicos quoque faciendum eſſe. *Strabonem a.* Strabo dicitur, qui eſt diſtortis oculis. Pætus autem, qui eſt oculis leuiter declinatis, cuíque huc atque illuc tremuli celeriter voluuntur. *malè paruus.* valde paruus, exiguus, nanus. *vt.* qualis. *abortiuus f. o.* M. Antonio triumuiro pumilio fuiſſe dicitur intra bipedalem ſtaturam, quem ipſe Siſyphum appellabat ob ingenij calliditatē: hic aliquando in Alexandrino mari, cùm inſpectātibus Antonio & Cleopatra, in ſcapha velificaretur cum æqualibus, tanta dexteritate anteuertit alios, vt eis quidem eſſet delectamento, aliis verò admirationi. *varum.* varus appellatur pedibus introrſum retortis. *balbutit.* balbutiendo blandimur infantibus. pater autem balbutit ſcaurum, illum imitando. *ſcaurum.* ſcauri dicuntur qui talos habent extantes. Alij dicunt, ſcauros eſſe, qui habent talos inuerſos & tortuoſos. *fultum malè.* quia tali corpus fulciunt & ſuſtentant. *parcius hic viuit.* nunc oſtēdit amicorum vitia nominibus honeſtioribus eſſe commutanda. *iactantior.* naturaliter iactabūdum ſequitur ſtultitia. *concinnus.* bonus, compoſitus, ſuauis. *videatur.* dicatur. *truculētior.* iracūdior. *plus æquo.* pluſquā oportet; nam quod ſentit, tacere nō

poteſt. *ſimplex.* nō diſſimulator aut aſſentator, ſed qui, quod ſentiat, dicat. vulgò autem ſimplex, modeſtus & manſuetus habetur. *caldior* pro calidior, feruentior ad iram. *hac res.* quia vitia infringimus, & leuioribus nominibus appellamus. *at nos virtutes.* adeò maligno ſumus ingenio, vt amicorum vitia non modò non tegamus, verum etiam laude digna culpemus, quando ea malè interpretamur. *ſincerum cup.* virtutem vitio polluere, ἀλληγορικῶς, hoc eſt viro bono detrahere; vas autem incruſtari dicitur, cùm aliquo vitioſo ſucco illinitur, atque inquinatur: iuxta illud Lucilij, Satyr. 18. Nam mel regionibus illis, incruſtatus calix rucia. Vaſa dicuntur etiam incruſtari, quando cooperiuntur vel argento vel auro. *probus quis.* ſi quis probus nobiſcum viuit, dicimus eum triſtem, humilem, ſycophantam. *illi tardo.* eum qui pinguis eſt, tardum appellamus, naturam vertentes in vitium: pinguedo enim prægrauat, & tardos facit. *tardo.* qui paullò tardius ſentit, id eſt, ſtulto. ordo eſt, illi pingui damus cognomen tardo. *hic fugit i.n.* ſi ſit aliquis cautus qui nō facilè ſe iūgat inſidioſis, hūc aſtutum appellamus. *obdit* obiicit, offert, opponit. *latus apertum.* vulnerabile: id eſt, nulli dat ſeſe irridendum, idque agit ne lingua maleuola feriatur. *cùm genus.* inter genus hominum inſidioſorum. *vbi.* quādo, quo tempore. *ac non incauto.* quia nemo in omnibus poteſt eſſe cautus æqualiter. *ſimplicior quis* ordo eſt, ſi quis, ô Mæcenas, ſimplicior eſt, qualem me tibi libenter obtulerim, hunc appellant moleſtum & ſtultum. ſenſus autem eſt, ſi quis ita ſit ſimplex, vt non obſeruato tēpore cōpellet, atque ita interpellet amicum, aut agentem aliquid aut cogitabundum, ſtatim eum ſtultum appellabimus, & carentem ſenſu communi. *quoius ſer.* quod videtur importunitatis. *communi ſenſ.* ſapientia & iudicio. *inquimus.* συνολῶ. dicimus. *quàm temerè.* quia eadem ab aliis patimur eidemque condicioni ſubiacemus, atque icc irco debemus vitiis amicorum ignoſcere, vt & illi nobis ignoſcant, ſi à recto errauerimus. *nam vitiis.* ideò habent & alij quod in nos iaciant. *vrgetur.* grauatur. *amicus d.* verus amicus debet mea vitia penſare cum bonis & virtutibus, & ſi plura bona inueniat, ad ea laudanda debet eſſe propenſior, quàm ad vituperanda mala, quæ ſunt pauciora. *hac lege* hac condicione. *in trutina.* idem iudicium de ipſo erit & eadem æſtimatio. ἀλληγορικῶς: nam qui ignoſcit peccatis alterius, mox eādem veniam conſequetur. *ne tuberibus.* ſi quis maioribus ſuis vitiis poſcit veniam ab amico, illius minoribus debet ignoſcere: Tuber autem gibbus eſt, aut alia cutis inflatio. hinc tuberoſus, gibberoſus. ſed hic tubera pro grauioribus, verrucæ pro minoribus vitiis accipiuntur. *rurſus.* inuicem. *quatinus.* quoniam. Si non poſſint, inquit, iræ vitia penitus aboleri, nec item alia, ſaltem diſſimulanda ſunt, aut moderatè vituperanda, nec vlla malignitate augēda. atque ita paullatim eò deſcendit, vt contra Stoicos diſputet, qui aſſerunt omnia peccata eſſe æqualia, vbi oſtendit non peccatū ipſum, ſed peccantis animum eſſe ſpectandum. *ponderibus.* æquo iudicio, æſtimatione, & menſura conuenienti debet vti, & eo modo, prout res vnaquæque eſt, eam punire. *coërcet.* ſupp. ratio. *ſi quis eum.* argumentum à ſimili, quo docet non omnia peccata eſſe ſimilia, ac per hoc nec ſimileis pœnas. *ligurrierit.* deguſtauerit *Labeone in.* Martius Antiſtius Labeo iuriſperitus memoratæ libertatis, multa liberè cōtra Cæſarem dixiſſe & feciſſe dicitur, ab eo latas leges contumaciter reprehendens: quare in grattiam Auguſti eum hic carpit, & inſanum nominat. *ſanos.* ſapienteis. *quanto hoc.* quod faceret dominus, quàm quod ſeruus admiſerit. *inſuauis.* amarus. *acerbus.* aſper. *vt Ruſonem.* ſignificat hunc Ruſonem fœneratorem fuiſſe, & eundem hiſtoriographum ineptum, qui ſolitus erat à debitoribus ſuis exigere, vt vel ſe legentem audirent, vel debitum ſoluerent, quod eis ſæpe erat ipſa morte durius. *qui.* debitor. *niſi vnde vnde extricat amar.* id eſt, alicunde, vel vndecumque colligendo parat, & diſſoluit, debet, quaſi captiuus morti addicendus, audire illum recitantem amaras & ingratas hiſtorias. *miſero.* debitori. *Calendæ.* quādo fœnus erat perſoluendum. *mercedem.* vſuras. *numos.* ſortem. *comminxit.* inuitaſti quendam amicum tuum ad cœnam, is potus fœdauit lectum tuum, aut fregit catinum, iccircóne debes eum odiſſe? *Euandri.* Euandrum ferunt cælatorem ac plaſten Athenienſem à M. Antonio Alexandriam perductum, & inde inter captiuos Romam veniſſe, ibiq. multa admiratione digna finxiſſe. *catillum* paruū catinum. *tritum.* perfectum, cælatum. alluſit ad materiei ſpeciem, quod tritum dicat, & fractum. *ob hanc rem.* ordo eſt: ob hanc rem minus iucundus amicus ſit mihi, quòd aut catinum fregit, aut pullum ante me poſitum ſuſtulit? *commiſſa fide.* fide pro fidei. *ſponſúmve n.* promiſſum, aut ſi neget venire ſponſum pro me. *queis paria.* apertè reprehendit hoc Stoicorum dogma, qui peccata paria eſſe dicunt, cùm ne ipſi quidem in ea ſentētia permaneāt niſi verbotenus. *verum.* ad æſtimationem veri, ad diiudicandum quod verum eſt. *ſenſus.* aliter ſentiūt omnes homines. *moresq.* nam cōſuetudo hoc improbat, aliter enim punimus furem, aliter homicidam; ſenſus enim aliter indignantur & animus cùm audierit homicidium factum, aliter, cùm furtum. *vtilitas iuſti.* ingenioſè ait iuſtum & æquum

& æquum ex vtilitate procedere. inter iuſtum autem & æquum hæc eſt differentia: iuſtum ex lege deſcendit, æquum ex natura. vt Maro, haud vinclo & legibus æquam. *propè mater*. bene dicit propè, eſt enim alia vtilitas vera quæ iuſti & æqui mater eſt, repugnans huic dogmati; alia autem eſt pecuniaria. *cùm prorepſe*. vult oſtendere iuſtitiam non eſſe naturalem, ſed ex vtilitate natam. *primis animal*. hypallage. primis, pro prima animalia, homines intelligendo. *prorepſerunt*. proceſſerunt. *mutum*. ſine eloquio. *turpe*. incultum. *vſus*. indigentia. *verba*. quæ declarant ſenſus noſtros. *nominaq̃*. rerum. *abſiſtere*. ſecedere, ſeparari. *cœperunt*. zeugma ἀπὸ κοινοῦ. *ponere l*. hic oſtendit iuſti matrem eſſe vtilitatem. *ſed ignotis*. ignorantur, quia illos nemo ſuis ſcriptis celebrauit. *incertam*. omnibus expoſitam non certi mariti, quia non habebant certas vxores. *viribus edis*. hoc eò pertinet, vt probet quod ſuprà dixerat, nempe homines ab initio cùm orti eſſent, pugnam habuiſſe inter ſe, ſed primò ferino ritu, deinde ad arma paullatim proceſſiſſe. *iura inuenta*. pergit in eo, vt oſtẽdat iuſtitiam nõ eſſe naturalem, ſed adinuẽtam vtilitatis gratia, natura autem ſcimus, quæ appetenda, quæ fugiẽda, ſed ratio efficit, vt diſcernamus quid iuſtum, quid iniuſtum, quid vtile, quid inutile. *tempora*. ſi ab hominum memoria velis requirere quid geſtum, & quid ſit litterarum monumentis proditũ. *faſtosq̃ dies*. libros conſulareis. *nec natura*. hoc eſt, nouit quidem natura, quid bonum, quid malum, quid dulce, quid amarum; ſed quid iuſtum & iniuſtum, non item: hoc enim vita nos docet. *nec vincet r*. nec hoc vnquam obtinebit ratio vt paria peccata credenda ſint, ſacrilegi, & eius qui cauliculos alienos ſuffuratus eſt. *nocturnus*. noctu, de nocte; vt alibi, vos exemplaria Græca nocturna verſate manu, verſate diurna. *legerit*. rapuerit, furatus ſit: vt poëta, vel quæ ſublegi tacitus. vnde & ſacrilegi dicti. *regula*. iuſtitia, moderatio. *nec ſcutica*. ſenſus eſt: adſit moderatio, ne dignum maiore ſupplicio, afficias leuiore, cùm mineris pari ſupplicio omnia peccata te perſecuturũ, ſi tibi homines permiſerint eam auctoritatem. *ſcutica*. loro. Græcè σκυτικὴ, ἀπὸ τοῦ σκύτους, quod ſignificat corium, lorum. *cùm dicas*. cùm tu, ô Stoice, dicas omnia crimina æqualiter eſſe punienda, non vereor, ne eum torqueas leui pœna, qui dignus eſt maxima: ſcilicet cum æquaris criminibus, nullum tam leue putes, quod ferula ſit vindicandum. *falce recis*. allegoricôs. eodẽ ſupplicio te puniturum. *ſi diues q. ſ*. eleganter Stoicos ridet argumento Stoico: dicunt enim ſapientem diuitem, etiamſi mendicet: nobilem, etſi ſeruiat: & pulcherrimum, etſi ſordidiſſimus ſit, &c. quare ſi ſapiens eſt diues, & ſutor bonus, & formoſus, & rex, &c. cur optas, ô Stoice, ab hominibus regiam poteſtatem tibi dari ad ſcelera punienda, ſi rex ſis? *cur optas*. ait inconſideratè illum optare regnum, cùm ſapientem, etiamſi ſutor ſit, regem eſſe dicat. *non noſti*. per anthypophoram introducit aduerſarium, qui ex ſententia Chryſippi reſpondeat: quod facit Horatius, vt vrbanius eos derideat. *ſoleas*. galliculas bene inciſas. Gall. *des broſequins*. *quo*. quomodo, interrogatiuè. *Alfinius v*. vrbanè ſatis Alfinium Varum Cremonenſem inducit. ſic, inquit, Stoicus, ſapiens, & rex, & ſutor dici poteſt, vt Alfinius erat: qui Cremonenſis abiecta ſutrina, quam in municipio ſuo exercuerat, Romam venit; Marcoque Sulpicio iuriſconſulto vſus, ſua ſcientia ad tantum dignitatis peruenit, vt conſulatum gereret, & publico funere efferretur. *vafer*. aſtutus, cordatus, antiqui etiam pro viro probo accipiebãt. *ſapiens ope*. gnarus artis, artifex. *laſciui pueri*. aut Epicureos intelligit, qui Stoicos vehementer oderant, quòd ſeſe pro infantibus pueris æſtimarent, aut ſimpliciter petulanteis pueros. *vellunt tibi*. vſque adeò non es rex, vt ſi ad vellendam barbam tuam pueri venerint, nõ niſi baculo illos repellas. atque hoc modo oſtendit vaniſſima perſuaſione Stoicos ſibi vendicare quod non habent. *fuſte*. clauali. *latras*. iracũdè exclamas, ô tu ſumme regum. *dum tu quadrante*. perquam vrbanè. ſenſus eſt, quam diu ſolus is lauatum, quadrante balneatori dato, ſine vllo comite alio præter Criſpinum, regem te eſſe probare non poteris, quare nec docere paria eſſe peccata, ſi non paria ſint ſupplicia. *Criſpinum*. hic Stoicus fuit, qui multa eorum dogmata verſibus ſcripſit. *ſtultus*. imprudens, ridendo Stoicos, qui alios omneis præter ſe ſtultos appellant. *inq̃ vicem*. tmeſis, pro & inuicem. *priuatus*. non in magiſtratu aut dignitate exiſtens. *magis beatus*. beatior quàm tu, qui te regem putas.

CRVQVIVS.

EXORDITVR à cantorum vitio, qui in ordine mendicorum honeſtiorum, ſuam quandam, quaſi δυναστείαν, peculiariter obtinent: tanta namque ſunt animi, & quidem arroganti leuitate, vt pro minimo ducant, nulli morem gerere, nedum gratificari, vel amiciſſimo cuique: quibus hoc malum inſeuit cæcus amor ſui; nam ita ad ſtuporem vſque ſibi hoc perſuaſum habent, vt quod ipſis pulchrum videtur, id ceteris omnibus diſplicere non poſſe putẽt, homines certè philautis cum primis annumerandi. ab his itaque ſumſit initium, quod argumento Tigellij cãtoris, φιλαυτίας ita ad vnguẽ expolit, vt ex huius χαρακτηρισμοῦ,

ἐλεγμῷ, cantorum mores, inconſtantiam, leuitatem, ceteráque vitia omnes, quaſi in tabulis deſignata, poſſint intueri. Huic autem continuò ſubiungit ex collegio balatronum Meuium quẽdam eo cantore non multo probiorem hominem, ſub cuius perſona deſcribendo philautorum genus & ingenium, agit de amici vitio, id ne diſſimulandũ, an in meliorem partem interpretandum ſit, puniendúmque pro facti magnitudine? atque ita ſenſim delabitur ad Stoica dogmata, vt putà, de æqualitate peccatorum ſuppliciorúmque: de ſapiente, an is ſolus diues, liber, artifex, & rex dici debeat? quod cùm facit, eo modo Stoicos illudit, vt eos nihil minùs quàm liberos & reges, ſed egregiè philautos eſſe diiudicet; adeò namque ij quadam animi propenſione correpti in æſtimandis propriis cæcutiebant, hallucinabanturque, *ὡς ἐπεὶ ἐν τῇ στοᾷ ἀνάπαλιν Διογένους περιπατοῦντος ἐγέλων τινες· εἶτ' οὐκ αἰσχύνεσθε, εἶπεν, ὑμεῖς τὴν ἐν τῷ βίῳ ὁδὸν ἀνάπαλιν πορευόμενοι, ἐμοῦ τὴν ἐν τῷ περιπάτῳ κατηγοροῦντες*. hoc eſt, vt, cùm in Stoa Diogenem retrorſum inambulantem riderent aliqui, non vos, inquit, pudet viuendi iter facere retrogradum, quod mihi in deambulando tantùm vitio datis? *omnibus hoc vitium*. vitium hic eſt (vt arbitror) id quod Cic. ait lib. 3. De finib. non malitiam eſſe, quam Græci *κακίαν* appellant, ſed leuis animi infirmíque peccatum. *cantoribus*. non eſt cantor cenſendus hoc loco muſicæ artis, numquam ſatis laudatæ, peritus, ſed is qui aut artificioſæ vocis modulis, aut inſtrumentis, muſicæ famulatur, vtpote citharœdus, lyricen, tibicen, fidicen; & paucis, ij omnes de quibus hoc vulgò iactitatum eſt prouerbium, Bonus cãtor, bonus cupedìarius: quod Eraſmus in Chiliad. refert dictũ eſſe in vituperium artis Muſicæ, quod profectò muſicos peritiſſimos modeſtiſſimóſque, atq. adeò artem ipſam vulgò tam facit audire malè, quàm temeritas fortitudinem viróſque forteis; & hypocriſis, ipſam virtutem. verùm quòd ea ſit huius loci ſententia, demonſtrat Hermogenis Tigellij *πεντάχορδον*, cantoris facilè principis. *inter amicos*. ſibi familiareis, bellos homunciones. *iniuſſi*. vltrò, ſpontè, non rogati: *αὐτόματοι, ἀπ' αὐτομάτου*: eſt enim tunc eis *τρόπος αὐτόματος*, non coactus, ſed ſpontè ſuſceptus. *Sardus*. per contemtum: quòd in homine illo eſſet prudentiæ & moderationis vix vlla ſcintilla, ſed vanæ cuiuſdam perſuaſionis & ſtultitiæ plurimum: quo nomine erat ſua gente, putà, Sardibus hominibus ingenio ſeruili probè dignus. Quod autem ſcribit Commentator hunc in Sardinia natum, eaque gratia Sardum cognominatum, non vehementer improbarim, cùm videam ſcriptores inter ſe non conſentire, à Sardibúſne, an à Sardinia dicti ſint Sardi venales: malim tamen Plutarchum ſequi, qui in eam partem videtur inclinari magis, vt Sardos, Sardanos, Sardianos, ad Sardeis referat, olim Lydiæ populum ſatis peruicacibus moribus & improbis. *habebat hoc*. vitium hoc cantorum. *ἐπιδεικτικῶς*: hoc eſt, laborabat eo vitio. *Cæſar qui cog. p.* expolitio ingenij Tigelliani à maiori; nam ſi Cæſari roganti noluerit obſecundare, palam eſt illo nihil fuiſſe durius. hunc autem cantorem Tigellium ab Horatio hic poſitum putato vnum multorum inſtar. *ab ouo vſque ad m.* allegoricôs. hoc eſt, finem non fecit in tetrachordo canendi, dum totam ipſam cantionem, vel ad tædium vſque auditorum, perſonaret, incondito ſæpe vlulatu in morem bacchantium, dum vocis modulos chordis aptare laboraret. Hanc autem eſſe ſententiam, notaríque Tigellium, tamquam fanaticum, vocalitatis immoderatæ, dilucidè licet cognoſcere ex ipſo verbo, citaret, hoc eſt, vocem attolleret viriliùs: cõtra antiquum, priſcíſque hominibus vſitatum canendi modum, qui primùm quidem cantillabant, & voce quadam querula (quod etiamnum hodie temperatioribus ſollemne eſſe nemini dubium eſt) ſua carmina ad citharam vel lyram modulabãtur, quod erat *μινυρίζειν*: At incaleſcentibus iam nunc animis, cœperunt nonnumquam contendere vocem & clarius accinere, quod *παιανίζειν* vocitabãt: ſic ait Plutarchus in Lycurgo, *ἐξῆρχεν ἐμβατήριον παιᾶνος*, hoc eſt, incepit paullatim increſcentem pęana. hinc etiam *ἐμβατήριοι αὐλοὶ* dicti ſunt. Plat. ep. 7. *ἐφέροντο εὐθὺς πρὸς τὰ τείχη παιᾶνά τινα ἀναβοήσαντες βάρβαρον καὶ πολεμικόν*. hoc eſt, efferebant continuò ad muros ipſos clamorem quẽdam barbarum & bellicum. huiuſcemodi clamorem denotat Horatius per ſuprà dictum verbum, citaret, eíque primùm accommodat ſummam chordam ad concitatiorem *ἐνθουσιασμὸν* aptiſſimam, quæ *ὑπάτη* dicta à ſoni grauitate Saturno tribuitur: poſtea verò, vt oſtendat priorem illam concitationem Tigellij paullatim remitti, ait eum deſcendere ad imam chordam, & *μινυρίζειν*, hoc eſt, minuere, mitigaréque vocis ſonum grauem, nec non ſedatiùs aliquantò chordis accinere: nam chorda ima, quæ *νήτη* vocatur, acutiùs quidem, ſed exiliùs tamen intendit vocem. Hæc autem mihi vera videtur, propoſitóque accommoda ſignificatio verbi *μινυρίζειν*, quod vulgò cantatorum barbarè dicitur, canere in vocero, hoc eſt, voce ſummiſſiore: nam in virilem, & quaſi ſtentoriam vocem erumpere, *παιανίζειν* propriè nominatur. Quod autem doctiſſimi quidam iudicent, *μινυρίζειν* pertinere ad deminutionem, & conciſos fractóſque modulos, *gringoter*, aut *fringoter* Gallis; mihi certè non

ſatis

ſatis probatur: quin autumarem potiùs hoc eſſe τερετίζειν, à ſtrepitu citharæ, nam & tremula vox obſtreperáque, ſuo quodam modo numeros concidit; vt taceam hoc genus cantionis apertam laſciuiam præ ſe ferre, qualia ſunt τερετίσματα Græcis. Ceterùm ne quis hic admiretur me à Commentatore deſciſcere, qui netem ſupremam, & ſummam chordam; hypaten autem imam conſtituit; qua cauſa mihi cum eo iudicet non bene conuenire, & alterutrum in errore eſſe, nolui hoc tacitum præterire, ne (cùm quaſi ex promiſſo, veteribus ex ſcriptis optima quæque colligere ſtudeá, quò ex ſtudioſorum manibus eiiciam pſeudographa Porphyrionis hactenus & Acronis nomine vulgata) pœnitudine ductus, videar, quaſi deſerta ſtatione ἀντιπαραλλάττειν πρὸς τοὺς ἄλλους, pœnáſq. meæ temeritatis omnibus iure luam. Quare, vt huius rei cauſam reddam, arbitror perito nemini eſſe indubitatum, ſummum & imum dialectica ratione dici ad ſe, & ita alterum alterius eſſe gratia, vt viciſſim & ſubſint ſibi, & præſint, alia atque alia inter ſeſe poſitione habitudinéque, adeò vt idem nunc ſummum, nunc imum dicatur. Quod cùm ita ſit, nõ difficulter animaduertet lector, me cum Commentatore, neque reipſa, neque nomine, ſed conſideratione ſolùm diſſidere: Nete enim ratione lunæ, cui dicata eſt, in Commentatore ſumma dicitur, eò quòd luna ſit in aſcenſu Planetarum primus: Hypate verò, Saturno conſecrata, eiſdem ima, quia Saturnus, eo conſcendendi numero ſit vltimus. Ego autem, qui à Saturno ſummo planetarum, hanc numerandi ſeriem ſumam delabens ad imam vſque lunam, hypaten quidem Saturni, etiam in tetrachordo ſummam, neten verò lunæ, imam non dubitaui nominare. Cur autem id ita iudicem, cauſæ non latent in arte muſica peritiſſimum quemque, quas hic quoque commemorarem libenter, niſi eſſent ab hoc argumento prorſus alienæ: nihil enim rei eſt, Horatium legentibus, cum monochordo in quinque tetrachorda partito, nihil cum numero, ſitu nominibúſque chordarum: vt omittam prolixitatem, perplexitatem, difficultatem artis, quæ nauſeam potius & contemtum pariant, quàm voluptatem. *Io Bacche.* in vocandi caſu ſingulariter legere potius velim cum conſenſu omnium ſcriptorum codicũ, quàm Bacchæ, in numero multitudinis, ita vt per Diaſtolen, e prolongetur: non enim hic affectus extra cantionem denotatur, vt fieri ſolet in ſolis acclamationibus & congratulationibus. Verùm ſi qui cum Turnebo τὸ Bacchæ, vulgatæ lectioni præferant, per me placeat regi ſua regina, vt aiunt. *nil æquale.* ſupp. ſecum. quantò ergo minus potuit æqualis eſſe alij? iuxta illud, Conueniet nulli, qui ſecum diſſidet ipſe. hoc autem thema eſt ſubſequentis enumerationis: Tigellius, inquit, modò præceps ad curſum, modò tardus in inceſſu, in comitatu, pompa, verbis magnificis, cum aliquando aut conſulem, aut virum conſularem dixiſſes, aliquando ratione diætæ, abiectum hominem, qui ſe nonnum quam parcitate ipſe ſuperauit, pòſt paullò nepos ſplẽdidiſſimus, nihil erat eo diligentius, nihil intemperantius, nihil ſegnius, nihil turpius: ita vt de eo rectè dici poſſit illud Philemonis apud Stobæum: ἐὰν ὁ νοῦς ᾖ μὴ συνηγορῶν τινι, οὐκ ἔστ' ἀκούειν οὐδ' ἐν αὐτῷ, οὐδ' ὁρᾶν. quod ſic verti, Siquando ſecum mente quis non conſonat, audire rectè huic nil licet, nil cernere: mens enim videt, ait Cercidas, mens audit, νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει. *ſæpe ducentos.* nimirum patronus ambubaiarum. *omnia magna.* μεγαληγορῶν. Helleniſmus. μεγάλα λέγων. Ariſtoph. in ranis, μὴ μεγάλα λίαν λέγε, hoc eſt, ne magna nimium dixeris. erat enim apud antiquos Dea Nemeſis vltrix iactantiæ, idcirco à magniloquentia vehementer ſe temperabant. *modò ſit mihi menſa tripes.* nemini dubium eſt hic ſignari mẽſam plebeiam, vilem & abiectam, quę vel parciſſimo ſatis eſſe poſſit: verùm vnde menſa tripes pro tali ſit habenda, qua in apparatu quoque ſplendido vti non ſit indecorum, nemini adhuc ſatisfactũ video. An quod vno pede mutila, vt vult Turnebus ex hoc Martialis, Ibat tripes grabbatus: cui ſuccinit Ouidius, inquiens, erat pes tertius impar teſta parem fecit? an ſit μικροτραπεζεῖν, à tenui victu? profectò hæc nolim adſcrere; ſed vt id quod mihi probari videtur, explicem, hæc coniunctim ſumta, *menſa tripes*, lectorem morantur: at ſi hoc modo ſeparentur, tripes (qui & trapezophoros nominatur) ſit mihi menſa, id eſt, loco menſæ, ſententiam habent omnibus obuiam: nam certam victus tenuitatem demonſtrat tripodis anguſtia, vt cui pauca imponi poſſint, & ipſius vilitatem vſus exhibet, vt qui menſę ſuppoſitus, eius ſplendorem ſuffulciat. taceo tripodes, ablatis menſis, ſæpe loco ſellarum fuiſſe, ἐφ' ὧν ἐκάθηντο inquit Pollux: qualibus etiamnum hodie in familiari ſupellectili, non rarò vtimur. *concha ſ.* hæc cum tripode conficiunt pauperrimam miſerrimamque ſupellectilem, ea namque nulli non vel egentiſſimo in littoribus collecta domi pro ſalino haberi poteſt. *ſalis puri.* hoc eſt, concha ſalem purum continens. Salis puri appellatione, nudum merumque ſalem, nulli alij obſonio condimentóque coniunctum denotat: quod ita extremè auarorum eſt, vt in prouerbialem ſermonem transferint, Salem lingere: Salem ac menſam non præterire. *toga quamuis* quantumuis villoſa. Hæc à Suetonio in Auguſto pinguis dicitur, pro toga craſſæ texturæ, aut dupli-

cata. Sic Iuuenali, lacerna pinguis, è craſſiore lana filoque contexta. Eſt itaque toga craſſa, toga plebeia & vi is *σύσφουις*, cuculli. vide Pollucem lib. 3. cuius texturā videtur innuere Heſiod. in operib. & dieb. inquiens, *στήμονι δ' ἐν παύρῳ πολλὴν κρόκα (κρόκην) μηρύσασθαι*, hoc eſt, ſtamine ſubtili non paucam intexito tramam. *nil fuit v.* repetitio ſuperius poſiti thematis, quòd velit Horatius Tigellium omnibus in vita & moribus eſſe quoddā quaſi hominum & inconſtantiæ portentum. *nunc aliquis.* trāſitio per ſubiectionem ad *φιλαύτους* *imo alia.* quia vitiis nemo ſine naſcitur. Imo, hic accipitur antiquo more pro prorſus. ſic Plautus in Amphit. act. 4. ſc. 1. Quod apud haſce ædeis negotium ſit tibi? S. imo quod tibi. ſic in Moſtel. In ſomnis fortaſſe. A. Imo vigilans vigilantem. *& fortaſſe.* ſic habent omnes codices manuſcr. non haud. videtur Horatius ex ſententia philautorum reſpondere, ſibique indulgere diminuēdo ſua vitia; quod certè ſuo more facit, nimirum vt ſibi paret huiuſcemodi hominum genus ad audiendum attentius. *Manius abſ. Nouium* argumentum à facto hominis *φιλαυτοτάτου*. *ignoras te* nō noſti, qualis tu ſis? *dare nobis v. p.* dare verba hic non tam eſt fallere quàm latere: perinde ac ſi dicat, an tua vitæ ratio, quaſi nobis incognita, latere poſſit nos, ita vt à nobis reprehēdi non queas? *egomet mihi ignoſco.* faceta antanaclaſis, nata ex *ἀμφιβολίᾳ* quadam participij ignotum, quod cùm propriè notet incognitum, rapit Mænius in aliam partem, pro eo putà, quod eſt, venia data; perinde ac ſi dicat, ſi ab aliis mihi non ſit ignotum, hoc eſt, data venia, egomet mihi ignoſco, nulla aliorum habita cura. *ſtultus & imp.* obiurgatio Mænij ab amore ſui ſtulto & improbo, qui dicitur *φιλαυτία*, qua nullum maius malum homini, neque magis exitioſum contingere poteſt, ſecundum illud Platonis in Cratylo. *τὸ γὰρ ἐξαπατᾶσθαι ὑφ' αὑτοῦ πάντων χαλεπώτατον· ὅταν γὰρ μηδὲ σμικρὸν ἀποστατῇ, ἀλλ' ἀεὶ παρῇ ὁ ἐξαπατήσων, πῶς οὐ δεινόν;* hoc eſt, à ſeipſo decipi aliquē, res eſt omnium peſſima; nam quando ſuiipſius impoſtor ne vel minimum à ſe diſcedat, ſed ipſe ſibi ſemper adſit, quis non dicat hoc eſſe moleſtum? *διὸ δή, ἔφη, ἄνθρωπον φεύγειν χρὴ τὸ σφόδρα φιλεῖν αὑτόν· τὸν δ' ἑαυτοῦ βελτίω διώκειν δεῖ, μηδεμίαν αἰσχύνην ἐπὶ τῷ τοιούτῳ πρόσθεν ποιούμενον*, hoc eſt, Quare (inquit de leg. 5.) neceſſe eſt hominem nimium ſui amorem fugere, ſeque ipſo meliores ſectari, nullo verecundiæ pudore impeditum. *improbus.* turpis. ſic apud Virgil. 4. Aen. improbus amor. Luci. apud Non. Omnes formoſi fortes, vbi ergo improbus eſt? *dignus notari.* ignominiæ nota, qua Cenſores eos notabant, qui quid indecentius aut dicerent aut facerent. Helleniſmus, pro, dignus qui notetur. *cùm tua p.* ab iniquo grauiter exaggerat dictum Mænij: cùm tibi tu ignoſcis, vt ais, cur tam diligens es inſpector, percunctator, calumniator vitę & morum alterius? Nónne eadem ille naturæ lege tecum natus, eiſdem tecum vitiis, miſeriis, calamitatibus, eiſdem fortunæ ludibriis, caſibus, euentis, eiſdem tecum animi perturbationibus, eidem denique impetui, ardori, libidini viuit obnoxius, agitatur, verſatur, concutitur? Quod ſi ita ſit, aut deſine tibi dare veniā moleſtus aliis, aut ex æquo patere notas & ſannas aliorum. *peruidens.* peruidere propriè videndi diligentiam & continuitatem denotat, ſicuti peruigilare, ſine intermiſſione vigilare: hinc peruigiliæ apud Chariſium, continuæ vigiliæ. Propertius, ſollicitas peruigilare moras, ait. Victorinus lib. 20. cap. 15. ex Plutarcho, de tranquillitate animi, conicit notare id quod Græcis eſt *παραβλέπειν*, hoc eſt, oculis tranſire, nec attentè contemplari: in qua ſententia quoque eſt Nannius lib. 3. itaque peruidere, erit diſſimulare ſe videre, ſeu retorto oculo atque obliquo cernere. Quid ſi peruidere oculis inunctis, ſit videre per inunctos oculos, ita vt præpoſitionis vis tranſeat in inſtrumenta videndi, manente verbi proprietate? Henricus Stephanus dicit Horatium verbo peruidere ſuam ſignificationem reliquiſſe, ſed eos reprehendere voluiſſe, qui cùm ſe in cernendis ſuis ipſorum vitiis ſumma perſpicacia vti ſimularent, contrà ad ea conniuerēt, & pro perſpicacibus & Lynceis oculis (quibus vtebantur in aſpiciendis aliorum vitiis) lippos & inunctos oculos afferrent &c. cui enarrationi dilucidæ libenter aſſentior: noſtris enim vitiis quę nouimus optimè, excutientes applaudimus, vt epiſt. 2. lib. 2. vel craſſius ea tardiusq. examinamus quaſi lippientes propter *φιλαυτίαν*, ſed aliena confeſtim & acriter ſine vlla ſimulatione cauillamur. *mala.* quidam codices ſcripti habent, malè; non omnino ineptè, vt arbitror, pro valde. *lippus.* lippus dicitur, cuius oculi pituitam quandam mordicantem exudant: Nonio, Gramioſus, à gramia, quæ eſt oculorum pituita, vt ait. ſed arbitror apud eum legēdum eſſe Glamia, & glamioſi, ἀπὸ τοῦ γλαμάω ἢ γλαμίαν, lippio. gramioſi oculi à lippitudine, vnde qui triſtes ſunt, in hodiernum quoque diem gramioſi, inquit, vulgò nominantur. *ſerpens Epidaurius.* cùm omnis ſerpens acutè videat, Epidaurius de hiſtor. Rom. additum videtur, de quo vide Valer. Max. lib. 1. cap. 8. titulo De peſtilentia: vide Sextum Pompeium Feſtum in dictione, Dracones. Scribit Strabo lib. 8. Epidaurus, prius Epitaurus, inquiens, ſita vrbs eſt in ipſo Saronici ſinus receſſu intimo, ſtadiorum quindecim circuitum habens, &c. Hæc autē non parùm inſignis eſt ciuitas, præſer-

præſertim ex Aeſculapij claritate nobilitata, quem varia morborum genera curaſſe ſomniarunt homines. Erat verò templum ęgrotantium multitudine vſquequaque refertum, pendentibúſque tabellis, in quibus ſanati languores erant inſcripti, &c. Hæc Strabo *Ῥωμαϊκῶν*. *iracundior eſt p.* expolit eum verſum, *cur in amicorũ v.* ab iracundia amici, & neglecto corporis cultu: quod vitium cùm ſit leuius, & honeſto nõ aduerſariũ, vult tegi, & ingenij bonitate, benignitatéq. excuſari: eo enim humore melancholico laborãtibus à natura comparatum eſt, vt ad iram ſint proniores, & dicteriorum ſcommatumque impatientiſſimi: adiectatur enim, inquit Ariſtot. in libello De virtut. iracundiam moroſitas & inconſtantia, de paruis angi, repentéque affici: nec non per breue tempus: moribus etiam melancholici ſunt incompoſitis: in cultu ornatuq. corporis minus curioſi; at ingenioſi tamen & viri probi, æquique boníque obſeruantiſſimi: qua de cauſa non grauatim Commẽtatori ſubſcripſerim, qui dicit hic deſcribi Virgilium. Eſt autem horum verſuum (vt mihi quidem videtur) ordo & ſententia: Eſt aliquis paullò iracundior? per interrogationem, ergo minus, id eſt, non eſt aptus acutis naribus horum hominum, id eſt, qui conuerſetur cum dicacibus & vrbanis hominibus huius ætatis. Nam rideri poſſit ab iis, eò quòd ruſticius tonſo, &c. Quod autem hæc interrogatiuè legi debere exiſtimem, non difficulter quis credat, ſi cognoſcat ſubſequentia quoque vitia (expoſitione contrariorum extenuanda) per interrogationem efferenda, vtputà, parciùs hic viuit? frugi dicatur, &c. Iactantior hic paullò eſt? concinnus amicis, &c. caldior eſt? acreis inter, &c. atque hæc interpũctio eſt in omnibus manuſcriptis. *acutis naribus*. nimis ſagaciter odorantibus, quod Gręcis eſt *μυκτηρίζειν*. conuenit cum eo Perſij: Rides ait & nimis vncis naribus indulges. ſic & Horatius alibi, Naſo ſuſpendere adunco: erat enim naſus antiquis irriſioni ſubdolę dicatus, teſte Plin. *ruſticius tonſo*. quòd capilli eſſent inæqualiter decurtati: quemadmodum de ſe ait Horat. Epiſt. 1. lib. 1. *toga defluit*. eadem epiſtola. ſi toga diſſidet impar, aut defluit, id eſt, malè cincta eſt: ſic enim monebat Sylla Romanos, vt ſibi cauerent à puero malè præcincto; de Iulio Cæſare loquens. De cingendi modo, notauimus ad primam Epodon. *at eſt bonus*. conceſſio per correctionem, à bonitate, amicitia, ingenio, quibus vult obtegi minora illa vitia: non ſolent enim aliquot næuuli dehoneſtare formoſam faciem. *ingenium ingens*. tale eſt illud Cæcilianum apud Cic. in Tuſc. Sæpe eſt etiam ſub pallio ſordido ſapiẽtia. *denique teipſum*. monet Horatius philautum, vt ſeipſum noſcat: indignum eſt enim, vt ait Plato, *ἡμᾶς τῶν μὲν ἰδίων ἁμαρτημάτων συνηγόρους γίνεσθαι, τῶν δὲ ἀλλοτρίων κατηγόρους*. hoc eſt, nos propria quidem vitia defendere & accuſare aliena. Quare hortatur Iſocrates Demonicum, *τῇ δ' ὀργῇ παραπλησίως ἔχε εἰς τοὺς ἁμαρτάνοντας, ἢ περὶ σὲ τοὺς ἄλλους ἔχειν ἀξιώσειας*. hoc eſt, quantum ad iracundiam, ita eſto affectus in eos qui peccant, quemadmodum velis alios erga te affici. *num qua tibi vitiorum*. Theages Philoſophus apud Stob. perpulchrè demonſtrat, quo pacto natura nobis inſerit vitiorum ſemina: tres, inquit, ſunt animæ partes, *τὸ λογικὸν, θύμωσις, καὶ ἐπιθυμία· λογισμὸς μὲν, ὁ κρατέων τᾶς γνώσιος, θυμὸς δὲ κρατέων τῶ βιαίως, ἐπιθυμία δὲ ἁ κρατεῦσα τῶ ἡγεμονικῶ ἀδέως. ὅκα μὲν ἐς τωὐτὸ τὰ τρία ταῦτα μέρη μίαν ἐπιδειξάμενα συναρμόγαν, τόκα δὲ γίνεται ἀρετὰ καὶ ὁμόνοια ἐν τᾷ ψυχᾷ· ὅκα δὲ στασιάζοντα ἀπ' ἀλλήλων ἀποσπασθῇ, τόκα δὲ γίνεται κακία καὶ ἀναρμοστία ἐν τᾷ ψυχᾷ*. hoc eſt ratio, magnanimitas, cupiditas: ratio autem cognitionem habet; magnanimitas, iracundiam; cupiditas, liberè principatum obtinet. Cùm igitur hæc tria conuenerint, in vnam redacta harmoniam, virtus & conſenſus fit animæ: verùm quando mutua inter ſe contẽtione diuelluntur, naſcitur animæ vitium & diſſenſio. *conſuetudo mala*. conſuetudo non eſt hic cenſenda conuerſatio improba, ſed quædam animi propenſio in vitia ſub prætextu boni, & agendi frequentia aſſiduitaſque: Iccirco optima viuendi ratio, inquit Cicero, eſt eligenda, quam iucundam conſuetudo reddet. ſic & diuus Baſilius ait Chriſtum monere, *ὅτι δεῖ βίον μὲν ἄριστον αὐτὸν ἕκαστον προαιρεῖσθαι, ἡδὺν δὲ προσδοκᾶν τῇ συνηθείᾳ γενήσεσθαι*; in Homilia ad iuuenes de vtilitate capienda ex gent. ſcriptorum libris. hoc eſt, quòd oporteat vitam quidem optimam vnumquemque eligere, expectare verò eam ſuauem fore conſuetudine: ad hoc autem à teneris aſſueſcere multum eſt, inquit poëta; nam adoleſcens iuxta viam ſuã, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea, inquit Sapiens 22. Prouerb. *neglectis vrenda*. elegantiſſima allegoria. Latiùs enim ſerpunt vitia, hærentque tenaciùs in animis, ſi diligenti cultura priùs non euellantur quàm radices egerint, virtutéſque & mores boni feliciter eis ſucceſſerint: nam, vt habet Euſebius, *σῶμα ἀργία τήκει, ψυχὴν δὲ ἀμελετησία*, hoc eſt, otium corpus tabefacit, animum verò ſocordia & incuria: nam vt filix, quaſi parùm felix aruis, non coërcita, longè latéque vagatur; at caſtigatur exuſtione extirpatúrque: ſic & innatum nobis vitium vehementer augmentatur, exaſperatúrque donec philoſophicis præceptis, & honeſtis moribus ſopitũ euaneſcat. *illuc prauertamur*. Hæc quædam eſt correctio iam dicti propoſiti: prius enim iudicat diſceptãdum de humano erga

omneis officio, quàm de vitiis inquirẽdis puniendiſque; nam quod eſt honeſtum & æquum, meritò in deliberatione priorem locum tenet, poſteriorem verò, quod cum bono vtili eſt controuerſum; qualis ea eſt conſuetudo de extenuandis per vitia virtutibus. Docet itaq. ſocietatem inter homines amicitiamque triplici beneficio conciliari, ſtabiliri & conſeruari, puta, amica diſſimulatione, benigna interpretatione, & vitiorum cum virtutibus æquali compenſatione. *præuertamur.* præuerto, & præuertor vtrumque in agendi ſignificatione. Illuc præuertamur, id eſt, prius nos eò vertamus, quàm de vitiis, aut inſitis, aut vſu firmatis agamus. *turpia decipiunt.* Helleniſmus, decipiunt, λανθάνουσι, latent: aut enim non deprehenduntur ea occæcati, & ita ἀλαοσκοποῦσι, aut ſic immoderatus amor eſt, vt vitia vel putidiſſima, ſint quouis odore gratiora, iuxta id quod dici ſolet, ſuus cuique crepitus bene olet. *veluti Balbinum.* hoc autem eſt extrema linea amare, vt fertur. De polypo autem vide 12. Epod. *vellem in amicis.* transfert ſe ab iis quæ ſunt corporis, τοῦ ἔρωτος, ad ea vitia quæ ſunt animi, τῆς φιλίας: dolétque in amicitia non inueniri nomen honeſtum, id eſt, accommodum vitiis amicorum commendandis. Eſt autem hyperbole, nam mala, etſi taceri excuſarive, tamen commendari non poſſunt. *nomen virtus.* Alludit autem ad nomen ἀρετὴ, vnde ars dicitur, quæ rebus nomina dare vſuque confirmare poteſt. *at pater v. n.* monet vt in bonam partem ſaltem vitia interpretemur, ſi laudare ea erubeſcimus exemplo parentum, qui liberos quantumuis malè formatos non ſolent faſtidire, vt eleganter docet Apologus de ſimia & ſuis catulis. *ſtrabonem.* ſtrabo eſt, cuius oculi vergunt ad maiorem canthum. *appellat pætum.* deminuit oculi vitium durius, nomine molliori. quin etiam laudi plerumque datum eſt, pætos habere oculos, nam ſunt ad laſciuiam proniores. Hinc Venus pæta depingitur. Hic ἐν παρόδῳ, adnotare licet olim præclariſſimas Romæ familias ex his notis corporis inſignitas fuiſſe, Strabones, Pætos, Varos, Scauros, &c. *balbutit ſcaurum p.* qui talos habent extritos, ſcauri dicuntur, ſeu ſcauripedæ, οἱ κραμβόσφυροι, καὶ βλαισοί. Inueni aliquando in antiquo lexico Latino Græco, à vetere Critico ſcaurum nominari στρεβλόπους καὶ στρεμβὸς ἀχίλλος. *talis.* quòd in hominibus veri tali non ſint, qui ἀστράγαλοι nominantur, quibus puellæ luſitant, ſed σφυρά, hoc eſt, quidam malleoli prominentiores in imo pedum flexu, quos Flandricè knouſſels appellamus. legendi ſunt Ariſtot. Galenus, Rufus, Plinius, qui quadrupedibus tantùm in tibiis poſterioribus biſulcis talos inueniri ſcribunt. *parcius hic v.* ex longo interuallo redit ad expolitionem verſus illius, *cur in amicorum, &c.* oſtenditque vt cœperat in eo verſu, *iracundior eſt p. &c.* ad imitationem parentum, qui corporis & formæ vitia amicitiùs interpretantur, omnes debere vitioſas affectiones amicorum extenuare, excuſareque. *ineptus.* Cicer. 2. de orat. multis docet, quis & ſit, & meritò dicatur ineptus, nimirum, qui neque rei, temporis, perſonæ, dignitatis, neque loci ratione habita, quiduis dicit & facit, ita vt à quouis reprehendi poſſit. qualem Plato de Leg. ἀνεπιτήδειον σύνοικον, ad humanam conſuetudinem inutilem nominat. *iactantior.* μεγαλαυχότερος, vnde naſcitur ἀθυρογλωσσία, qui huiuſcemodi ſe quidlibet dicere poſſe autumant. *concinnus.* elegans & commodus. *truculentior.* aſperior viſu. *plus æquo l.* παρρησιαζόμενος τὴν ἀλήθειαν, liberè veritatem eloquens. παρρησιαστὴς, qui ab amicis quidem ſimplex, ſed ab aliis habetur odio, propter apertam minimèq. fucatam animi ſignificationem: huic contrarius eſt εἴρων, diſſimulator, qualis Socrates cognominatus eſt. *fortisq.* magno animo. *caldior eſt.* incitatior in rebus agendis, perturbatiórque. Quid ſi hic caldior deducamus à callidus, non etiam à calidus, quandoquidem caldior, à calidus, truculentior, iracundior, idem ferè animi vitium ab eadem cauſa caloris profectum denotant; atque hoc modo caloris vitium vix eſſet diuerſum ab iracundia & truculentia: ſed callidior, & in vitio eſt, & eius per acrimoniam extenuatio, non eſt incommoda: nam vt callidi dicuntur, quorum, tamquam manus opere, ſic animus vſu concalluit, Cic. teſte 3. de natura Deor. ita in rebus vertendis, aſtutéque tractandis, non carent mentis acie, quæ prudentię nonnulla forma eſt, adeò vt non infrequenter callidum iudices prudentem eſſe; tanta eſt eius vitij cum virtute affinitas. Hieronymus ad Demetriadem virginem: Quidam ſuperbiam libertatis loco ducunt, adulationem pro humilitate ſuſcipiũt, malitiam prudentiæ vice amplectuntur, & iuſtitię ſimplicitatis nomen imponunt, & fallaci ac peſſima ſimilitudine decepti, vitiis pro virtutibus gloriantur. *hac res & ſeruat.* clauſula expolitionis, qua liquidò manifeſtat obſequium vnicum eſſe vinculum amicitiæ cum aliquo ineundæ conſeruandæque, vt ait Comicus, Obſequium amicos, veritas odium parit. *at nos virtutes.* venit ad id quod dicebat ſe velle præuertere, nimirum declarationem eius, *neglectis vrenda f. in. a.* non enim ſatis eſt nos à natura propendere in vitia, niſi poſthabitis veræ diſciplinæ præceptis, ad eam quoque nequitiam, vitæ conſuetudo deteſtabilis accedat, qua duce, diſſimulatio probitatem mentitur: aſtutia prudentiæ locum vendicat, & verus animi

animi candor pro importunitate habetur, adeò vt rectè dictum ſit à Menandro, ἤθη πονηρὰ τὴν φύσιν διαφθείρει, hoc eſt, mores mali non rarò naturam ſubuertunt. *ſincerum cupi.* in Commentatore carmen Lucilij legitur ex tribus codicibus Bland. hoc modo: Nam mel regionibus illis incruſtatus calix rucia. quare non dubito Turnebum ex ſcriptis vitiatis in errorem inductum, ita vt pro mel, legerit vel. In nomine autem ruta, libenter ei conſentirē; verū quia tres dicti codices in exquiſitiſſimis characteribus conſonant, ab eis non auſim diſſentire; quid tamen ſit rucia fateor ingenuè me latere. verùm arbitror hoc carmen Lucilij hoc modo legēdum: Nam melle in regionibus illis incruſtatus calix rhuſſato, ita vt τὸ rhuſſato, ſit adiectiuum à nomine rhus, cuius duo ſunt genera, μαγειρικὸν καὶ βυρσοδεψικόν, quorum poſterius cum melle vel aceto miſceri ſolebat. Vide Ruellium de ſtirp. lib. 1. cap. 125. & Gabrielem Rumelbergium in Apicium lib. 10. ad finem. Quem autem finem carmini Luciliano apponit Turnebus, putà, cauliue bibetur, non inuenio in manuſcriptis; & haud ſcio num ſit ab eo attextus implendi carminis gratia. Illud autem Commētatoris, vaſa etiam dicuntur incruſtari, &c. non eſt obiter prætereundum, ſed excutiendum preſſius, quid propriè ſit incruſtare, cuius vim, vt inde ab etymologia petamus, lib. 4. de lingua Latina Varro deducit à corio, vt notauimus Satyra 1. ibi *dant cruſtula blandi, &c.* adeò vt cruſtum per craſin dictum ſit quaſi coruſtum, nimirum ab vſto corio, hoc eſt, (vt ego quidem cōijcio) à pelle vel tergore bouis, alteriúſve pecoris ad ignem vel caldam tubacto, firmato induratóque: Nam tametſi non ignorem Varronem (vbi de cruſta agit) aliò reſpicere, tamen arbitror maiores tergore parato (quod corium nominant) vel pelle, vaſcula teneriora contexiſſe: vel hoc argumento, quòd vas pelliculare dicitur Columellæ, hoc eſt, pelle contectum. Quod etiamnum hodie in vſu eſſe cernitur, nam aut corio muniuntur vitrea, aut contextis ex vimine fiſcellis, corio conteguntur & ornantur volumina, aliáque innumera. Ab eius autem corij, ſiue coruſti duritie, analogicôs, deſumta eſt cruſta, quæcumque ad rem aliquam, vel per naturam concreta, indutatáque ſuperficies eſt, vnde cruſtati piſces, cruſtata aqua, quæ glacie eſt coagulata, vel ex putredine, in corruptis, vel ab immunditie, qualis eſt in poculis Gallicis feculenta ex vino cruſta, ita vt ea meritò dici poſſint incruſtata pocula κατ' ἐξοχήν: aut opere tectorio ſubinducta, aut ſublicio ipſi Plinio, *lambriſſer* Gallis. aut opere albario, &c. **plaeſteren/ plecken.** à cruſta verò venit cruſtare verbum, & incruſtare, incruſtatio: quæ cùm à corio deriuentur, facilè nobis licet aſſequi cōiectura, veterum vitam fuiſſe ſimplicem, miniméque curioſam, qui diuitias ſuas armentis gregibuſque metiti, corio & pellibus ſua cooperiebant: qui mos apud multos, præcipuè Hiſpanos (licet pro luxu temporis ſit ditior) necdum exoleuit in corio Marocio, quod **Maroquin** nominatur à Maroc emporio Africæ celeberrimo, vnde in Hiſpaniam nauigio deportatur, vt memoriæ mandatum reliquit Ioannes Leo in Africana ſua hiſtoria celeberrima. Ceterùm quando auctis opibus (ita vt fit) aucti ſint & animi, deſitum eſt huiuſcemodi coruſtis (vt vtar integro) contegi vaſa, pocula, parietes, trabes, &c. & ex auro cœperunt homines argentóq. confecta oſtentare ſigilla, alia quidem emblemata, ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλεσθαι nominata, quòd ea ornamēnta vel apponere liceret, vel auferre pro arbitratu: qualia Ciceroni ſunt (vt opinor) ἐμχάμματα, Martiali χρυσένδετα. Alia verò ſunt ſimulacra ad imaginem vel Dei, vel herois alicuius efficta, ἀγάλματα, ἀγαλμάτια, καὶ εἴδωλα. hinc Cicero ſexto in Verrem, ſcyphi ſigillati, agalmatis ornati cælatíque opera ſculptorum, cælatorum & vaſculariorum. *ſincerum vas.* iuriſconſultis in l. ſi in rem, ſuprà de rei vindic. ſincerum vas, purum, hoc eſt, non cælatum definitur. Quare non fuerit inutile ad præſens inſtitutum aduertere, ſit ne ſincerum vas, allegoricôs accipiendum pro ſententia iuriſconſultorum, pro eo quod eſt, purum putum, ſiue figlinum, ſiue vitreum, aureum argenteúmve, quod careat omni dolo & fraude, an pro Lucilij ſententia, vas ſincerum ſit nullo ſucco imbutum. vnus codex Bland. pro incruſtare, habet incurtare, cum hac adnotatione, imminuere: ſed (meo iudicio) parùm conuenit. *probus quis.* expoſitio eius thematis. *at nos virtutes, &c.* per enumerationem. *multùm demiſſus h.* demiſſio, inquit Cic. 3. Tuſcul. eſt animi quædam infractio: quare non minimam partem videtur habere ignauiæ. Pro Murena autem demiſſum vocat ſupplicem, vnde licet etiam dicere, τὸ demiſſum in non omnino deteſtabili eſſe vitio, ſed tamen non laudabili. vel poteſt demiſſus homo hic eſſe, cui vix tutum eſt ſe ſuáque concredere, qualem delineant verſus illi qui vulgò Catoni, ab aliis Auſonio inſcribuntur, Demiſſos animo ac tacitos vitare memento, qua flumen placidum eſt, forſan latet altius vnda. *illi tardo.* codex Bland. vetuſtiſſ. habet *ille*; vt iungatur τῷ probus: ſed & interpretationes aliorum codicum ſupra τὸ illi, habent, probo. quæ res facit, vt cum Nannio legam ille. at ſi qui malint legere illi, quod certè & extortum eſt, & alienum, neceſſe erit interpretari infinitè, pro τῷ δεῖνι. *tardo cognomen p. d.* hanc lectionem habent omnes codices

manuſcripti præter Tonſa. qui τὸ pinguis, habet; ſed s littera non ad latus, ſed ſupra notata eſt. Turnebus τὸ pinguis, ponendum iudicat cum Lambino: Equidem non video cur vſitatam lectionem magnopere declinemus, quando neque Grammatici canones ea interdicant, neque cuiuis ſit in promptu tardum à pingui clarè ſecernere: adeò vt videri poſſit Horatius ſuſpendere lectorem, eique incertum relinquere, vtrum debeat in vitio ponere: nam & tardi ſtupore non carent, & pinguis venter non generat ſenſum tenuem, vt habet Græcus ſenarius, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. hebeteſcit enim mentis acies nimio luxu corporis; namque affligit humo diuinæ particulam auræ ipſomet Horatio auctore. atqui tamen in obeſulis non rarò viuidius valet ingenium, quàm in tardis, qui non niſi improbo labore, vix tandem naturam edomare poſſunt: ob hanc cauſam non libenter alicui ſuaſerim, vt veteri lectione neglecta, ſectaretur aliam, nam & durior eſt, & minus ſapit Horatium: at ea tamen lege à me hoc dictum velim, vt nemo arbitretur me ſibi quicquam præſcribere, vt qui ipſe nihil hic ſtatuam: ſatis enim mihi fuerit lectorem monuiſſe ingenij Horatiani, vt is penſiculatiùs diſcutiat hoc problema, vter in vitio ſit alteri præferendus, tardúſne, an pinguis? Non me fugit D. Nannium noſtrum in pingui plus inuenire vitij, quàm in tardo & cunctabundo; verùm quando & tardus ſit hebes, ea tam breuis dictio mihi fidem non facit. *hic fugit o.* hic, id eſt, alius. Adducor in eam ſententiam, idque ex multis locis, vt credam ipſum Horatium de ſe, ſuaque vita inter magnates viróſque principes agere, vbi regnāt inſidiæ, vigent crimina, palleſcit inuidia ſuprà quàm cuiquam eſt credibile, adeò vt non fruſtrà, nec temerè vita huiuſcemodi ſit ſplendida miſeria: deinde cùm ſcribat bene ſanum, ac non incautum, cenſeri fictum & aſtutum, hoc ei appoſitiſſimè tribui poteſt: quid enim fuit ipſo, in media vitiorum turba (Epicuriſmum excipio) rectius & purius? vt ex inſtitutione paterna modeſtè de ſe gloriatur Saty. 4. & 6. huius lib. Quid eo quoque inuenire poſſis callidius vel Perſio teſte? Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico tangit, & admiſſus circum præcordia ludit callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo. Poſtremò, ne longius digrediamur, hoc nobis ſit pro confeſſo, vt effugiat apud ſuos calliditatis ſuſpicionem, cum teſtari Mæcenatem de ſua ſimplicitate: quàm, quæſo, hoc eſt Horatianū, eiúſque moribus planè natiuum? qui vt eam verſutiei opinionem à ſe remoueat, qua credebatur laborare maximè, omnibus modis lectorem ſtudet præoccupare. *nulliq; malo.* ſumta metaphora ab exercitu, vbi & dextrum latus, & ſiniſtrum, equitatu contectum eſt, ne pateat irruptioni hoſtiū: ita vir ſanus & cautus, ne vel dicto vel facto, ſit obnoxius maleuolis, vitat eorum conſuetudinem, ἄφθονος, ἀπερίεργος, ἀμεμψίμοιρος, qui nihil omnino inuidiæ, aut curioſitatis alit, aut querimoniæ. *verſetur.* Blandin. codex antiq. habet, *verſemur.* & *vbi*, exponit, in quo tempore: ſicut & Commentator; quam ſcripturam ſi probamus, hæc parentheſis includet quādam deplorationem ſui temporis. *non incauto.* pro cato, & prudente. *ſimplicior quis & eſt.* ſic habent omnes ſcripti manu. ſimplex, apertus & alienus ab omni fuco dolóque. Simplicitas rectitudini cōiuncta, vera virtus eſt, τὸ καθῆκον Stoicis. Plato 2. de republ. ἄνδρα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον, οὐ δοκεῖν, ἀλλ᾽ εἶναι ἀγαθὸν ἐθέλοντα. *aut tacitum impellat.* ſic habent omnes quos legi manuſcripti, quare non fui auſus mutare lectionem, præſertim, quòd in Diu. codice hæc adnotata ſit interpretatio, impellat ad iram. omnes Bland. habent, impellat, id eſt, alloquatur. vnus ex iis præterea ſic hunc locum declarat: Si quis liberè, & ſine obſeruatione temporis appellauerit amicum ſuum; ſi quis ita eſt ſimplex, vt legentem aut cogitantem moleſtus interpellet, ſtatim eum carere communi ſenſu dicimus; quemadmodum ferè in Commentatore videre eſt: quare Lambino ſubſcribendum cenſeo. *tacitum.* cogitabundum: quod eius eſt qui ſeuerioribus aut rebus aut ſtudiis implicatur. *quouis ſerm.* valde grauis interpellator: nam importunitas & inhumanitas omni ætati moleſta eſt. Cic. de ſenect. Et, niſi qui nobis vſu eſt, moleſtus eſt, ait Plaut. in Truculent. *eheu quàm t.* exclamatio pathetica in malitiam naturæ peruerſæ & inſipientis, quæ dum nocet aliis & iniuriam facit, non cognoſcit eidem ſe malo obnoxiam, & perire ſe prius oportere, quàm alium perdere, quod malitiæ eſt proprium, vt eleganter deſcribit Hierax apud Stobæum, in opere de iuſtitia, ἡ κακία, τοὺς ἀδικουμένους μέλλοντας, ἔλαττον μὲν βλάπτει, τοὺς δὲ ἀδικοῦντας διαφερόντως, hoc eſt, malitia ei quidem minus nocet, qui iniuria afficietur, ſed plurimùm, iniuriam inferre cogitanti. Quod inſigni docet exemplo murænæ, inquiens, ὅτι τῇ μυραίνῃ τοὺς ἐνύδρους ὄφεις εἰς ἄλλων ὄλεθρον οὐ δυνατὸν ἀπογεννᾶν, πρὶν τὴν κυΐσκουσαν γαστέρα καταφαγεῖν, ὡς Νίκανδρος ὁ Κολοφώνιος, καὶ Ἀρχέλαος ὁ φυσικὸς γράφουσι, hoc eſt, neque muræna priùs aquaticos angueis in alienam perniciem parere poteſt, quàm prægnantem ſuum vterum perroſerint, vt Nicander Colophonius, & Archelaus phyſicus deſcribūt. Ad eum certè modum, iniquiores nobis, quàm iis ſumus, quos lædimus ignominia, quando ita natura comparatum eſt, vt nemo ſit omnino

omnino purus à vitiis: iuxta illud Simonidis quod hic expreſſit Horatius, πάμπαν δ' ἄμωμος οὐκ, nemo ſine crimine viuit, ſeu criminatione; nemo enim, quantumuis bene viuat, videtur ita natus eſſe, vt omnium ſannas effugere poſſit, nam vnicuique dedit vitium natura creato, inquit Propertius *amicus dulcis.* hoc argumentum quaſi ex diametro pugnat cum philautis, qui ſibi quidem indulgent, ſed amicos minus honeſtè, vel illudūt vel examinant; at verus amicus non exiſtimat ſuis vitiis magis, quàm amici condonandum, ſed æquali trutina, vel notanda, vel ignoſcenda, vel vitia cum virtutibus ex æquo penſanda: atque ea ratione, τὸ κακὸν τῷ ἀγαθῷ ἰᾶ, malum bono medicatur. *inclinet.* ἐπικλίνηται, acquieſcat, faueatque, neglectis poſtpoſitiſque vitiis. *trutina p.* æquali libra: accipitur enim trutina pro libra, vt apud Perſiū, Examenve improbum in illa caſtiges trutina per allegoriam; alioqui trutina eſt ipſum examē ſiue lingula in medio ſcapo, vnde binæ lances ſuſpenſæ. Pompeio πλάστιγγες dicuntur, ad pendenda ex æquo pondera. *æquum eſt p.* quemadmodum Perſ. Sat. 4. cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis. ad Piſon. Horat. Hanc veniam petimusque damusque viciſſim. Epiſt. vlt. lib. 2. Cædimur, & plagis totidem conſumimus hoſtem. *denique quatinus.* Colligit Horatius, quaſi ex conceſſis, contra Stoicos, vitia ineſſe homini, nec penitus extingui poſſe, vt confutet eorum opinionem, qua docere conabantur, in ſapientem non cadere vitioſos affectus, ſed ſtultos eo malo laborare: iccirco clarè dicit, ſtultis hærentia: ne quis Stoicorū ſcilicet grauius indignetur, ſi hoc taceat, ita ineptire Horatiū, qui neſciat Stoicū non affici: at obtinet Horatius antiquum, hac enim via eos atrociores habet, vt admiſſus acrius pungat, & vellicet eorum dogma de æqualitate peccatorum, cui aduerſari dicit ſenſus, mores, & vtilitatem. *cur non ponder.* vult nihil temerè decerni de vitiis, ſed ea moderamine rationis æſtimari, caſtigarique: qua monitione partim reducit in memoriam, in eo peccare philautos, quos in amicorum vitiis corrigendis oſtendit plus æquo duriores: partim præludit, in eo genere non eſſe multò æquiores Stoicos. *coërcet.* cohibeat & regat, ab arceo, quod Feſtus à Græcorum magiſtratu venire ſcribit, quem ἄρχοντας vocant, in cuius poteſtate eſt cogere & prohibere. *ligurrierit.* ſic habetur in omnibus ſcriptis. Ligurrire eſt, quaſi furtim ἀσειργῶς guſtando conſumere; à Græco λιχυρὸν, id eſt, ſuaue, vt notat Donatus in Eunucho. verùm quando τὸ λιχυρὸν, per ρ vnicum, ligurrio verò per rr duplex, in optimis exemplaribus ſcriptū inueniatur vbique, & apud Varronē, & Terentium, quod & Lambinus ipſe fatetur, an hic ſyncopa, an ibi epentheſis conſtituenda ſit, ἐπίζω. *ſemeſos piſces.* minimum peccauerit: ea namque epitheta, ſemeſus, tepidum, eleuant factum & extenuant. *ſanos.* cordatos, & ſanæ mentis homines. *quanto furioſ.* Codex Blandin. vetuſtiſſ. oſtendit tribus ſubſcriptis punctis τὸ hoc, vulgatum, abundare; cui non grauatim ſubſcripſi, etiam neglecto Pſeudacrone, idque propter apertam ſententiam: vult enim multò eſſe furioſius odiſſe amicum & fugere ſi paullùm deliquit, quàm ſeruum propter ligurritionem tollere in crucem: namque in ſeruos licebat dominis vel impunè ſæuire, ſed non ſine nota tamen inſaniæ: at amico cui debemus omnem beneuolentiam, humanitatem & ſtudium, quis non acerbus, inſuauis & improbus, non condonet, & concedat erratum minimum; nam grauiora ſi feras, facis tua, inquit Mimus. *paullum deli.* ἐκ παρεκβάσεως proponit paullùm delinquere amicum, ad demoliēdum dogma illud Stoicum, *quis paria eſſe fere pl. p. quod niſi con. ha. in. ac.* hoc parentheſi includendum eſt. *habebere in.* hoc ei opponitur quod paullò ſuprà dixit *amicus dulcis. vt Ruſonem.* ſic ſcripta ferè omnia: quare D litteram arbitror acceſſiſſe ex affinitate litteræ t præcedentis, librariūmque ex ore legentis ſcripſiſſe Druſonem. quod autem Ruſonem quis aptius legere debeat, certè præter conſenſum codicum, mihi argumento ſunt tabulæ Romanæ Martini Smetij nondum euulgatæ, ſed ſcripto dicatæ D. Marco Laurino, in quibus offendiſſe me recordor M. Occium Ruſonem. Quod autem Pſeudacronem ſecuti alij, non indocti viri, neſcio quid ſomnij recitēt; Ruſonem, putà, hunc inconditum fuiſſe, atq. inſulſum hiſtoriographū, nō potui præterire, quin ἐν παρόδῳ monerem lectorē, id mihi videri eſſe, ſincerum vas incruſtare, ne lōgius hinc abeam, & eius artificij cruſtam eſſe nomē hiſtoriæ: Quaſi verò auaro fœneratori lucrioni turpiſſimo, per lucrum, liceret eſſe viro bono & hiſtoriographo: & non veriùs hiſtoria hic ſit dicenda Ruſonis verba contumelioſiſſima in exigēda ſorte cum fœnore duriſſimo: quod quidem niſi Calendis reddatur, quid reſtat debitori aliud, quàm vt, quaſi ad necem porrecto iugulo (vt ſolent captiui ad edictum magiſtratus lictori iugulum præbere) audiat Ruſonis hiſtoriam, hoc eſt, nomina, nexum, minas acerbiores, verbera, puteal, & innumera cum intoleranda crudelitate alia conuicia duri profectò hiſtoriographi, & crudeliſſimi in miſeros debitores *triſtes m. v. K.* triſtes ab effectu, quòd debitorem triſtem efficiant. ſic mors pallida. Kalendis autem ſoluebantur vſuræ. hinc apud Romanos vulgò iactitatum eſt prouerbium, Ad Kalēdas Græcas. Auguſtus apud Suetonium cùm aliquos

aliquos vult ſignificare numquàm ſoluturos, ait ad Kalendas Græcas ſoluturos. Græci autem ad ſuas *νουμηνίας*, hoc eſt, ad ſua nouilunia fœnus reddebant: apud eos enim ad lunas nouas & dabantur pecuniæ & creſcebant vſuræ. *porrecto iug.* porrigere, extendere iugulum, vel eſt attenti, vel pœnas luentis. *captiuus vt.* anaſtrophe, pro, vt captiuus. *comminxit lect. p.* expoſit enumerationem delictorum eius quod dixit, *paullùm deliquit.* idq. exaggerat grauioribus peccatis *κατ' αὔξησιν*. *menſáve catill.* vas in menſa eſcaria (quam cibillam, prius quadratam, poſtea rotundam à cibo dictam Varro lib. 4. de ling. Lat. memoriæ prodidit) vbi pultem, aut iurulenti quid ponebant, à capiendo catinum nominauerunt; niſi quòd Siculi, inquit, dicunt catinum vbi aſſa ponebant. *catinum Euandri* catinū vel fabrefactum ab artifice Euãdro, vt vult Commentator, vel antiquum, ab Euandro Pallantis Arcadiæ regis nepote, vel pretioſum & carum, à perſona; ſuſque deque, vt fertur. *pullum.* vel iurulentum pro Catino Varronis: vel aſſum, pro Siculis. *minus hoc.* ideo, vel, ob hoc. *quid faci.* *αὔξησις.* *ſponſúmve neg.* fiebat autem ſponſio interpoſita ſtipulatione certæ pecuniæ, quam perderet is qui ſponſione vinceretur. erat autem decima pars rei controuerſæ in cauſis priuatis, in publicis autem, quinta; apud Græcos auctore Polluce, erat enim ſponſio genus actionis apud antiquos. itaque negare ſponſum, arbitror eſſe negare ſponſionem, ſeu id quod quis ſpoponderat; non enim priuati quid hic notari videtur, quale poteſt eſſe promiſſum, ſed iuridicum, quale eſt furtum, fidei commiſſum. *quis paria eſſe ferè p.* ad hoc paradoxum Stoicum confutandum hactenus ab initio præluſum eſt ab Horatio, nunc id omnibus (vt aiunt) neruis oppugnat. *fere placuit.* ferè, aduerbium ab omnibus hic neglectum, non minimam vim obtinet, includit enim in ſe vniuerſalitatem, ita vt vel omiſſo vel appoſito vniuerſali ſigno idē ſubinde ſignificet. vt hæc ſit ſentētia: queis placuit paria eſſe ferè peccata, hoc eſt, omnia. ſic dicimus, Romani ferè orbem ſubegerunt, id eſt, ferè totum. vtor ferè hac veſte, id eſt, ſemper, vt notat Valla lib. 1. elegantiarum cap. 50. qui ob hanc cauſam ait hunc in Lælio locum eſſe deprauatum, Qui tum ferè multis erat in ore, & legendum, Qui tum ferè erat in ore. Quod autem locus iſte Horatij ita ſit exponendus, res ipſa loquitur: nemini namque dubium eſt, peccata quædam eſſe paria, ſed vt omnia ſint æqualia, vnis Stoicis placuit. In hac etiam ſignificatione accipi debet τὸ propè in Satyr. 3. lib. 2. eo loco, Inſanis & tu, ſtultique propè omnes, vt ibi dicemus. D. Arnoldus VVoulardus, acutè admodum & ſignificanter ait τὸ ferè, pertinere ad verbum laborant, ſeruata nimirū infinita hac, peccata ſunt paria, pro vniuerſali, omnia peccata ſunt paria. *laborant.* putà, Stoici: nam verſus hic dogmaticus, queis paria, &c. periphraſticôs eos denotat. in omnibus autē ſcriptis cod. hæc eſt interpunctio, laborant cùm ventum, &c. quare præter alia putarim ſententiā eſſe, Stoici laborant, id eſt, hærent, dubitant, *ἀμφισβητοῦσι* (niſi quis malit eos hic ex Stoicis factos *ἐπισκεπτικῶς ἐπέχειν*) cùm ventum eſt ad verum, id eſt, veri inquiſitionem; quia ſenſus moréſque repugnant, aduerſantur & reclamãt, hoc eſt, iudicium omniū & fori conſuetudo æquo bono coniuncta. ſenſus D. Gregorio propriè *κοινοὺς λογισμοὺς* nominantur. *atque ipſa vtil.* vtilitas hic ea cenſenda eſt, quæ nō abeſt ab honeſto ex Stoicorū opinione, non etiam ea quæ turpi coniuncta lucrum quærit ex re quali bet. Quonam autem pacto ſit mater iuſti & æqui, non facilè quis dixerit, niſi ad ea ſeſe conferat, quæ ſunt iuris humani, ſiue gentium, vt loquuntur legales; ea namque conſideratione poſſit vtilitas haberi mater iuſti, & iniuſti; nam vſu exigente, inquit Iuſtinianus, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ iura quædam ſibi conſtituerunt: Nam cùm obſcurata iam eſſet in hominibus imago Dei per peccatum, cœperūt omnes ritu ferino ſectari quæcumque obnoxia morti caro dictaret, tantiſper dum miſertus humani generis Deus, ſopitos in mētibus hominum virtutis igniculos in quibuſdam viris doctis excitaret, qui per ſiluas diſperſos nemoráque & ſaltus homines cōſilio prudentiáque ad communionem inuitarent, inuitatos, inque cœtum coactos docerēt, edoctos præceptis ſalubribus confirmarent, & iam confirmatos in officio continerent; quod autem cùm facere eis non liceret, propter malorum iniuriam, & inimicas incurſiones (vt eſt humanus animus ſemper inclinatior in id quod deterius eſt) vallo ſe & foſſa munire cœperūt, vt & hoſtem propellerent, & vim ſibi illatam vlciſcerentur; id autem vt eſſet perpetuum quoad vires & facultates paterentur, omnium conſenſu leges latæ ſunt, ad collaudandos quidem & præmiis honorandos bonos fortéiſque, ad malos verò & ignauos pœnis digniſque ſuppliciis afficiendos. hoc tandem pacto cœpta eſt vtilitas vitæ communis, neceſſitáſque haberi mater iuſti & iniuſti. Sed ea tamen vtilitas, cùm multo ſit natura poſterior, à qua iuſtitiam dimanare contendunt Stoici, nec non etiam certo id ſtatuunt melioris notæ Philoſophi Plato & Xenophon 4. de dictis & factis Socratis, ad conuincendum hoc vulgatiſſimum dogma Stoicorum de vitiorum paritate, neceſſe fuit Horatio ab ipſis deficere ad eos qui ab vtili iuſtum deriuare

malue-

malueruntː ſcribit enim, *vtilitas iuſti propè mater*, id eſt, ſola mater, *& æqui*. quod & poſtea dilucidius exprimit, inquiens, *nec natura poteſt*, &c. Quod quidem cum ad exagitandos Stoicos arbitror non tam ex animo facere, quàm vt eos ridendos propinet (quod non obſcurè indicat τὸ propè, vnde nonnihil dubitationis ſubeſſe licet colligere) ob nimiam, credo, eorum in Epicureos ſeueritatem, quos diſciplina, vitæ modo, & inutili ad rempublicã conuerſatione laſciuire potiùs, quàm viros bonos agere clamitabant, quemadmodum ad finem huius ſatyræ ait, *vellunt tibi barbam laſciui pueri*, &c. Epicureos intelligens. Qua etiam gratia ſcribit Athen. lib. 12. καλῶς ἄρα ποιοῦντες ῥωμαῖοι, οἱ πάντα ἄριστοι, Ἄλκιον δὲ φιλίσκον τοὺς ἐπικουρείους ἐξέβαλον τῆς πόλεως Λευκίου τοῦ ποσομίου ὑπατεύοντος, δι' ἃς εἰσηγοῦντο ἡδονάς. hoc eſt, pulchrè itaq. fecere Romani primates, qui Alciũ & Philiſcum Epicureos ciuitate eiecerunt, quia voluptatem inferebant, Lucio Poſtumio Conſule. At ſi quis tamen ad viuum cum Stoicis illud dogma de peccatis paribus reſecet, non prorſus abſurdè (vt exiſtimo) eos ſentire comperiet: Nam (vt Cic. argumenta in hoc paradoxo prætercam) hic Sorites ab eis ad hanc rem confirmandam, coaceruari videtur: Quicquid iuſtum eſt, à natura promanat, id autem ſemper eodem modo ſe habet; quicquid autem tale eſt, ſibi par eſſe neceſſe eſt; efficitur itaque iuſtum iuſto par, & à contrario, iniuſtum iniuſto: vnde ex ἀκολούθου colligitur, vitiũ vitio æquale eſſe & peccatum peccato. verùm huius σωρείτου propoſitionem diluit Horatius infitiatione, aſſerens ex quorundã (vt iam dictum eſt) philoſophorum ſententia, iuſtitiam non à natura, ſed ab vtilitate ſumere principium, atque ab ea, rebus ipſis plus minúſve communicata, iuſti, iniuſtíque naſci incrementum decrementúmque. cuius quidem opinionis, vt fidem faciat, iam inde à primis hominibus auſpicatur argumentum, quorum naturam ſcrutatus extrinſecus, hoc eſt philoſophicôs, ab actu ad potentiam, ait in eis ne vel minimã iuſti & æqui ſcintillam emicuiſſe, ſed eos penitus obbrutuiſſe, victus ratione, vitę turpitudine, belligeratione, antris, infantia & inconditis vocibus, donec tandẽ numine diuûm, vtilitate euidẽti propoſita, impetum brutalem ipſi frenarent ſocietatis humanæ coniunctionem quærerent, cõmoda agnoſcerent, incommoda deuitarent, honeſtíque & incolumitatis gratia, iura legeſque inter ſe conderent & conſtituerent ad æqualem inter ſe tranquillitatem retinendam. *cùm prorepſerunt*. ſic alibi Virg. Terrea progenies duris caput extulit aruis. In vulgatis autem codicib. habetur Ferrea progenies, &c. ſed hoc nihil pertinet ad rerum primordia. *mutum*. fandi neſcium & rude: eſt enim oratio vox ſignificatiua ſecundum placitum, Ariſtot. definitore: & interp. Hermogen. ἑρμηνεία ἐν δύσι τούτοις θεωρεῖται, ἐν ἐκλογῇ ὀνομάτων, καὶ συνθέσει: hoc eſt, enunciatio in his duobus cõſideratur, nempe in electione ſeu notatione nominum & compoſitione: itaque loqui eſt artis, non etiam naturæ. *turpe*. aptum epitheton verbo prorepſerunt. *glandem atque* quatuor naturæ cõſeruandæ præcipuè ſeruiunt, victus, tectum, veſtes, arma. glans primis hominibus pro victu fuit; cubilia ſiue antra, pro tecto: vngues & pugni, pro armis ad propulſandam iniuriam, vt ait Lucret. Arma antiqua manus, dentes, vnguéſque fuerunt; veſtium autem hic nulla mentio, cùm brutorum inſtar, ſine honeſti cognitione, nuditas eis non eſſet dedecori. *notarent*. ſunt enim verba rerum notæ, περὶ ἑρμηνείας Ariſt. *abſiſtere bel.* abſtinere. ἀφίστασθαι πολέμου, τοῦτ' ἐστι τῆς μάχης καὶ ὁρμητικῆς δυνάμεως. quod etiam Latinis non rarum eſt, vt bellum pro pugna ponatur. *oppida*. Varro 4. de ling. Lat. maximum ædificium eſt oppidum, ab ope dictum, quod munitur opis cauſa, vbi ſint, & quod opus eſt ad vitam gerendam, vbi habitent tutò. Eſt autem vero conſonum, primos illos homines à belluino victu, cantibus, hoc eſt, eloquentia virorum doctorum abductos ad humanitatem, primum ſingulas familias muniuiſſe ſepibus, maceriis, muris, ad nocturnum propugnaculum potiſſimum, quod oppidum, ab ope ferenda, nominabant; deinde, quò à vi maiori tutiores viuerent, pluréis familias vnis mœnibus ſe concluſiſſe, legéſque ſibi condidiſſe, ad malos coërcendos, & ſtabiliendam tranquillitatem: quod ſepimentum maximum & multis cõmune etiam oppidum dictum poſtea nomen vrbis accepit ab orbe figura, vel ab vruo aratri parte, quo muri deſignabantur. *ponere leges*. ſancire, legibus ſtabilire, nefarios continere; ad imitationem Græcorum, νόμον τίθεσθαι, νομοθετεῖν τὸ ἀνυπότακτον hoc eſt, lege refrenare liberam voluntatem. *ne quis fur*. duo priora, putà furtum & latrocinium bene conſtitutam rempublicam vehementer perturbant: poſtremum autem eam turpiter labefactatam, bonis omnibus deſpicabilem facit. *nam fuit*. de bellis ob feminas geſtis, quæque bellorum cauſæ fuere, lege Athen. lib. 13. & Herodot. lib. 1. *viribus edit*. ſuperior & robuſtior. *cædebat*. occidebat, pulſabat impetu taurino & fero. *faſtóſque d.* à fide hiſtoriç, quæ debet omnibus eſſe argumento certiſſimo. Tempora itaque ſunt ætates mundi, & quid quibuſque ætatibus, aurea, argentea, ænea, ferrea extiterit, ac geſtum ſit: faſti verò mundi, ſunt annales mundi, in quibus ab origine & memoria hominum

minum optima quæque, & ſcitu memoratúque dignißima continentur: quod ab Horatio dictum videtur ad imitationem & morem Romani populi, ex cuius dignitate fuit, res illuſtreis ſemper annalibus, quotidianas verò diurnis actis, & ephemeridibus inſcribere. D. VVoulardus annotauit, hæc, tempora faſtoſque, per epexegeſin non malè intelligi poſſe; quid enim, inquit, aliud ſunt faſti, quàm mundi tempora. *nec natura p.* ratio à diſſimili. deſideratur autem τὸ ita, per ellipſin, hoc modo, natura nō poteſt ita ſecernere iuſtu ab iniquo, vt diuidit, hoc eſt, diiudicat, bona à diuerſis, id eſt, oppoſitis malis, fugienda à petendis, incommoda à commodis. Ad huius loci declarationem pertinent ea Ciceronis de Offic. lib. 1. Principiò generi animantium omni à natura attributum eſt, vt ſe, vitam, corpúſque tueatur, declinétque ea quæ ei nocitura videntur, omniáque quæ ſunt ad viuendū neceſſaria, inquirat, & paret, vt paſtū̆m, vt latibula, vt alia eiuſmodi generis, &c. *nec vincet.* ratiocinatio, ſeu argumentum vllum fidem non faciet, putà, ſacrilegium æquale eſſe peccato cuiuis minimo. *tantundem v. p.* & facti qualitatem & quantitatem paucis complectitur. *qui teneros c.* Exemplum hoc rei minimi pretij poſitum eſt pro quouis alio generis eiuſdem; quod poëtis eſt admodum familiare, nempe certum pro incerto, finitum pro infinito collocare. Non potuiſſet autem apertiùs demonſtrare Stoicos in errore verſari, quàm ſi pro confeſſo ponat eos contendere neque à ſacrilegio diſtare furtum caulium, neque grauiori ſupplicio vindicandum: illius enim cauſæ cognitio, vel infimo cuique ex plebe iudicatu eſt facilima: nam ſi res rei, caules ſacris, factum facto conferatur, quiuis è vulgo vel ſenſu carere, vel diſcrimen inter ea ponere poſſe exiſtimabitur. Non temerè quidem animaduertit, ſed doctè admodum Simeo Boſius (vt refert Lambinus) Horatium alludere ad leges Draconis, etiamſi fortaſſe in legibus ferendis, is aliò quàm ad Stoicorū placita ſuæ mentis aciem direxerit: refert enim Plutarchus in vita Solonis, vnam ferè omnibus delictis mortem ab illo definitam fuiſſe, adeò etiam vt qui otij damnati eſſent, capite multarentur, & τὺς λάχανα κλέψαντας, ἢ ὀπώραν, ὁμοίως, ἔφη, κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις, καὶ ἀνδροφόνοις, hoc eſt, etiam iis qui olera aut maturos fructus ſurripuiſſent, ſimile ſupplicium ſtatutum erat, cum ſacrilegis & homicidis. *adſit regula.* ſuadet quaſi ex confeſſo, vt æqualibus delictis æquales irrogentur pœnæ, ne grauius eum caſtigemus, qui minùs peccauit. ſic & Apoc. 18. Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. *nam vt ferula.* anthypophora, ſiue ſubiectio, vt vult Quintil. *vt* perfectiua particula, ſiue abſolutiua, vt ſcribit Linacer, pro, ne non; vt ſit ſententia, ne non cædas ferula eum qui meretur acerbius corrigi, non vereor, hoc eſt, mihi certum eſt te leniter caſtigaturum eum qui vel maximo ſupplicio dignus eſt; itaque apud vos nulla ſupplicij deprecatione eſt opus, vt apud quos crimina ſint paria, & æqualia ſupplicia. *ferula cædas.* ferula planta eſt, νάρθηξ Græcè. de qua vide Theophr. Dioſcor. Plin. ſumpta eſt metaphora à gladiatoribus, quos olim, ſi non placuiſſent, ferula cæſos ludorum præfecti ſolebant eiicere ludo: aut à militibus, qui ferula caſtigabantur ſi quid facerent contra artem militarem. *& magnus p. m.* falce ſimili magnis. Helleniſmus notabilis, vis enim epitheti, ſi conſtructionem ſpectes, tranſit in datiuum; ſi verò ſignificationem, non perinde: ſenſus autem eſt, cùm mineris te reciſurum ſimili falce magna & parua. ſimilis huic eſt illa locutio Plutarchi paulò ſuprà, ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις, &c. aut licet ſubintelligere τὸ cùm, hoc modo, & cùm mineris te reciſurum parua cum magnis eadem falce. *ſi tibi regnum per. h.* ſcita μυκτηρισμῷ ad illudendum decretum aliud Stoicum, putà ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος, quòd ſolus ſapiens diues ſit. hæc autem ex antecedentibus deducta ὑπόθεσις, non caret affectatæ à Stoicis tyrannidis inſimulatione, propter inconſultam eorum in puniendo ſeueritatem: eſt enim regum νομίμως τὺς ἐξαμαρτάνοντας κολάζειν, vt habet Iſocrates in Euagora, hoc eſt, legitimè erranteis punire. *ſi diues q. ſ. e.* ridiculè Stoicum facit ſui decreti memorem. Hæc autem ad finem vſque ſatyræ eſt faceta quædam καταστροφὴ, ad recreandum lectoris animū, tædiū́que eximendum, quod moleſtæ illæ, de virtutibus & vitiis, & difficiliores contentiones attulerunt. *non noſti q. p.* arguit Stoicus Horatium ignorationis, ſimul & digreditur à propoſito ad interpretationem dogmatis alterius ex auctoritate Chryſippi philoſophi acutiſſimi, de quo Cic. de natur. Deor. Chryſippus qui Stoicorum ſomniorum vaferrimus fuit interpres. ſed de hoc poſtea. *ſapiens crep. ſ. n.* expoſitio dogmatis ab actu & potentia, nimirum ſapientem quidem noſſe artem ſuendæ crepidæ, quo nomine meritò ſutor appellari debet, etiamſi non exerceat artem, cùm ſit hoc vilius, & nimis mercenarium, quàm pro philoſopho & ſapiente. *quò.* vnus codex Bland. habet qui, ſed reliqui omnes, quô, id eſt, ad quid hoc reſpōdes? habet cod. Diuæ. Redit Horatius eò vnde exorſus eſt, nimirum ad Hermogenem Tigelliū, vt eius vanitatis, inconſtantiæ, & philautiæ ſocios faciat Stoicos. *quamuis tacet.* οὐκ ἐνεργὸς ὤν, id eſt, ſuo

ſuo munere non fungens. *cantor tam.* ἐν δυνάμει ἐστὶ, poteſt canere & modulari. *Alſinius vafer.* hoc epitheton non tã vitium quàm ſpectat ingenium Alſinij, & in emergendo ſagacitatẽ. Hic autẽ Alſinius Varus (vt 4. codices Bland. in annotationibus habent apertiſſimè) conſul fuit anno ab vrbe condita ſeptingenteſimo. quinquageſimo quarto cũ P. Vinitio, vt habet Glarea. in ſua Chronol. vel (vt Carolus Sigonius legit) Vinutio: qui etiam pro Alfeno legit, Alſinius Varus: quam lectionem nobis quoque ad oculum demonſtrauit Hubertus Goltzius, antiquitatis indagator nobiliſſimus, in numiſmatis Alſinij Conſ. quo etiam nomine Horatium hic corrigendum curauimus, próque τῷ Alfenus, ſubſtituendum τὸ Alſinius. Ceterum his valere iuſſis, quæ ſunt Chronologorum, inſtitutum Commentationis proſequamur. Certè hic locus nobis argumento eſſe debet Horatium hæc ſcripſiſſe paullò vel ante, vel poſt conſulatum Alſinij: vnde non penitus incerta coniectura animaduertet ſtudioſus, Horatium vixiſſe annum ſupra ſexageſ. quartum: quo ferè tempore ſcripſit ea quæ ſenium ſapiunt, quæque annorum nomine ſibi vel grauia fatetur, vel minus decora: qualis eſt 1. Ode lib. 4. & aliquot aliæ in eodem libro: deinde prima epiſt. ad Mæcenat. ita vt citra omnem dubietatem credere non ſit abſurdum eum ſine certa epigraphe, pro temporis & perſonæ opportunitate, nunc hæc, nũc illa poëmatia ad amicos miſiſſe: eáque poſtea fortè inuenta (nam multa interiiſſe rationi non eſt abſonum) viros doctos in ordinem, & quaſdam quaſi claſſeis ſuis adnotatis inſcriptionibus, pro arbitratu redegiſſe: quibus autem non omninò amara Satyræ petulantia inerat, ea, ſeruatis propriorum nominum epigraphis, epiſtolas nominarunt; alia inuenimus in omnibus ſcriptis antiquis Eclogas inſcriptas: Quare otioſa mihi videtur (Odas excipio) de inſcriptione contentio, quando ea opera (ſeruato argumento) cuique ſit arbitraria. ſed ἐξ ὑποθέσεως hæc dicta velim. *clauſáque taberna.* vſtrina, habet codex antiquiſſ. Bland. & in ipſo carmine ſubſequenti craſis characteribus, *tonſor erat.* quam ego lectionem non prius vulgatæ præferendam putaui, quàm lectorem doctum eius monuiſſem: mihi certè placet mirabiliter: nam crineis vſtulare & ornare tonſoris eſt, κομμωτὴς hinc dictus, vel καλλωπιστὴς Polluci; ab hoc eſt κομμωτικὴ τέχνη, qua color conciliatur aſcititius & fucatus: artificij hoc genus aliquantò nobilius, & ad inſinuandum ſe in potentum beneuolentiam accõmodatius, quàm ſutrina. quare coniectarer vocẽ, *ſutor*, irrepſiſſe ex ſuperioribus, puta, *& ſutor bonus, &c.* in hunc locum, vbi prius erat, *tonſor.* Quin & Alexander ab Alex. lib. 6. Genial. dier. Alfenus (vbi legendum eſt Alſinius) inquit, ab adoleſcentia tonſtrinam exercuit, mox ſub Sulpicio iuris ſcientiſſimus euaſit; ita vt Conſul effici, & decedens publico funere efferri meruerit. *taberna.* quòd ex tabulis olim fiebat, inquit Feſtus, & tabernaculum ὑποχειριστικὸν. *ſapiens operis.* in hunc modum compones hæc verba: ſic ſapiens eſt optimus opifex omnis operis, vt Alſinius eſt tonſor, vel ſutor, abiecto inſtrumento clauſáque taberna, vt putà, τῇ δυνάμει, καὶ τῇ ἕξει. ſic ſolus opifex, ſic rex, &c. per quandam enumerationem à ſimili. Ad hunc autem locum nihil pertinet illud ἀσύνθετον Epiſt. 1. lib. 1. Ad ſummam ſapiens vno minor eſt Ioue, diues, liber, honoratus, pulcher, rex denique regum; cùm nihil habeat Stoicum, vt eo loco dicemus, ſi Chriſtus nos ſeruet incolumeis. *vellunt tibi barbam.* ex energia huius illuſionis, facilè videt lector, legendum eſſe, *tonſor erat:* non etiam, *ſutor erat.* nam vt tonſoris eſt comere, & vſtulare barbam, ſic in contemtum tonſoris Stoici, ait, vellunt tibi barbam, tanquam ſtulto & inepto ad eam criſpandam & diſcriminandam. *laſciui pueri.* Epicurei, vt ſuprà diximus, quos pro pueris habebant Stoici. *niſi fuſte coërces.* tanquàm ſceptro regio: coërcere namque (vt ſuprà ex Feſto notauimus) eſt virorum principum: qualis hîc ſibi eſſe Stoicus videtur magnorum regum maximus ſcilicet, cui pro ſceptro porrigit baculum, vt Cynicorum more & latret, & in corona circumſtanteis ſe abigat. *ne longum ſ.* hoc epilogo concedit Stoico, & habet riſui ſtultum illud de regno ſomnium, à balneis publicis, ad quæ nullo comitatu accedere, erat præter regiam maieſtatem: ſibi verò & amicis applaudit, à beneuolentia mutua, ab æſtimatione vitiorum virtutúmque pro æquitate, à vita priuatà quam multis modis ait regia eſſe beatiorem. *quadrante.* foris quadrante lauari populicum erat, non regium: domi namque regibus ſua balnea magno apparatu inſtructa erant, & ſeruorum miniſteriis valde commoda. Porrò à quadrante, eſt quadrantaria balneatrix, qualem arbitror Cęcilio eſſe Clytæmneſtram apud Quintilia. lib. 8. vbi deſcribit ænigma eſſe allegoriam obſcuriorem. & Senecæ ad Lucilium epiſt. 87. balneum ipſum, res quadrantaria dicitur. Erat autem quadrans nummus exigui pretij, nimirum tertia pars aſſis, qui balneatori dabatur ab iis qui lauandi cauſa balneum ingrediebantur: dabatur & portitori ab iis qui ex vrbe in Auentinum traiiciebant: ab eo dictus quadrans ratitus, quòd in altera parte ratem habet incuſam; non etiam à vecturæ

 pretio,

pretio, vt ſcribit Varro ex Lucilio. *præter Criſpinum.* balneatorem putarim potius notari, quàm Stoicum illum philoſophum cuius ſuprà memini. Perſius: I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.

ECLOGA IIII.

CRISPINVS.

EVPOLIS, atq; Cratinus, Ariſtophanesq́;, poëta,
Atque alij, quorum comœdia priſca virorum eſt:
Si quis erat dignus deſcribi, quòd malus, aut fur;
Quòd mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus: multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus:
Mutatis tantùm pedibus, numeriſq́; facetus:
Emunctæ naris, durus componere verſus.
Nam fuit hoc vitioſus: in hora ſæpe ducentos,
Vt magnum, verſus dictabat ſtans pede in vno:
Cùm flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
Garrulus, atque piger ſcribendi ferre laborem:
Scribendi rectè: nam vt multum, nil moror. ecce
Criſpinus minimo me prouocat: accipe, ſi vis,
Accipiam tabulas. detur nobis locus, hora,
Cuſtodes: videamus vter plus ſcribere poſſit.
Di bene fecerunt, inopis me, quodq́; puſilli
Finxerunt animi, rarò & perpauca loquentis.
At tu concluſas hircinis follibus auras
Vſque laboranteis, dum ferrum molliat ignis,
Vt mauis, imitare. beatus Fannius, vltro
Delatis capſis & imagine: cùm mea nemo
Scripta legat, vulgò recitare timẽtis, ob hanc rẽ,
Quòd ſunt, quos genus hoc minimè iuuat, vtpote plureis
Culpari dignos. quemuis media erue turba:
Aut ob auaritiã, aut miſera ambitione laborat.
Hic nuptarum inſanit amoribus: hic puerorum:
Hunc capit argenti ſplendor: ſtupet Albius ære:
Hic mutat merceis ſurgente à ſole, ad eum quo
Veſpertina tepet regio: quin per mala præceps
Fertur, vti puluis collectus turbine, nequid
Summa deperdat metuens, aut ampliet vt rem.
Omnes hi metuunt verſus: odere poëtas.
Fœnũ habet in cornu, longè fuge: dũmodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico.
Et, quodcumque ſemel chartis illeuerit, omneis
Geſtiet à furno redeunteis ſcire, lacúque,
Et pueros, & anus. agedum pauca accipe cõtrà.
Primũ ego me illorũ, dederim quibus eſſe poëtas,
Excerpã numero. neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis: neque ſi quis ſcribat, vti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens diuinior, atque os
Magna ſonaturum: des nominis huius honorem.
Iccirco quidam, comœdia, nec ne poëma
Eſſet, quæſiuere, quòd acer ſpiritus, ac vis,
Nec verbis, nec rebus ineſt: niſi quòd pede certo
Differt ſermoni ſermo merus. at pater ardens
Sæuit, quòd meretrice nepos inſanus amica
Filius, vxorem grandi cum dote recuſet:
Ebrius &, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus. numquid Pomponius iſtis
Audiret leuiora, pater ſi viueret? ergo
Non ſatis eſt puris verſum perſcribere verbis,
Quem ſi diſſoluas, quiuis ſtomachetur eodem
Quo perſonatus pacto pater. his, ego quæ nunc,
Olim quæ ſcripſit Lucilius, eripias ſi
Tempora certa, modosq́;, & quod prius ordine verbum eſt,
Poſterius facias, præponens vltima primis:
Non, vt ſi ſoluas, poſtquàm diſcordia tetra
Belli ferratos poſteis, portáſque refregit:
Inuenias etiam diſiecti membra poëtæ.
Hactenus hæc: aliàs iuſtum ſit, nécne, poëma.
Nunc illud tantùm quæram: meritóne tibi ſit
Suſpectum genus hoc ſcribendi. Sulcius acer
Ambulat, & Caprius, rauci malè, cumq́; libellis,
Magnus vterq; timor latronibus: at, bene ſi quis,
Et puris viuat manibus, contemnat vtrumque:
Vt ſis tu ſimilis Celi, Byrrique latronum:
Non ego ſim Capri, neque Sulci: cur me
Nulla taberna meos habeat
Queis manus inſud
Tigelli?
Non recit
Non v
Scri
S

Tempore num faciant alieno. lædere gaudes,
Inquis: & hoc, ſtudio prauus facis. vnde petitum
Hoc in me iacis? eſt auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? abſentem qui rodit amicum:
Qui non defendit alio culpante: ſolutos
Qui captat riſus hominum, famámque dicacis:
Fingere qui non viſa poteſt: commiſſa tacere
Qui nequit: hic niger eſt: hũc tu Romane caueto.
Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos:
E quibus vnus auet quauis aſpergere cunctos,
Præter eum, qui præbet aquam: pòſt, hunc quoque potus,
Condita cùm verax aperit præcordia Liber.
Hic tibi comis, & vrbanus, liberq́ꝫ videtur
Infeſto nigris. ego, ſi riſi, quòd ineptus
Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum:
Liuidus, & mordax videor tibi? mentio ſi qua
De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit: defendas, vt tuus eſt mos:
Me Capitolinus conuictore vſus, amicóque à puero eſt: cauſáq́ꝫ mea permulta rogatus
Fecit: & incolumis lætor quòd viuit in vrbe.
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit. hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt
Aerugo mera: quod vitium procul afore chartis,
Atque animo prius, vt, ſi quid promittere de me
Poſſum aliud: verè promitto. liberius ſi
Dixero quid, ſi fortè iocoſius: hoc mihi iuris
Cũ venia dabis. inſueuit pater optimus hoc me,
Vt fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.
Cùm me hortaretur, parcè, frugaliter, atque
Viuerem vti cõtentus eo, quod mi ipſe paraſſet:
Nónne vides, Albi vt malè viuat filius? vtq́ꝫ
Barrus inops? magnũ documentũ, ne patriã rem
Perdere quis velit: à turpi meretricis amore
Cùm deterreret: Sect[illegible] diſsimilis ſis.
Ne ſequerer [illegible] concesſ[illegible] Venere vti
[illegible]i,
[illegible]
[illegible]
[illegible]q́ꝫ
[illegible]
[illegible]
[illegible]ſic me
[illegible]

Formabat puerum dictis: &, ſiue iubebat,
Vt facerem quid: habes auctorem, quo facias hoc:
Vnum ex iudicibus ſelectis obiiciebat:
Siue vetabat: an hoc inhoneſtũ & inutile factu,
Nécne ſit, addubites: flagret rumore malo cùm
Hic, atque ille? auidos vicinum funus vt ægros
Exanimat, mortiſq́ꝫ metu ſibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe
Absterrent vitiis. ex hoc ego ſanus ab illis,
Perniciẽ quæcũq́ꝫ ferunt, mediocribus, &, queis
Ignoſcas, vitiis teneor: fortaſsis & iſtinc
Largiter abſtulerit longa ætas, liber amicus,
Conſiliũ propriũ. neq́ꝫ enim, cùm lectulus, aut me
Porticus excepit, deſum mihi. rectius hoc eſt:
Hoc faciens, viuam melius: ſic dulcis amicis
Occurrã. hoc quidã non bellè: num quid ego illi
Imprudens olim faciam ſimile? hæc ego mecum
Compreſsis agito labris. vbi quid datur oti,
Illudo chartis. hoc eſt mediocribus illis
Ex vitiis vnum: cui ſi concedere nolis,
Multa poëtarum veniat manus, auxilio quæ
Sit mihi: nam multo plures ſumus: ac veluti te,
Iudæi cogemus in hanc concedere turbam.

COMMENTATOR.

EVPOLIS *atque Cratinus.* Inuehitur in Romanos, quòd ſuas reprehenſiones nimis [illegible] ferrent, cùm tamen Lucilij & aliorum [illegible] ſcripta, quibus neque ſcribendo, neque [illegible] tate dignitatéque multò eſſet inferior [illegible] de efferrent. Hi primi Archææ Com[illegible] pſerunt, in quibus ſi orum ciuium [illegible] ritudine valde proſciderunt. [illegible] rum, per partitionem vel al[illegible] ctionem, qui antiquam C[illegible] *ſi quis erat.* mirè per hoc [illegible] & qualis eſſe debeat [illegible] quòd. *ſicarius.* [illegible] ſolebant maleſici [illegible] aliquem interfic[illegible] *alioqui.* alio [illegible] li etiam nom[illegible] poëtis. [illegible] *mutato* [illegible] ta. [illegible] compoſi[illegible] [illegible] mundæ, [illegible]

eſt, allegoricôs, callidus deriſor. ſic à cõtrario; ſtupidum, mucoſum nominamus, quia nõ citò vitia odoratur. *durus com. v.* aſper fuit in componẽdis verſibus. *hoc vitioſus.* in hoc non carebat vitio. *in hora.* breuiſſimo tempore. *vt magnum.* tanquam rem magnam, & laude dignã te facere putabat, ſi multos verſus quaſi momento temporis dictaret, cùm contrà, ſit laudabilius multo tempore paucos & bonos ſcribere. *lutulentus.* non liquida & pura copia, ſordidus: cui contrarium eſt luculentus, à luce ſplendidus. allegoria autẽ ſumta eſt à flumine turbido. *erat quod toll.* ſupp. tamẽ. hoc eſt, quamuis multa inordinatè, & ſordidè ſcriberet, tamen erãt in illius verſibus nonnulla, quæ tollere, id eſt, imitari & pro tuis haberi velles. *garrulus.* ineptus, in multis ſuperfluus. *piger ſcribendi.* id eſt, ad ſcribendum: figura Græca: non laborabat, inquit, vt rectè ſcriberet, ſed vt multa: quod non nego, neque diffiteor facilem fuiſſe, ſed non probo. *non moror.* non recuſo. Virg. non dona moror, id eſt, non recuſo. *ecce Criſp.* ſcilicet, digito. ſenſus ex prouerbiali ſchemate ductus eſt: ſolemus enim dicere, minimo me digito prouocat, cùm volumus aliquem tãtum valere minimo digito, quantum alius toto corpore. Appoſitè introducitur Criſpinus, nam is, vt Lucilius, libenter multos verſus, ſed malos dictabat. eius & ſuprà meminit ratione verſuum, dicens: Ne me Criſpini ſcrinia Lippi compilaſſe putes, &c. *accipe iam.* μιμητικῷ autem charactere prouocantem ſe ad ſcribendum Criſpinum oſtendit. *cuſtodes.* vt propria dicamus. *inopis.* quia careo inuentione, & icirco non noui multa ſcribere. *animi.* ingenij. *perpauca loquentis.* taciturni, non garruli. *at tu concl.* ordo eſt, at tu, ô Criſpine, vt mauis, imitare auras concluſas follibus, &c. hortatur Criſpinum, vt ſuo more inflata & turgida ſcribat: ſumta eſt allegoria à fabris. Hircinis autem follibus comparat pectus Criſpini: & auras follibus concluſas, turgidis ſuis & inſulſis cogitationibus. ſic & Perſ. Tu neque anhelanti coquitur dum maſſa camino. *hircinis foll.* ex hircino corio factis, qui multum aëris emittunt, donec ignis molliat ferrum. ſic vult Criſpinum non ceſſare, ſed multa verba fundere, donec auditorem contundat, & nimia tãdem ſatietate conficiat. *vſque labor.* tam diu operantes. *ferrum.* ſenſum. *molliat.* proferat, explicet, maturet. *ignis.* cura & diligẽtia. *beatus Fannius.* Fannius quadratus poëta loquaciſſimus & ineptiſſimus fuit, cui Senatus audiendi faſtidio, vltrò capſas & imaginem obtulit, vt libros ſuos mitteret, & in auctoritatem reciperetur, tãquàm optimus poëta: vel, vt alij referunt, Fannius poëta malus, cùm liberos non haberet, hæredipetæ ſine eius cura & ſtudio, libros eius & imaginem in publicas bibliothecas referebant, nullo tamẽ merito ſcriptoris. *delatis.* ad bibliothecam. *imagine.* qui erat in auctoritatem receptus, eius imago ponebatur inter poëtas. *volgò.* paſſim aut palam. *recitare timentis* quia is qui mores carpit, in publico non audet recitare ſua carmina. *quos genus hoc.* hoc genus Satyræ: nam qui ſuorum ſcelerum ſibi ſunt conſcij, non delectantur hoc poëmate quo vitia notantur. *media elige tur.* de medio populo in medium producito. *minimè iuuat.* non recreat. *ambitione.* ſuperbia, honoris cupidine. *nuptarum in. a.* adulter. *hic puerorum.* corruptor. *argenti ſpl.* vaſa argentea delectant. *ſtupet Al. ær.* Corinthio; hoc eſt, Albius tenetur cupiditate vaſculorum ex ære Corinthio. *hic mutat.* alius lucri cauſa & mercium nauigat ab oriente ad occidentem. Maro, Cedet & ipſe mari vector, nec nautica pinus mutabit merceis. *quo. ſolè. veſper. t. r.* ad occidentem. *tepet.* comparatione orientis, vbi ſol feruet acrius. *quin.* ſupp. etiam. *turbine.* ventis. *nequid.* ne aliquid perdas de ſumma. propterea ſe periculis committit, vt aut nihil decedat ſummæ ſuæ, hoc eſt, bonis ſuis, aut certè vt augeatur. *omnes hi m.* qui huiuſmodi vitiis ſunt dediti. *poëtas.* Satyricos. *fœnum habet.* ſumta tranſlatio à boue cornupeta, cuius cornibus in modum anſulæ fœnum alligari ſolet, in ſignum, vt qui ei fieret obuiam, eius vitaret occurſum. ſic fingit Horatius ſibi conſulere mutuò, qui malè ſibi conſcij ſunt, vt procul ab eo fugiant qui vitia reprehẽdit. *chartis.* ſcripſerit. *furno.* piſtrino redeunteis ſeruos. *lacuq.* à lympha haurienda. *primum ego.* ordo eſt, primùm ego excipiam me numero eorum quibus dederim eſſe poëtas, id eſt, conceſſerim vt ſint poëtæ, quippe qui ſermoni quotidiano propiora ſcribo. *diuinior.* diuina. *atque os mag.* os eloquẽs. *magna.* ſpes magnas & ſublimeis. *nominis.* poëtici. *ſcribat vt. nos.* extenuat ſe. *icirco quidam.* quia verba Comœdiæ propè ſunt oratio ſoluta. *quæſiuere.* dubitauerunt an Comœdia eſſet poëma. *acer ſpi.* vehementia & maieſtas. *rebus.* ſententiis. *differt* diſtat. *ſermoni.* à ſermone Comico. *ſermo merus.* propria dictio. hoc eſt, in Comœdia neque verba ſunt magnifica, neque ſententia grauis. Itaque hoc ſolo differt ab oratione, quòd eius ſermo metro contineatur. *at pater.* ſubiectio. quoniam dixit in Comœdia non eſſe verba ſeria & ſenſum vehementem, & icirco non videri poëma; fingit aduerſarium oſtendere ei non ineſſe ſpiritum acrem, ſiquidem patrem introducit, vtpote Menedemum apud Terentium, vehementer & acriter ſæuire in filium ſuũ luxu perditum; *nepos.* tacita & egregia ſignificatio filij luxurioſi.

numquid

numquid Pomp. confutat obiectionem ab exemplo, ſcilicet Comœdiam videri acrem habere ſpiritũ; hoc modo: ſi pater Pomponij viueret, numquid leuiora verba audiret Pomponius à patre, quàm audit filius luxurioſus à patre Comico? Quàm eſt hæc Horatiana, & tacita obiurgatio Pomponij luxurioſè viuentis? *ergo non ſatis.* non ſufficiunt verba pura, id eſt, non figuratè dicta, neque ſonora, vt aliquem poëtam nomines, metro concludere, ſed oportet ea eſſe formata & grauia. *perſonatus.* venuſtè & iucundè dicit patrem perſonatum pro patre Comico, hoc eſt, qui patris perſonã accipit in Comœdia. *his ego quæ.* per σύλληψιν ſubauditur ſcribo. ordo autem eſt, ſi eripias his quæ nunc ſcribo, & quæ Lucilius olim ſcripſit, &c. ſenſus eſt, ſi diſſoluas verſus vel meos vel Lucilij, non inuenies in verbis eandem grauitatem, quæ eſt in Ennianis verſibus, qui magno ſcilicet ſpiritu, & verbis altioribus ſunt compoſiti: quales ſunt iſti, poſtquam diſcordia tetra belli ferratos poſteis portáſque refregit. *tempora.* quantitatem ſyllabarum. *modoſq́;.* pedes & ſonum. *disiecti.* veſtigia diſſoluti & lacerati poëtæ, id eſt, verſus Enniani. *hactenus hæc.* huc vſque dixerim, an Satyra & Comœdia poëmata ſint, an nõ? *aliàs.* tractabimus alio tempore, alio loco. Terent. Quin aliàs malim quàm hodie has fieri nuptias. *nunc illud.* nunc illud à te quæram ô Romane, vtrum iure oderis genus hoc Comœdiæ vel Satyræ, an meritò metuas? *Sulcius acer.* Sulcius & Caprius nomina ſunt delatorum: alij volunt eos actores fuiſſe cauſarum, vnde etiam rauci dicũtur aſſiduitate agendi: alij amaros fuiſſe Satyricos aiunt, qui ad rauim vſque ſuas Satyras recitabant, carpendo latrones, id eſt, vitioſos & malè viuenteis. *malè.* valdè. *cúmq́; libellis.* in quibus vitia deſcribũt. *vtrũq́;.* Sulciũ & Caprium. *Cæli Byrrhiq́; l.* Cælius & Byrrhius fuerunt adoleſcentes perditi. ſubiectio à diſſimili. Si tu ſis ſimilis improbè & turpiter viuentibus, & ego non ſim ſimilis accuſatoribus, vel reprehenſoribus, cur vis metuere me? *nulla taberna.* ſupp. cùm. *taberna.* Soſiorũ; hoc ideo ſcripſit, quoniam bibliopolæ ſtationes, vel armaria circa pilas ſeu columnas habebant: ac per hoc oſtẽdit ſe non temerè cuiquã libellos ſuos edere, ſed tantùm certis & electis perſonis, ne incidant in manus imperitorũ hominum, qualis erat Hermogenes Tigellius. *in medio.* hypophora aduerſarij. quaſi dicat, multi nõ indigniores te, in medio foro ſua ſcripta recitant. *quiq́; lauanteis.* reſpõdet Horat. ſatis vrbanè: ſcilicet, hoc non eſſe mirum, cùm & multi in balneis hoc etiã faciant, cuius cauſam apponit ironicὸs, quòd in balneis poëtæ vox clarius reſonet, quæ res verſus gratioſiores facit. *inanes h. i.* declarat quales poëtæ ſint, qui in foro & balneis verſus ſuos recitent: hoc, inquit, delectat vanos & inſipienteis poëtas. *ſine ſenſu.* ſtultè. *tempore alie.* importunè. *lædere gaudes.* ſubiectio. hoc fortaſſe dicis, ô Horati, quoniam Satyram ſcribis, quæ valdè notat homines, & ideo clàm recitas. *vnde pet.* auditũ, acceptũ, à quo didiciſti me eſſe prauum. *hoc in me à.* hoc, quaſi telum, quo me vulneras, à quo accepiſti? quis tibi id ſuppeditauit? *auctor quis?* quis me detulit, aut quibus cõiecturis colligis crimine tali me eſſe dignum? *abſentem q. r. a.* nunc deſcribit qualis ſit qui ſtudio lædit aliquem. *rodit.* mordet, lacerat: ſunt enim aliqui, qui dum volunt ſe vrbanos haberi, quaſi per facetias lacerant alios, ſicut ſuperiùs, dũmodo riſum excutiat ſibi, nõ hic cuiquã parcit amico. *ſolutos qui captat.* qui meram putant vrbanitatẽ carpendis aliis mouere cachinnos. *famãq́; d.* faceti, iocoſi, dicaces hic ſunt, qui riſum mouent dicẽdo malè & iocis mordacibus. *fingere.* excogitare. *commiſſa t.* credita ſibi cõſilia. *hic niger.* maledicus, malignus, liuidus, obſcurus & latens. ſic nigrũ ait malum & venenatum Virg. Nigri cum lacte veneni. *hunc tu Rom.* hunc opus eſt metuere, non me. *ſæpe tribus l.* duodecim homines in triclinio, nam inde tricliniũ dictũ eſt, ſcilicet à tribus lectis. *quauis aſper.* quauis ratione, quocumque modo, vt poëta, Qua facere id poſſis, noſtram nunc accipe mentem. *aſpergere.* notare ſermonibus & dicteriis ſalſis. *præter eum.* præter conuiuatorẽ, qui præbet conuiuiũ, qui paſcit. *poſt hunc.* poſtea. *hunc.* conuiuatorem etiam carpit. *potus.* ebrius. *verax.* mirè verax, & ideo liber. *cõdita præc.* quæ ſunt recondita in præcordiis, & penitioribus mẽtis receſſibus prodit ac publicat. *his.* qui ſic detrahit. *comis.* venuſtus. *tibi infeſtus.* qui ſimulas te infeſtũ & inimicũ malis & vitioſis. *ego ſi r.* ſi delectat te in cõuiuio, qui maledicit omnibus, me, ſi aliquẽ ſuo merito reprehendero, non feres? *mentio ſi qua,* vt alibi, Spartacum ſi qua potuit vagantem fallere teſta. *de Capitolini furtis.* fingit ſe loqui cũ amico Petillij Capitolini, qui cum præeſſet Capitolio (vnde Capitolinus dictus eſt) accuſatus eſt quòd coronam Iouis Capitolini rapuiſſet; quare ipſe ſublatæ coronæ cauſam dixit, & abſolutus eſt a iudicibus in gratiã Auguſti cuius amicus erat. *furtis.* ſacrilegiis. *vt tuus eſt.* alloquitur Petillij amicum, in amici defenſione parùm candidum. *me Capitolin.* verba defenſoris Petillij, qui cùm defendere eum & excuſare deberet, magis lædit. *iudiciũ ill.* capitalem ſententiã: Hæc vbi dixiſti, grauiſſimo præiudicio condemnas amicũ tuum (vt ais) Petillium. *nigræ loliginis.* Loligo genus eſt piſcis marini, ſuccu habens nigrum, & atramento ſimilẽ. ex loliginis autem ſucco,

ſucco, liuorē mentis vult intelligi: & ex ærugine, malitiam: malos enim homines atros ac venenatos dicere ſolemus. *ſuccus lolig.* metaphoricôs, pro mentis liuore, & noxia malignitate. *ærugo meræ.* venenum purum, vera malitia. *quod vitium p.* abſuturum meis ſcriptis. ordo eſt, ſi quid de me promittere poſſum, hoc verè polliceor, non futurum in ſcriptis meis hoc vitium, id eſt, talem malignitatem loquendi, quæ amicis nocere poteſt. *hoc mihi iuris.* vt liberiùs loquar quæ ſentiam. *inſueuit p. o.* pater meus, inquit, eam diſciplinam mihi dedit, atque in eam conſuetudinem induxit, vt neque cogitarem quid malignè, neque dicerem: deinde mira vrbanitate vtitur, dum oſtendit quomodo cum pater ſuus monere ſit ſolitus, vt vitia fugeret in notandis quibuſdam Romanis. *cùm me hortar.* cùm me moneret rectam viam inſiſtere, virtutéſque amplecti. *nónne vides Albi.* ab exemplo Albii filij, mirè docet filium pater, vt viuat ſobriè. *vt malè.* quomodo. & eſt ζεῦγμα in verbo aiebat. *Barrus inops.* magnum documētum, id eſt, qui eſt magno documento per ſuam inopiam, ne tu conſumas hæreditatem paternam, ſicut ipſe fecit. *Sectani diſ.* cùm reuocare me vellet ab amore meretricio, proponebat exemplum Sectani mœchi. *Treboni.* hic in adulterio deprehenſus fuit. *ſapiens vit.* philoſophus tibi rationē reddet, quare quid peti debet, aut vitari. mihi, inquit pater, ſatis eſt, ſi te exemplis inſtruā, quid ſit turpe & decorū, ad eum modū quo ego ſum à maioribus meis educatus & edoctus. *cùm deterreret.* dehortaretur. *dum cuſtodis.* pædagogi: vt, Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto gaudet equis, &c. *durauerit.* firmauerit. *nabis ſine cortice.* allegoria à natatoribus: hoc eſt, viues pro tuo arbitrio, non egens admonitione aliena, quando ætas tua ſeſe corroborauerit. Diſcunt autē pueri natare ſuppoſitis ventri corticibus. *auctorem.* ducem, quem ſequi debes. *vnum ex iud.* proferebat in exemplum virum aliquem illuſtrē ex Senatorio vel equeſtri ordine, qui aliquando propter æquitatem & iuſtitiam fuerat ſelectus in iudicem. *auidos vici f.* ſenſus eſt, vt intemperantes ægri, ſi fortè audierint aliquem efferri, mortis admoniti, obſeruantius ſecum agunt; ita teneræ mentes à vitiis ſubmouentur, quando opprobria aliorum audiūt. *exanimat.* ſtupefacit, conturbat, tremefacit, atque abſtinere facit. *auidos.* edaces, & cibi impatientiores. *teneros.* infirmos, inconſtanteis. *ex hoc.* patre. his, inquit, præceptis patris mei effectum eſt, vt à pernicioſis vitiis temperarem. *& iſtinc.* ab his vitiis mediocribus. *largiter.* multum. *liber amicus.* qui me liberè poteſt increpare. *nec enim cum.* ſe tractare ſecū ait ſemper, cùm aut ſolus deābulat, aut in lecto decumbens vigilat, de officio boni viri, atque extrinſecùs ſingulos ſibi proponentem quærere, quid ipſe ſequi, imitaríque, & quid fugere debeat. *rectius.* exprimit verbis quæ ſecum cogitat, hoc magis expedit, hoc mihi eſt vtilius. *olim.* aliquando. *hæc ego m.* Sermones duo ſunt ἐνδιάθετος & προφορικός: ἐνδιάθετος, quo vtimur nobiſcum: προφορικὸς quo cum aliis: prior, incluſus; poſterior, prolatus. *vbi quid d.* hoc eſt, ex mediocribus vitiis vnum. Iterùm vrbaniſſimè ponit in vitio, ſcribere poëmata; ſed & cętera quæ ſubiecta ſunt, eadem energia condiuntur. *inludo char.* has cogitationes meas ſcribendo, chartas perdo. *hoc eſt.* ſcilicet chartas perdere illis inludendo. *auxilio q. ſ. m.* hæc dicendo, oſtendit ſe bene ſcribere, neque enim omnes poëtæ mali ſunt. *multo pl.* valdè multi. *ac veluti, te.* ordo eſt, ac, veluti Iudæi, cogemus te concedere in hanc turbam, id eſt, in noſtram ſententiam tranſire, ita vt conſentias nobis, non eſſe vitium ſcribere: cogemus te fieri poëtam, aut nobis fauere.

CRVQVIVS.

IMpatientiùs accipit Horatius, & nō nihil ſubiraſcitur Romanis, qui tantum gratiæ & auctoritatis in vnum Lucilium congerant, vt eius Satyræ vel Archilochicam mordicitatem multis quidem præconiis, ſe, contrà, ſuaque ſcripta cenſeāt, non ſolùm non mediocri commendatione, ſed ne lectione quidem digna: quæ tamen ait abeſſe tantum ab intemperantia maledicentiæ, vt præter vrbanitatem moleſtæ nihil amaritudinis intentent alicui. verùm enimuero huius offenſionis cauſam transfert in eius temporis vitia, & omnis generis improbiſſima ſcelera, quibus paſſim omnes ita turpiter laborare demonſtrat, vt eidem quaſi culpæ obnoxij, nihil æquè exhorreſcerent quàm poëtarum chartis illiniri, vulgóque fieri fabula: quo metu vt eos liberet, déque ſeſe bene ſperare iubeat, primum declarat non habendum ſe in poëtarum numero, vt qui verſus dictitet mero ſermoni ſimillimos, miniméque petulantis ſycophantiæ. deinde cùm dicat aſſeuerantius, non eo ſtultitiæ genere ſe tantum ineptire, vt ſua carmina patiatur aut in publico decantari, aut imperitæ multitudinis manibus contrectari, ſatis pollicetur iis qui ſibi malè metuunt, nihil iſtinc quicquam ſuis capitibus impendere periculi: verùm eos monet candidè, & hortatur exemplo amici Petilliani (qui huius Eclogæ ſcopus eſt) vt eis curæ ſit execrari, publicéque deteſtari id genus obtrectatores, tranquillitati Reipubl. peſtilentiſſimos, qui inſonteis iuxtà ac ſonteis ſub prætextu virtutis ſuæ linguæ virulentia penitus contaminant:

tamināt: A quo inhumanitatis vitio ita ſeſe à puero ſcribit alienum, vt ſine vlla vel iniuria, vel amici calumnia, nihil quàm faceto riſu poſſit ea notare vitia, quæ vel lippis (vt aiunt) & tonſoribus nota ſunt; vt mali quidem reſipiſcant, boni verò magno animo virtutem amplexentur. Atqui tanta induſtria decurrit ad exitum huius Satyræ, tantóque artificio per paternam hanc παιδαγωγίαν, quaſi aliud agens, eam deſcribit inſtituēdę ornandæque Reipubl. formam, qualem nemo bonus ſummis votis non exoptet ſe deorum immortaliũ beneficio aliquando cernere poſſe. *Eupolis atq; Crat.* Exorditur ab antiquæ Comœdiæ ſcriptoribus, vt ſibi quidem nonnihil apud Romanos beneuolentiæ, Lucilio verò plus compararet inuidiæ; vt qui ad illorum imitationem, nouo quodā modo ſuam Satyram, ſatis quidē acutè, ſed duriùs, & in ciueis mordaciùs ſcripſiſſet, &, quaſi ex profeſſo, nouam poëſin feciſſet: ſe verò nihil tale meditari, neq. ſuggillare, neq. virulentis blateramentis ait ſe quemquā velle perſtringere; ſed vrbana tantùm, & faceta morũ caſtigatione ciueis à vitiis deterrere. *Eupolis.* Quintilianus lib. 10. Inſtit. Orat. Antiqua, inquit, illa Comœdia, tùm ſinceram illam ſermonis Attici gratiam propè ſola retinet, tùm fecundiſſimæ libertatis: etſi eſt in inſectandis vitiis præcipua, plurimũ tamen virium etiam in cæteris partibus habet; nam & grandis, & elegans, & venuſta, & neſcio, an vlla, poſt Homerum tamen, quem, vt Achillem, ſemper excipi par eſt, aut ſimilior ſit oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. plureis eius auctores, Ariſtopha. tamen & Eupolis Cratinúſque præcipui, &c. Hactenus ille. Vixit autem Eupolis Cratino poſterior, eiúſque in ſtylo præcipuus imitator, Olympiade 88. vt ſcribit Euſebius in Chron. *Cratinus.* Perſius hũc audacē nominat, quòd maxima libertate carpſerit, & acerbitate mira proſciderit Athenienſium vitia. hic etiam φιλοπότης dictus eſt. ſed de eo plura Epiſt. 19. lib. 1. ad Mæcenatem. *Comœdia p. v.* tres erāt Comœdiarum differentię, ἀρχαία, μέση καὶ νέα: quarum vnaquæque peculiarem quandam vim obtinet. de his autem in epiſtola ad Piſones. *ſi quis erat d.* Origo & argumentum Comœdiæ fuit, malos corrigere, fures punire, mœchos continere, &c. ſine vllo capitali ſupplicio; quod oſtendit Comœdiæ definitio: κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή: quā παραφραστικῶς vertit Donatus, inquiens, Comœdia eſt fabula, diuerſa conſtituta continens, affectuum ciuilium ac priuatorum; qua diſcitur quid ſit in vita vtile, quid contrà euitandum. *dignus.* eiuſcemodi namque vitiorũ publica exprobratio quoddam erat quaſi malorum remedium: at tandem petulanti quadam licentia etiam in viros bonos & innocenteis indecenter ſæuitum eſt, quo tempore à Romanis leges latæ ſunt contra libellos famoſos. *deſcribi.* χαρακτηρισμὸς καὶ διαγραφισμὸς, deſcriptio nominque, teſte Cicerone in Topicis, eſt qualis ſit auarus, qualis aſſentator, ceteráque eiuſdem generis, in quibus natura & vita declarantur. *mœchus.* adulter. μοιχεία, adulterium. λέγεται μὲν καὶ πρὸς παρθένον & χήραν φθορὰ κυρίως ἡ τῆς ὑπάνδρου φθορά ἐστι, ἡ τῆς παρθένου καὶ χήρας ἐκθεσμος, hoc eſt, dicitur quidem & in virginem & viduam ſtuprum, ſed propriè eius eſt quæ maritum habet: ſtuprum verò, virginis & viduæ illegitimum. de ſupplicio mœchorum apud Athenienſeis, vide Satyra 2. huius lib. *famoſos.* nō multæ, ſed malæ famæ: infamis, cuius fama vulgò laborat. *multa cum.* ἐπαῤῥησιάσαντο τὴν ἀλήθειαν, veritatem liberè profitebantur. *hinc omnis p. L.* horũ priſcam Comœdiam, Latinam fecit Satyram, mutato quidem genere carminis, ſed ſeruato maledicendi vitio. *facetus.* cum aculeo & maledicto: etenim de eo iocandi genere agitur hic, quod profuſum eſt, & immodeſtum, non etiam ingenuum & lepidum. *emunctæ naris.* acri exactóque iudicio, quaſi purgatis naribus, muccóque emunctis. vt ait Eraſ. non eſt dubium quin ea paræmia ad imitationem Græcorum ſit vſurpata, qui ſtupidum & tardum τὴν ῥῖνα κορύζης μεστὸν, id eſt, nareis aiunt habere mucco plenas. *durus compo.* Helleniſmus. σκληρὸς συνθεῖναι συγγράφειν. ſicuti paullò poſt, *piger ferre laborem* hoc eſt, ad ferendum, vel in ferendo labore. Sed hæc duritas, in verborúmne conſecutione incompoſita, inordinatáque, & numeris parùm concinnis: an & in rerum ſententiarúmq. virulenta duráque & aſpera mordacitate? *nam fuit hoc v.* hyſteron proteron: ad hunc enim modum ſunt hæc ordinanda, nam fuit in hoc vitioſus, quòd duros verſus componeret, vel quòd durus eſſet in ſcribendis verſibus. *vt magnum* ceu rem magnā, ſiue magni momenti. *ſæpe ducentos.* multos. finitũ pro infinito. *ſtans pede* nullo, vel exiguo labore: huic contrarium eſt ὅλῳ ποδὶ, omni vel toto pede, prò ſummo anniſu & conamine. *cùm flueret.* cum carmina ſcriberet cōſpurcata cœno maleuolentiæ: vel poterit ad genus carminis inuenuſti id pertinere, quod effuſum potiùs, & vocibus quibuſuis ſine delectu perturbatũ, obſcurúmq. quàm debita forma elegantiq; elaboratum fuit. Sumta eſt trāſlatio à flumine rapido, quod omne genus ſordium ſecum rapit in præceps: *tollere.* dignum imitatione. Quintilianus autem videtur, tollere. interpretari, auferre & remouere vt ſuperuacaneũ, vt ait Turnebus, li. 15.

cap.9. contra Comment. cui ſcribit Lamb. à quo non diſſentio: verùm hac de re latius in Satyra vltima eo loco, *ſæpe ferentem plura quidem tollenda r. Ecce Criſpinus.* digreditur à Lucilio ad Criſpinum Stoicum (fortaſſe Lu. Pletium Criſpinum) multò in verſibus ſcribendis, ipſo Lucilio vaniorē magiſque garrulum: Quod quidem eo conſilio facere videtur, vt vitet inuidiam eorum qui gaudebant Luciliana lectione; ſimul etiam quò, mutato ſcriptore, non continuò odorentur nimium eius faſtum & ſententiarum affectationem notari *minimo me prouo.* ſupp. digito. Minimo autem prouocare, eſt contemtim (inquit Eraſmus) ad certamen prouocare: ſumtum à geſtu prouocantium ad pugnā, minimo porrecto digito: Atqui, ſi liceat tamen ab Eraſmo diſſentire, vulgò ei minimū digitū porrigimus, vel oſtendimus, cui vel minimum concedimus, vel eum noſtri æqualem eſſe iudicamus, idq́ue in malum potiùs quàm in bonū: vt putà, ſi Horatius exprobret Criſpino ſe nihil morari, ſiue magni eum pendere, quòd vel momēto temporis multa carmina ſcriptitet, quaſi inſulſiſſimus quiſque id etiam prętare poſſit, eiq; Criſpinus minimum porrigat, vulgò intelligimus Criſpinum quidem non prouocare Horatium, verùm ei, velut inſcitiæ ſocio, eandem notam inurere pro neglectu ſuorum carminum, quæ orationi ſimillima, effundere potiùs quàm elaborare videtur. Qua de cauſa citius ego crediderim hanc parœmiā, minimo prouocare, traductam à ſponſione Iuriſconſultorum, quæ fiebat (vt notat Budæus) interpoſita ſtipulatione certæ pecuniæ, quam perderet is qui ſponſione vinceretur: itaque Criſpinus cauſæ Lucilij vt patrocinetur eumque conuincat non minima laude dignum eſſe, breui tempore multos verſus ſcribere, prouocat Horatium minimo, ſupp. pretio, ſeu ſtipulatione aliquantulæ pecuniæ; Accipe, ſi vis, inquiens, ego accipiam tabulas, pretiúmque ſponſionis notabo, &c. Nam qui ſponſione prouocabat, ita dicebat, & in tabulis publicis pretium ſcribebat, nimirum, ſpondeo me tantam pecuniam daturum ni, &c. prouocatus autem contrà, reſtipulabatur. Laceſſit itaque Criſpinus, & acrius vrget Horatium ſponſione, ſed is non percellitur, neque reſtipulatur, verùm diis gratias agit, quòd ſit animo ſedatiore, & minus temerario, quàm qui velit cum garrulis, & miranda de ſe pollicentibus, seriò contendere. *accipiam tab.* ſic habent ſcripti omnes præter Tonſ. & Buſli. qui vulgatis conſentiunt. *Dij bene fecerunt.* ſermo eſt gratias agentis, & euentum rei approbantis, Græcis quàm Latinis vſitatior, καλῶς ποιῶν, καλῶς φερόμενος. ſic Gregor. εἰς Βασίλειον, ὅπερ οὖν καλῶς ποιῶν καὶ σιωπῶ ἐρῶμεν. Luc. 6. cap. καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι, meritò vos laudauerint. Demoſt. 4. Philipp. ἡ τύχη καλῶς ποιοῦσα πολλὰ πεποίηκε τὰ κοινὰ, id eſt, meritò fortuna auxit Reipubl. redditus annuos. Ariſtoph. in Pluto. καλῶς τοίνυν ποιῶν ἀπόλλυται, meritò itaque perit. Ita hoc loco, Dij bene fecerunt, id eſt; ô factum bene, me natura eſſe puſilli animi & rarò loquentis. oratio eſt modeſtè de ſe ſentientis, ἐξ ἀθλίου τοῦ Criſpini audaculi & garruli. *raro & perpauca loquentis.* ſic habent omnes & ſcripti & vulgati codices, quos vidi; & eandem lectionem non infitiatur Lambinus ſe offendiſſe in omnibus codicibus, præter vnum Faernum; qui loquentes, habebat, ſed 6. alia manu, inquit, & in litura: At omnino tamen ſentit mendum eſſe, ſcribendúmque, *perpauca loquentem.* cui mehercu'è non grauatim ſubſcripſerim, ſed vetat ὁμολογία veterum ſcriptorū; nec video quoque, cur non dicamus (tametſi fortaſſe duriùs) vel eſſe ſynecdochen partis pro toto, vel enallagen partis, putà, rarò & perpauca loquentis, id eſt, raræ & perpaucæ loquelæ, σπανιολογοῦντος, pro σπανιολογίας quæ cōmutatio Græcis familiaris eſt, atq; adeò exiſtimo, Horatium pro ſuo more, hic expreſſiſſe dictum alicuius poëtæ ex veteribus. *at tu concluſas.* cōceſſio per apoſtrophen, qua Criſpino liberum permittit, vt ſuo more verſus leueis, ventóq. ſimileis cōponat, ſed putidos & mordaceis, quorū ſentētia putido prauóq. pectore depromta, nō magis grata ſit auribus, niſi ſui ſimilibus, quàm ſit flatus follibus hircinis emiſſus cū ingenti fœtore: videtur enim alludere ad hircinā malcolentiā. *beatus Fannius.* exclamatio, qua gratulatus Fannio publicam felicitatem ob capſas delatas & imaginem inſignum honoris ei vltrò exhibiti; conqueritur ſua ſcripta haberi neglectui, & à nemine legi, cùm tamen neq; Lucilij mordacitatem referant, neque Fannij ineptias; quem cur beatum nominet vltrò delatis capſis & imagine, non ſatis aſſequor, ídne pompæ eius funerali debeat acceptum ferri, putà, cadaueri cum capſis ſeu ſcriniis & imagine ad rogum vltrò, hoc eſt, ſine extremo iuſſu ſeu teſtamento, elato, an quòd à ſenatu beatus effectus ſit, qui ad eum capſas & imaginem deferri curauit vltrò, hoc eſt, nullo quidem ſuo merito, vt qui ſuos verſus non recitaſſet aut euulgaſſet; ſed vt eius familiam nobilem illuſtraret, poëtæq́ue inſigniis decoraret: Sed de hoc alibi plura. *capſis.* talia erant narthecia capſulis eburneis incluſa, quorum meminit Martial. lib. 14. in Apophor. artis ebur medicæ narthecia cernis habere munera quæ cuperet Pactius eſſe ſua. *vulgo recitare tim.* de hac ſtructura, mea timentis, conſulendi ſunt Grammatici: In primis Valla

elegant.

elegant. lib. 2. cap. 1. *ob hanc rem.* rationem reddit, ob quam vulgò ſua ſcripta non amentur: nemo enim ferre poteſt æquo animo id grauiter damnari, cuius ipſe ſtudio multùm allicitur, etiamſi non ſit neſcius, id ab omni vitio non eſſe alienum: At nullum tamen ad corrigenda flagitia præſentius eſt remedium, quàm vrbana reprehenſio, teſte Pythagora: *τὰ ἁμαρτήματα πορρῶ μὴ λόγοις ἐπικαλύπτειν, ἀλλὰ θεραπεύειν ἐλέγχοις*, id eſt, vitia veris non obtegere multis verbis, ſed emendare reprehenſionibus. *media erue t.* tres Bland. cod. Eripe, quartus cum Torſ. Buſſ Nau. & Diuæ. Martiniique codice habet, elige. *miſera ambit.* ab effectu, quia ambitioſi ſunt miſeri, *ἡ φιλοτιμίη, κτῆμα σκαιόν*, inquit Herodotus. *hic nuptarum in. a.* periphraſis adulteri, qui nihil quàm matronas ſectatur, vt abundè ſatis oſtenſum eſt Satyra 2. *aut ob auar. ἡ μήτηρ ἐστὶ κακότητος ἁπάσης*, inquit Phocylides. *hic mutat m.* negotiatur, emit, vendit, mercium commutationem exercet, à qua credit Plin. dicta commercia. *ſurgente à ſo.* non me latet à doctis hunc locum ſic exponi, vt pertineat ad negotiationem, quæ fit peregrè, de qua quoque loquitur Epiſt. 1. lib. 1. Impiger extremos currit mercator ad Indos, &c. vt hæc ſit ſententia. Hic exponit ſeſe periculis, & profectionum variis laboribus, vt ex omni latere mundi contractis coaceruatiſque mercibus lucrum faciat, ad rem ſuam augendam, aut certè, non diminuendam: verùm non abſurdum videri poterit, ſi priorem quidem horum verſuum interpunctionem negotiationi domeſticæ donemus, poſteriorem verò concedamus mercibus exoticis aduehendis, hac ratione; hic mutat merceis, parat, emit, diſtrahit à ſurgente ſole, id eſt, ab ortu ſolis, à ſummo mane, ad eum vſque ſolem, quo regio veſpertina tepet, hoc eſt, ad ſolis vſque occaſum, ita vt ſolidum eum diem, ei rei quaſi ſit aſſiduus: ad hunc enim modum Epiſt. 6. lib. 1. ad Numicium, hortatur patronum quendam, vt cauſis agendis in foro det operam, Nauus mane forum, & veſpertinus pete tectum: quò etiam Perſius reſpexiſſe videtur Satyra 5. Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti rugoſum piper & pallentis grana cumini: deinde cùm animaduertit, ne hunc quidem quæſtum vel ampliſſimum eiuſcemodi lucripetæ (vt ſic loquar) explere mentem, eius auiditatem amplius exaggerat, inquiens, Quin per mala præceps fertur, &c. hoc eſt, obiicit ſe mille calamitatibus & incommodis, agitatus vndis marinis, perinde ac puluis rapitur vento, nulla ſalutis & vitæ cura, nullo mortis metu; adeò vt lucri amore vel animam vendat, apud Perſium Satyr. 6. hortante auaritia, mercetur atque ſollers excutiat omne latus mundi ne ſit præſtantior alter. *omnes hi met.* clauſula rationis. Iccirco omnes oderunt poëtas, & verſus mordaciores, quia malè ſibi conſcij, notari & ludicro eſſe formidant. *fœnum habet in c.* ſuppl. aiunt enim inter ſe vitioſi, aut quid ſimile, fœnum habet hic poëta in cornu, &c. & eſt *αἴνιγμα*, communis inter eos conſilij de vitandis id genus poëtis, quibus ferunt eſſe volupe omneis ex æquo ſua maledicētia vellicare: fœnum autem in cornu habere dicuntur feroces ac maledici, qui vel dicto vel facto quoſuis impetere gaudent: quam inſolentiā tam brutis quàm hominibus ait Plutarchus in problemate 71. efficere repletionem ac ſatietatem. vnde eſt & illud Sophoclis in prætumidum quendam: Tu verò ferues quaſi pullus cibi copia. huic aſtipulatur Solon apud Laërtiū, *τὸν μὲν κόρον ὑπὸ τοῦ πλούτου γεννᾶσθαι, τὴν δὲ ὕβριν ὑπὸ τοῦ κόρου*, hoc eſt, ſatietatem naſci ex opulentia, ex ſatietate verò ferociam, ſiue contumeliam, vt ea non immeritò ſaturitatis filia dicatur. *nō huic cuiquam.* opportunè dictum ab aduerſario, nimirum vt amici carpendi nomine, poëta grauetur inuidia. *chartis illeu.* ſumta metaphora à pictoribus. *omnes geſtiet.* cupiet omnibus hoc innoteſcere, in ora vulgi abire: huic affine eſt, lippis & tonſoribus notum fieri: id enim omne genus hominū, lippi, tonſores, anus, pueri, loquaciſſimum eſt & garrulitate nobile. *À furno redeunteis.* fortaſſe ad eam piſtrillā alludit, cuius meminit Terent. in Adelphis act. 4. Sce. 2. quæ erat apud lacum; priuſquā ad portam venias: inquit, apud ipſum lacum eſt piſtrilla: ea autem eſt piſtorum taberna. lacum autem hîc accipio Seruiliū, quem Hadrianus Iunius noſter ex ſentētia Motilloni ſcribit fuiſſe forum hoc nomine, quem Sext. Pompeius ab auctore nominatum refert, in principio vici Iugarij apud Baſilicam Iuliam, vbi hydræ effigies extiterit à M. Agrippa poſitæ. Vide animaduerſ. Iunij lib. 2. ca. 7. Ab hac interpretatione nō diſſentit Plauti locus Gurgulione: In foro infimo boni homines atq; dites ambulant, in medio propter canalem ibi oſtētatores meri, cōfidentes, garruliue, & maleuoli ſupra lacū, &c. *primū ego m.* hæc confutatio duabus partibus nititur, altera quidē extenuatione ſui, & veri poëtę definitione: nō enim ſcribere ſe verſus inficiatur, ſed nō eo ingenio & gratia, non eo ſententiarū pondere & maieſtate, vt promereatur dece tnomen poëtæ: qua gratia quoq; à nōnullis de Comœdia dubitatū aſſerit, an poëma cēſeri poſſit, quòd & humilior inuentio & diſpoſitio rotūdior ſit, minúſq. tornata, quā vt viuidā poëtæ faciē oſtendēt; quod quidē ait occaſione præſentis thematis: nā in

manuſcripti præter Tonſa. qui τὸ pinguis, habet; ſed s littera non ad latus, ſed ſupra notata eſt. Turnebus τὸ pinguis, ponendum iudicat cum Lambino: Equidem non video cur vſitatam lectionem magnopere declinemus, quando neque Grammatici canones ea interdicant, neque cuiuis ſit in promptu tardum à pingui clarè ſecernere: adeò vt videri poſſit Horatius ſuſpendere lectorem, eique incertum relinquere, vtrum debeat in vitio ponere: nam & tardi ſtupore non carent, & pinguis venter non generat ſenſum tenuem, vt habet Græcus ſenarius, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. hebeteſcit enim mentis acies nimio luxu corporis; namque affligit humo diuinæ particulam auræ ipſomet Horatio auctore. atqui tamen in obeſulis non rarò viuidius valet ingenium, quàm in tardis, qui non niſi improbo labore, vix tandem naturam edomare poſſunt: ob hanc cauſam non libenter alicui ſuaſerim, vt veteri lectione neglecta, ſectaretur aliam, nam & durior eſt, & minus ſapit Horatium: at ea tamen lege à me hoc dictum velim, vt nemo arbitretur me ſibi quicquam præſcribere, vt qui ipſe nihil hic ſtatuam: ſatis enim mihi fuerit lectorem monuiſſe ingenij Horatiani, vt is penſiculatiùs diſcutiat hoc problema, vter in vitio ſit alteri præferendus, tardúſne, an pinguis? Non me fugit D. Nannium noſtrum in pingui plus inuenire vitij, quàm in tardo & cunctabundo; verùm quando & tardus ſit hebes, ea tam breuis dictio mihi fidem non facit. *hic fugit o.* hic, id eſt, alius. Adducor in eam ſententiam, idque ex multis locis, vt credam ipſum Horatium de ſe, ſuaque vita inter magnates viróſque principes agere, vbi regnãt inſidiæ, vigent crimina, palleſcit inuidia ſuprà quàm cuiquam eſt credibile. adeò vt non fruſtrà, nec temerè vita huiuſcemodi ſit ſplendida miſeria: deinde cùm ſcribat bene ſanum, ac non incautum, cenſeri fictum & aſtutum, hoc ei appoſitiſſimè tribui poteſt: quid enim fuit ipſo, in media vitiorum turba (Epicuriſmum excipio) rectius & purius? vt ex inſtitutione paterna modeſtè de ſe gloriatur Saty. 4. & 6. huius lib. Quid eo quoque inuenire poſſis callidius vel Perſio teſte? Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico tangit, & admiſſus circum præcordia ludit callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo. Poſtremò, ne longius digrediamur, hoc nobis ſit pro confeſſo, vt effugiat apud ſuos calliditatis ſuſpicionem, cùm teſtari Mæcenatem de ſua ſimplicitate: quàm, quæſo, hoc eſt Horatianũ, eiúſque moribus planè natiuum? qui vt eam verſutiei opinionem à ſe remoueat, qua credebatur laborare maximè, omnibus modis lectorem ſtudet præoccupare. *nullią; malo.* ſumta metaphora ab exercitu, vbi & dextrum latus, & ſiniſtrum, equitatu contectum eſt, ne pateat irruptioni hoſtiũ: ita vir ſanus & cautus, ne vel dicto vel facto, ſit obnoxius maleuolis, vitat eorum conſuetudinem, ἄφθονος, ἀπερίεργος, ἀμεμψίμοιρος, qui nihil omnino inuidiæ, aut curioſitatis alit, aut querimoniæ. *verſetur.* Blandin. codex antiq. habet, *verſemur.* & *vbi*, exponit, in quo tempore: ſicut & Commentator; quam ſcripturam ſi probamus, hæc parentheſis includet quãdam deplorationem ſui temporis. *non incauto.* pro cauto & prudente. *ſimplicior quis & eſt.* ſic habent omnes ſcripti manu. ſimplex, apertus & alienus ab omni fuco dolóque. Simplicitas rectitudini cõiuncta, vera virtus eſt, τὸ εὐήθικον Stoicis. Plato 2. de republ. ἄνδρα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον, οὐ δοκεῖν, ἀλλ' εἶναι ἀγαθὸν ἐθέλοντα. *aut tacitum impellat.* ſic habent omnes quos legi manuſcripti, quare non fui auſus mutare lectionem, præſertim, quòd in Diu. codice hæc adnotata ſit interpretatio, impellat ad iram. omnes Bland. habent, impellat, id eſt, alloquatur. vnus ex iis præterea ſic hunc locum declarat: Si quis liberè, & ſine obſeruatione temporis appellauerit amicum ſuum; ſi quis ita eſt ſimplex, vt legentem aut cogitantem moleſtus interpellet, ſtatim eum carere communi ſenſu dicimus; quemadmodum ferè in Commentatore videre eſt: quare Lambino ſubſcribendum cenſeo. *tacitum.* cogitabundum: quod eius eſt qui ſeuerioribus aut rebus aut ſtudiis implicatur. *quouis ſerm.* valde grauis interpellator: nam importunitas & inhumanitas omni ætati moleſta eſt. Cic. de ſenect. Et, niſi qui nobis vſu eſt, moleſtus eſt, ait Plaut. in Truculent. *eheu quàm t.* exclamatio pathetica in malitiam naturæ peruerſæ & inſipientis, quæ dum nocet aliis & iniuriam facit, non cognoſcit eidem ſe malo obnoxiam, & perire ſe prius oportere, quàm alium perdere, quod malitiæ eſt proprium, vt eleganter deſcribit Hierax apud Stobæum, in opere de iuſtitia, ἡ κακία, τὸν ἀδικοῦντα μᾶλλον, ἔλαττον μὲν βλάπτουσα, τοῦτον δὲ ἀδικεῖν διαφθείρουσα, hoc eſt, malitia ei quidem minus nocet, qui iniuria afficietur, ſed plurimùm, iniuriam inferre cogitanti. Quod inſigni docet exemplo murænæ, inquiens, οὔτε τῇ μυραίνῃ τοὺς ἐνύδρους ὄφεις εἰς ἄλλων ὄλεθρον δυνατὸν ἀπογεννᾶν, πρὶν τὴν ἀνοίξασαν γαστέρα καταφαγεῖν, ὡς Νίκανδρός ὁ Κολοφώνιος, καὶ Ἀρχέλαος ὁ φυσικὸς γράφουσι, hoc eſt, neque muræna priùs aquaticos angueis in alienam perniciem parere poteſt, quàm prægnantem ſuum vterum perroſerint, vt Nicander Colophonius, & Archelaus phyſicus deſcribũt. Ad eum certè modum, iniquiores nobis, quàm iis ſumus, quos lædimus ignominia, quando ita natura comparatum eſt, vt nemo ſit omnino

omnino purus à vitiis: iuxta illud Simonidis quod hic expreſſit Horatius, πάμπαν δ' ἄμωμος οὐκ, nemo ſine crimine viuit, ſeu criminatione; nemo enim, quantumuis bene viuat, videtur ita natus eſſe, vt omnium ſannas effugere poſſit, nam vnicuique dedit vitium natura creato, inquit Propertius. *amicus dulcis.* hoc argumentum quaſi ex diametro pugnat cum philautis, qui ſibi quidem indulgent, ſed amicos minus honeſtè, vel illudũt vel examinant; at verus amicus non exiſtimat ſuis vitiis magis, quàm amici condonandum, ſed æquali trutina, vel notanda, vel ignoſcenda, vel vitia cum virtutibus ex æquo penſanda: atque ea ratione, τὸ κακὸν τῷ ἀγαθῷ ἰᾶ, malum bono medicatur. *inclinet.* ἐγκλίνηται, acquieſcat, fauéatque, neglectis poſtpoſitiſque vitiis. *trutina p.* æquali libra. accipitur enim trutina pro libra, vt apud Perſiũ, Examénve improbum in illa caſtiges trutina. per allegoriam; alioqui trutina eſt ipſum examẽ ſiue lingula in medio ſcapo, vnde binæ lances ſuſpenſæ. Pompeio τρυτάνη dicuntur, ad pendenda ex æquo pondera. *æquum eſt p.* quemadmodum Perſ. Sat. 4. cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis. ad Piſon. Horat. Hanc veniam petimuſque damuſque viciſſim. Epiſt. vlt. lib. 2. Cædimur, & plagis totidem conſumimus hoſtem. *denique quatinus.* Colligit Horatius, quaſi ex conceſſis, contra Stoicos, vitia ineſſe homini, nec penitus extingui poſſe, vt confutet eorum opinionem, qua docere conabantur, in ſapientem non cadere vitioſos affectus, ſed ſtultos eo malo laborare: ideirco clarè dicit, ſtultis hærentia: ne quis Stoicorũ ſcilicet grauius indignetur, ſi hoc taceat, ita ineptire Horatiũ, qui neſciat Stoicũ non affici: at obtinet Horatius antiquum, hac enim via eos atteriores habet, vt admiſſus acrius pungat, & vellicet eorum dogma de æqualitate peccatorum, cui aduerſari dicit ſenſus, mores, & vtilitatem. *cur non ponder.* vult nihil temerè decerni de vitiis, ſed ea moderamine rationis æſtimari, caſtigarſque; qua monitione partim reducit in memoriam, in eo peccare philautos, quos in amicorum vitiis corrigendis oſtendit plus æquo duriores: partim prælúdit, in eo genere non eſſe multò æquiores Stoicos. *coërcet.* cohibeat & regat, ab arceo, quod Feſtus à Græcorum magiſtratu venire ſcribit, quem ἄρχειν vocant, in cuius poteſtate eſt cogere & prohibere. *ligurrierit.* ſic habetur in omnibus ſcriptis. Ligurrire eſt, quaſi furtim ἀκροφαγοῦς guſtando conſumere; à Græco λιχνὸν, id eſt, ſuaue, vt notat Donatus in Eunucho. verùm quando τὸ λιχνὸν, per ρ vnicum, ligurrio verò per rr duplex, in optimis exemplaribus ſcriptũ inueniatur vbique, & apud Varronẽ, & Terentium, quod & Lambinus ipſe fatetur, an hic ſyncopa, an ibi epentheſis conſtituenda ſit, ἡμίεχω: *semeſos piſces.* minimum peccauerit. ea namque epitheta, ſemeſus, tepidum, eleuant factum & extenuant. *ſanos.* cordatos, & ſanæ mentis homines. *quanto furioſ.* Codex Blandin. vetuſtiſſ. oſtendit tribus ſubſcriptis punctis τὸ hoc, vulgatum, abundare; cui non grauatim ſubſcripſi, etiam neglecto Pſeudacrone, idque propter apertam ſententiam: vult enim multò eſſe furioſius odiſſe amicum & fugere ſi paullùm deliquit, quàm ſeruum propter ligurritionem tollere in crucem: namque in ſeruos licebat dominis vel impunè ſæuire, ſed non ſine nota tamen inſaniæ: at amico cui debemus omnem beneuolentiam, humanitatem & ſtudium, quis non acerbus, inſuauis & improbus, non condonet, & concedat erratum minimum; nam grauiora ſi feras, facis tua, inquit Mimus. *paullum deli.* ἐκ παραλλήλου proponit paullùm delinquere amicum, ad demoliẽdum dogma illud Stoicum, *quis paria eſſe fere pl. p. quod n: ſi con. hs. in. ac.* hoc parentheſi includendum eſt. *habebere in.* hoc ei opponitur quod paullò ſuprà dixit *amicus dulcis. vt Ruſonem.* ſic ſcripta ferè omnia: quare D litteram arbitror acceſſiſſe ex affinitate litteræ t præcedentis, librariúmque ex ore legentis ſcripſiſſe Druſonem. quod autem Ruſonem quis aptius legere debeat, certè præter conſenſum codicum, mihi argumento ſunt tabulæ Romanæ Martini Smetij nondum euulgatæ, ſed ſcripto dicatæ D. Marco Laurino, in quibus offendiſſe me recordor M. Occium Ruſonem. Quod autem Pſeudacronem ſecuti alij, non indocti viri, neſcio quid ſomnij recitẽt; Ruſonem, putà, hunc inconditum fuiſſe, atq. inſulſum hiſtoriographũ, nõ potui præterire, quin ἐν παρόδῳ monerem lectorẽ, id mihi videri eſſe, ſincerum vas incruſtare, ne lõgius hinc abeam, & eius artificij cruſtam eſſe nomẽ hiſtoria: Quaſi verò auaro fœneratori lucrioni turpiſſimo, per lucrum, liceret eſſe viro bono & hiſtoriographo: & non veriùs hiſtoria hic ſit dicenda Ruſonis verba contumelioſiſſima in exigẽda ſorte cum fœnore duriſſimo: quod quidem niſi Calendis reddatur, quid reſtat debitori aliud, quàm vt, quaſi ad necem porrecto iugulo (vt ſolent captiui ad edictum magiſtratus lictori iugulum præbere) audiat Ruſonis hiſtoriam, hoc eſt, nomina, nexum, minas acerbiores, verbera, puteal, & innumera cum intoleranda crudelitate alia conuicia duri profectò hiſtoriographi, & crudeliſſimi in miſeros debitores. *triſtes mis. K.* triſtes ab effectu, quòd debitorem triſtem efficiant. ſic mors pallida. Kalendis autem ſoluebantur vſuræ. hinc apud Romanos vulgò iactatum eſt prouerbium, Ad Kalẽdas Græcas. Auguſtus apud Suetonium cùm aliquos

aliquos vult ſignificare numquàm ſoluturos, ait ad Kalendas Græcas ſoluturos. Græci autem ad ſuas *νουμηνίας*, hoc eſt, ad ſua nouilunia fœnus reddebant: apud eos enim ad lunas nouas & dabantur pecuniæ & creſcebant vſuræ. *porrecto iug.* porrigere, extendere iugulum, vel eſt attenti, vel pœnas luentis. *captiuus vt.* anaſtrophe, pro, vt captiuus. *comminxit lect. p.* expolit ennumerationem delictorum eius quod dixit, *paullùm deliquit.* idq́. exaggerat grauioribus peccatis *κατ' αὔξησιν*. *menſáve catill.* vas in menſa eſcaria (quam cibillam, prius quadratam, poſtea rotundam à cibo dictam Varro lib. 4. de ling. Lat. memoriæ prodidit) vbi pultem, aut iurulenti quid ponebant, à capiendo catinum nominauerunt; niſi quòd Siculi, inquit, dicunt catinum vbi aſſa ponebant. *catinum Euandri.* catinũ vel fabrefactum ab artifice Euádro, vt vult Commentator, vel antiquum, ab Euandro Pallantis Arcadiæ regis nepote, vel pretioſum & carum, à perſona; ſusq́ue déque, vt fertur. *pullum.* vel iurulentum pro Catino Varronis: vel aſſum, pro Siculis. *minus hoc.* ideo, vel, ob hoc. *quid faci.* *ἄν-ξνεις.* *ſponſúmve neg.* fiebat autem ſponſio interpoſita ſtipulatione certæ pecuniæ, quam perderet is qui ſponſione vinceretur. erat autem decima pars rei controuerſæ in cauſis priuatis, in publicis autem, quinta; apud Græcos auctore Polluce, erat enim ſponſio genus actionis apud antiquos. itaque negare ſponſum, arbitror eſſe negare ſponſionem, ſeu id quod quis ſpoponderat; non enim priuati quid hic notari videtur, quale poteſt eſſe promiſſum, ſed iuridicum, quale eſt furtum, fidei commiſſum. *quis paria eſſe ferè p.* ad hoc paradoxum Stoicum confutandum hactenus ab initio prælusum eſt ab Horatio, nunc id omnibus (vt aiunt) neruis oppugnat. *fere placuit.* ferè, aduerbium ab omnibus hic neglectum, non minimam vim obtinet, includit enim in ſe vniuerſalitatem, ita vt vel omiſſo vel appoſito vniuerſali ſigno idē ſubinde ſignificet. vt hæc ſit ſentētia: queis placuit paria eſſe ferè peccata, hoc eſt, omnia. ſic dicimus, Romani ferè orbem ſubegerunt, id eſt, ferè totum. vtor ferè hac veſte, id eſt, ſemper, vt notat Valla lib. 1. elegantiarum cap. 50. qui ob hanc cauſam ait hunc in Lælio locum eſſe deprauatum, Qui tum ferè multis erat in ore, & legendum, Qui tum ferè erat in ore. Quod autem locus iſte Horatij ita ſit exponendus, res ipſa loquitur: nemini namque dubium eſt, peccata quædam eſſe paria, ſed vt omnia ſint æqualia, vnis Stoicis placuit. In hac etiam ſignificatione accipi debet *τὸ* propè in Satyr. 3. lib. 2. eo loco, Inſanis & tu, ſtultíque propè omnes, vt ibi dicemus. D. Arnoldus VVoulardus, acutè admodum & ſignificanter ait *τὸ* ferè, pertinere ad verbum laborant, ſeruata nimirũ infinita hac, peccata ſunt paria, pro vniuerſali, omnia peccata ſunt paria. *laborant.* putà, Stoici: nam verſus hic dogmaticus, queis paria, &c. periphraſticôs eos denotat. in omnibus autē ſcriptis cod. hæc eſt interpunctio, laborant, cùm ventum, &c. quare præter alia putarim ſententiã eſſe, Stoici laborant, id eſt, hærent, dubitant, *ἀμφισβητοῦσι* (niſi quis malit eos hic ex Stoicis factos *ἐπισκεπτικὼς ἐπέχειν*) cùm ventum eſt ad verum, id eſt, veri inquiſitionem, quia ſenſus moréſque repugnant, aduerſantur & reclamãt, hoc eſt, iudicium omniũ & fori conſuetudo æquo bono coniuncta. ſenſus D. Gregorio propriè *κοινὸς λογισμὸς* nominatur. *atque ipſa vtil.* vtilitas hic ea cenſenda eſt, quæ nõ abeſt ab honeſto ex Stoicorũ opinione, non etiam ea quæ turpi coniuncta lucrum quærit ex re qualibet. Quonam autem pacto ſit mater iuſti & æqui, non facilè quis dixerit, niſi ad ea ſeſe conferat, quæ ſunt iuris humani, ſiue gentium, vt loquuntur legales; ea namque conſideratione poſſit vtilitas haberi mater iuſti, & iniuſti; nam vſu exigente, inquit Iuſtinianus, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ iura quædam ſibi conſtituerunt: Nam cùm obſcurata iam eſſet in hominibus imago Dei per peccatum, cœperũt omnes ritu ferino ſectari quæcumque obnoxia morti caro dictaret, tantiſper dum miſertus humani generis Deus, ſopitos in mẽtibus hominum virtutis igniculos in quibuſdam viris doctis excitaret, qui per ſiluas diſperſos nemoráque & ſaltus homines cõſilio prudentiáque ad communionem inuitarent, inuitatos, inque cœtum coactos docerẽt, edoctos præceptis ſalubribus confirmarent, & iam confirmatos in officio continerent; quod autem cùm facere eis non liceret, propter malorum iniuriam, & inimicas incurſiones (vt eſt humanus animus ſemper inclinatior in id quod deterius eſt) vallo ſe & foſſa munire cœperũt, vt & hoſtem propellerent, & vim ſibi illatam vlciſcerentur; id autem vt eſſet perpetuum quoad vires & facultates paterentur, omnium conſenſu leges latæ ſunt, ad collaudandos quidem & præmiis honorandos bonos forteiſque, ad malos verò & ignauos pœnis digniſque ſuppliciis afficiendos. hoc tandem pacto cœpta eſt vtilitas vitæ communis, neceſſitáſque haberi mater iuſti & iniuſti. Sed ea tamen vtilitas, cùm multo ſit natura poſterior, à qua iuſtitiam dimanare contendunt Stoici, nec non etiam certo id ſtatuunt melioris notæ Philoſophi Plato & Xenophon 4. de dictis & factis Socratis, ad conuincendum hoc vulgatiſſimum dogma Stoicorum de vitiorum paritate, neceſſe fuit Horatio ab ipſis deficere, ad eos qui ab vtili iuſtum deriuare

malue-

maluerunt: ſcribit enim, *vtilitas iuſti propè mater*, id eſt, ſola mater, *& æqui.* quod & poſtea dilucidius exprimit, inquiens, *nec natura poteſt*, &c. Quod quidem eum ad exagitandos Stoicos arbitror non tam ex animo facere, quàm vt eos ridendos propinet (quod non obſcurè indicat τὸ propè, vnde nonnihil dubitationis ſubeſſe licet colligere) ob nimiam, credo, eorum in Epicureos ſeueritatem, quos diſciplina, vitæ modo, & inutili ad rempublicã conuerſatione laſciuire potiùs, quàm viros bonos agere clamitabant, quemadmodum ad finem huius ſatyræ ait, *vellunt tibi barbam laſciui pueri*, &c. Epicureos intelligens. Qua etiam gratia ſcribit Athen. lib. 12. καλῶς ἄρα ποιοῦντες ῥωμαῖοι, οἱ πάντα ἄριστοι, Αλκιον & φιλίσκον τοὺς ἐπικουρείους ἐξέβαλον τῆς πόλεως λουκίου τοῦ ποστομίου ὑπατεύοντος, δι᾽ ἃς εἰσηγοῦντο ἡδονάς. hoc eſt, pulchrè itaq. fecere Romani primates, qui Alciũ & Philiſcum Epicureos ciuitate eiecerunt, quia voluptatem inſerebant, Lucio Poſtumio Conſule. At ſi quis tamen ad viuum cum Stoicis illud dogma de peccatis paribus reſecet, non prorſus abſurdè (vt exiſtimo) eos ſentire comperiet: Nam (vt Cic. argumenta in hoc paradoxo prætercam) hic Sorites ab eis ad hanc rem confirmandam, coaceruari videtur: Quicquid iuſtum eſt, à natura promanat, id autem ſemper eodem modo ſe habet; quicquid autem tale eſt, ſibi par eſſe neceſſe eſt; efficitur itaque iuſtum iuſto par, & à contrario, iniuſtum iniuſto: vnde ex ἀκολούθου colligitur, vitiũ vitio æquale eſſe & peccatum peccato. verùm huius σωρείτης propoſitionem diluit Horatius infitiatione, aſſerens ex quorundã (vt iam dictum eſt) philoſophorum ſententia, iuſtitiam non à natura, ſed ab vtilitate ſumere principium, atque ab ea, rebus ipſis plus minúſve communicata, iuſti, iniuſtíque naſci incrementum decrementúmque. cuius quidem opinionis, vt fidem faciat, iam inde à primis hominibus auſpicatur argumentum, quorum naturam ſcrutatus extrinſecus, hoc eſt philoſophicôs, ab actu ad potentiam, ait in eis ne vel minimã iuſti & æqui ſcintillam emicuiſſe, ſed eos penitus obbrutuiſſe, victus ratione, vitę turpitudine, belligeratione, antris, infantia & inconditis vocibus, donec tandẽ numine diuûm, vtilitate euidẽti propoſita, impetum brutalem ipſi frenarent. ſocietatis humanæ coniunctionem quærerent, cõmoda agnoſcerent, incommoda deuitarent, honeſtíque & incolumitatis gratia, iura legeſque inter ſe conderent & conſtituerent ad æqualem inter ſe tranquillitatem retinendam. *cùm prorepſerunt.* ſic alibi Virg. Terrea progenies duris caput extulit aruis. In vulgatis autem codicib. habetur Ferrea progenies, &c. ſed hoc nihil pertinet ad rerum primordia. *mutum.* fandi neſcium & rude: eſt enim oratio vox ſignificatiua ſecundum placitum, Ariſtot. definitore: & interp. Hermogen ἑρμηνεία ἐν δυσὶ τούτοις θεωρεῖται, ἐν ἐκλογῇ ὀνομάτων, καὶ συνθέσει: hoc eſt, enunciatio in his duobus cõſideratur, nempe in electione ſeu notatione nominum & compoſitione: itaque loqui eſt artis, non etiam naturæ. *turpe.* aptum epitheton verbo prorepſerunt. *glandem atque* quatuor naturæ cõſeruandæ præcipuè ſeruiunt, victus, tectum, veſtes, arma. glans primis hominibus pro victu fuit; cubilia ſiue antra, pro tecto: vngues & pugni, pro armis ad propulſandam iniuriam, vt ait Lucret. Arma antiqua manus, dentes, vnguéſque fuerunt; veſtium autem hic nulla mentio, cùm brutorum inſtar, ſine honeſti cognitione, nuditas eis non eſſet dedecori. *notarent.* ſunt enim verba rerum notæ, περὶ ἑρμηνείας Ariſt. *abſiſtere bel.* abſtinere. ἀφίστασθαι πολέμου, τοῦτ᾽ ἔστι τῆς μάχης καὶ ὁρμητικῆς δυνάμεως. quod etiam Latinis non rarum eſt, vt bellum pro pugna ponatur. *oppida.* Varro 4. de ling. Lat. maximum ædificium eſt oppidum, ab ope dictum, quod munitur opis cauſa, vbi ſint, & quod opus eſt ad vitam gerendam, vbi habitent tutò. Eſt autem vero conſonum, primos illos homines à belluino victu, cantibus, hoc eſt, eloquentia virorum doctorum abductos ad humanitatem, primum ſingulas familias muniuiſſe ſepibus, maceriis, muris, ad nocturnum propugnaculum potiſſimum, quod oppidum, ab ope ferenda, nominabant; deinde, quò à vi maiori tutiores viuerent, plureis familias vnis mœnibus ſe concluſiſſe, legéſque ſibi condidiſſe, ad malos coërcendos, & ſtabiliendam tranquillitatem: quod ſepimentum maximum & multis cõmune etiam oppidum dictum poſtea nomen vrbis accepit ab orbe figura, vel ab vruo aratri parte, quo muri deſignabantur. *ponere leges.* ſancire, legibus ſtabilire, nefarios continere; ad imitationem Græcorum, νόμον τίθεσθαι, νομοθετεῖν τὸ ἀπηγόρευον hoc eſt, lege refrenare liberam voluntatem. *ne quis fur.* duo priora, putà furtum & latrocinium bene conſtitutam rempublicam vehementer perturbant: poſtremum autem eam turpiter labefactatam, bonis omnibus deſpicabilem facit. *nam fuit.* de bellis ob feminas geſtis, quæque bellorum cauſæ fuere, lege Athen. lib. 13. & Herodot. lib. 1. *viribus edit.* ſuperior & robuſtior. *cædebat.* occidebat, pulſabat impetu taurino & fero. *faſtóſque d.* à fide hiſtorię, quæ debet omnibus eſſe argumento certiſſimo. Tempora itaque ſunt ætates mundi, & quid quibuſque ætatibus, aurea, argentea, ænea, ferrea extiterit, ac geſtum ſit: faſti verò mundi, ſunt annales mundi, in quibus ab origine & memoria ho-

minum optima quæque, & ſcitu memoratúque digniſſima continentur: quod ab Horatio dictum videtur ad imitationem & morem Romani populi, ex cuius dignitate fuit, res illuſtreis ſemper annalibus, quotidianas verò diurnis actis, & ephemeridibus inſcribere. D. VVoulardus annotauit, hæc, tempora faſtoſque, per epexegeſin non malè intelligi poſſe; quid enim, inquit, aliud ſunt faſti, quàm mundi tempora. *nec natura p.* ratio à diſſimili. deſideratur autem τὸ ita, per ellipſin, hoc modo, natura nõ poteſt ita ſecernere iuſtũ ab iniquo, vt diuidit, hoc eſt, diiudicat, bona à diuerſis, id eſt, oppoſitis malis, fugienda à petendis, incommoda à commodis. Ad huius loci declarationem pertinent ea Ciceronis de Offic. lib. 1. Principiò generi animantium omni à natura attributum eſt, vt ſe, vitam, corpúſque tueatur, declinétque ea quæ ei nocitura videntur, omniáque quæ ſunt ad viuendũ neceſſaria, inquirat, & paret, vt paſtũm, vt latibula, vt alia eiuſmodi generis, &c. *nec vincet.* ratiocinatio, ſeu argumentum vllum fidem non faciet, putà, ſacrilegium æquale eſſe peccato cuiuis minimo. *tantundem v. p.* & facti qualitatem & quantitatem paucis complectitur. *qui teneros c.* Exemplum hoc rei minimi pretij poſitum eſt pro quouis alio generis eiuſdem; quod poëtis eſt admodum familiare, nempe certum pro incerto, finitum pro infinito collocare. Non potuiſſet autem apertiùs demonſtrare Stoicos in errore verſari, quàm ſi pro confeſſo ponat eos contendere neque à ſacrilegio diſtare furtum caulium, neque grauiori ſupplicio vindicandum: illius enim cauſæ cognitio, vel infimo cuique ex plebe iudicatu eſt facilima: nam ſi res rei, caules ſacris, factum facto conferatur, quiuis è vulgo vel ſenſu carere, vel diſcrimen inter ea ponere poſſe exiſtimabitur. Non temerè quidem animaduertit, ſed doctè admodum Simeo Boſius (vt refert Lambinus) Horatium alludere ad leges Draconis, etiamſi fortaſſe in legibus ferendis, is aliò quàm ad Stoicorũ placita ſuæ mentis aciem direxerit: refert enim Plutarchus in vita Solonis, vnam ferè omnibus delictis mortem ab illo definitam fuiſſe, adeò etiam vt qui otij damnati eſſent, capite multarentur, ἐ τοὺς λάχανα κλέψαντας, ἢ ὀπώραν, ὁμοίως, ἔφη, κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις, καὶ ἀνδροφόνοις, hoc eſt, etiam iis qui olera aut maturos fructus ſurripuiſſent, ſimile ſupplicium ſtatutum erat, cum ſacrilegis & homicidis. *adſit regula.* ſuadet quaſi ex confeſſo, vt æqualibus delictis æquales irrogentur pœnæ, ne grauius eum caſtigemus, qui minùs peccauit. ſic & Apoc. 18. Quãtum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. *nam vt ferula.* anthypophora, ſiue ſubiectio, vt vult Quintil. ὑπὰ perfectiua particula, ſiue abſolutiua, vt ſcribit Linacer, pro, ne non; vt ſit ſententia, ne non cædas ferula eum qui meretur acerbius corrigi, non vereor, hoc eſt, mihi certum eſt te leniter caſtigaturum eum qui vel maximo ſupplicio dignus eſt; itaque apud vos nulla ſupplicij deprecatione eſt opus, vt apud quos crimina ſint paria, & æqualia ſupplicia. *ferula cædas.* ferula planta eſt, νάρθηξ Græcè. de qua vide Theophr. Dioſcor. Plin. ſumpta eſt metaphora à gladiatoribus, quos olim, ſi non placuiſſent, ferula cæſos ludorum præfecti ſolebant eijcere ludo: aut à militibus, qui ferula caſtigabantur ſi quid facerent contra artem militarem. *& magnis p. m.* falce ſimili magnis. Helleniſmus notabilis, vis enim epitheti, ſi constructionem ſpectes, tranſit in datiuum; ſi verò ſignificationem, non perinde: ſenſus autem eſt, cùm mineris te reciſurum ſimili falce magna & parua. ſimilis huic eſt illa locutio Plutarchi paullò ſuprà, ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις, &c. aut licet ſubintelligere τὸ cùm, hoc modo, & cùm mineris te reciſurum parua cum magnis eadem falce. *ſi tibi regnum per. h.* ſcita περιτροπή ad illudendum decretum aliud Stoicum, putà ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος, quòd ſolus ſapiens diues ſit. hæc autem ex antecedentibus deducta ὑπόθεσις, non caret affectatæ à Stoicis tyrannidis inſimulatione, propter inconſultam eorum in puniendo ſeueritatem. eſt enim regum νομίμως τοὺς ἐξαμαρτάνοντας κολάζειν, vt habet Iſocrates in Euagora, hoc eſt, legitimè erranteis punire. *ſi diues q. ſ. e.* ridiculè Stoicum facit ſui decreti memorem. Hæc autem ad finem vſque ſatyræ eſt faceta quædam καταστροφή, ad recreandum lectoris animũ, tædiũque eximendum, quod moleſtæ illæ, de virtutibus & vitiis, & difficiliores contentiones attulerunt. *non noſti q. p.* arguit Stoicus Horatium ignorationis, ſimul & digreditur à propoſito ad interpretationem dogmatis alterius ex auctoritate Chryſippi philoſophi acutiſſimi, de quo Cic. de natur. Deor. Chryſippus qui Stoicorum ſomniorum vaferrimus fuit interpres. ſed de hoc poſtea. *ſapiens crep. ſ. n.* expoſitio dogmatis ab actu & potentia, nimirum ſapientem quidem noſſe artem ſuendæ crepidæ, quo nomine meritò ſutor appellari debet, etiamſi non exerceat artem, cùm ſit hoc vilius, & nimis mercenarium, quàm pro philoſopho & ſapiente. *quô.* vnus codex Bland. habet qui, ſed reliqui omnes, quô, id eſt, ad quid hoc reſpõdes? habet cod. Diuæ. Redit Horatius eò vnde exorſus eſt, nimirum ad Hermogenem Tigelliũ, vt eius vanitatis, inconſtantiæ, & philantiæ ſocios faciat Stoicos. *quamuis tacet.* σιωπηρὸς ὤν, id eſt,

ſuo

ſuo munere non fungens. *cantor tam.* ἐν δυνάμει ἐςὶ, poteſt canere & modulari. *Alſinius vaſer.* hoc epitheton non tã vitium quàm ſpectat ingenium Alſinij, & in emergendo ſagacitatẽ. Hic autẽ Alſinius Varus (vt 4. codices Bland. in annotationibus habent apertiſſimè) conſul fuit anno ab vrbe condita ſeptingenteſimo. quinquageſimo quarto cũ P. Vinitio, vt habet Glarea in ſua Chronol. vel (vt Carolus Sigonius legit) Vinutio: qui etiam pro Alfeno legit, Alſinius Varus: quam lectionem nobis quoque ad oculum demonſtrauit Hubertus Goltzius, antiquitatis indagator nobiliſſimus, in numiſmatis Alſinij Conſ. quo etiam nomine Horatium hîc corrigendum curauimus, próque τῷ Alfenus, ſubſtituendum τὸ Alſinius. Ceterum his valere iuſsis, quæ ſunt Chronologorum, inſtitutum Commentationis proſequamur. Certè hic locus nobis argumento eſſe debet Horatium hæc ſcripſiſſe paullò vel ante, vel poſt conſulatum Alſinij: vnde non penitus incerta coniectura animaduertet ſtudioſus, Horatium vixiſſe annum ſupra ſexageſ. quartum: quo ferè tempore ſcripſit ea quæ ſenium ſapiunt, quæque annorum nomine ſibi vel grauia fatetur, vel minus decora: qualis eſt 1. Ode lib. 4. & aliquot aliæ in eodem libro: deinde prima epiſt. ad Mæcenat. ita vt citra omnem dubietatem credere non ſit abſurdum eum ſine certa epigraphe, pro temporis & perſonæ opportunitate, nunc hæc, nũc illa poëmatia ad amicos miſiſſe: eáque poſtea fortè inuenta (nam multa interiiſſe rationi non eſt abſonum) viros doctos in ordinem, & quaſdam quaſi claſſeis ſuis adnotatis inſcriptionibus, pro arbitratu redegiſſe: quibus autem non omninò amara Satyræ petulantia inerat, ea, ſeruatis propriorum nominum epigraphis, epiſtolas nominarunt; alia inuenimus in omnibus ſcriptis antiquis Eclogas inſcriptas: Quare otioſa mihi videtur (Odas excipio) de inſcriptione contentio, quando ea opera (ſeruato argumento) cuique ſit arbitraria. ſed ἐξ ὑποθέσεως hæc dicta velim. *clauſáque taberna.* vſtrina, habet codex antiquiſſ. Bland. & in ipſo carmine ſubſequenti craſsis characteribus, *tonſor erat.* quam ego lectionem non prius vulgatæ præferendam putaui, quàm lectorem doctum eius monuiſſem: mihi certè placet mirabiliter: nam crineis vſtulare & ornare tonſoris eſt, κομμωτὴς hinc dictus, vel καλλωπιστὴς Polluci; ab hoc eſt κομμωτικὴ τέχνη, qua color conciliatur aſcititius & fucatus: artificij hoc genus aliquantò nobilius, & ad inſinuandum ſe in potentum beneuolentiam accõmodatius, quàm ſutrina. quare coniectarer vocẽ, *ſutor*, irrepſiſſe ex ſuperioribus, puta, *& ſutor bonus, &c.* in hunc locum, vbi prius erat, *tonſor.* Quin & Alexander ab Alex. lib. 6. Genial. dier. Alfenus (vbi legendum eſt Alſinius) inquit, ab adoleſcentia tonſtrinam exercuit, mox ſub Sulpicio iuris ſcientiſſimus euaſit; ita vt Conſul effici, & decedens publico funere efferri meruerit. *taberna.* quòd ex tabulis olim fiebat, inquit Feſtus, & tabernaculum ὑποχωρητικόν. *ſapiens operis.* in hunc modum compones hæc verba: ſic ſapiens eſt optimus opifex omnis operis, vt Alſinius eſt tonſor, vel ſutor, abiecto inſtrumento clauſáque taberna, vt putà, τῇ δυνάμει, καὶ τῇ ἕξει. ſic ſolus opifex, ſic rex, &c. per quandam enumerationem à ſimili. Ad hunc autem locum nihil pertinet illud ἀσύνθετον Epiſt. 1. lib. 1. Ad ſummam ſapiens vno minor eſt Ioue, diues, liber, honoratus, pulcher, rex denique regum; cùm nihil habeat Stoicum, vt eo loco dicemus, ſi Chriſtus nos ſeruet incolumeis. *vellunt tibi barbam.* ex energia huius illuſionis, facilè videt lector, legendum eſſe, *tonſor erat:* non etiam, *ſutor erat.* nam vt tonſoris eſt comere, & vſtulare barbam, ſic in contemtum tonſoris Stoici, ait, vellunt tibi barbam, tanquam ſtulto & inepto ad eam criſpandam & diſcriminandam. *laſciui pueri.* Epicurei, vt ſuprà diximus, quos pro pueris habebant Stoici. *niſi fuſte coërces.* tanquàm ſceptro regio: coërcere namque (vt ſuprà ex Feſto notauimus) eſt virorum principum: qualis hîc ſibi eſſe Stoicus videtur magnorum regum maximus ſcilicet, cui pro ſceptro porrigit baculum, vt Cynicorum more & latret, & in corona circumſtanteis ſe abigat. *ne longum ſ.* hoc epilogo concedit Stoico, & habet riſui ſtultum illud de regno ſomnium, à balneis publicis, ad quæ nullo comitatu accedere, erat præter regiam maieſtatem: ſibi verò & amicis applaudit, à beneuolentia mutua, ab æſtimatione vitiorum virtutúmque pro æquitate, à vita priuata quam multis modis ait regia eſſe beatiorem. *quadrante.* foris quadrante lauari populicum erat, non regium: domi namque regibus ſua balnea magno apparatu inſtructa erant, & ſeruorum miniſteriis valde commoda. Porrò à quadrante, eſt quadrantaria balneatrix, qualem arbitror Cęcilio eſſe Clytæmneſtram apud Quintilia. lib. 8. vbi deſcribit ænigma eſſe allegoriam obſcuriorem. & Senecæ ad Lucilium epiſt. 87. balneum ipſum, res quadrantaria dicitur. Erat autem quadrans nummus exigui pretij, nimirum tertia pars aſſis, qui balneatori dabatur ab iis qui lauandi cauſa balneum ingrediebantur: dabatur & portitori ab iis qui ex vrbe in Auentinum traiiciebãt: ab eo dictus quadrans ratitus, quòd in altera parte ratem habet inculſam; non etiam à vecturæ

pretio, vt ſcribit Varro ex Lucilio. *præter Criſpinum.* balneatorem putarim potius notari, quàm Stoicum illum philoſophum cuius ſuprà meminit. Perſius: I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.

ECLOGA IIII.

CRISPINVS.

EVPOLIS, atq; Cratinus, Ariſtophanesq;, poëtæ,
Atque alij, quorum comœdia priſca virorum eſt:
Si quis erat dignus deſcribi, quòd malus, aut fur;
Quòd mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus: multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus:
Mutatis tantùm pedibus, numeriſq; facetus:
Emunctæ naris, durus componere verſus.
Nam fuit hoc vitioſus: in hora ſæpe ducentos,
Vt magnum, verſus dictabat ſtans pede in vno:
Cùm flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
Garrulus, atque piger ſcribendi ferre laborem:
Scribendi rectè: nam vt multum, nil moror. ecce
Criſpinus minimo me prouocat: accipe, ſi vis,
Accipiam tabulas. detur nobis locus, hora,
Cuſtodes: videamus vter plus ſcribere poſſit.
Di bene fecerunt, inopis me, quodq; puſilli
Finxerunt animi, rarò & perpauca loquentis.
At tu concluſas hircinis follibus auras
Vſque laboranteis, dum ferrum molliat ignis,
Vt mauis, imitare. beatus Fannius, vltro
Delatis capſis & imagine: cùm mea nemo
Scripta legat, vulgò recitare timẽtis, ob hanc rẽ,
Quòd ſunt, quos genus hoc minimè iuuat, vtpote plureis
Culpari dignos. quemuis media erue turba:
Aut ob auaritiã, aut miſera ambitione laborat.
Hic nuptarum inſanit amoribus: hic puerorum:
Hunc capit argenti ſplendor: ſtupet Albius ære:
Hic mutat merceis ſurgente à ſole, ad eum quo
Veſpertina tepet regio: quin per mala præceps
Fertur, vti puluis collectus turbine, nequid
Summa deperdat metuens, aut ampliet vt rem.
Omnes hi metuunt verſus: odere poëtas.
Fœnũ habet in cornu, longè fuge: dũmodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico.
Et, quodcumque ſemel chartis illeuerit, omneis
Geſtiet à furno redeunteis ſcire, lacúque,
Et pueros, & anus. agedum pauca accipe cõtrà.
Primũ ego me illorũ, dederim quibus eſſe poëtas,
Excerpã numero. neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis: neque ſiquis ſcribat, vti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens diuinior, atque os
Magna ſonaturum: des nominis huius honorem.
Idcirco quidam, comœdia, nec ne poëma
Eſſet, quæſiuere, quòd acer ſpiritus, ac vis,
Nec verbis, nec rebus ineſt: niſi quòd pede certo
Differt ſermoni ſermo merus. at pater ardens
Sæuit, quòd meretrice nepos inſanus amica
Filius, vxorem grandi cum dote recuſet:
Ebrius &, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus. numquid Pomponius iſtis
Audiret leuiora, pater ſi viueret? ergo
Non ſatis eſt puris verſum perſcribere verbis,
Quem ſi diſſoluas, quiuis ſtomachetur eodem
Quo perſonatus pacto pater. his, ego quæ nunc,
Olim quæ ſcripſit Lucilius, eripias ſi
Tempora certa, modosq;, & quod prius ordine verbum eſt,
Poſterius facias, præponens vltimæ primis:
Non, vt ſi ſoluas, poſtquàm diſcordia tetra
Belli ferratos poſteis, portáſque refregit:
Inuenias etiam diſiecti membra poëtæ.
Hactenus hæc: aliàs iuſtum ſit, nécne, poëma.
Nunc illud tantùm quæram: meritóne tibi ſit
Suſpectum genus hoc ſcribendi. Sulcius acer
Ambulat, & Caprius, rauci malè, cumq; libellis,
Magnus vterq; timor latronibus: at, bene ſi quis,
Et puris viuat manibus, contemnat vtrumque:
Vt ſis tu ſimilis Celi, Byrrique latronum:
Non ego ſim Capri, neque Sulci: cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos:
Queis manus inſudet vulgi, Hermogeniſque Tigelli?
Non recito cuiquam, niſi amicis, ídque coactus.
Non vbiuis, corámve quibuſlibet. in medio qui
Scripta foro recitent, ſunt multi: quiq; lauantes.
Suaue locus voci reſonat concluſus. inaneis
Hoc iuuat, haud illud quærenteis, num ſine ſenſu,

Tempore

Tempore num faciant alieno. Lædere gaudes,
Inquis: & hoc, ſtudio prauus facis. vnde petitum
Hoc in me iacis? eſt auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? abſentem qui rodit amicum:
Qui non defendit alio culpante: ſolutos
Qui captat riſus hominum, famámque dicacis:
Fingere qui non viſa poteſt: commiſſa tacere
Qui nequit: hic niger eſt: hūc tu Romane caueto.
Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos:
E quibus vnus auet quauis aſpergere cunctos,
Præter eum, qui præbet aquam: pòſt, hunc quoque potus,
Condita cùm verax aperit præcordia Liber.
Hic tibi comis, & vrbanus, liberq́; videtur
Infeſto nigris. ego, ſi riſi, quòd ineptus
Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum:
Liuidus, & mordax videor tibi? mentio ſi qua
De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit: defendas, vt tuus eſt mos:
Me Capitolinus conuictore vſus, amicóque à puero eſt: cauſaq́; mea permulta rogatus
Fecit: & incolumis lætor quòd viuit in vrbe.
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit. hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt
Aerugo mera: quod vitium procul afore chartis,
Atque animo prius, vt, ſi quid promittere de me
Poſſum aliud: verè promitto. liberius ſi
Dixero quid, ſi fortè iocoſius: hoc mihi iuris
Cū venia dabis. inſueuit pater optimus hoc me,
Vt fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.
Cùm me hortaretur, parcè, frugaliter, atque
Viuerem vti contentus eo, quod mi ipſe paraſſet:
Nónne vides, Albi vt malè viuat filius? vtq́;
Barrus inops? magnū documentū, ne patriā rem
Perdere quis velit: à turpi meretricis amore
Cùm deterreret: Sectani diſsimilis ſis.
Ne ſequerer mœchas, conceſſa cùm Venere vti
Poſſem: deprenſi non bella eſt fama Treboni,
Aiebat. ſapiens vitatu, quidq́; petitu
Sit melius, cauſas reddet tibi: mi ſatis eſt, ſi
Traditum ab antiquis morem ſeruare, tuamq́; ſe
Dum cuſtodis eges, vitam, famamq́; tueri
Incolumem poſſum. ſimul ac durauerit ætas
Mēbra, animúmq́; tuū: nabis ſine cortice. ſic me
Formabat puerum dictis: &, ſiue iubebat,
Vt facerem quid: habes auctorem, quo facias hoc:
Vnum ex iudicibus ſelectis obiiciebat:
Siue vetabat: an hoc inhoneſtū & inutile factu,
Nécne ſit, addubites: flagret rumore malo cùm
Hic, atque ille? auidos vicinum funus vt ægros
Exanimat; mortiſq́; metu ſibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe
Abſterrent vitiis. ex hoc ego ſanus ab illis,
Perniciē quæcūq́; ferunt, mediocribus, &, queis
Ignoſcas, vitiis teneor: fortaſsis & iſtinc
Largiter abſtulerit longa ætas, liber amicus,
Conſiliū propriū. neq́; enim, cùm lectulus, aut me
Porticus excepit, deſum mihi. rectius hoc eſt:
Hoc faciens, viuam melius: ſic dulcis amicis
Occurrā. hoc quidā non bellè: num quid ego illi
Imprudens olim faciam ſimile? hæc ego mecum
Compreſsis agito labris. vbi quid datur oti,
Illudo chartis. hoc eſt mediocribus illis
Ex vitiis vnum: cui ſi concedere nolis,
Multa poëtarum veniat manus, auxilio quæ
Sit mihi: nam multo plures ſumus: ac veluti, te,
Iudæi, cogemus in hanc concedere turbam.

COMMENTATOR.

EVPOLIS *atque Cratinus.* Inuehitur in Romanos, quòd ſuas reprehenſiones nimis indignè ferrent, cùm tamen Lucilij & aliorum liberiora ſcripta, quibus neque ſcribendo, neque auctoritate dignitatéque multò eſſet inferior. tanta laude efferrent. Hi primi Archææ Comœdiæ ſcripſerunt, in quibus ſuorum ciuium vitia ſtyli amaritudine valde proſciderunt. *atque alij.* alij virorum, per partitionem vel alij viri, per ubinte'lectionem, qui antiquam Comœdiam ſcripſerunt. *ſi quis erat.* mirè per hoc oſtenditur origo Satyræ, & qualis eſſe debeat. *deſcribi.* notari. *quòd* eò quòd. *ſicarius.* ſica gladius eſt permodicus, quem ſolebant malefici in baculis geſtare, vt ex inſidiis aliquem interficerent, inde dicti ſunt ſicarij *aut alioqui.* alio modo, aut ob aliam rem. *multa cum li.* etiam nominatim. *hinc o. p.* ab illis ſuprà dictis poëtis. *hoſce ſecu.* Græcos poëtas ipſe Romanus. *mutatis t. p. n.* alio metro vſi ſunt antiqui illi poëtæ, qui Comœdias ſcripſerūt, alio verò Lucilius, ſcilicet Heroico, qui Satyras compoſuit. *facetus.* vrbanus, peritus, mouendo riſum, vitioſos notando. *emunctæ naris.* deterſæ, mundæ, elegantis; hoc

 eſt

eſt, allegoricôs, callidus deriſor. ſic à cõtrario; ſtupidum, mucoſum nominamus, quia nõ citò vitia odoratur. *durus com. v.* aſper fuit in componẽdis verſibus. *hoc vitioſus.* in hoc non carebat vitio. *in hora.* breuiſſimo tempore. *vt magnum.* tanquam rem magnam, & laude dignã ſe facere putabat, ſi multos verſus quaſi momento temporis dictaret, cùm contrà, ſit laudabilius multo tempore paucos & bonos ſcribere. *lutulentus.* non liquida & pura copia, ſordidus: cui contrarium eſt luculentus, à luce ſplendidus. allegoria autẽ ſumta eſt à flumine turbido. *erat quod toll.* ſupp. tamẽ. hoc eſt, quamuis multa inordinatè, & ſordidè ſcriberet, tamen erãt in illius verſibus nonnulla, quæ tollere, id eſt, imitari & pro tuis haberi velles. *garrulus.* ineptus, in multis ſuperfluus. *piger ſcribendi.* id eſt, ad ſcribendum: figura Græca: non laborabat, inquit, vt rectè ſcriberet, ſed vt multa: quod non nego, neque diffiteor facilem fuiſſe, ſed non probo. *non moror.* non recuſo. Virg. non dona moror, id eſt, non recuſo. *ecce Criſp.* ſcilicet digito. ſenſus ex prouerbiali ſchemate ductus eſt: ſolemus enim dicere, minimo me digito prouocat, cùm volumus aliquem tãtum valere minimo digito, quantum alius toto corpore. Appoſitè introducitur Criſpinus, nam is, vt Lucilius, libenter multos verſus, ſed malos dictabat. eius & ſuprà meminit ratione verſuum, dicens: Ne me Criſpini ſcrinia Lippi compilaſſe putes, &c. *accipe iam.* μιμητικῷ autem charactere prouocantem ſe ad ſcribendum Criſpinum oſtendit. *cuſtodes.* vt propria dicamus. *inopis.* quia careo inuentione, & iccirco non noui multa ſcribere. *animi.* ingenij. *perpauca loquentis.* taciturni, non garruli. *at tu concl.* ordo eſt, at tu, ó Criſpine, vt mauis, imitare auras concluſas follibus, &c. hortatur Criſpinum, vt ſuo more inflata & turgida ſcribat: ſumta eſt allegoria à fabris. Hircinis autem follibus comparat pectus Criſpini: & auras follibus concluſas, turgidis ſuis & inſulſis cogitationibus. ſic & Perſ. Tu neque anhelanti coquitur dum maſſa camino. *hircinis foll.* ex hircino corio factis, qui multum aëris emittunt, donec ignis molliat ferrum. ſic vult Criſpinum non ceſſare, ſed multa verba fundere, donec auditorem contundat, & nimia tãdem ſatietate conficiat. *vſque labor.* tam diu operantes. *ferrum.* ſenſum. *molliat.* proferat, explicet, maturet. *ignis.* cura & diligẽtia. *beatus Fannius.* Fannius quadratus poëta loquaciſſimus & ineptiſſimus fuit, cui Senatus audiendi faſtidio, vltrò capſas & imaginem obtulit, vt libros ſuos mitteret, & in auctoritatem reciperetur, tãquàm optimus poëta: vel, vt alij referunt, Fannius poëta malus, cùm liberos non haberet, hæredipetæ ſine eius cura & ſtudio, libros eius & imaginem in publicas bibliothecas referebant, nullo tamẽ merito ſcriptoris. *delatis.* ad bibliothecam. *imagine.* qui erat in auctoritatem receptus, eius imago ponebatur inter poëtas. *volgò.* paſſim aut palam. *recitare timentis* quia is qui mores carpit, in publico non audet recitare ſua carmina. *quos genus hoc.* hoc genus Satyræ: nam qui ſuorum ſcelerum ſibi ſunt conſcij, non delectantur hoc poëmate quo vitia notantur. *media elige tur.* de medio populo in medium producito. *minimè iuuat.* non recreat. *ambitione.* ſuperbia, honoris cupidine. *nuptarum in. a.* adulter. *hic puerorum.* corruptor. *argenti ſpl.* vaſa argentea delectant. *ſtupet Al. ær.* Corinthio; hoc eſt, Albius tenetur cupiditate vaſculorum ex ære Corinthio. *hic mutat.* alius lucri cauſa & mercium nauigat ab oriente ad occidentem. Maro, Cedet & ipſe mari vector, nec nautica pinus mutabit merceis. *quo.* ſole. *veſper. t. r.* ad occidentem. *tepet.* comparatione orientis, vbi ſol feruet acriùs. *quin.* ſupp. etiam. *turbine.* ventis. *nequid.* ne aliquid perdas de ſumma. propterea ſe periculis committit, vt aut nihil decedat ſummæ ſuæ, hoc eſt, bonis ſuis, aut certè vt augeatur. *omnes hi m.* qui huiuſmodi vitiis ſunt dediti. *poëtas.* Satyricos. *fœnum habet.* ſumta tranſlatio à boue cornupeta, cuius cornibus in modum anſulæ fœnum alligari ſolet, in ſignum, vt qui ei fieret obuiam, eius vitaret occurſum. ſic fingit Horatius ſibi conſulere mutuò, qui malè ſibi conſcij ſunt, vt procul ab eo fugiant qui vitia reprehẽdit. *chartis.* ſcripſerit. *furno.* piſtrino redeunteis ſeruos. *lacuq́.* à lympha haurienda. *primum ego.* ordo eſt, primùm ego excipiam me numero eorum quibus dederim eſſe poëtas, id eſt, conceſſerim vt ſint poëtæ, quippe qui ſermoni quotidiano propiora ſcribo. *diuinior.* diuina. *atque os mag.* os eloquẽs. *magna.* ſpes magnas & ſublimeis. *nominis.* poëtici. *ſcribat vti nos.* extenuat ſe. *iccirco quidam.* quia verba Comœdiæ propè ſunt oratio ſoluta. *quæſiuere.* dubitauerunt an Comœdia eſſet poëma. *acer ſpi.* vehementia & maieſtas. *rebus.* ſententiis. *differt.* diſtat. *ſermoni.* à ſermone Comico. *ſermo merus.* proſa dictio. hoc eſt, in Comœdia neque verba ſunt magnifica, neque ſententia grauis. Itaque hoc ſolo differt ab oratione, quòd eius ſermo metro contineatur. *at pater.* ſubiectio. quoniam dixit in Comœdia non eſſe verba ſeria & ſenſum vehementem, & iccirco non videri poëma; fingit aduerſarium oſtendere ei non ineſſe ſpiritum acrem, ſiquidem patrem introducit, vtpote Menedemum apud Terentium, vehementer & acriter ſæuire in filium ſuũ luxu perditum. *nepos.* tacita & egregia ſignificatio filij luxurioſi.

nunquid

namquid Pomp. confutat obiectionem ab exemplo, ſcilicet Comœdiam videri acrem habere ſpiritũ; hoc modo: ſi pater Pomponij viueret, numquid leuiora verba audiret Pomponius à patre, quàm audit filius luxurioſus à patre Comico? Quàm eſt hæc Horatiana, & tacita obiurgatio Pomponij luxurioſè viuentis? *ergo non ſatis.* non ſufficiunt verba pura, id eſt, non figuratè dicta, neque ſonora, vt aliquem poëtam nomines, metro concludere, ſed oportet ea eſſe formata & grauia. *perſonatus.* venuſtè & iucundè dicit patrem perſonatum pro patre Comico, hoc eſt, qui patris perſonã accipit in Comœdia. *his ego qua.* per σύλληψιν ſubauditur ſcribo. ordo autem eſt, ſi eripias his quæ nunc ſcribo, & quæ Lucilius olim ſcripſit, &c. ſenſus eſt, ſi diſſoluas verſus vel meos vel Lucilij, non inuenies in verbis eandem grauitatem, quæ eſt in Ennianis verſibus, qui magno ſcilicet ſpiritu, & verbis altioribus ſunt compoſiti: quales ſunt iſti, poſtquam diſcordia tetra belli ferratos poſteis portáſque refregit. *tempora.* quantitatem ſyllabarum. *modoſq.* pedes & ſonum. *diſiecti.* veſtigia diſſoluti & lacerati poëtæ, id eſt, verſus Enniani. *hactenus hæc.* huc vſque dixerim, an Satyra & Comœdia poëmata ſint, an nõ: *aliàs.* tractabimus alio tempore, alio loco. Terent. Quin aliàs malim quàm hodie has fieri nuptias. *nunc illud.* nunc illud à te quæram ô Romane, vtrum iure oderis genus hoc Comœdiæ vel Satyræ, an meritò metuas? *Sulcius acer.* Sulcius & Caprius nomina ſunt delatorum: alij volunt eos actores fuiſſe cauſarum, vnde etiam rauci dicũtur aſſiduitate agendi: alij amaros fuiſſe Satyricos aiunt, qui ad rauim vſque ſuas Satyras recitabant, carpendo latrones, id eſt, vitioſos & malè viuenteis. *malè.* valdè. *cúmq; libellis.* in quibus vitia deſcribũt. *vterq;.* Sulciũ & Caprium. *Cæli Byrrhiq; l.* Cælius & Byrrhius fuerunt adoleſcentes perditi. ſubiectio à diſſimili. Si tu ſis ſimilis improbè & turpiter viuentibus, & ego non ſim ſimilis accuſatoribus, vel reprehenſoribus, cur vis metuere me? *nulla taber.* ſupp. cùm, *taberna.* Soſiorũ; hoc ideo ſcripſit, quoniam bibliopolæ ſtationes, vel armaria circa pilas ſeu columnas habebant: ac per hoc oſtẽdit ſe non temerè cuiquã libellos ſuos edere, ſed tantùm certis & electis perſonis, ne incidant in manus imperitorũ hominum, qualis erat Hermogenes Tigellius. *in medio.* hypophora aduerſarij. quaſi dicat, multi nõ indigniores te, in medio foro ſua ſcripta recitant. *quiq; lauanteis.* reſpõdet Horat. ſatis vrbanè: ſcilicet, hoc non eſſe mirum, cum & multi in balneis hoc etiã faciant, cuius cauſam apponit ironicõs, quòd in balneis poëtæ vox clarius reſonet, quæ res verſus gratioſiores facit. *inanes h. i.* declarat quales poëtæ ſint, qui in foro & balneis verſus ſuos recitent: hoc, inquit, delectat vanos & inſipienteis poëtas. *ſine ſenſu.* ſtultè. *tempore alie.* importunè. *lædere gaudes.* ſubiectio. hoc fortaſſe dicis, ô Horati, quoniam Satyram ſcribis, quæ valdè notat homines, & ideo clàm recitas. *unde pet.* auditũ, acceptũ, à quo didiciſti me eſſe prauum. *hoc in me i.* hoc, quaſi telum, quo me vulneras, à quo accepiſti? quis tibi id ſuppeditauit? *auctor quis.* quis me detulit, aut quibus cõiecturis colligis crimine tali me eſſe dignum? *abſentem q. r. a.* nunc deſcribit qualis ſit qui ſtudio lædit aliquem. *rodit.* mordet, lacerat: ſunt enim aliqui, qui dum volunt ſe vrbanos haberi, quaſi per facetias lacerant alios, ſicut ſuperiùs, dũmodo riſum excutiat ſibi, nõ hic cuiquã parcit amico. *ſolutos qui captat.* qui meram putant vrbanitatẽ carpendis aliis mouere cachinnos. *famãq; d.* faceti, iocoſi. dicaces hic ſunt, qui riſum mouent dicẽdo malè & iocis mordacibus. *fingere.* excogitare. *commiſſa t.* credita ſibi cõſilia. *hic niger.* maledicus, malignus, liuidus, obſcurus & latens. ſic nigrũ ait malum & venenatum Virg. Nigri cum lacte veneni. *hunc tu Rom.* hunc opus eſt metuere, non me. *ſæpe tribus l.* duodecim homines in triclinio, nam inde tricliniũ dictũ eſt, ſcilicet à tribus lectis. *quauis aſper.* quauis ratione, quocumque modo, vt poëta, Qua facere id poſſis, noſtram nunc accipe mentem. *aſpergere.* notare ſermonibus & dicteriis ſalſis. *præter eum.* præter conuiuatorẽ, qui præbet conuiuiũ, qui paſcit. *poſt hunc.* poſtea. *hunc.* conuiuatorem etiam carpit. *potus.* ebrius. *verax.* mirè verax, & ideo liber. *cõdit a præc.* quæ ſunt recondita in præcordiis, & penitioribus mẽtis receſſibus prodit ac publicat. *hic.* qui ſic detrahit. *comis.* venuſtus. *tibi infeſtos.* qui ſimulas te infeſtũ & inimicũ malis & vitioſis. *ego ſi r.* ſi delectat te in cõuiuio, qui maledicit omnibus, me, ſi aliquẽ ſuo merito reprehendero, non feres? *mentio ſi qua,* vt alibi, Spartacum ſi qua potuit vagantem fallere teſta. *de Capitolini furtis.* fingit ſe loqui cũ amico Petillij Capitolini, qui cum præeſſet Capitolio (vnde Capitolinus dictus eſt) accuſatus eſt quòd coronam Iouis Capitolini rapuiſſet; quare ipſe ſublatæ coronæ cauſam dixit, & abſolutus eſt a iudicibus in gratiã Auguſti, cuius amicus erat. *furtis.* ſacrilegiis. *vt tuus eſt.* alloquitur Petillij amicum, in amici defenſione parùm candidum. *me Capitolin.* verba defenſoris Petillij, qui cùm defendere eum & excuſare deberet, magis lædit. *iudiciũ ill.* capitalem ſententiã: Hæc vbi dixiſti, grauiſſimo præiudicio condemnas amicũ tuum (vt ais) Petillium. *nigræ loliginis.* Loligo genus eſt piſcis marini, ſuccu habens nigrum, & atramento ſimilẽ. ex loliginis autem

ſucco,

ſucco, liuorẽ mentis vult intelligi: & ex ærugine, malitiam: malos enim homines atros ac venenatos dicere ſolemus. *ſuccus lolig.* metaphoricôs, pro mentis liuore, & noxia malignitate. *ærugo mera.* venenum purum, vera malitia. *quod vitium p.* abfuturum meis ſcriptis. ordo eſt, ſi quid de me promittere poſſum, hoc verè polliceor, non futurum in ſcriptis meis hoc vitium, id eſt, talem malignitatem loquendi, quæ amicis nocere poteſt. *hoc mihi iuris.* vt liberius loquar quæ ſentiam. *inſueuit p. o.* pater meus, inquit, eam diſciplinam mihi dedit, atque in eam conſuetudinem induxit, vt neque cogitarem quid malignè, neque dicerem: deinde mira vrbanitate vtitur, dum oſtendit quomodo cum pater ſuus monere ſit ſolitus, vt vitia fugeret in notandis quibuſdam Romanis. *cùm me hortar.* cùm me moneret rectam viam inſiſtere, virtutéſque amplecti. *nónne vides Albi.* ab exemplo Albij filij, mirè docet filium pater, vt viuat ſobriè. *vt malè.* quomodo. & eſt ζεῦγμα in verbo aiebat. *Barrus inops.* magnum documẽtum, id eſt, qui eſt magno documento per ſuam inopiam, ne tu conſumas hæreditatem paternam, ſicut ipſe fecit. *Sectani diſ.* cùm reuocare me vellet ab amore meretricio, proponebat exemplum Sectani mœchi. *Treboni.* hic in adulterio deprehenſus fuit. *ſapiens vit.* philoſophus tibi rationẽ reddet, quare quid peti debet, aut vitari. mihi, inquit pater, ſatis eſt, ſi te exemplis inſtruã, quid ſit turpe & decorũ, ad eum modũ quo ego ſum à maioribus meis educatus & edoctus. *cùm deterreret.* dehortaretur. *dum cuſtodis.* pædagogi: vt, Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto gaudet equis, &c. *durauerit.* firmauerit. *nabis ſine cortice.* allegoria à natatoribus: hoc eſt, viues pro tuo arbitrio, non egens admonitione aliena, quando ætas tua ſeſe corroborauerit. Diſcunt autẽ pueri natare ſuppoſitis ventri corticibus. *auctorem.* ducem, quem ſequi debes. *vnum ex iud.* proferebat in exemplum virum aliquem illuſtrẽ ex Senatorio vel equeſtri ordine, qui aliquando propter æquitatem & iuſtitiam fuerat ſelectus in iudicem. *auidos vici ſ.* ſenſus eſt, vt intemperantes ægri, ſi fortè audierint aliquem efferri, mortis admoniti, obſeruantius ſecum agunt; ita teneræ mentes à vitiis ſubmouentur, quando opprobria aliorum audiũt. *exanimat.* ſtupefacit, conturbat, tremefacit, atque abſtinere facit. *auidos.* edaces, & cibi impatientiores. *teneros.* infirmos, inconſtanteis. *ex hoc.* patre. his, inquit, præceptis patris mei effectum eſt, vt à perniciosis vitiis temperarem. *& iſtinc.* ab his vitiis mediocribus. *largiter.* multum. *liber amicus.* qui me liberè poteſt increpare. *nec enim cum.* ſe tractare ſecũ ait ſemper, cùm aut ſolus deãbulat, aut in lecto decumbens vigilat, de officio boni viri, atque extrinſecùs ſingulos ſibi proponentem quærere, quid ipſe ſequi, imitaríque, & quid fugere debeat. *rectius.* exprimit verbis quæ ſecum cogitat, hoc magis expedit, hoc mihi eſt vtilius. *olim.* aliquando. *hæc ego m.* Sermones duo ſunt ἐνδιάθετος & προφορικός: ἐνδιάθετος, quo vtimur nobiſcum: προφορικὸς quo cum aliis: prior, incluſus; poſterior, prolatus. *vbi quid d.* hoc eſt, ex mediocribus vitiis vnum. Iterum vrbaniſſimè ponit in vitio, ſcribere poëmata; ſed & cetera quæ ſubiecta ſunt, eadem energia conduntur. *illudo char.* has cogitationes meas ſcribendo, chartas perdo. *hoc eſt.* ſcilicet chartas perdere illis inludendo. *auxilio q. ſ. m.* hæc dicendo, oſtendit ſe bene ſcribere, neque enim omnes poëtæ mali ſunt. *multo pl.* valdè multi. *ac veluti, te.* ordo eſt, ac, veluti Iudæi, cogemus te concedere in hanc turbam, id eſt, in noſtram ſententiam tranſire, ita vt conſentias nobis, non eſſe vitium ſcribere: cogemus te fieri poëtam, aut nobis fauere.

CRVQVIVS.

IMpatientiùs accipit Horatius, & nõ nihil ſubiraſcitur Romanis, qui tantum gratiæ & auctoritatis in vnum Lucilium congerant, vt eius Satyræ vel Archilochicam mordicitatem multis quidem præconiis, ſe, contrà, ſuaque ſcripta cenſeãt, non ſolùm non mediocri commendatione, ſed ne lectione quidem digna: quæ tamen ait abeſſe tantum ab intemperantia maledicentiæ, vt præter vrbanitatem moleſtæ nihil amaritudinis intentent alicui. verùm enimuero huius offenſionis cauſam transfert in eius temporis vitia, & omnis generis improbiſſima ſcelera, quibus paſſim omnes ita turpiter laborare demonſtrat, vt eidem quaſi culpæ obnoxij, nihil æquè exhorreſcerent quàm poëtarum chartis illiniri, vulgóque fieri fabula: quo metu vt eos liberet, déque ſeſe bene ſperare iubeat, primum declarat non habendum ſe in poëtarum numero, vt qui verſus dictitet mero ſermoni ſimillimos, miniméque petulantis ſycophantiæ. deinde cùm dicat aſſeuerantius, non eo ſtultitiæ genere ſe tantum ineptire, vt ſua carmina patiatur aut in publico decantari, aut imperitæ multitudinis manibus contrectari, ſatis pollicetur iis qui ſibi malè metuunt, nihil iſtinc quicquam ſuis capitibus impendere periculi: verùm eos monet candidè, & hortatur exemplo amici Petilliani (qui huius Eclogæ ſcopus eſt) vt eis curæ ſit execrari, publicéque deteſtari id genus obtrectatores, tranquillitati Reipubl. peſtilentiſſimos, qui inſonteis iuxtà ac ſonteis ſub prætextu virtutis ſuæ linguæ virulentia penitus contaminant:

taminát: A quo inhumanitatis vitio ita ſeſe à puero ſcribit alienum, vt ſine vlla vel iniuria, vel amici calumnia, nihil quàm faceto riſu poſſit ea notare vitia, quæ vel lippis (vt aiunt) & tonſoribus nota ſunt; vt mali quidem reſipiſcant, boni verò magno animo virtutem amplexentur. Atqui tanta induſtria decurrit ad exitum huius Satyræ, tantóque artificio per paternam hanc *παιδαγωγίαν*, quasi aliud agens, eam deſcribit inſtituédę ornandæque Reipubl. formam, qualem nemo bonus ſummis votis non exoptet ſe deorum immortaliũ beneficio aliquando cernere poſſe. *Eupolis atq; Crat.* Exorditur ab antiquæ Comœdiæ ſcriptoribus, vt ſibi quidem nonnihil apud Romanos beneuolentiæ, Lucilio verò plus compareret inuidiæ; vt qui ad illorum imitationem, nouo quodã modo ſuam Satyram, ſatis quidẽ acutè, ſed duriùs, & in ciueis mordaciùs ſcripſiſſet, &, quaſi ex profeſſo, nouam poëſin feciſſet: ſe verò nihil tale meditari, neq. ſuggillare, neq. virulentis blateramentis ait ſe quemquã velle perſtringere; ſed vrbana tantùm, & faceta morũ caſtigatione ciueis à vitiis deterrere. *Eupolis.* Quintilianus lib. 10. Inſtit. Orat. Antiqua, inquit, illa Comœdia, tùm ſinceram illam ſermonis Attici gratiam propè ſola retinet, tùm facundiſſimæ libertatis: etſi eſt in inſectandis vitiis præcipua, plurimũ tamen virium etiam in cæteris partibus habet; nam & grandis, & elegans, & venuſta, & neſcio, an vlla, poſt Homerum tamen, quem, vt Achillem, ſemper excipi par eſt, aut ſimilior ſit oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. plureis eius auctores, Ariſtopha. tamen & Eupolis Cratinúſque præcipui, &c. Hactenus ille. Vixit autem Eupolis Cratino poſterior, eiúſque in ſtylo præcipuus imitator, Olympiade 88. vt ſcribit Euſebius in Chron. *Cratinus.* Perſius hũc audacẽ nominat, quód maxima libertate carpſerit, & acerbitate mira procíderit Athenienſium vitia. hic etiam *φιλοπότης* dictus eſt. ſed de eo plura Epiſt. 19. lib. 1. ad Mæcenatem. *Comœdia p. v.* tres erãt Comœdiarum differentię, *ἀρχαία, μέση καὶ νέα*: quarum vnaquæque peculiarem quandam vim obtinet. de his autem in epiſtola ad Piſones. *ſi quis erat d.* Origo & argumentum Comœdiæ fuit, malos corrigere, fures punire, mœchos continere, &c. ſine vllo capitali ſupplicio; quod oſtendit Comœdiæ definitio: *κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή*: quã *παραφραστικῶς* vertit Donatus, inquiens, Comœdia eſt fabula, diuerſa conſtituta continens, affectuum ciuilium ac priuatorum, qua diſcitur quid ſit in vita vtile, quid contrà euitandum. *dignus.* eiuſcemodi namque vitiorũ publica exprobratio quoddam erat quaſi malorum remedium: at tandem petulanti quadam licentia etiam in viros bonos & innocenteis indecenter ſæuitum eſt, quo tempore à Romanis leges latæ ſunt contra libellos famoſos. *deſcribi.* *χαρακτηρίζειν καὶ διαγράφειν*, deſcriptionem, que, teſte Cicerone in Topicis, eſt qualis ſit auarus, qualis aſſentator, ceteráque eiuſdem generis, in quibus natura & vita declarantur. *mœchus.* adulter. *μοιχεία*, adulterium. *λέγεται μὲν καὶ πρὸς παρθένον ἢ χήραν φθορὰ κυρίως δὲ ἡ τῆς ὑπάνδρου φθορά ἐστι, ἡ τῆς παρθένου καὶ χήρας ἰδίως νόμος*, hoc eſt, dicitur quidem & in virginem & viduam ſtuprum, ſed propriè eius eſt quæ maritum habet: ſtuprum verò, virginis & viduæ illegitimum. de ſupplicio mœchorum apud Athenienſeis, vide Satyra 2. huius lib. *famoſos.* nõ multæ, ſed malæ famæ: infamis, cuius fama vulgò laborat. *multa cum.* *ἐπαῤῥησιάσαντο τὴν ἀλήθειαν*, veritatem liberè profitebantur. *hinc omnis p. L.* horũ priſcam Comœdiam, Latinam fecit Satyram, mutato quidem genere carminis, ſed ſeruato maledicendi vitio. *facetus.* cum aculeo & maledicto: etenim de eo iocandi genere agitur hic, quod profuſum eſt, & immodeſtum, non etiam ingenuum & lepidum. *emunctæ naris.* acri exactóque iudicio, quaſi purgatis naribus, muccóque emunctis vt ait Eraſ. non eſt dubium quin ea parœmia ad imitationem Græcorum ſit vſurpata, qui ſtupidum & tardum *τὴν ῥῖνα κορύζης μεστὸν*, id eſt, nareis aiunt habere mucco plenas. *durus compo.* Helleniſmus. *σκληρὸς συνθεῖναι συγγράφειν*. ſicuti paullò pòſt, *piger ferre laborem* hoc eſt, ad ferendum, vel in ferendo labore. Sed hæc duritas, in verborúmne conſecutione incompoſita, inordinatáque, & numeris parùm concinnis: an & in rerum ſententiarúmq. virulenta duráque & aſpera mordacitate? *nam fuit hoc v.* hyſteron proteron: ad hunc enim modum ſunt hæc ordinanda, nam fuit in hoc vitioſus, quód duros verſus componeret, vel quód durus eſſet in ſcribendis verſibus. *vt magnum* ceu rem magnã, ſiue magni momenti. *ſæpe ducentos.* multos. finitũ pro infinito. *ſtans pede.* nullo, vel exiguo labore: huic contrarium eſt *ὅλῳ ποδὶ*, omni vel toto pede, pro ſummo anniſu & conamine. *cùm flueret.* cum carmina ſcriberet cõſpurcata cœno maleuolentiæ: vel poterit ad genus carminis inuenuſtũ pertinere, quod effuſum potiùs, & vocibus quibuſuis ſine delectu perturbatũ, obſcurúmq. quàm debita forma elegantíq; elaboratum fuit. Sumta eſt trãſlatio à flumine rapido, quod omne genus ſordium ſecum rapit in præceps. *tollere.* dignum imitatione. Quintilianus autem videtur, tollere, interpretari, auferre & remouere vt ſuperuacaneũ, vt ait Turnebus, li. 15.

y cap.

cap. 9. contra Comment. cui ſcribit Lamb. à quo non diſſentio: verùm hac de re latius in Satyra vltima eo loco, *ſæpe ferentem plura quidem tollenda r. Ecce Criſpinus.* digreditur à Lucilio ad Criſpinum Stoicum (fortaſſe Lu. Plotium Criſpinum) multò in verſibus ſcribendis, ipſo Lucilio vaniorē magiſque garrulum: Quod quidem eo conſilio facere videtur, vt vitet inuidiam eorum qui gaudebant Luciliana lectione; ſimul etiam quò, mutato ſcriptore, non continuò odorentur nimium eius faſtum & ſententiarum affectationem notari *minimo me prouo.* ſupp. digito. Minimo autem prouocare, eſt contemtim (inquit Eraſmus) ad certamen prouocare: ſumtum à geſtu prouocantium ad pugnā, minimo porrecto digito: Atqui, ſi liceat tamen ab Eraſmo diſſentire, vulgò ei minimū digitū porrigimus, vel oſtendimus, cui vel minimum concedimus, vel eum noſtri æqualem eſſe iudicamus, idque in malum potiùs quàm in bonū: vt putà, ſi Horatius exprobret Criſpino ſe nihil morari, ſiue magni eum pendere, quòd vel momēto temporis multa carmina ſcriptitet, quaſi inſulſiſſimus quiſque id etiam præſtare poſſit, eiq; Criſpinus minimum porrigat, vulgò intelligimus Criſpinum quidem non prouocare Horatium, verùm ei, velut inſcitiæ ſocio, eandem notam inurere pro neglectu ſuorum carminum, quæ orationi ſimillima, effundere potiùs quàm elaborare videtur. Qua de cauſa citius ego crediderim hanc parœmiā, minimo prouocare, traductam à ſponſione Iuriſconſultorum, quæ fiebat (vt notat Budæus) interpoſita ſtipulatione certæ pecuniæ, quam perderet is qui ſponſione vinceretur: idcirco Criſpinus cauſæ Lucilij vt patrocinetur eumque conuincat non minima laude dignum eſſe, breui tempore multos verſus ſcribere, prouocat Horatium minimo, ſupp. pretio, ſeu ſtipulatione aliquantulæ pecuniæ; Accipe, ſi vis, inquiens, ego accipiam tabulas, pretiúmque ſponſionis notabo, &c. Nam qui ſponſione prouocabat, ita dicebat, & in tabulis publicis pretium ſcribebat, nimirum, ſpondeo me tantam pecuniam daturum ni, &c. prouocatus autem contrà, reſtipulabatur. Laceſſit itaque Criſpinus, & acrius vrget Horatium ſponſione, ſed is non percellitur, neque reſtipulatur, verùm diis gratias agit, quòd ſit animo ſedatiore, & minus temerario, quàm qui velit cum garrulis, & miranda de ſe pollicentibus, feriò contendere. *accipiam tab.* ſic habent ſcripti omnes præter Tonſ. & Buſli. qui vulgatis conſentiunt. *Dij bene fecerunt.* ſermo eſt gratias agentis, & euentum rei approbantis, Græcis quàm Latinis vſitatior, καλῶς ποιῶν, καλῶς φρονῶν. ſic Gregor. εἰς Βασίλειον, ὅπερ ἐστι καλῶς ποιῶν καὶ συνιόντων. Luc. 6. cap. καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι, merito vos laudauerint. Demoſt. 4. Philipp. ἡ τύχη καλῶς ποιοῦσα πολλὰ πεποίηκε τὰ κοινά, id eſt, meritò fortuna auxit Reipubl. redditus annuos. Ariſtoph. in Pluto. καλῶς τοίνυν ποιῶν ἀπόλλυται, merito itaque perit. Ita hoc loco, Dij bene fecerunt, id eſt; ô factum bene, me natura eſſe puſilli animi & rarò loquentis. oratio eſt modeſte de ſe ſentientis, ἐξ ἀντιθέτου Criſpini audaculi & garruli. *rarò & perpauca loquentis.* ſic habent omnes & ſcripti & vulgati codices, quos vidi; & eandem lectionem non inficiatur Lambinus ſe offendiſſe in omnibus codicibus, præter vnum Faernum; qui loquentes, habebat, ſed 6. alia manu, inquit, & in litura: At omnino tamen ſentit mendum eſſe, ſcribendúmque, *perpauca loquentem.* cui mehercule non grauatim ſubſcripſerim, ſed vetat ὁμολογία veterum ſcriptorū, nec video quoque, cur non dicamus (tametſi fortaſſe durius) vel eſſe ſynecdochen partis pro toto, vel enallagen partis, putà, rarò & perpauca loquentis, id eſt, raræ & perpaucæ loquelæ, σπανιολογοῦντος, pro σπανιολογίας quæ cōmutatio Græcis familiaris eſt, atq; adeò exiſtimo, Horatium pro ſuo more, hic expreſſiſſe dictum alicuius poëtæ ex veteribus. *at tu concluſas.* cōceſſio per apoſtrophen, qua Criſpino liberum permittit, vt ſuo more verſus leueis, ventóq. ſimileis cōponat, ſed putidos & mordaceis, quorū ſententia putido prauóq. pectore depromta, nō magis grata ſit auribus, niſi ſui ſimilibus, quàm ſit flatus follibus hircinis emiſſus cū ingenti fœtore: videtur enim alludere ad hircinā malolentiā. *beatus Fannius.* exclamatio, qua gratulatus Fannio publicam felicitatem ob capſas delatas & imaginem in ſignum honoris ei vltrò exhibiti, conqueritur ſua ſcripta haberi neglectui, & à nemine legi, cùm tamen neq; Lucilij mordacitatem referant, neque Fannij ineptias; quem cur beatum nominet vltrò delatis capſis & imagine, non ſatis aſſequor, ídne pompæ eius funerali debeat acceptum ferri, putà, cadaueri cum capſis ſeu ſcriniis & imagine ad rogum vltrò, hoc eſt, ſine extremo iuſſu ſeu teſtamento, elato, an quòd à ſenatu beatus effectus ſit, qui ad eum capſas & imaginem deferri curauit vltrò, hoc eſt, nullo quidem ſuo merito, vt qui ſuos verſus non recitaſſet aut euulgaſſet; ſed vt eius familiam nobilem illuſtraret, poëtæque inſigniis decoraret: Sed de hoc alibi plura. *capſis.* talia erant narthecia capſulis eburneis incluſa, quorum meminit Martial. lib. 14. in Apophor. artis ebur medicæ narthecia cernis habere munera quæ cuperet Pactius eſſe ſua. *vulgo recitare tim.* de hac ſtructura, mea timentis, conſulendi ſunt Grammatici: In primis Valla elegant.

elegant. lib. 2. cap. 1. *ob hanc rem.* rationem reddit, ob quam vulgò ſua ſcripta non amentur; nemo enim ferre poteſt æquo animo id grauiter damnari, cuius ipſe ſtudio multùm afficitur, etiamſi non ſit neſcius, id ab omni vitio non eſſe alienum: At nullum tamen ad corrigenda flagitia præſentius eſt remedium, quàm vrbana reprehenſio, teſte Pythagora· *τὰ ἁμαρτήματα πειρῶ μὴ λόγοις ἐπικαλύπτειν, ἀλλὰ θεραπεύειν ἐλέγχοις*, id eſt, vitia veris non obtegere multis verbis, ſed emendare reprehenſionibus. *media erue t.* tres Bland. cod. Eripe, quartus cum Toni. Buſl Nau. & Diuæ. Martiniíque codice habet, elige. *miſera ambit.* ab effectu, quia ambitioſi ſunt miſeri, *ἡ φιλοτιμίη, κτῆμα σκαιόν*, inquit Herodotus. *hic nuptarum in. a.* periphraſis adulteri, qui nihil quàm matronas ſectatur, vt abundè ſatis oſtenſum eſt Satyra 2. *aut ob auar.* *ἡ μήτηρ ἐςὶ κακότητος ἁπάσης*, inquit Phocylides. *hic mutat m.* negotiatur, emit, vendit, mercium commutationem exercet, à qua crèdit Plin. dicta commercia. *ſurgente à ſo.* non me latet à doctis hunc locum ſic exponi, vt pertineat ad negotiationem, quæ fit peregrè, de qua quoque loquitur Epiſt. 1. lib. 1. Impiger extremos currit mercator ad Indos, &c. vt hæc ſit ſententia. Hic exponit ſeſe periculis, & profectionum variis laboribus, vt ex omni latere mundi contractis coaceruatiſque mercibus lucrum faciat, ad rem ſuam augendam, aut certè, non diminuendam: verùm non abſurdum videri poterit, ſi priorem quidem horum verſuum interpunctionem negotiationi domeſticæ donemus, poſteriorem verò concedamus mercibus exoticis aduehendis, hac ratione; hic mutat merceis, parat, emit, diſtrahit à ſurgente ſole, id eſt, ab ortu ſolis, à ſummo mane, ad eum vſque ſolem, quo regio veſpertina tepet, hoc eſt, ad ſolis vſque occaſum, ita vt ſolidum eum diem, ei rei quaſi ſit aſſiduus: ad hunc enim modum Epiſt. 6. lib. 1. ad Numicium, hortatur patronum quendam, vt cauſis agendis in foro det operam, Nauus mane forum, & veſpertinus pete tectum: quò etiam Perſius reſpexiſſe videtur Satyra 5. Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti rugoſum piper & pallentis grana cumini: deinde cùm animaduertit, ne hunc quidem quæſtum vel ampliſſimum eiuſcemodi lucripetæ (vt ſic loquar) explere mentem, eius auiditatem amplius exaggerat, inquiens, Quin per mala præceps fertur, &c. hoc eſt, obiicit ſe mille calamitatibus & incommodis, agitatus vndis marinis, perinde ac puluis rapitur vento, nulla ſalutis & vitæ cura, nullo mortis metu; adeò vt lucri amore vel animam vendat, apud Perſium Satyr. 6. hortante auaritia, mercetur atque ſollers excutiat omne latus mundi ne ſit præſtantior alter. *omnes hi met.* clauſula rationis. Iccirco omnes oderunt poëtas, & verſus mordaciores, quia malè ſibi conſcij, notari & ludicro eſſe formidant. *fœnum habet in c.* ſuppl. aiunt enim inter ſe vitioſi, aut quid ſimile, fœnum habet hic poëta in cornu, &c. & eſt *ἐνέργεια*, communis inter eos conſilij de vitandis id genus poëtis, quibus ferunt eſſe volupe omneis ex æquo ſua maledicentia vellicare: fœnum autem in cornu habere dicuntur feroces ac maledici, qui vel dicto vel facto quoſuis impetere gaudent: quam inſolentiā tam brutis quàm hominibus ait Plutarchus in problemate 71. efficere repletionem ac ſatietatem. vnde eſt & illud Sophoclis in prætumidum quendam: Tu verò ferues quaſi pullus cibi copia. huic aſtipulatur Solon apud Laërtiū, *τὸν μὲν κόρον ὑπὸ τοῦ πλούτου γεννᾶσθαι, τὴν δὲ ὕβριν ὑπὸ τοῦ κόρου*, hoc eſt, ſatietatem naſci ex opulentia, ex ſatietate verò ferociam, ſiue contumeliam, vt ea non immeritò ſaturitatis filia dicatur. *nō huic cuiquam.* opportunè dictum ab aduerſario, nimirum vt amici carpendi nomine, poëta grauetur inuidia. *chartis illeu.* ſumta metaphora à pictoribus. *omnes geſtiet.* cupiet omnibus hoc innoteſcere, in ora vulgi abire: huic affine eſt, lippis & tonſoribus notum fieri: id enim omne genus hominū, lippi, tonſores, anus, pueri, loquaciſſimum eſt & garrulitate nobile. *à furno redeunteis.* fortaſſe ad eam piſtrillā alludit, cuius meminit Terent. in Adelphis act. 4. Sce. 2. quæ erat apud lacum; priuſquā ad portam venias: inquit, apud ipſum lacum eſt piſtrilla: ea autem eſt piſtorum taberna. lacum autem hîc accipio Seruiliū, quem Hadrianus Iunius noſter ex ſententia Moiilloni ſcribit fuiſſe forum hoc nomine, quem Sext. Pompeius ab auctore nominatum refert, in principio vici Iugarij apud Baſilicam Iuliam, vbi hydræ effigies extiterit à M. Agrippa poſitæ. Vide animaduerſ. Iunij lib. 2. ca. 7. Ab hac interpretatione nō diſſentit Plauti locus Gurgulione: In foro infimo boni homines atq; dites ambulant, in medio propter canalem ibi oſtentatores meri, cōfidentes, garrulíve, & maleuoli ſupra lacū, &c. *primū ego m.* hæc confutatio duabus partibus nititur, altera quidē extenuatione ſui, & veri poëtę definitione: nō enim ſcribere ſe verſus inficiatur, ſed nō eo ingenio & gratia, non eo ſententiarū pondere & maieſtate, vt promereatur decet ni poëta: qua gratia quoq. à nōnullis de Comœdia dubitatū aſſerit, an poëma cēſeri poſſit, quòd & humilior inuentio & diſpoſitio rotūdior ſit, minúſq. tornata, quā vt viuidā poëtæ faciē oſtendēt; quod quidē ait occaſione pręſentis thematis; nā in

alia eſt ſententia in epiſt. ad Piſones. Altera verò, cùm ait, *nunc illud tantum, &c.* tota dependet ex confeſſione eius, quę nō citra latentē mordacitatē inducit concedere ſe non eſſe planè diſſimilem Cęlij Byrriique ſceleratorū, cuius gratia vtitur hac ratiocinatione: Quiſquis malis gaudet alienis, nō iniuria timet Sulciū, Capriū, hiſque ſimileis accuſatores; verùm cùm mea vitę ratio ſit alia, neq; criminationibus gaudeat, cur me odiſti & fugis? aſſumtionē autē, ſéque eis minimè eſſe ſimilē, liberius aſtruit à diſſimili: nam illi cum libellis in publico ambulant, inquit, crimina recitant, reos agunt: meos verò libellos nulla taberna, nulla pila oſtētat; nemo ex vulgo, ne Hermogenes quidem ille Tigellius, homo vaniſſimus, iis legendis inſudat, &c. *neq; enim con.* certis & præſcriptis pedum numeris finire verſum nō ſatis eſt, nam & modulis eſt opus. *dixeris.* modi potentialis, dicere debes aut potes. *ſermoni prop.* hoc eſt, quouis modo verſum cōcludat, ſeruato ſolùm numero pedum pro genere carminis. *ingenium cui ſ.* hæc ſunt inuētionis & diſpoſitionis. *atq; os mag.* in quibus eſt elocutio: inuentioni namq. debent & idonea verba, & ſententiæ accōmodari. *magna ſo.* Helleniſmus: vt in Ecloga pręcedēte, *omnia magna loquens*: vtrū autē rectius dicatur, ſonaturū an ſoniturū, conſule Priſcianum lib. 2. *des nominis h. h.* dare debes honorē, dignitatem huius nominis, vt poëta nominetur, qui verſu quidē aſtrictior, oratoris virtutes perſequitur. *acer ſpiritus.* ardens & cōcitatus, alacer & vehemens. *differt.* Helleniſmus. differt cum datiuo pro, diſſidet, alius eſt: Latina namque oratio poſtulat ablatiuū cum præpoſitione à, vel ab, differt à ſermone, id eſt, ab oratione ſoluta, nulliſque certis pedibus aſtricta. *ſermo merus.* qui verbis puris perſcriptus eſt, &, vt ait paullò pòſt, ſermo verus. merum autem, ſolum, dixerunt antiqui, teſte Feſto: hinc merula auis dicta, quòd ea ſit ſoliuaga, & ſolitaria paſcatur. *at pater ardens.* ἀνθυποφορά, ad conuincendū ſuperius argumentū eorū qui negant Comœdiæ ineſſe acrē ſpiritum. Nā pater in Comœdia ſęuit ardēs quòd meretrice nepos, &c. Quis autē extra Comœdiā eū patrem non ardere, incandeſcere, cōcitari dixerit, niſi is ſit ignauus, abiectus, inſulſus? *nepos.* heluo, gurges patrimonij, ἄσωτος, luxu perditus. *inſanus.* ſic habēt omnes manuſcripti codices. *magnum quod d.* verecunda ſignificatio φαλλαγωγίας, ſacri ipſius Bacchi, in quo φαλλοὶ circūferebantur καὶ ἰθυφάλλοι, αἰσχρῶν καὶ ἐν σχήμασι καὶ τοῖς πράγμασι, inquit Gregor. Nazianz. in oratione ſecunda Epiphan. hunc autē nepotē filiū indicat fuiſſe λαμπαδοῦχον, qui claro die in hac pompa lampada præferebat. Verùm cùm hoc Bacchi ſacrum ſit abominandæ fœditatis, ſatius arbitror omnia eius myſteria honeſto ſilentio præterire, quàm vel pauciſſima eius obſcœna garrulitate ac petulāti laſciuia cōmemorare: at ſi quis eius originē noſſe deſideret, is legat Arnobiū contra gentileis lib. 5. Si quis pompam, euoluat Plutarchū in Commentario περὶ τῆς φιλοπλουτίας; videat in Chiliad. φαλλοφόροι. & φαλλὸς τῷ Θεῷ. meminit & Herodotus lib. 2. de Phallis; & Theodoritus lib. 3. Licet etiam hunc locum interpretari de facibus, cū quibus amatores inuiſebant amaſias ſuas, vt Phædromus Plautinus qui ſibi lucebat cereū. *numquid Pom.* Solutio ἀνθυποφορᾶς cum tacita & vrbana reprehenſione Pomponij. *ergo non ſ.* clauſula prioris partis ratiocinationis. *puris per ſ. v.* ſuprà dixit, ſermoni propiora, & ſermo merus, quæ inter ſe conſonant omnia. *ſi tempora certa modoſq;.* certa, nimirùm pro ratione & poëmatis genere, quæ pro longitudine & breuitate vocalium, certis dimenſionum ſeu pedū nominibus à proſodiographis definita ſunt: alia namq. eſt heroica dimenſio, alia elegiaca, iambica & hendecaſyllaba alia, &c. Sunt & orationi certa ſua tempora & modi, ſed legibus & modulis non perinde aſtricta. *hactenus hæc.* tranſit ad aliam partē confutationis. *nunc illud.* attentio cum alterius partis præparatione. *Sulcius acer amb & Cap. rauci m.* duplex figura, Syllepſis & Zeugma. At Glareanus tamen ab Eraſmo monitus (vt ait) arbitratur ita legendum, vt propriis ſua dentur epitheta, hoc modo, Sulcius acer ambulat, & Caprius raucus malè. verùm quia nulli manu ſcripti libri huiuſcemodi quid oſtentent, non libenter ei ſubſcripſerim: eſt autem Zeugma locutionis, Sulcius acer ambulat, & Caprius ſupp. ambulat; ſic enim verbum expreſſum non differt ab intellecto. tale eſt illud Iuuenal. nil rhombus, nil dama ſapit. eſt autē Syllepſis, Sulcius & Caprius rauci ambulant, &c. vterq. magnus timor latronibus, &c. *magnus.* multùm timendus, formidabilis. *latronibus.* maleficis, graſſatoribus, ſceleratis. latrones, inquit Varro de lingua Latin. lib. 6. dicti à latere, qui circū latera erant regi, atque ad latera habebant ferrum, quos poſtea à ſtipatione ſtipatores appellabāt, &c. Feſtus autem latrones, inquit, eos antiqui dicebant, qui mercede conducti militabant (quod & Varro notat) ἀπὸ τῆς λατρείας: at nunc viarum obſeſſores dicuntur, quòd à latere adoriuntur, vel quòd latenter inſidiātur. *at bene ſi q.* correctio. ſic Epiſt. 1. lib. 1. Hic murus aëneus eſto nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. διόπερ Βίας ἐρωτηθεὶς τί ἂν εἴη τῶν ἐν τῷ βίῳ ἄφοβον, εἶπεν ὀρθὴ συνείδησις, hoc eſt, idcirco Bias interrogatus, quænam res in vita metu careret; bona conſcientia reſpondit. *contemnas.* contemnere debet & poteſt. *vt tuſſis.* conceſſio..

ceſſio amarulenta. Hæc autem ratiocinatio eſt altera pars confutationis, vt ſuprà notatum eſt. *pila*. pila, inquit Feſtus, quæ parietem ſuſtentat, ab opponendo dicta eſt. *coactus*. amicorum gratia & beneuolẽtia, inuitus, nõ libenter, non, vt aliorum inſtar, captem applauſum, aut quæſtum faciam. *non vbi*. à loco & perſonis depellit à ſe maleuolentiæ calumniam. *ſuaue locus*. ἀντιμερία, pro ſuauiter. *locus v.re.c.* locus concluſus, hoc eſt, fornicatus, concameratúſque & concauus, vbi iucunda eſt vocis repercuſſio, vbi reparabilis aſſonat echo, vt ait Perſ. Satyr. 1. *inanis h.t.* κενόδοξος, quibus pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, hic eſt. κενοδοξίας τροφὴ, τιμαὶ καὶ ἔπαινοι, vt habet Chryſoſto. περὶ τ̃ ἱερωσ. *ſine ſenſu*. ἄνευ κρίσεως, ἀκρίτι. *lædere gaudes*. hactenus in id annitus eſt, vt à ſcriptis ſuis amoliretur Satyricę mordacitatis amarulentiam, hic idem reiterat argumentum, quod ad Eclogæ vſque finem perſequitur, à ſua natura & educatione inſtitutionéque, declarans ſe quidem iocis & ſalibus vrbanis gaudere, ſed auerſari penitus dicacitatem, & obtrectationem; cuius rei vt fidem faciat certiorem, ab adiunctis ſignis oſtendit, quaſi ad oculum, quid ſit apertè maledicere, quid ſub ſpecie cuiuſdam amicitiæ mordere clanculum, quid iocosè ridere. *ſtudio*. conſulto, data opera, de induſtria, ἐξεπιτηδὲς. *ſtudio prauus*. ἐκ κακοτεχνίας κακὸς. *vnde petitum*. ἐρώτημα περίεργον, ad cognoſcendum rumoris huius aut opinionis auctorem. *vixi cum qu.* à conſuetudine familiari. *abſentem qui*. ab adiunctis & concomitantibus ſignis confutat eam maledicẽdi ſuſpicionẽ. *rodit*. metaphora à canibus. hinc Epigrammatarius: Quid dentem dente iuuabit rodere, carne opus eſt qui ſatur eſſe velit. *ſolutos*. immoderatos, inurbanos & effuſos, qualem riſum captant ſcurræ, γελωτοποιοί. *hic niger eſt*. infelix & fugiendus: veteres enim quod inauſpicatum volebant haberi, atrũ aut nigrum vocabant; quod felix & fortunatum, album. hinc ſunt illa, albo, & nigro lapillo notare. Quin & Græcis λευκότερον εἰπεῖν dicitur, aut μελάντερον, qui rem aliquam aut clarius, aut obſcurius explicat. vide adagia, Creta notare, carbone notare. Deinde quo pacto affectus animi internus pro bonitate naturæ aut prauitate redundet in cutẽ corporis, aut nigrã aut candidam, legito Coſmographica Gulielmi Poſtelli, vbi de Chameſia diſputat. *ſæpe tribus l.* à maiori expoſtulat cum aduerſario de mera calũnia, vt, cui comis quidẽ videtur & vrbanus is, qui in omneis ſine diſcrimine ſocios, familiareis, conuiuas, atque adeò in ipſum cõuiuatorem poſt pocula præter omnem humanitatem, nil niſi mera conuicia effundit, ipſe verò liuidus & mordax habetur, ſi quem ineptũ meritò rideat, quòd vel paſtillos olet vel hircũ. *ſæpe tribus l.* de triclinio, de lectis diſcubitoriis, déque cœnandi more maiorũ, diſputabimus opportuniùs alio loco. *vnus auet*. vnus codex Bland. legit, amet; qui idem habet τὸ quamuis, ſed cũ litura m. *qui præbet aqu.* conuiuatoris eſt præbere aquam abluendis conuiuis. hæc itaque periphraſis eſt conuiuatoris, cuius, pro antiquo more, ante cœnam erat curare non minus, vt aqua præberetur, quàm cibus miniſtraretur à pueris. Quod autem potiùs dixerit, qui præbet aquam, quàm, qui præbet cœnam, in cauſa eſt verbum aſpergere, quò alluſit propriè; namque aqua aſpergimus, metaphoricôs autem, dicteriis & ſalibus. *hunc quoque p.* pro beneficio reponens maleficium. *aperit præcor. Li.* iuxta illud, τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ νήφοντος, ἐπὶ τ̃ γλώσσης τ̃ μεθύοντος, hoc eſt, quod eſt in corde ſobrij, hoc eſt in lingua ebrij, qui nõ ſolùm effutit arcana ſua, verumetiam in alios audacius loquitur. *hic*. qui auet aſpergere cunctos. *comis*. benignus & facilis, qui alij non grauatè inſeruit, teſte Valla lib.4. εὐτράπελος, facetus. *vrbanus*. lepidus, κομψὸς, ἀστεῖος. *ſi riſi quòd inep.* hic verſus nobis argumento eſſe poteſt, hanc Eclogã ſubſecutam eſſe eã quæ huius libri altera numeratur; in ea enim idẽ ponitur. *liuidus*. malignus, maleuolus. *ſi qua de Capit.* hæc eſt obtrectatoris peſtilentiſſimi, maximéque ab omnibus execrandi vera & viua imago, perſona hominis, potiùs quàm homo, λευκὸν θηρίον: nam detrahere aliquid alteri, & hominis incommodum augere, magis eſt contra naturam quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cetera quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis: nã principio tollit conuictum hominum & ſocietatem, &c. inquit Cic. in offic. *vt tuus eſt m.* pro tuo more, & omnibus detrahendi conſuetudine. *me Capitolinus*. deſcribit detractoris conſuetudinem, qui quodam ſimulatæ amicitiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non poteſt, adumbrare conatur: inſinuat enim ſe in animos auditorum benigna quadam commemoratione eorum quæ nihil ad rem faciunt, quos vbi parauit attentos, infixo ſuæ maleuolentiæ aculeo, ſtatim ſubducit ſeſe, ne vel tueri cogatur quod dixerit, aut ne mutuum recipiat. *ſed tamen ad.* hic eſt aculeus liuoris, hic ſuccus loliginis: exorſus enim ab amicitiæ & conuerſationis commendatione, deſinit in ſententiæ & iudicij calumniam, qua & iudices corruptos, & Petiliũ reum agit. *nigra ſuc. l.* loligo quaſi voligo, vt habet Varro lib.4. piſcis genus, effert enim ſe extra aquam & ſubuolat tanta multitudine vt naues mergantur, teſte Plin. lib. 32. cap. 2. Loligo autem externè quidem eſt alba, ſed nigra

dicitur ob ſuccum nigrum, eſt enim ex ſepiarum genere: talis eſt detractor foris quidem blandus, ſed intrinſecus nigro maledicentiæ ſucco plenus. *ærugo.* æris vitium, ſicuti ferrugo, vitium ferri. ex ærugine autem conficitur ſutorium atramentum, quod χάλκανθος Græcis nominatur, quaſi flos æris: & quia hoc ita inficit corium, & alia quæque ea macula, quam numquam vel ægrè admodum poſſis eluere, appoſite maledicentiæ vitio hic confertur ab Horatio. *procul afore.* ſic inuenio in omnibus manuſcriptis, præterquam Mart. in quo affore ponitur. Ita autem procul afore ſuis ſcriptis hanc ſuffarcinatam ſycophantiam pollicetur, vt ne vel leuiſſimum in eis velit apparere eius veſtigium. *atque animo pr.* nam qualis vir, talis oratio. *liberius ſi quid.* precatur veniam ſuæ libertati, ea lege, vt ſi quid vrbanius, ſi iocoſius, & minùs amarulentum dixerit, nemo grauiùs offendatur. *inſueuit pater optimus hoc me.* in hac lectione cõſentiunt omnes ſcripti codices tã mei quàm ij quos Lambinus ait ſe legiſſe: at is emendat tamen & contendit ita legendum; *inſeuit pater optimus hoc mi.* quæ caſtigatio etiam ſi non ſit pœnitenda, iuxta id quod ode 4. lib. 4. ſcriptum eſt, fortes creãtur fortibus, & bonis eſt in iuuencis, eſt in equis patrũ virtus, &c. tamen quia hæc præcepta patris, ſunt inſtitutionis potiùs & doctrinæ, quàm naturæ, vt patet ad oculũ, malim ſequi & ſcripta & adhuc vulgata. Quod autẽ ad verborum ſtructuram attinet, fateor quidem nunc eam nemini impunè poſſe donari, niſi velit ἑλληνίζειν more Horatij, qui hîc expreſſit, τὸ ἐθίζομαι pro inſtituo: nemo enim doctus ita dixerit, aſſueſco, ſiue aſſuefacio te mores, niſi ad verbũ reddat id Platonis de legibus ἐθίζω τι ἔθη. ſed aſſuefacio te moribus, ſiue inſtituo te mores bonos & honeſtos. hinc ἐθίσματα, inſtituta, cõſuetudines. Sed & Terentius ita græciſſat in Adel. act. 3. ſce. 4. Deos quæſo, vt vobis decet, ὡς ὑμῖν πρέπει. Sic & illud Iuuenal. Satyr. 14. mitẽ animũ & mores modicis erroribus æquos præcipit atq. animos ſeruorũ, id eſt, præcipiendo docet: ita, *inſueuit.* id eſt, inſueſcendo docet me hoc. D. Arnoldus VVoulardus, cur, inquit, nõ hoc modo, pater optimus inſueuit, ſeu aſſuefecit, inſtituítve me vt fugerem hoc? quæ etiã expoſitio ſatis eſt appoſita, ita vt τὸ hoc, non demonſtret certum aliquod, ſed indefinitè, quæuis vitia. *exemplis vit. q. n.* propoſitio futuræ diſtributionis. *cùm me hortaretur.* hortaretur ad frugalitatẽ ab incommodo & malo prodigalitatis, quo miſerè afflictari demõſtrat Albij filiũ: quod vrbanè facit quidem, ſed nõ ſine nota Satyrica. hunc autẽ Albium eſſe Tibullum apud me nõ eſt controuerſum; eum enim ſolari, & ad animum recreãdum inuitare certum eſt epiſt. 4. lib. 1. ad Albium Tibullũ, vt eo loco dicemus. *malè viuat.* in egeſtate & penuria. *Barus inops.* ſic cum vulgato codice habent lib. Mar. Diuæ. Tonſ. at 4. Bland. Buſl. Baius. Nannij verò, Varus. eſt autẽ epexegeſis, pro eo quod eſt, qui eſt magno documento aliis ne patriam rem, &c. *à turpi meretr. a.* conſulit vtendum moderata venere. *Sectani.* cod. Bland. 3. & Mart. Scetani. Tonſ. Cetani. Diuæ. Setani. vnus Bland. habet Sectani. *conceſſa cũ ven. v.* dehortatur filiũ ab illicita venere, nempe matronarum, ab exẽplo Trebonij infamis. *ſapiens vitatu.* hic ex Grãmaticorum canonibus adnotãdu eſt, comparatiuos gradus recipere caſus ſuarum poſitionum diuerſæ ſcilicet perſonę, vt dignum laude, dignius laude. Salluſt. nulla arte cuiquam inferior. ſic hoc loco, bonũ vitatu, melius vitatu. *traditum ab an.* à maioribus, à patribus. ab auctoritate namq. maiorũ quæ honeſto cõiuncta eſt & æquitati, niſi ſceleratiſſimus quiſque facilè recedet nemo, non quod cani, non rugę repentè auctoritatem afferre poſſunt, inquit Cato ſenior, ſed honeſtè acta ſuperior ætas, fructus capit auctoritatis extremos: Quare Horatius pater vt filius πατρικὰ αὐλῶ μέλη, paternáſq. cantiones canat, eum monet, vt pro exemplis propoſitis vitia fugiat, ſuorúmque maiorum veſtigiis inhæreat; decet enim nõ degenerem filiũ ex more patris viuere. *incolumem poſſum.* ſic habent omnes manuſcripti, & rectiùs quã poſſim, teſte Diomede, quem legito, nec non Linacrũ, vt ſcire poſſis quando τὸ ſi, finitiuis iungitur, quãdo ſubiunctiuis. *nabis ſine cortice.* ſine cortice dicuntur nare, ait Eraſmus, qui iam per ætatem nõ egent cuſtode morum, aut qui eò doctrinæ proceſſerunt, vt iam præceptorum opera non habeant opus: Itaq. ait Horat. nabis ſine cortice, id eſt, citra cuſtodem ac pædagogum ipſe te reges ac moderaberis. ſine cortice, ἄνευ φελλοῦ, de ſubere, qui & cortex per antonomaſiam dicitur vide Plin. lib. 16. cap. 8. *formabat.* erudiebat, mores componebat. ſumta metaphora à figulis, qui argillæ quamuis formam imprimunt digitis. *ſiue iubebat.* quod legibus in politia proprium eſt, hoc parentum munus priuatum eſt, nimirum iubere quod honeſtum & laudabile eſt; vetare, quod cum decoro pugnat; permittere, quæ tranquillitatem non perturbant, punire ſcelus & impietatem. Iccirco dicebat Pythagoricus ille Ariſtoxenus μετὰ τὸ θεῖον καὶ δαιμόνιον, πλεῖστον ποιεῖσθαι τῶν γονέων λόγον τε καὶ νόμων, hoc eſt, poſt Deos & dæmones plurimi fieri oportere parentes, & leges. *hoc. δικαστικῶς vnum ex ſelectis.* id eſt, ex equeſtri ordine, qui ἱππεῖς, vel ad verbum ἀπόλεκτοι dicebantur. vide Budæum de ſelectis iudicibus. *obiiciebat.* eius vitæ rationem quaſi ob

oculos

oculos ponebat. *inutile factum.* ſic habetur in omnibus ſcriptis antiquis, atque ita legendum puto: oſtendit enim factum ipſum alterius inhoneſtum, vt deterritus ipſius turpitudine, ſimile quid ne perpetret; additque cauſam, cur id vitare debeat, puta, ne laboret publica nota & infamia, ad inſtar illius Romani, cuius conſultò nomen conticet. *auidos vicinum f.* Lambinus ait ſe in libris aliquot ſcriptis oſtendiſſe hanc lectionem, Hic atque ille: vides vicinum funus, &c. ſed ea (vt mihi videtur) omnino mendoſa eſt, atque ab ignaro ſententiæ Horatianæ ſuppoſita, vt qui τὸ auidos putarit non poſſe attribui τοῖς ægros, quibus faſtidire potiùs cibos eſt proprium quàm auere: verum minùs conſideratè aduertit hic Horatium non de cõmuni aliquo morbo agere rerum omniũ nauſeam adferente, ſed de peculiari aliqua ſymptomatos ſpecie, qualis eſt βουλιμία. fames intolerabilis, ſeu ὀρέξεια, adeò vt qui eo malo laborant, ab edendo vix alio quàm mortis metu horroréq. ſeſe contineant: Huic itaq. rei ſignificandæ ſeruit appoſitiſſimè id epithetõ auidos, nihil enim is morbus eſt aliud, quàm edendi cupiditas auiditáſque quæ naſcitur (vt D. Gulielmi Pantini in Cor. Celſum lib. 1. verba referam) ex nutrimenti in habitu corporis aſſidua indigẽtia, vnà cum ſtomachi imbecillitate ac frigore coniuncta; cùm ſcilicet in ambientem aërem pluſquàm ſtomachus cómodè ſarcire queat, diſſipatur, vnde & animi deliquia naſcuntur, & pernitioſè ægri affliguntur. hęc Pantinus. Sed & Galenus lib. 1. ad Glauconẽ vbi agit de animi defectionibus, βούλιμος δὲ καλούμενος, inquit, οὐδὲν ἄλλο ἢ λειποθυμία ἐστί, hoc eſt, bulimus dictus, nihil aliud eſt, quàm animi defectio. vide Gellium lib. 16. cap. 3. Poſſunt & auidi ægri hic nominari, qui ſine diſcrimine quoſuis cibos vorant etiã noxios, vnde & παμφαγεῖν apud Martialem, vt notauit VVoulardus noſter. *perniciem qu. f.* infamiam quæ generoſis animis & magnis eſt ipſa morte formidabilior. *queis ign.* ignoſcere, & veniam dare debes. potentialiter. *teneor.* ſum obnoxius & obuinctus. metaph. *ætas longa.* tria ſunt quæ vitæ mores & corporis affectiones efficiunt temperatiores, vtputa, longa ætas, liber amicus, & propriũ conſilium: ætate namq. prudentiores reddimur, adeò vt nobis iam natu grandioribus ea probẽtur, quæ quondã ob ętatis inſcitiã minimè placuerũt. ſic Odyſſeę lib. B. Telemachus ad procos, ἐγὼ δ᾽ ἔτι νήπιος ἦα. νῦν δ᾽ ὅτε δὴ μέγας εἰμὶ καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούων πυνθάνομαι, καὶ δή μοι ἀέξεται ἔνδοθι θυμός. id eſt, eram adhuc puer, at vbi iam ſum grandior, & reddit me aliorum oratio doctum, ipſéque grandeſcit mi animus; &c. ſic & Paullus, cùm erã paruulus, ſapiebã vt paruulus, &c. Liber autẽ amicus eſt, cuius vulnera (inquit Auguſtinus ad Donatiſtam) meliora ſunt, quàm voluntaria inimici oſcula: melius eſt enim cum ſeueritate diligere, quàm cum lenitate & obſequio decipere: obſequium enim illud moleſtum eſt, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit. Iccirco φίλον πρὸς ἄνδρ᾽ ἐχρῆν λέγειν ἐλευθέρως, id eſt, amicum oportet alloqui liberè virum, inquit Euripides in Alceſti. Conſilium proprium in deliberatione ſitum eſt; ne ſtatim ad primos animi impetus quicquam à nobis fiat, ſed vt in animo ſemper id Sophoclis obuerſetur, οὐ γὰρ τι βουλῆς ταὐτὸν καὶ δρόμου τέλος, id eſt, curſus enim haud eſt finis idem & conſilij: ſiquidẽ in curſu vincit, qui celerrimus ſit, in conſultando, cõtatio eſt tutior, periculoſa celeritas. *cùm lectulus.* hoc eſt, quando non eſt vacandum amicis, neque in turba luctandum, vt ait alibi: Lectulus quidem ad quietem accommodus eſt, porticus verò ad deambulationem, & vrbanam cum aliis bellis hominibus animi recreationem, vt ſolent qui grauioribus valere iuſſis, gaudent vti familiaribus. *deſum.* is autem non deeſſe ſibi dicitur, qui ſecum quid ſui ſit officij, quid maturè facto opus ſit, cogitat. *rectius hoc eſt.* Plutarchus (vt hoc adiiciam Commentatori) ait δύο λόγοι εἰσίν, ὁ μὲν ἐνδιάθετος, ἡγεμόνος Ἑρμοῦ δῶρον· ὁ δ᾽ ἐν προφορᾷ, διάκτορος καὶ ὀργανικός. & paullo pòſt: ὅτι καὶ τοῦ ἐνδιαθέτου λόγου, καὶ τοῦ προφορικοῦ, φιλία τέλος ἐστί, τοῦ μὲν, πρὸς ἑαυτόν, τοῦ δέ, πρὸς ἕτερον. hoc eſt, ſermones duo ſunt, hic quidem internus, ſeu mente conceptus, principis Mercurij donum; alius verò in efferendo poſitus, enunciator & inſtrumentalis. deinde, & vtriuſque tam interni quàm internũcij ſeu organici amicitia finis eſt, huius quidẽ erga ſeipſum, illius verò erga alium. Quare cùm dicit Horatius, *Rectius hoc eſt:* ſecum loquitur, ἄνευ τινὸς ἐκφωνήσεως, ἔστι γὰρ λόγος ἐν νῷ λαμβανόμενος hoc eſt, ſine aliqua enunciatione, eſt enim ſermo in animo conceptus. *hoc faciens.* deliberatio vitæ honeſtioris. *ſic.* tacita ἐπιφώνησις: quaſi dicat, ſi illud faciam, gratus ero amicis: aut poteſt referri ad id quod præcedit. *hoc quidã non.* propoſitio ab exemplo facti alicuius turpis, à quo ſibi cauendum cogitat. *compreſſis.* ne motis quidẽ, eſt enim ἐνδιάθετος λόγος, mentis conceptus. *hæc ego mecũ.* Clauſula ſermonis taciti & interni. *vbi quid datur o.* hęc eſt altera ſermonis ſpecies, qui προφορικὸς, id eſt, enunciatiuus dicitur, quo aliis communicamus, cum aliis conferimus τὸ ἐνδιάθετον, id eſt, internã cogitationem, & mentis conceptũ, & ob hũc dicit ſe apud pleroſq; non bene audire. *cui ſi conced.* hęc eſt epilogus huius Satyræ, tã feſtiuus quàm præcedentis erat. *concedere.* ignoſcere, fauere, & noſtræ eſſe ſententiæ. *veniat manus.* hoc eſt, innu-

Denique, cur vmquam fugiſſet: cui ſatis vna
Farris libra foret, gracili ſic, tamq́; puſillo.
Prorſus iucundè cœnam produximus illam.
Tendimus hinc rectà Beneuentum: vbi ſedulus hoſpes
Pene macros arſit, dum turdos verſat in igne:
Nam vaga per veterem dilapſo flamma culinam
Vulcano, ſummum properabat lambere tectum.
Conuiuas auidos cœnam, ſeruosq́; timenteis
Tū rapere, atq. omneis reſtinguere velle videres.
Incipit ex illo monteis Apulia notos
Oſtentare mihi: quos torret Atabulus: & quos
Numquam erepſemus, niſi nos vicina Triuici
Villa recepiſſet lacrymoſo non ſine fumo,
Vdos cum foliis ramos vrente camino.
Hîc ego mendacem ſtultiſſimus vſque puellam
Ad mediam noctē expecto. ſomnus tamen aufert
Intentum Veneri. tum immundo ſomnia viſu
Nocturnā veſtem maculant, ventremq́; ſupinū.
Quatuor hinc rapimur, viginti & millia rhedis,
Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt:
Signis perfacile eſt. vênit viliſſima rerum
Hic aqua: ſed panis longè pulcherrimus, vltrà
Callidus vt ſoleat humeris portare viator:
Nam Canuſî lapidoſus: aquæ non dulcior vrna
Qui locus à forti Diomede eſt conditus olim.
Flentibus hinc Varius diſcedit mœſtus amicis.
Inde Rubos feſſi peruenimus: vt potè longum
Carpentes iter, & factum corruptius imbri.
Poſtera tempeſtas melior: via peior, adusq;
Bari mœnia piſcoſi. dehinc Gnatia lymphis
Iratis exſtructa dedit riſusq́;, iocoſq́;:
Dum flamma ſine, tura liqueſcere limine ſacro,
Perſuadere cupit. credat Iudæus apella,
Non ego. namque deos didici ſecurū agere æuum:
Nec, ſi quid miri faciat natura, deos id
Triſteis ex alto cæli demittere tecto.
Brundiſium longæ finis chartæq́;, viæq́;.

COMMENTATOR.

EGRESSVM *magna*. Lucilius lib. 3. deſcripſit iter ſuum quod Roma fecit Capuam, & inde ad fretum vſque Sicilienſe. hunc imitatus Horatius iter ſuum ab vrbe Roma deſcripſit Brūdiſium vſque, commemorans eius itineris incommoda, ſimul & facetam contentionem Sarmenti ſcurræ & Meſſij Cicerri. *rhetor co.* mihi fuit. *egreſſus*. dicimus egreſſus Romam vel Roma. *Aricia*. ciuitas in via Appia abeſt ab vrbe vigintimilia paſſuum. *inde for. Ap.* venimus. forum autem Appij nomen eſt oppidi. *differtum nau.* plenū his nautis qui in Pomtinis paludibus nauigant. *hoc iter ign.* Roma ad forum Appij. *ignaui*. tardi. *diuiſimus*. partiti ſumus in duos dies, hoc eſt, biduo confecimus. *altius præcinctis*. ſuccinctis. hoc eſt, velocioribus, magis expeditis, ac validioribus. *vnum*. id eſt, vnius diei. *minus eſt gr.* Appia via non eſt moleſta tardioribus, quia diuerſoriis eſt frequens, vbi poſſunt manere viatores, quocumque peruenerint. *hic*. apud forum Appij. *propter aquam*. aquæ cauſa, quòd ea eſſet inſalubris, ac non apta palato. *ventri indic.* id eſt, famem, non cœno, iubeo eſurire, nego alimentum. *expectans*. vt nauigaremus. *iam nox ind.* aſpergere vmbras terris. *ingerere*. pro ingerebant, ſibi inuicem conuiciabantur. *huc appelle.* huc applica nauem: ab Appij foro ad Feroniam per paludes nauigabatur, quia via erat durior & difficilior, quàm vt eò vehiculis ire liceret. *huc appelle.* verba ſunt alicuius ex ſeruis ad nautam. *trecentos inſer.* verba ſerui vetantis, ne tam multos naui imponeret ipſe nauta vt locus non eſſet omnium capax. *dum æs*. naulum petitur. *mula l.* mula autem iungenda erat nauigio, vt per paludes id chorda traheret quò vehebantur viatores. *tota abit hora*. maior pars noctis abſumta eſt. *mali culi.* hos tintinialas vocant plebeij, à ſonitu alarum ficto vocabulo. *ranæq́; pal.* in paludibus Pomtinis, quas Cæſar ad mare deriuauit. *prolutus*. ſatiatus, plenus, ebrius. Virg. hauſit ſpumantem pateram, & pleno ſe proluit auro. *vappa*. vino malo & euanido. *miſſæ paſtum r.* ordo eſt, nauta piger religat retinacula mulæ miſſæ paſtum, ſaxo, &c. nam poſteaquàm obdormierunt viatores, vt ſimul cum eis dormiret nauta, dimittit mulam paſtum, & chordis, quibus mula traxerat, nauem alligat ſaxo, ne per paludes vagaretur. *ſtertitq́; ſup.* iuxta mulam. *cerebroſus*. ὀξυχολος, iracundus. *proſilit*. citò ſurgit. *vnus*. aut de ſociis ſuis, aut de iis qui cum Horatio nauigabant. *mula naut.* id eſt, & mulæ lumbos & nautæ caput ferire cœpit. *dolat*. ferit & grauiter verberat; metaph. quia dolare eſt fabrorum lignariorum. *exponimur*. tranſportamur. *ora manusq́;*. apoſtrophe ad Feroniam deam, ex cuius fonte ſumta aqua manus & ora abluebant ſumpturi prandium. fanum autem Feroniæ in tertio erat miliario à Tarracina. Imo verò Feronia Iouis Anxuris vxor ibi colebatur: quemadmodum Iuppiter Anxur Tarracinæ. Meminit huius Feroniæ Virg. lib. 7. inquiens, Circæumque iugum queis

Iuppiter Anxuris aruis præſidet,& viridi gaudens Feronia luco. *repimus*. tardè procedimus, & conſcendimus Tarracinam, dictum Anxur à Ioue Anxure,qui ibi colebatur imberbis:iccirco nominatur Anxurus,quaſi ἄνευ ξυροῦ,id eſt,ſine nouacula, quia nondum barbam raſiſſet. *miſſi magnis de r*. de reconciliatione Auguſti & Antonij. *legati*. ab Antonio miſſus fuerat Fonteius Capito legatus, ab Auguſto Mæcenas intercedente Cocceio Nerua proauo Neruæ Imperatoris (qui & Auguſto & Antonio gratus erat) cum Agrippa: ea autem condicione conuenerant legati, vt de ſumma rerum tractarent, exortamque diſſenſionem inter duos hos Imperatores componerent; quod & fecerunt,& vtrumque exercitum iuxta Brundiſium in vna caſtra cum magna lætitia coëgerunt, vt refert Liu. lib. 127. *auerſos ſ. c.* Auguſtum & Antonium, qui inter ſe diuertere cœperant. *hic*. apud Anxur. *inlinere*. illinebam, vngebam. *Cocceius*. Nerua,proauus Neruæ Imperatoris, Conſul Romanus *ad vnguem f. h.* elegans, vrbanus, facundus. tranſlatio ſumpta à marmorariis, qui vnguibus iuncturas & leuitatem explorant. Perſ. vt per leue ſeueros effundat iunctura vngueis, &c. Virgil. in vnguem arboribus poſitis ſecto via limite quadret. *Antonij vt non*. hoc eſt, ita amicus Antonij, vt nemo alius magis. *Fundos*. Fundi nomē oppidi in via Appia. *pratore*. qui ex ſcriba prætor factus erat. *inſani*. qui inanem honorem magni pendebat. *pramia*. inſignia dignitatum. *ſcriba*. qui de decuria ſcribarum fuerat, & hoc pro præmio fuerat conſecutus, vt præturam gereret; quem riſiſſe ſe ait,quod maximi faceret, ſeſeque oſtentaret ob latum clauum & prætextam, quæ inſignia erant Senatorum & magiſtratuum. Latus clauus colobion Græcè, dicebatur veſtis quæ ad pectus magiſtratuum extendebatur in formam lati claui. *prunaq; vatillum*. vatillum deminutiuum à vaſe, eſt vas paruum, in quo pro felici hoſpitum aduentu incenſis odoribus Ioui hoſpitali ſacra fiebāt: quod cùm ex cupro eſſet, ita tollebat & oſtentabat hoſpitibus, quaſi eſſet aureum: & ob hanc cauſam vocatur ab Horatio inſanus. eſt & vatillum in quo ponuntur prunæ in hieme ſuper menſam, ne cœna frigeat. *in Mamurrarum*. Mamurra Senator fuit Romanus, qui maximā partem ciuitatis Formianæ poſſidebat, vnde dicta eſt Mamurrana ciuitas: vel quòd familia Mamurrarum illinc fuerit oriunda. deſignat itaque ſe Formiis propter laſſitudinem manſiſſe in alterum diem. *Murena p. d.* hoſpitio quidem apud Murenam accepti ſumus, ſed cœnauimus apud Capitonē. *Capitone culinam*. id eſt, cœnam. Culina autē dicta eſt, quaſi colina, quia ibi lares colantur, vel quòd carbones culiat. *Sinueſſa*. nomen oppidi in agro Capuano, nō procul à Minturnis. *candidiores*. humaniores, meliores, dulciores. *ſanus* quamdiu ſana mente ſum, nihil arbitrabor eſſe conferendum ſuaui & amico caro. *proxima Campa*. ordo eſt, villula quæ eſt proxima ponti Campano, id eſt, Capuenſi, præbuit tectum: ea autem villula eſt intra 16. miliarium à Capua, vbi ſe pernoctaſſe dicit. *parochi*. ſupp. præbuerunt, per Zeugma. parochi, ἀπὸ τοῦ παρέχειν, id eſt, præbere, erant qui legatis reipublicæ cauſa iter facientibus neceſſaria præbebant, publici muliones. *hinc*. ab hac villula. *clitellas*. ſaginas, ſiue ſellas, quibus ſtrati muli ſarcinas & onera geſtant vncinis ligneis hinc inde dependentibus. *tempore*. tempori, tempeſtiuè. *namque pila l*. ſic ait lippum, Virgilium autem crudum, laborabat enim ſtomachi cruditate, quòd cibum ingeſtum difficulter concoqueret. *hinc*. à Capuana villula. *Cocceij*. Neruæ. *pleniſſima*. copioſiſſima, quæ eſt ſupra Claudij cuiuſdam cauponas. *Claudi c.* Claudij cauponæ, ſiue taberna oppidum eſt Samnij, non procul à Beneuento. Lucan. vltra Claudi cauponas ſperauit ponere furcas. *pugnam*. litem, contentionem. *muſa velim*. de re dicturus ridicula, muſam inuocat, vt attentum faciat auditorem, idque ad imitationem operis Heroici. vt, nunc age, qui reges Erato. &: Pandite nunc Helicona Deæ. &: Quis mihi nunc acerba Deus, &c. *liteis contulerint*. litigarint, ſe verbis inuicem fatigarint. *Meſſi c. g. O.* Meſſius Cicerrus Oſcus clarum genus, id eſt, claro genere oriundus. figurata locutio. qualis hæc eſt, Creſſa genus Pholoë. &: Qui genus, vnde domo? eſt autem Ironia, nam Oſcis olim nihil erat ignobilius, & magis infame: hinc enim obſcenum deriuari volunt, quaſi oſcenum: erant Oſci olim Campaniæ populi. *Sarmenti d. e.* oſtendit hunc fuiſſe libertum, licet poſtea de decuria ſcribarum fuerit. *his maioribus*. Ironicôs, erant enim obſcuri & ignobiles. *feri*. grandis & duri, quia procerus erat Meſſius. *& ipſe Meſſ* inquit. *accipio*. opprobrium quod in me iacis. *caput & m.* agitat minicabundus. *ô tua cor*. Sarmentus iterum deridet acerbius Meſſium. *exſecto*. ſupp. ſic, propter cicatricem in ſiniſtra parte frontis ipſius Meſſij. *mutilus*. mutilatus, quaſi amputato cornu. Quid faceres ſi cornu bouis inſtar haberes, quando nunc dempto cornu tam iracūdè minitaris agitato capite. *at illi*. Meſſio. *ſetoſam*. ſetis opertam, pro capillis *frontem l. o.* notanda locutio, pro læua ſiue ſiniſtra parte faciei. *Campanum in m.* hoc enim quaſi à natura Campanis ferè omnibus ineſt, vt capitis temporibus magnæ verrucæ innaſcantur, in modum cornuum, quos cùm incidi faciunt, cicatrices in fronte manent, quaſi notę exſectorum cornuū.

in hunc

in hunc ergo morbum, id eſt, faciei vitium (quo Campani laborant) iocatur Sarmentus. *in faciem p.* in fœdam faciem, κατὰ ἀντὸ, quia Campanus morbus eſt facies fœdata verrucis. *ſaltaret Cyclo.* id eſt, ſaltando exhiberet. *nil illi larua.* quia ore erat deformi ſupra modum. *cothurnus.* quia longus erat *ad hac.* iracundè locutus. *donaſſet iam ne.* vrbanius hæc dicta ſunt in Sarmentum, qui ſeruilibus erat natalibus: ſumta tranſlatione à generoſis pueris, qui egreſſi annos pueritiæ, iam ſumta toga Diis penatibus bullas ſuas conſecrabant; & vt puellæ pupas. ad hunc modum ridendo interrogat Sarmentum, catenam ne ſuam & compedes Diis ſuſpendiſſet, quibus ipſe ſeruus fuiſſet concatenatus. *quærebat.* interrogabat *quòd.* eò quòd. non, inquit, quia factus es ſcriba, amiſiſti condicionem ſeruitij, nec iccirco dominæ imminutum eſt ius imperandi. *támque puſ.* quia erat breui ſtatura. *hinc.* à villa Cocceij. *ſedulus.* diligens, officioſus. *penè arſit.* combuſtus eſt. *nam vaga.* mira energia hic ſenſus eſt explicitus. *dilapſo vul.* diſperſo igni. *lambere.* contingere, vt, tactuque innoxia molli lambere flamma comas, & circum tempora paſci. *ex illo* Beneuento. *notos mihi.* quia Horatius erat Venuſinus. *torret.* nimio calore exſiccat Apuliæ regionem, peſtemque adducit. *Atabulus.* ventus infeſtus Apuliæ, ἀπὸ τοῦ τὴν ἄτην βάλλειν, hoc eſt, ab eo quòd peſtem immittat, vulgo dicitur atabo. *erepſemus.* ſyncope, pro erepſiſſemus, tranſiuiſſemus. *numquàm.* difficulter, non ſine magna defatigatione. *villa Triuici.* oppidum in finibus Campaniæ, quò vehicula accedere nequeunt, & iccirco Horatius ad villam diuertit. *villa recep.* ea villa nos accepit hoſpitio, ſed fumoſo, propterea quòd ignis ſtructus eſſet ex vdis, hoc eſt, viridibus & humidis ramis. *lacrymoſo.* ab effectu, quòd lacrymas excutiat. *ſtultiſſimus.* qui ei credidi. *intentum ven.* ſupp. me; hoc eſt, dum eam expecto, in ſomnum incido. *hinc rap.* à villa Triuici celeriter vehimur. *quod verſ. d.* hoc eſt, quod in hexametro verſu poni non poteſt. hoc autem dicitur Equotutium. ſic Lucil. Satyr. 7. Seruorum eſt feſtus dies hic, quem planè hexametro verſu non dicere poſſis. *venit.* venditur, diſtrahitur; à verbo veneo, quod eſt vendor. *nam Canuſi.* ſententia eſt: apud Canuſium Apuliæ oppidum lapidoſus eſt panis, hac de cauſa ab Equotutio viator emtum panem fert Canuſium; vbi & aqua deeſt, ſicut & in Equotutio. *callidus.* prouidus, prudens. *mæſtus.* mæſtum dicit propter mutuum deſiderium inter amicos. *inde.* à Canuſio. *Rubos f. p.* hi Rubi, oppidum. hinc putant aliqui dixiſſe Virgil. Nunc facilis rubea texatur fiſcina virga. *corruptius* difficilius nobis & moleſtius. *poſtera temp.* poſtera dies, hoc eſt, poſtridie cælum erat ſerenum, & ſtatus aëris temperatior. *via peior.* iter incommodius propter pluuiam. *Bari mœnia.* Barium ciuitas eſt Apuliæ. alia autē eſt quæ Grammatico Theotiſto dicta eſt Baris. *Gnatia lymph.* vel quia eget aquis, vel quòd eas ſalſas habet & amaras; vel quòd in pede montis ſita eſt; ei iccirco videntur aquæ iraſci, cùm torrentes de montibus impetu magno decurrentes ſæpe magnas vrbis partes diruunt. *dedit riſusq; iocoſq.* riſimus, inquit, quòd apud Gnatiam audiuimus thuris tura ſine flammis conſumi. *liqueſcere.* incendi. *limine ſacro.* in templo. *perſuadere cupit* Gnatia ſcilicet, hoc eſt, ſacerdos templi, vel populus ipſe, vt ſit continens pro contento. *apella.* nomen fictum, quaſi ſine pelle: aut certè apella, circūciſus, quia præputium non habet. *namq. Deos.* hoc ait ex opinione Epicureorum, qui Deos aiunt non aliter poſſe eſſe immortales nisi quietos, & ab omni cura ſeparatos. *triſteis* ſolicitos. Hinc eſt illud poëtę: Nec curare Deûm credis mortalia quemquam. ſic & Lucretius de Deo: Nec bene pro meritis capitur, nec tãgitur ira *ex alto.* ita Plautus in Amph. in ſuperiori qui habito cœnaculo verba ſunt Iouis. *Brundiſium.* hoc eſt, & profectionis meæ finis fuit Brundiſium, & huius quoque carminis.

CRVQVIVS.

MÆCENAS & L. Cocceius à Cæſarianis legati ſunt delecti, vt cum Pollione & a iis Antonij amicis pacem inter Cæſarem & Antonium componerent: nam Antonius tunc temporis Octauianum præſidium & ciueis ipſos Brundiſij graui premebat obſidione, vt poſtea dicemus. Mæcenatem autem comitatus eſt Horatius officij cauſa, vt qui nihil habebat antiquius, (vel ſe teſte in prima Epodo) quàm ab eius latere non diſcedere. Is itaque in hoc itinere (vt ſolent nō ignaui) dum ſingula, quę adiit ipſe, viæ Appiæ loca deſcribit, plus μακρολογίαν agit quàm ἐπιχαρῆ: idque (vt vero eſt conſentaneum) conſultò facit: nam vt profectio omnis multa ſecum trahit incommoda, quibus opus eſt affictari miſerè viatorē, priuſquam difficultates viarum ſuperet; ita profectò facundum aliquem comitem deſiderat, qui primùm grata aliqua cōmemoratione laſſitudinem & itineris tædium ſubleuet, deinde lepidis quibuſdam & facetis iocis animum recreatum condiat: quód vt fiat alacrius, nulla ſeria, aut de rebus arduis narratio ei rei eſt accommoda, ſed aut fabuloſa vtendum eſt, aut ea quæ fabuloſæ ſit quàm ſimillima. Talis hæc eſt itineris Horatiani expoſitio, quę non minus reficit lectoris animum, quàm ſi ei ſit ex itinere defatigato comes facetus: in qua

riſum captat, partim ab ineptis nautarum & inconditis moribus, partim à faceta contentione Sarmenti ſcurræ & Ciccrri Oſci, partim dum inſectatur naturæ in locis aliquibus malignitatem, cùm ob aquæ vitium ſtomacho noxium, tum propter panis Canuſini aut duritiem aut nigrorem, quem lapidoſum nominat: Poſtremò, ita iucundè concludit & lepidè iocatur in illud myſteriũ Gnatiæ Deæ, vt lector cum viatore, ſi nihil quicquam hic cum lepido comite ex itinere moleſtiæ, certè ille ex lectione tædij nihil perſentiſcere poſſit. *egreſſum magna.* ſuccincta periodus grauis & longi itineris: diſtat enim Aricia, Strabone teſte lib. 5. à Roma centum & ſexaginta ſtadia in Appia via, cõtinuò poſt Albam ſita Tarracinam proficiſcentibus. Hunc autem curſum citius perfeciſſe crediderim Horatium, propter Albani montis anfractus ſinuoſos, cuiuſcemodi vias non rarò ſolent obſidere, & periculis infameis rēddere latrones. Scribit Blondus in Latina ſua regione illuſtrata, Appiæ viæ primam vrbem Albam 16. ab vrbe diſtare, eiſque in eadem via proximam ſexto miliario abeſſe Ariciam, olim ciuitatem nobilem: de qua Liuius in octauo. Hanc ait Seruius nomen accepiſſe à morbis quos gigneret, quia vicina eſſet Pomtinæ paludi: Eſt autem Solinus auctor cap. 8. eam eſſe conditam ab Archilocho Siculo: hoc in loco, inquit, Oreſtes oraculo monitus ſimulacrum Scythicæ Dianæ, quod de Taurica extulerat, priuſquàm Argos peteret, conſecrauit. Quod & Strabo innuit lib. 5. ſed obſcurius. *me accepit.* hanc lectionem habet vnus cod. Bland. tres alij, excepit. Buſlid. autem, Nan. Tonſ. Marr. cepit. *hoſpitio mod.* iucunda antitheſis, per comparationem Ariciç, modici hoſpitij, ad Romam magnam. Aricia namque Romæ collata, fuit admodum exigua, vt ait Lucan. lib. 6. parua Micenææ quantum ſacrata Dianæ diſtat ab excelſa nemoralis Aricia Roma. *Græcorum longè.* tres cod. Bland. Diu. Marr. habent, linguæ. alij autem, longè. quæ poſterior mihi probatur magis: etſi namque linguarum peritum deceat eſſe Rhetorem, nihil tamen hoc impedit, quò minus ſit & diſciplinarũ doctiſſimus: vt omittam hunc eum eſſe Heliodorum (niſi me fallat opinio) cuius in ſecundo de Antid. Galenus honorificè meminit, cuius & carmen & medicæ artis cognitionem facit maximi. *inde forum App.* Blondus in Latina regione, Deinceps, ait, eadem via ſecus Storacem, ſiue Nymphæum amnem, vbi olim fuit forum Appij vetus oppidum, nunc eſt monaſterium foſſa noua appellatum, &c. Hunc Storacẽ puto à Strabone lib. 5. nominari Storam fluuium; ait enim: In medioque Storas eſt fluuius, & prope illum Hyphormus: dehinc contiguum littus portibus deſtitutum, &c. meminit & Plin. Foroappij lib. 3. cap. 5. ab hoc Appij foro ſoluit nauis Tarracinam verſus Brundiſium iter facientibus: & cõtrà, Tarracina Romam verſus ſoluentibus, ad hoc Appij forum appellit, Strabone teſte, cuius verba ex lib. 5. hic apponere eſt operæ pretium ad elucidationem huius loci: Prope Tarracinam verò, inquit, Romam iter facienti foſſa ad Appiam viam apponitur, & quidem multis in locis, quam & paluſtres & fluuiatiles implent aquæ: per eam nocturna maximè fit nauigatio, vt qui primis conſcendant tenebris oriẽte ſole egreſſi, viæ Appiæ reliquum euadant, & interdiu trahentibus mulis remulco perambulent. *cauponibus atque m.* ſic Satyra huius lib. 1. perfidus hic caupo, &c. Malignus eſt, qui difficultatem ſui oſtendit, inquit Donatus, aſper, difficilis, auarus, κακοήθης, κακόθυμος: nam qua ratione perfidus, eadem etiam malignus dici poteſt, quòd nemini det quod ſuum eſt. *præcinctis.* expeditis viatoribus à Roma ad Appij vſque forum iter eſt vnius diei. *minus eſt g.* neſcio an ea lectio melior ſit propter plura eius viæ pericula & incommoda, quam offendi in codice Tonſ. putà, *nimis eſt grauis*, &c. quàm vulgata: ſed diſpiciat lector. minùs autem grauis, id eſt, non grauis, facilis & iucunda cunctatoribus. *propter aquam.* habet Blondus in Latina regione: à Velitris (cuius ciuitatis vetuſtæ Liuius meminit lib. 8. vnde Veliterni ciues) recto itinere inſtituto diſtat 14. oppidum Sarmineta; & tertio abſunt aquæ fœtidæ, ad quas palus incipit Tarracinam vſque non minus nunc, quàm Strabonis ætate cõſueuerit, nauigabilis. propter huius aquæ deterrimum odorem dicit Horatius hic ſe nõ cœnaſſe. *haud animo æquo.* iniquo animo, grauatè, moleſtè, ἑταῖροι. *comites.* qui vnà erant conſcenſuri nauem. *iam nox ind.* χειμοχεφία noctis aduentantis. ſic Virgil. iam nox humida cælo præcipitat. *cælo diff. ſ. p.* vndequaq. exhibere mortalibus ſigna cæleſtia, ſtellas & ſidera, præſagium ſerenitatis nocturnæ. *tum pueri.* conſcenſuri nauem ſerui cum nautis; petulantibus conuiciis contendebant. Pueri dixit ad imitationem Græcorum, quibus παῖδες ſunt quorum opera vtimur, ſiue in itinere faciẽdo, ſiue aliis in rebus: nam Eraſmo teſte cap. 14. Matthæi, hæc vox παῖς cõplectitur & ſeruos & ancillas & liberos, omneis denique domeſticos prçter patrẽ & matrem familiâs. *huc appelle, tr. in.* verba ſunt ad nautam eius viatoris, quem pòſt paullò ait cerebroſum proſiluiſſe, ac ſaligno fuſte dedolaſſe lumbos & mulæ & nautæ, vt facilis eſt coniectura: ea namque verba ſatis indicant animum ad iram proniorem & prçcipitem. *trecentos inſeris.* nimis multos. finitum pro infinito. *obe*

iam.

iam ſatis eſt. ohe, vt ait Donatus, vox eſt ſatietatis. quod & aſſerit Iuuenalis Satyra 7. Satur eſt cùm dicit Horatius ohe. Sic & Mart. ohe iam ſatis eſt, ohe libelle. *mali culices.* moleſti alarum ſtrepitu, & ſua promuſcide infeſti. *ranaq; pal.* odioſam illã cantionem ſine fine iterando, βρεκεκὲξ κοὰξ, κοὰξ κοὰξ. *auertunt.* depellunt, impediunt. *cantat.* ad itineris tædium ſubleuãdum, & horrorem nocturni ſilentij. *certatim.* contẽtioſè, ita vt alter alteri præire niteretur in amicæ laudibus decantandis. *dormire viator.* qui nauigio nobiſcũ vectabatur. *ſtertitq; ſup.* iners, negligens & otioſus. *cerebroſus pro.* ἀκρόχολος καὶ ὀξύθυμος. qui Virg. dicitur præceps animi, & iræ impatiens: qualem ſe Horatius eſſe non diffitetur, vlt. Epiſt. lib. 1. Iraſci facilem tamen vt placabilis eſſem. ſignificat enim ſe eſſe θυμικὸν: tales & iram colligunt & ponunt temere, quos ait Ariſtoteles non eſſe metuendos. *ſaligno.* pro opportunitate loci: gaudent enim ſalices paludibus & terris aquoſis. *quarta v. d.* conqueritur ſibi negligentia nautæ tertiam diei partem deperiiſſe. *Feronia lympha.* Feronia locus nomen accepit (vt ſcribit Dionyſ. Halicar. Antiqui. Rom. lib. 2.) à ferendo: Nam plerique Lacedæmonij pertæſi ſeueritatem legum Lycurgi, fecerunt votum, vt enauigato longo maris tractu, quocumque primùm appelleret, id poſtea ſibi domicilium fore: Qui cùm iam delati eſſent ad Pometinos campos (à quibus certum eſt dictas eſſe Pomtinas paludes, quaſi Pometinas, non etiam Pontinas, vt vulgò fertur) Italiæ, eum agrum Feroniam appellauerunt: non immemores, quòd eos huc illuc per mare ferri contigerat, vbi & templum quoque factis votis Diuæ Feroniæ condiderunt. Ceterùm lectorem monitum volui, ne ad hos Circæos ſcopulos perpetuò fluctuet, aliam quoque fuiſſe Feroniam vrbem & Deam cum ſuo luco celebratiſſimam ſub Soracte monte in Tuſcia ſeu Faliſcis, nunc ſancti Silueſtri oppidulum, cuius ad miraculum vſque meminit Strabo lib. 5. Geogr. inquiens: Sub monte autem Soracte vrbs eſt Feronia, quo nomine & Dea quædam nuncupatur, quam finitimi miro dignantur honore: eodem in loco ipſius templum eſt, mirificum ſacri genus habens, nam qui eius numine afflantur, nudis pedibus prunas, & copioſum inambulant ſub hac dæmone nulla læſione cinerem: eò ingens mortalium multitudo conuenit, & celebritatis ipſius, quæ quotannis celebratur, gratia pariter & ſpectaculi huius quod dixi, &c. Sed demirari ſatis nequeo nullam à Strabone fieri mentionem huius Horatianæ Feroniæ, modò ea vera ſint quæ à Seruio commemorantur ad finem lib. 7. Aen. Virg. Et viridi gaudens Feronia luco. Non vacat, inquit, viridi, nam cùm aliquando huius fontis lucus fortuito arſiſſet incendio, & incolæ vellent transferre ſimulacrum, ſubitò reuiruit. Quam ob rem crediderim ea verba Seruij, aut eſſe ſuppoſiticia, aut certè pertinere ad lucum Feroniæ in Tuſcia, propter illud ignis miraculum: non enim adduci poſſum in eam ſententiam, vt exiſtimem Strabonem iam celebrem locum ſilentio dignum iudicaſſe, præſertim cùm nõ omiſerit in ſua Appiæ viæ deſcriptione Aricam, Pomtinam paludem, & Tarracinam. *repimus.* metaphoricõs; teſtudineo quodam gradu procedimus: propter accliuitatem loci, vbi vel minima defatigatio corporis, ventriculo iam oppleto fuiſſet grauiſſima. *repimus*, habent codices Blandin. Buſl. Mart. reliqui *repſimus*. *Impoſitum ſaxis.* Quidam Bland. cod. & Buſl. habent, *late ſaxis candent.* erat enim vrbs prona in paludes, teſte Liu. 4. ab vrbe. prominens in mare, non minùs quàm ſolent candidiſſimi ſcopuli. *Anxur.* Plin. lib. 3. c. 5. Deinde flumen Vfens, ſupra quod Tarracina oppidum, lingua Volſcorum Anxur dictum: quod ego ſanè (Seruij pace dixerim) vocabulum potius ab ἀναξυράω ſeu ἀναξύω deduci crederem, quod abradere, leuigare, expolire denotat, quã ab ἄνευ ξυροῦ, id eſt, ſine nouacula: nam adoleſcentũ eſt (qualem fingit hic Seruius Iouem Anxurum) barbam radere, quò facies ipſa in primis annis delicatior candidiorque mollius inſaniat. taceo hanc etymologiam propriiſſimè conuenire ipſi etiam loco ſecundum naturæ ſitum, qui cùm eſſet editior, & tempeſtatibus aëris non minus expoſitus, frequẽtibus pluuijs & imbribus denſioribus; conſentaneum eſt eum ſæpius abraſum fuiſſe atque expolitum, vt non iniuria dicat Horatius candentibus ſaxis impoſitum. *huc venturus erat Ma.* ad hunc locum elucidandum, qui totus pendet ab hiſtoria, ſtatui in ſtudioſorum gratiam in pauca contrahere quæ ab vno Appiano Alexand. lib. 5. bellorum ciuilium pluribus commemorata ſunt, cùm vt itineris Horatiani cauſam cognoſcat lector, tum vt res inter Antonium & Cæſarem controuerſas à Mæcenate & Cocceio compoſitas clarius intelligat. Itaque poſt interfectos in campis Philippicis Caſſium & Brutum, cùm iam Antonius tranſmarinas prouincias peteret collecturus pecunias, ad promiſſa militibus honoraria perſoluenda: Cæſar verò in Italiam rediret ad agros aſſignandos veteranis, tunc Lucius Antonius Marci frater Conſul Romanus bene affectus erga Rempubl. Triumuirorumque potentiæ vehementer infenſus, vltra præfinitũ tempus (vt videbatur) manſuræ: Cæſarem nonnumquam offendebat ad contentiones vſque, dum veteres agrorum poſſeſſores, qui ad optimates ſuppliciter auxilij cauſa confugiebant,

bene ſperare iubebat. Is aliquando vano quodam metu Cæſaris ſimulato, collectóque ſatellitio Præneſte ſeceſſit, miſſis hac de re ad Antonium litteris. Cæſar autem videns huius conſilium ad bellum ſpectare, ſe quoque parabat. Lucio erant ſex legiones ex delectu quem Conſul creatus habuit, & vndecim aliæ Antonianæ ſub Caleno duce in Italia: Cæſar Capuæ quatuor legiones habebat, & circa ſe cohortes prætorias: Sex alias legiones Saluidienus adducebat ex Hiſpania. Perſuaſus à Lucio Bocchus Rex Maurorũ Carinati Hiſpaniam pro Cæſare curanti bellum intulit. Aënobarbus autem cum ſeptuaginta nauibus, & duabus legionibus, adiuncta etiam ſagittariorum & funditorum manu, & nonnullis velitibus, gladiatoribúſq. vagando per mare Ionium cùm appuliſſet Brundiſium, triremes Cæſarianas partim cepit, partim cremauit, & Brundiſinis intra mœnia compulſis agros deprædatus eſt: eò Cæſar legionem vnam miſit, & Saluidienum properare iuſſit ex Hiſpania. Iam certatim delectus agebantur per totam Italiam, hinc à Cæſarianis, illinc ab Antonianis Lucij ducibus. Interim pugnatum eſt inter vtroſque, nunc minoribus, nunc maioribus prœliis. In eo rerum ſtatu Cæſar equitibus in curiam conuocatis proteſtatus eſt, ſe nec de Antonio queri, nec contra illum facere quicquam, ſed coarguendum Lucium cenſet cum ſuis inſtigatoribus, ſeq. illi reconciliandum non inutile iudicat; quod vt facerent aliquot ex equeſtri ordine legati delecti, ad Lucium Præneſte aduolant: ſed is reſpondit, vtrimque iam vẽtum ad manus præproperè, Cæſarem ficte agere omnia, qui iam Brundiſium legionem miſerit, quæ Antonium arceat ab Italia. Legati itaque rebus infectis Romam reuerſi ſunt, nulla hac de re Cæſari facta ſignificatione. Cæſar in expeditionem profectus eſt, præfecto vrbi Lepido, cum duarum legionum præſidio. Nobilium autem multi ad Lucium ſe conferebant, vt quibus diſpliceret triumuirorum potentia. Quare Lucius Romam properans, tribus eius agminibus præmiſſis, vrbémque noctu ingreſſis, ipſe cum exercitu ſubſequens, exceptus eſt à Nonio portæ cuſtode. Lepidus autem relicta Roma, euaſit ad Cæſarem. Lucius populo ſpem fecit, fore vt Cæſar & Lepidus mox pœnas dent eorum quæ in magiſtratu violenter egerant, frater verò deponat ſponte poteſtatem illegitimam. Quare à populo Imperator ſalutatus contra Cæſarem profectus eſt. Qui cùm Saluidienum circumuenire captaret, ab Agrippa prohibitus eſt: à quibus vbi inſidias ſibi parari cognouit, ad Peruſiam ſe recepit vrbem munitam, vbi & caſtrametatus eſt expectaturus Ventidium & Aſinium cum ſuis copiis. At hic præter omnem opinionem ab Agrippa, Saluidieno & Cæſare tribus exercitibus eſt obſeſſus tam arctè, vt tádem propter famem coactus ſit ſeſe dedere Cæſari cum ſuis copiis. Hunc exitum habuit bellum geſtum contra Lucium, quod videbatur diu vexaturum Italiam: nam Aſinius, Plancus, Ventidius, Craſſus, Ateius cum maximis exercitibus equitum & peditum, rati caput belli fore Lucium, poſt hanc deditionem alij aliò cum ſuis copiis ſe contulerunt. Aſinius autem Aënobarbum pertraxit in amicitiam Antonij; datis ea de re ad Antonium litteris. Ineunte autem vere Antonius Alexandria profectus in Aſiam peruenit, vbi de Peruſinæ obſidionis euentu cognouit, fratremque incuſauit, & vxorem ſuam Fuluiam, quam Athenis inuenit profugã è Brundiſio. Pompeius è Sicilia Iuliam matrem Antonij, quò confugerat cum L. Libone & Saturnino miſit ad Antonium; qui Pompeio gratias agens, eius ſe vſurum ſocietate dixit, ſi bellum contra Cæſarem gerẽdum ſit. Ceterùm ipſe Sicyoni Fuluia relicta languida, cùm audiret Aënobarbum ſibi cũ claſſe & magno exercitu venire obuiã, cum quinq. optimis nauibus, reliquiſq. ſubſequi iuſſis, pergebat ad Aënobarbum. Qui cùm iam in conſpectu eſſet cũ omnibus copiis, ad ſignum datũ à primario lictore Antonij in prora conſiſtẽti, Aënobarbus detractis inſigniis, appulit ad latus nauis Antonij. Qui recepto in ſuam nauem Aënobarbo, ad Poloënta appulit, vbi erant Aënobarbi terreſtres copiæ: ibi Aënobarbus Imperatori ceſſit ſuo tentorio. Inde Brundiſium nauigatum eſt; vbi quinque cohortes Cæſarianæ præſidiariæ cum Brundiſinis portas clauſerũt; Aënobarbo quidem vt hoſti veteri, Antonio verò, vt hoſtem adducẽti. Sed is ratus à Cæſarianis ſe excludi ex ſententia Cæſaris, ceruicem qua vrbs continenti iungitur, foſſa muroq. interſepiuit, cliuumque ipſum crebris caſtellis obſedit: hortatus Pompeium vt è Sicilia claſſe quantum poſſet Italiam inuaderet. Is continuò Thurios & Conſentiam obſedit. Antoniani Sigiuntum oppidum Auſoniæ ceperunt. Cæſar nihilo minus cum exercitu Brundiſium profectus, cùm videret vallo interclusum, tãtum admotis eò caſtris hoſtem obſeruabat ex inſidiis. Antonius inſpectante Cæſare machinis oppugnare parabat Brundiſium magno dolore Cæſaris, qui opem obſeſſis ferre non poterat. Tandem Cæſariani poſt multas exprobrationes cum Prætorianis Antonij mentem ſuam aperuerunt, nempe ſe cupidos eſſe reducẽdorum imperatorum in mutuam gratiam: aut ſi Antonius flecti ſe non patiatur, vim vi repulſuros. Erat tunc temporis L. Coccejus vtrique Imperatori amiciſſimus in caſtris Cæſaris: ei iam è caſtris diſcedenti

multi

multi Centuriones aperuerunt mentem exercitus qui eam quoque indicauit Antonio, vt ſciret bellum imminere ab iis, ni redeat in gratiam. Antonius itaque hortatu Coccei & precibus matris Iuliæ Pompeium in Siciliam reuocauit: Aënobarbum militum poteſtate in Bithyniam. id vbi cognouit exercitus Cæſaris, legatos delegit qui vtrumque imperatorem adirent. Hi cohibitis eorum querelis, quippe qui non ad iudicandum electi, ſed ad pacem faciendã, adhibitóque Cocceio, vt communi amborum amico, & ex Antonianis Pollione, è Cæſarianis Mæcenate decreuerũt prætéritarum offenſarum obliuionem mutuam, & amicitiam in poſterum. Et, quia Marcellus maritus Octauiæ ſororis Cæſaris nuper obierat, poſtulauerunt pacis auctores, vt frater eam collocaret Antonio (cuius vxor etiam iam fato conceſſerat) móxque deſponſa, dictum eſt, feliciter, conſequẽtibus fauſtis acclamationibus totius exercitus, vtrique bene precantis: atque ita auerſi amici compoſiti ſunt à legatis, Mæcenate, Cocceio, Pollione, & (quem præter Liuium & Appianum ponit hic Horatius) Fonteio Capitone. *collyria.* collyrion ſeu colyrion linimentum eſt contra oculorum lippitudinem. de morbis & curationibus oculorum ſeu colyriis ſcribit C. Celſus lib. 6. cap. 6. *ad vnguem f. h.* hoc eſt, abſolutus & perfectus, quem Græci δι᾽ ὄνυχος nominant. hinc ἐξονυχίζειν, ἀκριβοῦν, ἐξετάζειν. Quod autem habet Commentator ex Virg. 2. Georg. in vnguem arboribus poſitis, &c. ad hunc locum non pertinet: etiamſi Seruius, In vnguem, exponat, ad perfectionem, proferens hunc locum Horatij: Nam in vnguem eo loco, ſignificat in ordinem: ſicut & alio loco dicit, In verſum diſtulit vlmos, hoc eſt, in ordinem. *Fundos.* Fundi oppidum decimo à Tarracina miliario abeſt, ſed dextrorſum in via Appia. hinc vina Fundana optima, ſed ætatem non ferunt, iuxta illud Martialis coqui, Hæc Fundana tulit felix autumnus opima, expreſſit mulſum Conſul & ipſe bibet. *Aufidio Luſco.* in antiquiſſimo codice impreſſo memini me legiſſe Fuſco. *pratore.* notatio actorum Fundanorum ſatis ridicula à prætura Aufidij. *inſani* inſoleſcẽtis ob nouum magiſtratum. Eſt omninò vero conſonum eum fuiſſe ſcribam quæſtorium, idque muneris etiam cùm præturam gereret apud Fundos obiuiſſe pro quæſtore Romano; quo nomine & magis ridiculus fuit, & abiectior, quàm qui prætoria inſignia oſtentaret, quæ ſcribam non decerent præſertim quæſtoriũ: alioqui prætoris nomen & munus non Romæ tãtùm ſed etiam apud Latinos, Siculos, & Campanos exteráſque genteis præcipuum fuit: adeò vt apud Achæos bini prætores longo tẽpore imperitarint.

prætextam & l. cl. per epexegeſin diſtributiuam. Præmia namque ſeu inſignia hæc tria ſunt Aufidij, prætexta, latus clauus, & prunæ vatillum. *prætexta.* toga prætexta, quæ purpuream oram ambitum habebat, eáque honeſtorum puerorum & patriciorum ad annum vſque decimum ſeptimum, nec non magiſtratuum περιπόρφυρος Plutarcho. erat præterea toga prætexta conſularis & prætoria, quam etiam in coloniis & municipiis cuicumque magiſtratui deferre mis erat. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18. *latum clauum.* latus clauus erat inſigne ordinis Senatorij, vt equeſtris, tunica anguſticlaui. latuſclauus Straboni nominatur χιτὼν πλατύσημος. ego certè haud grauatim Commẽtatori ſubſcripſerim, qui κολόβιον, vel, vt inueni in antiquiſſimis annotationibus, τὸν κολοβώνια nuncupat, amiculum ſine manicis, quod à tergo & pectore per caput ſupra togam in formam vtrimq. lati claui ab humeris demittitur ad vmbilicũ vſque, quale puer memini geſtaſſe patres noſtros nobiliores, quod & teſtantur antiquiſſimæ picturæ; quali etiã num hodie vtuntur monachi & eremitæ, ſed addito cucullo, quo carebat Senatorium. Quod autẽ habet Soſipater Chariſius, clauu impurpurata & inclauata veſtis ἡ περιπόρφυρος ἐσθὴς καὶ ἔνηλος, non multùm aduerſatur huic ſentẽtiæ, ſi primum etymon conſideres; potuerunt enim poſtea vel ornatus, vel alterius ſignificationis gratia ex purpura aſſui, vel ex auro affigi capita clauorum vel latiora vel anguſtiora. *prunæq; vatillum.* ſic habent codices omnes præter Mart. & Diu. qui habent batillum: verùm ea eſt affinitas literarum B & V, vt altera in alterius locum non raró ſuccedat. Exiſtimo autẽ vatillum hic eſſe foculum in cœnatione aut cubili à laquearibus aut contignatione ſuſpẽſum, in quo ſub aduentum hoſpitum aut conuiuarum prunis poſitis ſuffitus fiat & adoletur in odorem gratum & ſuauem: quali hodie quoque & Italos & Anglos nobiliores delicatioréſque, vti conſtat. batillorum in Bibliis Numer. cap. quarto mentio eſt cum igniũ receptaculis, fuſcinulis & vncinis; ſed neſcio an eo quoque loci legi debent vatilla. Lambinus non admittit bacillum. ego certè puto ita legendũ ex his verbis Cic. in altera oratione contra Rullum, deinde anteibant lictores (de prætoribus agit Capuæ) non cum bacillis, ſed vt hic prætoribus anteeunt cum faſcibus duobus, &c. Itaque ridet Luſcum fortaſſe ob vnum lictorem cum bacillo præeuntem quem vult dignum eſſe quo pruna moueatur. iudicet lector. *in Mamurrarum.* periphraſis vrbis Formiarum, à familia Mamurræ Romani equitis nobiliſſimi Formiis nati, vt tradit Cornelius Nepos. hinc & Lamiarũ familia à Lamo Antiphatis patre & Læſtrygonum

rege

rege qui Formiis regnauit: ab hoc deſcēdit Aeliorum Romæ nobilis familia, vel Horatio teſte lib. Od. 3. od. 17. Aeli vetuſto nobilis ab Lamo, &c. *Sinueſſa.* oppidum ad Lirim fluuium, ſiue Gauriani oſtia clarum propter vini copiam in Serano ſinu. Scribit etiã Plin. lib. 31. c. 2. Sinueſſanam aquam feminis quidem ſterilitatem, viris autem adimere inſaniam. *animæ.* συνεκδοχικῶς, pro toto homine. *qualeis.* Enallage accuſatiui pro ablatiuo caſu, qualibus, inquit Linacer lib. 6. de ſtructura, ex Priſciano: ponitur enim relatiuum in eo caſu in quo demonſtratiuum, talis, poneretur. Ego certè (pace Grammaticorum) dixerim nullam hic eſſe tranſitionem, ſed cōcordiam, hoc modo, qualeis animas candidiores terra non tulit, hoc eſt, candidiſſimas: niſi quis malit τὸ qualeis, hic vetuſtè poni, vt in ſequenti verſu τὸ queis, pro qualibus. Arnoldus Woulardus in annotationibus ait omnē difficultatem tolli ſi per admirationem proferatur, quales animæ? nempe quibus terra non tulit candidiores. *ſanus.* valido, integro & bene habito corpore. ad Epicuri dogma hoc pertinet de ſummo bono. *proxima Camp.* arbitror hic ſignificari Fregellas, qui pons Coruus nunc dicitur; ait enim Liu. lib. 6. Hannibal infeſtiùs depopulato Fregellano agro propter inciſos pōteis, &c. Quod & Strabo, lib. 5. indicare videtur, ſunt & Fregellæ quas & præterfluit Liris, qui ad Minturnas erūpit, qui hoc quidem tempore vicus eſt, &c. *Et parochi.* non potui celare lectorem mihi non conuenire cum iis qui hactenus omnes huius compoſiti nominis πάροχος etymon à verbo παρέχω deducunt tamquam à vero fonte, ſecuti (vt arbitror) Pſeudacronē. Apud me certè maioris ponderis eſt hac in re Nonius Marcellus, qui de proprietate ſermonum deducit à παροχίω, inquiens πάροχος à Græco tractum eſt nomen quod vehiculo præerat: ὀχήματα enim Græcè, Latinè vehicula appellantur: & eſt officij genus quod magiſtratibus apparet. Quid quæſo his verbis dilucidius? Quin & Suidas à Nonio nō diſſentit, πάροχοι, inquiens, ὁ ἀναβαίνων εἰς τὸ ἅρμα τὸ ζεῦγος, hoc eſt, parochus qui conſcendit in biiugum currum; prefectus nimirùm & gubernator currus. verùm notandum eſt, quod ὀχέομαι & παροχέομαι ad mulos (iccirco in Commentatore parochi etiam publici muliones nominantur) quoq. & equos pertinet. Ξενοφ. ὀχεῖσθαι ἐπὶ τῶν ἵππων, hoc eſt, equis vehi. ſic & Plutarchus alibi. hoc quoque pertinet illud Auli Gellij, vel (vt volunt quidam) Agellij lib. 15. cap. 4. de Ventidio Baſſo parocho, quem ait, cùm adoleuiſſet, victum ſibi ægrè quæſiſſe, eumque ſordidè inueniſſe comparādis mulis & vehiculis & magiſtratibus, qui ſortiti prouincias forent, prębenda publicè conduxiſſe: atque in iſto quæſtu notum eſſe cœpiſſe C. Cæſari, & cum eo profectum eſſe in Gallias. Itaque ſi coniecturæ aliquid tribui poſſit, exiſtimarem nō omnino eſſe abſurdum ad huius nominis τοῦ πάροχος, rationem pertinere, quo nunc vulgò vtimur, eoque corrupto & barbaro vocabulo, poſta, cuius munus parochi officio in plurimis reſpōdet cùm in tranſuehendis magiſtratibus publicis, cum in præbendis apparandiſque equis & iis quæ ad iter ſunt neceſſaria. Quare parochus iuxta eius etymon eſt verhedus, quòd veheret rhedas, id eſt, duceret, teſte Feſto; non etiam præbitor, niſi συγκατηγορηματικῶς, ea nimirum ratione qua ſunt Dialecticis ſua vocabula. Quod autem præterea ſcribit Suidas, πάροχοι λέγονται, καὶ οἱ παράνυμφοι, παρὰ τὸ παροχεῖσθαι τοῖς νυμφίοις, ἐπ' ὀχήματος γὰρ τὰς νύμφας ἦγον, hoc eſt, parochi etiam dicuntur paranymphi, propterea quòd vnà cum ſponſis vehantur, nam in curru ſponſas ferebant; accipiendum eſt metaphoricôs, puta, quòd paranymphi, parochorum inſtar, in primo conſidentes curru equos regebant moderabanturque, καὶ παροχοῦντ, id eſt, etiam vnà vehebantur: Quod & indicat Euſtathius ιλ. λ. vtpotè treis in curru nuptiali vehi ſolitos, Paranymphum, qui in prima currus parte equos gubernabat, ſponſam mediam, poſtremum autem ſponſum. Qui plura noſſe deſiderat, quæ ad hanc diſputationem facere poſſunt, legat apud Budæum in Pandect. quid ſit πάρεππος, verrhedus, &c. *luſum.* σφαῖρα *namque pila. l. i.* nihil enim aut pranſis aut cœnatis ad concoctionem minus conuenit, quàm vehemētior exercitatio corporis: iis præcipuè teſte C. Celſo lib. 1. cap. 2. qui ſunt imbecillo ſtomacho: quo in numero pæne omnes ſunt litterarum cupidi. Eſt autem hoc loco Synchyſis figura, duarum enim clauſularum dictiones miſcentur. *pila lippis.* pila hic (vt arbitror) accipitur tam pro ea quam palmariam nominamus, ea enim vehementius exercet & mouet ſuperiorem partem corporis; quàm pro globo, qui & cœnatis nocentior eſt: Nam ſecundum Galenum 5. Val. quoſcumque leui de cauſa vertigines, epilepſiæ, ophthalmiæ, aurium dolores, gingiuarum, dentium, aut capitis infeſtare ſolent, ij exercitationem non ſuſtinent quæ caput impleat: cuiuſcemodi eſt, quæ inclinato vel capite, vel dorſo, vel humi volutatis geritur. *crudis.* ait enim Celſus lib. 1. cap. 2. Qui non concoxit, ex toto conquieſcere, ac neque labori ſe, neque exercitationi, neque negotio credere debet. *hinc nos Cocceij.* fortaſſe de villa quadam ſupra Cumas ad foſſam ſubterraneam: quam Strabo Cocceium condidiſſe memorię proditum ſcribit lib. 5 *quæ ſupereſt Claudi c.* Claudi habent omnes manuſcripti: & quidam

ex iis hanc adnotationem, Claudij Neronis; quæ mihi non placet, ſed omnino exiſtimo (modò eam lectionem admittamus) ſubintelligi debere Appij, nimirum ab Appio Claudio cōditi, nam Strabo lib. 6. ſcribit è Brundiſio quibus propoſitum eſt iter Romam duas eſſe vias; alteram per Peucetios, Daunios, & Samnites vſque Beneuentum, in qua eſt Egnatia, Celia, Netium, & Canuſium; alteram per Tarentum pauliſper ad læuam, & facta circuitione vnius diei, via Appia offertur, plauſtris commodior: Ambę autem coëunt ad Beneuentum: hinc iam vſque Romam via vocatur Appia, per Claudium, Galitiam, Capuam, Caſilinum vſque Venuſiam, &c. Ptolemæus cum Lucano & Silio Ital. Caudium legit: hinc ſunt Caudinæ furcæ memorabiles, & Caudinæ fauces. Atqui videat lector vtrum ſibi probetur magis. *Sarmenti ſcurræ pug.* iucunda admodum commemoratio contentioſæ cuiuſdam & ſcurrilis rixæ inter Sarmentum & Meſſium Cicerrum, ad ſubleuandum cùm itineris in via tædium, tum lectionis moleſtiam: Quam vt facetiorem faciat, deſcripturus quaſi rem arduam & magni alicuius momenti, inuocat Muſam nobiliorum Epicorumq́. poëtarum more. *Sarmenti ſcur.* Plutarchus in vita Antonij ſcribit Dellium hiſtoricum à Cleopatra ad cœnam inuitatum dixiſſe, αὐτοῖς μὲν ὄξινον ἐγχεῖσθαι. σάρμεντον δὲ πίνειν ἐν Ῥώμῃ Φαλερῖνον. ὁ δὲ σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδαρίων, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσι: hoc eſt, ipſis quidem vinum acidum infundi, Sarmētum autem Romæ Falernum potare: hic autem Sarmentus erat vnus ex feſtiuis & lepidis pueris quas delicias ſuas Romani appellant. Is autem libertate & ſcribatu à Cæſare donatus, quem eius dominā, turpi fortaſſe de cauſa, nuncupat, erat hic in comitatu Horatij, vt eſt veriſimile. *quid faceres.* ſumta metaphora à pecoribus, quę cornibus oppoſitis minantur. Sic in Epodis: Parata tollo cornua. & cornua ſumere apud Ouid. pro eo quod eſt, animo efferri, & ſe ad defenſionem parare. *Campanum morbum.* huius loci interpretationem, cùm nemo ex neotericis mihi faceret ſatis, tanta cura & ſedulitate perquiſiui, eruíque ex lacunis veterum ſcriptorum, vt non iniuria eam meis laboribus aſſcribere mihi integrum fuiſſet, ſi non maluiſſem hic ab auctoritate veterum locum plus habere momenti, & ponderis ad fidem faciendam, quàm ea quæ nunc à me vel à doctiſſimo in argumento ſimili excogitari poſſunt: Nam Blandinij codices omnes morbum Campanum, os fœdum, faciem fœdam, &c. exponunt inſignem arrogantiam & oris impuritatem immunditiémque: verùm codex Tonſanus ad oram paginæ habet hanc adnotationem breiuſculam, ſed vſu & maculis tantùm non deletam, putà: In Campania ſolet quidam morbus, ferruca ſcilicet, afficere homines in facie. In Diuæi codice etiam adnotatum eſt, quod vix tandem quoque aſſecutus ſum: Campania eſt regio, & illi genti Campaniæ ſolent innaſci magnæ verrucę in fronte, quas faciunt incidi. Siluij codex habet, Campanum in morbum, in varices, vnde olim Campani dicti ſunt varicoſi. verùm alia adnotatio dicta, viſa eſt mihi ad rem præſentem magis facere; nō quòd inficiar temporibus capitis aliquādo innaſci varices, ſed quòd opiner varicoſos potius ex tibiarum varicibus dictos, verrucoſos verò ex faciei verrucis; quarum aliæ dicuntur acrochordones, aliæ myrmeciæ. vide Pantinum lib. 2. cap. 1. in Celſum. vnde & Fabius Max. verrucoſus nominatus eſt, quòd haberet ἀκροχορδόνα μικρὸν ἐπάνω τοῦ χείλους ἐμπεφυκυῖαν, hoc eſt, paruæ carnis elationem in ſuperioris labri extremitate enatam, vt habet Plutarch. in Fabio. Quod autem dicit, *ô tua cornu ni foret exſecto frons*, notat veſtigium exſectæ verrucæ, ſua & radicis amplitudine & altitudine rotunditatéque referre ſignum cornu cuiuſdam euulſi. Quòd autem Pſeudacro Campanum morbum interpretetur inſignem arrogantiam, hoc arbitror eum dicere ex Acrone doctiſſimo, qui fortaſſe in ſuis Commentariis verrucam nominauit Græcè θύμον. Quam dictionem non aduertit pro accentu acuto in priori ſyllaba notare verrucam fabæ Aegyptiæ magnitudine, vt eſt apud Ruellium; pro accentu verò graui in vltima ſignare arrogantiam, &c. *vti Cyclopa.* κυκλωπικῶς, ritu Cyclopum. Cyclopæa ludi erant ſcenici, in quibus Polyphemus in ſcena in gyrum inconditè admodum ſaltans introducebatur. meminit Pollio in Galieno, & Flauius Vopiſcus in Carino Imperatoribus. *tragicis opus e. c.* κόθορνοι καὶ ἐμβάδες ὑποδήματα τραγικά. Pollux lib. 4. erant enim apti vtriq. pedi. ob hanc cauſam neſcio an alludat Horatius ad inconſtantiam Cicerri. quòd is eſſet incertæ & ancipitis factionis, nunc Auguſti partibus adhærens, nunc fauens Antonio: Nam quod Commētator habet, Cicerro non opus eſſe cothurnis, quia longus erat, mihi apparet hoc dictum eſſe frigidius. *catenam.* ſatis amarè notat Sarmentum ſeruum fugitiuum, qui compedes ferre ſolebat; quos Sarmentus nunc libertate donatus, rogat num à foco ſuſpendiſſet diis Laribus ſacro; quemadmodum Veianium ſcribit epiſt. 1. lib. 1. rude donatum ſua arma poſti Herculis adfixiſſe. *nihilo deterius.* ſic habent Blandin. 4. Tonſ. Buſl. at Diu. deterius nihilo. Mart. autem, nullum deterius. Seruabant autem domini in ſeruis manumiſſis, hoc eſt, libertis ſuis, ius operarum, nimirùm in calceis ſuendis & ve-

& veſtibus, &c. Ius muneris dandi, in feſtis nuptiibus & natalitiis. hinc illud eſt Terentij in Phormione, Porro autē Geta ferietur alio munere vbi hera pepererit. Ius teſtamenti condendi, putà, vt teſtamento dominis ſuis legarent dimidiatam ſuorum bonorum partem. Porrò de patronorum iure in libertos, & clientes, lege Alex. ab Alex lib. 3. cap. 20. *cur vmquam* aliquando. ſic habent omnes manuſcripti. *farris lib. ſ.* quantum ſcilicet ad demenſum diurnum: aliud enim erat menſtruum, quatuor modij in menſeis ſingulos, vt adnotat Donatus in Phor. Terent. *gracili ſic t.* εἰρωνικῶς, perinde ac ſi dicat, eius fugæ cauſam fuiſſe dominę ſuæ parcimoniam, qui pro vaſtitate corporis, & ſua voracitate diurna, plureis farris libras exigeret. Eſt autem gulæ exprobratio dura per inuerſionem obiectionis de proceritate Ciceri: eſt enim non ſani hominis in alio calumniari, cuius ipſe criminationem effugere non valet. *prorſus iucundè.* clauſula commemorationis. *Beneuentum.* vrbs in agro Samnitum; quæ ab incolis Græcis prius μαλόεντον nuncupata erat, quàm à Romanis colonia deduceretur, à quibus boni ominis cauſa Beneuentum appellatum eſt. *ſedulus.* ἄγαν ἄπειρος, diligens quidem, ſed parum cautus, ſimplex, improuidus. captat riſum ab incuria hoſpitis, victus ſeu apparatus tenuitate, obſoleto, humili & paupere tecto, conuiuarum & ſeruorum cura ſollicitudinéque; prius quidem in conſeruanda cœna, poſterius autem in reſtinguenda flamma, tectóque ab incendio defenſando. *pene macros arſit.* ſic habent omnes ſcripti quos imitor, nec quicquam cenſeo immutandum; eſt enim aperta σύγχυσις, qua figura videtur Horatius delectari. *culinam.* colinam habet Diu. cod. *lacrymoſo n. ſ. f.* fortaſſe ex ramis ficulneis, is enim fumus oculis eſt acerrimus, atteſtante Theophraſto, δριμύτατος δ᾽ ὁ καπνὸς συκῆς. idem aſſerit Ariſt. in problematis. Ariſtoph. in veſpis, πνέος ξύλα. Φ. συκίνα. Β. δεῖ. νὴ τὸν Δί᾽ ὅσπερ γ᾽ ἐστὶ δριμύτατος καπνῶν. *camino.* pro igni, metaphor. nam κάμινος fornacem notat & fumarium. ſunt & viridia ligna fumoſa, contrà, ſicca & arida flammoſa, quæ lenia ligna dicuntur Catoni in re ruſtica, lenibus lignis facito caleſcat. & Plin. lib. 36. lenibus autem aridiſque lignis coquitur, quæ Græcis ſunt ἄκαπνα, Homero κάγκανα: Inter ſe autem pugnant lene & δριμύ. *mendacem.* ἀπατηλίαν, καὶ ἀπατηλὰ βάζει, vt inquit, Odyſſ. ξ. quæ ſubdola & fallacia dixit, quæ promiſſis non ſtetit. ſic Epiſt. 1. lib. 1. vt nox longa quibus mentitur amica, &c. *intentum.* cogitātem, expectantem, & ſperantem illam venturam, me aufert, hoc eſt, inuadit, occupat, opprimit, & alium quodammodo me facit, atque à mente alienat. *ſomnia.* inſomnia: quoties cura & ſollicitudo oppreſſi animi vel corporis aut fortunæ, qualis vigilantem fatigauerit, talem ſe ingerit dormienti. Iuxta illud Claudiani, Omnia quæ ſenſu voluuntur viſa diurno, pectore ſopito reddit amica quies. De inſomniis & eorum formis Macrob. lib. 1. cap. 3. Inter cetera hoc vnum ad hunc locum pertinet, Inſomnium animi, inquit, ſi amator deliciis ſuis aut fruentem ſe videat aut carentem. *oppidulo.* Equoturio. Meminit Plinius lib. 3. cap. 11. Turinorum. Ptolem. in tabulis Geograph. ponit τοῦλιον ſub Pelignis & Caracenis. *Canuſi lap.* Superiùs paullò facta eſt mentio Canuſij ex Strabone, qui eodem ferè loco ait: E Bario ad amnem Aufidum ad quem Canuſiorum eſt emporium, ſtad. ſunt 400. Ibidem ſcriptum reliquit Canuſium & Argyrippam duas Italicarum vrbium quondam maximas in plano ſitas fuiſſe. *aqua non dulcior vrna.* ſic habet codex Buſlid. quam ego lectionem ſeruaui, & prætuli antiquæ tamquàm genuinam; nam vt viliſſima putidiſſimaque fuit Equoturij, ita Canuſij non erat dulcior, palatóque gratior: Non enim agit Horatius de copia aquæ vel inopia, ſed bonitate & ſapore, aut de ea quæ aut ſalſugine, aut alio vitio corpori hauſta non ſit infeſta aut noxia. *qui locus.* Strabo lib. 6. Canuſium & Argyrippa, vtræque in præſentia ſanè delectæ, à Diomede conditæ dicuntur. *Varius diſced.* fortaſſis vnà cum Mæcenate & Cocceio ad caſtra Cæſaris, ad res inter vtrumque Imperatorem componendas, Horatio & ceteris rectà iter Brundiſium facientibus. *Bari mœnia p.* Strabo lib. 6. E Brundiſio verò littus Adriaticum prætemauiganti, Egnatia occurrit ciuitas, commune & nauigantibus & terreſtre iter facientibus ad Barium diuerſorium. Deinde pòſt paullò: è Brundiſio Barium 700. ſtadiorum ſpatium eſt. P. Mela lib. 2. cap. 4. poſt Barium Egnatia, & Ennio ciue nobiles Rudiæ (Rhodęos nominat Strabo) & Calabria Brundiſium. Plin. lib. 3. cap. 11. Pediculorum oppida, Rhudia, Egnatia, Barion. & lib. 2. c. 107. In Salētino oppido Egnatia impoſito ligno in ſaxū quoddam ibi ſacrum, protinus flammam exiſtere. *credat Iudæus a.* Epilogus à credulitate Iudæorum, omnibus Ethnicis ridicula, præſertim Epicureis, qui irreligioſi, audebant δογματίζειν deos nihil curare, non ita commoueri, non gratia tangi: Qua de cauſſa Iudæos ridebant & ſuperſtitioſos clamitabant, quòd certis & ſtatis temporibus ſibi imperata à Deo ſummo (quem ignorauit Gentilitas) ſumma religione ſacra ſeruarent & facerent: Deū vnicū, ſine vlla viſibili forma aut imagine, venerarentur, colerent, & adorarent: cuius verbo creata eſſent omnia, ſtabilita, aucta, imminuta, conſeruata;

ſeruata: denique ſine quo nihil eſt, fuit, aut erit: eos autem, cùm rem nullam ſenſibus obiectam adorare, ſed ad cælos oculos tollere intuerentur, nubicolas eſſe calumniabantur; vt ſcribſt Iuuenalis Saty. 14. nil præter nubeis & cæli lumen adorant. *apella*. Quod volunt aliqui τὸ apella dictum eſſe quaſi ſine pelle, mihi planè videtur ridiculum; ſed hoc inde natum opinor propter circumciſionem & decurtationem præputij ex mandato Domini; vnde & circumciſi & curti dicuntur Horatio, & recutiti, quaſi noua cute reſtituti, & verpi à verrendo ſanguine podicis, quo morbo peculiariter ipſi laborant, vt non immeritò πυγάλγεις dici poſſint. de apella autẽ nomine, ſcribit Lambinus cũ Scaligero, alicuius Iudæi eſſe proprium. Equidem ſi quod ſentio candidè abſcribam, velim lector æſtimet me hoc facere, vt alijs auctor ſim diligentius etymi excutiendi: Itaque dixerim potiùs eſſe appellatiuum; nam teſte Heſych. ἀπελλαὶ ſunt cœtus, conciones. & ἀπελλακὰς appellat ἱερῶν κοινωνούς. Sed & Plutarchus in Lycurgo Laconicôs ait ἀπελλάζειν, ἐκκλησιάζειν, hoc eſt concionari: Icirco quando nemo ignoret, quanto ſtudio ſemper, & qua cura, quibus denique perſuaſionibus Iudæi omneis ambierint, circumſliterint, vt ad ſe traherent (vt notatum eſt ad finem præcedentis Eclogæ) non iniuria crediderim Iudæum nuncupatum eſſe apellam, hoc eſt, in docenda ſua alios religione concionatorem & quodammodò oratorem. *nec ſi quid miri*. huic contrarium eſt illud Socratis apud ξενοφ. πάντη γὰρ πάντα τοῖς θεοῖς ὑπεχῆ καὶ πάντη πάντων ἴσον οἱ θεοὶ κρατοῦσιν: hoc eſt, omnia namque vbique diis ſunt obnoxia, & æquali potentia reguntur ab iis omnia vbiuis gentiũ. *Brundiſium longa*. Strabo lib. 6. in hanc ferè ſententiam ſcribit Latinè redditus (quo compendij cauſa libentiùs vtimur) Quibus è Brundiſio propoſitum eſt iter Romam, duę viç ſunt, vna quidẽ mulis vectabilis per Peucetios, &c. vſque Beneuentum, altera per Tarentum, &c. tota verò ex Roma Brundiſium 360. miliaria continet. Ceterùm portus ipſe cum vrbe ceruino capiti maximè eſt comparandus: & lingua Meſſapiorum Brundiſium cerui caput nominatur.

ECLOGA VI.

TVLLIVS.

NON, *quia, Mæcenas, Lydorũ quicquid Etruſcos*
Incoluit fineis, nemo generoſior eſt te:
Nec, quòd auus tibi maternus fuit, atque pater-
Olim qui magnis legionibus imperitarint: (num,
Vt plerique ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, vt me libertino patre natum.
Cùm referre negas, quali ſit quiſque parente
Natus, dum ingenuus: perſuades hoc tibi verè,
Ante poteſt atem Tulli, atque ignobile regnum,
Multos ſæpe viros nullis maioribus ortos,
Et vixiſſe probos, amplis & honoribus auctos:
Contra Læuinum Valerî genus, vnde ſuperbus
Tarquinius regno pulſus fuit, vnius aſsis
Non vnquam pretio pluris licuiſſe, notante
Iudice; quo, noſti? populo: qui ſtultus honores
Sæpe dat indignis: & famæ ſeruit ineptus:
Qui ſtupet in titulis & imaginibus. quid oportet
Nos facere à vulgo longè, longeq́; remotos?
Namque eſto: populus Læuino mallet honorem,
Quam Decio mandare nouo: cenſórque moueret
Appius, ingenuo ſi non eſſem patre natus:
Vel meritò, quoniã in propria non pelle quieſſem.
Sed fulgente trahit conſtrictos gloria curru
Non minus ignotos generoſis. quò tibi Tulli
Sumere depoſitum clauum, fierique tribuno?
Inuidia accreuit: priuato quæ minor eſſet.
Nam, vt quiſque inſanus nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demiſit pectore clauum:
Audit continuò, quis homo hic eſt? quo patre na-
Vt, ſi qui ægrotet, quo morbo Barrus, haberi (tus?
Et cupiat formoſus: eat quacumque, puellis
Iniciat curam quærendi ſingula: quali
Sit facie, ſura quali, pede, dente, capillo:
Sic, qui promittit, ciueis; vrbem ſibi curæ,
Imperium fore, & Italiam, & delubra deorum:
Quo patre ſit natus, num ignota matre inhoneſtus,
Omneis mortaleis curare, & quærere cogit.
Túne Syri, Damæ, aut Dionyſî filius, audes
Deiicere è ſaxo cineis, aut tradere Cadmo?
At Nouius collega gradu poſt me ſedet vno.
Namque eſt ille, pater quod erat meus. hoc tibi Paullus,
Et Meſſalla videris. at hic ſi ploſtra ducenta,
Concurrantq́; foro tria funera: magna ſonabit,
Cornua quòd, vincátq. tubas. ſaltẽ tenet hoc nos.
Nunc ad me redeo libertino patre natum:

Quem rodunt omnes libertino patre natum:
Nunc, quia Mæcenas tibi ſim conuictor: at olim,
Quòd mihi pareret legio Romana tribuno.
Diſsimile hoc illi eſt: quia non, vt forſit honorem
Iure mihi inuideat quiuis: ita te quoque amicum:
Præſertim cautum dignos aſſumere, praua
Ambitione procul. felicem dicere non hoc
Me poſſum: caſu quòd te ſortitus amicum.
Nulla etenim mihi te fors obtulit. optimus olim
Virgilius, poſt hunc Varius dixere quid eſſem.
Vt veni coram, ſingultim pauca locutus;
(Infans namq. pudor prohibebat plura profari,)
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo:
Sed, quod eram, narro. reſpõdes (vt tuus eſt mos)
Pauca: abeo: & reuocas nono pòſt menſe: iubéſq.
Eſſe in amicorum numero. magnũ hoc ego duco
Quòd placui tibi, qui turpi ſecernis honeſtum,
Non patre præclaro, ſed vita, & pectore puro.
Atqui ſi vitiis mediocribus, ac mea paucis
Mendoſa eſt natura, alioqui recta: velut ſi
Egregio inſperſos reprendas corpore næuos:
Si neque auaritiam, neq. ſordeis, nec mala luſtra
Obiiciet verè quiſquam mihi: purus, & inſons
(Vt me collaudem) ſi viuo, & carus amicis:
Cauſſa fuit pater his: qui macro pauper agello
Noluit in FlauI ludum me mittere: magni
Quò pueri magnis è centurionibus orti,
Læuo ſuſpenſi loculos, tabulámque lacerto,
Ibant octonis referentes idibus æra.
Sed puerum eſt auſus Romam portare, docẽdum
Arteis, quas doceat quiuis eques, atque ſenator
Semet prognatos: veſtem, ſeruosq́; ſequenteis
In magno vt populo ſiquis vidiſſet, auita
Ex re præberi ſumtus mihi crederet illos.
Ipſe mihi cuſtos incorruptiſsimus omneis
Circum doctores aderat. quid multa? pudicum,
Qui primus virtutis honos, ſeruauit ab omni
Non ſolùm facto, verùm opprobrio quoque turpi:
Nec timuit, ſibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco paruas, aut, vt fuit ipſe, coactor
Mercedes ſequerer: neque ego eſſem queſtus. ob hoc nunc
Laus illi debetur, & à me gratia maior.
Nil me pœniteat ſanum patris huius: eóque
Non, vt magna dolo factum negat eſſe ſuo pars,
Quod non ingenuos habeat, clarosq́; parenteis:
Sic me defendam. longè mea diſcrepat iſtis
Et vox, & ratio. nam, ſi natura iuberet
A certis annis æuum remeare peractum:
Atque alios legere ad faſtũ quoſcumq. parenteis:
Optaret ſibi quiſque: meis contentus, honeſtos
Faſcibus, & ſellis, nollem mihi ſumere, demens
Iudicio vulgi, ſanus fortaſſe tuo: quòd (leſtum:
Nollem onus, haud vmquam ſolitus, portare mo-
Nam mihi continuò maior quærenda foret res:
Atque ſalutandi plures: ducendus & vnus,
Et comes alter: vti ne ſolus, rúſve, peregré-
ve exirem: plures calones, atque caballi
Paſcendi: ducenda petorrita. nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel, ſi libet, vſque Tarentum:
Mantica cui lumbos onere vlceret, atque eques armos.
Obiiciet nemo ſordeis mihi, quas tibi Tulli,
Cùm Tiburte via prætorem quinque ſequuntur
Te pueri laſanum portantes, œnophorumq́;.
Hoc ego commodius, quàm tu præclare ſenator,
Multis atque aliis viuo. quacumque libido eſt,
Incedo ſolus: percunctor quanti olus, ac far:
Fallacem Circum, veſpertinúmque pererro
Sæpe forum: aſsiſto diuinis: inde domum me
Ad porri, & ciceris refero, laganíque catinum.
Cœna miniſtratur pueris tribus: & lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet: aſtat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana ſupellex.
Deinde eo dormitũ, non ſollicitus, mihi quòd cras
Surgendum ſit manè: obeundus Marſya, qui ſe
Vultum ferre negat Nouiorum poſſe minoris.
Ad quartam iaceo: poſt hanc vagor, aut ego lecto,
Aut ſcripto, quod me tacitum iuuet. vngor oliuo,
Non, quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Aſt, vbi me feſſum ſol acrior ire lauatum
Admonuit: fugio rabioſi tempora ſigni.
Pranſus non auidè, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domeſticus otior. hæc eſt
Vita ſolutorum miſera ambitione, grauíque:
His me conſolor, victurus ſuauius, ac ſi (ſent.
Quæſtor auus, pater atq. meus, patruusq́; fuiſ-

COM-

COMMENTATOR.

NON *quia Mæcenas.* Mæcenatem alloquitur; candorem & benignitatem animi eius commemorans, qui generoſos atque humileis abſque diſcrimine accipiat: irridens populum Romanum, qui cùm ſolam nobilitatem admiraretur exteriorem, ignobileis omneis habuit deſpectui, & nobileis ferè ſolos honore dignos iudicauit. *Lydorum quicquid.* hoc eſt, quicumque Lydi incoluerunt Etruſcos fineis, nemo eorum eſt generoſior te. Lydia quondam profecti (qui & Tyrrheni) Tuſciam ſiue Etruriam incoluerunt. Quod & Virg. teſtatur, cùm dicit, vbi Lydius arua inter opima virum leni fluit agmine Thybris. Ab his autem Mæcenas trahebat originem. Senſus hic eſt, Non te extollit generis nobilitas, vt deſpicias eos qui ex infimis nati ſunt, ſciens quòd nō genus, ſed virtus in homine eſt quærenda: neque quia nobiliſſimus es & potentiſſimus, ideo derides & cōtemnis ignobileis & me libertinum *naſo ſuſp.* ſpernis, faſtidis, irrides, ſubſannas: eſt enim ſanna rictus ſolutus eorum qui detortis naribus ſonitum emittunt in alicuius faſtidium. *ignotos.* ignobileis. *cùm referre.* intereſſe. *dum ingenuus.* honeſtis moribus. Ingenuus hic ad morum probitatem pertinet. *perſuades hoc.* recté ſentis ô Mæcenas, quòd ante regnum Seruij Tullij regis Romanorum alij multi ignobiles quidem, ſed viri boni & vitæ optimæ extitere. *poteſtatem.* regnum. *ignobile regnum.* quia Seruius Tullius rex Romanorum fuerat Tarquinij Priſci Lucumonis ſeruus ex captiua natus. *nullis maioribus.* ignobilibus. *contrà.* hoc eſt, multi etiam nobiles fuere, ſed deſpecti & nullo loco habiti, quia virtute carerent; qualis fuit Valerius Læuinus, à Valerio Publicola; qui cum Iunio Bruto Tarquinium ſuperbum expulit, genus trahens. *Valeri.* per apocopen, ſicut apud Lucilium, Valeri ſententia dia. *vnde.* à quo. vt, genus vnde Latinum. Terent. à prædonibus, vnde emerat, ſe audiſſe. *vnius aſſis.* hic P. Valerius Læuinus adeò fœdis ac proiectis in omnem turpitudinem moribus vixit, vt prouehi non potuerit vltra Quæſturæ dignitatem. ergo ſenſus eſt: quamuis populus aſſuerit honores dare indignis, dum titulis atque imaginibus mouetur, tamen ille vilis apud eundem fuit, notatúſque ab eo eſt. *licuiſſe.* à licitatione vendentis, hoc eſt, æſtimaſſe valuiſſe, ſupp. κατὰ κοινοῦ perſuades tibi verè. *notante.* iudicante, iudice. *qui.* ſupp. tamen. *fama.* propter nobileis. *in titulis.* maiorum. dum virtuti præfert nobilitatem. *quid opor. n. f.* ſi populus rectè iudicat, qui frequēter errat, quid nos, qui non vulgariter ſapimus, minus æſtimabimus ignobileis viros bonos, quàm nobileis flagitioſos? *namque eſto.* cōceſſio per ſubiectionem. quaſi dicat, potius debuit honorem accipere Læuinus homo nobiliſſimus, quàm vel Decius vel alius ignobilis. *nouo.* ex ignobili familia nato, nam primi ad honores vocati dicebantur homines noui; qualis fuit hic P. Decius. *ingenuo ſi non.* vel ſi populus me ad honores eueheret, & cenſor Appius, qui primus libertinos in vrbanas claſſeis ſeu tribus redegit, me moueret ordine, rectè faceret: quia nō eſſem natus ex ingenuo patre, ſed libertino. *vel.* valde. *in propria quo* βιωφιλῶς docet vnumquemque debere ſorte ſua cōtentum viuere. In propria pelle non quieſcere dicuntur, qui mediocritatis ſuæ obliti. maiora ſeipſis appetunt: & hoc inde ſumtum eſt, quòd ductores in pellibus dormitent: vel ab aſino Cumano, qui induit pellem leonis, cùm tamen non haberet tale cor. Ita aliquis ignobilis propriam exuit pellem, alicuius dignitatis habitum aſſumens. *ſed fulgente.* hoc eſt, ſed in fulgente curru gloria illicit ad ſeſe tam ignobileis quàm nobiles, & poſt ſe trahit illectos quaſi fune ligatos. *fulgente curru.* triumphali, qui quatuor equis albis trahebatur. *conſtrictos.* cupiditate gloriæ plenos, & quaſi vinctos. *quo tibi Tulli.* ſenſus eſt, quid iuuat ipſos honores affectare, cùm ex iis magna naſcatur inuidia. Tullius hic Senatu motus eſt à Cæſare quaſi Pompeianus: occiſo verò Cæſare, recepit latum iterum clauum, hoc eſt, Senatoriam dignitatem, & tribunus militum factus eſt. Tibi Tribuno dixit eleganter, & figuratè, vt ſuprà, dederim quibus eſſe poëtis. *priuato quæ.* hoc eſt, quæ inuidia minor eſſet priuato tibi, id eſt, nullam dignitatem habenti. *nam vt quiſque.* ſenſus eſt, nam poſtquàm vnuſquiſque inſipiens, nouus, ignobilis, cupiens eſt Senatoriæ dignitatis, is petit ſibi rem valde incommodam, ſcilicet materiam inuidiæ & obtrectationis. Notat autem eos qui appetunt honores, quos non geſſerunt ſui maiores. *impediit crus.* hoc eſt, dignitatis calciamentis altioribus vinxerit. *nigris pellibus.* zangis. *demiſit pectore.* ad mediam vſque partem corporis, ante pectus. *audit.* à populo. *quis homo.* interrogatio exprobrantis aliquid. *vt ſi qui ægrotet.* à ſimili. ægritudo hic eſt animi libido, & mœchandi ſtudium, morbus interior. *quo morbo Barrus.* Barrus mœchus fuit, propter inceſtum Aemiliæ virginis Veſtalis condemnatus: eius autem morbus fuit adulterandi ſtudium, qui bona forma corporis, vt puellis amorem ſui iniiceret, obambulando dedit occaſionem de ſua pulchritudine interrogandi. *ſic qui promittit.* reddit comparationem. nam qui promittit ciueis & vrbem ſibi fore curæ, cogit omneis homines curioſè percontari de ſe, & ſuis natalibus. *tu ne Syri Damæ.*

hęc obiicientur ei iudici, aut principi qui eſt ignobilis. Tu qui es ignobilis & libertinus parentibus, audes tribunatu plebis fungi? Nam Tribuni plebis damnatos de ſaxo Capitolino præcipitari iubebant, aut carnifici tradi. Syrus, Dama, Dionyſius, gentilitia, & ignobilium hominum nomina. *deiicere è ſaxo.* nam capite damnati de ſaxo Tarpeio præcipitabantur: de quo traditur præcipitatus & deiectus Iugurtha. *Cadmo.* in exilium mittere. Cadmus dicitur eo tempore fuiſſe carnifex notæ crudelitatis. *at Nouius coll.* ſubiectio ſeu anthypophora ex perſona Syri filij Damæ. Cur non appetam ſenatoriam dignitatem, cùm habeam collegam in ordine equeſtri libertum? *gradu poſt me.* hoc eſt, in quatuordecim gradibus equeſtris dignitatis, ſedet vno gradu poſt me, id eſt, inferiori. *namq.* pro &. *pater quod er. m.* libertus, qualis erat pater meus Dama. *hoc tibi.* ideóne tu videris tibi Paullus & Meſſalla, qui nobiliſſimi fuere, quia Nouium vno gradu præcedis? *at hic ſi ploſtra.* hic Nouius reddit populus cauſam, cur Nouius ſedeat in quatuordecim ordinibus, ſcilicet, quòd ſibi placeat eius vox clara in loquendo & ſonora: *ploſtra.* plauſtra. *magna.* vt Virgil. infanda furentem. *cornuaq.* ordo eſt, quod vincat cornua & tubas. *ſaltem tenet.* hoc eſt, hic cohibet indignationem noſtram vt ſuſtineamus eum libertū in equeſtri ordine ſedere, quòd ſit facundus & eloquens. *rodunt.* lacerant, mordent. *conuictor.* familiaris, domeſticus. *at olim quod.* dicit ſibi inuideri, primùm quòd viuat cum Mæcenate; deinde quòd aliquando, ſcilicet ſub Bruto, tribunus militum fuerat. *quia non vt forſit h.* prudentiſſimè oſtendit diſſimilitudinem inter honores & amicitiam, inter fortunæ bona, & virtutis meritum; nam honoribus publicis inuidere quis poteſt, quia plerumque temerè & ſine iudicio populi decernuntur, ita vt indigni ſæpe ad honores perueniant. At quod virtute & vero iudicio quis aſſequitur, hoc ei nemo inuidere debet: qualis eſt, ó Mæcenas, tua amicitia, qui neminem admittis niſi perſpectum, & tuo iudicio comprobatum. *forſit.* forſitan. *cautum dignos aſſum.* qui cautus & prudens es in amicis te dignis, & qui non ſunt ambitioſi, deligendis & aſſumendis. *non hoc me poſ.* hoc eſt, non idcirco me felicem nominare debent, quòd caſu aliquo, aut fortunæ beneficio tibi ſim factus amicus, cùm nulla fors me tibi obtulerit, ſed amicorum & virorum bonorum commendatio qui me nouerunt: quæ cum mea virtute & tuo iudicio me tibi amicum reddiderunt. *ſingultim.* per interualla, interruptis verbis, propter verecundiam. *infans namq. p.* qui fari prohibet. hæc enim natura ferè ineſt omnibus, vt ad ſublimioris dignitatis viros, cùm adhuc ignoti accedimus, verecūdia nos elingueis faciat. *Satureiano.* Satureiani fundi in Apulia temporibus illis fuiſſe dicuntur ſatis ampli ac nobiles; per quos Apulum equum ſignificat. Apulum autem equum pro optimo vtique accipere debemus. ſenſus eſt: non refero me tibi eſſe nobilem aut diuitem. *nono poſt menſe.* vt, longo pòſt tempore venit. hoc autem dicit, vt appareat ſe diu exploratum & tandem in amicitiam admiſſum poſtea diſplicere non poſſe. *magnum hoc.* gratum mihi & glorioſum hoc exiſtimo, quòd placui tibi, non propter nobilitatem parentum, ſed propter honeſtam meam conuerſationem. *vita.* extrinſecus. *pectore p.* bonis moribus, intrinſecus. *atque ſi vit.* hyperbaton. etiamſi de mediocribus & paucis vitiis mea vita eſt reprehendenda, tamen laudanda eſt, quòd maioribus non ſit inquinata. *velut ſi.* confert vitam ſuam egregiæ & formoſæ faciei næuis aſperſæ: nam vt nulla forma eſt quæ næuis omnibus caret, ita nemo non in aliquo vitio eſt conſtitutus, ſed frequenter cui ignoſci poſſit. *ſordes.* libidinum. *mala luſtra.* luſtra non tantùm ferarum ſunt cubilia, ſed & lupanaria & popinæ. vt Plaut. in Caſina, vbi in luſtra iacuiſti mala. Mala luſtra dixit perpetuo epitheto, nec enim ſunt bona, vt ad eorum diſcretionem mala dixerit. Sic & à Plaut. Athenæ Atticæ. & à Lucilio Campana Capua. In luſtris itaque ſcorta ſunt & illecebræ libidinum. *obiiciet verè.* bene additum verè, illud enim nobis curandum eſt, vt probra quæ in nos dicuntur, verè ne dicantur; nam vt non dicantur, in noſtra non eſt poteſtate. *ſi & viuo.* ordo eſt, ſi neque auaritiam, neque ſordeis, &c. in me deprehenderis, ſi ſim inſons & innocens, & carus amicis (vt me laudem) harum rerum, harum virtutum pater mihi cauſa fuit, & quem alij mihi pro ignobili obiiciunt, is in me hæc bona contulit: iſtud autem ad id pertinet, quod paullò ſuprà dixit, ſe quidem non eſſe natum præclaro, hoc eſt, nobili patre, ſed vita & pectore puro. *Flaui.* Flauius quidam illis temporibus docuit artem numerandi, & calculos ponendi. *magni quo p.* nobiles. *læuo ſuſpenſi l. euuεχω.* hoc eſt, habentes loculos, ſcilicet calculorum, ſuſpenſos à læuo lacerto. *tabulámq* in qua & characteres arithmeticos notabant, & calculos ordinare diſcebant. *octonis referent.* ὑπαλλαγὴ hoc eſt, ſingulis idibus referebant octonos aſſes æris pro mercede ſcholaſtica. *puerum.* me. *auſus.* pater meus. quod quidem dicit propter egeſtatem patris, qui animo quidem erat magno, ſed re tenui. *docendum arteis.* quas doceat, id eſt, doceri faciat. tale eſt, Quos illi Dædala Circe ſuppoſita de matre ſatos furata creauit, id eſt, curauit creandos.

ſemet

ſemet progn. à ſe natos filios. *veſtem ſeruóſq.* ſenſus eſt: Ita me honeſtè aluit pater, vt ſi quis in magno populo vidiſſet veſtitum, & ſeruos ſubſequenteis me ad ludum, crederet me à maioribus ortum nobilem & diuitem. *auita ex re p. ſ.* hoc eſt, ex poſſeſſione & hæreditate abauis & maioribus mihi relicta. *cuſtos incorruptiſſ.* hoc in eos dictum eſt, qui interdum vt luxurientur pueri, donis ſtudent corrumpere ſuos pædagogos. *pudicum.* quia pudicitia primus gradus eſt ad virtutem. *non ſolum facto.* præclarè dictum: forſitan enim parum ſit ita viuere, ne probroſi aliquid in te admittas, niſi etiam ſuſpicionem omnem amoueas & vites. *nec timuit ſ. n. v.* nec verebatur, inquit, ne ſibi pro vitio quis obijceret, ſi me ad hoc inſtituiſſet, vt præco eſſem aut coactor, qualis ipſe fuit. Præcones dicebantur qui ſtabant ad haſtam, & enunciabant pretia allata: Coactores autem mercenarij erant eorum qui habebant argentariam: Argentarij, qui habent ſummam rerum venalium. Coactores etiam dicuntur argentarij in auctionibus, quia pecunias cogant, qui & collectarij nominantur. Argentarium etiam dicimus, qui ſummam habet oliuarum & rerum ſimilium, à quo accipiunt foranei. Coactor, qui exigit nummos à circumforaneis. *mercedes ſequerer.* pretia acciperem. *neque ego eſ. q.* ſi me feciſſet præconem aut coactorem *eóque non vt me.* ordo eſt, cóque non ſic me defendam, vt magna pars hominũ, &c. ſenſus eſt, plerique cùm humilitas grauiter exprobratur; ſic ſe ſolent defendere, vt non ſuam culpam dicant eſſe, quòd de talibus parentibus nati ſint: ego autem, inquit, non tantùm non dicam hoc verum eſſe, ſed contrà, talibus me parentibus natum gloriabor: nam ſi natura permitteret me renaſci, & eligere parentes ex quibus naſcerer, ego non mallem ex honeſtioribus muniis functis naſci, quàm quibus natus ſum. *patris huius.* licet fuerit libertinus & coactor. *dolo.* vitio ſuo & culpa. *ratio.* ſententia. *nam ſi n. i.* hoc eſt, ſi natura concederet vt homines aliquando reuiuiſcerent. *legere.* eligere. *ad faſtum.* ad ſuperbiam & nobilitatem. *honeſtos f. c. ſ.* curulibus honoratos, id eſt, conſulareis & prætorios. *ſanus fortaſſe.* Zeugma. *tuo.* mirè hoc dixit, quia Mæcenas eques permanſit, contemto ſenatorio ordine. *onus.* nobilitatis, togam, nam reuera moleſtiam habet de nobilibus naſci. *demens iu. v.* vulgus enim magni facit nobilitatem generis. *nam mihi.* ſi adeptus eſſem maiorem dignitatem; multa mihi eſſent neceſſaria. *petorrita.* petorritum genus eſt Gallici vehiculi: alia ſunt carpenta, aliæ carrucæ. *curto.* cauda curta. *mantica.* pera, auerta, vulgò biſtacia. *vlceret.* maiori onere. *eques.* ſeſſor. Mantica ex Luciliano illo ſumtum eſt: Mantica Cantherij coſtas grauitate premebat. *ſordes.* auaritiam. *Tulli.* Tullium hic & infra increpuit, quod ſenatoriam dignitatem accepiſſet, non ſufficiens ei nec ſenſu nec moribus. *laſanum p.* vas in quo exoneratur venter. *œnophorúmque* vas in quo vinum ferebatur. οἶνος, vinum, & φέρω, porto Latinè. *hoc ego c.* hac re, quòd non multa mihi ſint neceſſaria; vel caballi, vel calones, vel comites, & multa alia. quare commodiùs viuo. *libæo.* vo untas *fallacem Cir.* fallacem dixit, propter Sarmadacos & ſortilegos mathematicos, qui ad metas ſpectatores circumſtabant, & imperitos ſortibus & nugis fallebant: aut propter incertos circenſeis euentus. *veſpertinúmque.* veſpertinum hic forum dicitur, aut Subura maior, in qua veſperi res furtiuæ vendebantur, aut minus frequẽs forum, quod eſt in vrbe ſingularum regionum proprium, ad quod meridianis etiam horis vſque ad veſperum ratiocinantes vicini procedunt ἀντὶ διαστολῆς, ad matutina illa fora maiora, & magis frequentia. *diuinis.* Sarmadacis & ſortilegis. porrò altioris dignitatis homines erubeſcunt ſerò in his vulgi circulis conſiſtere: quod tamen ſibi licere Horatius dicit per vitæ libertatem. *laganique cat.* lagana ſunt placentulæ quædam vulgares, quaſi membranulæ compoſitæ, quæ cum pipere & liquamine conditæ depromi ſolebant ad cœnam moderatam & parabilem. hoc eſt, abeo domum cœnaturus cibum vulgarem & vilem. *lapis albus.* menſa marmorea, quam Delphicam vocant, ſcilicet quæ pretij non eſt magni: τρισκελὴς τράπεζα. *echinus.* echinum dixit vas ſalis, in modum Echini marini. alij ampullam vitream, alij lignum dicunt cum vncinis, in quo ponuntur calices: alij ampullam ſcorteam, iuxta illud Lucilij, Echinus chinabam infectus. *vilis.* non magni pretij. *guttus.* vas ad guttatim vinum fundendum. *Campana ſup.* fictilis: quia in Campania vaſcula optima fingebantur ex argilla vel ære. *obeundus Marſ.* Marſyæ ſtatua erat pro roſtris, ad quam ſolebant conuenire cauſidici, qui liteis, & negotia tractabant & componebant. Locus autem à ſtatua nomen accepit, quòd ibi cauſæ agi ſolebant, & vadimonia ſiſti. *Noniorum poſ. mi.* minor enim ad hanc ſtatuam turpiſſimè fœnerabatur ſummo mane. quare iocatur Horatius, inquiens, Marſyam alteram habere manum erectam, ad depellendum Nouios, quòd eorum fœneratorum impudẽtiam non poſſet ſuſtinere. *lecto.* lectito. *ſcripto.* ſcriptito. *oliuo.* oleo. *fraudatis.* expilatis, euacuatis. *Natta.* notat quendam Nattam tenaciſſimum & ſordidiſſimum *ſol acrior.* calidior, hora ſcilicet quinta, aut circiter. *rabioſi t. ſ.* dies caniculareis

æſtuo-

æſtuoſos. *præſ. it. arbon* multùm æſtus cauſa. *interpellet.* ſuſtineat, prohibeat: quantum me ſeparat à ieiunio, tantùm ne ieiunus ſim, ne me vires deficiant. *domeſticus otior.* domi otium ago, otio vaco. *ſolutorum.* alienorum ab omni praua cupiditate, quæ miſeros ambitioſos facit, & grauiter afficit. *his.* hac vita, his rebus. *ac ſi q. auus.* ſenſus eſt: Suauius humilitate generis & dignitatis meæ me victurum mihi perſuadeo, quàm ſi ex Senatoria familia, atque ipſe Senator eſſem.

CRVQVIVS.

A MAECENATIS viri optimi, & ex regia Etruſcorum ſtirpe nobiliſſimi ſententia & auctoritate inuehitur Horatius in iniquum populi Romani iudicium; qui quidem populus ſolius nobilitatis intereſſe, honores ſummos & magiſtratum gerere, ceteros verò volebat vt ignobileis à functione publica non modò arcendos, verùm etiam in petitione ludibrio habendos: Quiq. nobilitatem cenſebat æſtimandam ex auita progenie, titulíſque & imaginibus maiorum: Cùm contrà Mæcenas (vt qui non ignorabat ex paruis initiis Romam factam eſſe magnam) eos non ex eugenia tantum metiri nobileis aiebat oportere, ſed ex virtute quoque & probitate vitæ: Nec referre multùm, quo quiſq. parente eſſet genitus, modò ſit animo generoſo & forti, quem & ad ſumma euehendum putabat, & omnium bonorum, nedum ſua, amicitia dignum. Deinde de Mæcenatis amicitia, fauoréque erga ſe, non fortunæ gratias agit Horatius, ſed viris optimis, Virgilio Varioq. & ſuæ virtuti; quam vt integram eſſe perſuadeat, puróque ex pectore dimanare, commemorat à patre ſuo libertino, viro incorruptiſſimo ſe à puero diligenter & verecundè educatum, Romamque deductum, & magna eius cura ab optimis doctoribus liberaliter inſtitutum. Poſtremò dum vitæ ſuæ tenuitatem, frugalitatem, libertatémque recenſet, ne ab antiquo diſcedat, non præterit intactum Tullium, quendam prætorem ſordidum hominem: & Nouium iuniorem, veteratorem & iniquum calumniatorem fœneratorémque. *non quia Mæcenas.* Prolixum hyperbatum, quod hoc modo eſt ordinandum: O Mæcenas, non ideo ſuſpendis ignotos adunco naſo, quia nemo ex Etruſcis generoſior, &c. *quicquid Etruſc.* de Etruſcis ſcribit Strabo lib. 5. Geogr. Tyrrhenos, inquiés, Romani Etruſcos appellant, & Tuſcos: Græci verò hoc eos nomine appellarunt à Tyrrheno Atyos filio, qui ex Lydia colonos hanc in regionem, ſicuti traditur, dimiſit. Atys enim ex prognatis Herculis & Omphales vnus, cum ſterilitate ac fame populum emittere cogeretur, è duobus filiis ſorte iacta, Lydum quidem regni ſucceſſorem tenuit: Tyrrheno verò maiorem applicans populũ, foras abire iuſſit: hanc ille tandem ingreſſus oram de ſuo nomine Tyrrheniam vocauit, &c. Dionyſ. autem Halicarnaſſ. lib. 1. antiq. Romanarum de Tyrrhenis prolixam admodum & inſignem commemorat originem. verùm hæc paucula Strabonis pro loco præſenti nobis abundè ſatisfaciunt. *generoſior eſt te.* laus Mæcenatis ab ea naturæ parte quæ eſt animi: iuxta illud Odæ 4. lib. 4. fortes creantur fortibus. Generoſus autem (vt ſcribit Seneca) eſt is qui à natura ad virtutem bene eſt compoſitus. Quis generoſiſſimus, interrogat Quintilianus, nónne qui optimus? non qui celebritate naſcẽdi, ſed qui virtute maximè excellit. *nec quòd auus tibi.* laus Mæcenatis ab eo genere quod imperita multitudo putat maximi, vt putà, à titulis, ceris, imaginibus maiorũ, &c. *magnis legionib.* à recte factis & geſtis maiorũ. Verè itaq. nobilẽ Mæcenatem, & à fortibus oſtendit fortem eſſe genitum, putà, à paternis & maternis viris conſularibus, qui magnis legionibus, id eſt, plenis, ſeu iuſto exercitui imperitarent. erãt autem magnæ & paruæ legiones, quæ & legiunculæ dicuntur Liuio. Magnæ autem legiones ſeu plenæ, decem cohortibus militum armatorum numero conſtabant, peditum quidem 6100. equitum verò, 726. vide Vegetium de re militari lib. 2. cap. 6. Memoriæ autem proditum eſt, ſingulos conſules aduerſus hoſteis copioſiſſimos non plureis quàm binas duxiſſe legiones additis auxiliis ſociorum: Quod etiam non obſcurè denotare videtur Cic. in vltimo paradoxo inquiens, Cùm diceres neminem eſſe diuitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus, &c. nimirum vt exercitus ſit vna legio Romana, &c. *vt plerique ſolent.* tumidi, & claris ſuis natalibus ſe plus æquo venditantes nobiles. *naſo ſuſp.* vafrè & ſubdolè irrides, vt ait Eraſ. Naſus enim ſannæ dicatus eſt, teſte Plinio, lib. 11. cap. 32. vnde naſuti, qui doctè norunt irridere. Mart. non cuicũque datũ eſt habere naſum. *ingenuus.* ingenuus definitur à iuriſconſultis, qui ſtatim vbi natus eſt, liber eſt, ſiue ex duobus ingenuis, ſiue libertinis duobus, ſiue altero libertino, & ingenuo altero, εὐγενής. ſed hic accipitur pro generoſo & egregio, qui propriè γενναῖος dicitur. oſtendit enim Horatius Mæcenatem non tanti facere nataleis, quanti generoſitatem animi, iuxta illud Phalaridis ἐγὼ δ᾽ ἐμὴν εὐγένειαν οἶδα τὴν ἀρετήν, hoc eſt, ego autem vnam generoſitatem noui virtutem. qua de re quoque vide Iuuenalem Satyr. 8. *ante poteſta. Tull.* expoſita Mæcenatis de vera nobilitate iudicium, partim ab exemplo Tullij

ſexti regis Roma. & aliorum eius ſortis, qui ex inſimis ſua virtute euaſere ſummi: partim ab exemplo Læuini contrario, qui cùm natalium ſplendore eſſet illuſtriſſimus, ſua factus eſt ignauia, vitæque impuritate abiectiſſimus. *ignobile regnum.* per ſe quidem nobiliſſimum, ſed propter genus regis ignobile. *nullus maior.or.* obſcuris, qui nullo inter homines ſunt numero. Quod ſuo more dicit Horatius, vt qui nolit eos inter maiores haberi, qui vitã ſilentio tranſegerunt veluti pecora. aliâs maiores ſunt aui, abaui, proaui, &c. *pulſus fuit.* 4. codices Bland. habent ſugit, ſed reliqui, fuit, quos ſecuti ſumus. *quo noſti? populo.* hanc lectionem habent omnes ſcripti libri, quam etiam non immutaui, quòd characteres integri & immaculati fuere: at non infitior tamen vulgatam lectionem pleriſque magis adlubeſcere, minúſque in ſe habere difficultatis, ſed in ea tamen deſidero latentẽ energiam & gratiam, quam oſtentat alia, ſi hoc modo ſuis punctis intercepta conſiſtat, vt habent codices ſcripti, notante iudice, quo noſti? populo, &c. vt hic ſit ordo & ſententia: rectè ſentis ô Mæcenas, Læuinum illum Valerij Publicolæ filiũ nõ licuiſſe pluris pretio vnius aſſis, etiam notante iudice, noſti quo? populo; qui ſtultus honores ſæpe dat indignis, &c. ea namque pars, quo noſti, ad riſum pertinet, non ad commendationem iudicij, quod nullum in populo eſſe, & apertè ſcribit, & Mæcenatem nouiſſe non dubitat. *ſtultus.* nullo conſilio ad magiſtratum euehit dignos iuxtà & indignos, probos ac improbos. *& famæ.* vanæ opinioni plus indulget quàm rebus ipſis, addictus ſtatuis pluſquam virtuti & rectè factis. hoc nomine Cic. inuehitur in Piſonem, obrepſiſti, inquit, ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum nihil habes ſimile præter colorem, &c. *ſtupet.* cui mens, animus, iudicium, ſenſus denique omnis ſit planè ſtupidus, & ſine vlla vi rationis ad obtutum imaginum & titulorum, ex quibus vt generis nobilitatẽ admiratur, ſic eam veram eſſe ſolam comminiſcitur ſtultus & ineptus populus. *quid oportet nos f.* argumentum à minore, nimirùm, ſtultus populus plerumque generis antiquitatem minimi facit, adeò vt eam nullo honore dignã iudicet: quid ergo nos in eo genere æquum eſt facere, qui multò plus ſapimus? *longè longéque remo.* ſic habent libri omnes ſcripti, quorum lectionem tanquam genuinam ſeruaui, pro ſuperlatiuo longiſſimè. ſic & Cic. 2. de fin. alteri negant quicquam eſſe bonũ, niſi quod honeſtum ſit: alteri plurimùm ſe, & longè longéque plurimùm tribuere honeſtati. &c. *namque eſto.* per cõceſſionem hoc agit Horatius, vt quæ minus rectè à populo fiunt in mandandis honoribus, ea velit corrigenda & caſtiganda eſſe à viris grauioribus & ſapientioribus: qualis fuit Appius Cenſor, qui nobileis quidem debitis honoribus afficiebat, reiectis indignis, ignobileis autem & nouos homines gratia populari & fauore in locum non ſuum ſubuectos, eo loco mouebat, & indignè nõnunquàm habitos intra ſuam pellem ſe continere cogebat: atque ea demum præclara eſt politia, vbi ſingulis ordinibus ſui ſeruantur honores & magiſtratus, ſuáque virtutibus præmia decernuntur. *Decio man. nouo.* Cic. de diuinatione lib. 1. At vero P. Decius ille Q. filius, qui primus à Deciis conſul fuit &c. quare hic homo nouus appellatur ab Horatio. *moueret.* abdicaret honore. *vel merito.* putà, me Appius eo honore moueret, quoniam &c. approbatio cenſuræ Appij à decoro & ordine. *in propria.* præter Commentatoris alluſionem ad pelleis caſtrenſeis, & pellem aſini Cumani, recitat Eraſmus in Chil. Cleonem quendam Athenienſem Byrſopolam, hoc eſt, coriarium, exercitus ductorem factum, fauente fortuna victoriam reportaſſe: ſed hominem auarum, cùm furto ciuitatis ad ſummas opes euectus ſibi modum ponere nequiret, miſerè tandem per alium eiectum, maléque acceptum pœnas dediſſe, quòd in propria pelle non quieuiſſet. *ſed fulgente tr.* Correctio ſeueritatis cenſuræ Appianæ ab euentu: quo, quaſi ἀπὸ ἐκβάσεως, oſtendit vel inuitis omnibus, & populo & cẽſoribus, ignobileis plerumque ſua virtute nobilibus exæquari, tam in triumphando, quàm imperando, & magiſtratum gerendo. *conſtrictos g.* inuitos & nolenteis; viris enim bonis, nobilibus, ignobilibúſue cauenda eſt gloriæ cupiditas, inquit Cic. 1. offic. eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. oſtendit itaque hoc epitheton tam ignobileis quàm nobileis eſſe viros bonos. Codex Tonſanus habet τὸ cõſtructos, quod epitheton valdè accommodè tribui poteſt currui triumphali, & vniuerſæ pompæ triũphantis, pro κατασκευαστοὺς, hoc eſt, magno ornatu conſpicuos. *non minùs.* tam ignobileis quàm nobileis. *quo tibi Tulli.* erotema in ambitioſum Tullium & ſordidum ignobilemque: cuius exemplo monet Horatius homines præſertim nouos, ne ad inuidiam vſque popularem velint fieri magiſtratus, ſed vt eo ſemel abdicato, malint priuati vitam degere. *inuidia ac.* reſpondet ambitioſi Tullij præmium fuiſſe maiorem inuidiam. *nigris medium im.* nigris pellibus, nimirum hædinis: nam ex hædorum pellibus, ad medium vſque crus ſubductis, fiebant nobilium Romanorũ calceamenta, teſte Lazaro Bayfio: quæ nominare videtur Pollux lib. 7. ἀναξυρίδας καὶ σκιαδίας. Intelligit calceos ſenatorios, qui nigri erant addita lunula circa talum, nã clauus

aureus in toga & nigra aluta circa talos addita ſigna erant dignitatis Senatoriæ. Quid autem Commentator per Zangas (eam enim dictionem ſine vllis literis inueni in annotationibus Blād.) ſignificare velit, fateor ingenuè me aſſequi non valere, niſi fortaſſe legamus Zanclas pro calceis falcatis. ſed hoc penes lectorem eſto. *demiſit pecto. clauum.* de lato clauo dictum Satyra præcedente: cui annotationi hoc addi poteſt, pro eorum ſententia qui aiunt latum clauum tunicam longam fuiſſe & ad talos vſque demiſſam; mihi videri latum clauum fuiſſe ei indumento ſimilem, quo ſacerdotes ſacra celebrant quas miſſas nominamus. *quis homo eſt hic? quo pat. n.* ſic habent omnes manuſcripti. fingit populum inuidioſè inquirere in genus eius qui factus eſt magiſtratus. *Barrus.* codex Diuæi habet, Varus. *& cupiat for.* ſic ſcriptum eſt in omnibus cod. præterquàm Diuęi, vbi τὸ vt, ponitur: ſed alia lectio mihi dilucidior apparet, hoc modo, vt ſi qui ægrotet, quo morbo Barrus, & ἐπεξηγητικῶς cupiat haberi formoſus, &c. nā ea Barri ægritudo & morbus erat, putà, vt vulgò haberetur formoſus. Deinde τὸ, qui, pro quis, poſitum eſt, vt apud Vir. Qui caſus agat res. Liu. Qui finis erit diſcordiarum? *puellis.* aptiſſima perſona formæ virilis inſpiciendæ. *quali ſit fa.* hæ ſunt partes in corpore ſpectabilis formæ, & habitudinis bonæ, εὐεξίας καὶ εὐρωστίας τοῦ σώματος: non enim ſola ſpecie, ſed & bene habito corpore & ſucci pleno puellæ libenter gaudent. *ſic qui promittit.* Hæc verba in ſe continent formulam quandam iuramenti eius qui magiſtratum adibat. *tune Syri, Damæ.* acerba & amarulentiæ plena apoſtrophe Romani populi in ignobileis, iam ad Tribunatum tumultuoſum & inſoleſcentem ſubuectos. *deijcere e. ſ. c.* ſaxum hoc erat pars Tarpeij montis, hoc eſt, Capitolini, vnde pręcipitabantur noxij, teſte Plutarcho, πλὴν πέτρας, ἔφη, ἣν νῦν ἐν τῷ καπιτωλίῳ ταρπηίαν καλοῦσιν, ἀφ' ἧς ἐρρίπτουν τοὺς κακούργους. *aut tradere Cadmo.* hic locus variè legitur. In 4. codicibus Bland. & Tonſ. ſcriptum eſt, *Cadmo.* & hanc dictionem Commentator, & qui Pſeudoporph. ſequuntur, agnoſcunt, Cadmumque interpretantur carnificem. Diuæi codex habet *chamo.* χάμος, pro χάσματι fortaſſe. codex autē Martinius, cum Buſl. & Nann. legunt, *Camo.* quam vocem probat, eamque hic reponendam cenſet in lexico ſuo Robertus Conſtantinus: κῆμος enim, inquit, erat freni genus, quod mancipiis in os inſerebatur ſupplicij cauſa. hinc eſt illud Pſalmo 31. in camo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Verùm quia neque ſeruorum neque mancipiorū hic agitur punitio, ſed ciuium Romanorum, ad quam vehementer exacerbari, eamq. indignè ferre ait populum, malim legere Cadmo: verùm quia Horatius videtur, aut grauius ſupplicij genus indicare, aut certè non inæquale priori, in quo Cadmo quoque carnifice opus erat, nimirum ad deijciendos de ſaxo ciueis, ego profectò, *Bathmo*, legendum putarim pro gradibus & ſcalis Gemoniis: in hoc imitatus Dionem Cocceium, qui multis in locis ponit ἀναβασμοὺς pro Gemoniis gradibus: Is enim de Seiano ſic ſcribit: οὕτω δικαιωθείς, κατὰ τῶν ἀναβασμῶν ἐρρίφθη, καὶ αὐτὸν ὁ ὅμιλος τρισὶν ὅλαις ἡμέραις ἐλυμήνατο, ἔπειτα κατὰ τὸν ποταμὸν ἐνέβαλε: hoc eſt, ita condemnatus de ſcalis Gemoniis præcipitatus eſt, ipſumque vulgus tribus cōtinuò diebus omni contumeliæ genere affectū, tandem in fluuium proiecit. Et de Tiberio, αὐτὸς δὲ κατ' ἀναβασμῶν ἐώσθη, hoc eſt, ipſe verò de ſcalis deturbatus eſt. In Vitellio, πρὸς ἀναβασμοὺς αὐτὸν ἤγαγον, καὶ ἐνταῦθα κατέκοψαν. hoc eſt, ad Gemonios gradus ipſum traxerunt, ibíque cōtuderunt. De Seiano autem ad ſcalas pertracto, ſcribit Iuuenalis Saty. 10. Impacto Seianus ducitur vnco. Cornelius Tacitus hos gradus ſimpliciter etiam Gemonias nominat, inquiens, tunc confoſſum, collaceratumque, & abſciſſo capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt. Erant autem gradus ſeu ſcalæ Gemoniæ Romæ in Auentino, iuxta templum Iunonis Reginæ, quos Camillus Veiis captis dedicauit, vnde damnati præcipites deturbabantur. Scribit etiamnum Alexander Alexandrinus, quod huc facit, lib. 3. cap. 5. Quod ſi quis, inquiens, in rempublicā hoſtilia molitus eſſet, vetus erat mos, vt furca ceruici inſerta, nudum per compita & vicos ducerent, virgiſque ad necem cæderent; mox de ſaxo præcipitem agerent, aut vnco tractum in Gemonias deijcerent. Sed hęc omnia ſi minus alicui grata erunt, ei liberum fuerit ſequi commentatorem, ita vt tradere Cadmo, ſit in exilium eijcere: Eſt enim Cadmus etiam montis nomē in Aſia, in Tauro deſinens, vt ſcribit Plin. lib. 5. cap. 39. *at Nouius coll.* feſtiuus dialogus inter populum & Syri, aut Damæ, ſeu Dionyſij filium: ait enim Syri filius: Quid ni audeam ciueis deijcere ſaxo, hoc eſt, Tribunatu fungi, cùm id audeat Nouius vno me gradu inferior, vt qui ſim libertinus, ipſe verò nihil quàm libertus? Cui populus: hóc, id eſt, iccircóne, quia ingenuus es, Paullus tibi & Meſſalla, hoc eſt, nobiliſſimus eſſe videris? Syrus: ſed Nouius præterquàm quòd nihil habeat ingenuitatis, eſt homo inſulſus, & ineptè clamoſus. Populus: eſto, ſaltem hoc tenet nos, hoc eſt, eius inſignem vocalitatē, ſi nihil aliud, nos admiramur, dignamque iudicamus eo ordine & gradu. Quàm lepidè notat Horatius populum eximiæ ſtupiditatis, qui ceteris aut nō cognitis animi bonis, aut neglectis,

ad ea,

ad ea fertur plurimùm, quæ extrinſecus inſolita quadam boni ſpecie, gratiam & applauſum mereri videntur. *magna ſonabit cornua.* Magna cornua ſunt tibiæ latiores incuruæ. Siticines enim in funeribus vtebantur latioribus & tibijs & tubis *nunc ad me.* poſt ineptum populi iudicium de mandandis honoribus citra delectum tam indignis quam dignis, venit ad Mæcenatem longè longéq. à vulgo remotum, vt ex imprudentia temerariæ multitudinis, tanquam ex oppoſito, illuſtriorem reddat, & magis omnibus conſpicuã Mæcenatis in rebus agendis animaduerſionem; vt qui non inconſultò quicquàm, ſed maturo priùs conſilio deliberet ſecum quàm faciat. *quem rodunt om.* eorundẽ verborum repetitio non caret acrimonia: nam quod ei populus vitio eſſe paſſim clamitabat, ſibi ipſe clamores eos malignos laudi & gloriæ vertit crebra repetitione, manifeſtò demonſtrans genus ſuum libertinum non tam eſſe huius obtrectationis cauſam, quàm olim quidem in exercitu Bruti, Tribunatum militarem, nunc verò amicitiã Mæcenatis. *diſſimile hoc illi eſt.* oſtendit inuidos vehementer cæcutire, qui non vident honores & dignitates, ceteráque fortunę bona, inuidiam fouere poſſe, eò quòd & indignis non raro contingant; ſed amicitiam ſuam cum Mæcenate nõ perinde alicui odio eſſe debere, qui non temere quoſuis, ſed eos tantũ, quorum vſu & commendatione ſibi cognita & indubitata fides eſt, ſcribit in amicorũ numero. Hæc autem connexa ſeu hypothetica condicionalis negatiua, vtpote, Nõ ſi fortaſſe quiuis mihi inuideat honorem Tribunitium, te quoque ô Mæcenas, iure mihi amicum inuideat; nititur hoc loco dialectico, Diſſimilium diſſimilia ſunt conſequentia: fortunam enim concomitantur, cæcitas, incõſtantia, mæror & inuidia &c. At cum virtute ſunt, prudentia, certitudo, lætitia, amicitia, vera gloria, atq. ea quæ ſunt extra omnem inuidiæ malignitatem. *forſit.* ſic habent omnes manuſcripti codices, vetuſto more, pro forſitan. *inuideat.* potentialiter, pro inuidere poſſit. *poſſim.* ita habent omnes libri ſcripti, & ea genuina eſt lectio: at Tonſ. tamẽ habet, poſſum. Hic monendus eſt lector, ineptã codicum interpunctionẽ doctiſſimis impoſuiſſe, qui ἐν παρόδῳ huc locum prætereuntes, nõ ſe animaduerterunt inter ſe pugnantia dicere: nimirùm Horatium caſu quidem aliquo nactum eſſe Mæcenatem ſibi amicum, nulla tamen fortuna oblatũ, vt de ſe ait Horatius. Quo quid, amabo, aut dici aut ſcribi poteſt abſurdius, Horatium, putà, caſu aliquo nactum, nulla tamẽ fortuna oblatũ amicum? Ob hanc cauſam ſit hęc interpunctio, Felicem dicere non hòc me poſſim, caſu quòd te ſortitus amicum. vt hic ſit ordo, nõ hòc, id eſt, iccirco poſſim me dicere felicem, quòd caſu te ſim ſortitus amicum: quod certè ita factum non eſt; nã nulla fortuna, aut caſus vllus me tibi amicum conciliauit, ſed ſola mea virtus, per ſignificationem amicorum &c. Erratum autẽ in eo eſt, quòd exiſtimarint τὸ hoc, eſſe pronocabulum, & apponendum illi ablatiuo τῷ caſu: cùm τὸ hoc, ſit hic copula cauſalis. *optimus olim.* exponit quòd non fortuito caſu ſit factus amicus. *prohibebant p.* hæſitatio linguæ præ pudore cogebat me pauca loqui. *non ego me.* à natalibus. *Satureiano.* à bonorum modica poſſeſſione commendatio. de Satureiano caballo quæ ſcribit Commentator, mihi videntur potius eſſe commenticia quàm vera: & hoc item quod Seruius 4. Georg. annotauit de Satureio oppido apud Tarentum, eius enim nulla eſt mentio apud eos qui ex profeſſo totam nobis Italiam delinearunt: apud Strabonem autem lib. 6. inuenire licet Vreum vrbem ad extremum circumflexum Gargani promontorij: ager iſte, inquit, cùm omnis generis fructus, tùm verò copioſiſſimos producit, equis & ouibus aptiſſimus, lana quàm Tarẽtina longè mollior, minùs verò candida; regio ipſa propter camporum conualleis, tranquilla: hinc certè arbitror Horatium (vt fuit in componendis & vſurpandis vocibus mirabiliter audax) concinnaſſe hanc dictionem Satureianum, propter vbertatem ſoli equis alendis aptiſſimam. Plin. lib. 3. cap. 11. hãc vrbem in Apulia nominat Vriam. *Pauca.* ſapientis animi ſignificatio eſt verborum paucitas, vt ait Apollodorus, οἱ κράτιστοι τῶν ἀνθρώπων, βραχυλογώτατοι, hoc eſt, optimi hominum in dicendo ſunt breuiſſimi. Sed & Saty. 4. agnoſcet ſe eſſe deiecti animi & taciturnum. *turpi ſecer. ho.* qui æſtimas hominem non pro vulgi conſuetudine, ex imaginibus maiorum, ſed virtute & vitæ probitate. *atqui ſi vit. me.* per occupationem digreditur ad commemorationem & laudem paternæ inſtitutionis, vt ex ea quiuis cognoſcat animum patris fortem & verè generoſum. *mediocribus.* ſic ad finem Satyræ 4. huius libri, mediocribus & queis ignoſcas vitijs teneor, &c. deinde eodem loco, vbi quid datur otî, illudo chartis, hoc eſt mediocribus illis ex vitijs vnum. quaſi velit ridendo iocari & notare Romanos, ſibi à natura eſſe inſitum; quod cùm plerique ei vitio dabant, id inter mediocria ipſe numerabat. *recta.* rectam naturam paullò pòſt interpretatur puram & inſontem, non auaram & ſordidam, non publicis adulteriis & ſcortationibus infamem. quod Satyra 4. ſuprà ſibi à patre quoque ſignificatum ſcribit, à turpi, inquiens, meretricis amore cùm deterreret, &c. *vt me coll.* modeſta parentheſis, obtrectationis ergò vitandæ. *nec mala luſtra.* ſic habet codex Bland. vetuſtiſſimus, & ea lectio multo mihi

probatur magis quàm vulgata. De luſtris autem ſic Feſtus, luſtra ſignificant lacunas lutoſas quæ ſunt in ſiluis aprorum cubilia: à qua ſimilitudine ij qui locis abditis & ſordidis ventri & deſidiæ dant operam dicuntur in luſtris vitam agere. *ſi & vnuo car. ami.* ſic habent omnes codices. *qui macro p. a.* ſubintell. τὸ quamuis, hoc modo, qui pater quamuis eſſet pauper macro agello, noluit tamen in Flauij ludum me mittere, &c. vnde conijcere licet & magno animo præditum patrem, qui nollet filiũ turpiter lucri faciendi rationem addiſcere; & hunc Flauium fuiſſe inſignem fœneratorem. Memini me alibi legiſſe Flauium quendam fœneratorem in extremis Eſquilijs habitaſſe. *magni quo pueri.* hæc εἰρωνικῶς accipienda ſunt, quaſi minimè magni: quia nihil eſt tam anguſti animi quàm amare diuitias. *tabulámque.* nominum, hoc eſt in fœnus dati & accepti. *ibant octonis.* omnino abſurdum eſt (meo quidem iudicio) hæc verba aliò rapere, quàm ad exercitiũ fœnoris: cùm ſit omnibus doctis exploratiſſimum quotidibus à fœneratoribus vſuras olim reſigi ſolitas, vel ipſo Horatio teſte ad finem 2. Epodi. non etiam exigi mercedem ſcholaſticam quæ erat annua vt ſcribit Iuuenal. Saty. 7. hęc, inquiens, curas, & cùm ſe verterit annus, accipe, victori populus quod poſtulat aurum: paullo enim ſuprà de pretio ſcholaſtico ait, Rara tamen merces quæ cognitione Tribuni non egeat, &c. quare tabulæ hic ſunt qui Ciceroni alibi ſunt codices, quomodo, inquit, ſeſtertia 353 in codice accepti & expenſi non ſunt: & alibi: Verum cetera nomina in codicem accepti & expenſi digeſta habes, an non? Quin & Linacer vir acutiſſimi iudicij, tabulas & loculos ad ratiocinationes refert, inquiens lib. 4. de emendata ſtructura, videntur per hoc participium (putà ſuſpenſi) Gręcorum explicari tempora indefinita, quaſi συμψήφων. ſed & in arte Poëtica videtur eò reſpicere, Romani pueri longis rationibus, &c. hac de re legito lib. 2. ca. 24. apud Alexand. ab Alexan. *vt populo.* adeò vt, ita vt. *ſi quis vidiſſ.* codices Bland. & Tonſ. habent, ſi qui. *in magno vt p.* frequenti. ſic Virg. 1. Aen. Ac veluti magno in populo cùm ſæpe coorta eſt ſeditio, &c. *ipſe mihi cuſt.* ſedula παιδαγωγία patris in obſeruandis moribus, & incorrupte formanda pueritia ſui filij. *incorruptiſſimus.* ſiue cuſtos incorruptiſſimus, nam ſeruauit filiũ pudicum ab omni nõ ſolùm facto, verùm etiam ab omni opprobrio turpi; hoc eſt, neque dicto neque facto offendit vel oculos filij vel aureis. Quod Plato 5. de legibus, ſenioribus præcipiendum in primis cenſet, inquiẽs, *ὁ δὲ ἔμφρων νομοθέτης τοῖς πρεσβυτέροις ἂν μᾶλλον παρακελεύοιτο αἰσχύνεσθαι τοὺς νέους, καὶ πάντων μάλιστα εὐλαβεῖσθαι, μή ποτέ τις αὐτὸν ἴδῃ τῶν νέων, ἢ καὶ ἐπακούσῃ δρῶντα, ἢ λέγοντά τι τῶν αἰσχρῶν.* hoc eſt, ſapiens itaq. legum lator ſenioribus præcipiet, vt ſint coram iunioribus verecundi, ac ſummopere caueant, ne quis iuuenum eos aut videat vel audiat agenteis turpe aliquid, vel loquenteis. *nec timuit ſibi.* hoc eſt, pro nihilo habuit, ſi mortuo ſe, cogeret inopia rei deſerere hanc inſtitutionem liberalem, méque ad minùs liberalis vitæ genus demittere, quando talis educatio non rarò tollat ad honores vel infimo loco natos. Aut, non timuit ne ſibi daretur vitio ſi mihi liberalia ſtudia non præſtitiſſet, cùm humilis fuerit, & ſatis ſibi eſſe potuiſſet ſi paternam vitam imitarer: & ideo plus ei debeo, quia ſupra vireis ſtatus ſui filium ſit proſecutus. *ad hac nunc l.* omnes ſcripti codices habent, *ad hoc nunc.* præter Diuæi, & vnum Bland. qui habent, *ad hac nunc.* quos ſecutus ſum, ἐπὶ τάξεις. at non damno tamen, *ad hoc*: nam ferè conſentiunt ad hæc, & ad hoc. ſed vulgatam putarim reijciendam. videtur enim hæc eſſe ſententia: tantum abeſt vt de patre conqueſtus fuiſſem ſi ei fuiſſem ſimilis, vt ei nunc debeam maiorem gratiam propter educationem liberaliorem. *nil me pœniteat.* modi potentialis, pro pœnitere ſeu pudere debet. hoc autem pertinet ad cõfutandum populi opprobrium de libertino patre, quem ait ob diligentem in inſtituendo curam laude dignum & immortali gratia, diſſentiensque à communi omnium ſententia, non modò ſibi gratulari ſe ab huiuſcemodi parentibus eſſe progenitum, verùm etiam non optare ſe ait aut nobiliores aut clariores etiamſi dij conceſſerint. *ſi natura iuberet.* aut ſimpliciter hæc verba intelligi poſſunt, hoc modo, Si (quod fieri nequit) natura concederet, vt antè acta tempora redeant, ita vt vnicuique ſit liberum quos velit eligere parentes; ego meos potiùs deligerem quàm conſulareis & Senatorios. aut etiam dici poteſt Horatius alludere ad Pythagoricum dogma de migratione animarũ in alia corpora: ex cuius decreto ſcriptis mandauit Plotinus in libello de proprio cuiuſque dæmone, Quicunque, inquiens, proprietatem ſeruauerint humanam, homines iterum naſcuntur: Quicunque verò ſolo vſi fuerint ſenſu, bruta animalia redeunt &c. à qua opinione Stoici non diſſentiebãt: imo Plato in Timæo, in extremo de republica, & acerrimè in Phædro eam aſſerit, apertéque optionem vnicuique propoſitam eſſe poſt mille annos, vt quod velit corpus eligat: quam electionem in vltimo de republica, de huiuſcemodi vitæ optionibus loquens, ait magna ex parte iuxta prioris vitæ mores fieri. ſed non diſſuaſerim lectori Phędrum Platonis euoluere, ad cognoſcendam eam vanitatem trãſmigrationum ipſarum animarum. *à certis annis.* poſt mille annos ait Plato in Phędro.

hunc ſi os

honeſtos faſcibus. ſic habent omnes ſcripti codices, & rectam ſimplicemque lectionem eſſe arbitror eíque conſentientem quod iam dixit, Quod non ingenuos habeat claróſque parentes. At ſi qui malint cum Lambino legere, onuſtos faſcibus, &c. nō vehementer repugnabo propter id quod ſequitur, quod nollem onus haud vnquam ſolitus, &c. *nam mihi continuò*. pulcherrima expolitio eius oneris moleſti quod ait incumbere humeris clarorū virorum: & hæc enumeratio eſt notanda pro παρεκβολῇ in ſordeis Tullij prætoris, quem iam nunc inſectatur. *res*. diuitiæ & opes ſplendidiores. *ſalutandi*. adeundi & manus prenſandæ plurium, cùm officij, tum ſuffragiorum cauſa. *ducendus & vnus*. honoris gratia. *vſque Tarentum*. magiſtratibus ſine comitatu & impedimentis, vel longiùs abire, vel diutiùs à republica abeſſe nō licebat quā ad definitos ab vrbe lapides, & tempus à Senatu præſcriptum; ſed priuato homini multò liberrima erat vitæ ratio, quo nomine ſibi applaudit Horatius. *Tiburte via*. per viam Tiburtinam iter facientem. *quinque ſequuntur pueri*. quàm narrat immundas & odioſas ſordeis auari Tullij: qui prętor nō alio quā ſeruili comitatu, eóq; pauciſſimo, ſine vllis caballis & petorritis exit peregrè. Deinde ea ſeruos ſecum ferre iubet, quæ in itinere naturæ per omnia ſeruiant, ne vel obolum impendat vel officij vel miniſterij gratia: nam ſub œnophori nomine reliquum certè commeatū, nimirùm panem, ſalē, oleum, vaſa, &c. facile eſt conijcere eum impoſuiſſe humeris ſeruorum. Sed quàm ridicula eſt hæc narratio œnophori & laſani. *multis atque*. manuſcripta omnia habent, *milibus atque alijs*; prętor vnum Bland. in quo ſcriptum eſt, *militibus*. ſed ſub ti punctis poſitis. duo autem Blād. ad marginem habent, & multis alijs. vulgata, vtpote *milibus atque alijs*, videtur ne ſcio quid redolere antiquum & Horatianum. quale eſt illud Virg. Tot milia gentes arma ferant Italæ, &c. niſi malimus legere, gentis, collectiuè. quod mihi non perinde probari poſſe videtur, numeri & antiquitatis gratia: nolunt enim pręclari ſcriptores ita ſemper obſtricti eſſe Grammaticis normis, vt ſibi indulgere non poſſint. Quin & huc adducerem D. Hieronymum in Ruffin. niſi potius in ſcripto erratum putarem, vbi ait. ſex milibus autem libris (quos ab eo lectos eſſe confingis) quis credet? at multa huiuſcemodi legere eſt apud claſſicos ſcriptores. Plin. lib. 13. cap. 7. Ancus Martius Rex ſalis modia ſex milia in congiario, &c. Iuſtin. Trecentis milibus mulieribus. Liu. duodecim milia pedites. *hoc ego commodius*. Lambinus hunc locum ſic explicat, ego hoc, id eſt, hac re & multis aliis rebus, viuo commodius quàm tu, &c. Equidem τὸ hoc, nō arbitror eſſe prouocabulum, ſed cauſalem copulam, vt hæc ſit ſententia. hoc, id eſt, ideo ego viuo commodiùs quàm tu & quàm multi, quòd quacumq; libido eſt, incedo ſolus, &c. ita vt τὸ commodius repetatur ad ablatiuos caſus multis aliis, & ſubintelligatur τὸ quòd: ea namque commodorum vitę priuatæ enumeratio, pulchrè, quaſi per antitheſin, docet quibus incommodis impliciti exagitentur qui in dignitate ſunt conſtituti. *fallacem Circum*. Habet Commentator hic vocabulum mihi profectò incognitum, nimirum Sarmadacos. pro incantatoribus ſeu faſcinatoribus: ſed fortaſſe compoſitum ex Sarmatis & Dacis, qui populi olim nō parùm huiuſcemodi ludibriis infames erant. *laganique catinum*. ſic habent omnes codices ſcripti: verùm quia Lambinus in vno codice inueniſſe ſe ſcribit, *lachani*, pro olere, per me licebit lectori vtram velit dictionem ſumere, Commentatoris vel Lambini: paruo namque diſcrimine diſtat, ſi quis examinet interpretationem Commentatoris. *pueris tribus*. à pueris tribus, hoc eſt, paucis, nullo ſtrepitu. *pocula cum cyatho duo ſuſt*. tres Bland. codices habent *mihi ſuſtinet*. ſed ceteri omnes, duo, quod magis placet pro ratione & cōſuetudine veterum, qui pocula paria in Delphica menſa ponere erant ſoliti, vt notauit Turnebus ex Agretio lib. 9. cap. 19. *cum cyatho*. pulchrè facit Horatius vulgari & cibo parabili reſpondere pocula vilia & ſobria duo, alterum vini, & aquæ alterum, vt conuiuæ ex cyatho vinum aqua mixtum haurirent. hinc κυαθίζειν, parcè & moderatè bibere, ſumpen Flandricè; licet, vt fit, cyathis ſubinde repetitis cōuiuæ nonnumquam hilareſcant. Non me fugit quoſdam ſcribere cyathis aquam vinumque hauſtum ex vaſis, inque pocula fundi ſolitum fuiſſe; ſed alia ſententia mihi magis arridet, propterea quòd cyathus Plinio ſit pocillum quod vno ſorptu euacuari poteſt, nimirum quòd capiat ſeſcunciam ſeu ligulas quatuor. een croeſken/een roomerken/ &c. quod ad ſobrietatem ſpectat. *aſtat echinus vilis*. locus obſcurus eſt, & ipſo echino ſpinoſior, cū propter variam interpunctionem, tùm propter ignorationem & vſum vaſorū in menſis antiquorum. omnes codices habent, aſtat echinus vilis, &c. Diuæi autem codex hanc interpunctionem, aſtat echinus, vilis cum patera guttus, &c. quo etiā modo interpungunt qui echino; legunt. reliqui verò, aſtat echinus vilis, cum patera guttus, &c. quos ſequor: & ad ea quæ de echino commemorantur à Commentatore hoc quoque adiiciam, vtpote echinum hic mihi videri vas quod Hippocrati quoque ἐχῖνος nuncupatur χύτρα μεγαλόστομος, teſte Erotiano, hoc eſt, olla ventricoſa in formam echini, & amplo vaſtóque ore: ſed Polluci quoq; ἐχῖνος

eſt ollæ genus: eius autem vſus, vt id quod res eſt, cum doctis omnibus apertè fatear, me prorſus latet: at ſi quid tamen comminiſcar, quod fortaſſe aut nihil, aut paru ad rem faciat, commentũ cito. Scribit Plutarchus in Sympoſiacis inter res ſacras olim habitam fuiſſe menſam quotidianã, qualem ſuam deſcribit hic Horatius. proinde ſumturi cibum, τὰς ἀπαρχὰς, hoc eſt, primitias, diis ſacrificabant, deinde vt religione quadam ad menſam accederent, manus, & pedes nonnunquam abluebant, tanquam ſacrum epulũ adituri. hac de cauſa quid ſi echinũ vilem quis dixerit, quòd aqua plenus ſeruierit abluendis ſordibus, præſertim quòd eſſet ore amplo? & guttus cum patera fuerit dicatus primitiis vini diis libandis: nam patera, inquit Varro li. 4. in ſacrificando diis magiſtratus dat Deo vinum. Porro in ſacrificiis, inquit eodem loco, remanſit guttum & ſimpulum. Aut cum Feſto vocemus echinum præfericulũ, quod vas erat æneum ſine anſa patens ſummum, velut peluis, quo ad ſacrificia vtebantur. *obeundus Marſya.* tradit Plin. lib. 35. cap. 10. his verbis, & in Concordiæ delubro Marſyas religatus. Verùm de quo delubro intelligit, incertum eſt; at propter Commentatorem, qui ait Marſyam fuiſſe pro roſtris, eſt vero conſonum, hoc delubrum fuiſſe ad comitium, quò coibant litium cauſa, teſte Varrone, puta ad curiam Hoſtiliam, antequam roſtra ex hoſtibus capta fixa fuerunt in Græcoſtaſi, ſub dextra Comitij, ſupra quã Senatulum γερουσία, quòd ibi ſeniores conſiſterent, vbi ædes Concordiæ, vt habet Varro, quæ in Græcoſtaſi ſita fuit, vt ſcribit Plin. lib. 33. cap. 1. his verbis: Flauius vouit ædem Concordiæ, ſi populo reconciliaſſet ordines: & cùm ad id pecunia publica non decerneretur, ex multaticia feneratoribus cõdemnatis, ædiculam æreã fecit in Græcoſtaſi, quæ tunc ſupra Comitium erat, &c. *tacitum iuuet.* cogitabundum. ſic Ecloga 4. hæc ego mecum compreſſis agito labris. *vngor oliuo.* fortaſſe malobatro, nam vrinã ciet, oculorum epiphoris vino expreſſum vtiliſſimè imponitur, item frontibus dormiturientium, vt habet Plin. lib. 23. cap. 4. *immundus Natta.* vult Aldus hic legi Naca pro vili aliquo fullone, ſed hallucinatur: notat enim Horatius ſordidum aliquem Romanũ, vt habet Commentator, eumque non ex ignobili familia. Meminit autem Cic. in oratione pro L. Murena, L. Nattæ priuigni ipſius Murenæ, inquiens, Non igitur ſi L. Natta ſummo loco adoleſcẽs, qui & quo animo iam ſit, & qualis vir futurus ſit, videmus &c. *fugio rabioſi tempora ſig.* Codex Bland. antiquiſſimus habet, fugio campum luſumque trigonem. ſed ſuppoſita ſunt puncta, vulgatáque lectio eſt adnotata. *rabioſi tempora ſ.* Hoc ad Caniculã pertinet leonis ſigni ardentiſſimi in capite ſtellã, vnde dies caniculares: Ode 29. lib. 3. Iam Procyon furit & ſtella veſani leonis ſole dies referente ſiccos. & alibi: Rabiem canis & momenta leonis. *Pranſus non auidè* moderatè, pranſus tantum ne ieiunus ſim. Nam in ieiunio vires deficiunt, & ſtomachus repletur putridis humoribus, vnde naſcitur graueolentia, vt teſtatur adagium ἀσιτίας ὄζειν. *diem.* integrum ſolidumque. *domeſticus otior.* ἰδιώτης: nõ enim tam locum quàm vitę conditionem denotat ab omnibus negotijs publicis abſtractam, quod apertè docet verſus ſequẽs, hæc eſt vita ſol. *victurus ſuauiùs.* ſic legi in codice Buſlidiano: ceteri omnes habent victurum. ſed vtram quis ſequatur lectionem, profectò manum non vorterim.

ECLOGA VII.

RVPILIVS.

PROSCRIPTI *Regis Rupili pus, atq; venenum*
Hybrida quo pacto ſit Perſius vltus, opinor (nũ,
Omnibus & lippis notum, & tonſoribus eſſe.
Perſius hic permagna negotia diues habebat
Clazomenis: etiam liteis cum Rege moleſtas:
Durus homo, atque odio qui poſſet vincere Regẽ:
Confidens, tumidus: adeò ſermonis amari,
Siſennas, Barros vt equis præcurreret albis.
Ad Regem redeo. poſtquàm nihil inter vtrumq;
Cõuenit (hoc etenim ſunt omnes iure moleſti,
Quo fortes, quibus aduerſum bellũ incidit. inter
Hectora Priamiden, animoſũ atq; inter Achillẽ
Ira fuit capitalis, vt vltima diuideret mors:
Non aliam ob cauſam, niſi quòd virtus in vtroq;
Summa fuit. duo ſi diſcordia vexet inerteis:
Aut ſi diſparibus bellum incidat, vt Diomedi
Cum Lycio Glauco: diſcedat pigrior vltrò
Muneribus miſſis.) Bruto prætore tenente
Ditem Aſiã, Rupili, & Perſi par pugnat: vti nõ
Compoſitus melius cum Bitho Bacchius. intus
Acres procurrunt. magnum ſpectaculum vterq;.
Perſius exponit cauſam: ridetur ab omni
Conuentu: laudat Brutum, laudatq; cohortem.
Solem Aſiæ Brutum appellat: ſtelláſque ſalubreis
Appellat comites, excepto Rege: canem illum,
Inuiſum agricolis ſidus veniſſe ruebat,
Flumen vt hibernum, fertur quo rara ſecuris.
Tum Præneſtinus ſalſo, multúmque fluenti

Expreſſa

Expreſſa arbuſto regerit conuicia, durus
Vindemiator, & inuictus: cui ſæpe viator
Ceßiſſet, magna compellans voce cucullum.
At Græcus, poſtquàm eſt Italo perfuſus aceto,
Perſius exclamat: per magnos, Brute, deos te
Oro: qui reges conſueris tollere: cur non
Hunc Regẽ iugulas? operũ hoc (mihi crede) tuorũ (eſt.

COMMENTATOR.

PVBLIVS Rupilius rex Prçneſtinus, poſtquã à Prænestinis in exuliũ miſſus eſſet, in Attica militauit ſub Actio Varo: deinde cùm prçturã gereret, in triumuiratu proſcriptus ab Auguſto cõfugit ad Brutum: in cuius caſtris cum Horatio commilito, tulit ægrè tribunũ eum eſſe militum, generis ignobilitatem ei ſæpiùs exprobrans: Quare Horatius vt ſe vlciſceretur, deſcribit infacetum & arrogans eius in iurgando cum Perſio ingenium. *proſcripti.* Ab Auguſto in triumuiratu. *pus.* pus propriè eſt ſanguis, qui computruit in carne ictu lçſas ſed hic accipitur pro liuore. *venenum.* malignitatem. *hybrida.* mixti generis ex diuerſis naturis. hybridæ propriè dicuntur canes, qui ex imparibus nati ſunt; vt ex venatico & gregario: ſic Perſius hybrida, ſemiromanus ex patre ſcilicet Grçco, & matre Romana. *omnibus & lip.* hoc eſt, loquacibus & otioſis hominibus: quia tonſores domi cõſidentes otioſi, & lucrum captantes; lippi autem vitio oculorum à negociis alieni, domi, in vicis, in tabernis medicantium de publicis rumoribus ſemper inquirunt: hi ergo non ignorant, quomodo Perſius hybrida ſit perſecutus malitiã Rupilij regis. *negotia.* erat enim negotiator apud Clazomenas. *Clazomenus.* Clazomenæ ciuitas eſt Aſiæ. Clazomenis, vt Athenis, in plurali fit ad uerbium loci. *moleſtas.* κατ' ὀχλησιν, habebat. *odio.* moleſtia. vt Terent. cum iſtoc odio ô Lache. vel odio, id eſt, odioſis verbis & maledicis. *vincere regem.* hoc eſt, qui poſſet eſſe Rupilio rege odioſior. *confidens.* audax, temerarius, improbus: Confidens autem in malis, ſed fidens in bonis. Terent. homo confidens qui illum dij omnes perduint. *tumidus.* iracundus, aut ſuperbus. *amari.* maledici & mordacis. *Siſennas, Barros.* hi fuere maledicentiſſimi. ſenſus eſt; Perſius tanta erat amaritudine orationis, vt de Siſennis & Barris petulantiſſimis & nobiliſſimis conuiciatoribus triumphum ageret. *equis præc. alb.* allegoricôs. hoc eſt, vt eos facile maledicendo ſuperaret; quia equi albi dicuntur omnium celerrimi, teſte Virg. Qui candore niueis anteirent, curſibus auras. *poſtquam nihil.* poſtquàm inimici capitales & inexpiabiles facti ſunt. *conuenit.* conuentũ eſt. *hoc etenim ſunt.* ſenſus eſt, omnes moleſti, id eſt, calumniatores & maledici ſunt hoc iure, hoc eſt, hanc poteſtatem ſibi vendicant, quo, quam habent viri fortes inter ſe cõtendentes de gloria, qui tam diu dimicant inter ſe donec alter victor diſcedat. *capitalis.* periculoſa, de vita & capite. *diuideret mors.* dirimeret, & litis finem faceret. *ſumma.* maxima. ſic & Perſius & Rupilius propter ſummã maledicentiam nolebãt ſibi cedere donec alter eorum vinceretur. *duo.* duos. vt Virg. ſi duo præterea taleis Idææ tuliſſet terra viros. *diſparibus bell. in.* inciteт diſpareis viros, fortem & ignauum. *vt Diomedi.* Glaucus genere Corinthius, ſed natione Lycius qui ceſſit Diomedi arma ſua aurea, acceptis ab eo æreis, quod eſt apud Homerum Ili. 5. *ditem.* copioſam, abundantẽ. *par pugnat.* venere in prœlium quaſi digladiatores; ſumta eſt enim metaphora à gladiatoribus ſatis amarè. *cũ Bitho Bacch.* Bithus & Bacchius gladiatorum nomina celebrata apud Suetonium. *magnum ſpect. v.* mirè perſeuerat in metaphora theatri ad iudiciũ. *cauſam.* ſuam. *in ius.* ad Brutum. *ridetur ab o.* quia Græcus latinè diceret. *cohortem.* comitum. *ſolem Aſiæ B.* vt Virg. O lux Dardaniæ, ſpes ô ſanctiſſima Teucrũ. *comites.* Bruti, qui ei aderant. ſic & Lucil. Vt prætoris cohors, vt noſtris dixit auſpex. Opportunè laudans Brutum & comites eius, illum Soli, comites verò præter regem ſtellis ſalutiferis comparat. *canem ill.* caniculam peſtiferam; Sirium. *ruebat.* ita impetuoſa erat eius oratio; vt de altiſſimis mõtibus torrens hiberno tẽpore ſolet rapidiſſimè decurrere. *fertur quò rar. ſ.* vtique quia nõ facilè itur in ea loca ad ligna cædendum quæ ſunt nimis alta & abrupta. *tum Præneſt.* Rupilius Rex. grauiter ac copiosè, inquit, cùm dixiſſet Perſius, inuicem Rupilius conuicia regerit; non minùs ridiculus quàm ruſtici vindemiatores eſſe ſolent. *ſalſo.* amaro & copioſo. *expreſſa arb.* depromta & prolata ex pectore reiecit in Perſium ſcommata maledica. allegoricôs. *vindemiator.* ſupp. vt vindemiator per ſynæreſim proferri debet; alioqui verſus non conſtaret. bene hic dicit vindemiator, quia in præcedenti verſu dixit, arbuſto, pro pectore. *cui ſæpe via.* Solent enim ruſtici leuia circa viam arbuſta vindemiantes à viatoribus cuculi appellari, à quibus illi prouocati tantam verborum amaritudinem in eos retorquẽt, vt viatores eis cedere cogãtur, contenti eos cuculos iterum atque iterum appellare, quaſi pigros, & laborem vindemiandi ſubeuntes alieno tẽpore, cuculo ſcilicet cantante. *cucullum.* cucullus auis eſt ridicula, pigra & obliuioſa; nam & obliuiſcitur ſui nidi, & ſua oua alijs auibus fouenda relinquit. *Italo perſ. aceto.* afflictus Italica mordacitate ait, ô Brute, ſequere generis tui gloriã,

& hunc

& hunc Rupiliũ regem tolle, iugula, & extingue. vrbaniſſimus iocus. Tarquinius enim Superbus Rex Romanorũ vltimus opera Iunij Bruti in exilium eſt actus. & Cai. Cæſar qui regnum affectare videbatur, per hunc Brutum & alios coniuratos in Senatu eſt occiſus; ita odioſum erat Brutis nomen regium.

CRVQVIVS.

DESCRIBIT Horatius acrem contentionem Rupilij regis Prænestini & Perſij Clazomenij, quem Hybridam cognominat, in qua ita clarè & apertè depingit animum non minùs ferocem, quàm vehemens in vtroq; maledicendi ſtudium, vt vel cæcis ipſis poſſit eſſe perſpicuum, ſe, puta, alteri quidem non parum, vtrique verò ſeriò eſſe infenſum: cuius quidem offenſionis ſuíque vlciſcendi cauſam ſcribit Commẽtator libertini generis exprobrationem; ſed hoc vt incertũ, ita pro comperto eſt eum non plus Rupilio quàm Perſio eſſe grauem; nam putidam vtriuſque obtrectationem debita vltione expurgans, hunc quidẽ tumidum amarulentúmque, illum verò purulentũ nominat, venenatáq; purulentia turgidũ. *proſcripti.* proſcribere propriè eſt ſcripto aliquid venale ſignificare; at hic proſcribere damnare eſt, proſcriptus damnatus, tabulis nempe triumuirorum. De triumuiratu autem, & ab eis facta proſcriptione, inter ceteros legendus eſt Appianus Alexandrinus bellorum ciuilium lib. 3. & 4. *pus atque ven.* pus venenoſum, πύον δηλητήριον, pro potione horrenda & mortifera, quæ cum morte vitã commutare cogit, allegoricôs, pro impura & peſtifera maledicentia, nec non contumelia, quæ alterum hominis (vt ſic loquar) patrimonium, alteramque eius vitam tollit è medio, nimirum famam bonã & nomen honeſtum. *Hybrida.* caninus, caninæ mordacitatis. quò aſpexiſſe potiùs Horatium crediderim, quàm ad eam quæ, ex diuerſo genere, vna natura facta eſt. de qua vide Commentatorem: ſuam enim deducit à cõuicijs etymologiam, ὕβρις namque inſolentem proteruiam, & ὑβρίζω, dicto factóve lædo, & iniurius ſum, denotat. ſic ὑβριδής, vt, ὑβριστής, petulans conuiciator, inſoleſcensq; ob potentiam nobilitatemq́ue: cuiuſcemodi nõ Perſium tantùm, ſed & Rupilium eſſe planè demonſtrat ex ingenio & moribus Scaliger in notis in Varronem de re ruſtica 33. vult hybrida venire ab Iber, ſpurius; quia Iber, imber, vmber, idem notare ait; & vmber apud veteres ſpuriũ notabat; vnde apud Plin. Inſiticium quoddam genus vuis Vmbri dicuntur, vt apud Græ. [illegible]. húc legito. *omnibus &c.* allegoricôs, de re omnibus notiſſima. Tale eſt illud Ariſtoph. in Pluto, de eo qui repentè diues factus erat, καὶ τοι λόγος γ' ἦν νὴ τὸν ἡρακλέα πολὺς ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων, hoc eſt, atqui frequens hic ſermo erat per Herculem his qui in tabernis conſident tonſorijs: eò namque loquaciſſimi quique concurrere ſolent, vbi otioſi & deſides perquirunt quicquid in republica geritur; plerumque etiã nugis & mendacibus fabulis tempus fallunt: qua gratia Theophraſtus dicebat (vt refert Plutarchus) τὰ κουρεῖα εἶναι ἄοινα συμπόσια, id eſt, officinas tonſorum eſſe ſine vino ſympoſia & compotationes, quòd illic homines nihili nimia garrulitate quaſi temulenti reddantur. *permagna nego. &.* lites difficiles, πράγματα ἀργαλέα: alludit enim ad Græcam hãc dictionem πράγματα πράττειν, πράγματα ἔχειν, hoc eſt, litem intendere, & litibus fatigari infeſtaríque, &c. & earum moleſtiarum cauſam in ſe continet accommodatum epitheton τὸ diues. Itaque permagna negotia nõ ſunt ea quæ ſunt rerũ, ſed quæ ſunt fori, vt ex ἀνθολογίᾳ carminis manifeſtum eſt: habebat enim, inquit, & Clazomenis & cum rege moleſtas liteis; hinc illũ durum nominat, hoc eſt, pertinacem & duræ ceruicis hominem, αὐθάδεια. præfractum & intractabilem. *confidens t. adeò ſ.a.* hæc epitheta declarant cur Perſius ſit hybrida, vt iam nunc dictum eſt. *tumidus.* ſine coniunctione, que, habent codices Tonſanus, Buſl. & B.ã.l. vetuſtiſſimus. *equus præcur. alb.* vide Adagium, equis albis præcurrere. *Siſennas, Barros.* Glareanus exiſtimat hic vnum duntaxat maledicum notari, alioqui, ait, Horatius dixiſſet Siſennas Barróſque vt equis, &c. alij malunt duos ſignificari, quibus aſſentior; nam adnotationes Bland. exprimũt τὸ &. verùm hæc res parui eſt momenti. *ad regem red.* tranſitio. *poſtquàm nil inter v.c.* argumentum litis, diſcordia. *moleſti.* οἱ ἀργαλέοι, qui ſunt eo iure naturę, eamq́ue naturam habent, vt nolint vinci, ſuáque cauſa cadere. qua natura ſunt quoq; viri fortes, qui recuſant ſuis hoſtibus eſſe ſupplices: nam fortitudinis eſt, inquit Ariſtotel. τὸ μᾶλλον αἱρεῖσθαι τεθνάναι καλῶς, ἢ αἰσχρῶς διασωθῆναι, καὶ τὸ νίκης αἴτιον εἶναι, id eſt, malle honeſtè mori, quàm turpiter ſeruari. & victoriæ cauſam præſtare. *ira fuit capita.* quàm fuerit ira inter Achillem & Hectorem immoderata & implacabilis, vide Homer. Ἰλ. χ. *vt ſola diriderat m.* Nam ſecundum illud Sopho. θυμοῦ γὰρ οὐδὲν γῆράς ἐστιν ἄλλο, πλὴν θανεῖν, hoc eſt, Senecta nulla obtingit iracundiæ, niſi mors. Cuius rei cauſam ſcribit Plato 2. de Republ. eſſe animi confidentiam & vehementiam, inquiens, ἄμαχόν τε καὶ ἀνίκητον θυμός, οὗ παρόντος ψυχὴ πᾶσα πρὸς πάντα ἄφοβός τε καὶ ἀήττητος. i. inexpugnabilis eſt & inſuperabilis vis animi, quæ ſi adſit, ad omnia intrepidus eſt & inuictus animus. *ſumma fuit.* ſic Ode 6. lib. 1. de Achille. grauem

grauem Pelidæ ſtomachum cædere neſcij. *vt Diomedi cum.* nota eſt ex Homero lib. 6. Ilia. Diomedis & Glauci permutatio, quæ fabula tranſiit in parœmiã, eaq. vtimur in inæquali rerum permutatione, vtpote quando deteriora melioribus commutamus, *χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων*, vt ſcribit Homerus, qui Glaucum quendam ad Troiam Lyciorum ducem introducit ignauum & iactabundum magis quàm bellacem, cùm quo decertaturum fingit Diomedem, ſtrenuum ſimul & aſtutum: qui cùm ſtupidum magis animũ barbari quàm fortem deprehenderet, potius exiſtimauit illudere hominem, quàm cum eo nulla ſua gloria *μονομαχεῖν*. Itaque ſimulata maiorum ſuorũ inter ſe amicitia, cœpit hortari barbarũ depoſitis armis vt eam renouarent, &, vbi in patriam rediiſſent, ius hoſpitalitatis inuiolatum religioſè colerent, alter Argis, alter in Lycia. hæc autẽ vbi à Diomede perſuaſa ſunt barbaro, & pacta inter ſe, permutatiſq; armis ſancita, Glaucus pro æreis Diomedi dedit aurea arma. *diſcedat pigrior.* tres Bland. cod. cum Buſl. habent pulchrior, ſed antiquiſſimus cum reliquis, pigrior. quę lectio magis apta videtur propter ſubſequentia, nempe *muneribus miſſis*. ea namque verba ad Glaucum pertinent, qui ignauior vltrò Diomedi, vt ab armis diſcederet, munera miſit aurea pro æreis. deinde nõ inſulsè applicatur ei parti, *duo ſi diſcordia vexet inerteis*. vt inertior, hoc eſt, ignauior etiam diſcedat vltrò. *Bruto præ. tenente.* potiente & occupante. *par.* per ſubintellectionem maledicorũ. feſtiua alluſio ad gladiatorũ par, quæ non caret aculeo; pugnare enim gladiatorum eſt, at hic eſt verbis acerbè contendere. *compoſitus cum B.* B. in certamen congreſſurus & manus conſerturus hic dicitur compoſitus. Bithus autem & Bacchius nobile par gladiatorum fuit, inquit Eraſmus in Adagio, Bithus contra Bacchium; quo non intempeſtiuè vtemur, quãdo duo maledici & ex æquo improbi contendunt de maledicentia. *intus procurrunt.* ſic habet codex Bland. vetuſtiſſimus, cui ſubſcribendũ cenſeo: poſt multas namq; inter ſe contumelias, poſt multa conuicia & maledicta procurrebant foras in conuentum ſociorum ad Brutũ, vt is cauſa cognita, litem dirimeret, eóq; componeret. Intus autem procurrere, eſt de loco interiore & ſeceſſu aliquo in publicũ prodire: in ea ſignificatione τὸ intus, Plauto eſt vſitatũ, vt in Ciſtell. dic me orare vt aliquis intus prodeat. in Milit. ſed vbi ille exierit intus, iſtic te procul ita volo diſſimulare, &c. Variant autem hic cod. nam tres Blãd. habent, concurrunt, cum Buſl. Diu. & Mart. à quibus nõ diſſentit Canterus vir in primis eruditus; at Tonſ. habet, occurrunt: verùm (meo quidem iudicio) legendũ eſt, procurrũt. *magnũ ſpectacul. vt.* epiphonema ludicrum in deriſum & contemtum vtriuſq; quaſi gladiatorum. *conuentu.* qui eò conuenerant, vel Bruti, vel huius cõtentionis ſpectandæ gratia. *cohortem.* prætoriã, quæ aut conſuli, aut prætori in prouincia erat pro ſatellitio & comitatu. Aſconius Pedianus hanc cohortẽ nominat alibi conſulareis comites. *comites.* cohortis. *agricolis.* quia & meſſem & corpora adurit. *γούνατα σείριος ἄζει*, inquit Heſiod. *ἐν ὀργῇ. ruebat.* eloquebatur inconſideratè quiduis & temerè, vt ſolent irati; & qui extra ſe ſunt, omnia quæ in buccam veniunt inconſultè euomentes. *flumen vt hib.* *χείμαρρος*. quemadmodũ hiberna & proceloſa pluuia ex altis rupibus magno impetu decidens obuia omnia ſecum rapit, ſaxa, arbores, ſata, domos, cõfusè deuoluens, eo modo confuſa erat & inordinata oratio Perſij: *οὕτω γὰρ λόγοις αὐτοῦ κατερρήγνυτο, ὡς τὸ ὕδωρ χειμέρρουν ἀπὸ τῶν κρημνῶν*. *ſecuris.* quò rarò frondator pertingit. *ſalſo arbuſto.* metaphoricôs, pro feſtiuo ſed mordaci tamen pectore. comparat enim eum duro vindemiatori, cuius illepidis & nimis acerbis conuiciis cedere viatori ſæpè neceſſe eſt; idcirco ait, *multumq; fluenti*: allegoricôs, quòd multam vim verborum dicacium funderet. *cucullum.* olim qui fuiſſent in re quapiam parũ honeſta deprehenſi (inquit Eraſmus) vulgari probro cuculli dicebantur. Id ortum à vinitoribus, qui ſeriùs cœpiſſent putare vineam, nec hoc opus abſoluiſſent priuſquam audiretur ea auis, velut ceſſationẽ exprobrans agricolis. huius vocem imitantes viatores, deridebant vinitores. Vide Plin. lib. 18 cap. 16. & Eraſ. in Adagio, Cuculus. *Italo perfuſus aceto.* Italo aceto, hoc eſt, vrbanis ſalibus, non ſine acrimonia quadam & illecebra mordacitatis. videtur his verbis ſubeſſe vis quædam tacita & planè Horatiana, nimirũ quòd homo Græcus ſit aceto perfuſus Italo. Nemo profectò ignorat aceti vireis eſſe ſecare & pungere (quapropter allegoricôs dicitur acetum habere in pectore qui non inſulſo acumine mordet aduerſarios) verùm non perinde norunt omnes duas eſſe ſpecies aceti, putà *ὄξος δριμὺ καὶ ὄξος γλυκὺ ἢ γλυκίζον*, hoc eſt, acetum acre, & dulce: & quandoquidem Græcorum plerique gaudebãt aceto dulci (quod ex Athenæi verbis, 2. lib. *δειπνοσοφ.* conijci poſſe videtur, vbi ait, *τοῦδε μόνοι Ἀττικοὶ τῶν ἡδυσμάτων εἶδος ἀγλῶσι*) ridiculè Perſium perfundi dicit aceto Italo, hoc eſt, acri, quod duabus de cauſis Græco poteſt eſſe ingratum, propriè quidem propter acidum ſaporem, metaphoricôs verò propter maledicentiam. Aceti autem dulcis compoſitionem deſcribit Conſtantinus Cæſar lib. 8. *γεωπονικῶν*. *perfuſus aceto.* expreſſit Horat. illud Ariſtoph. in Pluto. *ὄξει διεὶς σφηττίῳ*, hoc eſt, aceto aſperſus acidiſſimo.

ECLOGA VIII.

PRIAPVS.

OLIM truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cùm faber incertus ſcamnum, faceréne Priapũ:
Maluit eſſe Deum: Deus inde ego, furũ; auiumq́;
Maxima formido: nam fures dextra coërcet;
Obſcenóque ruber porrectus ab inguine palus:
Aſt importunas volucreis in vertice arundo
Terret fixa, vetatq́; nouis conſidere in hortis.
Huc prius anguſtis eiecta cadauera cellis
Conſeruus vili portanda locabat in arca.
Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum,
Pantolabo ſcurræ, Nomentanóque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne ſequeretur.
Nunc licet Eſquilijs habitare ſalubribus. atque
Aggere in aprico ſpatiari: quò modò triſtes
Albis informem ſpectabant oßibus agrum:
Cùm mihi non tantum furéſq́;, feraq́; ſuetæ
Hunc vexare locum, curæ ſunt, atque labori:
Quantùm, carminibus quæ verſant, atq́; venenis
Humanos animos. has nullo perdere poſſum,
Nec prohibere modo, ſimulac vaga Luna decorũ
Protulit os, quin oſſa legant, herbasq́; nocenteis.
Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis, paſſoq́; capillo,
Cum Sagana maiore vlulantem (pallor vtrauq.
Fecerat horrendas adſpectu) ſcalpere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam
Cœperunt. cruor in foſſam confuſus, vt inde
Maneis elicerent, animas reſponſa daturas.
Lanea & effigies erat, altera cerea: maior
Lanea, quæ pœnis compeſceret inferiorem.
Cerea ſuppliciter ſtabat, ſeruilibus, vtq́;
Iam peritura, modis. Hecaten vocat altera, ſæuã
Altera Tiſiphonen. ſerpenteis, atque videres
Infernas errare canes, Lunamq́; rubentem,
Ne foret his teſtis, poſt magna latêre ſepulcra.
Mentior at ſiquid: merdis caput inquinet albis
Coruorũ: atq́; in me veniant mictũ, atq́; cacatũ
Iulius, & fragilis Pediatia, furq́; Voranus.
Singula quid memorẽ? quo pacto alterna loquẽtes
Vmbra cum Sagana reſonarent triſte, & acutũ?
Vtq́; lupi barbam variæ cum dente colubræ
Abdiderint furtim terris? & imagine cerea
Largior arſerit ignis? & vt non teſtis inultus
Horruerim voces furiarum, & facta duarum?
Nam, diſploſa ſonat quantum veſica, pepedi
Diffiſſa nate ficus: at illæ currere in vrbem,
Canidiæ denteis, altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno riſuq́;, iocoq́; videres.

COMMENTATOR.

PRIAPVM Deum poſitum in hortis, qui erant in Eſquiliis, inducit referentem non tam magnum ſibi eſſe negotium in cuſtodiendis hortis à furibus atque auibus, quàm veneficis, qui ſe in eiſdem hortis inquietarent. *ficulnus*. Sicut à corylo colurnus, ita à ficu ficulnus deriuatur. *inutile*. ad nihil aptum; nam materia eius arboris propter fragilitatẽ nullis fabricis eſt idonea. *incertus*. eſſet. *maxima form*. ſum. *dextra coër*. quia dextra fuſtem tenebat ad arcendos fures. *palus*. è palo virile membrum factum. *importunas*. quia hortis nocent & fructibus. *nouis*. nuper à Mæcenate inſtitutis, aut recèns ſatis, tunc enim aues prohibendæ ſunt, ne ſemina colligant: antea Eſquilina regio ſepulchris ſeruorum & miſerorum erat dedicata. Mæcenas autem conſiderans aëris ſalubritatẽ hortos eò loci conſtituit. *huc*. ad hũc locum vbi Priapus ſtabat, olim ſeruorũ cadauera portari ſolebãt ſepelienda, vbi quondam Thermæ Traianę, & domus Creſcentiæ. *anguſtis cellis*. viliſſimis tuguriis. *arca*. loculis. *commune ſepul*. à puteis foſſis ad ſepelienda cadauera pauperum, locus dictus eſt Puticuli. hic etiam erant publicæ vſtrinæ. *Pantolabo ſ. N. n.* Mallius Pantolabus ſcurra, & Caſſius Nomentanus nepos, cùm omnia bona ſua comiſſando voraſſent, ita vt priuata ſepulcra habere nõ poſſent, in Eſquiliis publicis ſepulti ſunt extra portã in qua eſt ſeſſorium. Mallius autẽ Pantolabus dictus eſt, quòd ab omnibus acciperet, poſtquã ſua omnia comediſſet, erat enim ſua ſcurrilitate multis familiaris. Caſſius vocatus eſt Nomentanus à Nomento oppido, & propter vitam prodigã, eum nepotem nominauit Horatius, eiúſq; ſæpius meminit. *mille pedes in fronte*. in latitudine. *in agrũ*. in longitudinem. ſolebat autem priuatis monumentis præponi cippus eíque inſcribi. Hoc monumentum heredes non ſequitur: vel hi characteres, H.M.H.N.S. notari. *cippus*. lapis in agro erectus, in quo voluntas teſtatoris, & ea eſſent inciſa, quæ agri modum & fineis ex vtroque ſpatio deſignabant. *dabat*. datos demõſtrabat, ſeu ſignificabat.

monumentum

monumentum ne ſequeretur. monumentũ eſt caſus nominatiui, hoc eſt, ne hæredes haberent aliquod ius ad occupandum illud ſpatium mille pedum & trecentorum, vt cadauera ſua in eum locũ inferrentur. *nunc licet Eſ.* quia in Eſquiliis Mecenas domum extruxit, eíq; addidit amœnos hortos, perditis priùs & ſubrutis ſepulcris. *aggere in ap.* in colle aperto, & egregiis ædibus ornato. *quo.* in quo. *triſtes.* ἑλληνισμὸς, ſcilicet homines, quia paullò antè hunc locum fuiſſent intuiti oſſibus cadauerum album & ſqualidum. *cùm mihi non tan.* ſenſus eſt: Ego noui horti ſum factus cuſtos, vt terream fures & feras: ſed hi mihi non exhibent tantum laboris & moleſtiæ, quantum mulieres veneficæ. *fures.* propter fructus horti. *fera.* propter cadauera mortuorum, quæ ad eum locum concurrere ſolebant, ad ea laceranda & voranda. *fuëra.* triſyllabum per diæreſin. *carminibus.* incantationibus. *verſant.* mutant, vexant, exagitant. *has.* ſagas. *ſimul ac.* poſtquàm, mox vt. *vaga luna.* quia magis vagatur quàm ceteri planetæ, nunc verſus Arcton, nunc verſus Auſtralem plagam. vt Maro, hic canit errantem Lunam Soliſq; labores. *protulit os.* Virg. extulit os ſacrum cælo. *vidi egomet.* quaſi dicat, & vt melius mihi credas, ecce nominatim tibi duas recito, quas egomet vidi. habẽt hi verſus aliquid tragicę deſcriptionis, vt illi Virg. Vidi egomet duo de numero cùm corpora noſtro prenſa manu magna medio reſupinus in antro frangeret ad ſaxũ. *Canidiam.* pro Gratidia Neapolitana vnguentaria, quam ſemper carpit vt veneficam, maximè in 5. & 17. Epodo. *paſſo.* ſparſo & diffluente. *Sagana maia.* hæc Sagana liberta fuiſſe dicitur Pomponij Senatoris, qui à Triumuiris eſt proſcriptus. habuit autem ſororem ſe natu minorem, iccirco hic maĩor dicitur. *ſcalpere.* effodere. *pullam diuell.* nigrã & ad maleficia pertinentem dilacerare dentibus: nam mordicus aduerbium eſt à mordendo, vt radicitùs. *manes animas.* ἐπεξήγησις, quaſi diceret manes mortuorum. *elicerent.* euocarent. *lanea & effig. erat.* hoc eſt, duæ erant effigies, vna lanea, & altera cerea. *compeſceret.* cæderet, verberaret, conſumeret. *cerea ſupp. ſt.* id eſt, ſtabat cerea ante laneam imaginem, quaſi datura pœnas. *ſeruilibus modis.* grauiſſimis verberibus & flagris. *ſerpenteis.* ordo eſt, videres ſerpenteis atque canes infernas errare. *canes.* furias, quæ ſunt canes Iouis infernalis. *his.* factis ſcilicet. *ne foret.* ridiculè dicit lunam latuiſſe poſt magna ſepulcra, ne teſtis eſſet eorum quæ faciebant hæ veneficæ. *mentior at ſ. q.* hoc eſt, ſi quid mentior, hęc pœna ſequatur mendaciũ. *merdis cap. in.* Synecdochicôs, hoc eſt, caput meum inquinetur merdis albis, hoc eſt, quæ caput meũ albeſcere faciant. *Iulius & fra.* Pediatius eques Romanus patrimonio cõſumpto ſe proſtituit: quare Horatius mutato genere Pediatiã nominauit propter molitiem. *fragilis.* mollis & lubricus. *furq; Voranus.* aiunt Voranũ Q. Luctatij Catuli libertum fuiſſe adeò furacem, vt nummos ſubreptos à nummulario in calceos demiſerit: à quo cùm deprehenſus eſſet, quidã ſubridens, bellè, inquit, ſi te nõ ἐκχαλκεύει, hoc eſt, verberibus, tanquã æs, recudat, alludens ad calceos. *alterna.* alternatim. *triſte.* lugubre & metuendum. *acutum.* tenue, ſubtile, quia ſine corpore emittebantur voces. *vtq. lupi b.* quo modo κατὰ κοινὸν, quid memorem. *varia.* maculoſæ. *imagine cerea.* Hypermeter verſus, qualis eſt ille Homeri, κάπρος ἐπὶ ἐπιόδαμος. ἢ πὺξ ἀγαθὸν πολυδεύκεα. ſic & Virg. hæc finis fandi ſolio cùm Iuppiter aureo. & alibi, Iamq. iter emenſi turreis & tecta Latinorum. *largior ar. eg.* κατὰ κοινὸν quid memorem, vt, id eſt, quo pacto largior arſerit ignis, &c. *& vt non t. v.* τὸ ἐπιφερόμενον ipſius Priapi: Quid memorem quo modo ego teſtis non inultus horruerim, hoc eſt, horrore moleſtus eis fuerim, & interturbauerim voces & facta illarum duarum furiarum. *diſploſa.* diſrupta cum ſonitu. exploſum dicitur, quod eſt eiectum. Tull. Quoniã Ariſtonis & Pyrrhonis & Herilli iam pridem exploſa ſententia eſt, 1. offic. ſed diſploſum dicitur, quod eſt cum impetu eiectum. *pepedi.* ἀπὸ κοινοῦ. ego ficus, hoc eſt, ex ficu factus Priapus pepedi diffiſſa nate. *currere.* currebant. *Canidia d. a. Sa.* Iocatur in Canidiam, quòd edentula vteretur dentibus inſitis & alienis. *caliendrum.* peplũ capitis, aut crinis ſuppoſiticius, ſeu capillamentum, aut galericulus, capitiſve ornamentum. Caliendri meminit & Varro in eo libro qui inſcribitur Virgula diuina, dicẽs: Ego nũc poſtulo Agamemnona meum, tantis cothurnis accipit Critona caliendrum. *incantata.* aut nondũ cantata, aut valde. *vincula.* amoris, licia ex diuerſis coloribus, quibus menteis hominum vinciebant.

CRVQVIVS.

HAEC Satyra perpetua eſt proſopopœia: vt enim vehementius exaggeret veneficarum Canidię & Saganę maleficia, fingit Horatius Priapum Deum ſuæ narrationis oculatum teſtem, quò referenti ea quę nuſquàm dimotis oculis inſpexerat, maior fides habeatur: atque, vt lepidiora ſint, magíſq. recreent lectoris animũ, nõ renuit Priapus pœnas dare mẽdacij, ridiculè admodũ ἐπιλέγων, quo pacto claro ventris crepitu ſe de veneficis moleſtis vltus eſſet, horroréq. eis incuſſo, in vrbem fugauerit. *olim truncus eram.* Exorditur Priapus narrationẽ à ſua materia, nempe ficu, quòd hoc lignũ molliriei eſſet ab antiquitate dedicatũ, pro ſua fragilitate & teneritudine, Arnobius li. 5. cõtra gẽteis,

ſcribit Bacchũ ſiue Euhyiũ auctorẽ creditũ fuiſſe Priapi,cumq́; ex ficu formaſſe,inquiens: Emergit ab inferis Euhyius,& recognoſcit extinctũ ducem (Proſumnum.) Qui vt fidem compleret pacti, & iurandi ſolueret religione ſe iuris,locum pergit ad funeris,& ficorũ ex arbore ramũ validiſſimũ præſecans,dolat,runcinat,leuigat,& humani ſpeciem fabricatur in penis: omitto cetera obſcenitatis ergò. *truncus ficulnus*. fici arboris. Truncus autẽ eſt, id quod radicibus & ramis amputatis eſt reliquũ. ficulnus & ficulneus,quod eſt de ficu, vt ficulneæ fibulæ apud Catonem,& ficulnea ligna,quæ quia fragilia ſunt & friuola, tráſfertur hæc vox ficulnus ad varia. hinc ficulnus Deus, σύκινος θεὸς, pro imbecillo, in Pluto Ariſtoph. συκίνη γνώμη, de imperito apud Lucian. συκίνη ἐπικουρία ficulnum auxiliũ,in Lyſiſtrata Ariſtoph. vide,ficulnus, in Chiliad. *inutile lignum*. inutile hic non tam naturam ligni concernit & exprimit,quàm trunci figuram, qui erat iners, ἄσχημος καὶ ἄμορφος, nõ dolatus, nulli vſui accommodatus: ſed & ea eſt propria τοῦ ligni, ſignificatio,vt ſit materia rudis ſine vlla peculiari figura: verùm deſiit truncus inutile lignum nominari,vbi ex eo iam factus eſſet Priapus. *faber incertus*. neſcius,dubius,cùm ei incertũ eſſet. *faceretne Pria.* ſic habent omnes ſcripti codices,non etiam, *faceretue*, vt habent vulgati: ſed eſt durius hyperbaton, nam τὸ ne,ſemper debet præcedere in oratione,cùm de pluribus dubitatur; τὸ an,verò ſubſequi,hoc modo,ſcamnum ne faceret, an Priapũ. *Priapum*. Tam eſt varia de hoc infami deo ſententia apud ſcriptores,vt quid priùs poſteriúſue dicamus,aut potiùs taceamus,nobis omnino ſit incertũ; præcipuè quòd res ipſa ſit ita parùm grata piis auribus, vt plus veniæ ſit & honeſti in eius ignoratione,quàm laudis & eruditionis in huiuſcemodi abominabilis figmenti cognitione. Verùm quia præſens argumentum non patitur quin ea declaremus quæ huc facere videntur,iccirco pauca collectim recitabimus.Itaq.nouus hic Deus (ab Heſiodo vel ignoratus,vel conſulto tacitus) Lampſacenus, iuxta illud in obſceno opere, ille tuus ciuis Lampſace, Gallus ero,& Helleſpõtiacus dictus eſt: vt Poëta 4. Georg. Et cuſtos furum atq; auiũ cum falce ſaligna Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi. Hic itẽ Bacchus ab aliquibus eſt habitus, hortíſq; præfectus,quia ſeminibus præeſſe crederetur,quã gratia à ruſticis circum pagos & villas magno riſu lætitiáq; circumlatus,coli eſt ſolitus. Arnobius eũ à Baccho dolatum memoriæ prodidit. Alij fingũt eum in expeditionibus Bacchi fuiſſe comitẽ,quaſi ſine beneficio Bacchi totus ipſe frigeat: & ob hanc etiam cauſam Liberi putatur & Veneris filius. Diodorus eum Typhonem nominatũ perhibet,quem legito,ſi eius ſacri initiũ noſſe deſideres;quod quidem ſacrum ab annorũ numero Seruius trietericum ſeu triennale nuncupat. Phornutus eũ Pana fuiſſe credit,inquiens, ἴσως δ' ἂν οὗτος (Πὰν) καὶ ὁ Πρίαπος εἴη, καθ' ὃν πρόεισιν εἰς φῶς πάντα. Deinde de eius membri magnitudine, ἐμφαίνει γοῦν τὸ μέγεθος τῶν αἰδοίων, τὴν πλεονάζουσαν ἐν τῷ θεῷ σπερματικὴν δύναμιν. Poſtea de horti præfectura, παρεισάγεται δὲ καὶ αὐτὸς φύλαξ τῶν τε κήπων, καὶ τῶν ἀμπέλων, ἐπειδὴ καὶ τῶν γεννώντων ἐστὶ καὶ τὸ σώζειν ἃ γεννᾷ. Poſtremò de eius falce, δρέπανον δὲ ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ προστίθεσιν, ὅπερ ἐπὶ λύτρῳ χρῶνται πρὸς τὴν κάθαρσιν τῶν ἀμπέλων. Fulgentius hunc deum inter dæmones collocat,cæloq. nondum receptũ perhibet,propter tenuitatem meritorum. *deus inde ego f.* Columella li. 11. ſed truncum forté dolatum arboris antiquæ numẽ venerare Ithyphalli, terribilis membri medio qui ſemper in horto inguinibus puero prædoni falce minetur. *obſcenoq́; ruber*. hic palus porrectus Grecè propriè ἰθύφαλλος nominatur. D. Auguſt. de Ciuitate Dei li. 6. nominat immaniſſimum & turpiſſimum faſcinũ,ſic dictũ ab auertendis faſcinationibus,vt in Epod. 8. à nobis eſt notatũ. Ita in Priapeis quoque, Soles ſacrum reuinctus pampino caput ruber ſedere,cum rubente faſcino. *porrectus*. extentus. hinc tentũ pro eo palo. *inguine*. inguen pars corporis circa pudenda: βουβών. *importunas*. aues importunæ,quòd ſine vlla Dei reuerentia quouis tempore eſſent moleſtæ. *arundo*. Priapos δικανηφόρος. *huc prius anguſtis*. digreditur ab officio præfecturæ hortenſis ad enarrationẽ priſtinæ ſeruitutis agri Eſquilini. *hoc miſera p.* hic locus erat extra Eſquilias, vt ait Varro li. 4. vbi plebs ima & inopes humabantur, dicti Puticuli, teſte Feſto, quòd vetuſtiſſimum genus ſepulturæ fuerit in puteis, quia ibi putreſcerent cadauera: vel puticuli, quòd puteſcebãt ibi cadauera proiecta, vt vult Aelius apud Varronem. ſcribit autẽ Vrbicus in ſuburbanis loca publica inopũ deſtinata funeribus, Culinas appellari. *Nomentanoq́; nepoti*. nepotis nota eſt ſignificatio: verùm Latina ne ſit dictio an Græca, diſputari poteſt: Ego certè opinarer eam à Græcis ad Romanos eſſe tranſlatã,& non minùs quàm pes, ἀπὸ τοῦ ποὺς ποδὸς, etiam νήπους νήποδος, Latinè reddi nepos, nepotis, per priuatiuam particulã νη, in compoſitione: Nam qui nepos dicitur, non eſt pes, non fundamentum, id eſt, non filius eius cuius eſt nepos; nec ab auo quicquã legitimè accipit tantiſper dum parentes eius ſunt ſuperſtites: Quod metaphoræ locũ dediſſe credo, luxurioſoſq́. & prodigos ea gratia nepotes dictos, vbi omnia turpiter abligurrierint, quòd pedem non habeant, hoc eſt, locũ in quo pedem ponãt vti ſubſiſtant. Si quis autem neget hoc fieri poſſe vt à ποὺς deſcẽdat, propter

mediam

immediam in τῷ nepotis, productam, ei reſpondere quis poſſit, hoc vſu potius & ignoratione factum quàm artis & etymologiæ cognitione. quod & in infinitis aliis liceret oſtẽdere, ſi res ipſa poſtularet. nec enim vulpes, quaſi volupes, teſte Varrone, habet vulpedis. *mille pedes in fronte.* olim vbi corpus, iniecta in os mortui gleba, crematũ & ſepultu erat, ibi ſepulchrũ eſſe, & locus religioni teneri incipiebat, vt ſcribit Ci. 2. de legib. nõ item ſi in os defuncti gleba iniecta non fuiſſet: neq; totus ipſe fundus pro latitudine ſua & longitudine, in quo ſepulcrum erat, religioſus habebatur, ſed is tantum locus qui ſepulcrũ dicebatur. Itaq; intra maceriã ſepulcrorum hortis vel culturis ceteris in circuitu loca pura ſeruata emtorem ſequebantur vel hæredem, ſi nihil nominatim vel venditor vel teſtator excepiſſet: eadẽ cauſa monumentorũ locus definiri, ſpatiumq́. in agro determinari, cippíſque inſcribi ſolebat, quantũ religioni cederet. *aggere.* agger pro colle Eſquilino. *aprico.* apricus locus dictus eſt, ſole vndique illuſtratus, quaſi apericus ſeu apertus, εὐήλιος. huic contrarius eſt opacus, & vmbroſus. *ſpatiari.* περιπατεῖν, deambulare. *modò.* antequã ſubrutis ſepulcretis, ædibus Mæcenatis hortíſq; exornaretur. *triſtes.* ἐπίλυποι, ad hoc ſpectaculum, mortis reminiſcentes, animo conſternati: horrent enim omnes homines ad mortis memoriam, cùm tamẽ ſit ineuitabilis, vt ait Metrodorus, πρὸς μὲν τὰ ἄλλα δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι, χάριν δὲ τοῦ θανάτου πάντες ἄνθρωποι πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν, hoc eſt, aduerſus alia quidem, munimenta parari poſſunt; quod verò ad mortem attinet, omnes homines ciuitatem immunitã habitamus. *cùm mihi non.* regreditur ad expoſitionem ſui muneris de cuſtodiendis hortis, conquerens ſibi multò moleſtiores eſſe ſagas in oſſibus & herbis colligendis, ad homines incantamentis vinciendos, quàm fures, feras & aueis. *non tantum.* tantùm & quantũ pro tàm & quàm. *carminibus q. v. atque venenis.* carminibus veneficis, quę ſunt incantamenta veneficarum. *vaga luna.* ἀστὴρ τὸ ἀιπτὴς σελήνη, noctiuaga. noctis deſcriptio hęc eſt. *ſimul ac vaga.* hoc eſt, cùm iam nox eſſet. *herbaſq; nocenteis.* è ſepulcris natas, quaſi manibus ſacras, & iccirco ad futura veneficia potentiores, qualis eſt mẽta, ea namq; Plutonis pellex fuiſſe, & à Proſerpina concerpta eſſe dicitur, poſteáq; in herbam ſui nominis conuerſa, vt in Commentarijs Nicãdri traditur. *vidi egomet.* ἀπόφανσις ἐμφατική; à ſua perſona: commemorat enim fixis ſeſe oculis intuitum eſſe veneficarũ apparatum, ad manes eliciendos, nigram pallam, pedes nudos, capillum paſſum Canidiæ, vlulatũ cum Sagana, pallorem vtriuſq;, agnam pullã dentibus decerptã, cruorem agnæ in foſſam confuſum, &c.

ad veneficiorũ conficiendorũ ſuperſtitionem ſpectantia. *pedibus nudis.* Proſerpinæ ſacrificatura, ex præcepto Pythagoræ, qui nudis pedibus adorandũ ſacrificandúmq. cenſuit. quod etiam à triumphalibus viris in ornatu triumphi obſeruatum eſt, qui nudis pedibus ad rem diuinam accedebant. *nigra ſuc. va.* nigra & furua omnia diis inferis ſacra, ſicut paullò poſt dicit agnam pullam dentibus ſagarum dilaceratam. *ſuccinctam.* in eadem ſignificatione ſcribit Epodo 5. Saganã expeditã in parandis magicis ſacrificiis. *paſſoq; capillo.* incomto & inornato capite, quale caput ei fuiſſe ſcribit 5. Epod. ſic Ouid. paſſis Médea capillis. *vlulantem.* Vlulare propriè & canum & furiarum, inquit Seruius; ſed & auibus datur infelicis ominis, buboni, noctuæ: *pullam d. mor. ag.* exprimit hoſtię mactationẽ, Proſerpinę propitiandę gratia, cui ſacra erat agna pulla, quæ & Tempeſtati deæ immolari erat ſolita, vt Epodo 10. notatum eſt. Virg. 3. Aeneid nigrã hiemi pecudem. *cruor in foſſam conf.* hæc eſt immolatio, nempe ſpirantẽ cruorem in effoſſam terram mittere ad inferos euocandos, vt apud Ouid. haud procul egeſta ſcrobibus tellure duabus ſacra facit. *lanea & effig.* σύγχυσις eſt, quia eſt ordo confuſior, alicuius incontinuitatis vitandæ cauſa. ordo eſt, erat lanea effigies, & altera cerea. ſic & pòſt paullò. *ſerpentes atq; vid.* pro, videres ſerpentes errare, atque infernas canes. Donatus huiuſcemodi orationem interpretatur hyperbaton obſcurũ & ex omni parte confuſum. *lanea & effig.* Lanea olim in nuptiis & ſacris erant admodum religioſa: in nuptijs quidẽ, ſponſus ianuam futurarũ ędium magno apparatu lana cingit & coronat, poſteíſque laneis vittis ornatos à noua nupta iubet attingi, oleóque & adipe ſuillo inungi, contra amatoria maleficia. In ſacris autem, Varrone teſte, victimarum infulæ erant laneæ, & pilea ſacerdotũ lanea, in quibus poſitæ virgæ oleaginæ ſummum lana etiam tegebatur: & ſi per æſtum pilea ſacerdotes non geſtarent, filo laneo capita religabant, quia nudo eos capite incedere nefas erat. hinc flamines dicti, quaſi filamines. A flamine autem Diali, & rege ſacrorum pontifices lanas poſcebant, vt ſcribit Ouid. 2. Faſtorum, Pontifices à rege petunt & flamine lanas, eáſq; ad imagines laneas conficiendas tam muliebreis quàm virileis, quę feſtis compitalibus tot numero in vicis & compitis ſuſpendebantur, quot liberos homines ſaluos eſſe, maneſque eis parcere precabantur. pro ſeruis autẽ offerebãtur pilę laneę. vide Feſtũ in voce Laneæ. itaq; in his ſacris Canidiæ quæ Cocytia dicebantur, fingit adeſſe ſimulacrum alterũ laneum, & alterum cereum: laneum quidẽ (vt hariolor) vt liberet ab alterius ſagæ carminibus ſibi carũ caput; cereũ verò, vt perdat eum

quem inſectabatur, aut ſui amore ardere fureréq; faciat; cuius cauſa nocturna hæc ſacra erant inſtituta: huiuſcemodi certè Canidiæ maleficiũ ſuprà in Epodis conqueritur Horatius ſe expertum eſſe. *maior lanea.* potentior, vt quæ erat pro Canidia. *pœnis.* carminibus vlciſceretur ceream. *cerea.* quæ referebat eum à quo contemta erat Canidia. *ſeruilibus.* & ſtabat, vt iam peritura, ſeruilibus modis, hoc eſt, miſerabiliter: accedunt hęc ad ius antiquũ, quando poteſtas erat dominis in ſeruos ad necem vſq; ſæuire. *Hecaten v.a.* Proſerpinam, quæ Hecate nominata eſt, vel quòd centũ victimis eſt placanda, vel quòd centum annos errare faciat inſepultos. ea autem præcipuè ob hanc cauſam hic inuocatur à ſagis, quòd (vt ſcribit Phornutus) προσαναπλάσθη τοῖς φαρμακίσι συνεργεῖν, hoc eſt, fingitur veneficis operam dare. Eam autẽ venefici eliciunt ſuſurro magico canibus comitantibus. Tres autẽ dij magici ſeu inferi, Pluto, Proſerpina & Hecate. *altera Tiſiphe.* Tiſiphone vna eſt ex tribus Furiis, ἀπὸ τοῦ τίω, punio, & φόνος, id eſt, cædes; ea enim eſt quæ cędes vlciſcitur. *infernas err. ca.* Furias, quas Lucan. li. 6. nominat Stygias canes. *Lunamq́; rubentem.* ad maiorem, putà, deteſtationem veneficarũ, quòd ne luna quidẽ, quã peculiariter etiam inuocare ſolebant, earũ ferre poſſet veneficia, & iccirco latebant poſt magna ſepulcra. *mentior at ſi q.* occupatio mendacij facetiſſima, qua, velut aliud agens, notat acriter Romanos quoſdã. *merdis caput.* ſtatuit ipſe Deus ſibi pœnã mendacij ὑποθηκῶς. *ſingula q. m.* tranſitio cum enumeratione eorũ quę peractis ſacris egerint veneficæ. *reſonarent t. e. a.* emitterent vocem triſtem & acutã, & tenuiſſimis ſibilis ſuſurriſque parem. *vtq. lupi barbam.* rictus lupi facit ad veneficia pellenda, iccirco ſolet foribus villarum affigi, ne quid depereat, néue faſcinatio ſagarũ irrepat in domum. *largior arſ. ig.* propter liqueſcentem ceream imaginẽ in eius ſupplicium & perniciem, quem execrabantur. Sic Ouid. deuouet abſenteis, ſimulacraq́; cerea fingit, & miſerum tenueis in iecur vrget acus. *diffiſſa nate p.* alludit ad fragilitatem ligni, quod dum frangitur, præter alia ligna clarè ſonat. *caliendrum.* κρηνίεσ, ſiue κρηνίεσιν, reticulum, capitis operimentũ ſimile incerniculo ex lana vel lino, περιβόλαιόν τι κεφαλῆς. vel κάλλυντρον, id eſt, redimiculum capitis, ἀπὸ τοῦ καλλύνομαι.

ECLOGA IX.

ἐπαγόμενος.

IBAM *fortè via ſacra, ſicut meus eſt mos,*
Neſcio quid meditans nugarum, & totus in illis.
Accurrit quidam notus mihi nomine tantùm,
Arreptaq́; manu, quid agis, dulciſſime, rerum?
Suauiter, vt nunc eſt, inquã: & cupio omnia, quæ
Cũ aſſectaretur: nunquid vis? occupo. at ille, (vis.
Noris nos, inquit: docti ſumus. hic ego: pluris
Hoc, inquam, mihi eris. miſerè diſcedere quærẽs,
Ire modò ocyus: interdum conſiſtere: in aurem
Dicere neſcio quid puero. cùm ſudor ad imos
Manaret talos, ô te, Bollane, cerebri
Felicem, aiebam tacitus. cùm quidlibet ille
Garriret: vicos, vrbem laudaret, vt illi
Nil reſpondebam: miſerè cupis, inquit, abire,
Iamdudum video: ſed nil agis: vſque tenebo: (te
Perſequar. hinc quò nunc iter eſt tibi? nil opus eſt
Circumagi: quendã volo viſere, non tibi notũ:
Trãs Tiberim lõgè cubat is prope Cæſaris hortos.
Nil habeo, quod agã: & nõ ſum piger: vſq. ſequar
Demitto auriculas, vt iniquæ mentis aſellus, (te.
Cùm grauius dorſo ſubijt onus. incipit ille.
Si bene me noui, non Viſcum pluris amicum,
Nõ Varium facies. nam quis me ſcribere plureis,
Aut citius poſſit verſus? quis membra mouere
Mollius? inuideat quod & Hermogenes, ego cãto.
Interpellandi locus hic erat. eſt tibi mater,
Cognati, queis te ſaluo eſt opus? haud mihi quiſ-
Omneis cõpoſui. felices. nunc ego reſto. (quam.
Confice, namque inſtat fatum mihi triſte, Sabella
Quod puero cecinit, diuina mota anus vrna.
Hũc neq. dira venena, nec hoſticus auferet enſis,
Nec laterum dolor, aut tuſſis, nec tarda podagra:
Garrulus hunc quãdo conſumet cunq́;: loquaceis,
Si ſapiat, vitet, ſimulatq́; adoleuerit ætas.
Ventum erat ad Veſtæ, quarta iam parte diei
Præterita: & caſu tunc reſpondere vadato
Debebat: quod ni feciſſet, perdere litem.
Si me amas, inquit, paulum hic ades. intereã, ſi
Aut valeo ſtare, aut noui ciuilia iura: (inquit:
Et propero, quò ſcis. dubius ſum, quid faciam,
Téne relinquam, an rem. me ſodes. non faciã, ille:
Et præcedere cœpit. ego, vt contendere durum eſt
Cum victore, ſequor. Mæcenas quo modo tecum?
Hinc repetit. paucorũ hominum, & mentis bene
Nemo dexterius fortuna eſt vſus. haberes (ſane.
Magnum adiutorem, poſſet qui ferre ſecundas.
Hunc hominem velles ſi tradere. diſperream, ni

Sum-

Summoſſes omneis. Non iſto viuimus illic,
Quo tu rere, modo. domus hac nec purior vlla eſt,
Nec magis his aliena malis. nil mi officit vnquã,
Ditior hic, aut eſt quia doctior. eſt locus vni-
cuique ſuus. magnũ narras, vix credibile. atqui
Sic habet. accendis, quare cupiam magis illi
Proximus eſſe. velis tantũmodò: quæ tua virtus,
Expugnabis. & eſt qui vinci poſsit: eóque
Difficiles aditus primos habet. haud mihi deero:
Muneribus ſeruos corrumpam: non, hodie ſi
Excluſus fuero, deſiſtam: tempora quæram;
Occurram in triuijs: deducam. Nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus. hæc dum agit: ecce
Fuſcus Ariſtius occurrit mihi carus, & illum
Qui pulchrè noſſet. conſiſtimus; vnde venis? &
Quò tendis? rogat: & reſpondet. vellere cœpi:
Et prenſare manu lentiſsima brachia, nutans,
Diſtorquens oculos, vt me eriperet, malè ſalſus
Ridens diſsimulare. meum iecur vrere bilis.
Certè neſcio quid ſecretò velle loqui te
Aiebas, mecum. Memini benè: ſed meliori
Tempore dicam: hodie triceſima ſabbata. vin' tu
Curtis Iudæis oppedere? nulla mihi, inquam,
Relligio eſt. At mi. ſum paullò infirmior, vnus
Multorum: ignoſces: aliàs loquar. Hunccine ſolẽ
Tam nigrũ ſurrexe mihi? fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. caſu venit obuius illi
Aduerſarius: &, quò tu turpiſſime? magna
Exclamat voce: &, licet anteſtari? ego verò
Oppono auriculam: rapit in ius. clamor vtrinq;
Vndique concurſus: ſic me ſeruauit Apollo.

COMMENTATOR.

Eκλογὴ περὶ ἐπιχαρμάτων καὶ ἐπιφθεγμάτων τῶν Ὀχλη-ρῶν: refert enim ſe via ſacra incedentẽ in hominem moleſtum & garrulum incidiſſe, neq; ſe ab eo auelli potuiſſe, niſi ad ſerſarius ſuperueniſſet, qui ab eo vadatus erat. Totum autẽ hunc ſermonẽ δραματικῷ χαρακτῆρι alterno ſermone variat. *nugarum.* verſuum. ſic verecundè Poëtæ nugas, & riſus ſuos ſolent appellare verſiculos. *in illis.* nugis. *nomine tantùm.* cuius nihil aliud præter nomẽ noueram. *arreptaq; m.* ſupp. ait. *quid agis.* ordo eſt, quid rerum agis, ô dulciſſime. *ſuauiter.* ago. *cupio o.q.* opto tibi, vt omnia proueniant ex ſententia. *occupo.* præuenio illum, rogans, nunquid vis aliud? *noris nos?* ſcis ne nos etiam eſſe doctos? *hic ego.* tunc ego, inquam, quia doctus es, ideo nobis magis venerandus, & pluris habendus. *miſerè.* multum. ſic dicitur miſerè amare, qui vehementer amat. *diſcedere.* ab illo *ire.* ibam aliquando celeriùs. *conſiſtere.* conſiſtebam. *dicere.* dicebam puero meo. *cùm ſudor ad.* quãdo ex tædio & moleſtia deflueret ſudor ad imos pedes, cùm ſudarem præ anguſtia animi. *aiebam taci.* dicebam intra me, Bolanum eſſe felicem, qui ὀξύχολος nullius ineptias ferebat, ſed ſtatim, vel in faciem quemuis reprehendebat, vel, de eo quid ſentiret, non diſſimulatè dicebat. *vt illi n.r.* poſtquam illi nil reſpondebam. *video.* intelligo. *nil agis.* non recedes à me, ſemper te ſequar. *hinc quò nunc.* quò nunc is ex hoc loco? *nil opus eſt.* nõ opus eſt te mecũ huc & illuc circumduci: aliàs, circumagi eſt circumueniri, decipi, falli, illudi. *cubat.* ægrotat, lãguet, iacet. *nil habeo q.a.* verba hæc ſunt garruli. ſum otioſus. *non ſum p.* libenter ambulo. *demitto auri.* metaphora à brutis, nam laſſis aſinis vel equis pendent aures. ſic Horatio defatigatus eſt animus propter nimiã garrulitatẽ. *ſubijt.* portat, cùm dorſo imponitur. *ſi bene me noui.* ſi ſatis fretus ſum ſciẽtia mea, ſcio quòd plus mihi deferes, quàm Viſco, aut Vario. Viſcus & Varius amici Virgilij & Horatij, diſerti fuere illo tẽpore Poëtæ. *quis ſcribere.* mirè oſtendit moleſtiam garruli. *quis membra m.* quis geſticulari & ſaltare poſſit faciliùs quàm ego? *inuideat q. e.* tam bene canto, vt Hermogenes mihi poſſit inuidere. Elegãter oſtẽdit Horatius, hunc garrulum etiam eſſe arrogantem. *interpellandi.* verba Horatij. interrumpendi ſermonem, & illum interrogandi tempus erat. *quis te ſal.* quibus neceſſaria eſt tua ſalus? *haud mihi.* garrulus. neminem habeo. *compoſui.* in vrnis cõdidi & ſepeliui. *felices.* Horatius inquit: felices ſunt illi, quia te carent. *nunc ego r.* vt me etiam occidas. *confice.* interfice. *puero.* mihi. *diuina.* ſortilega. *mota.* commota, dixit mihi imminere miſerũ fatum ex vrna diuina, cùm adhuc puer eſſem. *hunc neq. d. v.* verba ſunt anus vaticinantis de morte Horatij per ſorteis vrna eductas. *hoſticus.* hoſtilis. *laterum dolor.* pleuritis. *tarda p.* quæ tardos facis. *quando conſ. cumq.* tmeſis, pro quandocumque. *ventũ erat ad V.* ſupp. templũ, ſicut, in Pacis, Concordiæ &c. vt, vbi ad Dianæ veneris. *vadato.* in iudicio ei quẽ vadatus erat, ſeu quem ipſe vadimonio obligauerat. vadatus autem participium eſt à vador vadaris verbo communi. i. voco & vocor ad iudiciũ. reſpõdere ergo debebat ei, à quo in iudicium vocatus erat, aut, quem ipſe vocaſſet. *quod ni faceret.* vrgenti negotio reſponderet. *perdere li.* Κρ. Κρ. debebat. *hic ades.* adſis mihi. verba garruli. *inteream ſi.* Horatij verba. *ſtare.* i. ſi habeo vireis vt ſtem in iudicio.

& ſ ropero

& propero q.ſ. non oblitus erat Horatius quod dixerat, viſendum eſſe ægrotum, & negat ſe cũ poſſe expectare. *an rem.* cauſam, litem. *me ſodes.* me, obſecro, relinque, inquit Horatius. *nõ faciam.* inquit. *ille & præ c.* Horatius. *ſequor.* victorem.i.pertinacem. *Mæcenas q.t.* agit. *hinc repetit.* poſt ea verba me interrogat. *paucorũ hom.* ait Horatius. hoc eſt, Mæcenas non gaudet amicitia multorum. *nemo dexterius.* Garrul. hoc eſt, nemo eſt te felicior amicitia Mæcenatis. *haberes me ad.* haberes apud Mæcenatem qui diligenter tueretur parteis tuas, ſi ei me commẽdare velles. *ſecundas.* ſup. parteis. ſumtum ab hiſtrionibus. *hunc hominem* δεικτικῶς ſeipſum demonſtrat. *tradere.* ſupp. ei.i. commendare Mæcenati. *ſummoſſes.* ſummouiſſes omneis ſuo apud Mæcenatem loco, & primus eſſes. *non iſto viuimus.* reſpondet Horat. *nec magis his a* inuidia, ſimultate, inſidiis, detractionibus, factionibus. *nil mi officit.* hoc eſt, ſiue ditior, ſiue doctior, ego ei nõ inuideo. *vix credibile.* vt non ſit aliqua factio in tanta domo, inquit garrulus. *velis tantummodo.* Horat. velis, inquit, tantùm ei eſſe amicus, & facilè poſſis impetrare, pro ea virtute quæ eſt in te. *atqui ſic habet.* reſpondet Horat. *accendis.* hoc dicendo multò me magis accẽdis, vt cupiam ei familiaris eſſe, ait garrul. *& eſt qui vinci poſſit.* talis eſt, inquit, Mæcenas, vt difficilis ſit exoratu in principio, ſed ſi ſæpe inſtabis, patietur ſe vinci. huc facit illud Perſij, Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico tangit, & admiſſus circum præcordia ludit; nã facetiſſimè hic ludit garrulum. *haud mihi deero.* ait garrulus, id eſt, faciam diligenter quantum in me erit, vt Mæcenati ſim amicus. *tempora quærã.* obſeruabo opportunitatẽ, tempora idonea. *deducam.* domum. *Fuſcus Ariſtius.* hic fuit Grammaticus illius temporis doctiſſimus, amicus & familiaris Horatij, quẽ fingit diſſimulare ſe intelligere quid vellet, vt plus odioſi hominis moleſtia fatigaretur. *vnde venis?* eleganter mixtũ inter ſe & confuſum ſermonem interrogandi reſpondendíq. expreſſit. *rogat.* quò ego tendã. *reſpondet.* mihi interroganti vnde veniret. *vellere.* vellicare. *preſſare.* ſtringere. *lentiſſima.* flexilia. vt, Quantũ lenta ſalix inter viburna cupreſſi. *nutans.* ſignificans, innuens vt me eriperet. eſt autẽ nutare aliquid oculis nutantibus velle demonſtrare. *malè ſalſus.* inſipiens, malè vrbanus, & ineptus in perniciem meam. *ridens diſſimulare.* diſſimulabat ſe ſcire quid vellẽ. *vrere bilis.* vrebar ira; vehementer iraſcebar. *certè neſcio.* hoc Horat. ad Fuſcum, quærens aliquam cauſam, qua ſe ab importuno illo homine auellat. *memini.* reſpondet Ariſtius Horatio. *triceſima ſabbata.* quæ Neomenias eſſe dicunt, quoniã per ſabbata Iudæi numeros lunareis accipiunt: Et Sabbatũ magnum in renouatione lunæ à Iudæis etiã hodie celebratur. *curtis.* recutitis. curtos dicit propter virilis membri reciſam pelliculã. *oppedere.* contradicere, cõtemnere, ac religionẽ eorum ridere, quaſi cõtra pedere. *nulla mihi inquam.* i. facilè eos contemno, quorũ religione non teneor. *at mihi.* hoc Fuſcus dicit, ne Horatiũ cupientem ab illo moleſto homine auelli, liberaret. *infirmior.* timidior, & ideo ſuperſtitioſior; metus enim & infirmitas religionem faciunt. *vnus multorum.* vnus inter multos. *ignoſces.* pro ignoſce mihi. *hunccine ſolem.* ſupp. metui, id eſt, diem tam triſtẽ & aduerſum: cui contrarium eſt candidus; vt, Hũc Macrine diem numera meliore lapillo, qui tibi labenteis apponit candidus annos. *ſurrexe.* pro ſurrexiſſe, vt Virg. cum genere extinxem, pro extinxiſſem. *improbus.* Ariſtius ſcilicet, quòd non ſubuenit amico. *ſub cultro l.* prouerbium.i. in maxima moleſtia cum illo garrulo. *quò tu turpiſſime.* ſupp. pergis? verba ſunt aduerſarij. *licet anteſtari?* i. te teſtem facere? Olim qui anteſtabatur tangens auriculam eius quem teſtẽ cupiebat, his verbis loquebatur, licet anteſtari? ſi ille reſpondiſſet, licet, per iniectionem manus ipſe vadatus, quòd ei nõ paruiſſet, aduerſarium ſuum in iudicium rapiebat: quòd ſi anteſtatus non eſſet, & manum vadatus iniecisſet, iniuriæ reus conſtitui poterat. Plaut. in Perſa, Satur. age, ambula in ius leno. D. quid me in ius vocas? Sat. illic dicam apud prætorem, ſed ego in ius voco. D. nónne anteſtaris? Sa. tuán ego cauſa, carnufex, cuiquam mortali libero aureis atteram? De hac autẽ anteſtatione lege duodecim Tabul. his verbis cautum eſt: Si vis vocationi fuat, teſtamini. igitur em capito anteſtari. *oppono auric.* id eſt, concedo, vt ille anteſtaretur; & præbeo ei auriculam. *ſic me ſeruauit Apollo.* ſic euaſi garrulum. alluſit ad illud Homeri ἰλιαδ.υ. τ̃ δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων, ῥεῖα μάλ' ὥστε θεός, ἐκάλυψε δ' ἄρ ἠέρι πολλῇ, hoc eſt, hunc autẽ eripuit Apollo valde facilè, vt Deus, multa autem caligine obtexit.

Crvqvivs.

QVANTVM deceſſerit humaniori litteraturæ per corruptores optimorũ ſcriptorũ, nemo vnquam pro dignitate, &, vt res ipſa poſtulat, dicere poterit. Quid enim aut dici aut fingi poteſt ineptius, quid abſurdius, quàm id quod à Pſeudacrone in hac Ecloga traditũ eſt, Horatiũ, putà, agere de Epagomeno quodã ſic nominato? cùm Græca illa dictio nõ perſonam aliquam, ſed argumentũ Poëmatis huius planè denotet; eſt enim ἐπαγόμενος & ἐπισυρόμενος, qui aliquem renitentẽ, & quaſi vinctum, ſecum trahit: cuiuſcemodi hominem ſibi in via ſacra obuiam factũ, vt moleſtè tulit Horatius, ita ſe per Apollinem ab eo liberatũ fuiſſe magnopere gaudet;

pere gaudet, erat enim metu propè conſternatus, ne, quod ſibi puero fuerat à Sabella fatatum, nunc foret enecandus audiendi garruli faſtidio: nulla enim opera, nullo ſtudio, nulla denique contentione videbat ſe euadere poſſe, vt non ſubſequeretur hunc Pſeudacronis ἐπαγόμενον, ſtulta loquacitate ϑανατῶντα, niſi ἀλεξικάκου beneficio præſenti neci fuiſſet ereptus. *Ibam fortè v. ſ.* exorditur Horatius ab ea conſuetudine, quæ ſibi cum ſtudioſis omnibus ferè peculiaris eſt, quibus vbi licet à re publica, & rebus grauioribus feriari, prima cura eſt, & propè vnica, vt ſecum meditentur, quæ vel cum amicis & familiaribus aliquando iucundè communicent, vel ſcripto euulgent: quique cum P. illo Scipione, numquã minùs otioſi, vel ſoli, quàm cùm in otio ſoli exiſtere videntur. *ſacra via.* viam; inquit Feſtus, quidã putant dictam eſſe ſacrã, quòd eo itinere vtantur ſacerdotes Idulium ſacrorũ cõficiendorũ cauſa. Idulia autẽ ſacra ea ſunt, quorũ meminit Varro de ling. Lat. lib. 4. inquiens, Ceriolenſis à Carinarũ iunctu dictus. Carinæ poſtea Cerionia, quòd hinc oritur caput ſacræ viæ, à Strenię ſacello, quæ pertinet ad arcẽ, qua ſacra quotquot menſibus feruntur in arcem, &c. Quotquot enim Idibus mactabatur agna Ioui quæ Idulis dicebatur; hinc Idulia ſacra, vt canit Ouid. Idibus alba Ioui grandior agna cadit. *nugarũ.* nugæ ſunt ioci & ſales, nunc faceti & vrbani, nunc amariores & mordaciores. ſic & Catullus & Martialis ſua Poëmatia nugas appellant. *& totus in illis.* ſic habet codex Mart. ceteri verò ſine coniunctione expreſſa. *totus in illis.* videtur exprimere velle phraſim illam Gręcã Polybio valdè familiarem: ὅλος καὶ πᾶς ἦν. ait enim li. 5. τὸ δ᾽ ὅλον αὐτοῖς ἦν, καὶ τὸ πᾶν Ἀπελλῆς. Deinde li. 3. πρὸς τὸ βάλλειν ὅ τῷ διακινδυνεύειν ὅλος καὶ πᾶς ἦν. cùm tamen Latinè aliud ſit dicere, aliquid omni ſtudio conari, curareq́; & totum in eo curando eſſe, vt alibi prætereà dicit Horatius. & totus in hoc ſum. *accurrit q.* ea eſt lectio omnium ſcriptorũ, nõ etiã, occurrit, vt habet vulgata. *arreptaq́ manu.* manũ arripere eſt auctoritatis indiciũ, quod Cic. pro Murena expreſſit, inquiens: Quare cùm iſta ſis auctoritate, non debes M. Cato arripere maledictũ ex triuio, &c. ex verbis enim Horatij cognitu eſt facile, hunc fuiſſe Senatorij vel equeſtris ordinis hominẽ: inter æqualeis enim pertinet, dare manũ, porrigere manum; deinde, capere, accipere, preſſare manũ, iungere dextras. *quid agis d.* τί πράττεις, quî vales? Græca dictio: quemadmodũ dicimus, εὖ πράττειν, quando bonã alicui valetudinẽ precamur. *ſuauiter.* εὖ πράττω, benè ago, rectè valeo. *vt nunc eſt.* pro rerũ ſtatu, ὅπως ἔτυχε, ὡς ἔξεστι, ὡς ἔνι μάλιστα. *cupio omnia.* bene precãdi formula. *cùm aſſectaretur.* cũ à latere meo nõ diſcederet, me, quocũq; irem comitando, vel me reluctante, ὅπου μοὶ παρακολουθεῖ. Aſſectari autẽ, Valla teſte, l. 5. eſt comitatũ prę̃ſtare, per vrbẽ præcipuè. *numquid vis?* Valedicendi formula. Terent. in Eunucho: Rogo nunquid velit? rectè, inquit, abeo. *occupo.* præuenio illum his verbis, nũquid vis? hoc eſt, nõ exſpecto mihi dum priùs valedicat, ſed cupiens ab eo liberari, precor eo dicto, numquid vis? abeundi licẽtiã. *noris nos.* initiũ moleſtæ loquacitatis. *noris nos.* ſenſus eſt, volo vt noris nos, quia docti ſumus; debet enim ſecunda perſona τὸ vis, repeti in prima. aut poterit τὸ noris, eſſe modi potentialis, pro noſſe debes. ambit autẽ à ſua doctrina familiaritatẽ & amicitiã Horatij. *hic ego.* applaudit Horat. homini ſtolido, ſimulatq; eũ ſibi eò cariorẽ fore, quò eſt doctior: iuxta illud, ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον. *miſerè d. q.* miſerè, inquit Soſipater, vt ſit miſeratione dignu. Terent. in Eunucho: Quã oculos terendo miſerè. &c. *cùm ſudor.* ὑπερβολή, pro vehementi angore, & animi moleſtia. *ô te Bollane.* interpretatur Commẽt. & alij, felicem cerebri hic eſſe Bolanum, hoc eſt, cerebroſum; ὀξύχολον, iraſci facilem: Ego potiùs contrà crediderim felicem cerebri meritò dici βραδύχολον, ad iram tardum, & ὑπομένοντα τὰς τοιαύτας φλυαρίας, tolerantẽ loquacitatis; hoc enim eſt fortis animi & modeſti patienter audire & pro tempore diſſimulare: quod cùm non niſi difficulter facere poſſet Horat. ὀξύχολος ipſe, optat ſibi dari cerebrum Bolani τὸ καρτερόν: nam quæ tandem felicitas & laus eſt, imò quæ non potiùs in viro ſumma turpitudo, facilè indignari? τὸ μὲν γὰρ ϑηριῶδές ἐστι, τὸ δὲ φύσεως ἡμέρου. i. hoc quidem ferinum eſt, aliud autẽ naturæ placidę. *cerebri felicem.* Felix autẽ cerebri dicitur ea ratione, qua Virgilio 4. Aeneid. quos illi læta laborũ ipſa ſuis quondã manibus Sidonia Dido fecerat, κατ᾽ ἔλλειψιν τοῦ cauſa, aut genitiuus eſt partis cum adiectiuo laudis. *garriret.* φλυαροῖ, nugaciter ineptiret. *vſq. tenebo.* te detinebo. codex Tonſ. habet, *vſque ego nam te perſequar.* at vulgata lectio mihi placet magis, propter præcedens verbũ, abire. *perſequar* duo cod. Bland. habent, *proſequar.* quod nõ minus aptum videtur; nam ferè eos proſequimur, quos comitamur & deducimus: ſed fortaſſe, quia reluctãtem ſequitur, perſequar, magis eſt appoſitum. *nil opus eſt te.* fingit Horat. multas cauſas; vt modeſtè honeſtéq; ab immodica futiliq. loquacitate ſeſe eripiat, garrulumq; dimittat, in primis proponit ei moleſtã fore circumductionẽ, deinde quem viſit amicũ decumbentem, ei nõ eſſe cognitũ, ad quem ſecum adite, neq; vrbanũ eſſe, & parũ officioſum, poſtremò locũ eſſe lõginquum, vtpote, prope Iulij Cæſaris hortos, qui ſiti erant trans Tiberim, extra Ianiculũ, ad portã Portuenſem. *nil habeo a.* diluit

DD aſſectator

inſectator cauſas Horatij, ne ſe dimittat, ab otio meo, & impigritia ſectandi, laborisq. patientia. *demitto auriculas.* ſumtum a iumentis, & de eo dicitur, qui deiectus eſt animo, & ſua ſpe fruſtratur. nam autẽ homini natura dedit, vt ait Plin. lib. 11. ca. 37. aureis immobileis; ſed eius facies, triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeueritatis eſt index. In equis autẽ & omnium iumentorũ genere, auriculæ teſtantur affectum animi: namq. auſcultantibus ſunt erectæ, feſſis marcidæ, nutantes pauidis, ſubrectæ furentibus, ægris reſolutæ. *iniquæ mentis* nõ æquæ mentis, malè affectæ: iniqua mens dura eſt & recalcitrosa, cui contraria eſt mens placida & manſueta. *ſubijt onus.* nullus hic eſt tribrachus, vt doctus quidã adnotauit; ſed dactylus pes legitimus; nam verbũ ſubije, finit in e ſyncopatum, quod etiam num ſequente vocali eſt longũ, vt ſcribũt proſodiographi. *incipit ille.* feſtiuè repetit Horatius & expoſit interim iam garruli φιλαυτίαν: ſuprà enim dixit, noris nos, inquit, docti ſumus. *ſi bene me noſti.* τὸ ſi, cum res facta ſignificatur, inquit Diomedes, finitiuis iungitur. ſic garrulus, ſi bene me noui, hoc eſt, quia bene me noui: non enim dubitat, ſed aſſerit, vt ſuprà, docti ſumus. ſic Virg. Si te fata vocant, id eſt, quia te fata vocant. Idem: Si potuit maneis accerſere coniugis Orpheus. adſirmat enim potuiſſe. Cic. Si illuſtrantur, ſi erumpunt omnia, id eſt, quia illuſtrantur omnia, ſuadet vt mutet Catilina mentem. Sic garrulus inſinuans ſe in amicitiam Horatij, inquit, ſi bene me noui, id eſt, quia ego de mea doctrina & eruditione bene mihi conſcius ſum, nõ dubito quin pluris me facies, quàm Viſcum & Varium, vbi nos noueris: ſeſe aliquem credens, vt ait Perſ. *nam quis me.* oſtentat ſe à peritia ſcribendi carminis & facilitate. *quis membra.* à decoro & molli motu in recitandis ſuis verſibus, cuiuſcemodi nimis effeminatam mollitiem inſectatur Perſius Satyra 1. inquiens: hic aliquis cui circum humeros hyacinthina læna eſt, rancidulum quiddã balba de nare locutus Phyllidas Hypſipylas vatum & plorabile ſi quid, eliquat, & tenero ſupplantat verba palato, &c. Idem paullò pòſt: Quidnam igitur tenerũ & laxa ceruice legẽdum? de tali motu corporis & geſtu exiſtimo hic venditare ſe garrulum, necnõ eo qui à rhetoribus pronunciationi aſſcribitur. Si quis autẽ membra mouere, molle eſſe, ſaltare, non reluctabor. *inuideat quod &c.* ab arte cantandi. *interpellandi l. h.* lepida ad diſtrahendũ tędium, & opportuna interruptio vanæ oſtentationis, quæ tam grata erat & Horatio iucũda, ὡς ἂν ὄνῳ τις λέγῃ μῦθον, καὶ οὗτος τὰ ὦτα κινῇ. hoc eſt, quàm ſi quis aſino narret fabulam, iſque aureis moueat. Itaque vt ab inſtituta ſui prædicatione garrulum diuertat, qua ſe timebat enecandum, pro natura philautorum, qui de ſe dicendi finem facere neſciunt, Horatius ridiculè ἀπὸ τῶ σκορόδων παρεχώρησε πρὸς τὰ κρόμμυα, hoc eſt ab aliis digreditur ad cepas, nimirũ ab infaceta laude garruli, ad interrogationẽ ſtulto homine dignã. *queis te ſ. eſt.* codex vnus Bland. habet quibus eſt te ſaluo opus. *omnes compoſui.* ſepeliui. ſic Tacitus alibi: Libonem Vrania vxor, ac frater Scribonianus, Tit. Iunium Criſpina filia compoſuere. *felices.* felices beati ſunt, iuxta illud, diciq. beatus ante obitũ nemo ſupremáq. funera debet. aut felices, quòd à tua inſulſiſſima garrulitate iam ſunt liberati mortis beneficio. *diuina mota anus vrna.* aut hic eſt Synchyſis, aut hoc hemiſtichium hoc modo legendum eſt, *mota diuina anus vrna.* namq. vrna non niſi impropriè diuina dici poteſt, anus verò propriiſſimè à diuinatione. ſic Ecloga ſexta, aſſiſto diuinus. præterea in ſcriptis cod. Blãd. inuenio ſupra τὸ diuina, ſcriptum, ſortilega, quod haud dubiè nõ vrnæ, ſed anui cõuenit, cuius eſt & vrnam mouere, & ſorteis educere. ſic ait lib. 2. ode 3. omnium verſatur vrna, ſeriùs, ocyùs ſors exitura. Iterum ode 1. lib. 3 omne capax mouet vrna nomẽ. Virg. lib. Aeneid. 6. Quæſitor Minos vrnam mouet. *aut tuſſis.* hinc promanat Celſi tertia tabis ſpecies longè periculoſiſſima, quæ φθίσις nominatur, oriturq; ex perpetua diſtillatione in pulmonem, vnde naſcitur eius exulceratio curatu difficillima. legito C. Celſum lib. 3. cap. 23. *quando cõſumet cumq.* vera tmeſis eſt, vt habet Comment. dictionis quandoq. hoc eſt, aliquando, ſed per epenthesin τοῦ cum, metri cauſa, meo quidẽ iudicio: ſiquis autem quid nouit rectius iſtis, cãdidus impertiatur, aut nobiſcũ ſentiat. *ad Veſtæ.* ædem, quæ erat ad cliuum Capitolinum, vt ſcribit Varro li. 5. inter Palatium & Capitolium, teſte Feſto, non etiam ad templũ Veſtæ, quod extra Romam quadratam ad Tiberim à Numa dicebatur exædificatum. legito Marlianũ de ſitu vrbis Romæ, lib. 3. ca. 16. *quarta iam p. d. p.* hoc eſt, hora diei tertia, qua in foro cauſæ agi cœperãt, iuxta illud Epigrammatophori, Prima ſalutanteis atq; altera detinet hora, exercet raucos tertia cauſidicos, in quintam varios exercet Roma labores, ſexta quies laſſis, ſeptima finis erit, &c. *vadato.* ſei quem vadimonio obſtrinxerat: eſt autem vadimonium ſponſio ſiſtendi in iudicio: vas dictus eſt qui pro altero vadimonium promittebat. Vide adnotationes Budæi in Pandectas. *ſi me amas, inquit.* codex Diuæ, ſine vlla iactura habet, ſi tu me, inquit, amas. Verum an ea lectio ſuppoſititia ſit, nõ auſim dicere; certè alia videtur Horatiana ad imitationẽ Græcorum, quibus frequens eſt vocalem naturâ longã, vel diphthongõ ante aliam corripere etiam nõ eliſam: cuius rei apud Poëtas Græcos exempla paſſim

paſſim ſunt obuia. *aut valeo ſtare.* ſupp. pro aliquo, id eſt, alicui patrocinari, cauſamq́. eius tutari inſtar cauſidici. Comment. & alij interpretantur ſtare, validis pedibus eſſe, ad diu coram prætore ſtandum: quod quidē per me licet, nec ineptū iudico: ſic enim & Lampridius in Alexādro, Poſtmeridianis horis ſubſcriptioni & lectioni epiſtolarū ſemper dedit operam, ita vt ab epiſtolis, à libellis, à memoria ſemper aſſiſterent, nonnumquam etiam ſi ſtare per valetudinem non poſſent, ſederent, &c. *ſequor.* non concerto, συμφέρομαι αὐτῷ, συγχωρῶ, aſſentior, concedo, ſimul eo, patior me ab eo vinci, non repugno. *Mæcenas quomodo.* hactenus nugatus eſt garrulus, & ineptis ambagibus vſus, honoriſque cauſa viſus agere cū Horatio; nunc qua gratia id fecerit apertè fateri incipit; putà, vt per Horatium fiat Mæcenati familiarior. *Mæcenas quomodo tecum.* agit, viuit? *Paucorum hominum.* eſt ſupp. hoc eſt, paucos admittit, paucis vtitur familiariter nec alijs quàm *mentis bene ſanæ*, hoc eſt, viris bonis, per ἐπεξήγησιν: eum namq; ſanæ mentis appellamus qui ſapiens eſt, nam ſanitatem animorum cenſuerunt Philoſophi poſitā eſſe in tranquillitate & conſtantia; inſaniam autem in perturbationibus qui morbi ſunt animi. Illi itaq; ſunt mentis ſanæ, quorum mens nullo motu, quaſi morbo quodam perturbata fuit, cui regnum totius animi à natura tributū eſt, teſte Cic. in Tuſc. 3. hunc locū in euulgatis aliquando aliter expoſui, ſed monitus à Stephano nimiæ ſubtilitatis, malui clarior haberi quàm ſubtilior. *nemo dexteriùs fortuna eſt.* Hæc verba locutulei nihil ad perſonam Horatij (vt volunt alij) videntur pertinere, verùm continere in ſe cum præcedentibus laudem Mæcenatis valde memorabilem, vt qui nulla inſania, nullis contentionibus ciuilibus ſupra modum, nullis denique bellicis æſtibus vehementer implicitus, ſe laudabiliter vbique geſſerit cum bona gratia tùm omnium aliorum principum virorum, tùm Cæſaris Auguſti præcipuè: hoc enim eſt dextrè fortuna vti, rebus ſuis moderatè conſulere, nemini inuidere, omnibus gratificari. Dominus VVoulardus adnotat Poëtæ verba nō malè videri eſſe laudantis modeſtiā Mæcenatis, qui cùm fortunæ beneficio potuiſſet longè maior eſſe, noluit; nam contemto Senatorio ordine, manſit in equeſtri, quod etiā in eo laudat Propert. *haberes m. a.* ſuppl. me. verba garruli ad Horatiū vanitatis ineptæ, & philautiæ pleniſſima. *poſſet qui ferre.* præoccupat Horatium ne quid metuat incommodi: plerumq. enim ita contingere pro cōperto eſt, vt quē cōmendaueris atq. ad honores euexeris, is te cōtemti* poſtea habeat, quàm viliſſimū quemq.; quod quidē ne malè formidet Horatius, ait ſe eo eſſe ingenio & tam moderato, vt altero poſt Horatiū loco in amicitia Mæcenatis contentus eſſe poſſit. *hunc hominē v. ſi tra.* ſic habēt omnes ſcripti cod. ita vt τὸ ſi. poſtponatur verbo, velles; demonſtrat autem garrulus ſeipſum. *tradere.* Mæcenati, eiq. familiarem reddere. *ſummoſſes.* ſummouiſſes, ſummouere poſſes, ἐναλλαγὴ temporis pluſquā perf. pro imperfecto in potentiali modo. quale illud eſt Cic. ad Atticū, fit ſenatuſconſultū, vt Vectius quod cōfeſſus eſſet ſe cum telo fuiſſe, in vincla coniiceretur, qui emiſiſſet, cōtra rempubl. eſſe facturū, pro, qui emitteret. Pollicetur autē Horatio mutuū beneficiū, ſi Mæcenati ſe commendet, ſe, putà, auctore futurū, ceteris viliùs habitis vt primo loco ſit apud Mæcenatem. *nō iſto viuimus.* indignatur Horatius temerarijs vaniloqui pollicitationibus, & ab æqualitate, modeſtia, vitáq; & moribus honeſtis omniū, ſtomachoſius confutat eius inſulſam perſuationē, de ambitioſa apud Mæcenatem inter familiareis amicitia. *nec magis his al.* ab his malis, quænam ea ſint, continuò per expolitionem ſubnectit. *nil mi officit.* hoc vitiū ſitū eſt in æmulatione, & inuidia diuitiarum doctrinæq́. Diu. codex conſentit lectioni vulgatæ. Bland. 4. cū Tonſ. habent, nihil officit, inquam. *eſt locus vnicuiq. ſuus.* melis. id vitiū eſt ambitionis contendere de loco & honore. *magnū narras.* rem magnā & incredibilem. *cupiā.* cupere debeo: in modo potentiali. ſic &, *velis tantummodo*, hoc eſt, tantùm velle debes. *quæ tua virtus.* huiuſcemodi parentheſes referendæ ſunt, atteſtante Linacro, li. 6. de figuris, ad σύλληψιν figurā, exponuntúrq. variè, vt ſcribit Laurentius, putà, quæ tua virtus, qua virtute es, cuius virtutis es. &, ea tua virtus eſt, vel eius virtutis es, vel ea virtute es, &c. lege Laurent. Vall. & Linacrum. *eoq́; difficileis aditus.* hoc eſt, nō quemuis ſine delectu ſtatim adſciſcit in amicitiā, eſt enim mētis bene ſanæ; ſed cū quē multis prius argumentis didicit eſſe virū bonū. *haud mihi deero.* hoc eſt, nullū ſtudiū, nullos labores, nullas deniq; moleſtias defugero, vt Mæcenas pro ſua erga bonos humanitate, me inter ſuos connumeret. *muneribus ſeruos c.* enumeratio formularū maximè idonea, quibus vtantur ij qui ſua virtute diffiſi, honores in foro & magiſtratus ambiunt, amicitiáſq; potentum. *nil ſine mag. v. l.* Epiphonemate cōcludit hic garrulus ſuū in ambiendo Mæcenate conſiliū. Præclara eſt hæc γνώμη, ſcriptáq; celebratiſſima, quā videtur Horat. reddidiſſe Latinè ex hoc Epicharmi, τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγάθ' οἱ θεοί, hoc eſt, laboribus vendunt nobis omnia bona diui. cui reſpōdet illud Euripidis, ἐκ τῶν πόνων τοι τἀγαθ' αὔξεται βροτοῖς. hoc eſt, ex laboribus augentur hominibus bona. Idē: τὸ συνεχὲς ἔργον παντὸς εὑρίσκει τέλος, hoc eſt, interprete Virg. Labor improbus omnia

omnia vincit. *hac dum agit*. ſic habent omnes cod. ſcripti, nullus τὸ ait. eſt autẽ tranſitio. *vellere cœpi*. prehendere, πιάζειν. *prenſare ma*. preſſare legit Lambinus ex antiquis ſcriptis, ita vt preſſare ſit, arctiùs cõprimere, ne ſcilicet elaberetur, ſed me eriperet iam ſtulta loquacitate propè enectũ. verùm quos legi cod. ſcripti omnes habẽt, *prenſare*. Quod verbũ nõ temere mouendum ſuo loco putaui, vt quod hic nõ ineptã habet ſentẽtiã: quos enim nobis adeſſe gaudemus, libenter & ſæpius manus eorum & brachia prenſamus, idq́; præcipuè vbi angimur, nec apertè conqueri licet. Qui ſi aut nolint aut nõ auſint obſequi nobis, ſua brachia & manus ſæpius retrahunt noſtriſq; eripiunt. Ita lentiſſima brachia, id eſt, mollia, flexibilia, lubricáq; meritò dicuntur, quæ propter aſſiduum motũ retineri nequeunt; ſed quò magis preſſeris, eò magis anguillarum more elabuntur. *nutans diſ. ocul*. oculis obliquis & nutantibus ſignificans, vt me eriperet: τοῖς ὄμμασι διανεύων, ἢ παραβάλλων τοῖς πλαγίοις. *malè ſalſus*. importunè & ſiniſtrè ſalſus erga amicũ, putà laborantem, vnde improbũ poſtea vocat. *vrere*. vrebar, per enallagen modi infiniti pro indicatiuo, hoc eſt, ſupra modũ excandeſcebã. *triceſima ſabbata*. arbitror triceſima ſabbata dici, ex more Iudęorum (quem ſubſannat Horatius) Calendas menſis Niſan, qui primus in Aequinoctio verno dies habebat triginta: menſes enim Lunares duodecim apud Iudæos alternatim, alij triginta, alij viginti nouem dies habebãt propter Emboliſmũ. Aut triceſima ſabbata, à magno illo Iudæorum Sabbot, quod Phaſe nominabant. Aut triceſima Sabbata, hoc eſt, Neomeniæ; nã Hebræi nõ alia menſium exordia quàm Neomenias norunt, quas Calendas Latini nominabant, quæ Iudæis in primis erãt religioſæ, iuxta illud Numerorũ, In Calendis offeretis holocauſta Domino. & Pſalm. 80. Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſollemnitatis veſtræ. Sed hac de re legito Bedã de temporũ ratione: & Albertũ Pighium de ratione Paſchalis celebrationis & reſtitutione Kalendarij Eccleſiaſtici. *curtis*. decurtatis recutitiſq. propter præputiũ. *oppedere*. pedere, oppedere. verba ſunt ridicula, cõtemtui ſeruientia: ſic & ecloga præcedente, pepedi diffiſſa nate ficus, inquit Priapus, in contemtũ veneficarũ. Quòd autẽ Ariſtius interroget Horatium num velit Iudæis oppedere, partim quidẽ ſacrorũ Iudaicorũ vituperium ſignat, propter præſentiam garruli, à quo metuebat traduci, partim verò religionis metum. Multi namq; Romani nõ alieni à ſacris Iudaicis, veluti profeſſi, vt habet Tranquillus, Iudaicam intra vrbem vitam viuebant: Qua gratia nõ ſemel edictis Aedilicijs cautũ eſt, vt Iudæorum Aegyptiorumq́; ſacra, ritus & cærimoniæ, ex vrbe pellerentur & exularent, quòd turpium religionũ (quare etiamnũ videtur dicere oppedere, propter eorum ſacrorũ cõtinuum otium, & ab rebus agendis vacationẽ, Iuuenali teſte Satyr. 14. cui ſeptima quæq; fuit lux ignaua, & partem vitæ nõ attigit vllam) & nouarũ ſuperſtitionum cauſæ forent, nec nõ quaſi ſeminaria quædã contemnendi ritus Romani. In hanc autem ſententiam me impellunt verba Horatij, *nulla mihi, inquam, relligio eſt*. quæ verba nullam omnino contentionem, ſed potiùs in religione Iudaica conſenſum poſtulant; quem vt ſubterfugiat, nulli religioni ſe dicit addictum: Namq; Epicureorum dogma, vt prædicabat deos non curare mortalia, ita non minùs quàm athei nõ modò ſuperſtitionẽ, in qua ineſt (inquit Cic.) timor inanis deorum, ſed etiam religionem, (quæ deorum cultu pio continetur) aſpernabatur. *at mi. ſum p. in*. vel Ironicôs hæc Fuſci verba ſunt accipienda; vel fatendum eſt ei, tanquam proſelyto, perſuaſum fuiſſe Iudaiſmum, ſed id diſſimulare apud hunc garrulum, à quo, ne proditus, malè audiat apud Romanos. *ignoſces*. συγγνῶθι μοι. formula valedicendi per deprecationem: ſatis enim videbat Horatium nõ æquo laturum animo, ſe ab eo deſeri necandũ odioſi hominis moleſtia. *hunccine ſolem*. exclamatio tacita cum vehementi indignatione. *fugit*. auerſatur me, & abit. *improbus*. durus, ſæuus, malè ſalſus, vt ſuprà. *ſub cultro linquit*. in præſentaneo periculo deſerit, inquit Eraſmus. Sumta metaphora à victimis iam iam cultro feriendis. huc pertinent id genus adagia, inter ſacrum & ſaxum, inter malleum & incudem. In acie nouaculæ, &c. quibus vti conuenit in periculis extremis & anxietatibus. *aduerſarius*. quem garrulus vadatus fuerat. *quo tu turpiſſ*. iniquiſſime, improbiſſime, ἀδικώτατε. *licet anteſtari*. De in ius vocando, & de anteſtando memoriæ prodidit cap. 5. ad leges 12. tabularum libro ſingulari Iacobus Ræuardus in elucidandis legibus nouũ nuper lumen exortum, ſed iam prô dolor, ante tempus extinctum; ex quo, quæ ad hunc locũ facere poſſunt, pauca hæc deſumſimus: Qui ius ſuum volebant perſequi, in ius aduerſarium vocabãt; quem ſequi nolentem, anteſtationis medio ducebant, & reluctantem trahebant; ſique opus eſſet, rapiebant, &c. ex eodem quoq; libuit hic adſcribere eius legis interpretationem, quam Commẽt. adfert, Si vis vocationi fuat: teſtamini: Igitur em. capito anteſtari, hoc eſt, anteſtando, ad imitationem Græcorum, τῷ μαρτυρόμενος, inquit ex Barnaba Briſſonio. igitur em capito, id eſt, tunc eum capito, ſiue eum manu prehendito. τὸ igitur, nunc quidem, ait Feſtus, pro completionis ſignificatione valet ergo; ſed apud antiquos ponebatur pro inde, poſtea, tum. *rapit in ius*.

in me. Licebat autem vadato aduerſarium renitentem vi ducere, ex lege decemuirali; cuius hæc ſunt verba apud Feſtum in verbo ſtruere, Si caluitur, pedémve ſtruit, manũ endoiacito. ſi caluitur, hoc eſt, ſi riſu, vel techna quadam conatur euadere, ſi te fruſtratur. Pedem ſtruere, eſt vix pedẽ pedi præferre, otioſè ire, remorari, gradum minuere, vel augere, vt habet Feſtus. Ego certè putarim ſumtum eſſe à luctatoribus, qui, vt euadãt aduerſarios, oppoſitis pedibus humi prouoluunt, het voetken maken Flandricè, quale eſt apud Pollucem lib. 3. in Gymnicis ſupplantare, ſubuertere, &c. manum endoiacito, hoc eſt, manum iniicito, rapito, ad prętorem trahito, vt habet Plautus in Pœnulo. Ad huius autem verbi formam, endoiacito, habet Feſtus endoitiũ, id eſt, initium, endoplorato, pro implorato; endoprocinctu, pro in procinctu. *ſic me ſeruauit Apollo.* ab eburnea Apollinis ſtatua, cui ſuã vitam fert acceptam, deſignat Auguſti forum, vbi vadatus garrulo factus obuiam has turbas dedit. Huius ſtatuæ meminit Plin. lib. 7. cap. 53. Iuuenalis Satyr. 1. Sportula deinde forum, iuríſq; peritus Apollo.

ECLOGA X.

LVCILIVS.

NEMPE *incompoſito dixi pede currere verſus*
Lucili. quis tam Lucili fautor ineptè eſt,
Vt non hoc fateatur? at idem, quòd ſale multo
Vrbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamẽ hoc tribuens, dederim quoq; cetera. nã
Et Laberi mimos, & pulchra poëmata, mirer. (ſic
Ergo non ſatis eſt riſu diducere rictum
Auditoris: & eſt quædã tamen hic quoq. virtus:
Eſt breuitate opus, vt currat ſententia, neu ſe
Impediat verbis laſſas onerantibus aureis.
Et ſermone opus eſt modò triſti, ſæpè iocoſo,
Defendente vicem modò rhetoris, atque Poëtæ,
Interdum vrbani parcentis viribus, atque
Extenuantis eas conſultò. ridiculum acri
Fortius: & melius magnas plerumq; ſecat res.
Illi, ſcripta quibus comœdia priſca viris eſt,
Hoc ſtabant: hoc ſunt imitãdi: quos neq; pulcher
Hermogenes vnquam lêgit, neque ſimius iſte,
Nil præter Caluum, & doctus cantare Catullũ.
At magnum fecit, quòd verbis Græca Latinis
Miſcuit. ô ſeri ſtudiorum, qui ne putetis,
Difficile, & mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit. at ſermo lingua concinnus vtraque
Suauior: vt Chio nota ſi commiſta Falerni eſt.
Cùm verſus facias, teipſum percontor: an, & cũ
Dura tibi peragenda rei ſit cauſa Petilli:
Scilicet oblitus patriæq;, patriſque, Latinè
Cùm Pedius cauſas exſudet Poplicola, atque
Coruinus: patriis intermiſcere petita
Verba foris malis, Canuſini more bilinguis?
Atqui ego, cùm Græcos facerẽ, natus mare citra,
Verſiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
Poſt mediam noctem viſus, cùm ſomnia vera:
In ſiluam non ligna feras inſanius, ac ſi
Magnas Græcorum malis implere cateruas.
Turgidus Alpinus, iugulat dũ Memnona, dumq;
Defingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo:
Quæ nec in æde ſonent certantia iudice Tarpa:
Nec redeant iterum, atq; iterũ ſpectãda theatris.
Arguta meretrice potes, Dauóque Chremeta
Eludente ſenem, comis garrire libellos
Vnus virorum Fundani. Pollio regum
Facta canit pede ter percuſſo. forte epos acer;
Vt nemo, Varius. ductu molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure camœnæ.
Hoc erat, experto fruſtrà Varrone Atacino,
Atq; quibuſdã alijs, melius quod ſcribere poſſem,
Inuentore minor: neque ego illi detrahere auſim
Hærentem capiti multa cum laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum. ſæpe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. age, quæſo,
Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?
Nil comis Tragici mutat Lucilius Atti?
Non ridet verſus Enni grauitate minores,
Cùm de ſe loquitur, non vt maiore reprenſis?
Quid vetat, & noſmet Lucili ſcripta legenteis
Quærere, num illius, num rerum dura negarit
Verſiculos natura magis factos, & eunteis
Mollius? ac ſiquis pedibus quid claudere ſenis
Hoc tantùm contentus: amet ſcripſiſſe ducentos
Ante cibum verſus, totidem cœnatus: Etruſci
Quale fuit Caſſi rapido feruentius amni
Ingenium: capſis quem fama eſt eſſe, libriſq;
Ambuſtum proprijs: fuerit Lucilius, inquam,
Comis & vrbanus: fuerit limatior idem,

Quàm rudis, & Græcis intacti carminis auctor,
Quàmq́; Poëtarum ſeniorum turba: ſed ille,
Si foret hoc noſtrum fato dilatus in æuum:
Detereret ſibi multa: recideret omne, quòd vltra
Perfectum traheretur: & in verſu faciendo
Sæpe caput ſcaberet: viuos & roderet vngueis.
Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſint,
Scripturus: neque, te vt miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego. nã ſatis eſt equitẽ mihi plaudere: vt au-
Contemtis alijs, exploſa Arbuſcula dixit. (dax,
Men' moueat cimex Pantilius? aut crucier, quòd
Vellicet abſentem Demetrius? aut quòd ineptus
Fannius Hermogenis lædat conuiua Tigelli?
Plotius, & Varius, Mæcenas, Virgiliusq́;,
Valgius, & probet hæc Octauius optimus, atque
Fuſcus: & hæc vtinam Viſcorum laudet vterq.
Ambitione relegata te dicere poſſum
Pollio, te Meſſalla tuo cum fratre, ſimulq́;
Vos Bibuli, & Serui, ſimul his te candide Furni:
Complureis alios, doctos ego quos, & amicos
Prudens prætereo: quibus hæc, ſint qualiacunque,
Arridere velim, doliturus, ſi placeant ſpe
Deterius noſtra. Demetri, téque Tigelli
Diſcipularum inter iubeo plorare cathedras.
I puer, atque meo citus hæc ſubſcribe libello.

COMMENTATOR.

RESPONDET ijs à quibus culpatus fuerat, quòd Lucilij verſus damnaſſet in eâ Satyra quę ſic incipit, Eupolis atque Cratinus, Ariſtophanéſque Poëtæ &c. Nam ibi dixit eum duros componere verſus, Nam fuit hoc vitioſus, &c. nũc autem dicit non ſe Poëtam improbaſſe, ſed verſus eius, quos non ſuo, ſed eius ſæculi vitio duros feciſſet. *nempe.* cõcedentis, quaſi diceret, fateor me dixiſſe, quòd aſperos Lucilius & incompoſitos verſus ſcripſerit. *ineptè.* ſtultè: ineptè fauemus alicui, quando aperta eius vitia negamus. *vt non hoc f.* quòd ſit aſperior & incompoſitus. *at idem quod.* id eſt, ſed in multos principes ciuitatis, multa venuſtè & iocosè dixit. Allegoria eſt, multo ſale defricuit, pro ſalsè & amarè reprehendit & facetè. *ſale.* dixit pro vrbanitate ſingulariter, vt eſſet perpetua metaphora in his tribus, ſale, defricuit, vrbem. pro eo quod eſt, mordaci vrbanitate perſequebatur ciueis Romanos, Mucium & Lupũ: nã pro vrbanitate pluraliter ſales propriè dicuntur, hoc modo; ſcimus autem Lucilium vrbanis ſalibus multos carpſiſſe. *defricuit.* vehemẽter afflixit & exacerbauit. *charta eadem.* in eodem Poëmate. *nec tamen h.* negat Lucilij verſus magnopere mirandos eſſe, quamuis iocis & amaritudine abundent, nam ſunt nimis humiles in verbis & ſententijs. *nam & Laberi m.* hoc eſt, ſi propter facetias ſit admirandus Lucilius, idẽ ſentiendum erit de Laberio Mimographo, qui etiam facetus eſt in verſibus, ſed caret tamẽ ijs quę ſunt perfecti operis. hoc argumentũ eſt à comparatione. *ergo non ſatis eſt.* non ſatis eſt, inquit, auditori mouere riſum: quamuis non negauerim in his etiam nonnullam eſſe virtutem. Diducere rictum eſt aperto ore ridere, & riſum efficere. Rictus incerti generis eſt; nam & hic rictus dicitur, & hoc rictum, menſura oris. *eſt breuitate opus.* breuitate orationis vtendum eſſe ait, vt citò ſententia finiatur, ne defatigetur auditor: Eloquentiæ namque virtus eſt, non tantùm in eo, vt pauca copiosè, ſed etiam vt breuiter multa dicantur. ſic & M. Cato, & Salluſtius laudantur multa paucis abſoluiſſe. *eſt ſermone op.* id eſt, eo ſermone, qui modò triſteis efficiat auditores, modò lætos, qui nunc defendat vicem, hoc eſt, parteis oratoris, nunc Poëtæ, nunc vrbani hominis, qui ſibi parcit & ſuis viribus non vtitur, etiam ſi quid ingenij habeat & induſtriæ: vult conſultò, id eſt, data opera minùs poſſe videri. *ridiculum acri for.* interdum, inquit, venuſtè & ridiculè dicta magis mordent, quàm quę acri & oratione turbulenta prolata ſunt. *ſecat.* mordet, lacerat. *illi ſcripta.* antiqui Comœdiographi, ſcilicet Eupolis, Ariſtoph. Cratinus. *hoc ſtabant.* Abſolutè, id eſt, hac re conſtabant, placebant, quòd modò triſti ſermone vtebantur, modò iocoſo, ſuaſq́; fabulas temperabant. *pulcher.* Ironicôs. *Hermogenes v.l.* Hermogenes modulator erat, obtrectator Horatij. *ſimius iſte.* notat M. quendã Demetriũ quem ſimium nominat propter deformitatem & breuem ſtaturam: erat autem δραματοποιὸς, hoc eſt, modulator, hiſtrio, actor fabularum, ad nihil aliud doctus, quàm ad carmina Lucij Calui, & Valerij Catulli decantanda; quare faſtidit eorum iudicium: quemadmodũ in fine huius ſermonis ait, Demetri, téque Tigelli diſcipularum inter iubeo plorare cathedras. *doctus cantare.* figura Græca, hoc eſt, doctus ad cantandũ & imitandũ. *at magnũ fecit.* obiectio eius qui defendit Lucilium. *O ſeri ſtudiorum.* ὀψιμαθεῖς, qui ſerò ſtudijs vacare cœpiſtis, qui ſeri eſtis ad ſtudia admiſſi. Caſtigat eos qui propterea mirantur Luciliũ, quòd inſeruerit verba Græca Latino carmini, quaſi non quiuis alius poſſit hoc facere, cùm Pitholeon Rhodius, ineptus aliquis Poëta, in ſuis Epigrammatis etiam Latinis

Græca

Græca immiſcuerit. *qui ne putetis.* ne ſyllaba abũdat in ſententia. *at ſermo concinnus.* altera obiectio. *concinnus.* compoſitus, ornatus, coniunctus. *vt Chio nota ſi com.* hoc eſt, ſi dulce ſit commixtũ auſteris. Nam Chium vinũ dulce eſt, & Falernũ auſterum. ſic à cõparatione vult aduerſarius Græca verba Latinis immixta orationẽ reddere concinnã. *nota ſic.* Solebant Romani certis notis ſignare lagenas, amphoras & cados ad vina cognoſcenda, ne à ſeruis fraus fieret aut corrumperentur. *cùm verſus facias.* eum qui verſus Lucilianos laudauerat, propterea quòd Græca Latinis admixta habeant, reprehendens interrogat, vtrũ tunc ſolùm hoc faciat cùm verſus ſcribit, an etiã quando cauſam difficillimã Petillij de furto Capitolino perorat contra Pedium Publicolam & Meſſallam Coruinum, qui à Græcis vocibus ita abhorruerunt, vt Meſſalla σχοινοβάτην, Latinè funambulũ reddiderit ex Terentio in Hecyra; vbi ait, Funambuli eodẽ acceſſit exſpectatio. fuerunt hi duo Pedius Publicola & Meſſalla Coruinus oratores Romę valdè inſignes. Petilli autẽ genitiuus eſt pro Petillij. *exudet.* cum ſudore agat, hoc eſt, Latinè pronunciet magno ſtudio & conſtantia. *ſcilicet oblitus.* Ordo eſt, teipſum percontor, id eſt, ex te quæro, cùm dura, id eſt, difficilis cauſa Petillij tibi ſit peragẽda an oblitus patriæ patriſq;, id eſt, Latini ſermonis, malis intermiſcere foris verba petita, id eſt, Græca, quàm vti patrijs? *Canuſini more b.* Canuſium oppidũ in Apulia conditũ à Diomede, à quo Canuſini Græcã linguam acceperunt. quare dicebantur bilingues, quia vtebãtur Græco & Latino ſermone, vnde totus eius regionis tractus olim magna Græcia dicta eſt. *cùm Græcos.* facere vellem. vt, Cùm canerẽ reges & prœlia. *natus mare ci.* In mediterranea Italiæ, nõ in ipſa Attica regione. *vetuit me tali v Qui.* Elegante: à Quirino ſe prohibitum ait Græca naſcere Latinę linguæ, quoniã vtriq; Romulus vt nominis ita etiã linguæ Romanę auctor videtur eſſe. *poſt mediam n.* tũc enim liberior animus vera ſomniat, quando pituita concocta eſt, & ſenſus purgati à vinolentia & crapula. *in ſiluam non l. f.* quia Græci auctores ſunt plurimi: ergo Græcos verſus ſcribere ſi vis, tu perdis operam, inquit Quirinus. *turgidus Alpi.* riualem quendã Poëtam Gallum tangit, qui dum pugnam deſcribit inter Achillem & Memnonẽ, ita hoc facit, vt iterũ videatur Memnona iugulare ſuis carminibus. *turgidus.* inflatus. *defingit.* malè fingit & format, malè deſcribit. *luteum caput.* lutoſum, quaſi ipſius Rheni fontem limpidum, deſcribendo faciat ſordidũ & lutulentum. vt, muſco circundat amaræ corticis. *hæc ego ludo.* Dum Alpinum Poëtam ait ſuos verſus facere, ſe dicit ludere, id eſt, id genus carminis ſcribere, quòd Metij Tarpæ iudicio nõ ſubijciatur. *in æde.* Apollinis, vbi Poëtæ ſua carmina recitabant. *certantia.* quaſi in certamen & prouocationem venientia. *iudice Tarpa.* Metius Tarpa fuit iudex criticus, auditor aſſiduus Poëmatum & Poëtarum in æde Apollinis ſeu Muſarũ, quò conuenire Poëtæ ſolebant, ſitaq; ſcripta recitare; quæ niſi à Tarpa, aut alio critico, qui numero erant quinq;, probarentur, in ſcenam nõ deferebantur: iccirco illud ait, *iudice Tarpa.* hoc eſt ſcripta mea criticũ iudicem non exſpectant, quæ ſæpius audita, & populo ſpectata vileſcant. *arguta.* callida. *Chremeta ſenem.* declinatione Græca. *comis.* ſuauis. *garrire.* nugari, propter perſonarum humilitatem, quæ in Comœdia loquuntur. *vnus viuorum Fun.* Vnum Fundanium dicit illis temporibus Comœdias bene ſcribere. *vnus viuorum.* vnus inter omneis viuos. *Pollio regum f.* Pollio eſt optimus Tragœdiographus. *pede ter percuſſo.* id eſt, ter dimenſo; nam Tragœdia trimetris verſibus ferè texitur. *forte epos acer.* id eſt, Varius acer ſeu vehemẽs vt nemo alius, hoc eſt, optimè canit forte epos, hoc eſt, epicũ carmen validum, & grauiter, ſeu magno ſpiritu pronunciandum, eſt enim longum. *ductu molle.* hoc eſt, verſum mollem & æqualem facetumque Muſæ conceſſerunt Virgilio. vnde apparet illo tempore Virgilium Bucolica & Georgica tantum ſcripſiſſe, quia dicit Camœnæ, id eſt, Muſę gaudentes rure, agris & paſcuis. *hoc erat experto.* ordo eſt, hoc erat quod ego melius poſſem ſcribere, quàm Varro Atacinus & alij multi, qui conati ſunt ſcribere Satyras, quas non ſatis laudabiliter ediderant. *Varro Atacino.* Varro Atacinus dictus eſt, ab Atace fluuio Narbonenſi. *inuentore minor.* id eſt, Lucilio, quem ſibi præfert, tanquàm Satyræ inuentorem. *dixi fluere.* In Satyra quarta, ſæpe ducẽtos, inquit, vt magnum verſus dictabat ſtans pede in vno, cùm flueret lutulentus. &c. *plura quidem toll. r.* tollenda, id eſt, laudanda, non contemnenda, ſed imitatione digna. *age quæſo tu.* interrogatio Ironica, quaſi dicat, non mirũ ſi eum reprehendi, & minorem tamen eo me dicam, tu age, id eſt, dic obſecro, nónne aliquando reprehendis Homerum, nec tamen præfers te illi? *grauitate minores.* minus graueis quàm oportet. *nil comis.* elegans. nunquid Lucilius ipſe mutat, id eſt, emendat, reprehendit, corrigit, vituperat aliquid in Attio Tragœdiographo: *non vt maiore.* non tanquã maior ſit his quos reprehendit. *quid vetat.* quid prohibet me quærere, num illius natura, an magis earum rerũ quas ſcripſit, difficultas negaret ei verſus molliores? *magis factos.* perfectiores & magis politos. *euntis mollius.* metaphora, quia ſuis quaſi pedibus currũt verſiculi, lenius & non aſperiùs fluentes. *at ſi quis*

pedibus.

pedibus. ſenſus eſt, ſi quis inueniatur hoc tantum contentus claudere, id eſt, vt claudat aliquid, concludat & finiat ſenis pedibus. i. hexametris verſibus, quod feciſſe videtur Lucilius, numerum verſuum potius amans, quàm ornatum & mollitiem. *Etruſci*. Parmenſis, quia de Parma fuit, quæ eſt Etruriæ ciuitas; cuius Tragœdia Thyeſtes extat. *rapido ferventius*. Caſſium Poëtam comparat amni rapido, qui multa purgamenta ſecum trahit; ita Caſſius multos verſus parui momenti ſcribebat; ideo poſt eius mortem decreuit Senatus, vt libri cum cadauere exurerentur. *capſis*. in quibus ſua Poëmata concluſa erant. *limatior*. politior, emendatior. ſenſus eſt, ſit Lucilius limatior quàm rudis auctor carminis & intacti Græcis, id eſt, nõ vſitati & vſurpati à Græcis ſcriptoribus: Nam Lucilius primus inuenit Satyram. *Græcis intacti*. nulli enim Græcorum hexametris verſibus hoc genus operis ſcripſerunt. *quamq; Poëtarũ*. hoc eſt, Lucilius ſcripſerit Satyram politiùs & ornatiùs quàm omnes priores Poëtæ Latini, & omnibus illis præferatur. *ſi foret hoc* ſi hoc tẽpore natus eſſet Lucilius, multa ſibi detraheret, multa adderet, vt placeret auditoribus: quia nunc ſtudent omnes lenitati: per hoc oſtendit eum ſatis incurioſè ſcripſiſſe. *deterreret*. auferret, detraheret, demeret. *recideret*. amputaret quicquid redundaret. *quod vltra p. t.* ſuperflua, & non neceſſaria. *viuos & roderet*. viuos, id eſt, carni adhærenteis, integros. Perſ. nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit vngueis. Sæpe enim hoc faciunt qui volunt inuenire quæ placeant. *ſæpe ſtylum v.* vt deleas & emendes verſo ſtylo, vt legi mereantur tua ſcripta. *contentus paucis*. noli laborare vt placeas multis, ſed paucis & doctis eſto cõtentus tanquàm melioribus. *an tua demens*. hoc eſt, an malis placere pluribus quàm melioribus, vt etiam librarij in ludis litterariis dictitent pueris adhuc rudibus tua carmina? *non ego*. ſupp. malo placere pluribus quàm melioribus. *equitem mihi pl.* Romanum, ſcilicet, ſapientem & doctum. *audax Arbuſcula*. Arbuſcula mima fuiſſe traditur, quæ cùm ab irato populo exploderetur, id eſt, ſtrepitu & plauſu eijceretur, ab equite autem laudaretur, aiebat ſe contentam eſſe virorum honeſtorum teſtimonio. Arbuſcula etiã meretrix fuit, quales ſecum fuere Licoris & Origo. *exploſa*. improbata, eiecta. *cimex*. iniurioſè, cimex, id eſt, ſordidus, fœtidus, putidus, abiectus. *Pantilius*. nomen eſt vilis Poëtæ & maleolentis. *vellicet abſentem*. me, ſupp. laceret. *Demetrius*. quem ſuprà ſimium nominauit. *Fannius Hermo*. id eſt, ſcurræ me vituperent. *Viſcorum laudet v.* Viſci duo fratres fuerunt optimi Poëtæ, & iudices critici. quorũ pater Vibius Viſcus quamuis diuitiis, & amicitia Auguſti clarus eſſet, in equeſtri tamen ordine permanſit cùm filios ſuos Senatores feciſſet. *ambitione relegata*. remota gratificatione, repudiata aſſentatione: tangit eos qui parcebãt vitioſis carminibus amicorũ. *Fuſcus*. Ariſtius. *tuo cum fratre*. Publicola. *vos Bibuli & Serui*. familiæ ſunt Romanorũ. *ſimul his*. pro eo quod eſt, cum his. *Furni*. Furnius hiſtoriarum fide & elegantia claruit. *compluresis alios*. ordo eſt, dicere poſſum compluresis alios, quos ego prudens, id eſt, ſciens doctos & amicos, prætereo, quibus hæc Poëmata mea, qualiacumque ſint, velim arridere, id eſt, probari, placere; doliturus ſi placeant deteriùs noſtra ſpe, id eſt, minùs quàm ſperamus. *diſcipularum*. in ſchola mimarum. Vituperat eos Poëtas, qui pro diſcipulis habuerunt in ſcholis mimarum cœtum & hiſtrionum. *I puer atque meo*. vult videri Horatius, αὐτοσχεδιάσαι, hoc eſt, ex tempore veniſſe ſibi in mentem hos verſus.

CRVQVIVS.

CVM videret Horatius Lucilij ſcripta præter meritum tanti à Romanis pleriſq; fieri, quãti alicuius alius nulla, ſuprà Ecloga quarta ſtomachoſiùs in eum inuectus, durum, putà, nominans in ſuo carmine componendo, lutulentumq; & garrulum, qua gratia ab eius fautoribus nõ parua maleuolentiæ nota aſperſus, hic multis argumentis non dubitat ijs reſpondere id à ſe iure factum eſſe. In primis de compoſitionis aſperitate, ſtatuit eos arbitros, num rectè ſenſerit. Quantum ad garrulitatẽ ſpectat, quæ hic præcipit ἐν παρόδῳ, ad breuiter vrbanéque dicendum oſtendunt manifeſtò, eum futili dicacitate, dum riſum captat, penè ſcurriliter auditoribus fuiſſe grauem. Græcitatis autem ſtudium, quo concinnus habebatur, reprehendit in eo, ab vſu forenſi, & decoro Latini ſermonis. Porrò in eo, quòd dixerãt Lucilij verſus lutulentos fluere, demonſtrando, tam varius eſt, hic amphibolia, illic ironia, vt nõ immeritò de eo dici poſſit, ſi laxes, erepit; ſi ſtringas, euadit: namque aduerſariis concedendo eum comem fuiſſe & vrbanum, hoc ita facit, dum de moribus eius æui dubitat & ingenio Lucilij, vt vel inuiti fateri cogantur eum in ſcribendo fuiſſe ſcabroſum & horridum: & quàm virorum doctorũ plus turbæ, ineptorumque laudẽ, nec nõ applauſum ambiuiſſe. *nempe incompoſito*. Nempe, aduerbium eſt aſſentientis, vt ſcribunt Valla, Linacer, & alij Grammatici; quo libenter vtitur Horatius ad interrogationẽ, vt Saty. 7. li. 2. tibi quid ſum ego? nempe, ſupp. cõſeruus es, vt ibi docebimꝰ. Deinde epiſt. 16. li. 1. Reſpondéſne tuo, dic ſodes, nomine? nempe. ad hunc modum reſpondet hic Horatius interrogationi tacitæ: & more Comico ſumit exordium ex

abrupta

abrupta confeſſione: atque hoc argumento neceſſe eſt eos verſus aſſcititios eſſe, qui in aliquibus manuſcriptis codicibus huic Eclogæ præpoſiti leguntur, vt omittã in eis nihil quàm ſimium quẽdam apparere Horatianum, nam & dictio parùm conuenit, & argumentum Satyræ non in Lucilium, ſed eius fautores dirigitur. Ad hæc quis non aduertat combinationem eorum verſuũ cum verſibus Horatianis planè eſſe adulterinam? quos lubet hic adſcribere ex vnico tantum Martinio cod. Lucili, quàm ſis mendoſus, teſte Catone defenſore tuo, peruincã: qui malè factos emendare parat verſus: hoc leniùs, ille quo melior vir hic eſt, longè ac ſubtilior illo, qui multum puer & loris, & funibus vdis exhortatus vt eſſet, opem qui ferre poëtis antiquis poſſet cõtra faſtidia noſtra Grammaticorum equitum doctiſſimus: vt redeã illuc: nempe incompoſito dixi pede currere verſus Lucili, &c. *quòd ſale multo.* ſale multo defricare, eſt acriùs mordaciúſq. aliquem notare: ſumta metaphora ab vſu ſalis, teſte Plin. lib. 31. cap. 7. In omnibus enim cibus eſt condimenti vice, & auiditatem inuitat: ergo hercle, inquit, vita humanior ſine ſale nequit degere, adeóque neceſſarium elementum eſt, vt tranſierit intellectus ad voluptates animi quoq; nam ita ſales appellãtur, omníſque vitæ lepos, & ſumma hilaritas, laborúmque requies non alio magis vocabulo conſtat. In hanc ſententiam ſuprà Ecloga 7. dixit perfundere aceto. *charta laudatur eadem.* laudatur, εἰρωνικῶς accipiendum eſt, quemadmodũ paullò pòſt ait, *nil comis tragici mutat*, &c. nihil enim quàm fautores Lucilij naſo ſuſpendit adunco, & in hac, & in 4. Ecloga ſuprà. *dederim quoq; cet.* dare ſeu fateri debeo in Lucilio eſſe quæcumque in bono poëta deſiderantur. *nam ſic & Laberi m.* argumentum à pari. Hic Decius Laberius eques Romanus fuit, in fine ſuorum ludorum, in quibus certauerat cum Publio μιμολόγῳ, donatus à Cæſare Iulio annulo aureo & quingentis ſeſtertiis, Publio palmam ferẽte, vt referunt Suetonius & Macrobius. Is etiam Ciceroni aliquando dicenti, reciperem te, niſi anguſtè ſederemus, reſpondiſſe fertur, atqui ſolebas duabus ſellis ſedere: notans eius leuitatem in ciuili tumultu & inconſtantiam. *mimos.* μῖμοι ſunt ſcenici verſus: ſed nõ numquàm & ipſi mimographi, & hiſtriones qui pronunciant, cenſentur hoc nomine, ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι. *diducere rictum riſu.* eſt reſtrictis labris nudatíſque dentibus vt rideant præſentes efficere, vt ait Appuleius, reſtrictis fortè ſi labellis riſeris. Ducta metaphora eſt à canibus, qui irati ringunt, & rictum diſtendunt. huic contrarium eſt contrahere rictum, de mæſtis & meditabundis. *& eſt quædam tamen.* tmeſis & tamen, pro, attamen, per Enallagen coniunctionis. *virtus.* vis & facultas pulchri poëmatis. *eſt breuitate opus.* ex ἀντιθέτου ſubindicat Lucilium fuiſſe garrulum & hiulcum, vt cuius ſententia & inæqualis, & nimietate verborum delaſſaret auditores: hæ namque breuitatis partes ſunt, vt æqualiter ſententia decurrat ad exitum & tantum ſit verborum, vt ait Cicero 2. de oratore, quãtum neceſſe eſt. *& ſermone opus eſt.* varietas dictionis quæ eſt in affectibus mouendis pro ratione temporis, loci & perſonę, ſatis arguit Lucilium nimiſquam pro officio fuiſſe propenſum in maledicentiam, vt qui neque rhetoris in appoſitè dicendo, affectibúſque concitandis, neque vrbani parteis exſequatur in ſimulando, nulla vel argumenti vel ſtyli cura. *interdum vrbani.* vrbanus pro vafro & callido, qui parcit viribus ingenij, & eas extenuat: hoc eſt, qui dulcis eſt & facetus, feſtiuiq. ſermonis, atque in omni oratione ſimulator: qualem Socratem accepimus, quem εἴρωνα Græci nominauerunt, vt ait Cic. *ridiculum.* hoc eſt, ſales non dentati, vt ait Seneca: Nam ſalſum, inquit Quintilianus de riſu lib. 6. in conſuetudine pro ridiculo tantũ accipimus, natura non vtique: hoc eſt, quamquàm & ridicula oporteat eſſe ſalſa. hæc Quintil. cuius alia ſcripta huc pertinentia prolixitatis cauſa omiſimus. ridiculum itaque hîc iocus eſt lepidus, qui ſerio eſt contrarius. *magnas plerumque ſ. r.* Riſus enim rerum maximarum momenta vertit, inquit Quintil. dum odium iramq; frequentiſſimè frangat: documento ſunt iuuenes Tarentini, qui multa de Pyrrho rege ſecurius inter cœnam locuti, cùm rationem facti repoſcerentur, & neque negari res, neque defendi poſſet, riſu ſunt & opportuno ioco elapſi: namq. vnus ex iis, imo, inquit, niſi lagena defeciſſet, occidiſſemus te: eáque vrbanitate tota eſt inuidia criminis diſſoluta. *nil præter Caluũ.* hoc eſt, qui nihil quàm in ſcenis decantabant carmina C. Licinij Calui, & C. Valerij Catulli: quorum vitas legito apud L. Gregoriũ Gyraldum lib. 10. Hiſtor. poët. *at magnum f.* rem magnam & admiratione dignam. ἀντιφορά fautoris Lucilij per ὀξύμωρον. Græca autẽ miſcere Latino ſermoni, numerat alibi Cic. inter vitia orationis, vt qui non niſi in argumentis minus ſeriis id facere voluerit. Quod oſtẽdit Tuſculana prima. imo quàm ferat ægrè Latinos viros Græcè diſſerere, cùm aliis multis in locis, tùm præcipuè id in confeſſo eſt ab initio lib. 1. de finib. bon. & malorum. *ô ſeri ſtudiorum.* exclamatio in reprehenſionem tam inſulſi iudicij. Seros ſtudiorum Græci vna compoſita voce exprimunt ὀψιμαθεῖς: ὀψιμαθεῖν enim eſt ſerò diſcere, hoc eſt, ὀψὲ τῆς ἡλικίας, ætate iam vergente: cui cõtrarium

eſt παιδομαθεῖν, à puero diſcere, & primis annis. *qui ne putetis.* Hac adiectione ſyllabica videtur gaudere Horat. nã prætereà ſemel atq; iterum ea vſus eſt. videtur autẽ mihi eſſe Atticiſmus quidã, pro εἴγε, qui vtique, qui certè, &c. nam ea particula γε familiaris eſt Demoſtheni in ea ſignificatione, & optimis quibuſque ſcriptoribus. Hanc lectionem, *qui ne putetis*, habent omnes ſcripti codices. *Rhodio quod Pitholeontic.* Ex Pſeudacrone hoc loco præter viginti Demetrios à Diogene Laërtio in vita Demetrij Phaleræi enumeratos, Gyraldus lib. 3. Hiſtor. Poët. adfingit vigeſimum primũ Latinũ, cùm alij omnes Græci fuerint, 14. philoſophi, & ſex poëtæ: Hunc autem ſimiũ ſcribit ab Horatio cognominatũ, quòd aliena carmina vel cantitaret, vel æmularetur. inſuper perhibetur, inquit, à Grãmaticis fuiſſe ἐρωτοποιὸν, hoc eſt, qui amatorios verſus faceret. An autem ſint alij præter Pſeudacronem, quos perluſtrarit Gyraldus, qui Demetrij cuiuſdã Latini meminerint, me profectò latet: Ego hunc non ἐρωτοποιὸν, ſed ἑρμηνευτοποιὸν video à Pſeudacrone vocitatum: vel potiùs, vt habent adnotationes Blandiniæ venerandæ antiquitatis, ἑρμηνευτοποιητὴν. Quo argumento non omnino certè futili (vt mihi quidem videtur) facilè adducor, vt credam hunc non Latinum aliquem, ſed eum eſſe Demetrium, quem Laërtius memoriæ prodidit Comœdiam ſcripſiſſe, cúmque Rhodium natione, quem, quòd odioſius vellicaret abſentem, Horatius primũ ſimium, quòd ad imitationem Lucilij Græca Latinis immiſceret, nominat, non etiam ab imperitia, cùm ſit relatus à Laërtio in doctorum catalogum. Deinde Pitholeontem vocabulo mordaciùs efficto, ἀπὸ τοῦ πίθηκος καὶ λέων, hoc eſt, quòd in imitando ſcribendóque minus obſeruator [illegible]torum, ſed crudelius inſultaret in alio[illegible] πιθηλέων. ſimileo, vt apud Aelianũ πι[illegible]ξ, ſimiuulpa. Niſi quis malit Pitholeonta interpretari ſimium hiſtrionicum. nam λέων, οντος, etiam erat genus ſaltationis horridulum apud Pollucem & Athenæum. Poſtremò modeſtiùs eum compellat nomine proprio Demetrium, inquiens, aut crucier quòd vellicet abſentẽ Demetrius: Cui, quòd Græcus inter Latinos Romæ verſaretur, contigit, vt Græcis ſuis ſcriptis quibuſdam Latinas voces inſereret; quemadmodũ Lucilius Latinas ſatyras nonnumquàm iuberet Græciſſare. Quẽ fortaſſe tutatur iccirco aduerſus Horatium, vt ſibi quoque patrocinium quærat. *at ſermo lingua con.* Altera anthypophora à compoſitione penitus inſipida, quaſi vtraq; lingua non ſit ex æquo per ſe concinna, lepida, faceta, iucunda, & elegans, ſed ad maiorem gratiam, altera alterius indigeat. *cùm verſus fac.* Anaſtrophe aduerbij interrogãdi, an, quod in ordine præponi debet hoc modo, an, cùm verſus facias, & cùm dura cauſa Petillij, &c. tu oblitus ſis patriæ patriſque. & magis intermiſcere Græca Latinis, quàm purè & clarè Latinéque eloqui? &c. Hæc autem confutatio eſt ab vſu forenſi, auctoritate clariſſimorum oratorum, & decoro ſermonis patrij. Tonſ. codex hic habet, te ipſum percontor, & an cum. ſed omnes ad vnum codices ſcripti habent, patriæq. patriſque Latini. verùm adnotationes Bland. codicis vetuſtiſſimi ſunt hæc: cùm exſudet, id eſt, cum ſudore, & omni inſtantia Latinè recitet, Latinè proferat. Quæ veram & antiquam lectionem corruptam eſſe demonſtrant quaſi ad oculum, quemadmodum notauit quoque Lambinus ex ſcriptis legendum eſſe, Latinè. *Canuſini more bilinguis.* habet Pſeudoporphyrio hoc loco hũc verſum ex antiquo aliquo poëta in Canuſinũ (vt apparet) aliquem detortum, putà, ideo ergo Brunius brichace bilingui: qui verſus ita vacillat, vt neque mens, neque pes ſuum officium faciat. atqui poterit hoc fortaſſe modo ſanari: Brutius ergo ideo στόματι βρύχασι bilingui: ita vt hæc eius ſententia ſit, Brutius, id eſt, Canuſinus, nam Brutij populi ſupra Lucaniam incoluerunt, teſte Strabone lib. 6. Apulis proximi, vt videre eſt in tabulis Ptolemæi. ergo ideo, id eſt, tum, vt habet Feſtus in dictione, igitur. στόματι βρύχασι, pro ἐβρύχασι, per aphæreſin augmenti, hoc eſt, ore infremuit bilingui, hoc eſt, Græco & Latino, ſeu Oſco, vt habet Feſtus in dictione bilingues. Si quis autem plura huiuſcemodi carmina Græcolatina deſideret, legat Noniũ in dictione Cõpernes. *atqui ego.* argumentum poëticum elegans & facetum, quo quaſi oraculo monitus ſuadet Romanis viris, vt, ſuo exemplo, ne aut Græcos verſus inſani faciant, aut Græca Latinis intertexant. *mare citra.* Anaſtrophe, pro, citra mare, nimirũ Tyrrhenum, in Apulia, non in Sicilia, non Achaia, &c. *cũ ſomnia vera.* ſunt. de ſomniis moderatis, veris, ferinis, Plato in principio lib. 9. de republica. Ouid. in Epiſt. Heroid. Tibull. lib. 3. Hippocrates, &c. *in ſiluam non lig. f.* hæc verba ſunt Quirini ſeu Romuli ad Horatium. *turgidus Alpinus.* Hic non minùs ab impuriſſimo Pſeudacrone vaniſſimóq; quàm in Demetrio Latino fucus factus eſt viro doctiſſimo L. Gregorio Gyraldo, qui lib. 4. Hiſtor. Poët. inter poëtas recenſet Cornelium Alpinum: & neſcio cur eum potiùs ex Pſeudacrone non appellarit Viuallium Gallum, niſi ob eã forſitan cauſam, quòd Pſeudoporphyrio ſua quadam Latinitate dexteriùs viris doctis nouit imponere: Nam Pſeudacron tã eſt in multiplici commento multus, confuſus, ineptus & planè barbarus, vt ei

ſæpè, vel iurato nemo facilè credat. Pſeudoporphy. hoc modo paucis & apertè ſcribit: Cornelius Alpinus Memnona hexametris verſibus nimirū deſcripſit. At Pſeudacron ſuo more varius & anceps quidā Polypus ſic habet: Alpinus hic Memnonis bella deſcripſit, &c. vel: Viualium (in ſcriptis adnotationibus legitur Viualum) quendam poëtam Gallum tangit, &c. Verùm vt Gyraldo cum multis viris eruditiſſimis veniam demus, & ad inſtitutum reuertamur, noſtram hic opellam benignus lector boni conſulet. In Commentatore pro Viualio, probabili coniectura (vt arbitror) legimus, riualem quendam, &c. Deinde pro Cornelio Alpino (qui quòd riualis eſſet apud Auguſtum, ſatis inuidioſè ſic agnominatus eſt ab Horatio) reſtituimus ex Seruio & Euſebij Chronicis, C. Cornelium Gallum Foroiulienſem, poëtam præclarum, & Virgilio amiciſſimum: Qui anno ab vrbe condita 721. primus Aegyptum nomine Cæſaris prouinciam tenuit interfecto Antonio, natus Foroiulij (qua gratia Alpinus eſt Horatio) anno ab vrbe cond. 681. annis 4. Virgilio, nouem verò ſenior Horatio, aut circiter: In primis Auguſto carus, ſed cùm veniret in ſuſpicionem coniurationis in Cæſarem, aut occiſus eſt, teſte Seruio, aut propria manu ſe interfecit anno ætatis ſuæ 43. vt refert Euſebius. *iugulat dum M.* in hoc verbo iugulat, & epitheto turgidus, apertè ſimultas eluceſcit inter Horatium & Gallum, nam eum fuiſſe melioris notæ poëtam in confeſſo eſt ex Sileno Virgilij, Qui canit errantem Permeſſi ad flumina Gallum Aonas in mōteis vt duxerit vna ſororum, vtque viro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis, &c. Quinimo Gallo inſcripta decima Ecloga non obſcurè conteſtatur quanto honore Gallum ſit dignatus Virgilius, vbi & amorū ſuorum cū Cytheride libros & Euphorionem Latinè à ſe redditum donauit immortalitate ſub eius perſona inquiens, Ibo & Chalcidico quæ ſunt mihi condita verſu carmina paſtoris Siculi modulabor auena, &c. Porrò de amoribus ſuis cum Cytheride, quæ eo deſerto Antonium ad Alpeis vſque ſecuta eſt, ita conqueritur: Tu procul à patria (nec ſit mihi credere tantum) Alpinas, ah dura, niueis, & frigora Rheni me ſine ſola vides, ah te ne frigora lædant, ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas, &c. *iugulat dū Memnona.* Iugulatum ab Achille commemorat. quod ideo tam mordaciter eloquitur, quia duriuſculè fortaſſis in Latinū ſermonem tranſtulerat ſcripta Euphorionis de pugna Memnonis & Achillis, depromto ex Homeri monumentis argumento. Ne quis autem me in hac interpretatione nugas agere dictitet, pro me huius *οἰκονομία* loci abundè ſatis faciet, fruſtra namq; & inſcitè meminerit hic Horatius Alpini, ſi is nullā Græcis ſcriptis operam dederit quæ pro argumēto præſenti non ſint obnoxia calumniæ: præterea quòd hic Alpinus ſit Gallus poëta, id infitias ire nemo facilè poterit, qui ſubſequentē verſum, putà, dúmq; defingit Rheni luteū caput, &c. cū ſuprà dictis Virgilij cōferat, nimirū Alpinas, ah dura, niueis & frigora Rheni me ſine ſola vides, &c. Nā veriſimile eſt omnino in ſuis quatuor Amorum libris, vt habet in Gallo Virgiliano Seruius, eū & Alpeis deſcripſiſſe, & Rheni caput luteū definxiſſe, nō quòd luteū fontem habeat, ſed quòd luteum faciat ipſe deſcribēdo malè. ſic & luteū de vili toreumate dixit Cic. in Verr. *hæc ego ludo.* huiuſmodi poëmatia meditor & illudo chartis, quæ vulgata nolim decantari, vel in theatris exhibita imperitæ multitudinis applauſum captare, vel Metij Tarpæ alteriúſve critici ſubire cēſuram. his verbis ex obliquo Gallum præcipuè rapit in inuidiam; perinde ac ſi is vel publicè exhiberi curaſſet à ſe verſum Euphorionem, vel in æde Apollinis recitari. *in æde.* Apollinis & Muſarum, quò poëtæ Latini ſua carmina ferebant recitabántque, quemadmodum Græci in Athenæo Mineruę templo. *arguta meretrice p.* digreſſio ab inſtituta reprehenſione Lucilianorum ad amicos ſuos & fautores, quibus ab indole, ſtudio & diuitis naturæ facultatibus obiter collaudatis, venit ad ſuos ludos poëticos, quibus ſe, duce natura, non mediocriter delectari fatetur. *comis garrire.* comis, id eſt, ſuauis, habent tres codices Bland. cum Mart. ſed Tonſ. habet comeis, id eſt, comicos. Diuæ. habet comeis, ornatos vel curialeis. Interim mihi, comis magis probatur, hoc modo, tu vnus viuorū comis, id eſt, facetus, elegās & vrbanus, ô Fundani, potes garrire libellos, &c. id eſt, comœdiā argutam ſcribere. ſic in vita Terentij, quicquid come loquens, &c. Garrire autem eſt argutè & dicaciter effundere & eloqui, vt dicimus ludere poëma, *γαρύειν ἄθλα*. *Pollio regum.* quemadmodū Fūdanio tribuit poſſe garrire, propter perſonas Comicas, in quibus ineſt actionis magna lenitas, ita dicit Pollionem canere facta regum pede ter percuſſo: alludens per Senarij trimetri trinam dimenſionē ad perſonarum Tragicarum grauitatem, quæ magno ſæpe faſtu in ſcenis inter agendum pedibus tabulata pulſant. *forte epos acer.* In tribus codicibus Blandiniis & Buſl. hi verſus ad hunc modum leguntur, forte epos acer, vt nemo, Varius. ductu molle atque facetum Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ. quæ lectio cùm mihi magnopere probaretur, nolui cōmittere in vtilitatē publicā tantū facinus, vt ea poſteritati nō traderetur. Si quis

autem ex me ſciſcitetur, quo id argumento tantopere aſſeuerem, dicam planè quod ſentio: nimirum meo animo videri penitus abſurdum, vt acer Varius ducat forte epos, nam ducere mollioris eſt carminis & facilioris, quàm vt verſibus epicis maieſtate & auctoritate referris, conuenire poſſit. at id vt canatur, rectè requirere alacritatem, ingentémque ſpiritum, atque vim quandam animi præſentem propter grauitatem & pondus epici carminis: Mollia verò faceta & mediocria duci poſſe, & facili moderamine decantari, ſine magno verborum rerúmque ſtrepitu, vt quæ ferè vltrò ſequuntur, qualia ſunt, τὰ ἐπὶ τῶν βουκολικῶν καὶ γεωργικῶν Virgilij, ad quæ non incertum eſt alluſiſſe Horatium. *forte epos.* carmen robuſtum Perſio, epos enim, vt ſcribit Diomedes, carmen eſt hexametron, diuinarum rerum, & heroicarum humanarúmque comprehenſio. ἐπὶ μὲν τοίνυν ἐπῶν ποιήσει Ὅμηρον μάλιστα τεθαύμακα, ἐπὶ δὲ διθυράμβῳ Μελανιππίδην, ἐπὶ δὲ τραγῳδίᾳ Σοφοκλέα, hoc eſt, in epico quidem carmine Homerum maximè ſum admiratus, in dithyrãbo Menalippidẽ, ſed in tragœdia Sophoclem: hinc dicti ſunt Epici poëtæ, Heroici, κατ' ἐξοχήν. *ductu molle atque f. V.* facetum, inquit Quintilianus, lib. 6. cap. 4. non tãtum circa ridicula opinor conſiſtere, neque enim diceret Horatius facetũ carminis genus natura conceſſum eſſe Virgilio, decoris hanc magis & excultæ cuiuſdam elegantię appellationem puto: Ideóque in epiſtolis Cicero hæc Bruti verba refert, ne illi ſunt pedes faceti, ac deliciis ingredientes mollius: quod conuenit cum illo Horatiano, Molle atque facetum Virgilio. hæc Quintil. *hoc erat, experto.* regreſſio ad id quod propoſuerat, vtpote ad diluendam inuidiam aduerſariorum: ſimul & ex ἀκολούθου declarat ſe gaudere molli & faceto carmine: quod Varroni Atacino & quibuſdam aliis (quorum nomina conſultò ſubticet) natura negatum dicit. Varro Atacinus cognominatus eſt à vico vel fluuio Galliæ Narbonenſis. Euſebius in Chronicis, P. Terentius Varro in vico Atace, inquit, in Prouincia Narbonenſi naſcitur Olympiade 175. qui poſtea trigeſimum quintũ annum agens Græcas litteras ſummo ſtudio didicit. Vide Quintil. lib. 10. *inuentore minor.* Hæc ironicôs intelligenda nemo infitiabitur, ſi cognouerit hic antitheſin eſſe tacitam, ſe, putà, molli carmine delectari, Lucilium verò duriùs ſcribere quod ſub reprehenſionem cadit: quo ergo pacto verè quis aſſerat Horatium eſſe Lucilio inferiorem? Si verò quis τὸ minor exiſtimet ad ætatem, non etiam ad carmen eſſe referendum, vt ita res ſeſe habeat (natus eſt enim Lucilius Olympiade 158. Horatius autẽ Olympiade 179.) tamen nõ crediderim de annis eſſe contentionem, ſed ſcribendi carminis ratione; quo nomine & quæ ſequuntur riſui ſubſeruiunt: an non eſt id Lucilio coronam detrahere, eum incompoſitũ, garrulum & lutulentum notare? *cum laude coronam.* videtur alludere ad illud Lucretij lib. 4. iuuatque nouos decerpere flores. inſignémq. meo capiti petere inde coronam. *at dixi fluere l.* Satyra 4. cùm flueret lutul. lutulentus autem propriè eſt luto & cœno plenus, πηλώδης πιναγώδης. at hic pro vitioſo ponitur metaphoricôs. fluere lutulentum Lucilium, allegoricôs eſt eum ſcatere vitiis & inepta garrulitate. *ſæpe ferẽtem plura q. t. r.* notabilis ἀμφιβολία in his duobus verbalibus, tollenda, relinquendis; quę vel in bonam partem vel malam accipi poſſunt: nam ſi ſpectes eum fluere lutulentum, id eſt, vitiis redundantem, ſenſus erit, plura in eo tollenda eſſe, hoc eſt, excipienda, reſcindenda, damnandáque relinquendis, hoc eſt, quàm quæ relinquantur & probentur; in qua ſententia videtur eſſe Quintilianus: ſin autem examines quæ continuò ſubſequuntur, videberis aduerſari debere priori ſentẽtię, ita vt tollenda probentur, & damnentur relinquenda, hoc eſt, plura ſint imitatione digna: in qua opinione ſunt alij propter dictionum verbalium proprietatem & vſum: ſed ea ratio infirmior eſt. malim ſic à minore colligere: ſi quid in magno reprehendas Homero, cur mihi non licebit in aliquibus docere incompoſitum fuiſſe Luciliũ? *doctus.* ἐπιστήμων. *comis.* vrbanus, facetus. ſed quæ vrbanitas quæſo in garrulitate, & nimis mordaci dicacitate, cuius vbique inſimulat Lucilium? *num rerum dura.* plerumque enim ornari res ipſa negat, contenta doceri; iuxta Maniliũ. *at ſi quis pedibus quid claudere.* hanc lectionem habent omnes ſcripti codices quos ſecutus ſum, vt hæc ſit ſententia, perinde ac ſi ſatis hoc ſit ad commendationem nominis, ſi quis amet ſcripſiſſe ducentos ante cibum verſ. &c. hoc vno ſit contentus, vt aliquid verſibus Heroicis poſſit deſcribere, ita vt interrogationis continuitas vſque ad τὸ fuerit, perduret. Lambinus legendum cenſet hoc modo, *at ſit quis pedibus quid c. ſ.* ſed neſcio an id aſſerat ex ſcriptis codicibus. Duo codices Biand. Diuæ. Buſl. habẽt, *ac ſi quis pedibus qui c. ſ.* &c. Claudere verbum pertinet ad rationem & numerum carminis hexametri, quod ſenis pedibus clauditur, finitur & conſtat. *ſcripſiſſe.* Enallage temporis pluſquàm perf. pro præſenti ſcribere. *ducentos* multos; finitum pro infinito. *Etruſci quale fuit C.* hæc tacita quædam nota eſt Caſſij Seueri Parmenſis, ab ingenio nimis quàm ſatis luxuriante, ſed ea non multùm abeſt à laude, erat enim Caſſius poëta nõ ignobilis; quod ſubindicat hoc ad Tibullum lib. 1. Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat. *capſis quem fama eſt.* de genere mortis ipſius Caſſij diſſentie

ſij diſſentit ab Horatio Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. de ſomniis. Præterea Oroſius lib. 6. cap. 19. Et Caſſius Parmenſis, inquit, vltima violatæ partis Cæſaris victima, &c. fuerat enim ſecutus parteis Caſſij & Bruti contra Antonium & Cęſarem, vt videre eſt apud Appianum Alexand. bellorum Ciuil. lib. 5. *ambustum propriis.* occaſionem ſumſiſſe videtur quòd tot ſcripſerit libros, vt facilè nulla alia materia adhibita ex iis rogus conſtrui potuerit, inquit Woulardus. *fuerit Lucilius in.* Conceſſio ad euincendá vel inuitis aduerſariis aſperam Lucilij garrulitatem. *fuerit limatior idem quàm rudis.* ordo verborum talis eſt, fuerit idem Lucilius auctor carminis Satyrici intacti Græcis, limatior quàm rudis, &c. ita vt τὸ quàm, medium locum teneat inter comparatiuum & poſitiuum eiuſdem caſus, non ſatis vſitata (fateor) ſtructura; vſitatiùs namque dixiſſet limatior quàm rudior: verùm vt auctores extra inuidiam collocati, conſultò ſæpe negligunt ſuperſtitioſos grammaticos, ita nihil opus eſt ornatioris dictionis gratia, obſcuriùs & perturbatiùs interpretari ſententiam, quàm clarius & commodius. Quin ad hanc quoq. loquendi formam Columella lib. vlt. ſic ſcribit: idcirco reddit timidiorem quàm virilem pluribus. *Græcis intacti carminis.* carminis, puta, Satyrici, quod genus poëmatis Græci non tractarunt, nam Satyra, inquit Quintilia. lib. 10. tota noſtra eſt. *poëtarum ſeni. turba.* contemtim ſeniores Latinos poëtas turbam nominat, propter carminis ruditatem. *delatus in auum.* vnus codex Bland. habet, dilatus; tres reliqui cum Mart. delapſus: Buſl. Nan. Diuæ. & Tonſ. delatus. *ſæpe caput ſcab.* caput ſcabere, vngueis arrodere, geſtus hominis ſunt cogitabundi, & de mutando, cuius pœniteat, agitantis intra ſe. Quintil. lib. 11. In hac cunctatione, inquit, ſunt quædam non indecentes (vt appellant Scenici) moræ, caput mulcere, manum intueri, infringere articulos, &c. *ſæpe ſtylum ver.* præceptum de cura iudicióque in ſcriptis priùs adhibendo quàm euulgentur. ſtylum autem vertere, eſt mutare quod ſcripſeris: ſumta metaphora à ſtylo graphiario maiorum, qui in tabulis ceratis, quod acutiore ſtyli parte inaraſſent, inuerſa ſtyli latiore, æquor cereum, litteris oblitteratis iterū complanabāt. Hinc eſt illud Cic. Verr. 3. timuit aliquādo & cōmotus eſt, vertit ſtylū in tabulis ſuis, quo facto cauſam omnē euertit ſuam. *vilibus in ludis.* Cōmentator hæc verba refert ad ludos litterarios: quod ſanè vt nō penitus improbē, ita malim pertinere ad ludos Scenicos, quos vileis appellat à vili & cōtemta plebecula. *non ego.* ſupp. volo ſeruire Scenæ, ſeu mea carmina in Scenam produci. vult itaq. Horatius vnūquemq. ſuū noſſe ingeniū, aciémq; ſe & bonorū & vitiorū ſuorū iudicē præbere, ne Scenicis plus tribuant prudentiæ iudicijq. quàm ſibimetipſis. *equitem.* vel Męcenatē, vel optimū & doctiſſimū quemq. *exploſa Arb.* præter corruptores Horatij opinor eſſe neminē, qui Arbuſculā ſcribat mimā fuiſſe aliam à meretrice, cuius & Seruius meminit in Gallo, & alij. cur autē id cenſeā, mihi auctor eſt ipſe Horatius ſuprà Ec'oga 2. in Orig. meretrice. quā mimā quoq. nominat, inquiens, Vt quōdā Marſæus amator Originis ille qui patriū mimæ donat fundúmq. larémq. *Pantilius.* è Græco effictū vocabulū, ſignificat omninò vilē aliquē poëtam, παντελῶς, omnino mutilus, & vilis. eundē quoq. cimicē cognominat, ab oris fortaſſe fœtida maledicentia, aut pędore corporis, inſtar cimicis putidiſſimi. *Fannius.* Non eſt hic C. Fannius à quo lex Fannia lata eſt, qui fuit ante tertiū bellū Punicū, gener Lælij; verū eum fuiſſe autumo, quē Appianus lib. 5 bell'orū Ciuil. ſcripto tradidit Sexto Pōpeio fuiſſe cariſſimū, quémq. Velleius Paterculus ſcribit bellis omnibus ſopitis, odiſſe ſtatū Reipub. feliciſſimū, inquiē, erāt tamē qui hūc feliciſſimū ſtatū odiſſent: Quippe L. Murena & Fannius Cepio, diuerſis moribus: nā Murena ſine hoc facinore potuit videri bonus, Cepio & hoc antè erat peſſimus; cùm iniſſent occidendi Cæſaris cōſilia, oppreſſi auctoritate publica, quod vi facere voluerāt, iure paſſi ſunt. Et iā mortuo ſepeliendóq. fortaſſis honoris ergô, & familiæ eius cōſolandæ, à Senatu delatæ capſæ ſunt & imagines, tamquā bono poëtæ, vt habet Horatius Ecloga 4. ſuprà. *Plotius.* Tucca vnà cū Varo Aeneidos emēdator. *Mæcenas.* C. Mæcenas Cilnius, vt adnotauit Onufrius Panuinus. *Valgius.* Titus Valgius, à Tibullo laudatus. Seruius refert hæc Valgij carmina, Sed nos ante caſam tepidi mulgaria lactis, & ſinū vini ceſſamus fundere Baccho. *Octauius opt.* P. Victor. variarū lect. lib. 14. cap. 7. hūc vult eū eſſe qui in Epigrāmate quodā celebratur Romanæ ſcriptor hiſtorię: Ego certè propter epithetō optimus, potius iudicarim hic ſignari Octauiū Auguſtū, qui manſuetudine & morū facilitate mirabiliter ab omnibus cōmendatur. & poëta fuit nō incelebris. *ſimul his.* helleniſmus ἅμα τούτοις: ſic ἅμα ἐμοί, mecū. *cōplureis alios.* per enumerationem colligit amicos ſuos viros bonos & doctos, quibus ſi placere ſe intelligat, pro nihilo habet reliquā turbā imperitorū hominū, qualeis fingit Demetriū, & Tigellium, quibus mandat & precatur οἰμώζειν, hoc eſt, plorare, lugere inter cathedras, in conuerſatione, cōſeſſu & familiaritate mimarū & hiſtrionū, quos edoceant geſticulari, & recitare ſua carmina in vilibus ludis. *I puer.* abrupta apoſtrophe cum indignatione. *citus.* ἀντωνυμία nominis pro aduerbio. Virg. nec gregibus nocturnus obambulat, id eſt, noctu.

Q. HORATII FLACCI SATYRARVM LIBER II.

ECLOGA PRIMA.

TREBATIVS.

SVNT quibus in Satyra videar nimis acer, & vltra
Legem tendere opus: ſine neruis altera, quicquid
Compoſui, pars eſſe putat: ſimileiſque meorum
Mille die verſus deduci poſſe. Trebati,
Quid faciam, præſcribe. Quieſcas. Ne faciam, inquis,
Omnino verſus? Aio. Peream malè, ſi non
Optimũ erat. verùm nequeo dormire. Ter vncti
Tranſnãto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto:
Irriguúmque mero ſub noctem corpus habento.
Aut, ſi tantus amor ſcribendi te rapit, aude
Cæſaris inuicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt. neque enim quiuis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereunteis cuſpide Gallos,
Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi.
Attamen & iuſtum poteras, & ſcribere fortem,
Scipiadam vt ſapiens Lucilius. Haud mihi deero,
Cùm res ipſa feret. niſi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem:
Cui male ſi palpere, recalcitrat vndique tutus.
Quantò rectius hoc, quàm triſti lædere verſu
Pantolabũ ſcurram, Nomentanúmq; nepotem:
Cùm ſibi quiſque timet, quamquam eſt intactus, & odit?
Quid faciam? ſaltat Milonius, vt ſemel icto
Acceſſit feruor capiti, numerúſque lucernis.
Caſtor gaudet equis: ouo prognatus eodem,
Pugnis. QVOT capitũ viuũt, totidẽ ſtudiorum
Millia. me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, noſtrûm melioris vtroque.
Ille velut fidis arcana ſodalibus, olim
Credebat libris: neque, ſi malè geſſerat vſquam
Decurrens aliò, neque ſi benè. quo fit, vt omnis
Votiua pateat veluti deſcripta tabella,
Vita ſenis. ſequor hunc, Lucanus, an Apulus, anceps:
Nam Venuſinus arat finem ſub vtrumq; colonus,
Miſſus ad hoc, pulſis (vetus eſt vt fama) Sabellis:
Quo ne per vacuum Romano incurreret hoſtis:
Siue quòd Apula gens, ſeu quòd Lucania bellum
Incuteret violenta. ſed hic ſtylus haud petet vltrò
Quemquam animantem: & me, veluti cuſtodiet enſis
Vagina tectus: quem cur deſtringere coner
Tutus ab infeſtis latronibus? ô pater, & rex
Iuppiter, vt pereat poſitum rubigine telum:
Nec quiſquam noceat cupido mihi pacis. at ille,
Qui me commorit, (melius non tangere, clamo)
Flebit: & inſignis tota cantabitur vrbe.
Seruius iratus leges minitatur, & vrnam:
Canidia Albuci, quibus eſt inimica, venenum:
Grande malum Turius, ſiquis ſe iudice certet.
Vt, quo quiſque valet, ſuſpectos terreat: vtq;
Imperet hoc natura potens, ſic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit. vnde, niſi intus
Monſtratum? Scæua viuacem crede nepoti
Matrem: nil faciet ſceleris pia dextera. mirum:
Vt neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos.
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: ſeu me tranquilla ſenectus
Expectat, ſeu mors atris circumuolat alis:
Diues, inops, Romæ, ſeu ſors ita iuſſerit, exul,
Quiſquis erit vitæ, ſcribam, color. ô puer, vt ſis
Vitalis metuo, & maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat. quid cùm eſt Lucilius auſus
Primus in hũc operis cõponere carmina morem,
Detrahere & pellem, nitidus qua quiſq; per ora
Cederet, introrſum turpis? num Lælius, aut, qui
Duxit ab oppreſſa meritum Karthagine nomen,
Inge-

Ingenio offenſi? aut læſo doluere Metello?
Famoſiſque Lupo cooperto verſibus? atqui
Primores populi arripuit, populúmq; tributim,
Scilicet vni æquus virtuti, atque eius amicis.
Quin, vbi ſe à vulgo, & ſcena, in ſecreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli:
Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec
Decoqueretur olus, ſoliti. quicquid ſum ego, quamuis
Infra Lucili cenſum, ingeniúmque, tamen me
Cum magnis vixiſſe inuita fatebitur vſque
Inuidia: & fragili quærens illidere dentem,
Offendet ſolido. niſi quid tu, docte Trebati,
Diſſentis. equidem nihil hic diffindere poſſum.
Sed tamen vt monitus caueas, ne fortè negoti
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum:
Si mala cõdiderit in quem quis carmina, ius eſt,
Iudiciúmque eſto, ſi quis mala: ſed bona ſi quis
Iudice condiderit laudatur Cæſare. ſi quis
Opprobriis dignum latrauerit, integer ipſe?
Soluentur riſu tabulæ: tu miſſus abibis.

COMMENTATOR.

AD Aulum Trebatium ſcribit iuriſperitum, quem conſulit quidnam faciat, quoniam quibuſdam nimis acriter videbatur in mores Romanorum inſurgere, aliis autem nimis erat remiſſus & lenis. Hic autem Trebatius eques Romanus iuriſperitus fuit, qui & aliquot libros de iure ciuili, & de religionibus nouem compoſuit. Quoniam autem hic quid Ecloga ſit quæri ſolet, ſciendum eſt quòd Ecloga hæc nomina ſub ſe cõtinet: ſi ad Iouem, proſodia dicuntur; ſi ad Apollinem, Dianam aut Latonã, Pæanes; ſi ad Liberũ aut Semelen, dithyrambi; ſi ad ceteros deos, hymni: ſi ad homines laudãdos, vituperãdos, reprehendendos, lugendos, odæ ſunt & Eclogæ, ſunt enim breuia poëmatia. *nimis acer.* maledicus, mordax vltra modũ, &, pluſquã oportet. aiũt me lacerare, & inuehi in mores aliorũ. *vltra legem.* Satyræ. lex autem Satyra, ea tantummodo reprehendit quæ digna ſunt reprehenſione. Et mirè legem dicit, quia ad iuriſperitũ ſcribebat. *tendere opus.* ſæuire maledicendo. *ſine neruis.* aiunt eſſe nimis lenem, & parcere indignis: vel dicunt verſus meos nullius eſſe momẽti, & carere viribus ingenij. *deduci.* ſcribi, componi. *praſcribe.* ſtatue tanquã ex lege quid debeam facere: iucundè ad iuriſperitum, cuius erat dubia interpretari & exponere; vnde ſunt in iure ciuili reſponſa prudentum. *quieſcas.* reſpondet Trebatius. *ne facias.* Horatius. *aio.* Trebatius. *peream malè.* Horat. *ter vncti t. T.* hoc eſt, qui facilè dormire nequeunt, per Tiberim tranſnatent, & fatigati multis ſe potionibus impleant, quo ſomnus facilis accedat, hoc enim melius eſt, quàm aliquem ſuo periculo laceſſere: ſeſe etiam ſub noctem exercere in conſuetudine fuiſſe veteribus etiã alio loco ſignificat, dicẽs, te per gramina Martij campi, te per aquas, dure, volubileis. *alto* multo. *irriguum m. c.* plenum, madidum, perfuſum. *ſub noctem.* paullò ante noctem, veſpera ſcilicet aduentante. *habento.* habeant. vide, vt directis iuriſconſultorum verbis vtitur ad Trebatium iuriſconſultum. *aude.* propter difficultatem & grauitatem carminis Heroici, inquit, aude. *cupidum pater.* elegãter his paucis verſibus oſtendit ſe præſtare poſſe quod negauit. *deficiunt.* deſtituunt. *fracta cuſpide.* qua vulneratus erat hoſtis. vt Virg. Et venit aduerſi in tergum Sulmonis, ibíque frangitur. Ex hiſtoria de Mario hoc ſumtũ eſt, nam Marius aduerſus Santonas talia tela commentus eſt, vt fracta mitterentur, ne remitti abs hoſtibus poſſent. *attamen & i. p. c.* ſi non potes geſta Cæſaris ſcribere, at potes iuſtitiam & fortitudinem, vt Lucilius Scipioni fecit, qui vitam eius priuatam deſcripſit, Ennius verò bella. *Scipiadam.* Dicit non Scipionem, quod notandum eſt: hic autem Annibalem, ex Italia reuocatũ, vicit, vnde Africanus dictus eſt. *cùm res ipſa f.* cum fuerit opportunum tempus: ſibi autẽ deeſt, qui non facit quo ſibi opus eſt, & quod oportet. *niſi dextro t.* ordo eſt: verba Flacci non ibunt per attentam aurem Cæſaris, niſi dextro tempore, hoc eſt, nõ audientur à Cæſare, niſi opportuno tẽpore. *cui ſi palpere.* metaphoricôs, cui ſi aduleris & aſſenteris, offenditur. Palpari propriè eſt manib. mulcere. palpère dixit à verbo deponenti palpor palparis; dicitur & actiuè palpo, as; vel palpor, id eſt, blandior, aſſentor. *recalcitrat.* tranſlatio ab equis. ſenſus eſt, ſi quis ficta adulatione aggrediatur Cæſarem, repugnat, contemnit & reſpuit, nec ſe decipi patitur. *vndique tutus.* in omnibus ſuis rebus inacceſſibilis, vt Virg. Tuta lacu nigro. & eſt ſenſus, ſapientia vndiq; munitur, & omnium rerum cognitione. *quãto rectius hoc.* nimirum vt Cæſarem laudes, quàm Satyrico carmine ſcurram deſcribas. *triſti.* mordaci & Satyrico. *cùm ſibi quiſque.* hoc eſt, qui eodem vitio laborant, etiam te tacẽtem metuunt & oderunt. *quamquam eſt intactus.* exemplo nos terreri ſignificat, etiam ſi non lædamur: nã quod in alios fieri videmus, id etiam in nos futurum timemus.

ut ſectator cauſas Horatij, ne ſe dimittat, ab otio mo, & impigritia ſectandi, laboriſq. patientia. *demitto auriculas.* ſumtum a iumentis, & de eo dicitur, qui deiectus eſt animo, & ſua ſpe fruſtratur. Nam autē a omnium natura dedit, vt ait Plin. lib. 11. ca. 37. aureis immobileis; ſed eius facies, triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeueritatis eſt index. In equis autē & omnium iumentorū genere, auriculæ teſtantur affectum animi: namq. auſcultantibus ſunt erectæ, feſſis marcidæ, nutantes pauidis, ſubrectæ furentibus, ægris reſolutæ. *iniquæ mentis* nō æquæ mentis, malè affectæ: iniqua mens dura eſt & recalcitrans, cui contraria eſt mens placida & manſueta. *ſubijt onus.* nullus hic eſt tribrachus, vt doctus quidam aſſeuerauit, ſed dactylus pes legitimus; nam verbū ſubijt, finit in t ſyncopatum, quod etiam num ſequente vocali eſt longū, vt ſcribūt proſodiographi. *incipit ille.* feſtiuè repetit Horatius & exponit ſuperiorem garruli φιλαυτίαν: ſuprà enim dixit, noris nos, inquit, docti ſumus. *ſi bene me noris.* τὸ ſi, cum res facta ſignificatur, inquit Diomedes, finitiuis iungitur. ſic garrulus, ſi bene me noui, hoc eſt, quia bene me noui: non enim dubitat, ſed aſſerit, vt ſuprà, docti ſumus. ſic Virg. Si te fata vocant, id eſt, quia te fata vocant. Idem: Si potuit maneis acerſere coniugis Orpheus. adfirmat enim potuiſſe. Cic. Si illuſtrantur, ſi erumpunt omnia, id eſt, quia illuſtrantur omnia, ſuadet vt mutet Catilina mentem. Sic garrulus inſinuans ſe in amicitiam Horatij, inquit, ſi bene me noui, id eſt, quia ego de mea doctrina & eruditione bene mihi conſcius ſum, nō dubito quin pluris me facies, quàm Viſcum & Varium, vbi nos noueris: ſeſe aliquem credens, vt ait Per. *nam quis me.* oſtentat ſe à peritia ſcribendi carminis & facilitate. *quis membra.* à decoro & molli motu in recitandis ſuis verſibus, cuiuſcemodi nimis effeminatam molitiem inſectatur Perſius Satyra 1. inquiēs: hic aliquis cui circum humeros hyacinthina læna eſt, rancidulum quiddā balba de nare locutus Phyllidas Hypſipylas vatum & plorabile ſi quid, eliquat, & tenero ſupplantat verba palato, &c. Idem paullò pòſt: Quidnam igitur tenerū & laxa ceruice legēdum? de tali motu corporis & geſtu exiſtimo hic venditare ſe garrulum, necnō eo qui à rhetoribus pronunciationi aſcribitur. Si quis autē membra mouere, malit eſſe, ſaltare, non reluctabor. *inuideat quod &c.* ab arte cantandi. *interpellandi locus.* lepida ad diſ. . . . . n ſū tedium, & opportuna interruptio vanæ oſtentationis, quæ tam grata erat & Horatio iucūda, ὡς ἄν ὄνῳ τις λέγῃ μῦθον, ὁ δὲ κινεῖ τὰ ὦτα. hoc eſt, quàm ſi quis aſino narret fabulam, iſque aureis moueat. Itaque vt ab inſtituta ſui prædicatione garrulum diuertat, qua ſe timebat enecare dum, pro natura philautorum, qui de ſe dicendi finem facere neſciunt, Horatius ridiculè ἀπὸ τῶν σκορόδων περιελαύνει πρὸς τὰ κρόμμυα, hoc eſt ab aliis digreditur ad cepas, nimiru ab intacta laude garruli, ad interrogationē ſtulto homine dignā. *quis te ſ eſt.* codex vnus Bland. habet quibus eſt te ſaluo opus. *omneis compoſui.* ſepeliui. ſic Tacitus alibi: Libonem Vrania vxor, ac frater Scribonianus, Tit. Iunium Criſpina filia compoſuere. *felices.* felices beati ſunt, iuxta illud, diciq. beatus ante obitū nemo ſupremáq. funera debet. aut felices, quòd à tua inſulſiſſima garrulitate iam ſunt liberati mortis beneficio. *diuina mota anus vrna.* aut hic eſt Synchyſis, aut hoc hemiſtichium hoc modo legendum eſt, *mota diuina anus vrna.* namq. vrna non niſi impropriè diuina dici poteſt, anus verò propriiſſimè à diuinatione. ſic Ecloga ſexta, aſſiſto diuinis. præterea in ſcriptis cod. Blād. inuenio ſupra τὸ diuina, ſcriptum, ſortilega, quod haud dubiè nō vrnæ, ſed anui cōuenit, cuius eſt & vrnam mouere, & ſorteis educere. ſic ait lib. 2. ode 3. omnium verſatur vrna, ſeriùs, ocyùs ſors exitura. Iterum ode 1. lib. 3 omne capax mouet vrna nomē. Virg. lib. Aeneid. 6. Quæſitor Minos vrnam mouet. *aut tuſſis* hinc promanat Celſi tertia tabis ſpecies longè periculoſiſſima, quæ φθίσις nominatur, oriturq; ex perpetua diſtillatione in pulmonem, vnde naſcitur eius exulceratio curatu difficillima. legito C. Celſum lib. 3. cap. 23. *quando coſumet cumq.* vera tmeſis eſt, vt habet Comment. dictionis quandoq. hoc eſt, aliquando, ſed per epentheſin τοῦ cum, metri cauſa, meo quidē iudicio: ſiquis autem quid nouit rectiùs iſtis, cādidus imperiatur, aut nobiſcū ſentiat. *ad Veſtæ.* ædem, quæ erat ad cliuum Capitolinum, vt ſcribit Varro li. 5. inter Palatium & Capitolium, teſte Feſto, non etiam ad templū Veſtæ, quod extra Romam quadratam ad Tiberim à Numa dicebatur exædificatum. legito Marlianū de ſitu vrbis Romæ, lib. 3. ca. 16. *quarta iam p. d. p.* hoc eſt, hora diei tertia, qua in foro cauſæ agi cœperāt, iuxta illud Epigrammatophori, Prima ſalutanteis atq; altera detinet hora, exercet raucos tertia cauſidicos, in quintam varios exercet Roma labores, ſexta quies laſſis, ſeptima finis erit, &c. *vadato.* ei quem vadimonio obſtrinxerat: eſt autem vadimonium ſponſio ſiſtendi in iudicio: vas dictus eſt qui pro altero vadimonium promittebat. Vide adnotationes Budæi in Pandectas. *ſi me amas, inquit.* codex Diuęi, ſine vlla litura habet, ſi tu me, inquit, amas. Verum an ea lectio ſuppoſititia ſit, nō auſim dicere; certè alia videtur Horatiana ad imitationē Græcorum, quibus frequens eſt vocalem naturâ longā, vel diphthongō ante aliam corripere etiam nō eliſam: cuius rei apud Poëtas Græcos exempla paſſim

paſſim ſunt obuia. *aut valeo ſtare.* ſupp. pro aliquo, id eſt, alicui patrocinari, cauſamq. eius tutari inſtar cauſidici. Comment. & alij interpretantur ſtare, validis pedibus eſſe, ad diu coram prætore ſtandum: quod quidē per me licet, nec ineptū iudico: ſic enim & Lampridius in Alexādro, Poſtmeridianis horis ſubſcriptioni & lectioni epiſtolarū ſemper dedit operam, ita vt ab epiſtolis, à libellis, à memoria ſemper aſſiſterent, nonnumquam etiam ſi ſtare per valetudinem non poſſent, ſederent, &c. *ſequor.* non concerto, συμφέρωμαι αὐτῷ, συγχωρῶ, aſſentior, concedo, ſimul eo, patior me ab eo vinci, non repugno. *Mæcenas quomodo.* hactenus nugatus eſt garrulus, & ineptis ambagibus vſus, honoriſque cauſa viſus agere cū Horatio; nunc qua gratia id fecerit apertè fateri incipit; putà, vt per Horatium fiat Mæcenati familiarior. *Mæcenas quomodo tecum.* agit, viuit? *Paucorum hominum.* eſt ſupp. hoc eſt, paucos admittit, paucis vtitur familiariter nec alijs quàm *mentis bene ſanæ*, hoc eſt, viris bonis, per ἐπεξήγησιν: eum namq. ſanæ mentis appellamus qui ſapiens eſt, nam ſanitatem animorum cenſuerunt Philoſophi poſitā eſſe in tranquillitate & conſtantia; inſaniam autem in perturbationibus qui morbi ſunt animi. Illi itaq; ſunt mentis ſanæ, quorum mens nullo motu, quaſi morbo quodam perturbata fuit, cui regnum totius animi à natura tributū eſt, teſte Cic. in Tuſc. 3. hunc locū in euulgatis aliquando aliter expoſui, ſed monitus à Stephano nimiæ ſubtilitatis, malui clarior haberi quàm ſubtilior. *nemo dexteriùs fortuna eſt.* Hæc verba locutulei nihil ad perſonam Horatij (vt volunt alij) videntur pertinere, verùm continere in ſe cum præcedentibus laudem Mæcenatis valde memorabilem, vt qui nullis inſania, nullis contentionibus ciuilibus ſupra modum, nullis denique bellicis æſtibus vehementer implicitus, ſe laudabiliter vbique geſſerit, cum bona gratia, tùm omnium aliorum principum virorum, tùm Cæſaris Auguſti præcipuè: hoc enim eſt dextrè fortuna vti, rebus ſuis moderatè conſulere, nemini inuidere, omnibus gratificari. Dominus V Voulardus adnotat Poëtæ verba nō malè videri eſſe laudantis modeſtiā Mæcenatis, qui cùm fortunæ beneficio potuiſſet longè maior eſſe, noluit; nam contemto Senatorio ordine, manſit in equeſtri, quod etiā in eo laudat Propert. *haberes m. a.* ſuppl. me. verba garruli ad Horatiū vanitatis ineptæ, & philautiæ pleniſſima. *poſſet qui ferre.* præoccupat Horatium ne quid metuat incommodi: plerumq. enim ita contingere pro cōperto eſt, vt quē cōmendaueris atq. ad honores euexeris, is te cōtemtius poſtea habeat, quàm viliſſimū quemq.; quod quidē ne malè formidet Horatius, ait ſe eo eſſe ingenio & tam moderato, vt altero poſt Horatiū loco in amicitia Mæcenatis contentus eſſe poſſit. *hunc hominē v. ſi tra.* ſic habēt omnes ſcripti cod. ita vt τὸ ſi, poſtponatur verbo, velles; demonſtrat autem garrulus ſeipſum. *tradere.* Mæcenati, eiq. familiarem reddere. *ſummoſſes.* ſummouiſſes, ſummouere poſſes, ἐναλλαγὴ temporis pluſquā perf. pro imperfecto in potentiali modo. quale illud eſt Cic. ad Atticū, fit ſenatuſconſultū, vt Vettius quod cōfeſſus eſſet ſe cum telo fuiſſe, in vincla conijceretur, qui emiſiſſet, cōtra rempubl. eſſe facturū, pro, qui emitteret. Pollicetur autē Horatio mutuū beneficiū, ſi Mæcenati ſe commendet, ſe, putà, auctore futurū, ceteris viliùs habitis vt primo loco ſit apud Mæcenatem. *nō iſto viuimus.* indignatur Horatius temerarijs vaniloqui pollicitationibus, & ab æqualitate, modeſtia, vitáq; & moribus honeſtis omniū, ſtomachoſius confutat eius inſulſam perſuaſionē, de ambitioſa apud Mæcenatem inter familiareis amicitia. *nec magis his al.* ab his malis, quænam ea ſint, continuo per expolitionem ſubiecit. *nil mi officit.* hoc vitiū ſitū eſt in æmulatione, & inuidia diuitiarum doctrinæq. Diuæcodex conſentit lectioni vulgatæ. Bland. 4. cū Tonſ. habent, nihil officit, inquam. *eſt locus vnicuiq. ſuus.* meſis. id vitiū eſt ambitionis contendere de loco & honore. *magnū narras.* rem magnā & incredibilem. *cupiā.* cupere debeo: in modo potentiali. ſic &, *velis tantummodo.* hoc eſt, tantùm velle debes. *quæ tua virtus.* huiuſcemodi parentheſes referendæ ſunt, atteſtante Linacro, li. 6. de figuris, ad σύλληψιν figurā, exponuntúrq. variè, vt ſcribit Laurentius, putà, quæ tua virtus, qua virtute es, cuius virtutis es. &, ea tua virtus eſt; vel eius virtutis es, vel ea virtute es, &c. lege Laurent. Vall. & Linacrum. *eoq; difficileis aditus.* hoc eſt, nō quemuis ſine delectu ſtatim adſciſcit in amicitiā, eſt enim mētis bene ſanæ; ſed eū quē multis priùs argumentis didicit eſſe virū bonū. *haud mihi deero.* hoc eſt, nullū ſtudiū, nullos labores, nullas denique moleſtias defugero, vt Mæcenas pro ſua erga bonos humanitate, me inter ſuos connumeret. *muneribus ſeruos c.* enumeratio formularū maximè idonea, quibus vtantur ij qui ſua virtute diffiſi, honores in foro & magiſtratus ambiunt, amicitiáſq; potentum. *nil ſine mag. v. l.* Epiphonemate cōcludit hic garrulus ſuū in ambiendo Mæcenate conſiliū. Præclara eſt hæc γνώμη, ſcriptiſq; celebratiſſima, quā videtur Horat. reddidiſſe Latinè ex hoc Epicharmi, τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί, hoc eſt, laboribus vendunt nobis omnia bona dii. cui reſpōdet illud Euripidis. ἐκ τῶν πόνων τοι τἀγαθ' ἀνδράσιν αὔξεται. hoc eſt, ex laboribus augentur hominibus bona: Idē: τὸ ευτυχὲς ἔργον πάντες ἐνίκησε πόνος, hoc eſt, interprete Virg. Labor improbus omnia

omnia vincit. *hac dum agit.* ſic habent omnes cod. ſcripti, nullus τὸ ait. eſt autẽ tranſitio. *vellere cæpi.* prehendere, πιάζειν. *prenſare ma.* preſſare legit Lambinus ex antiquis ſcriptis, ita vt preſſare ſit, arctiùs cõprimere, ne ſcilicet elaberetur, ſed me eriperet iam ſtulta loquacitate propè enectũ. verùm quos legi cod. ſcripti omnes habẽt. *prenſare.* Quod verbũ nõ temere mouendum ſuo loco putaui, vt quod hic nõ ineptã habet ſentẽtiã: quos enim nobis adeſſe gaudemus, libenter & ſæpius manus eorum & brachia prenſamus, idq; præcipuè vbi angimur, nec apertè conqueri licet. Qui ſi aut nolint aut nõ auſint obſequi nobis, ſua brachia & manus ſæpius retrahunt noſtriſq; eripiunt. Ita lentiſſima brachia, id eſt, mollia, flexibilia, lubricáq; meritò dicuntur, quæ propter aſſiduum motũ retineri nequeunt; ſed quò magis preſſeris, eò magis anguillarum more elabuntur. *nutans diſ. ocul.* oculis obliquis & nutantibus ſignificans, vt me eriperet: τοῖς ὄμμασι διανεύων, ἢ παραβάλλων τοῖς πλαγίοις. *malè ſalſus.* importunè & ſiniſtrè ſalſus erga amicũ, putà laborantem, vnde improbũ poſtea vocat. *vrere.* vrebat, per enallagen modi infiniti pro indicatiuo, hoc eſt, ſupra modũ excandeſcebã. *triceſima ſabbata.* arbitror triceſima ſabbata dici, ex more Iudæorum (quem ſubſannat Horatius) Calendas menſis Niſan, qui primus in Aequinoctio verno dies habebat triginta: menſes enim Lunares duodecim apud Iudæos alternatim, alij triginta, alij viginti nouem dies habebãt propter Emboliſmũ. Aut triceſima ſabbata, à magno illo Iudæorum Sabbot, quod Phaſe nominabant. Aut triceſima Sabbata, hoc eſt, Neomeniæ; nã Hebræi nõ alia menſium exordia quàm Neomenias norunt, quas Calendas Latini nominabant, quæ Iudæis in primis erãt religioſæ, iuxta illud Numerorũ. In Calendis offeretis holocauſta Domino. & Pſalm. 80. Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſollemnitatis veſtræ. Sed hac de re legito Bedã de temporũ ratione: & Albertũ Pighium de ratione Paſchalis celebrationis & reſtitutione Kalendarij Eccleſiaſtici. *curtis.* decurtatis recutitiſq. propter præputiũ. *oppedere.* pedere, oppedere. verba ſunt ridicula, cõtemtui ſeruientia: ſic & ecloga præcedente, pepedi diffiſſa nate ficus, inquit Priapus, in contemtũ veneficarũ. Quòd autẽ Ariſtius interroget Horatium num velit Iudæis oppedere, partim quidẽ ſacrorũ Iudaicorũ vituperium ſignat, propter præſentiam garruli, à quo metuebat traduci, partim verò religionis metum. Multi namq; Romani nõ alieni à ſacris Iudaicis, veluti profeſſi, vt habet Tranquillus, Iudaicam intra vrbem vitam viuebant: Qua gratia nõ ſemel edictis Aedilicijs cautũ eſt, vt Iudæorum Aegyptiorumq; ſacra, ritus & cærimoniç, ex vrbe pellerentur & exularent, quòd turpium religionũ (quare etiamnũ videtur dicere oppedere, propter eorum ſacrorũ cõtinuum otium, & ab rebus agendis vacationẽ, Iuuenali teſte Satyr. 14. cui ſeptima quæq; fuit lux ignaua, & partem vitæ nõ attigit vllam) & nouarũ ſuperſtitionum cauſæ forent, nec nõ quaſi ſeminaria quædã contemnendi ritus Romani. In hanc autem ſententiam me impellunt verba Horatij, *nulla mihi, inquam, relligio eſt.* quæ verba nullam omnino contentionem, ſed potiùs in religione Iudaica conſenſum poſtulant; quem vt ſubterfugiat, nulli religioni ſe dicit addictum: Namq; Epicureorum dogma, vt prædicabat deos non curare mortalia, ita non minùs quàm athei nõ modò ſuperſtitionẽ, in qua ineſt (inquit Cic.) timor inanis deorum, ſed etiam religionem, (quæ deorum cultu pio continetur) aſpernabatur. *at mi. ſum p. in.* vel Ironicôs hæc Fuſci verba ſunt accipienda; vel fatendum eſt ei, tanquam proſelyto, perſuaſum fuiſſe Iudaiſmum, ſed id diſſimulare apud hunc garrulum, à quo, ne proditus, malè audiat apud Romanos. *ignoſces.* συγγνῶθι μοι. formula valedicendi per deprecationem: ſatis enim videbat Horatium nõ æquo laturum animo, ſe ab eo deſeri necandũ odioſi hominis moleſtia. *hunccine ſolem.* exclamatio tacita cum vehementi indignatione. *fugit.* auerſatur me, & abit. *improbus.* durus, ſæuus, malè ſalſus, vt ſuprà. *ſub cultro linquit.* in præſentaneo periculo deſerit, inquit Eraſmus. Sumta metaphora à victimis iam iam cultro feriendis. huc pertinent id genus adagia, inter ſacrum & ſaxum, inter malleum & incudem. In acie nouaculæ, &c. quibus vti conuenit in periculis extremis & anxietatibus. *aduerſarius.* quem garrulus vadatus fuerat. *quo tu turpiſſ.* iniquiſſime, improbiſſime, ἀδικώτατε. *licet anteſtari.* De in ius vocando, & de anteſtando memoriæ prodidit cap. 5 ad leges 12. tabularum libro ſingulari Iacobus Ræuardus in elucidandis legibus nouũ nuper lumen exortum, ſed iam prô dolor, ante tempus extinctum, ex quo, quæ ad hunc locũ facere poſſunt, pauca hæc deſumſimus: Qui ius ſuum volebant perſequi, in ius aduerſarium vocabãt; quem ſequi nolentem, anteſtationis medio ducebant, & reluctantem trahebant; ſique opus eſſet, rapiebant, &c. ex eodem quoq; libuit hîc adſcribere eius legis interpretationem, quam Commẽt. adfert, Si vis vocationi fuat: teſtamini: Igitur em. capito anteſtari, hoc eſt, anteſtando, ad imitationem Græcorum, τὸ μαρτύρεσθαι, inquit ex Barnaba Briſſonio. igitur em capito, id eſt, tunc eum capito, ſiue eum manu prehendito. τό igitur, nunc quidem, ait Feſtus, pro completionis ſignificatione valet ergo; ſed apud antiquos ponebatur pro inde, poſtea, tum. *rapit in ius.*

in ius. Licebat autem vadato aduerſarium renitentem vi ducere, ex lege decemuirali; cuius hæc ſunt verba apud Feſtum in verbo ſtruere, Si caluitur, pedémve ſtruit, manũ endoiacito, ſi caluitur, hoc eſt, ſi riſu, vel techna quadam conatur euadere, ſi te fruſtratur. Pedem ſtruere, eſt vix pedẽ pedi præferre, otioſè ire, remorari, gradum minuere, vel augere, vt habet Feſtus. Ego certè putarim ſumtum eſſe à luctatoribus, qui, vt euadãt aduerſarios, oppoſitis pedibus humi prouoluunt, het voethen maken Flandricè, quale eſt apud Pollucem lib. 3. in Gymnicis ſupplantare, ſubuertere, &c. manum endoiacito, hoc eſt, manum iniicito, rapito, ad prętorem trahito, vt habet Plautus in Pœnulo. Ad huius autem verbi formam, endoiacito, habet Feſtus endoitiũ, id eſt, initium, endoplorato, pro implorato; endoprocinctu, pro in procinctu. *ſic me ſeruauit Apollo.* ab eburnea Apollinis ſtatua, cui ſuã vitam fert acceptam, deſignat Auguſti forum, vbi vadatus garrulo factus obuiam has turbas dedit. Huius ſtatuæ meminit Plin. lib. 7. cap. 53. Iuuenalis Satyr. 1. Sportula deinde forum, iuriſq; peritus Apollo.

ECLOGA X.

LVCILIVS.

NEMPE incompoſito dixi pede currere verſus
Lucili. quis tam Lucili fautor ineptè eſt,
Vt non hoc fateatur? at idem, quòd ſale multo
Vrbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamẽ hoc tribuens, dederim quoq; cetera. nã
Et Laberi mimos, & pulchra poëmata, mirer. (ſic
Ergo non ſat is eſt riſu diducere rictum
Auditoris: & eſt quędã tamen hic quoq; virtus.
Eſt breuitate opus, vt currat ſententia, neu ſe
Impediat verbis laſſas onerantibus aureis.
Et ſermone opus eſt modò triſti, ſæpè iocoſo,
Defendente vicem modò rhetoris, atque Poëtæ,
Interdum vrbani parcentis viribus, atque
Extenuantis eas conſultò. ridiculum acri
Fortius: & melius magnas plerumq; ſecat res.
Illi, ſcripta quibus comœdia priſca viris eſt,
Hoc ſtabant: hoc ſunt imitãdi: quos neq; pulcher
Hermogenes vnquam légit, neque ſimius iſte,
Nil præter Caluum, & doctus cantare Catullũ.
At magnum fecit, quòd verbis Græca Latinis
Miſcuit. ô ſeri ſtudiorum, quine putetis,
Difficile, & mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit. at ſermo lingua concinnus vtraque
Suauior: vt Chio nota ſi commiſta Falerni eſt.
Cùm verſus facias, teipſum percontor: an, & cũ
Dura tibi peragenda rei ſit cauſa Petilli:
Scilicet oblitus patriæq; patriſque, Latinè
Cùm Pedius cauſas exſudet Poplicola, atque
Coruinus: patriis intermiſcere petita
Verba foris malis, Canuſini more bilinguis?
Atqui ego, cùm Græcos facerẽ, natus mare citra,
Verſiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
Poſt mediam noctem viſus, cùm ſomnia vera:
In ſiluam non ligna feras inſanius, ac ſi
Magnas Græcorum malis implere cateruas.
Turgidus Alpinus, iugulat dũ Memnona, dumq;
Defingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo:
Quæ nec in æde ſonent certantia iudice Tarpa:
Nec redeant iterum, atq; iterũ ſpectãda theatris.
Arguta meretrice potes, Dauóque Chremeta
Eludente ſenem, comis garrire libellos
Vnus virorum Fundani. Pollio regum
Facta canit pede ter percuſſo. forte epos acer;
Vt nemo, Varius ducit. molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure camœnæ.
Hoc erat, experto fruſtrà Varrone Atacino,
Atq; quibuſdã alijs, melius quod ſcribere poſſem,
Inuentore minor: neque ego illi detrahere auſim
Hærentem capiti multa cum laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum. ſæpe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. age, quæſo,
Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?
Nil comis Tragici mutat Lucilius Atti?
Non ridet verſus Enni grauitate minores,
Cùm de ſe loquitur, non vt maiore reprenſis?
Quid vetat, & noſmet Lucili ſcripta legenteis
Quærere, num illius, num rerum dura negarit
Verſiculos natura magis factos, & eunteis
Mollius? ac ſi quis pedibus quid claudere ſenis
Hoc tantùm contentus: amet ſcripſiſſe ducentos
Ante cibum verſus, totidem cœnatus: Etruſci
Quale fuit Caſſi rapido feruentius amni
Ingenium: capſis quem fama eſt eſſe, libriſq;
Ambuſtum proprijs: fuerit Lucilius, inquam,
Comis & vrbanus: fuerit limatior idem,

Quàm rudis, & Græcis intacti carminis auctor,
Quamq́; Poëtarum ſeniorum turba: ſed ille,
Si foret hoc noſtrum fato dilatus in æuum:
Detereret ſibi multa: recideret omne, quod vltra
Perfectum traheretur: & in verſu faciendo
Sæpe caput ſcaberet: viuos & roderet vngueis.
Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſint,
Scripturus: neque, te vt miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego. nā ſatis eſt equitē mihi plaudere: vt au-
Contemtis alijs, exploſa Arbuſcula dixit. (dax,
Men' moueat cimex Pantilius? aut crucier, quòd
Vellicet abſentem Demetrius? aut quòd ineptus
Fannius Hermogenis lædat conuiua Tigelli?
Plotius, & Varius, Mæcenas, Virgiliusq́;,
Valgius, & probet hæc Octauius optimus, atque
Fuſcus: & hæc vtinam Viſcorum laudet vterq.
Ambitione relegata te dicere poſſum
Pollio, te Meſſalla tuo cum fratre, ſimulq́;
Vos Bibuli, & Serui. ſimul his te candide Furni:
Complureis alios, doctos ego quos, & amicos
Prudens prætereo: quibus hæc, ſint qualiacunque,
Arridere velim, doliturus, ſi placeant ſpe
Deterius noſtra. Demetri, téque Tigelli
Diſcipularum inter iubeo plorare cathedras.
I puer, atque meo citus hæc ſubſcribe libello.

COMMENTATOR.

RESPONDET ijs à quibus culpatus fuerat, quòd Lucilij verſus damnaſſet in eā Satyra quę ſic incipit, Eupolis atque Cratinus, Ariſtophaneſque Poëtæ &c. Nam ibi dixit eum duros componere verſus, Nam fuit hoc vitioſus, &c. nūc autem dicit non ſe Poëtam improbaſſe, ſed verſus eius, quos non ſuo, ſed eius ſæculi vitio duros feciſſet. *nempe.* cōcedentis, quaſi diceret, fateor me dixiſſe, quòd aſperos Lucilius & incompoſitos verſus ſcripſerit. *ineptè.* ſtultè: ineptè fauemus alicui, quando aperta eius vitia negamus. *vt non hoc f.* quòd ſit aſperior & incompoſitus. *at idem quod.* id eſt, ſed in multos principes ciuitatis, multa venuſtè & iocosè dixit. Allegoria eſt; multo ſale defricuit, pro falsè & amarè reprehendit & facetè. *ſale.* dixit pro vrbanitate ſingulariter, vt eſſet perpetua metaphora in his tribus, ſale, defricuit, vrbem. pro eo quod eſt, mordaci vrbanitate perſequebatur ciueis Romanos, Mucium & Lupū: nā pro vrbanitate pluraliter ſales propriè dicuntur, hoc modo; ſcimus autem Lucilium vrbanis ſalibus multos carpſiſſe. *defricuit.* vehemēter afflixit & exacerbauit. *charta eadem.* in eodem Poëmate. *nec tamen h.* negat Lucilij verſus magnopere mirandos eſſe, quamuis iocis & amaritudine abundent, nam ſunt nimis humiles in verbis & ſententijs. *nam & Laberi m.* hoc eſt, ſi propter facetias ſit admirandus Lucilius, idē ſentiendum erit de Laberio Mimographo, qui etiam facetus eſt in verſibus, ſed caret tamē ijs quę ſunt perfecti operis. hoc argumentū eſt à comparatione. *ergo non ſatis eſt.* non ſatis eſt, inquit, auditori mouere riſum: quamuis non negauerim in his etiam nonnullam eſſe virtutem. Diducere rictum eſt aperto ore ridere, & riſum efficere. Rictus incerti generis eſt; nam & hic rictus dicitur, & hoc rictum, menſura oris. *eſt breuitate opus.* breuitate orationis vtendum eſſe ait, vt citò ſententia finiatur, ne defatigetur auditor: Eloquentiæ namque virtus eſt, non tantùm in eo, vt pauca copiosè, ſed etiam vt breuiter multa dicantur. ſic & M. Cato, & Salluſtius laudantur multa paucis abſoluiſſe. *eſt ſermone op.* id eſt, eo ſermone, qui modò triſteis efficiat auditores, modò lætos, qui nunc defendat vicem, hoc eſt, parteis oratoris, nunc Poëtæ, nunc vrbani hominis, qui ſibi parcit & ſuis viribus non vtitur, etiam ſi quid ingenij habeat & induſtriæ: vult conſultò, id eſt, data opera minùs poſſe videri. *ridiculum acri for.* interdum, inquit, venuſtè & ridiculè dicta magis mordent, quàm quę acri & oratione turbulēta prolata ſunt. *ſecat.* mordet, lacerat. *illi ſcripta.* antiqui Comœdiographi, ſcilicet Eupolis, Ariſtoph. Cratinus. *hoc ſtabant.* Abſolutè, id eſt, hac re conſtabant, placebant, quòd modò triſti ſermone vtebantur, modò iocoſo, ſuaſq́; fabulas temperabant. *pulcher.* Ironicôs. *Hermogenes v.l.* Hermogenes modulator erat, obtrectator Horatij. *ſimius iſte.* notat M. quendā Demetriū quem ſimium nominat propter deformitatem & breuem ſtaturam: erat autem δραματοποιὸς, hoc eſt, modulator, hiſtrio, actor fabularum, ad nihil aliud doctus, quàm ad carmina Lucij Calui, & Valerij Catulli decantanda; quare faſtidit eorum iudicium: quemadmodū in fine huius ſermonis ait, Demetri, téque Tigelli diſcipularum inter iubeo plorare cathedras. *doctus cantare.* figura Gręca, hoc eſt, doctus ad cantandū & imitandū. *at magnū fecit.* obiectio eius qui defendit Lucilium. *O ſeri ſtudiorum.* ὀψιμαθεῖς, qui ſerò ſtudijs vacare cœpiſtis, qui ſeri eſtis ad ſtudia admiſſi. Caſtigat eos qui propterea mirantur Luciliū, quòd inſeruerit verba Græca Latino carmini, quaſi non quiuis alius poſſit hoc facere, cùm Pitholeon Rhodius, ineptus aliquis Poëta, in ſuis Epigrammatis etiam Latinis

Græca immiſcuerit. *qui ne putetis.* ne ſyllaba abũdat in ſententia. *at ſermo concinnus.* altera obiectio. *concinnus.* compoſitus, ornatus, coniunctus. *vt Chio nota ſi com.* hoc eſt, ſi dulce ſit commixtũ auſteris. Nam Chium vinũ dulce eſt, & Falernũ auſterum. ſic à cõparatione vult aduerſarius Græca verba Latinis immixta orationẽ reddere concinnã. *nota ſit.* Solebant Romani certis notis ſignare lagenas, amphoras & cados ad vina cognoſcenda, ne alternis fraus fieret aut corrum pereutur. *cum verſus facias.* eum qui verſus Lucilianos laudauerat, propterea quòd Græca Latinis admixta habeant, reprehendens interrogat, vtrũ tunc ſolùm hoc faciat cùm verſus ſcribit, an etiá quando cauſam difficillimã Petillij de furto Capitolino perorat contra Pedium Publicolam & Meſſallam Coruinum, qui à Græcis vocibus ita abhorruerunt, vt Meſſalla σχοινοβάτην, Latinè funambulũ reddiderit ex Terentio in Hecyra; vbi ait, Funambuli eodẽ acceſſit exſpectatio. fuerunt hi duo Pedius Publicola & Meſſalla Coruinus oratores Romæ valdè inſignes. Petilli autẽ genitiuus eſt pro Petillij. *exudet.* cum ſudore agat, hoc eſt, Latine pronunciet magno ſtudio & conſtantia. *ſcilicet oblitus.* Ordo eſt, teipſum percontor, id eſt, ex te quæro, cum dura, id eſt, difficilis cauſa Petillij tibi ſit peragẽda an oblitus patriæ patriſq; id eſt, Latini ſermonis, malis intermiſcere foris verba petita, id eſt, Græca, quàm vti patriis? *Canuſini more b.* Canuſium oppidũ in Apulia conditũ à Diomede, à quo Canuſini Græcã linguam acceperunt quare dicebantur bilingues, quia vtebãtur Græco & Latino ſermone, vnde totus eius regionis tractus olim magna Græcia dicta eſt. *cùm Græcos.* facere vellem. vt, Cùm canerẽ reges & prœlia. *natus mare ci.* In mediterranea Italiæ, nõ in ipſa Attica regione. *vetuit me tali v. Qui.* Eleganter à Quirino ſe prohibitũ ait Græca miſcere Latinæ linguæ, quoniã vtiq; Romulus vt nominis ita etiã linguæ Romanæ auctor videtur eſſe. *poſt mediam n.* tũc enim liberior animus vera ſomniat, quando pituita concocta eſt, & ſenſus purgati à vinolentia & crapula. *in ſiluam non l. f.* quia Græci auctores ſunt plurimi: ergo Græcos verſus ſcribere ſi vis, tu perdis operam, inquit Quirinus. *turgidus Alpi.* riualem quendã Poëtam Gallum tangit, qui dum pugnam deſcribit inter Achillem & Memnonẽ, ita hoc facit, vt iterũ videatur Memnona iugulare ſuis carminibus. *turgidus.* inflatus. *defingit.* malè fingit & format, malè deſcribit. *luteum caput.* lutoſum, quaſi ipſum Rheni fontem limpidum, deſcribendo faciat ſordidũ & lutulentum. vt, muſco circundat amaræ corticis. *hæc ego ludo.* Dum Alpinum Poëtam ait ſuos verſus facere, ſe dicit ludere, id eſt, id genus carminis ſcribere, quòd Metij Tarpæ iudicio nõ ſubijciatur. *in æde.* Apollinis, vbi Poëtæ ſua carmina recitabant. *certantia.* quaſi in certamen & prouocationem venientia. *iudice Tarpa.* Metius Tarpa fuit iudex criticus, auditor aſſiduus Poëmatum & Poëtarum in æde Apollinis ſeu Muſarũ, quò conuenire Poëtæ ſolebant, ſuaq; ſcripta recitare; quæ niſi à Tarpa, aut alio critico, qui numero erant quinq; probarentur, in ſcenam nõ deferebantur; ideo illud ait, *iudice Tarpa.* hoc eſt ſcripta mea criticũ iudicem non expectant, quæ ſæpius audita, & populo ſpectata viliſcant. *arguta.* callida. *Chremeta ſenem.* declinatione Græca. *comis.* ſuauis. *garrire.* nugari, propter perſonarum humilitatem, quæ in Comœdia loquuntur. *vnus viuorum Fun.* Vnum Fundanium dicit illis temporibus Comœdias bene ſcribere. *vnus viuorum.* vnus inter omneis viuos. *Pollio regum f.* Pollio eſt optimus Tragœdiographus. *pede ter percuſſo.* id eſt, ter dimenſo; nam Tragœdia trimetris verſibus ferè texitur. *forte epos acer.* id eſt, Varius acer ſeu vehemẽs vt nemo alius, hoc eſt, optimè canit forte epos, hoc eſt, epicũ carmen validum, & grauiter, ſeu magno ſpiritu pronunciandum, eſt enim longum. *ductu molle.* hoc eſt, verſum mollem & æqualem facetumque Muſæ conceſſerunt Virgilio. vnde apparet illo tempore Virgilium Bucolica & Georgica tantùm ſcripſiſſe, quia dicit Camœnæ, id eſt, Muſæ gaudentes rure, agris & paſcuis. *hoc erat experto.* ordo eſt, hoc erat quod ego meliùs poſſem ſcribere, quàm Varro Atacinus & alij multi, qui conati ſunt ſcribere Satyras, quas non ſatis laudabiliter ediderant. *Varro Atacino.* Varro Atacinus dictus eſt, ab Atace fluuio Narbonenſi. *inuentore minor.* id eſt, Lucilio, quem ſibi præfert, tanquàm Satyræ inuentorem. *dixi fluere.* In Satyra quarta, ſæpe ducẽtos, inquit, vt magnum verſus dictabat ſtans pede in vno, cùm flueret lutulentus, &c. *plura quidem toll. r.* tollenda, id eſt, laudanda, non contemnenda, ſed imitatione digna. *age quæſo tu.* interrogatio Ironica, quaſi dicat, non tutũ ſi eum reprehendi, & minorem tamen eo me dicam, tu age, id eſt, dic obſecro, nónne aliquando reprehendis Homerum, nec tamen præfers te illi? *grauitate minores.* minus graueis quàm oportet. *nil comis.* elegans. nunquid Lucilius ipſe mutat, id eſt, emendat, reprehendit, corrigit, vituperat aliquid in Attio Tragœdiographo? *non vt maiore.* non tanquã maior ſit his quos reprehendit. *quid vetat.* quid prohibet me quærere, num illius natura, an magis earum rerũ quas ſcripſit, difficultas negaret ei verſus molliores? *magis factos.* perfectiores & magis politos. *euntes mollius.* metaphora, quia ſuis quaſi pedibus currũt verſiculi, lenius & non aſperiùs fluentes. *at ſi quis*

pedibus.

pedibus. ſenſus eſt, ſi quis inueniatur hoc tantum contentus claudere, id eſt, vt claudat aliquid, concludat & finiat ſenis pedibus. i. hexametris verſibus, quod feciſſe videtur Lucilius, numerum verſuum potiùs amans, quàm ornatum & mollitiem. *Etruſci*. Parmenſis, quia de Parma fuit, quæ eſt Etruriæ ciuitas; cuius Tragœdia Thyeſtes extat. *rapido feruentius*. Caſſium Poëtam comparat amni rapido, qui multa purgamenta ſecum trahit; ita Caſſius multos verſus parui momenti ſcribebat; ideo poſt eius mortem decreuit Senatus, vt libri cum cadauere exurerentur. *capſis*. in quibus ſua Poëmata concluſa erant. *limatior*. politior, emendatior. ſenſus eſt, ſit Lucilius limatior quàm rudis auctor carminis & intacti Græcis, id eſt, nõ viſitati & vſurpati à Græcis ſcriptoribus: Nam Lucilius primus inuenit Satyram. *Græcis intacti*. nulli enim Græcorum hexametris verſibus hoc genus operis ſcripſerunt. *quamq; Poëtarũ*. hoc eſt, Lucilius ſcripſerit Satyram politiùs & ornatiùs quàm omnes priores Poëtæ Latini, & omnibus illis præferatur. *ſi foret hoc* ſi hoc tẽpore natus eſſet Lucilius, multa ſibi detraheret, multa adderet, vt placeret auditoribus: quia nunc ſtudent omnes lenitati: per hoc oſtendit eum ſatis incurioſè ſcripſiſſe. *deterreret*. auferret, detraheret, demeret. *recideret*. amputaret quicquid redundaret. *quod vltra p. t.* ſuperflua, & non neceſſaria. *viuos & roderet*. viuos, id eſt, carni adhærenteis, integros. Perſ. nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit vngueis. Sæpe enim hoc faciunt qui volunt inuenire quæ placeant. *ſæpe ſtylum v.* vt deleas & emendes verſo ſtylo, vt legi mereantur tua ſcripta. *contentus paucis*. noli laborare vt placeas multis, ſed paucis & doctis eſto cõtentus tanquàm melioribus. *an tua demens*. hoc eſt, an malis placere pluribus quàm melioribus, vt etiam librarij in ludis litterariis dictitent pueris adhuc rudibus tua carmina? *non ego*. ſupp. malo placere pluribus quàm melioribus. *equitem mihi pl.* Romanum, ſcilicet, ſapientem & doctum. *audax Arbuſcula*. Arbuſcula mima fuiſſe traditur, quæ cùm ab irato populo exploderetur, id eſt, ſtrepitu & plauſu eijceretur, ab equite autem laudaretur, aiebat ſe contentam eſſe virorum honeſtorum teſtimonio. Arbuſcula etiã meretrix fuit, quales ſecum fuere Licoris & Origo. *exploſa*. improbata, eiecta. *cimex*. iniurioſè. cimex, id eſt, ſordidus, fœtidus, putidus, abiectus. *Pantilius*. nomen eſt vilis Poëtæ & maleolentis. *vellicet abſentem*. me, ſupp. laceret. *Demetrius*. quem ſuprà ſimium nominauit. *Fannius Hermo*. id eſt, ſcurræ me vituperent. *Viſcorum laudet v.* Viſci duo fratres fuerunt optimi Poëtæ, & iudices critici. quorũ pater Vibius Viſcus quamuis diuitiis, & amicitia Auguſti clarus eſſet, in equeſtri tamen ordine permanſit cùm filios ſuos Senatores feciſſet. *ambitione relegata*. remota gratificatione, repudiata aſſentatione: tangit eos qui parcebãt vitioſis carminibus amicorũ. *Fuſcus*. Ariſtius. *tuo cum fratre*. Publicola. *vos Bibuli & Serui*. familiæ ſunt Romanorũ. *ſimul his*. pro eo quod eſt, cum his. *Furni*. Furnius hiſtoriarum fide & elegantia claruit. *complureis alios*. ordo eſt, dicere poſſum complureis alios, quos ego prudens, id eſt, ſciens doctos & amicos, prætereo, quibus hæc Poëmata mea, qualiacumque ſint, velim arridere, id eſt, probari, placere; doliturus ſi placeant deteriùs noſtra ſpe, id eſt, minùs quàm ſperamus. *diſcipularum*. in ſchola mimarum. Vituperat eos Poëtas, qui pro diſcipulis habuerunt in ſcholis mimarum cœtum & hiſtrionum. *I puer atque meo*. vult videri Horatius, αὐτοσχεδιάσαι, hoc eſt, ex tempore veniſſe ſibi in mentem hos verſus.

CRVQVIVS.

CVM videret Horatius Lucilij ſcripta præter meritum tanti à Romanis pleriſq; fieri, quãti alicuius alius nulla, ſuprà Ecloga quarta ſtomachoſiùs in eum inuectus, durum, putà, nominans in ſuo carmine componendo, lutulentumq; & garrulum, qua gratia ab eius fautoribus nõ parua maleuolentiæ nota aſperſus, hic multis argumentis non dubitat ijs reſpondere id à ſe iure factum eſſe. In primis de compoſitionis aſperitate, ſtatuit eos arbitros, num rectè ſenſerit. Quantum ad garrulitatẽ ſpectat, quæ hic præcipit ἐν παρόδῳ, ad breuiter vrbanéque dicendum oſtendunt manifeſtò, eum futili dicacitate, dum riſum captat, pænè ſcurriliter auditoribus fuiſſe grauem. Græcitatis autem ſtudium, quo concinnus habebatur, reprehendit in eo, ab vſu forenſi, & decoro Latini ſermonis. Porrò in eo, quòd dixerat Lucilij verſus lutulentos fluere, demonſtrando, tam varius eſt, hic amphibolia, illic ironia, vt nõ immeritò de eo dici poſſit, ſi laxes, erepit; ſi ſtringas, euadit: namque aduerſariis concedendo eum comem fuiſſe & vrbanum, hoc ita facit, dum de moribus eius æui dubitat & ingenio Lucilij, vt vel inuiti fateri cogantur eum in ſcribendo fuiſſe ſcabroſum & horridum: & quàm virorum doctorũ plus turbæ, ineptorumque laudẽ, nec nõ applauſum ambiuiſſe. *nempe incompoſito*. Nempe, aduerbium eſt aſſentientis, vt ſcribunt Valla, Linacer, & alij Grammatici; quo libenter vtitur Horatius ad interrogationẽ, vt Saty. 7. li. 2. tibi quid ſum ego? nempe, ſupp. cõſeruus es, vt ibi docebim⁹. Deinde epiſt. 16. li. 1. Reſpondéſne tuo, dic ſodes, nomine? nempe. ad hunc modum reſpondet hic Horatius interrogationi tacitæ: & more Comico ſumit exordium ex

abrupta

abrupta confeſſione: atque hoc argumento neceſſe eſt eos verſus aſſciticios eſſe, qui in aliquibus manuſcriptis codicibus huic Eclogæ præpoſiti leguntur, vt omittã in eis nihil quàm ſimium quẽdam apparere Horatianum, nam & dictio parùm conuenit, & argumentum Satyræ non in Lucilium, ſed eius fautores dirigitur. Ad hæc quis non aduertat combinationem eorum verſuũ cum verſibus Horatianis planè eſſe adulterinam? quos lubet hic adſcribere ex vnico tantum Martinio cod.

Lucili, quàm ſis mendoſus, teſte Catone defenſore tuo, peruincã: qui malè factos emendare parat verſus: hoc leniùs, ille quo melior vir hic eſt, longè ac ſubtilior illo, qui multum puer & loris, & funibus vdis exhortatus vt eſſet, opem qui ferre poëtis antiquis poſſet cõtra faſtidia noſtra Grammaticorum equitum doctiſſimus: vt redeã illuc: nempe incompoſito dixi pede currere verſus Lucili, &c. *quòd ſale multo.* ſale multo defricare, eſt acriùs mordaciúſq. aliquem notare: ſumta metaphora ab vſu ſalis, teſte Plin. lib. 31. cap. 7. In omnibus enim cibus eſt condimenti vice, & auiditatem inuitat: ergo hercle, inquit, vita humanior ſine ſale nequit degere, adeóque neceſſarium elementum eſt, vt tranſierit intellectus ad voluptates animi quoq;; nam ita ſales appellãtur, omníſque vitæ lepos, & ſumma hilaritas, laborúmque requies non alio magis vocabulo conſtat. In hanc ſententiam ſuprà Ecloga 7. dixit perfundere aceto. *charta laudatur eadem.* laudatur, εἰρωνικῶς accipiendum eſt, quemadmodũ paullò pòſt ait, *nil comis tragici mutat*, &c. nihil enim quàm fautores Lucilij naſo ſuſpendit adunco, & in hac, & in 4. Ecloga ſuprà. *dederim quoq; cet.* dare ſeu fateri debeo in Lucilio eſſe quæcumque in bono poëta deſiderantur. *nam ſic & Laberi m.* argumentum à pari. Hic Decius Laberius eques Romanus fuit, in fine ſuorum ludorum, in quibus certauerat cum Publio μιμολόγῳ, donatus à Cæſare Iulio annulo aureo & quingentis ſeſtertiis, Publio palmam ferẽte, vt referunt Suetonius & Macrobius. Is etiam Ciceroni aliquando dicenti, reciperem te, niſi anguſtè ſederemus, reſpondiſſe fertur, atqui ſolebas duabus ſellis ſedere: notans eius leuitatem in ciuili tumultu & inconſtantiam. *mimos.* μῖμοι ſunt ſcenici verſus: ſed nõ numquàm & ipſi mimographi, & hiſtriones qui pronunciant, cenſentur hoc nomine, ἀπὸ τοῦ μιμέομαι. *diducere rictum riſu.* eſt reſtrictis labris nudatíſque dentibus vt rideant præſentes efficere, vt ait Appuleius, reſtrictis fortè ſi labellis riſeris. Ducta metaphora eſt à canibus, qui irati ringunt, & rictum diſtendunt. huic contrarium eſt contrahere rictum, de mæſtis & meditabundis. *& eſt quædam tamen.* tmeſis & tamen, pro, attamen, per Enallagen coniunctionis. *virtus.* vis & facultas pulchri poëmatis. *eſt breuitate opus.* ex ἀντιθέτου ſubindicat Lucilium fuiſſe garrulum & hiulcum, vt cuius ſententia & inæqualis, & nimietate verborum delaſſaret auditores: hæ namque breuitatis partes ſunt, vt æqualiter ſententia decurrat ad exitum & tantum ſit verborum, vt ait Cicero 2. de oratore, quãtum neceſſe eſt. *& ſermone opus eſt.* varietas dictionis quæ eſt in affectibus mouendis pro ratione temporis, loci & perſonę, ſatis arguit Lucilium nimiſquam pro officio fuiſſe propenſum in maledicentiam, vt qui neque rhetoris in appoſitè dicendo, affectibúſque concitandis, neque vrbani parteis exſequatur in ſimulando, nulla vel argumenti vel ſtyli cura. *interdum vrbani.* vrbanus pro vafro & callido, qui parcit viribus ingenij, & eas extenuat: hoc eſt, qui dulcis eſt & facetus, feſtiuíq. ſermonis, atque in omni oratione ſimulator: qualem Socratem accepimus, quem εἴρωνα Greci nominauerunt, vt ait Cic. *ridiculum.* hoc eſt, ſales non dentati, vt ait Seneca: Nam ſalſum, inquit Quintilianus de riſu lib. 6. in conſuetudine pro ridiculo tantũ accipimus, natura non vtique: hoc eſt, quamquàm & ridicula oporteat eſſe ſalſa. hæc Quintil. cuius alia ſcripta huc pertinentia prolixitatis cauſa omiſimus. ridiculum itaque hîc iocus eſt lepidus, qui ſerio eſt contrarius. *magnas plerumque ſ. r.* Riſus enim rerum maximarum momenta vertit, inquit Quintil. dum odium iramq; frequentiſſimè frangat: documento ſunt iuuenes Tarentini, qui multa de Pyrrho rege ſecuriùs inter cœnam locuti, cùm rationem facti repoſcerentur, & neque negari res, neque defendi poſſet, riſu ſunt & opportuno ioco elapſi: namq. vnus ex iis, imo, inquit, niſi lagena defeciſſet, occidiſſemus te: eáque vrbanitate tota eſt inuidia criminis diſſoluta. *nil præter Caluũ.* hoc eſt, qui nihil quàm in ſcenis decantabant carmina C. Licinij Calui, & C. Valerij Catulli: quorum vitas legito apud L. Gregoriũ Gyraldum lib. 10. Hiſtor. poët. *at magnum f.* rem magnam & admiratione dignam. κατ᾽ ἀνθυποφορὰν fautoris Lucilij per ἐξουθενισμόν. Græca autẽ miſcere Latino ſermoni, numerat alibi Cic. inter vitia orationis, vt qui non niſi in argumentis minus ſeriis id facere voluerit. Quod oſtẽdit Tuſculana prima. imo quàm ferat ægrè Latinos viros Græcè diſſerere, cùm aliis multis in locis, tùm præcipuè id in confeſſo eſt ab initio lib. 1. de finib. bon. & malorum. *ò ſeri ſtudiorum.* exclamatio in reprehenſionem tam inſulſi iudicij. Seros ſtudiorum Græci vna compoſita voce exprimunt ὀψιμαθεῖς: ὀψιμαθεῖν enim eſt ſerò diſcere, hoc eſt, ὀψὲ τῆς ἡλικίας, ætate iam vergente: cui cõtrarium

eſt παιδομαθεῖν, à puero diſcere, & primis annis. *qui ne putetis.* Hac adiectione ſyllabica videtur gaudere Horat. nã præterea ſemel atq; iterum ea vſus eſt. videtur autẽ mihi eſſe Atticiſmus quidã, pro οἵγε, qui vtique, qui certè, &c. nam ea particula γε familiaris eſt Demoſtheni in ea ſignificatione, & optimis quibuſque ſcriptoribus. Hanc lectionem, *qui ne putetis*, habent omnes ſcripti codices. *Rhodio quod Pitholeontic.* Ex Pſeudacrone hoc loco præter viginti Demetrios à Diogene Laërtio in vita Demetrij Phaleræi enumeratos, Gyraldus lib. 3. Hiſtor. Poët. adfingit vigeſimum primũ Latinũ, cùm alij omnes Græci fuerint, 14. philoſophi, & ſex poëtæ: Hunc autem ſimiũ ſcribit ab Horatio cognominatũ, quòd aliena carmina vel cantitaret, vel æmularetur. inſuper perhibetur, inquit, à Grãmaticis fuiſſe ἐρωτοποιός, hoc eſt, qui amatorios verſus faceret. An autem ſint alij præter Pſeudacronem, quos perluſtrarit Gyraldus, qui Demetrij cuiuſdã Latini meminerint, me profectò latet: Ego hunc non ἐρωτοποιόν, ſed δραματοποιόν video à Pſeudacrone vocitatum: vel potiùs, vt habent adnotationes Blandiniæ venerandæ antiquitatis, δραματοποιητὴν. Quo argumento non omnino certè futili (vt mihi quidem videtur) facilè adducor, vt credam hunc non Latinum aliquem, ſed eum eſſe Demetrium, quem Laërtius memoriæ prodidit Comœdiam ſcripſiſſe, cúmque Rhodium natione, quem, quòd odioſius vellicaret abſentem, Horatius primũ ſimium, quod ad imitationem Lucilij Græca Latinis immiſceret, nominat, non etiam ab imperitia, cùm ſit relatus à Laërtio in doctorum catalogum. Deinde Pitholeontem vocabulo mordaciùs efficto, ἀπὸ τοῦ πίθηκος καὶ λέων, hoc eſt, quòd in imitando ſcribendóque minus obſeru[illegible]orum, ſed crudelius inſultaret in alio[illegible] πιθηκολέων, ſimileo, vt apud Aelianũ πιθηκαλώπηξ, ſimiuulpa. Niſi quis malit Pitholeonta interpretari ſimium hiſtrionicum. nam λέων, [illegible], etiam erat genus ſaltationis horridulum apud Pollucem & Athenæum. Poſtremò modeſtiùs eum compellat nomine proprio Demetrium, inquiens, aut crucier quòd vellicet abſentẽ Demetrius: Cui, quòd Græcus inter Latinos Romæ verſaretur, contigit, vt Græcis ſuis ſcriptis quibuſdam Latinas voces inſereret; quemadmodũ Lucilius Latinas ſatyras nonnumquàm iuberet Græciſſare. Quæ fortaſſe tutatur iccirco aduerſus Horatium, vt ſibi quoque patrocinium quærat. *at ſermo lingua con.* Altera anthypophora à compoſitione penitus inſipida, quaſi vtraq. lingua non ſit ex æquo per ſe concinna, lepida, faceta, iucunda, & elegans, ſed ad maiorem gratiam, altera alterius indigeat. *cùm verſus fac.* Anaſtrophe aduerbij interrogãdi, an, quod in ordine præponi debet hoc modo, an, cùm verſus facias, &, cùm dura cauſa Petillij, &c. tu oblitus ſis patriæ patríſque, & magis intermiſcere Græca Latinis, quàm purè & clarè Latinéque eloqui? &c. Hæc autem confutatio eſt ab vſu forenſi, auctoritate clariſſimorum oratorum, & decoro ſermonis patrij. Tonſ. codex hic habet, teipſum perconter, & an cum. ſed omnes ad vnum codices ſcripti habent, patriæq. patríſque Latini. verùm adnotationes Bland. codicis vetuſtiſſimi ſunt hæ: cùm exſudet, id eſt, cum ſudore; & omni inſtantia Latinè recitet, Latinè proferat. Quæ veram & antiquam lectionem corruptam eſſe demonſtrant quaſi ad oculum, quemadmodum notauit quoque Lambinus ex ſcriptis legendum eſſe, Latinè. *Canuſini more bilinguis.* habet Pſeudoporphyrio hoc loco hũc verſum ex antiquo aliquo poëta in Canuſinũ (vt apparet) aliquem detortum, putà, ideo ergo Brunius brichace bilingui: qui verſus ita vacillat, vt neque mens, neque pes ſuum officium faciat. atqui poterit hoc fortaſſe modo ſanari: Brutius ergo ideo σόματι βρύχαι bilingui: ita vt hæc eius ſententia ſit, Brutius, id eſt, Canuſinus, nam Brutij populi ſupra Lucaniam incoluerunt, teſte Strabone lib. 6. Apulis proximi, vt videre eſt in tabulis Ptolemæi. ergo ideo, id eſt, tum, vt habet Feſtus in dictione, igitur. σόματι βρύχαι, pro ἐβρύχαι, per aphæreſin augmenti, hoc eſt, ore infremuit bilingui, hoc eſt, Græco & Latino, ſeu Oſco, vt habet Feſtus in dictione bilingues. Si quis autem plura huiuſcemodi carmina Græcolatina deſideret, legat Noniũ in dictione Cõpernes. *atqui ego.* argumentum poëticum elegans & facetum, quo quaſi oraculo monitus ſuadet Romanis viris, vt, ſuo exemplo, ne aut Græcos verſus inſani faciant, aut Græca Latinis intertexant. *mare citra.* Anaſtrophe, pro, citra mare, nimirũ Tyrrhenum, in Apulia, non in Sicilia, non Achaia, &c. *cũ ſomnia vera.* ſunt. de ſomniis moderatis, veris, ſerenis, Plato in principio lib. 9. de republica. Ouid. in Epiſt. Heroid. Tibull. lib. 3. Hippocrates, &c. *in ſiluam non lig. f.* hæc verba ſunt Quirini ſeu Romuli ad Horatium. *turgidus Alpinus.* Hic non minùs ab impuriſſimo Pſeudacrone vaniſſimóq; quàm in Demetrio Latino fucus factus eſt viro doctiſſimo L. Gregorio Gyraldo, qui lib. 4. Hiſtor. Poët. inter poëtas recenſet Cornelium Alpinum: & neſcio cur eum potiùs ex Pſeudacrone non appellarit Viuallium Gallum, niſi ob eã forſitan cauſam, quòd Pſeudoporphyrio ſua quadam Latinitate dexteriùs viris doctis nouit imponere: Nam Pſeudacron tã eſt in multiplici commento multus, confuſus, ineptus & planè barbarus, vt ei

ſæpè

ſæpè, vel iurato nemo facilè credat. Pſeudoporphy. hoc modo paucis & apertè ſcribit: Cornelius Alpinus Memnona hexametris verſibus nimirũ deſcripſit. At Pſeudacron ſuo more varius & anceps quidã Polypus ſic habet: Alpinus hic Memnonis bella deſcripſit, &c. vel: Viualium (in ſcriptis adnotationibus legitur Viualum) quendam poëtam Gallum tangit, &c. Verùm vt Gyraldo cum multis viris eruditiſſimis veniam demus, & ad inſtitutum reuertamur, noſtram hic opellam benignus lector boni conſulet. In Commentatore pro Viualio, probabili coniectura (vt arbitror) legimus, riualem quendam, &c. Deinde pro Cornelio Alpino (qui quòd riualis eſſet apud Auguſtum, ſatis inuidioſè ſic agnominatus eſt ab Horatio) reſtituimus ex Seruio & Euſebij Chronicis, C. Cornelium Gallum Foroiulienſem, poëtam præclarum, & Virgilio amiciſſimum: Qui anno ab vrbe condita 721. primus Aegyptum nomine Cæſaris prouinciam tenuit interfecto Antonio, natus Foroiulij (qua gratia Alpinus eſt Horatio) anno ab vrbe cond. 681. annis 4. Virgilio, nouem verò ſenior Horatio, aut circiter: In primis Auguſto carus, ſed cùm veniret in ſuſpicionem coniurationis in Cæſarem, aut occiſus eſt, teſte Seruio, aut propria manu ſe interfecit anno ætatis ſuæ 43. vt refert Euſebius. *iugulat dum M.* in hoc verbo iugulat, & epitheto turgidus, apertè ſimultas eluceſcit inter Horatium & Gallum, nam eum fuiſſe melioris notæ poëtam in confeſſo eſt ex Sileno Virgilij, Qui canit errantem Permeſſi ad flumina Gallum Aonas in mõteis vt duxerit vna ſororum, vtque viro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis, &c. Quinimo Gallo inſcripta decima Ecloga non obſcurè conteſtatur quanto honore Gallum ſit dignatus Virgilius, vbi & amorũ ſuorum cũ Cytheride libros & Euphorionem Latinè à ſe redditum donauit immortalitate ſub eius perſona inquiens, Ibo & Chalcidico quæ ſunt mihi condita verſu carmina paſtoris Siculi modulabor auena, &c. Porrò de amoribus ſuis cum Cytheride, quæ eo deſerto Antonium ad Alpeis vſque ſecuta eſt, ita conqueritur: Tu procul à patria (nec ſit mihi credere tantum) Alpinas, ah dura, niueis, & frigora Rheni me ſine ſola vides, ah te ne frigora lædant, ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas, &c. *iugulat dũ Memnona.* Iugulatum ab Achille commemorat. quod ideo tam mordaciter eloquitur, quia duriuſculè fortaſſis in Latinũ ſermonem tranſtulerat ſcripta Euphorionis de pugna Memnonis & Achillis, depromto ex Homeri monumentis argumento. Ne quis autem me in hac interpretatione nugas agere dictitet, pro me huius *εἰκονομία* loci abundè ſatis faciet, fruſtra namq; & inſcitè meminerit hic Horatius Alpini, ſi is nullã Græcis ſcriptis operam dederit quæ pro argumẽto præſenti non ſint obnoxia calumniæ: præterea quòd hic Alpinus ſit Gallus poëta, id infitias ire nemo facilè poterit, qui ſubſequentẽ verſum, putà, dúmq; defingit Rheni luteũ caput, &c. cũ ſuprà dictis Virgilij cõferat, nimirũ Alpinas, ah dura, niueis & frigora Rheni me ſine ſola vides, &c. Nã veriſimile eſt omnino in ſuis quatuor Amorum libris, vt habet in Gallo Virgiliano Seruius, eũ & Alpeis deſcripſiſſe, & Rheni caput luteũ definxiſſe, nõ quòd luteũ fontem habeat, ſed quòd luteum faciat ipſe deſcribẽdo malè. ſic & luteũ de vili toreumate dixit Cic. in Verr. *hæc ego ludo.* huiuſmodi poëmatia meditor & illudo chartis, quæ vulgata nolim decantari, vel in theatris exhibita imperitæ multitudinis applauſum captare, vel Metij Tarpæ alteriúſve critici ſubire cẽſuram. his verbis ex obliquo Gallum præcipuè rapit in inuidiam; perinde ac ſi is vel publicè exhiberi curaſſet à ſe verſum Euphorionem, vel in æde Apollinis recitari. *in æde.* Apollinis & Muſarum, quò poëtæ Latini ſua carmina ferebant recitabántque, quemadmodum Græci in Athenæo Mineruę templo. *arguta meretrice p.* digreſſio ab inſtituta reprehenſione Luciliauorum ad amicos ſuos & fautores; quibus ab indole, ſtudio & dimtis naturæ facultatibus obiter collaudatis, venit ad ſuos ludos poëticos, quibus ſe, duce natura, nõn mediocriter delectari fatetur. *comis garrire.* comis, id eſt, ſuauis, habent tres codices Bland. cum Mart. ſed Tonſ. habet comeis, id eſt, comicos. Diuæ. habet comeis, ornatos vel curialeis. Interim mihi, comis magis probatur, hoc modo, tu vnus viuorũ comis, id eſt, facetus, elegãs & vrbanus, ô Fundani, potes garrire libellos, &c. id eſt, comœdiã argutam ſcribere. ſic in vita Terentij, quicquid come loquens, &c. Garrire autem eſt arguté & dicaciter effundere & eloqui, vt dicimus ludere poëma, *γαρύειν ἄεθλα.* *Pollio regum.* quemadmodũ Fũdanio tribuit poſſe garrire, propter perſonas Comicas, in quibus ineſt actionis magna lenitas, ita dicit Pollionem canere facta regum pede ter percuſſo: alludens per Senarij trimetri trinam dimenſionẽ ad perſonatum Tragicarum grauitatem, quæ magno ſæpe faſtu in ſcenis inter agendum pedibus tabulata pulſant. *forte epos acer.* In tribus codicibus Blandiniis & Buſl. hi verſus ad hunc modum leguntur, forte epos acer, vt nemo, Varius. ductu molle atque facetum Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ. quæ lectio cùm mihi magnopere probaretur, nolui cõmittere in vtilitatẽ publicã tantũ facinus, vt ea poſteritati nõ traderetur. Si quis

autem ex me ſciſcitetur, quo id argumento tantopere alleuerem, dicam planè quod ſentio: nimirum meo animo videri penitus abſurdum, vt acer Varius ducat forte epos, nam ducere molliofis eſt carminis & facilioris, quàm vt verſibus epicis maieſtate & auctoritate refertis, conuenire poſſit. at id vt canatur, rectè requirere alacritatem, ingentémque ſpiritum, atque vim quandam animi præſentem propter grauitatem & pondus epici carminis: Mollia verò faceta & mediocria duci poſſe, & facili moderamine decantari, ſine magno verborum rerúmque ſtrepitu, vt quæ ferè vltrò ſequuntur; qualia ſunt, τὰ ἔπη τῶν βουκολικῶν καὶ γεωργικῶν Virgilij, ad quæ non incertum eſt alluſiſſe Horatium. *forte epos.* carmen robuſtum Perſio, epos enim, vt ſcribit Diomedes, carmen eſt hexametron, diuinarum rerum, & heroicarum humanarúmque comprehenſio. ἐπὶ μὲν τοίνυν ἐπῶν ποιήσει Ὅμηρον μάλιστα τεθαύμακα, ἐπὶ δὲ διθυράμβῳ Μελανιππίδην, ἐπὶ δὲ τραγωδίᾳ Σοφοκλέα, hoc eſt, in epico quidem carmine Homerum maximè ſum admiratus, in dithyrãbo Menalippidẽ, ſed in tragœdia Sophoclem: hinc dicti ſunt Epici poëtæ, Heroici, κατ᾽ ἐξοχήν. *ductu molle atque f. V.* facetum, inquit Quintilianus, lib. 6. cap. 4. non tãtum circa ridicula opinor conſiſtere, neque enim diceret Horatius facetũ carminis genus natura conceſſum eſſe Virgilio, decoris hanc magis & excultæ cuiuſdam elegantię appellationem puto: Ideóque in epiſtolis Cicero hæc Bruti verba refert, ne illi ſunt pedes faceti, ac deliciis ingredientes mollius: quod conuenit cum illo Horatiano, Molle atque facetum Virgilio. hæc Quintil. *hoc erat, experto.* regreſſio ad id quod propoſuerat, vtpote ad diluendam inuidiam aduerſariorum: ſimul & ex ἀκολούθου declarat ſe gaudere molli & faceto carmine: quod Varroni Atacino & quibuſdam aliis (quorum nomina conſultò ſubticet) natura negatum dicit. Varro Atacinus cognominatus eſt à vico vel fluuio Galliæ Narbonenſis. Euſebius in Chronicis, P. Terentius Varro in vico Atace, inquit, in Prouincia Narbonenſi naſcitur Olympiade 175. qui poſtea trigeſimum quintũ annum agens Græcas litteras ſummo ſtudio didicit. Vide Quintil. lib. 10. *inuentore minor.* Hæc ironicôs intelligenda nemo infitiabitur, ſi cognouerit hic antitheſin eſſe tacitam, ſe, putà, molli carmine delectari, Lucilium verò duriùs ſcribere quod ſub reprehenſionem cadit: quo ergo pacto verè quis aſſerat Horatium eſſe Lucilio inferiorem? Si verò quis τὸ minor exiſtimet ad ætatem, non etiam ad carmen eſſe referendum, vt ita res ſeſe habeat (natus eſt enim Lucilius Olympiade 158. Horatius autẽ Olympiade 179.) tamen nõ crediderim de annis eſſe contentionem, ſed ſcribendi carminis ratione; quo nomine & quæ ſequuntur riſui ſubſeruiunt: an non eſt id Lucilio coronam detrahere, cum incompoſitũ, garrulum & lutulentum notare? *cum laude coronam.* videtur alludere ad illud Lucretij lib. 4. iuuatque nouos decerpere flores, inſignémq; meo capiti petere inde coronam. *at dixi fluere l.* Satyra 4. cùm flueret lutul. lutulentus autem propriè eſt luto & cœno plenus, πηλώδης πηγώδης. at hic pro vitioſo ponitur metaphoricôs. fluere lutulentum Lucilium, allegoricôs eſt eum ſcatere vitiis & inepta garrulitate. *ſæpe ferẽtem plura q. t. r.* notabilis ἀμφιβολία in his duobus verbalibus, tollenda, relinquendis; quę vel in bonam partem vel malam accipi poſſunt: nam ſi ſpectes eum fluere lutulentum, id eſt, vitiis redundantem, ſenſus erit, plura in eo tollenda eſſe, hoc eſt, excipienda, reſcindenda, damnandáque relinquendis, hoc eſt, quàm quæ relinquantur & probentur; in qua ſententia videtur eſſe Quintilianus: ſin autem examines quæ continuò ſubſequuntur, videberis aduerſari debere priori ſentẽtię, ita vt tollenda probentur, & damnentur relinquenda, hoc eſt, plura ſint imitatione digna: in qua opinione ſunt alij propter dictionum verbalium proprietatem & vſum: ſed ea ratio infirmior eſt. malim ſic à minore colligere: ſi quid in magno reprehendas Homero, cur mihi non licebit in aliquibus docere incompoſitum fuiſſe Luciliũ? *doctus.* εἰρωνικῶς. *comis.* vrbanus, facetus. ſed quæ vrbanitas quæſo in garrulitate, & nimis mordaci dicacitate, cuius vbique inſimulat Lucilium? *numerum dura.* plerumque enim ornari res ipſa negat, contenta doceri; iuxta Maniliũ. *ac ſi quis pedibus quid claudere.* hanc lectionem habent omnes ſcripti codices quos ſecutus ſum, vt hæc ſit ſententia, perinde ac ſi ſatis hoc ſit ad commendationem nominis, ſi quis amet ſcripſiſſe ducentos ante cibum verſ. &c. hoc vno ſit contentus, vt aliquid verſibus Heroicis poſſit deſcribere, ita vt interrogationis continuitas vſque ad τὸ fuerit, perduret. Lambinus legendum cenſet hoc modo, *at ſit quis pedibus quid c. ſ.* ſed neſcio an id aſſerat ex ſcriptis codicibus. Duo codices Biand. Ditiæ. Buſl. habẽt, *ac ſi quis pedibus qui c. ſ.* &c. Claudere verbum pertinet ad rationem & numerum carminis hexametri, quod ſenis pedibus clauditur, finitur & conſtat. *ſcripſiſſe.* Enallage temporis plusquàm perf. pro præſenti ſcribere. *ducentos* multos; finitum pro infinito. *Etruſci quale fuit C.* hæc tacita quædam nota eſt Caſſij Seueri Parmenſis, ab ingenio nimis quàm ſatis luxuriante, ſed ea non multùm abeſt à laude, erat enim Caſſius poëta nõ ignobilis; quod ſubindicat hoc ad Tibullum lib. 1. Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat. *capſis quem fama eſt.* de genere mortis ipſius Caſſij diſſentit

ſij diſſentit ab Horatio Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. de ſomniis. Præterea Oroſius lib. 6. cap. 19. Et Caſſius Parmenſis, inquit, vltima violatæ partis Cæſaris victima, &c. fuerat enim ſecutus parteis Caſſij & Bruti contra Antonium & Cęſarem, vt videre eſt apud Appianum Alexand. bellorum Ciuil. lib. 5. *ambuſtum propriis.* occaſionem ſumſiſſe videtur quòd tot ſcripſerit libros, vt facilè nulla alia materia adhibita ex iis rogus conſtrui potuerit, inquit Woulardus. *fuerit Lucilius in.* Conceſſio ad euincendã vel inuitis aduerſariis aſperam Lucilij garrulitatem. *fuerit limatior idem quàm ru.* ordo verborum talis eſt, fuerit idem Lucilius auctor carminis Satyrici intacti Græcis, limatior quàm rudis, &c. ita vt τὸ quàm, medium locum teneat inter comparatiuum & poſitiuum eiuſdem caſus, non ſatis vſitata (fateor) ſtructura; vſitatiùs namque dixiſſet limatior quàm rudior: verùm vt auctores extra inuidiam collocati, conſultò ſæpe negligunt ſuperſtitioſos grammaticos, ita nihil opus eſt ornatioris dictionis gratia, obſcuriùs & perturbatiùs interpretari ſententiam, quàm clarius & commodiùs. Quin ad hanc quoq. loquendi formam Columella lib. vlt. ſic ſcribit: idcirco reddit timidiorem quàm virilem pluribus. *Græcis intacti carminis.* carminis, putà, Satyrici, quod genus poëmatis Græci non tractarunt, nam Satyra, inquit Quintilia. lib. 10. tota noſtra eſt. *poëtarum ſeni. turba.* contemtim ſeniores Latinos poëtas turbam nominat, propter carminis ruditatem. *delatus in æuum.* vnus codex Bland. habet, dilatus; tres reliqui cum Mart. delapſus: Buſl. Nan. Diuæ. & Tonſ. delatus. *ſæpe caput ſcab.* caput ſcabere, vngueis arrodere, geſtus hominis ſunt cogitabundi, & de mutando, cuius pœniteat, agitantis intra ſe. Quintil. lib. 11. In hac cunctatione, inquit, ſunt quædam non indecentes (vt appellant Scænici) moræ, caput mulcere, manum intueri, infringere articulos, &c. *ſæpe ſtylum ver.* præceptum de cura iudicióque in ſcriptis prius adhibendo quàm euulgentur. ſtylum autem vertere, eſt mutare quod ſcripſeris: ſumta metaphora à ſtylo graphiario maiorum, qui in tabulis ceratis, quod acutiore ſtyli parte inaraſſent, inuerſa ſtyli latiore, æquor cereum, litteris oblitteratis iterũ complanabãt. Hinc eſt illud Cic. Verr. 3. timuit aliquãdo & cõmotus eſt, vertit ſtylũ in tabulis ſuis quo facto cauſam omnẽ euertit ſuam. *vilibus in ludis.* Cõmentator hæc verba refert ad ludos litterarios; quod ſanè vt nõ penitus improbẽ, ita malim pertinere ad ludos Scenicos, quos vileis appellat à vili & cõtemta plebecula. *non ego.* ſupp. volo ſeruire Scenæ, ſeu mea carmina in Scenam produci. vult itaq. Horatius vnũquemq. ſuũ noſſe ingeniũ, acrémq; ſe & bonorũ & vitiorũ ſuorũ iudicẽ præbere, ne Scenicis plus tribuant prudentiæ iudiciiq. quàm ſibimetipſis. *equitem.* vel Mæcenatẽ, vel optimũ & doctiſſimũ quemq. *exploſa Arb.* præter corruptores Horatij opinor eſſe neminẽ, qui Arbuſculã ſcribat mimã fuiſſe aliam à meretrice, cuius & Seruius meminit in Gallo, & alij. cur autẽ id cenſeã, mihi auctor eſt ipſe Horatius ſuprà Ecloga 2. in Orig. meretrice, quã mimã quoq. nominat, inquiens, Vt quondã Marſæus amator Originis ille qui patriũ mimæ donat fundúmq. larémq. *Pantilius.* è Græco effictũ vocabulũ, ſignificat omninò vilẽ aliquẽ poëtam, παντιλλύος, omninò mutilus, & vilis. eundẽ quoq. cimicẽ cognominat, ab oris fortaſſe fœtida maledicentia, aut pędore corporis, inſtar cimicis putidiſſimi. *Fannius.* Non eſt hic C. Fannius à quo lex Fannia lata eſt, qui fuit ante tertiũ bellũ Punicũ, gener Lælij; verũ eum fuiſſe autumo, quẽ Appianus lib. 5. bellorũ Ciuil. ſcripto tradidit Sexto Põpeio fuiſſe cariſſimũ, quémq. Velleius Paterculus ſcribit bellis omnibus ſopitis, odiſſe ſtatũ Reipub. feliciſſimũ, inquiẽs, erãt tamẽ qui hũc feliciſſimũ ſtatũ odiſſent: Quippe L. Murena & Fannius Cepio, diuerſis moribus: nã Murena ſine hoc facinore potuit videri bonus, Cepio & hoc antẽ erat peſſimus; cùm iniſſent occidendi Cæſaris cõſilia, oppreſſi auctoritate publica, quod vi facere voluerãt, iure paſſi ſunt. Et iã mortuo ſepeliendóq. fortaſſis honoris ergô, & familiæ eius cõſblandæ, à Senatu delatæ capſæ ſunt & imagines, tamquã bono poëtæ, vt habet Horatius Ecloga 4. ſuprà. *Plotius.* Tucca vnà cũ Varo Aeneidos emẽdator. *Mæcenas.* C. Mæcenas Cilnius, vt adnotauit Onufrius Panuinus. *Valgius.* Titus Valgius, à Tibullo laudatus. Seruius refert hæc Valgij carmina, Sed nos ante caſam tepidi mulgaria lactis, & ſinũ vini ceſſamus fundere Baccho. *Octauius opt.* P. Victor. variarũ lect. lib. 14. cap. 7. hũc vult eũ eſſe qui in Epigrãmate quodã celebratur Romanæ ſcriptor hiſtoriæ: Ego certè propter epithetõ optimus, potius iudicarim hic ſignari Octauiũ Auguſtũ, qui manſuetudine & morũ facilitate mirabiliter ab omnibus cõmendatur. & poëta fuit nõ incelebris. *ſimul his.* helleniſmus ἅμα τούτοις: ſic ἅμα ἐμοί, mecũ. *compluris alios.* per enumerationem colligit amicos ſuos viros bonos & doctos, quibus ſi placere ſe intelligat, pro nihilo habet reliquã turbã imperitorũ hominũ, qualeis fingit Demetriũ, & Tigellium, quibus mandat & precatur οἰμώζειν, hoc eſt, plorare, lugere inter cathedras, in conuerſatione, cõſeſſu & familiaritate mimarũ & hiſtrionũ, quos edoceant geſticulari, & recitare ſua carmina in vilibus ludis. *I puer.* abrupta apoſtrophe cum indignatione. *citus.* ἀντιμερία nominis pro aduerbio. Virg. nec gregibus nocturnus obambulat, id eſt, noctu.

SATYRARVM LIBER II.

ECLOGA PRIMA.

TREBATIVS.

SVNT quibus in Satyra videar nimis acer, & vltra
Legem tendere opus: ſine neruis altera, quicquid
Compoſui, pars eſſe putat: ſimileiſque meorum
Mille die verſus deduci poſſe. Trebati,
Quid faciam, præſcribe. Quieſcas. Ne faciam, inquis,
Omnino verſus? Aio. Peream malè, ſi non
Optimū erat. verùm nequeo dormire. Ter vncti
Tranſnāto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto:
Irriguúmque mero ſub noctem corpus habento.
Aut, ſi tantus amor ſcribendi te rapit, aude
Cæſaris inuicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt. neque enim quiuis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereunteis cuſpide Gallos,
Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi.
Attamen & iuſtum poteras, & ſcribere fortem,
Scipiadam vt ſapiens Lucilius. Haud mihi deero,
Cùm res ipſa feret. niſi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem:
Cui malè ſi palpere, recalcitrat vndique tutus.
Quantò rectius hoc, quàm triſti lædere verſu
Pantolabū ſcurram, Nomentanúmq; nepotem:
Cùm ſibi quiſque timet, quamquam eſt intactus, & odit?
Quid faciam? ſaltat Milonius, vt ſemel icto
Acceſſit feruor capiti, numerúſque lucernis.
Caſtor gaudet equis: ouo prognatus eodem,
Pugnis. QVOT capitū viuūt, totidē ſtudiorum
Millia. me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, noſtrûm melioris vtroque.
Ille velut fidis arcana ſodalibus, olim
Credebat libris: neque, ſi malè geſſerat vſquam
Decurrens aliò, neque ſi bene. quo fit, vt omnis
Votiua pateat veluti deſcripta tabella,
Vita ſenis. ſequor hunc, Lucanus, an Apulus, anceps:
Nam Venuſinus arat finem ſub vtrumq; colonus,
Miſſus ad hoc, pulſis (vetus eſt vt fama) Sabellis:
Quo ne per vacuum Romano incurreret hoſtis:
Siue quòd Apula gens, ſeu quòd Lucania bellum
Incuteret violenta. ſed hic ſtylus haud petet vltrò
Quemquam animantem: & me, veluti cuſtodiet enſis
Vagina tectus: quem cur deſtringere coner
Tutus ab infeſtis latronibus? ô pater, & rex
Iuppiter, vt pereat poſitum rubigine telum:
Nec quiſquam noceat cupido mihi pacis. at ille,
Qui me commorit, (melius non tangere, clamo)
Flebit: & inſignis tota cantabitur vrbe.
Seruius iratus leges minitatur, & vrnam:
Canidia Albuci, quibus eſt inimica, venenum:
Grande malum Turius, ſiquis ſe iudice certet.
Vt, quo quiſque valet, ſuſpectos terreat: vtq;
Imperet hoc natura potens, ſic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit. vnde, niſi intus
Monſtratum? Scæua viuacem crede nepoti
Matrem: nil faciet ſceleris pia dextera. mirum:
Vt neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos.
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: ſeu me tranquilla ſenectus
Expectat, ſeu mors atris circumuolat alis:
Diues, inops, Romæ, ſeu fors ita iuſſerit, exul,
Quiſquis erit vitæ, ſcribam, color. ô puer, vt ſis
Vitalis metuo, & maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat. quid cùm eſt Lucilius auſus
Primus in hūc operis cōponere carmina morem,
Detrahere & pellem, nitidus qua quiſq; per ora
Cederet, introrſum turpis? num Lælius, aut qui
Duxit ab oppreſſa meritum Karthagine nomen,
Inge-

Ingenio offenſi? aut læſo doluere Metello?
Famoſiſque Lupo cooperto verſibus? atqui
Primores populi arripuit, populúmq; tributim,
Scilicet vni æquus virtuti, atque eius amicis.
Quin, vbi ſe à vulgo, & ſcena, in ſecreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Lælî:
Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec
Decoqueretur olus, ſoliti. quicquid ſum ego, quamuis
Infra Lucili cenſum, ingeniúmque, tamen me
Cum magnis vixiſſe inuita fatebitur vſque
Inuidia: & fragili quærens illidere dentem,
Offendet ſolido. niſi quid tu, docte Trebati,
Diſſentis. equidem nihil hic diffindere poſſum.
Sed tamen vt monitus caueas, ne fortè negoti
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum:
Si mala cōdiderit in quem quis carmina, ius eſt,
Iudiciúmque. eſto, ſi quis mala: ſed bona ſi quis
Iudice condiderit laudatur Cæſare. ſi quis
Opprobriis dignum latrauerit, integer ipſe?
Soluentur riſu tabulæ: tu miſſus abibis.

COMMENTATOR.

AD Aulum Trebatium ſcribit iuriſperitum, quem conſulit quidnam faciat, quoniam quibuſdam nimis acriter videbatur in mores Romanorum inſurgere, aliis autem nimis erat remiſſus & lenis. Hic autem Trebatius eques Romanus iuriſperitus fuit, qui & aliquot libros de iure ciuili, & de religionibus nouem compoſuit: Quoniam autem hic quid Ecloga ſit quæri ſolet, ſciendum eſt quòd Ecloga hæc nomina ſub ſe cōtinet: ſi ad Iouem, proſodia dicuntur; ſi ad Apollinem, Dianam aut Latonã, Pæanes; ſi ad Liberũ aut Semelen, dithyrambi; ſi ad ceteros deos, hymni: ſi ad homines laudãdos, vituperãdos, reprehendendos, lugendos, odæ ſunt & Eclogæ, ſunt enim breuia poëmatia. *nimis acer.* maledicus, mordax vltra modũ, &, pluſquã oportet, aiũt me lacerare, & inuehi in mores aliorũ. *vltra legem.* Satyræ. lex autem Satyræ, ea tantummodo reprehendit quæ digna ſunt reprehenſione. Et mirè legem dicit, quia ad iuriſperitũ ſcribebat. *tendere opus.* ſæuire maledicendo. *ſine neruis.* aiunt eſſe nimis lenem, & parcere indignis: vel dicunt verſus meos nullius eſſe momẽti, & carere viribus ingenij. *deduci.* ſcribi, componi. *præſcribe.* ſtatue tanquã ex lege quid debeam facere: iucundè ad iuriſperitum, cuius erat dubia interpretari & exponere; vnde ſunt in iure ciuili reſponſa prudentum. *quieſcas.* reſpondet Trebatius. *ne facias.* Horatius. *aio.* Trebatius. *peream malè.* Horat. *ter vncti t. T.* hoc eſt, qui facilè dormire nequeunt, per Tiberim tranſnatent, & fatigati multis ſe potionibus impleant, quo ſomnus facilis accedat, hoc enim melius eſt, quàm aliquem ſuo periculo laceſſere: ſeſe etiam ſub noctem exercere in conſuetudine fuiſſe veteribus etiã alio loco ſignificat, dicẽs, te per gramina Martij campi, te per aquas, dure, volubileis. *alto* multo. *irriguum m. e.* plenum, madidum, perfuſum. *ſub noctem.* paulò ante noctem, veſpera ſcilicet aduentante. *habento.* habeant. vide, vt directis iuriſconſultorum verbis vtitur ad Trebatium iuriſconſultum. *aude.* propter difficultatem & grauitatem carminis Heroici, inquit, aude. *cupidum pater.* elegãter his paucis verſibus oſtendit ſe præſtare poſſe quod negauit. *deficiunt.* deſtituunt. *fracta cuſpide.* qua vulneratus erat hoſtis. vt Virg. Et venit aduerſi in tergum Sulmonis, ibíque frangitur. Ex hiſtoria de Mario hoc ſumtũ eſt, nam Marius aduerſus Santonas talia tela commentus eſt, vt fracta mitterentur, ne remitti ab hoſtibus poſſent. *attamen & i. p. c.* ſi non potes geſta Cæſaris ſcribere, at potes iuſtitiam & fortitudinem, vt Lucilius Scipioni fecit, qui vitam eius priuatam deſcripſit, Ennius verò bella. *Scipiadam.* Dicit non Scipionem, quod notandum eſt: hic autem Annibalem, ex Italia reuocatũ, vicit, vnde Africanus dictus eſt. *cùm res ipſa f.* cum fuerit opportunum tempus: ſibi autẽ deeſt, qui non facit quo ſibi opus eſt, & quod oportet. *niſi dextro t.* ordo eſt: verba Flacci non ibunt per attentam aurem Cæſaris, niſi dextro tempore, hoc eſt, nõ audientur à Cæſare, niſi opportuno tẽpore. *cui ſi palpere.* metaphoricôs, cui ſi aduleris & aſſenteris, offenditur. Palpari propriè eſt manib. mulcere. palpére dixit à verbo deponenti palpor palparis; dicitur & actiuè palpo, as; vel palpor, id eſt, blandior, aſſentor. *recalcitrat.* tranſlatio ab equis. ſenſus eſt, ſi quis ficta adulatione aggrediatur Cæſarem, repugnat, contemnit & reſpuit, nec ſe decipi patitur. *vndique tutus.* in omnibus ſuis rebus inacceſſibilis; vt Virg. Tuta lacu nigro. & eſt ſenſus, ſapientia vndiq; munitur, & omnium rerum cognitione. *quãto rectius hoc.* nimirum vt Cæſarem laudes, quàm Satyrico carmine ſcurram deſcribas. *triſti.* mordaci & Satyrico. *cùm ſibi quiſque.* hoc eſt, qui eodem vitio laborant, etiam te tacẽtem metuunt & oderunt. *quamquam eſt intactus.* exemplo nos terreri ſignificat, etiam ſi non lædamur: nã quod in alios fieri videmus, id etiam in nos futurum timemus.

memus. *intactus*. nec dum notatus & carmine laceratus. *quid faciam*. quid nũc vis me facere? nam à ſcribendo non magis abſtinere poſſum, quàm Milonius ebrius à ſaltando. *ſaltat Milonius*. ſcurra erat illorum temporum, qui cùm ſemel eſſet ebrius, ſtatim ſaltare incipiebat. *icto cap*. violentia capite perturbato. *feruor*. vini. *numerúſq; l.* ad opinionẽ ebrij accreſcit numerus lucernarũ ita vt non vnam lucernam aut lunam, ſed plureis arbitretur aſpicere ſe. Sic Lucretius: Bina lucernarum flagrantia lumina flammis, & duplices hominum facies, & corpora bina. Iuuenal. & geminis exſurgit menſa lucernis. *Caſtor gaud.* Duo fratres ex eodem ouo nati ſectantur diuerſa ſtudia. *equis*. equeſtri certamine *pugnis*. ceſtibus, pugillatu. & eſt Zeugma. *quot capitum*. Terentianum illud: quot homines, tot ſententiæ. ſuus cuique mos eſt. ſinguli homines ſingula ſtudia captant. *noſtrum melioris v.* hoc eſt, qui melior fuit & te & me ô Trebati, cenſu & natalibus. fuit enim vir bonus & valde nobilis, vtpote Magni Pompeij auus. *Lucilij ritu*. more Satyrico. *ille velut fidis*. hoc Lucilius ex Anacreonte traxit & Alcæo Sapphóq; Græcis lyricis, quos ait Ariſtoxenes libris propriis amicorũ loco vſos fuiſſe. *fidis*. non prodituris. *ſodalibus*. amicis. *decurrens aliò*. ad aliud vitæ genus, quàm ad libros ſuos. *quo fit*. vnde fit. *vt omnis* ordo eſt, omnis vita ſenis. *votiua*. votiua tabula eſt, quę ex voto poſita eſt in templo aut aliquo loco publico, in qua deſcripta, hoc eſt, depicta eſt fortuna alicuius. Ita ſolent naufragi, ſuũ naufragiũ in tabella depictum, circumferre, & in templis alicui Deo conſecratũ ſuſpendere. ad hunc Modũ Lucilij ſenis vita tam clara eſt in ſuis libris, quaſi eſſet depicta in aliqua tabula. *Lucanus an Apulus*. id eſt, ego dubius ſum & incertus: nam Venuſini Lucanis ſunt affines & Apulis. *nã Venuſinus*. quoniam oppidũ Venuſinum in confinio Lucaniæ & Apuliæ poſitũ, habitatur à Romanis colonis, eò miſſis ob hanc rem, vt ſiue Apuli, ſiue Lucani bellũ Romanis mouerent, per Venuſinos prohiberentur. Venuſiũ autem oppidum eſt vbi natus eſt Horatius. *finem ſub*. prope, iuxtà. *miſſus ad hoc*. eò miſſus erat Romanus colonus, eo tempore quo à Romanis Sabini victi ſunt. *quo ne per vacuum*. vt ne per vacuũ locum Sabellis expulſis, iter Lucanis ad Romanos eſſet peruium. *vacuũ*. cultoribus, ſiue incolis, id eſt, nullis obſtantibus. *incuteret bellum*. moueret. *violenta*. bellicoſa. *ſed hic ſtylus*. ego neminẽ laceſſam vltrò, ſed vtar lingua mea tãquam gladio, magis ad tutandũ me, quàm alium irritãdum. *quemquã animant*. Viuũ hominẽ & animã habentẽ. *quem cur diſtrin*. cur gladium velim diſtringere, ſi nemo maledicus me perſequatur? *latronibus*. maledicis. *ô pater*. optantis eſt. vt, ô falſa potius formidine ludar. *vt pereat*. vtinam pereat, vtinam omnes ſint inſontes, vt nulla ſit cauſa, cur vtar hoc ſcribẽdi ſtylo. *qui me cõmorit*. cõmouerit, laceſſiuerit, prouocauerit. *melius non tang*. parentheſis, qua conſulit maledicis, ne de ipſo malè loquãtur. *flebit*. dolebit, Græciſmus. οἰμώξει. *inſignis*. notatus. *cantabitur*. diuulgabitur meis carminib. *Ceruius irat*. Ceruius Aſcanij libertus, calumniator accuſauit Cn. Caluinũ lege de ſicariis. *vrnã*. reorũ, id eſt, damnationẽ, quia pro ſorte quæ acciderat, damnabatur vel abſoluebatur reus. vel *vrnã*. ad reiectionem iudicum; quia vt iudices ſorte eligebantur, ita & ſorte reiiciebãtur. *Canidia Albuti*. ſupp. filia. vt Virg. Deiphobe Glauci. Canidia autẽ poſita eſt pro Gratidia. *grande malũ Turius*. ſupp. minatur. C. Martium Turium ſignificat iudicem corruptiſſimũ, qui accepta pecunia pro reis pronunciare ſit ſolitus, qui fidem ſuam corruperant: hic etiam quo tempore Verres reus erat, diuerſi coloris tabulas fertur dediſſe, cera notatas, vt ſciret qui pro ſua volũtate iudicaſſet, nam ſua nomina centumuiri nõ adiiciunt. *vt quo quiſq;*. quomodo vnuſquiſq. terreat, & vlciſcatur ſe de inimicis ſuis, & quo pacto hoc ſit omnibus à natura datũ, audi & cognoſce mecum, & intellige. *niſi intus m.* à natura inſitum. *Scæua viuacem* εἰρωνικῶς hoc totũ dictũ eſt, crede huic longæuæ matris ſuę vitã, eius pia dextera (ironicôs) nihil faciet ſceleris, hoc eſt, vt eam perimat, nullo gladio, ſed veneno vtetur. Scæua luxurioſus quidam fuit, qui matrem dato veneno necauit, propterea quòd ei nimis diu viueret; ætas enim parentum longæua luxurioſis & perditis ſemper eſt moleſta. ſic Cic. pro Scauro: Libertus patronum non occidit, ſed duobus digitulis gulam obliſit. *vitiato*. corrupto, hoc eſt, noxia potione. *ne longum*. ne multa dicam. *quiſquis erit v.* hoc eſt, quicumque me vitæ exitus manet, quicumque ſtatus aut modus vitæ meæ fuerit, non deſinam aliquid ſcribere. *fors*. fortuna. *color*. qualitas, ſtatus, condicio, modus. *O puer, vt ſis v.* verba Trebatij ad Horatiũ: ô Horati, ne non ſis vitalis, metuo, id eſt, ne citò pereas, nam poteſt te quiuis ex potentioribus, à te laceſſitus, occidere. *ne quis amicus*. pro inimicus per antiphraſim. *frigore te f.* morte te afficiat, quæ frigida eſt, vt Virg. frigida mors. *quid cùm Lucilius*. rogat Horatius, quid paſſus eſt Lucilius, cùm in multos dixiſſet principes ciuitatis? *morem*. Satyricum. *detrahere & pell.* detrahere pellem, eſt reuelare vitam, detracto vitij velamento, nempe, hypocriſi, quæ honeſtatis & probitatis opinionem in animis multorũ generare ſolet. *nitidus*. bonus & honeſtus ciuis. *cederet*. incederet & lateret. *introrſum t.* malæ mentis.

mentis. *num Lælius.* Lælius hic ſocer Scipionis fuit. *& qui duxit.* Scipionem Africanum putat qui Africam ſubegit, vnde Africanus; Numantiamque funditus deleuit, vnde Numantinus dictus eſt. *ingenio.* carmini irati, tanquàm læſi à Lucilio, fuere. *Metello.* Macedonici filio. Q. Cæcilius Metellus conſularis, filios conſulares vidit, & ab illis elatus eſt: hic potens fuit tempore Scipionis Africani; & cùm in concione quędam contra ſe decreta declamaret, Scipio ait, hi ſunt quos Annibali eripui. patere ergo, inquit, nos liberos eſſe. ob hæc & alia Lucilius, in gratiam Scipionis, eum carpſit, quamuis amicum. *famoſiſq; Lupo.* criminoſis, maledicis. P. Rutilius Lupus conſul fuit cum L. Iulio Cæſare, anno ab vrbe condita 664. *cooperto v.* compreſſo & increpato. *arripuit.* culpauit, lacerauit, ſecuit, perſecutus eſt. *tributim.* per tribus. *æquus.* amicus, vnicam diligens virtutem. *amicis.* virtutis. oſtendit nulla maleuolentia Lucilium perſecutum eſſe multos, ſed amore virtutis. *quin.* ſupp. etiam, id eſt, inſuper. *à vulgo & ſ.* à publico conſpectu. *ſecreta.* loca, intra ſuos parietes. *remórant.* remouerant, per ſyncopen. ſic Terent. commorat ibi omneis nos. *virtus Scipia.* periphraſis, id eſt, Scipio & Lælius. *Lali.* per apocopen, pro Lælij. *nugari cum l.* Iocari ſolebant cum ipſo Lucilio. *& diſcincti ludere.* non veſtem, ſed expediti maioribus negotiis & depoſitis ſeriis. Scipio Africanus & Lælius feruntur tam fuiſſe familiares & amici Lucilio, vt quodam tẽpore Lælio circum lectos triclinij fugienti Lucilius ſuperueniens, eum obtorta mappa quaſi feriturus ſequeretur. *decoqueretur olus.* donec cœna pararetur. oſtendit per herbas eos fuiſſe ſobrios. *infra Lucili c.* hoc eſt, etſi non ſum eorum nataliũ quorum Lucilius fuit: conſtat enim Lucilium maiorem auunculum Pompeij fuiſſe, etenim auia Põpeij ſoror Lucilij fuerat. *cum magnis.* Auguſto, Pollione, Mæcenate, & aliis. *inuita.* nolens. *fragili quærens.* id eſt, volens inuidia me fragilem lædere, impinget in ſolidum, & inueniet me talem qui poſſim reſiſtere mordacibus & maledicis. Illidere dentem, dixit metaphoricôs. *niſi quid tu d. T.* niſi tu fortaſſe refutas quæ dixi. *nihil hinc diffindere.* ait Trebatius. infirmare, mutare, differre: vtitur Trebatius iuris antiqui verbo: Prætor enim ſolebat dicere, hic dies diffiſſus eſto. *ſed tamen vt m. c.* ſupp. fac, id eſt, conſentio tibi, te ſolidum & fortem eſſe, ſed tamen fac vt caueas admonitus, ne ignorãtia legis venias in diſcrimen & periculum. *ſanctarum.* aut participium eſt à ſancio, id eſt, firmatarum: aut nomen, & ſignificat inuiolatarum: aut ſanctarum, id eſt, ſacrarum, vt fœdus ſanctum dicitur & ſacrum. *inſcitia l.* ignorantia legum; quibus cautum erat, ne quis in quenquam maledicum carmen ſcriberet. eleganter iuriſperitus de legibus loquitur. *ſi mala con.* maledica & contumelioſa. *ius eſt.* lex 12 tabularũ. *iudiciúmq;.* actio ex lege. *eſto.* Horatius loquitur. *ſi quis mala.* inepta, ridicula: amphibolia eſt in dictione, mala, nã ſemel ſignificat, famoſa; & ſemel, inepta. *latrauerit.* allatrauerit, lacerauerit, perſecutus fuerit. *ſoluentur riſu t.* vel ſubſellia, vel leges 12. tabul. vel iudices non erunt in eum ſeueri. *tu miſſus abibis.* dimiſſus abſolueris, impunitus & ſecurus dimittêris, nihil periculi patieris. hæc verba ſunt Trebatij, ſoluentur riſu t. t. m. a. hoc eſt, ridebũt leges, & veniam merebitur à iudicibus, ſi aliquem, ipſe extra noxam poſitus, iure lacerauerit.

CRVQVIVS.

INiquè ferens Horatius ſuos verſus ab aduerſariis in calumniam rapi, ſcribit ad Trebatiũ iuriſconſultum, tamquàm de iure calumniæ eum conſultaturus, quid ſibi faciendum ſuadeat. Cui Trebatius cùm perſuadere nequiret vt otium ageret, ſcribendíque finem faceret, propterea quòd hoc ei à natura comparatum eſſet vt verſus ſcriberet, amicè monere videtur, vt Cæſaris vitam, mores & res egregiè geſtas ab obliuione hominum & ſilentio potiùs vindicaret, quàm vt vilem aliquem ſcurram ſuis coloribus depingeret: nimirùm quòd hoc carminis genus omnibus ex æquo, malè metu, eſſet odioſum: verùm quando nec hoc impetrare ab eo poteſt, propterea quòd Lucilij numeris & carpendi ritu gauderet, tandem hoc agit Trebatius, vt id ſaltem caueat, ne iuris ignoratione incurrat maledicendo in legem & actionem de famoſis libellis. *ſunt quibus. ſeris vls.* Helleniſmus per ellipſin. exorditur ab inæqualitate cenſuræ popularis de iis ſuis ſcriptis diiudicandis; quibus mores inſectatur & Romanorum vitia, quæ aliis quidem acriora nimíſque mordacia, aliis verò remiſſiora, & minus habere acrimoniæ videbantur. Hic autem verſus, Sunt quibus in Satyra v. n. a. &c. (vt aliâs diximus) in cauſa eſt, cur hi ſeriò ſint inſcripti libri Satyrarum; verùm quàm id factum non ſit ex ſententia Horatij, facilè is deprehendet cui cum viris aliquot doctiſſimis perſuaſum fuerit, nulla vmquam Horatij ab initio Satyrarum numeroſa volumina extitiſſe, ſed ſuccincta quædam, lepidáque ſigillatim ad amicos miſſa poëmatia, quæ viri poſtea leporis Horatiani amantes ſelecta digeſtáque, Eclogas inſcripſerunt. Quod etiamnum ex Satyra vlt. lib. 1. non obſcurè licet coniicere, Horatium, putà, non populo, ſed amicis ſcripſiſſe, vbi ait, hæc ego ludo, quæ nec in æde ſonent

certantia iudice Tarpa, nec redeant iterum atque iterum ſpectanda theatris. Deinde Satyr. 4. nulla taberna meos habeat, neque pila libellos queis manus inſudet vulgi, Hermogeniſque Tigelli, non recito cuiquam niſi amicis, &c. *vltra legem.* non Satyræ vel Satyriam, vt habet Pſeudacro & alij, quæ lex eſt multis aliis conferta legibus, teſte Feſto Pompeio, ſed vltra legem, hoc eſt, vltra modum, & viſitatam in notandis vitiis conſuetudinem; perinde acſi ſine perſonæ delectu, ferociùs quoſuis laceraret. *tendere opus.* intendere, exacerbare, moliri criminationem mordaciorem. *ſine neruis, ἄνευρον, ἐκνενευρισμένον.* metaphoricôs. nam vt in corporibus oſſa neruis compacta ligatáque firmãtur validiúſque ſubſiſtunt, ita oratio neruoſa eſt, quæ ſuis rebus & ſententiis appoſitè connexa, verborum eleganti maieſtate & pondere ſuffulcitur, elucidáq; ſua claritate diſcutit lectionis omne tædium. *præſcribe.* reſponde: ex more prudentum, quorum reſponſa pro legibus habita ſunt. *ne faciam in.* lepida reſponſi interpretatio, nam pro auctoritate iuriſconſulti Trebatij inducit Horatius eum vno verbo reſponſa dare, nimirùm, quieſcas, aio. Quæ res videtur arguere Trebatium ſatis elati animi, eumque callidè Horatius naſo adunco ſuſpendere, fortaſſe propterea quòd ex iis eſſet qui verſus Horatianos tanquam nimis eneruatos calumniabantur (erat enim Epicus poëta non inter poſtremos, vt habet Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 23. ad finem) & idcirco eos ſe timere latenter innuit, inquiens, *cùm ſibi quiſque timet,* &c. Quo nomine quoque ſi non abſtineat à maledicendo, videtur Trebatius ei mortem minari, inquiens, ô puer vt ſis vitalis metuo, &c. verùm hæc ita dextrè luduntur ab Horatio, vt nihil minùs quàm ridere videatur. Nõ me clã eſt ab aliis hîc me diſſentire, quare cũ eo quoque non pugnabo qui à me diſſentiet. *peream malè.* aſſentitur quidem, ſed planè ridiculè, nã cauſam ſubdit riſu dignam; quæ ſe vel nolentem cogit verſus dictare, vtpote, quòd nõ poſſit, dormire. *ter vncti t. t.* Conſiliũ iureconſulti, forma quadam, antiquo iuri reſpondendi propria, datum de ſomni cauſis, quod cùm ſit medicũ, non etiã iuris, non caret tacita ſua energia. Tres autem ſomni conciliãdi cauſas reſpondet, vnctionem, natationis exercitium, & potationẽ. De exercitamẽtis ſalubribus, legito enarrationem Pantini in caput 1. lib. 1. C. Celſi. *aut ſi tantus amor.* poſt ludicra Trebatius nunc ſeriò reſpondere videtur, ſed nõ multò rectiùs tamen conſulere. nam qui pro arbitratu ita leuia aut mediocria deſcribere nequit vt placere poſſit, qua is ratione commendabit ea quæ in ſublimi verſantur; qualia ſunt geſta Cæſaris. *multa laborum.* ſuadet ab vtili, vt deſcribat fortia facta Cæſaris. *cupidum pater op.* Honeſta ſententia eſt: non vult enim Horatius maiora conari quàm pro facultate & viribus ingenij. atque hoc eſt quod alibi dicit, ſuo ſe metiri modulo. *neque en. ro quiuis h. pi.* hi verſus ſumti videntur aut ex metris Trebatij de bello Parthico, Gallicóve, vel alterius poëtæ. *horrentia. ἀμφαγία,* pro horrida, ab effectu, quod horrorem incutiant hoſtibus. *deſcribat.* ſic habet codex Mart. ceteri, aut deſcribit, aut deſcribet. *attamen & iuſtum.* correctio, qua Trebatius hortatur Horatium, vt Cæſarem præconiis illuſtret à iuſtitia & fortitudine, ſi non omnia eius geſta decantare valeat, idque vt faciat exemplo Lucilij, qui Scipionem dignis encomiis celebrauit. *haud mihi deero.* faciam quod in me erit. *niſi dextero tempore.* τὸ niſi, excipientis eſt & metuẽtis ne aliquando tẽpus opportunũ nõ habeat adeundi Cæſaris, ſuáq; ei ſcripta exhibendi. ſubauditur autem τὸ nã, vt hic ſit ordo, nam verba Flacci nõ ibũt per attentam Cæſaris aurẽ, niſi dextro tẽpore, hoc eſt, cùm vacat à rebus tam ciuilibus quam bellicis gerendis. attenta auris hic eſt prudens quæ audita diſcernit, vera ne ſint an falſa. In vno ex codicibus Bland. habetur hęc lectio, aut mihi deero cùm res ipſa feret, aut dextro tempore Flacci verba per attentam, &c. quam lectionem propter claritatem facilè cenſeo vulgatæ præferendam. *cui malè ſ. p.* malè palpari, eſt valdè aſſentari, & modum excedere; quod qui facit Cæſari, is ſibi deeſt & nocet, ad ea namque Cæſar recalcitrat (metaphoricôs) vndique tutus, ἀσφαλής, non enim fallitur. *quantò rectius.* ab honeſto & decoro Trebatius nititur inducere Horatium, vt hoc amet, & Cæſarẽ laudibus efferat. diſſuadens Satyram ab inhoneſto & periculo, od. óque. *quid faciam* huiuſcemodi interrogatione ferè vtimur in contentione, vbi nos aut aliud ſentire, aut non ita facto opus eſſe, clarè docemus. tale eſt illud in Tityro, Quid facerem? neque ſeruitio me exire licebat. *ſaltat Milonius.* ab inductione huius generis. *Quot capitum viuũt.* &c. colligit ſibi à natura eſſe inſitũ, vt verſus ſcribat Lucilij ritu, hoc eſt, Satyrico carmine vitia carpat. *ſaltat Milonius.* quaſi aliud agens taxat Milonium, quòd is in ſaltum propenſus eſſet ſi quando vino incaleſceret, quando ſcilicet quod in animo occultum eſt, profertur in apertum. ait itaq; ſe ſcribendo nõ magis abſtinere poſſe, quàm Milonium ebrium à ſaltando. *acceſſit feruor cap.* hoc eſt, vt ait Anacharſis apud Athenæ. lib. 10. ὅτι ψευδεῖς δόξαι τοῖς μεθύουσι γίγνονται, quando falſæ opiniones accidunt temulentis: & quando ea quæ ſimplicia ſunt, apparẽt multiplicia. Refert autem Athenæus eodem loco non infacetum Anachar-

ſidis

ſidis reſponſum: συμπότης γὰρ τις ἰδὼν αὐτοῦ τὴν γυναῖκα ἐν τῷ συμποσίῳ, ἔφη, ὦ Ἀνάχαρσι, γυναῖκα γεγάμηκας αἰσχράν, καὶ ὅς ἔφη, πάνυ γε κἀμοὶ δοκεῖ. ἀλλὰ μοὶ ἔγχεον, ὦ παῖ, ποτήριον ἀκρατέστερον, ὅπως αὐτὴν καλὴν ποιήσω. hoc eſt, cùm quidam è conuiuis vidiſſet ipſius vxorem in conuiuio, inquit, O Anacharſi, vxorem duxiſti valde deformem. Et ille, Prorſus, inquit, idem mihi videtur. ſed heus puer porrige poculũ meracius, vt illã formoſam faciã, nam ebrio τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται, vt habet Theocritus, hoc eſt, deformia pulchra videntur. *Quot capitum.* γνώμη celebratiſſima: Quot homines, tot ſententiæ, inquit Terent. Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus, ait Perſ. velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno. Hanc ſententiam expoliuit prima ode lib. 1. & Satyra 1. lib. 1. *noſtrum melioris v.* Laus Lucilij ab æquitate, conſtantia, & vitæ probitate; cum enim ne ſibi quidem plus peperciſſe ait, ſi quando à recto diſcederet, quàm alij cuiuis: eóque dicto tacitè Trebatium inſimulat arrogantioris animi: quod ne in peiorem partem accipiat, ſe ipſe ſuo more ſocium ei vitio adiungit, nam Lucilium & ſe & Trebatio fatetur fuiſſe meliorem. *ille velut fidis.* expolitio eius dicti, noſtrum mel. vtro. Erat, inquit, tãta fide & ſinceritate Lucilius, vt nihil omnino ſilentio tranſeundum, ſed ſcriptis mandandum putarit, quicquid vſquam domi, foríſve, bene maléve geſſiſſet: hinc tota ſenis vita ex actis, ex ſcriptis non minùs à quouis cognoſci poteſt, quàm ſi in tabella aliqua ad viuum delineata fuiſſet. *fidis ar.* Libri ſunt fidi ſodales arcanorum. *neque ſi malè geſſerat.* ſic habent omnes ſcripti codices, & exiſtimo non eſſe inferiorem altera lectione, quæ habet, ceſſerat; nam ex eo quod quis bene vel malè geſſit, eius vita laude vel vituperatione digna cenſenda eſt, non item ſi quid cui vel bene vel malè cedat, quod fortunæ potiùs quàm perſonæ aſſcribi debet, vt omittam τὸ ceſſerat, non ſatis aptè poſſe accommodari τοῖς arcanis, quæ bene geſta vitam commendant, contrà, ſi malè. *vſquam.* ſic habent omnes codices præter Diuæ. & vnum Bland qui habẽt vnquam. verùm in eius mutatione non magna vis eſt. de rebus autem geſtis à Lucilio, ſic obiter ſcribit Velleius Paterculus, lib. poſteriore, Celebre & Lucilij nomen fuit, qui ſub P. Africano. Numantino bello eques militauerat. *decurrens aliò.* aliò quàm ad libros ſuos, non deflectens ab inſtituto vitæ curriculo ad viuendi aliud genus. Laus à conſtantia. *vita ſenis.* cur ſenis? Nã ſi fides adhibẽda eſt Euſebio in Chronicis, mortuus eſt Lucilius anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto. An quòd multis annis præceſſiſſet Horatium? An ex eorum ſententia, qui indignè ferebant eum quaſi ſenem reprehendi ab Horatio iuniore? Equidem his in medio relictis, fortaſſe coniectem Lucilium hic ſenem denominari ad eã Seruij Tullij annorum rationẽ, qua ſcribit Gellius lib. 10. cap. 28. ex Tuberone, eum iuniores ad annum vſque 46. ſupráq; eum annũ ſeniores appellaſſe: hoc quoque modo interpretatur Seruius hunc verſum Virg. Aeneid. 6. Iam ſenior, ſed cruda Deo viridiſque ſenectus. ſenior, inquiens, eſt virens ſenex, vt iunior eſt intra iuuenem, &c. eáque ſenectus verè cruda dicitur, quæ non eſt matura & plena: cuiuſcemodi deſcribit in Epiſt. ad Piſones, inquiens, Maturúſve ſenex, an adhuc florente iuuenta feruidus, &c. Virg. æui maturus Aletes. *ſequor hunc L. an Ap.* propter confineis terminos Lucaniæ & Apuliæ. *Sabellis.* de Sabellis, ὑποκοριστικῶς, à Sabinis, legito Strabonem lib. 5. *ſed hic ſtylus.* poſt egreſſionem compendioſam de agris Lucaniæ & Apuliæ, expulſionémque Sabinorum, pro veteri quadã hiſtoria, déque Venuſinis in expulſorum agros in coloniam deductis, per quos inhiberentur Lucani vel Apuli, ne in Romanos agros inexpectati facerent impetum: reuertitur ad prius inſtitutum de carmine ſcribendo Lucilij ritu ſeu ſtylo, quo ſe adeò moderatè pollicetur vſurum, vt neminem impetere velit acriùs, niſi à quo prius ſit laceſſitus. *animantem:* ἔμψυχον. neminem viuentem, quantumuis abiectæ ſortis & humilem. *veluti cuſtodiet enſis.* perpulchra collatio ſtyli in animo conditi, quo veram vitam, hoc eſt, honeſtum nomen propugnamus, & enſis vagina tecti, quem nõ diſtringimus euaginamúſq;, niſi dum vitam caducam morti conamur eripere, vim omnẽ & iniuriã propulſando, quod homini cũ ceteris animantibus à natura imperatum eſt. *tutus ab infeſtis latro.* cui cautum eſt de vi, nihil ei neceſſe eſt diſtringere gladium, cuius vſus eſt ad propellendam, nõ ad inferendã iniuriã, nam vim vi depellere licet. *O pater & rex.* Optat à Ioue maleuolis eã dari mentis quietudinem, vt per eos ſibi liceat pacatam vitã peragere, neque opus eſſe maledicentiã maledicentia retundere. *vt pereat.* Vt optantis eſt aduerbiũ, vt pereat, vtinam pereat. Terent. in Eunucho: vt illum dij deæque ſeniũ perdant, qui me hodie remoratus eſt. Item in Adelp. vt Syre te cum tua monſtratione magnus perdat Iuppiter. *telum.* telum pro gladio: Virg. 9. Aeneid. At non hoc telum mea quod vi dextera verſat, effugies. Alioqui tela, teſte Feſto, propriè dici videntur quæ miſſilia ſunt: è Græco videlicet eorũ nomine, quia illi τηλόθεν miſſa dicũt, q: ç nos eminus: hic autẽ metaphoricὼs capitur pro Satyrica maledicentia. *at il. q. me c.* videtur ex obliquo

nõnihil reſpicere Trebatiũ. *Ceruius iratus.* Quẽadmodum ſuperiùs intulit enumeratione in ſuo quéq. ſenſu abundare (vt Apoſtoli verbis vtar) ita ſimili hic argumento inducit vnicuique à natura & vim & rationem ſui vlciſcendi eſſe ingenitam: quod eo conſilio facit, ne videatur θυμομαχεῖν, εἰ μὴ παττάλῳ πάτταλον ἐκκρούει, hoc eſt, niſi paxillum paxillo (vt eſt in prouerbio) depellat. *Ceruius ir.* Ceruius per C habent omnes cod. præter Mart. qui habet, Coruius: Lambinus videtur legere, Seruius, per S. verùm neſcio an ex ſcriptis codic. Ceruius autẽ à Ceruo gentiliciũ eſt, de quo vide Comment. Cic. in Verr. 7. meminit cuiuſdam P. Ceruij iudicis, inquiens, P. Ceruiũ talem virum legatum, qui, quia legatus iſto prætore in Sicilia fuit, primus ab iſto iudex reiectus eſt, &c. Sed & Horat. lib. 2. 6. Satyr. ſcribit de Ceruio vicino. *leges.* condemnationem ex latis legibus & præiudiciis in rebus & cauſis certis. *vrnam.* ſortitionem in dubiis rebus: quod vtrumque Virg. breuiter, vno item carmine complexus eſt, inquiens, partibus æquabat iuſtis, aut ſorte trahebat. Vrna autem triplex erat, vt patet ex illo ad Q. fratrem, de Sex. Cælio. Senatorum cum vrna copioſè abſoluit: Equitum adæquauit: tribuni ærarij cõdemnauerunt. Quo autem pacto ea à Prætore, & in qua cauſa adhiberi ſolita ſit, ad ſortitionem iudicum, ſubſortitionémque, poſt factam ab accuſatore & reo iudicum reiectionem, vide apud Budæum in Pandect. ex Aſconio Pediano. *Turius.* arbitror legendum eſſe ex Cicerone in Verr. & aliis multis in locis, Furius. *ſic collige mecum.* Apoſtrophe ad Trebatium, quem monet vt ſecum diligentiùs perpendat, num ſit naturæ aduerſari, ſe non tutari, acceptámque iniuriã non vlciſci: quod vt ſit euidentius, ratiocinatur à brutis, quibus in eo æqua cum hominibus portio à natura eſt indita, τὴν πρώτην ὁρμὴν τὸ ζῷον ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτὸ οἰκειούσης αὐτῷ τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς, vt aiebant Stoici: id eſt, noſmetipſos commendatos eſſe nobis, primámq. ex natura hanc habere appetitionẽ, vt cõſeruemus noſmetipſos, interprete Cic. 4. de fin. *Imperet hoc nat. potens.* potens, id eſt potenter, adeò vt ea vis animi, nimirum προθυμία τῆς ἐκδικήσεως, id eſt, propenſio vltionis non ſit in hominis poteſtate, niſi accedat ratio. *dente lupus.* Inductio enumeratione quidem partiũ imperfecta, ſed perfecta ſenſu, vel auctore Braſida, vt refert Plutar. Nam is quando manum in caricas temerè miſiſſet, & à mure, inibi fortè latente, morderetur, Papę, inquit, vt nullum eſt animal tam puſillum, neque tam inualidum, quod laceſſitum non cupiat vlciſci ſeſe. *Scæua viuacem c. n. m.* ἐν παρόδῳ illudens Scæuam quendam de veneficio materno, facit Trebatium, more iureconſultorum, adducere exceptionem de ea naturæ lege quà dictũ eſt vnicuique animanti eſſe ingenitũ iniuriam illatam propellere. Scæua nepos, inquit Trebatius, viuacitate matris, graui iniuria (vt credebat) affectus, non vlciſcitur ſe de matre, neque ſceleris quicquam ſua dextera molitur in matrem; falsò ergo colligis, Horati, ſe ipſum vindicare, ad vniuerſa pertinere. *mirum v n. c. l.* Diluit Horatius hanc ratiocinationem inſtiatione à ſimili: Nam vt neque lupo calce, neque boui dente quẽquam lædere à natura datum eſt, ita Scæua ignauus non ferro, ſed veneno plurimùm valet, quaſi hoc ille à natura acceperit: verùm veneno tollere aliquem, non eſt ſe vlciſci? & vim depellere vi? itáne certis quibuſdam limitibus circumſcriptum eſt, vt excluſo veneficio, ad ſolam viri dexteram, aut ea arma pertineat quæ à natura alicui cõceſſa ſunt? *ne longum f.* particula tranſitionis & docilitatis. Paucis colligit ad extremum vſque vitæ ſpiritũ, ſe nullis malis, nullis infortuniis, nullis comminationibus, nullis deniq. pœnis, ne mortis quidem metu, abduci poſſe à ſcriptione Lucilij ritu. *tranquilla.* matura & compoſita, quam comitari ſolet mors naturalis, quæ eſt leniſſima, iuxta illud Plato. in Timæo, ὁ δὲ μετὰ γήρως ἰὼν ἐπὶ τέλος κατὰ φύσιν ἀπονώτατος τῶν θανάτων, καὶ μᾶλλον μεθ' ἡδονῆς γιγνόμενος, ἢ λύπης, id eſt, quæ mors ſenio ſenſim ad exitum deducente per naturã obrepit, eſt omnium facillima, atque adeò cum voluptate potiùs quàm cũ dolore cõiuncta. *ſeu mors atris.* hoc eſt, ſiue ante tẽpus à natura præfinitum moriendum mihi ſit, immatura & violenta morte, quæ ὁ βίαιος ἀλγεινὸς, mors eſt acerba, Platone teſte, eodem loco. *diues, inops.* fortunæ commoda & incõmoda, diuitiæ, inopia, patria, exilium. *ô puer.* τὸ puer refertur ad τὸ pater, in initio huius poſitum. *vt ſis vitalis m.* verba hæc tacita ſignificatione videntur innuere Trebatium nonnihil minari Horatio, vt ſuprà. *qui me commorit.* diximus Horatiũ ex obliquo reſpicere Trebatium. *vt ſis.* vt, prone nõ: vt Terent. ſed vim patris, vt queas ferre, &c. idem, at vide, vt ſatis modò contemplata ſis, id eſt, ne non ſatis, ἵνα μή. *vitalis.* vitalis hic accipiendum eo modo quo apud Cic. in Lælio, cui poteſt eſſe vita vitalis (vt inquit Ennius) qui non amici mutua beneuolentia conquieſcat. ſic, vt ſis vitalis, hoc eſt, ne tibi vita non ſit vitalis, metuo, ne non ſis viuax, ne aliquot annos ſupereſſe non poſſis: vitale autem propriè eſt, ad vſum vitæ pertinens. Plato in Apolog. ὁ δὲ ἀνεξέταστος βίος, οὐ βιωτὸς ἀνθρώπῳ, hoc eſt, vita non explorata, non eſt homini vitalis, id eſt, acerba eſt. illud autẽ Satyra 7. huius lib. *vt vitale putes*, longè aliter eſt accipiendum,

vt ibi

vt ibi dicemus. *frigore.* effectus pro ſua cauſa: mors enim horrorem & frigus inducit hominis cadaueri. Virg. 4. Aeneid. Et cum frigida mors anima ſeduxerit artus, omnibus vmbra locis adero, &c. *quid cùm eſt L.* reſpondet Horatius ſibi non plus imminere periculi, quàm olim Lucilio, qui non timuit inſectari Romanos etiam nobiliſſimos quoſq;. *detrahere &c.* videtur hoc ſumtum eſſe ex Apologo. *cederet.* incederet, per Aphæreſin, obambularet. *famoſiſq; Lupo.* oſtendit Horatius viros bonos nulla affici contumelia, ſi quis in improbos & iniquos vehementior exiſtat; qualis hic erat Rutilius Lupus, cuius inſimulans Lucilius rapacitatē ſcripſit hos verſus quos apud Varronem mendoſiſſimos eleganter emendauit Ioſephus Scaliger diuinum profectò ingenium, Tunnos captato, cordulum exclude, minores occidunt, Lupe, ſaperdæ te: hæc iura, Silurum ſumere te, atque Amiā: Monet enim Lucilius Lupum, vt deſinat inſectari piſceis minores, vt ſunt cordyllæ & ſaperdæ, qui eum occiderēt, ἱερωνικῶς, ſed captet maiores, putà Tunnos, Siluros, & Amias, à quibus nihil ſcilicet ei ſit periculi. *primores populi arr.* Perſ. Satyra 1. Secuit Lucilius vrbem, te Lupe, te Muti, & genuinū fregit in illis. *populumq; tributim.* ſic habent omnes codices ſcrip. nec mutādum cenſeo, etiā ſi vir doctiſſimus quidā ſcribat ſe offendiſſe in ſcripto aliquo codice, *tributū*: idq; affirmet auctoritate Porphyr. quam nō inuenio. Non autem dubito quin ea ſit hic Horatij ſententia quam aliter expreſſit Perſ. inquiens, Secuit Lucilius vrbem, hoc eſt, omneis tribus, quæ fuere quinq. & triginta vrbis antiquæ, vt conſtat ex Cic. in Verrem & Rullum, ex lib. 1. Appiani de bell. Ciuili lib. ex Valerio Max. *ſcilicet vni æq. virtuti.* aſſerit non alia de cauſa Lucilium mordaciùs in Romanos ex æquo omneis inuectum, niſi ſolius virtutis amore: æquus autem is eſt virtuti, qui bonis omnibus parcendum iudicat, malóſque malè puniendos. *quin vbi ſe à v.* oſtendit ἐξ ἀντιθέτου Scipionem Læliúmque non tantùm non fuiſſe Lucilio offenſos poſt increpationem Metelli & Lupi, ſed optimè erga eum affectos, eóque familiariſſimè vſos. *& ſcena.* foro, vbi magiſtratus, tanquam in ſcena, ſuam perſonam agit: perpulchra, mehercule, fori metaphora ab actionibus ſcenicis. Liceret hinc egredi in campum amœniſſimū de vita humana, quæ nihil eſt quàm fabula; & vnumquemque in hoc mundo tāquam theatro ampliſſimo ſuas parteis agere, ſuperis noſtras actiones inſpectantibus, remunerantibúſq;, pro merito actionis, vnicuique: ſed non lubet in alieno foro rhetoricari, & vetuit VVoulardus noſter, inquiens, Spartam quam nactus es, hanc adorna. *nugari cum illo.* animum à rebus grauibus remittere, παίζειν γὰρ ὅπως σπουδάζῃ, κατ' Ἀνάχαρσιν, ὀρθῶς ἔχειν δοκεῖ, vt refert Ariſtot. hoc eſt, ludere namque vt agas ſeria, iuxta Anacharſidis ſententiā, æquum eſſe videtur. *decoqueretur olus.* decoqueretur, omnino coqueretur. De præpoſitio augmentat. Hic vide herbaceam & frugalē cœnam, τὸ τοιοῦτον ἄριστον οὐ χωρεῖ προδοσίαν, dicere ſolebat Epaminondas, hoc eſt, tale prandium non recipit proditionem. & Amphis apud Athenæ. lib. 10. δεῖπνον γὰρ εὐτελὲς οὐ ποιεῖ παροινίαν, hoc eſt, nam cœna frugi nulla debacchatio. *quicquid ego ſum.* Quod ſubindicaui nonnihil fuiſſe ſimultatis inter Trebatium & Horatium, ex hoc quoque loco ſatis apertè cognoſcere licet; non enim tantopere genus ſuum & ingenium facultatéſque inculcaret, niſi ſe ab eo læſum ſentiret, non familiaritatem cum viris magnis commemoraret, niſi hoc nomine ei ſe inuiſum deprehenderet, non dētem ſolidum minaretur, niſi eum fragilem laxumque riſiſſet: Si quis autem velit Trebatio narrari ab Horatio obtrectationis alicuius querelam, profectò tam acris querela, tacita eſt accuſatio, quamtumuis Horatius εἰρωνεύηται. *quicquid ego ſum.* genus loquendi ſatis familiare Horatio, pro quicumque ego ſum, cuiuſcumque conditionis, ſortis, generis. tale eſt illud exordium Epod. 5. At ô deorum quicquid in cælo regit terras. *Lucili cenſum.* ex cenſu honores, dignitatem, nobilitatémque intelligimus; erat enim Lucilius equeſtris ordinis: An autem auus Pompeij Magni, an auunculus fuerit, inter ſe diſſident Pſeudacro & Pſeudopor. *fragili quærens ill d.* Illidere dentem fragili, eſt in rem fragilem dentibus incidere, eamque dentibus permolere. Metaphoricôs autem eſt alicuius nomen & famam maledicentia vellicare, lædereque & perdere: Nam vt dens, ita & mordacitas morſuſq. pro amarulenta obtrectatione metaph. vſurpantur. Illidere autē & offendere hic συνώνυμα ſunt, ſed fragilis & ſolidus in qualitate cōtraria, alterū δυνάμεως, alterū ἀδυναμίας φυσικῆς. ſe itaque ſolidū pollicetur, hoc eſt, firmum & integrū, aduerſarióque reſiſtere potentem. *niſi quid.* quid ad imitationem linguæ Græcæ, τὶ, pro κατά τι, per ellipſin: Ita, quid, ſecundum quid, pro, in quo. Quintilia. Quid tibi tantum mali feci? quid offendi? Terent. in Eunuch. homini homo quid præſtat? Cic. hoc præſtat amicitia propinquitati. Terent. hoc pater & dominus intereſt. *docte T.* aut agit hic Horat. εἴρωνα Socraticum, vt mihi quidem videtur, aut modeſtiam oſtendit nō nimium iudicio ſuo tribuendo, vt vult VVoulardus. verùm enim verò ſi nolimus Horatium in hac Satyra clanculū mordicare Trebatiū, cur

cur hic eum percontatur inſidioſè de ſua ſententia in hoc ſcribendi genere, quando & ipſemet ſuprà profiteatur, nullo ſe mali metu auelli ab eo poſſe, & nõ ſit neſcius, vel ſe teſte, nihil eſſe Trebatio odioſius? *nihil hic diffindere poſſum.* in omnibus ſcriptis habetur *hinc.* deinde in antiquiſſimo cod. Blandinio, Mart. & Buſl. diffindere, in tribus aliis Blãd. diffingere; in Diuæ. defindere: in Tonſ. defringere. ſed nos cũ Cõmentatore, Lãbino & Alciato ſeruamus diffindere. Alciatus enim in l. morbus, ff. de verb. ſignif. ſic ait, diffindere pro differre, quò minus pro te pronunciem, perinde ac ſi Trebatius ſine dilatione velit pronunciare ſententiam: Quin contrà potius (pace tanti viri dixerim) Trebatius aſſerit nihil ſe poſſe diffindere, hoc eſt, nõ agere iudicem ac diſſentire ab Horatio, vt quem iam animaduerterit in id genus carminis ita à natura propenſum vt abduci nõ poſſit, attamen ſe monere eum poſſe, ne ignoratio legũ faceſſat ei plus ſatis negotij. Apud antiquos autem tria erant pronunciandi genera, aut enim dies diffindebatur, hoc eſt, res in alterũ diem differebatur, aut comperẽdinabatur, id eſt, in tertium diem reiiciebatur: aut iudex non liquere pronũciabat. *ſed tamen vt monitus c.* reiectis Trebatius iudicis partibus, nũc per correctionem agit conſultum. Codex Tonſ. habet, ſed tamen id monitus caueas. quæ lectio non parũm placet. Commentator non ineptè notat hic per ellipſin ſubintelligi τὸ fac: nam in ſubiunctiuis non raro aut fac, aut vide, ſubricetur. *ſi mala cõdiderit.* hic verſus præ ſe fert antiqui iuris formulam, qua fingit pro cautione, Horatio reſpondere Iurecõſultum, vt monitus caueat. *ius eſt, iudiciúmq;.* hunc locum interpretatur in epiſt. ad Auguſtum, Quin etiam lex pœnáq; lata malo quæ nollet carmine quemquam deſcribi, &c. & in arte poëtica. *eſto ſi quis mala.* Hæc ſunt Horatij percontantis Trebatium ad eum vſque verſum, ſoluentur riſu t. idque cum nota interrogationis in vetuſtiſſimo codice Bland. ſed codex Diuæ. habet interrogationis puncta poſt τὸ latrauerit. Nos autem (quamuis non multum interſit) ſequimur Bland. codicem. *eſto ſi q. mala.* concedit Horatius eum legibus & graui ſupplicio eſſe obnoxium, qui malis, hoc eſt, maledicis verſibus, innocentis & viri boni nomen famámque proſcindit, ſed non exiſtimat perinde eum in legẽ peccare, qui bona, id eſt, nõ maledica carmina conſcribit, ſed ea quæ laudata à Cæſare iudice, lacerationibus & conuiciis, malos, improbos, & ſceleratos omnium oculis & auribus quaſi in tabula delineatos, publicéve decantatos exhibeant. Namque huiuſcemodi carpendi vitia ſtudium, neque legibus inhibitum eſt, neque bonis moribus aduerſarium. Pſeudoporphyr. & alij cenſent Horatium hic ludere amphibolia dictionis mala; verùm non video cur magnopere in eo ſit laborandum, cùm nec bona carmina hic eſſe ea opiner, quæ ornata diligenter & exculta ſunt, ſed ea quæ ſunt vtilia vitiis caſtigandis, quorum ſequens verſus eſt epexegeſis, hoc modo, bona carmina ſunt, quæ ab integro & viro conſcripta bono, allatrant, & ſuis coloribus depingunt eum qui opprobriis dignus eſt. *iudice condiderit laudatus Cæſare.* ſic habent duo codices Bland. Tonſ. & Marti. quos ſecuti ſumus, ad tollendam ſynchyſin, verborum laudatur, & condiderit, nimis certè inuolutam. Si quis tamen eam Horatianam iudicet minimèque mutandam, non repugnabo. *opprobriis.* duo cod. Bland. habent, *opprobrium dignum.* *ſoluentur riſu t.* reſpondet Trebatius, & approbat Horatij ſententiam. *tabula.* perpulchra Apodoſis dictionis tabulæ, ad ſcenam, paullò ſuprà poſitam, pro iudicibus, auditoribus, ſpectatoribus. Elegans eſt alluſio ad legem tabellariam, & iudicia centumuiralia, in quibus veteri diſciplina & cõſuetudine populi Romani ſuffragia pictis in tabula notis à ciuibus & iudicibus dari ſolebãt.

ECLOGA II.

OFELLVS.

QVÆ virtus & quanta, boni, ſit viuere paruo:
(Nec meus hic ſermo eſt: ſed, quem præcepit Ofellus,
Ruſticus abnormis, ſapiens, craſſaq; Minerua:)
Diſcite non inter lanceis, menſaſq; nitenteis,
Cùm ſtupet inſanis acies fulgoribus, & cùm
Acclinis falſis animus, meliora recuſat:
Verùm hic impranſi mecum diſquirite. cur hoc?
Dicam ſi potero. MALE *verũ examinat omnis*
Corruptus iudex. leporem ſectatus, equóve
Laſſus ab indomito: vel, ſi Romana fatigat
Militia aſſuetum Græcari, ſeu pila velox,
Molliter auſterum ſtudio fallente laborem,
Seu te diſcus agit: pete cedentem aëra diſco.
Cùm labor extuderit faſtidia: ſiccus, inanis
Sperne cibum vilẽ: niſi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. foris eſt promus: & atrum
Defendens piſceis hiemat mare. cum ſale panis
Latrantẽ ſtomachũ bene leniet. vnde putas, aut
Qui partum? non in caro nidore voluptas
Summa, ſed in te ipſo eſt. tu pulmentaria quære
Sudando.

Sudando. pinguem vitiis, albúmque, nec oſtrea,
Nec ſcarus, aut poterit peregrina iuuare lagois.
Vix tamen eripiam, poſito pauone, velis quin
Hoc potius, quàm gallina tergêre palatum,
Corruptus vanis rerum: quia veneat auro
Rara auis: & picta pandat ſpectacula cauda:
Tanquam ad rem attineat quicquam. num veſceris iſta,
Quã laudas pluma? cocto nũ adeſt honor idem?
Carne tamẽ quamuis diſtat nihil: hac magis illa,
Imparibus formis deceptum te pates. eſto,
Vnde datum ſentis, lupus hic, Tiberinus, an alto
Captus hiet? pontéiſne inter iactatus, an amnis
Oſtia ſub Tuſci? laudas inſane trilibrem
Mullũ: in ſingula quẽ minuas pulmenta neceſſe (eſt.
Ducit te ſpecies, video. quò pertinet ergo
Proceros odiſſe lupos? quia ſcilicet illis
Maiorem natura modum dedit: his breue põdus.
IEIVNVS rarò ſtomachus vulgaria temnit.
Porrectum magno magnum ſpectare catino
Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. at vos
Præſentes auſtri coquite horũ opſonia: quanquã
Putet aper, rhombúſq; recẽs, mala copia quãdo
Aegrum ſollicitat ſtomachũ: cùm rapula plenus,
Atq; acidas mauult inulas. nec dũ omnis abacta
Pauperies epulis regum. nam vilibus ouis,
Nigríſque eſt oleis hodie locus. haud ita pridem
Galloni præconis erat acipenſere menſa
Infamis. quid? tũ rhombos minus æquor alebat?
Tutus erat rhombus, tutóque ciconia nido:
Donec vos auctor docuit prætorius. ergo
Si quis nunc mergos ſuaueis edixerit aſſos:
Parebit praui docilis Romana iuuentus.
Sordidus à tenui victu diſtabit, Ofello
Iudice. NAM fruſtra vitium vitaueris illud,
Si te aliò prauum detorſeris. Auidienus,
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhæret:
Quinquenneis oleas eſt, & ſilueſtria corna:
Ac, niſi mutatum, parcit diffundere vinum: &
Cuius odorem olei nequeas perferre, (licebit
Ille repotia, nataleis, alióſve dierum
Feſtos albatus celebret:) cornu ipſe bilibri
Caulibus inſtillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu ſapiens vtetur? & horum
Verũ imitabitur? hac vrget lupus, hac canis, aiũt.
Mundus erit, qua non offendet ſordibus, atque
In neutram partem cultus miſer. hic neq; ſeruis,
Albuci ſenis exemplo, dum munia didit,
Sæuus erit: neq; ſic, vt ſimplex Næuius, vnctam
Conuiuis præbebit aquam. vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quæ, quantáq; ſecum
Afferat: in primis valeas bene. nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. at, ſimul aſſis
Miſcueris elixa: ſimul conchylia turdis:
Dulcia ſe in bilem vertent: ſtomachóq; tumultũ
Lenta feret pituita. vides, vt pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? QVIN corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægrauat vnà,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.
Alter, vbi dicto citius, curata ſopori
Mẽbra dedit: vegetus præſcripta ad munia ſurgit.
Hic tamen ad melius poterit trãſcurrere quondã:
Siue diem feſtum rediens aduexerit annus:
Seu recreare volet tenuatum corpus: vbique
Accedent anni, & tractari mollius ætas
Imbecilla volet. tibi quidnam accedet ad iſtam,
Quam puer, & validus præſumis, mollitiem, ſeu
Dura valetudo inciderit, ſeu tarda ſenectus?
Rancidũ aprũ antiqui laudabant: nõ, quia naſus
Illis nullus erat: ſed, credo, hac mente, quod hoſpes
Tardius adueniens, vitiatum commodius, quàm
Integrũ edax dominus cõſumeret. hos vtinã inter
Heroas natum tellus me prima tuliſſet.
Das aliquid famæ, quæ carmine gratior aurem
Occupet humanam? grandes rhombi, patinæq;
Grande ferunt vnà cum damno dedecus. adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et fruſtra mortis cupidum, cùm deerit egenti
As, laquei pretium. iure, inquis, Traſius iſtis
Iurgatur verbis: ego vectigalia magna,
Diuitiáſq; habeo tribus amplas regibus. ergo,
Quod ſuperat, nõ eſt, melius quò inſumere poſſis?
Cur eget indignus quiſquam te diuite? quare
Templa ruũt antiqua Deûm? cur, improbe, caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris aceruo?
Vni nimirum rectè tibi ſemper erunt res?

O ma-

O magnus poſt hæc inimicus riſus! vterne
Ad caſus dubios fidet ſibi certius: hic, qui
Pluribus aſſuerit mentem, corpúſque ſuperbum:
An, qui contentus paruo, metuensq; futuri,
In pace, vt ſapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas: puer hunc ego paruus Ofellum
Integris opibus noui non latius vſum,
Quàm nunc acciſis. videas metato in agello
Cum pecore, & natis fortem mercede colonum,
Non ego, narrantem, temerè edi luce profeſta
Quicquam, præter olus fumoſæ cum pede pernæ.
Ac, mihi ſeu longum poſt tēpus venerat hoſpes,
Siue operum vacuo gratus conuiua per imbrem
Vicinus: bene erat non piſcibus vrbe petitis,
Sed pullo, atque hædo: tum penſilis vua ſecūdas,
Et nux ornabat menſas, cum duplice ficu.
Poſt hoc ludus erat culpa potare magiſtra:
Ac venerata Ceres, vti culmo ſurgeret alto,
Explicuit vino contractæ ſeria frontis.
Sæuiat, atque nouos moueat fortuna tumultus:
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius, aut vos
O pueri nituiſtis, vt huc nouus incola venit?
Nam propriæ telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quenquam ſtatuit. nos expulit ille:
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia iuris.
Poſtremò expellet certè viuacior heres.
Nunc ager Vmbreni ſub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius: ſed cedet in vſum
Nunc mihi, nunc alij. quocirca viuite fortes:
Fortiáque aduerſis opponite pectora rebus.

COMMENTATOR.

IN hac Satyra ſub perſona Ofelli Stoici inuehitur in luxurioſos. Ofellus Latinus dicitur quædam ſectæ Stoicæ è Græco tranſtuliſſe. *Quæ virtus, & quanta boni*. ordo eſt, ô boni, diſcite, quę & quāta virtus ſit hominibus viuere paruo. *præcepit*. docuit. *Ofellus ruſt*. non ſatis eruditus, ſed durus & ſeuerus incultúſque. *abnormis ſap*. non vltra modum & normam ſapientiæ Stoicę. *craſſaq; Minerua*. craſſiore & rudiore ingenio. *non inter lanceis*. non eo tempore quo cibis delicatis, fulgore auri & argenti auocati fueritis. aut non inter lar e hoc eſt, nolite epulādo de mediocritatis bono diſſerere. *lanceis*. vaſa precioſa. *menſaſq; nitenteis*. ſplēdidas luxurię apparatu. *inſanis*. ineptus, nimiis, indignis. *acies*. oculorum obtutus. *fulgoribus*. auri & argenti. *acclinis*. inclinatus, deditus, pronior ad falſa. *meliora*. præcepta & rationes ſapientum: quando ſcilicet mentis integritas occæcatur per luxuriam, decepta rerum ſpecioſarum fulgore. *impranſi*. ieiuni, ſobrij: vt alibi, Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri. *diſquirite*. mecum diſcite. *cur hoc*. velim vos impranſos de vero cognoſcere. *malè ver. ex*. hoc eſt, quicumq; iudex eſt vitiis corruptus, de rebus ipſis rectè iudicare non poteſt; ita etiam animus ingluuie corruptus, non poteſt examinare verum. aut ſicut iudex pretio corruptus falſum iudicat eſſe verum; ita animus corruptus vera non prouidet, & mens malis referta, non poteſt liberare iuſtitiam. *leporem ſectatus*. id eſt, venatus. hic docet ex labore prouenire, vt & paruo contentus viuas, & omnis cibus, etiam vilior, ſuauis videatur. *ab indomito*. fero, forti. *Græcari*. potare, conuiuiis operam dare Græcorū more. *molliter*. leuiter, paullatim. *fallente*. quæ pila ſui delectatione facilè laborem obliuiſcitur. *diſcus agit*. delectat. *cedentem aër*. aër enim leuis facilè cedit ponderi. *pete diſco*. iacta diſcum in aëra. *extuderit faſt*. delicias ciborū tibi eiecerit, excuſſerit. *ſiccus*, ſitiens. *inanis*. famelicus. *ſperne cibum v*. Ironicôs, facito vt ſpernas, & nō edas. *diluta*. mixta. hoc eſt, noli bibere niſi conditum ex melle & vino falerno potum. ἀντιφραστικῶς. itaq; ſententia eſt, cùm fueris labore defatigatus, non quæres cibos nobiliores, aut potum delicatiorem, ſed quæcumque tibi offerentur, libenter adſumes. *foris eſt promus*. ſupp. ſi dixero. *promus*. à promendo, qui penui præeſt: cellarius. *atrum*. tempeſtuoſum. *latrantem ſto*. eſurientē, cibi nimia fame auidum. metaph. ſic in vlt. Saty. ait, iratum ventrem. *leniet*. ſatiabit, placabit. *qui partum*. paratum. *non in caro nid*. electo ſapore, in apparatu pulmentariorum, quia cibi ſuauitatē prohibet inanis & vana voluptas: nitor, oris, ſplendor; nidor, oris, propriè eſt odor gratus culinæ. *pulmentaria q*. per laborem cibum exquire. Hoc autem Socrates primus ait, qui cùm ad noctem vſque ſpatiaretur, interrogatus à quodā cur hoc faceret, reſpondit, opſono cœnæ: ſignificans ſe ideo deambulare, vt cibū libenti animo caperet. *pinguem vitiis*. ſupp. nā pinguem, hoc eſt, plenum vitiis & refertum: Nam vitioſum hominem, ſegnitie debilitatum, & delicatū nullæ poterunt recreare deliciæ. *album*. pallidum. vt Perſ. albus ſede legens celſa, liquido cùm plaſmate guttur colluerit. Idem, atq; albo ventre lauatur. *lagois*. eſt genus piſcis, quod in Italo mari non capitur. *vix tamen*. hoc eſt, quāuis apertè videas ea

non

non prodeſſe tibi, tamen perſuadere non poſſum, vt his relictis adhæreas veritati, mediocritatíque, & neglecto pauone, edas gallinam. *poſito p.* appoſito. *quin.* vt non. *tergere.* quibuſcumque enim veſcimur, eis videmur edendo os noſtrum tergere. *vanis rerum.* ſtulta rerũ vanitate. vana rerum ſunt deliciæ luxurioſæ & cibi ſuperflui. *veneat.* vendatur magno pretio *picta pandat ſ. c.* Ideo delectaris ſcilicet pauone, quia in cauda variis coloribus illuſtrata, oſtendit admiranda ſpectacula. *ad rem at.* ad guſtum & cibi ſaporem. *honor idem.* pulchritudo plumarũ. *carne tamen.* hoc eſt, quãuis caro gallinæ non differt à carne pauonis, tamen patet te deceptum eſſe imparibus formis, hoc eſt, pulchritudine pauonis. *eſto.* concedo. *vnde datum ſentis.* vnde noſti, quo ſenſu percipis, quòd iſte lupus potiùs eſt marinus quàm fluuiatilis? at qui palati ſubtilitate gloriantur, melioris ſaporis aiunt eſſe piſceis illos qui rapidiore vnda exercentur, quàm qui languidiore torpeſcunt: icirco dicuntur lupi eſſe meliores, qui inter duos ponteis capiuntur, vbi aqua concitatior eſt, quàm qui in oſtiis fluminis Tiberis. *ponteis ne inter.* vnde ſcis, an ſub oſtia amnis Tuſci, id eſt, Tiberis captus eſt lupus, an inter ponteis eiuſdem fluminis? *trilibrem.* triũ librarum. *minuas p.* quem ſeces in parteis ad pulmentorum confectionem. *ducit te ſpecies v.* ſeducit ſimul & delectat. *ſpecies.* magnitudo. *quò pertinet ergo.* cur ergo magnitudinem laudas in mullo, & reprehendis in lupo? quia ſcilicet in vtroque te delectat quod eſt rarius. *illis.* lupis. *his.* mullis. *vulgaria.* vſitata: quæ paſſim inueniuntur. *magnum.* mullũ. *Harpyiis gula d. r.* hoc eſt, guloſus ait ſe velle videre in catino magno magnũ mullum. *præſentes.* potẽtes precibus meis fauete, & coquite, hoc eſt, putrefacite flatu calido, & putrida reddite horũ opſonia. ſic, præſentia numina Fauni. *quamuis putet a.* corrigit ſe, quaſi fruſtra Auſtros inuocauerit, cùm luxurioſis ſit neceſſe ſuas putere epulas, atque delicias quantumuis ſapidas propter ſatietatẽ & affluentiam. *putet.* contemnitur, & fit vilis. *quando.* quia, ſiquidem. *ægrum.* faſtidientem. *ſollicitat.* vexat. *cum rapula plenus.* rapulum deminutiuũ, à rapum rapi neutri generis. *plenus.* exaturatus, & deliciis affluẽs. *inulas acidas.* non quòd herba ſit acida, ſed quia cum aceto condita habet ſaporẽ acidum. *nondũ omnis ab.* hoc eſt, parcitatis antiquæ ſunt adhuc quædam veſtigia. hoc cùm dicit, oſtendit recentem eſſe luxuriam cõuiuiorum. *pauperies.* pauperies eſt moderatio & tẽperantia. *epulis regum.* quamuis reges viuant copioſè, nondũ tamen omnino menſis de ſuis excluſerunt epulas pauperum. *non ita pridem.* redit ad inuidiam luxuriæ. *Galloni præconis.* Gallonius præco primus acipenſerem piſcẽ ſuæ mẽſæ appoſuit: quare eius menſa etiam à Lucilio taxatur. *tutus erat rhomb.* quaſi adhuc incognitus Romanis. hæc tranſitio eſt, vt Cæcubum, & prælo domitam Caleno tu bibes vuam, mea nec Falernę temperant vites, &c. *donec vos auctor.* Sempronius Rufus prætorius inſtituiſſe creditur, vt ciconiarũ pulli manducarentur: quare cùm in prætura petenda repulſam tuliſſet, tale epigramma meruit: Ciconiarum Rufus iſte conditor hic eſt duobus elegantior Plancis, ſuffragiorũ puncta nõ tulit ſeptem, Ciconiarum populus vltus eſt mortem. *donec vos ñuct.* Aſinius Sempronius Rufus, poſt multas à ſe inuentas delicias, docuit etiã ciconias eduleis eſſe. *ergo ſi quis nunc mer.* ſignificat Horatius non in pretioſis cibis & ſplendidis cõuiuiis eſſe voluptatem præcipuam, ſed in opinione & perſuaſione. *praui docilis.* quæ id quod non eſt rectum citò diſcit. *ſordidus à tenui.* ſordidus, nimis aridus: tenuis victus, minus parcus & mediocris. quare fruſtra laborat ſordidus, vt videatur minus parcus. *Ofello iudice.* Ofellus cùm locupletiſſimus eſſet & moderatam vitam viueret, ſubitò ſuis agris eiectus aiebat, ſe fortunæ iniquitatem parũ ſentire, quoniam illi in egeſtate nihil durum videbatur priſtinæ conſuetudinis exercitatione. *iudice.* iudicante. vt: non nobis rege Latino, id eſt, regnante. *nam fruſtra vitium v. i.* ſunt enim virtutes poſitæ in confinio vitiorum; etenim ſeueritas ſi modum exceſſerit, labitur in crudelitatem: ſic ex religione fit ſuperſtitio, nam omnes virtutes nimietate fiunt vitia. *vitium vita ill.* gulæ & luxus. *prauum.* ſordidum: non enim erit ſordidus qui frugaliter vixerit. *ex vero.* ex re ipſa. *oleas eſt.* oliuas comedit. *mutatum.* deprauatum, acetum factum. *licebit.* quamuis. *ille repotia.* repotia dicuntur dies ſeptimus, quo ſolet noua nupta redire ad parentes ſuos; aut repotia ſunt quæ Græci dicunt προσεγύφια: aut mutuæ inuitationes: aut dies alter à nuptiis, quo virgo ad muliebrem habitum cõponitur. *cornu ipſe bili.* cornu quod ſextarium capit: habent enim propolæ cornua, quæ hanc olei tenent quantitatem, nempe ſextarij menſurã. *nõ parcus. ? veteris.* liberalis in aceto veteri, acſi diceret in eo ſolo non auarus. *albatus.* in alba veſte. *quali igitur vic.* obiectio. *horũ vtrum imi.* Gallonium, an Auidienum? *hac vrget lupus.* prouerbium. Nam vbi res duæ nobis moleſtæ, inter ſe pugnant, eo prouerbio vtimur. Per lupum autem & canem ſignificat ex vna parte luxuriã, & ex alia auaritiam imminere. lupus, luxurioſus; canis auaritia perditus. *mundus erit* id eſt, mundum ſequitur victum, qui neque in ſordidam, neque in luxurioſam vitã ſit inclinatus. *in neutram*

partem cultus. Hoc eſt, cui mundus eſt cultus, neque ſordidus, neque luxurioſus. *cultus.* nomen genitiui caſus. ſic alibi, qui feros cultus hominũ. Virg. cultúſque feros mollire colendo. Salluſt. atque ipſe cultus rei. *dum munia didit.* quæ quiſque agat, vtpote, tu tus ibis, tu boucis paſces, tu granaria curabis, &c. *ſæuus erit.* nimis tenax & parcus in dando ſingulis dimenſo: & aſper in exigenda a ſingulis impenſi ratione, caſtigandóque, adeó vt ſeruos nonnumquàm caſtigaret prius & cæderet, quàm peccaſſent, dicẽs: vereri ſe ne cùm peccaſſent, cædere tunc ei non vacaret. *vt Næuius vnctam.* Nam vt Albutius rigidior dicebatur in domeſtica diſciplina, ita Næuius profuſior & remiſſior. *vitium hoc q. m.* profuſionis. *accipe nunc v. t.* modeſtus, moderatus, non ſordidus. *inprimis v. b.* Enumerat commoditates victus tenuis, nempe corporis ſanitatẽ, alacritatem, & lætam ſenectutem. *variæ res.* amplior apparatus, luxurioſior cibus. *ſimplex.* vna. *ſederit.* quam facilè digeſſeris. *miſcueris.* comederis, in ſtomachũ ingeſſeris. *bilẽ.* amaram. *tumultum.* moleſtiam, dolorem, tormina. *pituita.* ſynæreſis metri cauſa. *vides vt p. o.* vidéſne quomodo omnes palleſcunt, & ægroti fiunt ex dubia, hoc eſt, ex lauta, & variis rebus apparata cœna? *dubia.* lauta, luxurioſa. ſic Terẽt. in Phorm. Cœna dubia apponitur. *heſternis vitiis.* heſterna cruditate, vel intẽperantia. *diuinæ part. au.* diuini ſpiritus partem, id eſt, animam. Virg. Æthereum ſenſum atque auraı ſimplicis ignem. *alter vbi dicto cit.* ordo eſt, alter qui tenui victu cõtentus eſt, vbi dedit membra curata ſopori, dicto citius vegetus ſurgit ad preſcripta munia, id eſt, ad neceſſarias functiones, & officia abſoluenda. *curata.* ſufficiẽti cibo referta, recreata. *vegetus.* alacer, lætus. *ad munia.* ad neceſſarias functiones, ac ſolita officia. *hic tamen ad melius.* narrat alias commoditates eius qui vtitur victu tenui, ſcilicet dierum feſtorum, deinde corpus languidum facilius recreatur & conualeſcit, poſtremo ſenectus facilius toleratur & tractatur. *quondam.* aliquando, de futuro: vt Virg. Nec Romula quondam vllo ſe tantùm tellus iactabit alumno. *ad melius.* ad lautius conuiuium. *hic tamen.* tamen abundat. *ſeu recreare volet.* hoc eſt, & luxurioſo & frugi ſenecta accedit, quæ molliùs ſe tractari vult, quàm iuuentus; ſed cùm iuuenis delicatè vixeris, omnia dura futura ſunt, nihil erit quod recreare poſſit, ſi languere cœperis aut ſeneſcere. *accedent anni.* omnia namque orta occidunt, & aucta ſeneſcunt. *tibi quid nam acc.* hoc ait, licet velis ad inam ſenectutem tuas delicias adiicere, eámque recreare, profectò non poſſis, tantæ ſunt enim vt eis addi nihil poſſit. *dura valetudo.* epitheton valetudinis, quæ poteſt eſſe & bona valetudo. *rancidum ap.* leuiter tantum putentem: Flandricè, garſtich. *naſus.* naſus pro odore. Hic naſus dicitur, & hoc naſum, eſt enim incerti generis. *hac mente.* hac intentione. *tardiùs aduo.* ordo & ſenſus eſt, quòd hoſpes ſerius aduenies, cõmodius ederet vitiatu & rancidum, quàm dominus cõſumeret integrum & non vitiatum. *edax.* vorax, glutio. *hos vtinam inter.* quia dicitur ante deos nata eſſe terra, mirè ait, prima tellus: illo enim tempore, quo mundus ex diſcordibus in hanc concordiam formatus eſt, ex terra generati traduntur Heroës indocilis turba vitiorum. *das aliquid famæ.* captas famam & laudem, & idcirco agitas magna conuiuia? *quæ carmine g.* eſt ne aliqua fama gratior, quàm ſit ea quæ carmine delinit animos audientium & docet? Huiuſcemodi autem carmẽ dicitur ἀκρόαμα, quia auditu delectat. Antiſthenes philoſophus cum vidiſſet adoleſcentẽ aromatibus multùm delectari, ô te, ait, infelicem, qui ſummum acroama hoc eſt, laudem tuam non audiuiſti. *grande ferunt v. c. d. d.* ſuperfluitas cibi & potus adferũt grande dedecus & damnum; dedecus quidem, dum guloſus dicitur & vorax, damnum autẽ, dum bona ſua diſſipat, vt neque ſibi, neque aliis poſſit prodeſſe, expenſis & cõſumptis omnibus, & ad extremum etiam is eſt omni egeſtate ita preſſus, vt ne obolus quidem reſtet ad emendum laqueum ſuſpendio. *adde* [illegible] etiam incommoda adfert apparatus menſæ. *iratum patruum.* cenſorẽ, magiſtrum, & eũ qui debet habere curam tui *te tibi iniquum.* exoſum. is ſibi iniquus eſt, qui omnia ſua dat aliis. *laquei pretium.* quo emas tibi laqueum ad ſuſpendiu. Plaut. in Pſeudol. Sed quid de dragma facere vis? reſtim emere qui me faciam pendulum. *iure inquis Trauius.* Trauius pauper & luxurioſus fuit. *iurgatur.* increpatur, culpatur. *ego vectigalia m.* ſatis arroganter opes ſuas vectigalibus Reipubl. comparauit: & nouè dixit vectigalia pro priuatis redditibus. *tribus a r.* quæ ſufficiãt tribus regibus. *ergo quod ſuperat.* Horatius reſpõdet, quod ſuperat, id eſt, ſuperabundat tuis vſibus, non eſt aliquid in quo iuſtius poſſis inſumere? ſupereſt autem, quod eſt reliquũ. *cur eget ind.* cur te diuite aliquis pauper eſt? *indignus.* ſcilicet egeſtate, hoc eſt, bene natus qui non deberet egere. *vni nimirum.* id eſt, credis te ſemper fore felicem? atqui memento fortunæ, memẽto conditionis humanæ, quæ ſemper eſt mutabilis. *O magnus poſthac.* Nam patrimonium omne per luxuriam conſumſeris commutata fortuna. *vtérne.* vter magis videtur tutus aduerſus fortunæ incommoda, qui lautis epulis ſemper eſt vſus, an qui ſimplici victu? hoc eſt, an luxurioſus, an frugi? *ad caſus dubios.* ad

bios. ad mutationem fortunæ. *certius.* firmiùs. *pluribus aſſuerit.* aſſueſecerit ſe delicijs & apparatibus. *in pace v. ſ.* in proſpera fortuna: nam qui eſt in bonis, & viuit paruo contentus, ita ſe parat ad inimicam fortunam, quemadmodum ſapiens parat bello neceſſaria in pace. Bello comparat egeſtatem *quo magis.* his verbis meis, quibus dixi melius eſſe vti victu tenui, audi quid ſolebat dicere Ofellus. *integris.* non imminutis. *latius.* largiùs, copioſiùs. *accisis.* opibus imminutis. *metato.* ad menſuram diuiſo & limitibus diſtincto cũ milite Auguſto. huic contrariũ eſt, immenſo. *fortem.* animo. *mercede.* cõducto ab eo ad quem fuerat tranſlatus. *non ego narrantem t. e.* hęc verba ſunt Ofelli ad finẽ vſq; cuius ager ab Auguſto fuerat donatus Vmbreno militi, à quo eundẽ poſtea cõduxit. Non me terret, inquit, fortuna mutata, vel paupertas, quia & antea, cùm eſſem diues, moderatè viuere & parcè aſſuetus ſum. *ego narrantẽ.* audiui narrantẽ hæc. *luce profeſta.* profeſti dies ſunt, qui nõ ſunt ſacri. *operũ vacuo.* vacãti, otianti, nil agẽti propter imbrẽ. *ſed pullo atq; h.* Et primæ ſunt mẽſæ, quæ ad ſatietatem; & ſecundæ, quæ ad delectationem faciunt, in quibus datur opera poculis. *duplici ficu* bifida. *ludus erat.* ludebamus poculis, vino indulgentes, pręeunte quoque culpa, quia culpabatur ille qui multùm biberet. Si quando liberè potare vellent antiqui, id eſt, ſine Archipoſia, dicebant ſe magiſtram facere culpam. *ac venerata Ceres.* rogata deinde Ceres, vt perſeueraret in frugibus; ita vt ſe oſtenderat, triſtitiam explicuit vino. Venerata autẽ in paſſiua ſignificatione poſuit, vt Virg. curſúq; dabit venerata ſacerdos. *ita culmo.* ſupp. vt. *ſeria.* moleſta & grauia. *ſæuiat.* inſaniat fortuna, tamen nos non lædet, non deterreor eius minis, nam & in diuitiis, & in paupertate vna mihi conſuetudo moderatè viuendi eſt. *nituiſtis.* bene accepti fuiſtis; bene vixiſtis. *quantum hinc.* de eo quod in vſu habeo, de hac parſimonia, de exiguo, quantum poteſt irata fortuna detrahere. *vt huc.* poſtquàm huc venit. *nouus incola.* miles Vmbrenus, qui agrum meum poſſidet. *nequities.* luxuries, quæ paupertatis amica eſt, quæ conſumtis bonis, agrum quoq; conſumere coget. *aut vafri iu. i.* vafri, callidi, hoc eſt, reus ipſe factus, proturbabitur agro ſuo. *Vmbreni.* nomen militis qui Ofelli agrum ab Auguſto acceperat. *proprius* perpetuus. *fortes.* forti animo. *fortiaq;* fortes eſtote aduerſum fortunæ incommoda.

CRVQVIVS.

IN hac & vltima huius libri Satyra in argumento penitus diſſimili eadem ferè facies eſt verſuum, quibus hic quidem luxu perditos, illic verò nimiis infameis ſordibus inſectatur: at illic pro decoro perſonæ vrbanæ, Naſidieni, videlicet, alicuius, feſtiuiùs quodammodo lepidiúſq; iocatur, hic verò ruſticiùs aliquantò & grauiùs exagitat luxurioſum, valdè appoſitè ſubſeruiens Ofello ruſtico, ex cuius præſcripto, ſi de victus ratione voluptatéque ſit concertatio, ait hominis ſobrij & frugalis cenſuram ſummis aſſenſionibus eſſe probandam, luxurioſi verò prorſus abominandam; vt cuius iudicium vnà cum corpore & animo ita ſit oppletum crapula & oppreſſum, vt ad veri cognitionem ſeſe nequeat erigere, dum nũc huc, nunc illuc nutans eius ſententia in palato gratificando, non in ſe ipſe, ſed in rerum formis & ſpeciebus ſpectandis vnicam voluptatem ſitam eſſe iudicet. Quod quàm ſit à vero diſſentaneum, pulcherrima antitheſi conſtituta ex incommodis gulæ, & iis bonis quę victum ſimplicem faciléque parabilem comitari ſolent, clariſſimè demõſtrat. cui ſubiicit *τὴν δίαιταν*, qua tam in proſperis quàm rebus aduerſis placidiſſimè ſemper vtebatur Ofellus ruſticus, vt qui non ignoraret, ſibi non agros ipſos, ſed eorum vſum fructum ſolummodo pro tempore à diis immortalibus eſſe conceſſum. *quæ virtus & quanta boni* alloquitur *ἀσώτας*, quos, *εἰρωνικῶς*, nominat viros bonos, eóque monet, vt ſecu velint diſquirere, quæ virtus ſit & quanta, hoc eſt, quam vim habeat, & quàm præclaros in homine fructus concitet, viuere paruo, hoc eſt, vita frugalis & ſobria. quæ cum bona valetudine & alacritate corporis (vt poſtea diſputat) ſedat appetitiones, & efficit vt hæ rectæ rationi pareant; conſeruétque conſiderata iudicia mẽtis. *boni.* in vocandi caſu, per ironiam. ſic habent omnes codices ſcripti præter Diuæ. qui ſupra i habet s litteram poſitam. Sed non malè, inquit Woulardus, in gignendi caſu accipi poſſe videtur prõ ſummo bono, cuius omnes virtutes ſunt partes. *viuere paruo.* hoc eſt, viuere ſecundum naturam, vt Socrates, qui interrogatus quo nam differret à ceteris hominibus, reſpondit, *καθ' ὅσον οἱ μὲν λοιποὶ ζῶσιν ἵν' ἐσθίωσιν, αὐτὸς δ' ἐσθίει ἵνα ζῇ* hoc eſt, alij quidẽ viuunt vt edãt, ego verò edo vt viuã. *nec meus hic ſermo eſt, ſ q.* Hi duo verſus parentheſeos nota incluſi, tacitam habent occupationem, qua non inconſultò hæc de frugalitate præcepta Horatius accepta refert Ofello ruſtico, ne minùs ipſe temperans (quod Damaſippus ei obiicit Satyra ſequenti) alios tenuitatis in vita ſeruandæ temerè monere dicatur: nã nihil eſt inſanius, quàm caſtigare alios, eíque hoc vitio vertere, cuius ipſe criminationem effugere non poſſis. *quem præcepit Of.* crediderim τὸ præcepit, impulſiſſe Pſeudacronem in id commentum quo vult Ofellum

Græca quædam tranſtuliſſe Latinè, cùm nihil tale ſignificet Horatius: quaſi verò præcipere, ſit hic præcepta philoſophica à Græcis accepta ſcribere, non etiã, aut aliquẽ dicto docere, aut facto in vita alicui præire. *Ofellus ruſticus, abnormis ſapiens. craſſáque M.* haud aliter legitur in omnibus ſcriptis codicibus, præterquam tribus Bland. vetuſtiſſ. qui habent, *abnormi. ſapiens craſſáque Min.* quam lectionem vulgatæ prætuli, etiamſi eã non cenſeam eſſe damnandam quæ nunc à doctis recepta eſt, nam τὸ quæ, per epexegeſin iungit hos caſus ſimileis, abnormi craſſaque. vt hic ſit ordo, Ofellus ruſticus & ſapiens abnormi craſſaq; Minerua: atq; hoc modo poſterius eſt prioris interpretatio: eſt enim abnormis Minerua, nõ accuratũ, non eruditum iudiciũ, non ad normam Philoſophicæ hypotheſeos (vnde ſapientes nominãtur) exactum, non argutis contentionibus exædificatum, ſed craſſum & pingue, hoc eſt, ſimplex & ſincerum, ad naturam factum, eáque dignoſcenda quæ vitę ſunt humanæ: quo nomine iure craſſum, nõ quidẽ ex ſui natura, dicitur, ſed ex theſi & rebus ſingulis ad vſum vitę tranquillitatémque neceſſariis, in quibus totum conſumitur: Quali fuit Ofellus, vir bonus, ad naturæ modulum & normam victitans, in nullo apparatu magnifico, nullis deliciis vrbanis vanus oſtentator ſplendoris eximij, ſed fructibus domi natis ſeſe, puerósque ſuos & hoſpites moderatè, nec non hilariter recreans, atque ad omnem fortunæ tumultum forti animo impauidus exiſtens. *non inter lanceis.* remotis priùs iis quæ ſunt cum luxu coniuncta, quibus capti ſenſus, & quaſi blandis quibuſdam laqueis irretiti, rectum illud animi lumen ita ſopiunt, vt vmbram pro corpore, pro vero falſum exoſculentur, ſtatuit impranſos, ſobrios & frugi homines accedere debere ad cognoſcendas eius virtutis vireis, quæ paruo viuere iubet, ad ſenſus purificandos à vanis erroribus, mentémque in veri cognitionem exuſcitandam. *menſáſque nitenteis.* nitidas, opulentas, lautas. epitheta tam menſarum pretiis, quàm ciborum lautitiis accommoda. Satyricè notat, ídque obiter, Romanos nihil quàm inter epulas philoſophari ſolitos: Quod & Perſius ait, ecce inter pocula quærunt Romulidæ ſaturi, quid dia poëmata narrent. *cùm ſtupet in. a. fulgo* qui ſtupor oculis iam caligantibus, reliquíſque ſenſibus propemodũ obbruteſcentibus, mentem è ſua ſede & ſtatu dimouet, ita vt falſis adhærens meliora repudiet. *impranſi.* remoti à menſis opiparis, non corrupti deliciis, ſed integri iudicij, ſanæ mentis, ſicci & inanes, vt paullo pòſt ait, *dicam ſi potero, malè verum exa. o. c. i.* ἀξίωμα γνωμικὸν: ex quo infertur, quòd nemo cibo potúq; refertus, rectè verum examinet. hinc eſt illud Theognidis, πολλοὺς δὲ κόρος ἄνδρας ἀπώλεσεν ἀφραίνοντας, hoc eſt, multos ſæpe viros luxus rapit inſipienteis. *leporem ſectatus.* hęc quędam eſt enumeratio eorũ quos impranſos iubet ſecum diſquirere, quanta virtus ſit viuere paruo, vt qui venatione, equitatione, militia, pila, diſco, contentiúſque exercitati famẽ opſonantur. *vel ſi Romana fatigat m. aſſ. Græcari.* Græcari, inquit Pſeudoporph. eſt luxuriari, vel Græco more ludere; quã poſteriorẽ partẽ probant viri quidã doctiſſimi; verùm prior mihi cõmodior videtur, vt quæ ſit tacita quædã & perelegans antitheſis inter hæc duo viuendi genera, nimirũ, militaria exercere, & ſuauiter Græcari; quorũ alterũ eſt ſobrij, alterũ in luxũ profuſi: Nã militia Romana præter venationẽ & equitationẽ, eſt ſeuera illa maiorũ diſciplina, qua Romani arma tractare, quotidianóq; exercitio corpus roborare addiſcebant, vt quæcumq; in acie & pugna poſſent vſu venire, ea in cãpeſtri meditatione præuoſcerent, auctore Vegetio. At Grçcari, contrà, eſt genialiter viuere, deliciis affluere, venereis operã dare, pollucibiliterq. opſonare, vt cũ Plauto loquar, quibus vnà & vires corporis neruíque, & animi maſculi turpiter effeminantur, debilitantur, franguntur & pereunt; quos inter lanceis & menſas nitenteis ait Horatius hic ſtupere fulgoribus, &c. Nunc ſi Græcari ſit ludis Græcis, putà, pilæ & diſco, operam dare. & fruſtrà hortabitur his ludis aſſuetos expeditóſque, vt labore faſtidia tollant, & iniquo iure corruptos eos iudices culpabit, vt qui non menſis opiparis, ſed Græcorum ludis ſeſe recreent, corpúſque exerceant. *aſſuetũ Græcari molliter.* ſynchyſis dictionis molliter, quæ adhærere debet τῷ Græcari, non etiam τῷ fallente, vt exiſtimant viri quidã docti. ſic & in fine præcedẽtis Satyræ pro fide aliquot codicum, ponitur τὸ laudatur, ibi, bona ſi quis iudice condiderit laudatur Cæſare, &c. ſic Satyr. 8. lib. 1. Lanea & effigies erat, altera cerea. & ibidem paullò pòſt: ſerpenteis atq. videres infernas errare canes. & aliis in locis multis: ea namq; figura delectatus eſſe videtur Horatius. Itaque hos verſus hoc modo ordinabimus: vel ſi Romana fatigat militia te aſſuetum Græcari molliter; ſeu te fatigat pila velox auſterum ſtudio fallente laborem, &c. *pila velox.* Hæc Gręca exercitia, pila ludere, diſcu iacere, non minùs certè quã Romana, vehementer exercent omneis corporis parteis: verùm quia minus habent in ſe periculi, voluptatis autem plurimũ, faciliùs ad ea ducũtur delicatiores. de ludo autem pilæ, vide Sipontinũ. *ſeu te diſcus agit.* Eſt autem diſcus maſſa ferri, aut æris, vel grauis lapis, qui corporis exercendi gratia in altum vel latũ proiici ſolet.

ſolet. Homer. Iliad. β. *δίσκοισι τέρποντο καὶ αἰγανέῃς*, hoc eſt, diſcis oblectabantur, & tragulis. vbi interpres, *δίσκος ἐστὶ βαρὺς λίθος, ὃν ἐρρίπτουν οἱ γυμναζόμενοι, τὸ γὰρ σιδηροῦν, σόλον προσηγόρευον*, hoc eſt, diſcus eſt grauis lapis, quem iaciebant qui ſe exercebant, nam ferreum orbem *σόλον* nominabant. Item Iliad. ψ. interpres *δίσκος πλατύς ἐστι, καὶ κοιλόπεδος, ὁ δὲ σόλος στρογγύλος καὶ σφαιροειδής*, hoc eſt, diſcus (lapideus) latus eſt & magis cōcauus, ſed ſolos (ferreus) rotundus & globoſus. *cedentem.* aër & omnia liquida facilè cedunt. *cùm labor ex.* Labor (tanquàm genus exercitiorum) cùm ventriculum plenitudine, cibóque nimio grauatum ſubleuarit, cúmque ingeſtum aduenticio quodam calore, concoqui, digeri, & egeri; inanitatémque fieri coëgerit, tùm indicato quantum bonum ſit viuere paruo, quàm præclarum cibi condimentum; fames, potioniſque ſitis. *extuderit faſtidia.* eiecerit, fugauerit, depulerit ſatietatem, quę faſtidia parit. ponitur effectus pro ſua cauſa, faſtidia, pro ſaturitate. *ſperne cibum v.* conceſſio ironica: nam famelico & inani ſtomacho cibus etiam tenuis eſt gratiſſimus, & quiuis potus ſuauiſſimus. *Hymettia mella.* dulciſſima; nimirum, Attica, ab Hymetto mōte: At mel Sardum minus ob amaritudinem probatur. *Falerno.* Falerna vina erant auſteriora; idcirco luxurioſi ea melle optimo diluere ſolebant. Eſt autem hypallage figura, non enim mella vino, ſed contrà, vina melle condulcorantur, *κεκραμένος οἶνος τῷ μέλιτι*. *foris eſt promus.* hypophora latentis occupationis eius qui famelicus labore effectus, negat ſibi opus eſſe, vt cōtentus victu quidem tenui famem, viliori verò potu ſitim ſedet, cùm penus ei ſit delicatior, locupléſque, nec non affatim pecuniæ qua ciborum lautitias comparet. *foris eſt promus.* ait Horatius. hoc eſt, qui tibi penum promat & congerat, domi non eſt: mare autem tempeſtuoſius, nauigationem piſcationémque damnoſam minitatur. Quare ſi neque penus adſit pro voto, neque piſces mare ſuppeditet; reliquum eſt, vt aut fame ſitíque pereas, aut panis cum ſale, hoc eſt, modicus, parabiliſque cibus ſtomachum latrantem, cibíque vehementer appetentem mitiget placetque, id quod bene, hoc eſt, iucundè & cum ſumma voluptate fiet. *cum ſale panis.* panis, miſeris cibus eſt; ſal, condimentum, cui nonnumquam accedit acetum: hic autem panis cum ſale pro frugaliſſimo victu ponitur, eſurientibus longè iucundiſſimus. *vnde putas, aut q. p.* hoc erotemate luxurioſum parat attentum, vt conuictus intelligat in cibo potúque non eſſe comiſſandi ſummam voluptatem: *non in caro nidore.* Hoc argumentum procedit à remotione partis alterius, ipſius diſiunctæ, ad aſſertionem alterius, hoc modo: aut in te eſt edendi voluptas ſumma, aut in caro nidore, redolentibúſque condimentis; at non eſt in nidore; relinquitur ergo eam in te eſſe vno: remotionem autem veram eſſe demonſtrat ab vſu & experientia, inquiens, *pinguem vitiis albumq;.* hoc eſt, qui corpore eſt probè ſaginato, nitidáque & bene curata cute, nihil ei lautum eſt, nō vel inſtructiſſima menſa, tam eſt ei hebes ad omnia palatum. *ſed in teipſo e.* iuxta illud Socratis, *δεῖν τὰς ἡδονὰς μὴ παρ' ἄλλων, ἀλλὰ παρ' ἡμῶν θηρᾶσθαι*, id eſt, oportet voluptates non ex aliis, ſed ex nobis ipſis aucupari. verùm eas vt percipiat corpus, decet præparatum eſſe & bene compoſitum, nam obiecta quidem ad id ſunt, vt communem illam animæ cum corpore *συμπάθειαν* moueant, ſed is motus quē ſenſum nominamus, in oppleto corpore, meatibúſq; viſcerum iā crapula oppilatis, delectabilis nullus eſt, quare nec voluptas vlla! Itaque ad tam craſſam euaporationē citius diſcutiēdam, ſenſuúmque huiuſcemodi *ἔμφραξιν* commodiùs diſſoluendam, hortatur & ſuadet Horatius pulmentaria, hoc eſt, voluptatem ſudando, exercitióque laborioſo quærendam. *albúmque.* extenta per pinguedinem cute, & ideo albicante nitidáque: non arbitror autem poni pro pallido, qui color non niſi corpus peius affectum ſolet arguere; verùm albor corpori conuenit vncto, molliique & bene habito nec non delicato; vnde apud Athenæū lib. 8. Stratonicus citharœdus Rhodios *λευκοὺς Κυρηναίους καὶ μνηστήρων πόλιν*, id eſt, albos Cyrenæos & procorum ciuitatem nuncupat. *nec oſtrea.* per ſynæreſin. *nec ſcarus.* apparatus lautitiæ ſplēdidiſſimæ, nam piſces olim in deliciis erant Romanis. *nec ſcarus.* de ſcaro Plin. lib. 9. cap. 17. Nunc ſcaro, inquit, datur principatus, qui ſolus piſcium dicitur ruminare, herbíſque veſci, nō aliis piſcibus, mari Carpathio maximè frequens, &c. Plinij ſentētiam de ſcaro in ſe tranſtulit Macrob. Satur. lib. 3. cap. 16. *peregrina.* peregrè aduecta. *Lagois.* crediderim quòd Lagois hic non piſcis, ſed auis genus notaretur, quódque à ſcaro & oſtreis tranſiret ad carnis oblectamenta, quod ſequens verſus indicat. *vix tamen eripiam.* in hac lectione conſentiunt omnia ſcripta præter Bland. lib. duos, in quibus eſt hæc ſcriptura, *vix tandem eripiam*, cum nota interrogationis poſita poſt hūc verſum, picta pandat ſpectacula cauda? Quam lectionem nolui celare lectorem, vt diſpiciat vtra ſit conuenientior. mihi certè poſterior non improbatur propter acrimoniam: non damno tamen aliam; quam quidem ſi ſequamur, cōqueritur Horatius: ſin τὸ tandem magis videbitur idoneum, ſtomachatur iracundiùs ſe difficulter id efficere

poſſe, vt luxurioſo perſuadeat vitæ prioris ἀψικορίαν, id eſt, rerum adamatarum faſtidium: cuius certè rei nulla alia cauſa eſt, quàm vſus & aſſuetudo venitatis, vt ait; ea namque, vt altera natura, tantum valet, vt mala quibus aſſueuerimus optima videantur: contrà, quæ ſint optima, propter inſolentiam habeantur à nobis peſſima. *quia veneat au.* ratio vanæ perſuaſionis, à pretio, nouitate, & pulchritudine plumarum pauonis. ſic Iuuenal. Magis illa iuuant quæ pluris emuntur. *tanquam ad rem att.* ἀγανάκτησις: offenditur enim à ſenſu communi ita eſſe abalienatum luxurioſum, vt de pennis picturatis æſtimet pauonis pulmentaria eſſe delicatiſſima: quaſi verò quicquam ex iis quæ ſunt extra pauonem, eum reddant ſapidiorem palatóque gratiorem. *num veſceris iſta.* exaggerat erotemate, non ex re ipſa, ſed ex opinionis deprauatæ iudicio hunc errorem innaſci animis hominum impurorum: neque enim ſpectata pluma coquitur, neque vt vino commendationem, ita cocto augmentat ſaporem. *cocto num adeſt.* ſic habent omnes ſcripti codices ſine eliſione m litteræ: ſed & vnus Bland. habet, *num adeſt color idem. carne tamen quamuis.* Aut pura comparatio eſt carnis gallinæ ad carnem pauonis cum imparitate formarum, ſine vllo carnis inter vtramque diſcrimine, ita vt luxurioſum ſolis formis & pulchritudine deceptum iudicet. quem ſenſum adhuc omnes ſecuti ſunt. aut eſt conceſſio cum correctione; confert enim gallinam pauoni, ita vt heluoni quidem donet & carnis ſapore nobilitatéque pauonem diſtare à gallina, & formæ ſpecie, at eum tamen infitiatur tam guſtu probitatéque carnis decipi, quàm plumarum pulchritudine, ob quas pauonem cenſeat gallinæ pręferendũ. verùm pro hac ſententia firmãda, ita ordinato exponitóq. hos verſus, Quãuis nihil magis hac carne pauonis diſtat ab illa gallina, tamen natura carnis & ſapor non ita te decepit vt formarũ imparitas. Quid autem differat gallinacea caro à pauone, norint ij qui in iis deliciantur. *imparibus formis.* impares formæ ſunt in pulchritudine diſſimiles; hinc formoſus, cui contrarium eſt deformis. *eſto.* cõcedit hunc errorẽ quaſi tolerabilem, & quodãmodo venia dignũ propter συναίτια τῶν αἰσθήσεων, id eſt, ea quæ coadiuuant & ſenſum recreant, puta, externam in pauone pulchritudinem. *vnde datum ſ.* ſi nihil in lupo concurrat τὸ συναίτιον, nec forma, nec pretium, nec raritas, quod te iuuet in eo diiudicando, vnde hoc habes, à natura ne, arte, an gula, vt eum Tiberinum potiùs quàm marinum eſſe credas, inter ponteis potiùs quàm in oſtiis Tiberis captum? *captus hiet.* ordo eſt, vnde datum ſentis, an hic lupus captus ſit Tiberinus, an hiet in alto? In τὸ hiet, aut eſt enallage temporis, pro hiarit, hoc eſt, ſpirauerit, eſcam captauerit hiando, vixerit: aut alluſit ad naturam piſcium, qui omnes capti confeſtim in latum os diducunt. Quid ſi hiare, inquit D. Woulardus, accipiamus pro repando ore & lato in menſa ſpectacula exhibere, quod etiamnum hodie in piſcibus, nobilium menſæ obſeruant? An autem lupus Græcis λάβραξ nominetur, an καλλιώνυμος, qui & ἄνθιας, vide Athenæum lib. 7 *ponteiſne inter iact.* de lupo Tiberino inter ponteis Tiberis agitato, vide C. Titij & Lucilij ſententiam apud Macrobium lib. 3. cap. 16. Columella autem lib. 8. cap. 16. Mar. inquit, Philippus erudita palata faſtidire docuit fluuiatilem lupum, niſi quem Tiberis aduerſo torrente defatigaſſet. Item Plinius lib. 9. cap. 54. Galenus de alimentorum facultatibus ſcribit ſe nequaquam vidiſſe in aquis dulcibus lupum genitum, ſed tantum in fluuios è pelago aſcendiſſe: & iccirco rarò in fluminibus parui capiantur. *trilibrem mullum.* quia mulli magnitudo rara, iccirco luxurioſo carior eſt & commendabilior: ait enim Plinius lib. 9. cap. 17. Mullorum magnitudo modica, binaſque libras ponderis raro admodum exuperant. legito Macrobium lib. 3. cap. 17. *in ſingula quem minuas.* in ſingulas parteis carnis garelo maceratas: ſed crediderim pulmenta hic propriè dici, hepar in primis, deinde caput. Nam Galenus cùm non ignoraret mullum neque ſapore gratioſum neque carne ſalubrem, rogauit quendam, cur tanti emeret mullos prægrandeis? is reſpondit, propter iecur & caput. *ducit te ſpecies.* inuitat te mulli magnitudo, prouocátque effrenem illam ὄρεξιν. Hac conceſſione manifeſtò declarat, ἀσωτίᾳ hunc ſola duci, οὐχ ἵνα τρέφηται, ἀλλ' ἵνα ἥδηται, οὐδ' ἵνα ῥωννύηται τὸ σῶμα, ἀλλ' ἵνα λεαίνηται τὴν κατὰ πόσιν. hoc eſt, non vt alatur, ſed vt delicietur, neque vt roboretur corpus, ſed vt detergat, lenémque ac lubricam gulam reddat, vt qui nullo iudicio in mullo pro vaſto corpore pondus conquirat, & in lupo damnet etiam cum pondere proceritatem. *proceros.* procera, prolixa, & in longum producta, inquit Feſtus, quaſi ex cera, ob eius facilitatem. *quia ſcilicet illis.* à raritate delectus. *modum.* proceritatem. *breue pondus.* exiguum, vt quibus corpora ſunt cõtractiora, magiſque ſolida ſucculentáque. *Ieiunus rarò ſtomachus.* Epiphonema in deteſtationem luxus. ſic autem habent omnes codices ſcripti, non etiam, vt vulgò legitur, *Ieiunus ſtomachus rarò vul. t* ſed vtraque ſententia apta eſt ſiue τὸ rarò, determinet τὸ ieiunus, ſiue τὸ temnit. *vellem aut h. g. d. r.* fingit Horatius hæc optare

Catillo-

Catillonem κακόβουλον, cùmque à propoſito nullis rationibus abduci poſſe. *harpyiis gula digna rapacibus.* λαφύκτωνος heluonis. cui gula eſt, non hominis, ſed harpyiis voracibus digniſſima. aut gula, id eſt, heluonum luxurioſa cibaria merêtur, vt ab harpyiis de mẽſa eripiantur & cõtactu fœdentur. Eſt autem harpyia ἁρπακτικὴ θεὰ, vt ait Etymol. id eſt, raptrix dea. Heſiodo autem in Theogonia duę ſunt harpyiæ, filię Electrę & Thaumantis, ἠϋκόμους θ' Ἅρπυιας Ἀελλώ τ' Ὠκυπέτην τε (vbi τὸ ας, διχρόνως corripitur) Apollonius in Argonaut. etiã duas ponit. Apollodorus lib. 1. de deorum origine ait, Ad hæc dij harpyias in illũ (Phineum putà) immiſerunt: eæ verò ſunt alatum genus animalium: Quæ vbi Phineo paratam eſſe menſam intuebantur, à cælo deuolitantes maiorem ferculorum partem abripiebant, ac reliqua perpauca, & ea quidem tam graui odore fœdata remanebant, vt perferri minimè poſſent, &c. hunc & Apolloniũ legito. Seruius autẽ tres ponit, Celeno, Aello & Ocypeten. *at vos Auſtri.* κατ' εὐχήν; namq. obſoniis eorum cupediiſque percoquendis, id eſt, humido ſuo calore corrumpendis Auſtros ventos imprecatur. *obſonia.* ὀψώνιον, ſiue ὄψον, quidquid cibo, hoc eſt, pani additur, ſeu ei quod panis locũ ſupplet, qualia ſunt pulmentaria, cõdimenta, &c. ab ὀψὲ, id eſt, ſerò, vel quòd in veſperũ tãtùm apparabantur, vel quod ſeriùs ea ſint in voluptatem excogitata. cui ſententiæ quadrant ea, *necdum omnis abacta pauperies epulis regum.* vel ab ὀπτῶ, quod eſt, aſſo; namq. aſſa veteribus erant elixis delicatiora. *quamquam putet aper.* διόρθωσις; qua veluti pœnitentia ductus imprecandi, ait Auſtris nihil opus eſſe, vt eorum putida reddant obſonia; cùm recẽtiſſimæ quæque atque exquiſitiſſimæ deliciæ non ſapiant cibo potúque palatis obſurdeſcentibus, penitúſq. corruptis. *mala copia.* condita omnia (inquit C. Celſus lib. 1. cap. 2.) duabus de cauſis inutilia ſunt, quoniam & plus propter dulcedinem aſſumitur, & ægriùs concoquitur. Condita autẽ ἡδύσματα καὶ ἀρτύματα Græci vocant; Embammata Columellæ; Plinio autem liquamina & intinctus ex aceto, melle, ſaccharo, mulſo, garo, & iuſculis dulciariis (vt ſic loquar) gulæ cauſa comparatis: quæ omnia ſollicitant, & moleſtiam conciliant ægro; imbecillo, & infirmo ſtomacho: qui per ingluuiem natiuo calore propemodum extincto, difficiliùs tardiúſque concoctioni ſeruit. *cum rapula pl.* tacita antitheſis: Nam mala copia, quæ eſt cupediarum & dulciariorum (vt medico vtar vocabulo) plenus & oppilatus ſtomachus, cupit rapula & acidas inulas ei copiæ contrarias, eſcáſque oligotrophas, quæ pauci ſunt alimenti, quæque ventriculum calentem refrigerant, craſſóſque eius humores & crudos ex ingurgitatione tenuant diſſecántque. *acidas inulas.* de inula, quæ & Helenion, & vulgò, Enula, ſcribit Plin. lib. 19. cap. 5. Siſer, inquiens, his ſeritur mẽſibus, Februario, Martio, Aprili, Auguſto, Septẽbri, Octobri; breuior his eſt, ſed toroſior, amariorque inula, per ſe ſtomacho inimiciſſima, eadem dulcibus miſtis ſaluberrima. Quod autem dicat hic acidas inulas (quas huius libri Ecloga vltima nominat amaras) arbitror hoc referendum ad ἐκλείγματα; ex quibus ſumitur, teſte Galeno lib. 7. medicament. ſimpliciũ, vbi ait, Helenij herbæ radix maximè vtilis eſt, non primo ſtatim cõcurſu excalefaciens, &c. Deinde paullò poſt, Quapropter Eclegmatis, quæ faciunt ad educendos ex thorace, & pulmone craſſos lentóſque humores, idoneè commiſcentur. *pauperiem.* pauperiem nominat victum tenuem & vili parabilem; qui quidẽ non tenuis & vilis exaturatis, ſed rarus & delicatus ſplendidúſque putatur. qui iocus ſuo ſale non caret, ait enim non abiectam eſſe pauperiẽ epulis diuitum conſultò, ſed ob nauſeã & plenitudinem, quæ niſi frugalitate corrigatur, & vẽtriculus refocilletur, omnino neceſſe eſt tandem elangueſcere extinguíq. hominem. *nam vil. ouis.* oua vilia dicuntur, quòd vilioris ſeu minoris ſint pretij; vt ſuprà, ſperne cibum vilem, &c. de ouis & ouorum differentia triplici legito docta ſimul & peculiaria ſcripta Pantini in cap. 18. lib. 2. C. Celſi. *nigriſq;* maturis & amaris. nigreſcunt enim matureſcentes oleæ. *haud ita pridem.* ab exemplo & facto Gallonij demonſtrat luxum non officere modò ſtomacho, valetudinémq; tentare, verum etiã infamiæ notam ſuis ſectatoribus inurere, quibus ſine inuidia publica minus eſt integrũ nobiliores cibos eſitare. *Galloni.* habent hanc lectionẽ omnes ſcripti cod. pro Gallonij, per apocopẽ, non Gallonis. hic autẽ P. Gallonius à Lælio dictus eſt, teſte Lucilio, gurges; Lælius præclarè & rectè ſophos, illéque verè ô Publi gurges Galloni es homo miſer, inquit, cœnaſti in vita numquàm bene, cùm omnia in iſto conſumis ſquilla atque acipenſere cum decumano. *acipenſere.* Plin. lib. 9. cap. 17. apud antiquos, inquit, piſcium nobiliſſimus habitus acipenſer, vnus omnium ſquammis ad os verſis contra aquam nando meat: Nullo nunc in honore eſt, quod quidem miror, cùm ſit rarus inuentu: quidam eum Elopem vocant. Secundo autem bello Punico ſcribit Macrob. eius celebre nomen fuiſſe; adeò vt non niſi à coronatis miniſtris cum tibicine ſolitus ſit in conuiuium ſacrum inferri. lege Macrob. lib. 3. cap. 16. Ego Rondeletij ſententiæ omnino ſubſcribendũ iudico, qui monitus à Iulio Scaligero perpulchrè ediſſeruit

contra

cõtra Nigidium (cuius auctoritate nititur Plin.) non eſſe natatilis naturæ, habere ſitum ſquammarum ad caput obuerſarum: atque hunc acipenſerem non eſſe elopem, aut glanium, ſed Circaſſis & ceteris Mæotidis accolis ὀξύῤυγχοι, & Gothis Sturionem, quibus vnà cum Oceani accolis etiamnũ hodie hic piſcis ſtrut nominatur. Vide Scaligerum in exercit. 218. cap. 3. hũc Ioſephus Scaliger Silurum Auſonij eſſe contendit. *Quid: tũc rhombos minus æquor alebat?* ſic habent omnes libri ſcripti, præter Matt. & vnum Bland. qui habent, æquora alebant. *tutus erat rhom.* Ironicôs hoc dictum videtur, nam & rhombus anteą in honore fuerat, & edulis ciconia ante prætorium: ſcribit enim Plin. lib. 10. cap. 23. Cornelius Nepos, inquiens, qui D. Auguſti principatu obiit, cùm ſcriberet turdos paullò ante cœptos ſaginari, addidit, ciconias magis placere quàm grues, cùm hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigiſſe. hæc Plin. Quare non eſt à vero alienum hic ludere Horatium: nec alio fortaſſe nomine Prætoriũ Aſellium (vt in Bland. adnotationibus) velle auctorem ciconiæ coquendæ, quàm quòd de ea lautam quãdam & nouam ὀψαρτυσίαν, adinueniſſet. cui argumento eſt quod ſubſequitur de mergis aſſis, cùm elixi fuiſſent priùs in lautitiis. Habet Pſeudoporp. nõ ineleganteis in Prętorium verſiculos, ſed ſuis pedibus claudicanteis. eos autem ſic firmabis: Ciconiarum Rufus iſte conditor Plancis duobus eſt hic elegantior, ſuffragiorum puncta ſeptem non tulit, ciconiarum populus mortem vltus eſt. *ergo ſi quis.* oſtendit à ſimili iuuentutem Romanam lubricam & in malum quoduis propenſam. *edixerit.* nimirùm prætorius aliquis è magiſtratu heluonum: edicere namque magiſtratus eſt publici. Quare ludicrò videtur effingere ὀψοφάγους inter ſe & magiſtratus creare, & ſingulis, pro notitia gulæ, opſonandi præfecturas addicere deſignaréque. *ſordidus à tenui victu.* Docuit Horatius in victu tenui voluptatem edendi eſſe ſummam, eóque libenter vti, non qui otio torpeſcunt, ſed qui labore corporis ſudandóque famem pro opſonio quęritant: nũc autem ne parcitatis (quæ ad auaritiam proximè accedit) tenuitatiſque gratia, ſeduláque eius commendatione à maleuolis luxúque perditis adducatur in odium, etiam apud viros bonos, tanquàm patronus auaritiæ, quod vitiũ eſt quouis luxu multò deteſtabilius; nunc, inquam, clarius explicat, Ofello iudice, non eundẽ eſſe ſordidum & tenuẽ victũ: non Philoſophicis quidẽ argutiis, ſed argumentis è medio deſumtis, Ofelli ruſtici more, & à rebus ipſis factiſq; ſordidorũ. *diſtabat.* ſic inuenitur in omnibus ſcriptis præter Diuæ. vbi legitur, diſtabit. verùm quia in hac cauſa vtitur Ofelli exemplo, quem puer ſe nouiſſe ait, fortaſſe rectius legemus, diſtabat, quaſi ex ore ipſius dictóque & facto id puer didiciſſet: aut dicere poterimus eſſe enallagen hoc an illo modo legamus pro, diſtat. nullo namque tempore parcus à ſordido victu nõ diſcrepat: qua gratia aduotat Woulardus, diſtabit, tibi ſcilicet, id eſt, diſtantia inter ſe illa habebis. *nam fruſtrà v. v. i.* quod faciunt ſtulti dum vitant vitia, tunc enim in contraria currunt; atqui non eſt ſordidus qui frugaliter victitat, ergo alius eſt ſordidus, alius tenuis victus, alius luxurioſus. *Auidienus cui ca.* argumẽtum ab exemplo, quod, quia ob oculos verſatur, euidentiùs fidem facit. *cui canus ex vero ductum.* ductum, habet codex Bland. antiquiſſimus, quem ſecuti ſumus, ſuffragantes Lambino. *quinquenneis oleas eſt.* comedit. deſcriptio victus ſordidi familiaris Auidieno. *quinquenneis.* nimia vetuſtate corruptas. *ac niſi mutatum parcit defundere v.* ſic legitur in 4. codicibus Bland. reliqui habent, *diffundere*, ſed ineptè, meo iudicio; non enim auari eſt, ſed optimi cuiuſque & prudentiſſimi patriſfamiliâs vina diffundere, hoc eſt, poſtquã deferbuerũt, in cados aut amphoras vaſaq. minora è doliis mittere, vt in his ſint donec vſus cauſa probentur. l. p. §. fin. ff. de tri. vino & ole. ea itaque ſententia vini diffundendi huic loco aptari nequit, propter repotia, nataleis & dies feſtos, quibus vina defunduntur amicis, hoc eſt, propinantur, diiſque libari ſolent optima & pretioſiſſima. verùm Auidienus pro ſua auaritia, vina mutata, hoc eſt, corrupta & euanida propinat, oleúmq; caulibus inſtillat odoris deterrimi. *cuius odorẽ olei.* hęc ita ordinato, ipſe caulibus inſtillat id oleum, cuius olei odorem, &c. *parcit defundere v. &.* ſic habẽt omnes ſcripti cod. præter Matt. in quo τὸ &, omiſſum eſt. *ille repotia.* poſtridie nuptias, ait Feſtus, apud nouũ maritum cœnatur, quia quaſi reficitur potatio, ἐπαύλια propriè dicta, ſicut & προαύλια pridie nuptiarũ. Cõmentator habet, repotia ſunt inuitationes mutuę, quæ Græci, inquit, ποδοστρόφια dicunt, &c. hic ego aliquando legi ποτοστρόφια quaſi non de iis ageret Horatius tantum quæ ſunt nuptiarum, ſed etiam quæ ex ſymbolis in ordinem agitabãtur; quorum conuiuas Plautus in Curcul. vocat ἐρανικὰς: & dubitaui an Horatius alluderet ad id Homeri Odyſſ. λ. ἢ γάμος ἠ' ἔρανος, ἢ εἰλαπίνη θαλείη, vbi interpres, ἔρανος dicitur, τὸ ἐκ συμβολῆς γινόμενον δεῖπνον, hoc eſt, ex collecta ſeu collatione comparata cœna ſeu conuiuium. verùm ex Gloſſario cuius hic in repotia Feſti meminit Ioſephus Scaliger vir doctiſſ. certum eſt legi rectè à Commentatore ποδοστρόφια. Adrianus Turnebus vir doctiſſimus

mus ait etiam repotia celebrari ſolita iam liberis natis; cuius ego non periude rationem probo ac ſententiam: ait enim lib. . . cap. 6. Cùm ma itis noua quotannis propè ſoboles naſcatur, vt renouanda ſit epulatio, ideirco ea conuiuia repotia appellata. Atqui vt rari ſunt mariti quibus quotannis noua proles naſcitur, ita repotia non vnius mariti annui proletarij, ſed plurium conuiuatorum gratia dici videntur, à quibus viciſſim reparantur compotationes: Quare crediderim eas comiſſationes nominari repotia, quæ liberis natis, matréque puerpera (quam partus grauiter afflixit) poſt præſcriptos, vel à natura, vel religione, dies, ſanitati reddita, inter propinquos aut vicinos ordinatim celebrantur: ad quæ non minùs quàm nouas nuptias (quę Flandricè weet-bruloſten vocitantur) fit concurſus ab omnibus, ſuis ſymbolis ſeu collectis penuariis in vnum collatis. huc facit illud Auſonij: Coniugióque dapes & ſacra repotia patrum. Turnebus & Lambinus hìc pro παιδεγέφια, legunt παιδοτροφία, ab educandis liberis. *veteris non parcus a.* acetum vetus eſt in laude apud naturaleis & medicos: at hic ponitur pro vetuſteſcente, ſeu moriente (vt habet Perſ. Satyr. 4.) languidóque. Quàm, quæſo, narrat Horatius egregium apparatū ſordidi Auidieni! vtpote quinquenneis oleas, & corna ſilueſtria, cum condimento memorabili, putà, vino, vappa, oleo fœtido, quod non puer, ſed ipſe, non infundit, ſed inſtillat cornu bilibri, ex ingenti copia, paucas guttulas, interim nō parcus (ἀφειδῶς) aceti veteris. Quàm indecens, illiberalis, inhumanus & odioſus animus Auidieni! *hàc vrget lupus, hàc canis aiunt.* ſic habent omnes ſcripti codices præter Diuæ. & Mart. in quibus ſcribitur, hàc canis angit. Sed priorem cum Cantero & doctiſſimis magis approbo. Deinde Bland. codices habent, hac vrguet lupus. Cōuenit autem hoc dictum in hominem ſuſpenſo animo, ſententiáque ancipiti, vtrum ſequatur aut fugiat, edacitatem ne, quæ per Rutilium Lupum denotatur, an ſordeis canis Auidieni. Huic autem reſpondet id prouerbij, in triuio conſiſtere conſilij: nam viam pro ratione conſilij non infrequenter eſt inuenire, tam apud Græcos, quàm Latinos ſcriptores. *mundus erit.* hic verſus variè legitur. In 4. codic. Bland. Buſl. Nan. hoc modo, mundus erit, quà non offendat. ceteri habent, qui: deinde alij habent, offendit; alij, offendet: poſtremò duo Bland. legunt, ſordidus; alij duo, ſordibus. Verùm in tanta lectionis varietate, hæc mihi placet, mundus erit, qui non offendet ſordibus. quæ mihi non minùs legitur per ſynchyſin huius dictionis, cultus, quàm paullò ſuprà notaui legēdum τὸ molliter, ibi, ſeu pila velox molliter, &c. hoc modo, is cultus, id eſt, victus erit mundus, qui in neutram partem miſer, id eſt, infelix & miſerandus, non offendet ſordibus, id eſt, turpi immunditia nauſeáque, quæ tam luxum comitatur, iuxta illud Iuuenal. Satyr. 1. Sed quis feret iſtas luxuriæ ſordeis, &c. quàm auaritiam. Quod autem Commētator & alij velint τὸ cultus, eſſe genitiui caſus, omnino diſplicet, & abſurdum ſanè videtur, vt vel primo quaſi obtutu cuiuis id manifeſtū fuerit. *atque in neutram.* τὸ atque, accipitur epexegeticos. nam is victus non eſt mundus qui offendit ſordibus, qualis is eſt qui in vtramque partem eſt miſer: vtraque autem pars eſt eius virtutis quæ frugalitas dicitur, vtrumque extremum, luxus putà, & auaritia. *hic ne. ſer.* ſapiens. *Albuci ſenis exem.* Commentator, nec non Lambinus Albucium ſcribunt ſenem auarum. Næuium autem prodigum; quod ita ſe habere docet Lambinus ex Horatiano verſu Satyr. 1. lib. 1 vt viuam Næuius, aut ſic vt Nomentanus? Cōtrà, Glareanus Pſeudacronem ſubſecutus, Albucij exemplo vult taxari luxurioſum (propter ſeruos ceſſatores in apparandis conuiuiis) Næuij verò, ſordidum, quòd conuiuis vnctam, id eſt, ſordidam aquam præbuiſſet. Me certè Lambino aſſentiri in primis facit verſus ille Horatianus. deinde τὸ ſenis, quod auaris potius quàm prodigis datur: poſtremò τὸ ſimplex, nam prodigalitas ferè ex ſimplicitate, nimiáque facilitate ortum habet. *dum munia didit.* dat, diſtribuit: eſt enim dido, is, ere, compoſitum verbum antiquum à do, as, are, veteribus non inuſitatum. Lucret. lib. 4 Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur, dummodo quod capias concoctum didere poſſis artubus & ſtomachi humectum ſeruare tenorem. Virg. Aeneid. 7. diditur hic ſubitò Troiana per agmina rumor. *ſimplex Næuius.* exemplum à Næuio luxurioſo. *ſimplex.* ſupinus, & parùm prudens. *vnctam.* vnguentis dilutam. quod etiamnum hodie in apparatu ſplendido magnificum eſt. *accipe nunc v. t.* enumeratio eorum quę comitantur & ſimplicem & compoſitum victum, vt vtrimque ex oppoſitorum cognitione, clarius euadat omninò negligēdam eſſe nimiam curam corporis, cùm vt hoc vegetum ſit & validum ad quæuis munia ſubeunda, tùm vt animus profuſa crapula non impeditus, euigilet alacris & promtus, ad ea perquirenda quæ ſunt honeſta & cum virtute coniuncta. huc facit illud Senecæ Epiſt. 8. hanc ergo ſanam, inquit, & ſalubrem formam vitæ tene, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini ſatis eſt; durius tractandum eſt, ne animo malè pareat. Et Epiſt. 13. honeſtum ei vile eſt, cui

HH corpus

corpus nimis carum eſt. ſic & D. Hieron. ad Nepotianum, pinguis venter non gignit ſenſum tenuem. *in primis v. b.* bona valetudo, ὑγιεία τοῦ σώματος καὶ εὐεξία, ſimplicem victum ſubſequitur, quo bono corporis aliud nullum eſt optabilius, quod ſignificat hæc Flandrica ſententia, Gheen ponden vooꝛ ghesonden. *nam varia res.* Varietas ciborum, condimentorum, pulmentorúmque: de quibus legito ſuprà, in dictione, mala copia: ex Celſo. Hoc autem argumentum eſt ex oppoſito, nam πολυτέλεια ſociatur ingluuiei. *vt*: quemadmodũ corpus afficiant. *credas.* credere potes aut debes, potentialiter. *memor ill. eſcæ.* memorem facit victus ſimplicis, & non conditi à voluptate, vt ad cũ reuertatur neglecta luxuria. *olim tibi ſederit.* aliquando tibi placuerit. Virg. 4. Aeneid. Si mihi non animo fixũ immotúmq; ſederet. *at ſimul aſſis m. e.* inæqualitas ciborum ex ſua ſubſtantia, cũ diſſimili & coquendi & cõdiendi modo, ſolent eſſe κακόχυμα, ſi ſtomachus ſit imbecillior. *Vides vt pallidus o. c. d. d.* ſurgat de cœna dubia. In omnibus ſcriptis adnotata eſt interrogationis nota præter Diuæ. pallidus hic dicitur à pallore, qui ὠχρὸς Græcè dicitur, qui naſcitur propriè ex multa pituita cum pauca bile; alius autem pallor eſt qui ἀχροία nominatur, quam Cic. decolorationem nuncupat, quæ varias cauſas habet, vt videre eſt apud medicos. *dubia.* Cœna dubia eſt opipara, multíſque ferculis inſtructa, quod prouerbium paraſitorum eſt, inquit Eraſmus. Phormio apud Terent. Cœna dubia apponitur, quid iſthuc verbi eſt? vbi tu dubites quid ſumas potiſſimum. aliàs autem dubiũ periculoſum ſignificat. Ita cœna dubia ea quoq; eſſe poteſt, quæ nõ caret ſuſpicione veneni. *quin corpus onuſtum.* ea namque eſt ſympathia corporis & animi inter ſe, vt mutuis affectionibus aut grauiùs nõ rarò, aut leuiùs agitentur: Quemadmodũ doctè ſimul & luculenter diſputat Pãtinus in ſuis cõmentariis in 2. cap. li. 2. C. Celſi. huc accedit illud apud Stobæũ. τὰς συνουσίας ποιοῦ, μὴ ἀνειμένας, ἢ σκυθρωπάς, ἀλλὰ λαμπρὰς καὶ εὐτελεῖς, ἵνα μήτε διὰ τὰ σωματικὰ αἱ ψυχαὶ ἐξαπατώμεναι φενακίζωνται, καὶ τῶν ἡδονῶν τῶν σωματικῶν ὀλιγωρῶσιν, ἔπειτα βλάπτωνται, τρυφῶσαι μὲν πλούτῳ, νοσοῦσαι δὲ εἰσαῦθις τὰ σώματα, hoc eſt, cõuiuiis vtitor, non cum neglectu & triſtitia, ſed hilariter & cum frugalitate, vt neque per corporea animæ deceptæ perturbentur, neque corporeas voluptates contemnant, & deinde lædantur: diuitiis quidem luxuriãtia, in poſterum verò morbis affligenda corpora. *atque affligit humo.* Scripti codices ad vnum omnes habent, *adfigit*. verùm codices Bland. tres minutiſſimis characteribus exhibẽt hanc adnotatiunculam, deiicit in terram; quæ facit vt omnino non dubitem libenter amplexari cum Lambino τὸ affligit, vt omittam verbum, prægrauat, eam ſententiam deſignare; corpus enim vitiis heſternis, niſi mauis legere, *heſternis vinis*, quod mihi multũ probatur, ſed ſine exemplo, hoc eſt, heſterna crapula onuſtum, prægrauat animum, eúmq; prægrauatum affligit humo, ſiue potius humi proſternit: nec difficulter mihi quis fidem fecerit antiquam lectionem fuiſſe, affligit humi; & inſcitè à ſciolis vtrumque deprauatum, pro καταβάλλει χαμαί. Sic Gregor. in verſ. ἀλλὰ κάτω βρίθει με χοὸς πάχος, id eſt, Atqui deorſum deprimit me humi corpulẽtia. In eadem ſignificatione Celſus vtitur conflictari, ægroti eſt, inquiens, in lecto conflictãtis. Heſychio eſt ῥιπτάζ ſeu ῥύπταζ. Sic & Plinius de cane libro 8. cap. 40. donec aſſidua rotatũ vertigine afflixit, ad caſum eius tellure cõcuſſa. *diuinæ particulam a.* hoc eſt, animũ ipſum ex ſempiternis illis ignibus ſumtum, quę ſidera & ſtellas appellatis, ait Cic. ex Platon. *alter vbi dicto c. ex* antitheſi enumerat cõmoda victus frugalis. *vbi dicto citius c.* non parũ ceſpitat hic Pſeudacron, coordinans τὸ dicto citiùs, verbo ſurgit, cùm rectiùs (meo quidem iudicio) apponi debeant proximo participio, curata, hoc modo: Alter, qui paruo viuit, vbi dicto citius, hoc eſt, parcè & ſobriè mẽbra, hoc eſt, corpus curauerit, & ſopori dedit, ſurgit vegetus, &c. oſtendit enim frugi hominẽ, non inſtar luxurioſi, multis ac Sibariticis miſſibus, quaſi ἀρχιποτικοῖς ſuas voluptates, eáſq. in multas noctis horas producere. *hic tamen ad melius.* in τὸ tamen, ſubintelligitur τὸ quamuis, in hãc ſententiam: Quamuis frugalis cibo ſimplici & parco cõtentus viuat, tamen præ luxurioſo hoc habet commodi, vt non abhorreat à melioribus & lautioribus, ſi quando vel tempus, aut valetudo corporis hoc requirat: hac etiã ratione ſubindicat quo parcus diſtet à ſordido, qui nihil quàm genium fraudat, nec vnquã ſe refocillat, etiam tunc cùm maximè eſt opus. de hoc ſtructuræ genere vide Laurent. Vallam lib. 2. elegant. cap. 41. *quondam.* quandoque ad futura pertinet. *aduexerit*. ſic habent 4. cod. Bland. Buſl. Nan. Mart. ſed Diuæ. & Tonſ. adduxerit. *vbique.* hoc eſt, & quando. *tractari mollius at. i. v.* ſenes enim vita lautiori libenter tractari ſolent: hinc eſt illud λιπαρῶς γηράσκειν, beatè cõſeneſcere, delicatéque, nec vlla premi egeſtate. *rancidum aprum.* ab auctoritate & diſciplina maiorum non obſcurè notat deliciarum gurgites; iis enim ita curæ erat diætæ ſuperflua abſcindere, vt cum hoſpite mallent etiam ranceſcentia laudare, quàm turpem ſaginam nimia corporis luxuria contrahere. Quare, ξενοκράτης ἴστεον σάρκας οἴου ἀνεῖξειν, ἵφθαιαν ὁ οἶνος περιπόμενος περὶ ἀναλωθῆναι.

καὶ τὰ

καὶ τὰ ὄψα πολλάκις ἕωλα ἐξέῤῥιπτεν. ὅθεν καὶ ἡ παροιμία, τὸ ξενοκράτους τυρίον, ἐπὶ τῶν ἐπιπολὺ παραμενόντων, καὶ μὴ τάχιστα ἀναλισκομένων, vt ſcribit Stobæus. hoc eſt, Xenocrates ſi quãdo vini cadum reſeruaſſet, in vappam conuertebatur, antequàm cõſumeretur. Sæpe & obſonia pridiana iam corrupta abiecit: hinc natum eſt diuerbium, ξενοκράτους caſeolus, de rebus diu durantibus, & quę non facilè conſumuntur. *ſed credo.* Helleniſmus, ὡς οἶμαι. *non quia.* ὑποφορά. natius autẽ metaphoricôs pro iudicio ponitur. *quod hoſpes.* Nota antiquos plus hoſpitalitati quàm gulæ tribuiſſe. *vitiatum commodius.* codex Bland. cum Tonſ. habet, *vitiaret.* & in tribus codic. Bland. adnotatum eſt, reprehenderet; ſed vulgata lectio videtur antiquior, cõmodius enim licet hoſpiti vitiatas & rãcidas apri reliquias edere, quàm totũ recentémq; aprum helluoni turpiter & incõmodè lurcari. Huic autem lectioni videntur ea patrocinari quæ ad finem poſtremæ ſatyræ cõmemorat Fundanius de diſcerptis membris gruis, de armis leporum auulſis, de merulis & palumbibus ſine clune: quas res vitiatas Naſidienus ſordidiſſimus cùm appoſuiſſet, ſibi id fore laudi credebat ad imitationem antiquæ parſimoniæ, vt ibi dicemus: vitiatum aprum poni pro ſuis partibus vitio ranciditatis malcolentibus veriſimile eſt. *hos vtinam inter.* videtur alludere ad illud Heſiodi in Oper. & dieb. μηκέτ' ἔπειτ' ὤφελλον ἐγὼ πέμπτοισι μετεῖναι ἀνδράσιν, hoc eſt, ô vtinam non vita ætas mihi quinta fuiſſet. *heroas.* Martianus Capella dicit a'ibi, herã denotare terram, vnde heroes dicti, nimirum Terræ filij & principes. *das aliquid famæ.* in quibuſdam codicibus ponuntur hęc erotematicôs, ſed malim eſſe hypophoram. *quæ carmine g. a. o. h.* hoc eſt, quæ fama carmine celebrata poteſt eſſe gratior auribus humanis auditúque iucundior quàm acroama frugalitatis ſobrietatiſque? quàm vitæ frugaliter honeſtéque peractæ? quod vti fiat, inquit Epictetus, πειρῶ καλῶς ποιεῖν· καὶ οὕτω καρπώσῃ τὸ καλῶς ἀκούειν, hoc eſt, conator rectè facere, hoc enim modo bonam famam lucrifeceris. *occupet.* ſic habet codex Bland. vetuſtiſſimus, quam ſcripturam vulgatæ puto præferendam, vt ſit modi potentialis; pro occupare poſſit aut debeat: ceteri codices conſentiunt vulgatæ. occupare aureis, eſt auribus inſonare. *grandes rhombi.* comiſſationes luxurioſæ: ex antitheſi infamiæ. *adde iratum p.* congeries malorum quæ extrinſecùs adſunt glutoni. *as laquei p.* ſic habent cod. 4. Bland. & Tonſ. ceteri, æs, ſed priorem probat Canterus doctiſſimus. *Traſius.* variè transformatur hæc dictio. 4. codices Bland. & Tonſ. habent Trauſius. Buſl. Traxius. Nan. Traulius. Diuæ. Toſius. Quid ſi Thracius legamus, vt ſit gentilitiũm à Thracibus? *iure inquit Traſius iſtis i. v.* tranſlatio huius increpationis facta ab alio quodam diuite, in Traſium aliquem luxurioſum & egentiorem. *Ergo quod ſuperat.* ἐπίθεσις increpans abuſum, demonſtrat vſum verum & laude dignum. *Cur eget ind.* ſupp. egeſtate & inopia. Erotema, à caritate in proximum. *quare templa r.* à pietate & religione erga deos. *cur improbe cara.* à pietate in patriam. *vni nimirum rectè.* perpulchra εἰρωνεία, monẽs aſorum fortunæ inſtabilis. codex Bland. antiquiſſ. habet, *recta.* Ad hunc locum pertinent illa Philemonis. ἀνὴρ πένης γεγὼς, μὴ δὲ τέχνην μαθὼν οὐ δύναιτ' ἂν ἀσφαλῶς ζῆν τὸν βίον· ἀλλὰ χρήματ' ἐστιν ἡμῖν, ἃ δὲ τάχιστ' ἀπόλλυται, κτήματα οἰκίας τύχης δὲ μεταβολὰς οὐκ ἀγνοεῖς, ὅτι τὸν εὔπορον τίθησι πτωχὸν εἰς τὴν αὔριον, hoc eſt, vir pauper qui nullam didicit artem, nequit tranquillè viuere vitam; ſed pecuniæ nobis non deſunt; at illæ cito pereunt: ſunt nobis prædia & domus: an ignoras fortunæ vices, quæ diuitem nunc efficit in craſtinum pauperem & mendicum? *ô magnus.* magnus riſus, pro multùm ridiculus, per ſyllepſin: vt Terent. vbi illic ſcelus eſt, qui me perdidit? *vter ne ad caſ d.* ſic legitur in omnibus ſcriptis, non etiã, vt vulgò, vternã. verùm de τῷ ne, an otioſa ſit particula, an ornatus gratia appoſita interrogationi, mihi profectò non ſatis liquet; atqui crediderim eam interrogationi ſeruire, ſed per ſynchyſin longiùs abeſſe ſuo loco, & ſubſequi debere τὸ hic, hoc modo, vter ad caſus dubios, &c. hic ne qui pluribus aſſ. &c. an qui cõtentus p. &c. eam certè ſcribendi rationẽ multis in locis oſtendo Horatio eſſe peculiarẽ. *ad caſus dubios.* τὸ μέλλον γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἄδηλον. ait Demoſt. & μικροὶ καιροὶ μεγάλων πραγμάτων αἴτιοι γίγνονται, hoc eſt, euentus enim omnibus hominibus incertus eſt, & occaſionũ momẽta ad res maximas cauſæ exiſtunt. *fidet ſibi c.* erit conſtantior *mentem corpusq;* propter mutuã ſympathiam. *ſuperbum.* elatũ luxu, delicijs q;. & ideo ἀνόητον καὶ ἄφρονα. *vt ſapiens.* ἔμφρων & νοήμων. *aptarit idonea b.* Iuuenal. Tecũ prius ergo voluta hęc animo ante tubas galeatũ ſerò duelli pœnitet, &c. *quò magis his credas.* à diæta & victu modico Ofelli ruſtici. *latius vſum* Henricus Stephanus legit, *lautius.* & hoc rectius, meo iudicio. *videas metato in a.* quilibet videre audiréque potuit narrantem hæc; ego non temerè edi in luce profeſta, &c. per ſynchyſin. τὸ videas, autem ponitur per enallagen, putà, ſecũda & certa perſona pro quauis tertia & incerta. *fortẽ col.* conſtantẽ & patientem. *fumoſa cum p perna.* eſt autem perna pars è ſuccidia, quæ tria continet, pernam, petaſonẽ & lardum: hoc autẽ epithetum ſumtũ eſt iuxta ſalſuram M. Catonis, qui in libris

de rebus ruſticis pernas ſalitas in fumo biduum ſuſpendere fecit. Sic & Plaut. in Capt. Quanta pernis pernis veniet, quanta lardo, aduenicus totum deturbabit cum carne carnarium. *per imbrem.* propter imbrẽ, vel potiùs, per metatheſin, per hiemem, perceptis, putà, iam frugibus, operéque ruſtico peracto, quo tempore præcipit Heſiod. curare corpus, genióq; indulgere. inuitat genialis hiems, inquit poëta: tunc enim grata eſt vua penſilis, ornatque nux cum ficu duplici ſecundas menſas. *bene erat.* ſatis erat, & abundè ad hilaritatem, dum pullis, hædis inemtiſque dapibus veſceremur. *non piſcibus v. p.* magno pretio emtis ad luxum, quod eſt Catillonum *ſecundas & n. o. m.* Menſæ aliæ ſunt primæ, aliæ ſecundæ, aliæ tertię, teſte Polluce: Menſæ autẽ ſecundæ, *δευτέραι τράπεζαι* Græcis dictæ erant, quibus bellaria, tragemata & id genus dulcia apponebãtur. Dicæarchus apud Athenæ. lib. 14. *ἦγε τὴν πολλὴν δύναμιν ἐν τοῖς δείπνοις παρέχουσα, δευτέρα τράπεζα προσεγίνετο, καὶ στεφάνους, καὶ μύρα, καὶ θυμιάματα, καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα πάντα.* *culpa potare magiſtra.* Nullus eſt ex ſcriptis codicibus in quo non offenditur hęc lectio. verùm quia Lambinus cenſet legendum, *culpa pot. mag.* ſtatui apud me non ita diſcedere ab vſitata lectione, vt in vitio ponam, aut eam ſic efferre, vt Lãbini conatus improbem, qui mihi nõ parũ laudis mereri vidẽtur: certè penes eruditum lectorem eſto, vtram velit notare. *poſt hoc ludus erat culpa p. m.* hoc eſt poſtquàm nos edendo expleuiſſemus, bibendo ludebamus, ſed nõ ſine culpa, quæ nobis inter potandum dominabatur tamquàm magiſtra poculorũ, nimirũ vt & is qui prorſus eſſet abſtemius, & qui largius hauriret æquo, & qui extra ordinem biberet, quíque ad iniquas bibendi leges inuitaret, in multam incideret plùs minúſve bibendi; ita fiebat, vt omnes æquis & animis & ſententiis hilareſceremus. Turnebus huc alludit, ſed aliud comminiſcitur, culpa magiſtra, inquiens, conuiuæ bibere non cogebantur, ne in ebrietatem inciderent, ſed vt ab ea coërcerentur, nemo, niſi qui aliqua in re peccarat, calicẽ ducebat vt bibere pœnæ & dedecoris eſſet, non inuitationis aut magiſterij. ſic apud Plaut. in Sticho, qui peccat, poculo multabitur, vter, inquit, demutaſſit, poculo multabitur. hæc ille. atqui (vt cum bonâ gratia viri doctiſſimi loquar) is locus Plauti omnino ſuffragatur ſententiæ Lambini, planéq; conuincit legendũ eſſe cuppa mag. vult enim vtrumque ſeruũ Sangarinum & Stichũ ex vno poculo vinũ ducere: fallitur autem Turnebus in interpunctione verſus Plautini, addit enim τὸ poculo, verbo multabitur, quaſi multa eſſet poculũ, cùm debeat apponi verbo demutaſſit, hoc modo; agedum Stiche, vter demutaſſit poculo, multabitur: nam paullò pòſt ait Sangarinus, hæc facetia eſt, amare inter ſe riualeis duos, vno cantharo potare, & vnum ſcortum ducere. Quare ſi hic Plautum ſequamur, emendationem Lambini neceſſe eſt amplecti, & ludere cuppa magiſtra, erit vnius cuppæ conuiuas omneis magiſterium pati, & ex ea in ordinem potare. *ac venerata Ceres.* poſtquã Cererem venerati eſſemus, in vota noſtra inuocaſſemus, eíq; libaſſemus, vti ea exurgeret alto culmo, hoc eſt, culmũ faceret exurgere altum, expulit, explicuit, diſcuſſit, ſpe fertilioris ſegetis, ſeria contractæ frontis, curas omneis & moleſtias, obliuionémque præteritorum laborum vino non difficulter induxit. Codex Mart. habet, at venerata, &c. Tonſ. ac venerata C. ita culmo vti ſurget, al. ceteri habent, ac ven. Cer. ita cul. ſ. a. Ceterùm hic verſus ſatis quoque patrocinatur ei interpretationi qua ſuprà diximus τὸ imbrem, μεταληπτικῶς accipi pro hieme. *ſæuiat atque no. m.* ἀπὸ κοινοῦ reperi debent hæc verba, noui audire narrantem hæc verba. ſæuiat a. n. &c. *nouos.* alios ab iis quos nobis concitarunt bella ciuilia. *ò pueri nituiſt.* per metalepſin, nitere enim corporis εὐεξίαν demonſtrat, quam præcedit & bona valetudo, & victus moderatus, quemadmodum pallor indicat καχεξίαν, & malam valetudinem, cibúmq; intemperatum. *vt huc.* poſtquàm huc venit, hoc eſt, in poſſeſſionem miſſus ab Auguſto. huius rei meminimus Ecloga 5. lib. 1. Nulli codices habẽt τὸ hic. *nam propriæ tel.* Commorandi enim natura diuerſorium nobis, inquit Cato Maior, non habitandi locum dedit. Lucil. Satyr. 17. Cetera contemnit, & in vſura omnia ponit non magna, proprium verò nil neminem habere. *nos expulit.* per Auguſtum, qui Vmbreno militi eius agros aſſignauerat. *viuacior hæres.* his conſonant quæ ad Iulium Florum ſcribit Epiſt. 2. tamquàm ſit proprium cuiquam, puncto quod mobilis horæ, nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema permutet dominos, &c. Nam de ſua poſſeſſione quis excidit, aut vi, aut luxu, aut iuris ignoratione, aut morte. *ſub nòmine.* ſupp. dicitur. *quocirca viuite for.* clauſula παρακελευστική. tale eſt illud Virg. Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis, &c.

ECLOGA III.

DAMASIPPVS.

Si rarò ſcribis, vt toto non quater anno
Membranam poſcas, ſcriptorũ quæque retexens,
Iratus tibi, quòd vini, ſomniq; benignus
Nil dignum ſermone canas. quid fiet? ab ipſis

Saturnalibus huc fugiſti. ſobrius ergo
Dic aliquid dignum promiſſis: incipe: nil eſt:
Culpantur fruſtra calami: immeritúſq; laborat
Iratis natus paries dijs, atque poëtis.
Atqui vultus erat multa, & præclara minantis,
Si vacuum tepido cepiſſet villula tecto.
Quorſum pertinuit ſtipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Inuidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miſer vitanda eſt improba Siren
Deſidia: aut, quidquid vita meliore paraſti,
Ponendum æquo animo. di te Damaſippe, deæq;
Verum ob conſilium donent tonſore. ſed vnde
Tã bene me noſti? poſtquã omnis res mea Ianum
Ad medium fracta eſt, aliena negotia curo,
Excuſſus propriis. olim nam quærere amabam,
Quo vafer ille pedes lauiſſet Siſyphus ære:
Quid ſculptum infabrè, quid fuſum durius eſſet.
Callidus huic ſigno ponebam millia centum.
Hortos, egregiáſque domos mercarier vnus
Cum lucro noram. vnde frequentia Mercuriale
Impoſuere mihi cognomen compita. noui:
Et morbi miror purgatum te illius. atqui
Emouit veterem mirè nouus: vt ſolet, in cor
Traiecto lateris miſeri, capitíſque dolore:
Vt lethargicus hic cũ fit pugil, & medicũ vrget.
Dũ nequid ſimile huic, eſto, vt libet. ô bone, ne te
Fruſtrere; inſanis & tu: ſtultique propè omnes:
Si quid Stertinius veri crepat: vnde ego mira
Deſcripſi docilis præcepta hæc, tempore, quo me
Solatus iuſſit ſapientem paſcere barbam,
Atque à Fabricio non triſtem ponte reuerti.
Nam, malè re geſta cùm vellem mittere operto
Me capite in flumen: dexter ſtetit: & caue faxis
Tè quidquam indignum. pudor, inquit, te malus vrget:
Inſanos qui inter vereare inſanus haberi.
Primùm nam inquiram, quid ſit furere. hoc ſi erit in te
Solo: nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quẽ mala ſtultitia, &, quemcũq; inſcitia veri
Cæcũ agit: inſanum Chryſippi porticus, & grex
Autumat. hæc populos, hæc magnos formula reges,
Excepto ſapiente, tenet. nũc accipe, quare
Deſipiant omnes æquè ac tu, qui tibi nomen
Inſano poſuere. velut ſiluis, vbi paſſim
Palantes error certo de tramite pellit:
Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit: vnus vtriq;
Error: ſed variis illudit partibus: hoc te
Crede modo inſanum: nihilo vt ſapientior ille,
Qui te deridet, caudã trahat. eſt genus vnum
Stultitiæ, nihilum metuenda timentis: vt ignes,
Vt rupes, fluuiósq; in campo obſtare queratur.
Alterũ & huic variũ, & nihilo ſapientius, igneis
Per medios, fluuióſque ruentis. clamet amica
Mater, honeſta ſoror, cũ cognatis, pater, vxor,
Hic foſſa eſt ingens: hic rupes maxima: ſerua:
Non magis audierit, quàm Fufius ebrius olim,
Cùm Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,
Mater te appello, clamantibus. huic ego vulgum
Errori ſimilem cunctum inſanire docebo.
Inſanit, veteres ſtatuas Damaſippus emendo:
Integer eſt mentis Damaſippi creditor? eſto:
Accipe, quod numquã reddas mihi, ſi tibi dicam:
Túne inſanus eris, ſi acceperis? an magis excors
Reiecta præda, quam præſens Mercurius fert?
Scribe decem à Nerio. non eſt ſatis: adde Cicutæ
Nodoſi tabulas centum: mille adde catenas:
Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Proteus:
Cùm rapies in ius malis ridentem alienis:
Fiet aper: modò auis, modò ſaxum: &, cùm volet, arbor.
Si malè rem gerere inſani eſt: contrà, bene ſani:
Putidius multo cerebrum eſt (mihi crede) Perilli
Dictantis, quod tu numquam reſcribere poſſis.
Audire, atque togam iubeo componere, quiſquis
Ambitione mala, aut argenti pallet amore:
Quiſquis luxuria, triſtíve ſuperſtitione,
Aut alio mentis morbo calet: huc propius me,
Dum doceo inſanire omneis, vos ordine adite.
Danda eſt ellebori multo pars maxima auaris:
Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem.
Heredes Staberi ſummam incidêre ſepulchro.
Ni ſic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arri:
Frumenti quantum metit Africa. ſiue ego prauè,
Seu rectè: hoc volui: ne ſis patruus mihi. credo

Hoc StaberI prudentē animū vidiſſe. quid ergo
Senſit, cùm ſummam patrimonI inſculpere ſaxo
Heredes voluit? quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium: & cauit nihil acrius: vt ſi
Fortè minus locuples vno quadrante periſſet,
Ipſe videretur ſibi nequior. omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina, humanaq; pulcru
Diuitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens ne etiā, & rex,
Et, quidquid volet. hoc, veluti virtute paratum,
Sperauit magnæ laudi fore. quid ſimile iſti
Græcus Ariſtippus? qui ſeruos proiicere aurum
In media iuſſit Libya: quia tardius irent
Propter onus ſegnes. vter eſt inſanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite reſoluit.
Siquis emat citharas, emptas cōportet in vnum,
Nec ſtudio citharæ, nec muſæ deditus vlli:
Si ſcalpra, & formas non ſutor: nautica vela
Auerſus mercaturis: delirus, & amens
Vndique dicatur meritò. quid diſcrepat iſtis,
Qui nummos, aurúmque recondit, neſcius vti
Compoſitis, metuénſque velut contingere ſacrū?
Si quis ad ingentem frumenti ſemper aceruum
Porrectus vigilet cum longo fuſte: neque illinc
Audeat eſuriens dominus contingere granum:
Ac potius foliis parcus veſcatur amaris:
Si poſitis intus Chij, veteriſque Falerni
Mille cadis: nihil eſt, tercentum millibus, acre
Potet acetū: age, ſi & ſtramentis incubet, vnde-
Octoginta annos natus, cui ſtragula veſtis,
Blattarum, ac tinearum epulæ, putreſcat in arca:
Nimirum inſanus paucis videatur eò, quòd
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
Filius, aut etiam hæc libertus vt ebibat heres,
Diis inimice ſenex cuſtodis? ne tibi deſit?
Quantulū enim ſummæ curtabit quiſq; dierum,
Vngere ſi cauleis oleo meliore, capútque
Cœperis impexa fœdum porrigine? quare,
Si quiduis ſatis eſt, periuras, ſurripis, aufers
Vndique? tun' ſanus? populum ſi cædere ſaxis
Incipias, ſeruóſve tuos, quos ære pararis:
Inſanum te omnes pueri, clamèntque puellæ.
Cùm laqueo vxorem interimis, matrémque veneno,
Incolumi capite es? quid enim? neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro: vt demens genitricē occidit Oreſtes.
An tu reris eum occiſa inſaniſſe parente?
Ac non ante malis dementem actū furiis, quàm
In matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin ex quo eſt habitus male tutæ mētis Oreſtes;
Nil ſanè fecit, quod tu reprendere poſſis:
Non Piladen ferro violare, auſúſve ſororem
Electram: tantum malè dicit vtrique, vocando
Hanc furiā, hunc aliud, iuſſit quod ſplēdida bilis.
Pauper Opimius argenti poſitis intus, & auri,
Qui Veientanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla, vappámque profeſtis:
Quondam lethargo grādi eſt oppreſſus: vt heres
Iam circum loculos, & claueis lætus, ouánſque
Curreret. hunc medicus multū celer, atq; fidelis
Excitat hoc pacto: menſam poni iubet: atque
Effundi ſaccos nummorum, accedere plureis
Ad numerandū: hominē ſic erigit. addit & illud,
Ni tua cuſtodis, auidus iam hæc auferet heres.
Men' viuo? vt viuas igitur, vigila: hoc age. quid vis?
Deficient inopem venæ te, ni cibus, atque
Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.
Tu ceſſas? agedum ſume hoc ptiſanarium oryzæ.
Quanti emptæ? paruo. quanti ergo? octo aſſibus. eheu:
Quid refert, morbo: an furtis, pereámq; rapinis?
Quiſnam igitur ſanus? qui non ſtultus. quid? auarus?
Stultus & inſanus. quid? ſi quis non ſit auarus:
Continuò ſanus? minimè. cur Stoice? dicam.
Non eſt cardiacus, Craterum dixiſſe putato,
Hic æger: rectè eſt igitur, ſurgétque? negabit:
Quòd latus, aut renes morbo tententur acuto.
Non eſt periurus, neque ſordidus. immolet æquis
Hic porcū laribus. verùm ambitioſus, & audax.
Nauiget Anticyrā. quid enim differt, barathróne
Dones, quidquid habes, an nūquā vtare paratis?
Seruius Oppidius CanusI duo prædia diues
Antiquo cenſu, natis diuiſſe duobus
Fertur: & hæc moriens pueris dixiſſe vocatis
Ad lectum: Poſtquam te talos, Aule, nucéſque
Ferre ſinu laxo: donare & ludere vidi:

Te, Ti-

Te, Tiberi, numerare: cauis abſcondere triſtem:
Extimui, ne vos ageret veſania diſcors:
Tu Nomentanum, tu ne ſequerere Cicutam.
Quare per diuos oratus vterque penates,
Tu caue ne minuas: tu ne maius facias id,
Quod ſatis eſſe putat pater: & natura coërcet.
Præterea ne vos titillet gloria, iure-
Iurando obſtringam ambo: vter ædilis, fueríſve
Veſtrûm prætor: is inteſtabilis, & ſacer eſto.
In cicere, atque faba bona tu, perdáſque lupinis,
Latus vt in circo ſpatiere, aut aneus vt ſtes,
Nudus agris, nudus nummis, inſane, paternis:
Scilicet vt plauſus, quos fert Agrippa, feras tu,
Aſtuta ingenuum vulpes imitata leonem?
Ne quis humaſſe velit Aiacem Atrida vetas cur?
Rex ſum, nil vltrà quæro plebeius, & æquam
Rem imperito: ac, ſi cui videor non iuſtus, inulto
Dicere, quæ ſentit, permitto. maxime regum,
Di tibi dent capta claſſem reducere Troia:
Ergo conſulere, & mox reſpondere licebit?
Conſule. cur Aiax heros ab Achille ſecundus
Puteſcit, toties ſeruatis clarus Achiuis: (mato:
Gaudeat vt populus Priami, Priamusq́; inhu-
Per quem tot iuuenes patrio caruere ſepulcro?
Mille ouium inſanus morti dedit, inclytū Vlyſſem,
Et Menelaum vnà mecū ſe occidere clamans.
Tu, cùm pro vitula ſtatuis dulcem Aulide natam
Ante aras, ſpargisq́; mola caput, improbe, ſalſa:
Rectum animi ſeruas? quorſum? inſanus quid enim Aiax
Fecit, cùm ſtrauit ferro pecus? abſtinuit vim
Vxore, & nato, mala multa precatus Atridis:
Non ille aut Teucrū, aut ipſum violauit Vlyſſem.
Verùm ego, vt hærenteis aduerſo littore naueis
Eriperem, prudens placaui ſanguine diuos.
Nempe tuo furioſe. meo, ſed non furioſus.
Qui ſpecies alias vero, ſcelerisq́; tumultu
Permiſtas capiet, commotus habebitur: atque,
Stultitiáne erret, nihilum diſtabit, an ira.
Aiax cùm immeritos occídit, deſipit, agnos?
Cùm prudens ſcelus ob titulos admittis inaneis:
Stas animo? & purum eſt vitio tibi, cùm tumidum eſt cor?
Si quis lectica nitidam geſtare amet agnam:
Huic veſtem, vt natæ, paret ancillas: paret aurū:
Puſam, aut puſillam appellet, fortíque marito
Deſtinet vxorē: interdicto huic omne adimat ius
Prætor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.
Quid? ſi quis natam pro muta deuouet agna:
Integer eſt animi? ne dixeris. ergo vbi praua
Stultitia, hic ſumma eſt inſania. qui ſceleratus:
Et furioſus erit. quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age luxuriam, & Nomentanum arripe mecum.
Vincet enim ſtultos ratio inſanire nepotes.
Hic ſimul accepit patrimoni mille talenta:
Edicit, piſcator vti, pomarius, auceps,
Vnguentarius, ac Tuſci turba impia vici,
Cum ſcurris fartor, cū velabro omne macellum,
Manè domū veniāt. quid tum? venêre frequētes.
Verba facit leno. quidquid mihi, quidquid & horum
Cuique domi eſt, id crede tuum; & vel nunc pete, vel cras.
Accipe, quid contrà iuuenis reſponderit æquus.
In niue Lucana dormis ocreatus, vt aprum
Cenem ego: tu piſceis hiberno ex æquore verris:
Segnis ego, indignus, qui tantum poßideā: aufer:
Sume tibi decies: tibi tantundem: tibi triplex,
Vnde vxor media currit de nocte vocata.
Filius Aeſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet vt decies ſolidum exſorberet, aceto
Diluit inſignem baccam: quí ſanior, ac ſi
Illud idem in rapidū flumen, iacerétve cloacam?
Quinctí progenies Arri, par nobile fratrum,
Nequitia & nugis prauorū & amore gemellum,
Luſcinias ſoliti impenſo prandere coëmtas:
Quorſum abeant ſani? creta an carbone notādi?
Aedificare caſas, ploſtello adiungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa
Si quem delectet barbatum: amentia verſet.
Si puerilius his ratio eſſe euincet amare:
Nec quicquā differre, vtrūne in puluere, trimus
Quale prius, ludas opus: an meretricis amore
Sollicitus plores: quæro, faciáſne, quod olim
Mutatus Polemo? ponas inſignia morbi,
Faſciolas, cubital, focalia? potus vt ille
Dicitur

Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas:
Poſtquàm eſt impranſi correptus voce magiſtri?
Porrigis irato puerò cùm poma, recuſat.
Sume Catelle: negat. ſi non des, optat. amator
Excluſus qui diſtat: agit vbi ſecum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arceſſitus: & hæret
Inuiſis foribus? nec nunc, cùm me vocet vltrò,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Excluſit: reuocat: redeam? non, ſi obſecret. ecce
Seruus non paullo ſapientior. ô here, quæ res
Nec modũ habet, neq; conſilium, ratione modoq;
Tractari nõ vult. in amore hæc ſunt mala, bellũ,
Pax rurſum. hæc ſi quis tempeſtatis prope ritu
Mobilia, & cæca fluitantia ſorte, laboret
Reddere certa: ſibi nihilo plus explicet, ac ſi
Inſanire paret certa ratione, modóque.
Quid? cùm Picenis excerpens ſemina pomis
Gaudes, ſi cameram percuſti fortè: penes te es?
Quid? cùm balba feris annoſo verba palato:
Ædificante caſas qui ſanior? adde cruorem
Stultitiæ: atq; ignẽ gladio ſcrutare: modò, inquã,
Hellade percuſſa Marius cùm præcipitat ſe,
Cerritus fuit: an commotæ crimine mentis
Abſolues hominẽ: & ſceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita ſiccus
Lautis manè ſenex manibus currebat, & vnum
Quid, tã magnũ addens; vnũ: me ſurpite morti:
Dis etenim facile eſt, orabat: ſanus vtriſque
Auribus, atq; oculis: mentem, niſi litigioſus,
Exciperet dominus, cũ vẽderet. hoc quoq; vulgus
Chryſippus ponit fecunda in gente Meneni.
Iuppiter, ingenteis qui das, adimiſque dolores:
Mater ait pueri menſeis iam quinque cubantis,
Frigida ſi puerum quartana reliquerit: illo
Manè die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tiberi ſtabit. caſus, medicúſue leuarit
Aegrum ex præcipiti: mater delira necabit
In gelida fixum ripa: febrimque reducet.
Quóne malo mentem concuſſa? timore deorum.
Hæc mihi Stertinius ſapientum octauus amico
Arma dedit: poſt hac ne compellarer inultus.
Dixerit inſanum qui me, totidem audiet: atque
Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.
Stoice poſt damnum, ſi vendas omnia pluris.
Quam me ſtultitiam (quoniã non eſt genus vnũ)
Inſanire putas? ego nam videor mihi ſanus.
Quid? caput abſciſſum demẽs cùm portat Agaue
Nati infelicis, ſibi tum furioſa videtur?
Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atq; etiam inſanum: tantũ hoc ediſſere, quo me
Aegrotare putes animi vitio. accipe: primùm
Ædificas: hoc eſt longos imitaris, ab imo
Ad ſummum totus moduli bipedalis: & idem
Corpore maiorem rides Turbonis in armis
Spiritum, & inceſſum: qui ridiculus minus illo?
An, quodcunq; facit Mæcenas, te quoq; verũ eſt,
Tanto diſſimilem, & tanto certare minorem?
Abſentis ranæ pullis vituli pede preſſis,
Vnus vbi effugit: matri denarrat, vt ingens
Bellua cognatos eliſerit. illa rogare,
Quantane? nũ tantũ, ſufflans ſe, magna fuiſſet.
Maior dimidio. num tantum? cùm magis, atq;
Se magis inflaret: non, ſi te ruperis, inquit,
Par eris. hæc à te non multùm abludit imago.
Adde poëmata nunc: hoc eſt oleum adde camino:
Quæ ſiquis ſanus fecit: ſanus facis & tu.
Non dico horrendam rabiem. iam deſine. cultum
Maiorem cenſu. teneas Damaſippe tuis te:
Mille puellarum, puerorum mille furores.
O maior tandem parcas inſane minori.

COMMENTATOR.

S I *raro ſcribis vt toto n. q. a.* Inducit Horatius Iunium quendam Damaſippum ſecum loqui, qui conſumto per mercatum patrimonio, philoſophari cœperat: ab hoc fingit deſidiam ſuam caſtigari, quòd nec in vrbe, diuerſis cõuiuiis & occupationibus impeditus, quicquam ſcriberet, nec in villa, ad quam tamen receſſerat ſcribendi gratia, comportatis ſecũ multis auctoribus Græcis. *ſi rarò ſcribis.* Damaſippus obiurgat Horatiũ ab otio. *membranam.* chartam ad ſcribendũ, ſic dicta quòd membra tegat. *ſcriptorum.* à te. *retexens.* relegens, reprehendens, emendans, delens. *vini ſomniq; b.* nimis indulgens vino & ſomno. *dignum ſermone.* opinione, quã de te habẽt omnes, vel prædicatione. *Saturnalibus.* feſtis Saturni, quæ celebrantur decimoſeptimo die Decẽbris. *huc fugiſti.* ad villã vt ſcriberes. *culpantur.* à te accuſantur. *iratis natus p. d.* ſolebant enim ſcriptores antiqui parietes lectis ſuis proximos cera illinire, & habere iuxta ſe

graphia,

graphia, vt ſi fortaſſe noctu aliquid occurreret, id ante ob ruinā litteris notarent. *immeritus labo.* arguit eorū ſtultitiam, qui cùm ſententiarum aut verborū vrgentur inopia, in parietes, quaſi minus cōmodos iraſcūtur. *natus.* ſtructus, ędificatus. *minantis.* pollicentis, promittētis. Poëta per contrariū dixit, promiſi vltorē, & verbis odia aſpera moui, id eſt, minatus ſum. *vacuum.* otioſum. *tepido tecto.* fuit Horatius frigoris impatiens, vt ipſe de ſe teſtatur in Epiſtol. Quòd ſi bruma niueis Albanis illinet agris, ad mare deſcendet vates tuus, & ſibi parcet. Amauit enim Horatius focū luculentiorem, idcirco ſub hiemē ſolebat ſe transferre in villā propter lignorum copiam. *tepido.* temperato. *quorſum pertinuit.* quid profuit? *ſtipare.* ſtipatos comportare horū auctorum libros, Platonis philoſophi cū Menandro comœdiographo, Eupolide & Archilocho ſatyrographis, & maledicis poëtis. *Inuidiam placare p.* Ideóne virtutē & induſtriam deſeris, ne te ſequatur inuidia? hoc ſi facis, habeberis contemtui, nam ea eſt natura hominū, vt potētioribus inuideāt, & humiliores aſpernentur. *vitanda eſt improba ſ.* deſcriptio deſidiæ à ſimili, hoc eſt, deponēda eſt turpis otij delectatio: aut ſi vis in otio viuere, deponēdum eſt quicquid laudis & gloriæ in negotioſa vita es meritus. *dij te Damaſippe.* loquitur Horat. & cum Damaſippo iocatur, optās ei tonſorem, quia Stoicorum ritu barbam habebat demiſſam. *Verum ob conſil.* rectū & vtile. *Ianum ad medium.* vbi frequens eſt forum mercatorum. Iani autem ſtatuæ tres erant, vna in ingreſſu fori, altera in medio, vbi erat eius templum prope Baſilicam Paulli, vel pro Roſtris; huc concurrebāt, & potiſſimum ſtationes ſuas habebant fœneratores, alij ad reddendum fœnus, alij ad accipiendum. Tertia autem ſtatua erat ad exitum fori: ideo Ianus dictus eſt Deus mercatorum, quia incipit, & in eū deſinit annus, qui ſemper voluitur; ita & mercatores ſunt in perpetua volutatione emendo & vendendo. Qui & biceps eſt, quia mercatores non tantum debent curare quanti rem emant, ſed & quanti vendere poſſint. *fracta.* comminuta, conſumta, perdita. *excuſſus.* deiectus, expulſus, alienatus. *quo ære.* in quibus vaſis: ſignificat Corinthiorum vaſorum amatorem ſe fuiſſe. *vafer Siſyphus.* Rex Corinthiorum filius Aeoli, qui æris temperaturam primus inuenit. *quid ſculptum in f.* imperitè, cui contrarium eſt, affabrè. *fuſum.* ſigna ænea funduntur. *durius.* aſperius, nō leuius, & malè formatum. *ſigno.* fuſo. *ponebā.* æſtimabam. ſe æris peritū fuiſſe oſtentat. *milia centum.* ſeſtertiûm numûm. *vnus.* ſolus. *vnde frequentia Mercur.* ordo eſt, vnde frequentia cōpita impoſuere mihi cognomē Mercuriale, hoc eſt, vulgò cognominabar Mercuri⁹: ex lucro mercatores & negociatores appellātur Cerdones, quia κέρδος Græcè ſignificat lucrū, omnes enim cerdones lucro ſtudent. *compita.* cōpita dicūtur loca, ad quæ ex multis regionibus cōcurritur. *noui.* Horatius loquitur, noui te hoc ſtudiū habuiſſe. *purgatū.* liberatū. *morbi.* negotij. *atq; emouit vete.* morbū mutaui inquit Damaſippus, ſed morbo nō carui. *nouus.* Philoſophia Stoica. *vt ſolet.* ſupp fieri. *traiecto.* mutato, tranſlato. *lateris miſeri.* cum dolor lateris aut capitis mutatur in dolorē cordis, quod fit quando morbus nō ſanatur, & deſinit, ſed immutatur tātùm, morbuſq; morbo ſuccedit. *vt lethargicus hic q.* Quemadmodū qui lethargo laborauit, fit pugil, hoc eſt, freneticus, φρενιτικός. Hi morbi autē ſunt contrarij; nam Lethargus, eſt ſopor cōtinuus in obliuionem inducens, qui veternus dicitur; Phreneſis eſt deliriū mentis, & quædā inſania, quæ phreneticū numquam ſinit quieſcere, ſed impellit in perpetuas vigilias. *medicū vrget.* cædit. *dum nequid ſimile huic.* dūmodo nō ſis phreneticus & me cædas, quouis morbo labores, per me licet, irridet Damaſippum. *ô bone.* ironia. *ne te f.* ne te decipias, ô Horati, inquit Damaſippus. *ſtultiq; propè omnes.* inſaniunt, ex opinione Stoicorū, qui dicunt omneis inſanire præter ſapiēteis, ſeq; tantūmodo ſapienteis appellāt. *ſi quid Stert. v. cr.* fuit hic Stertinius Stoicus, qui Damaſippum à pontis pręcipitio retraxit, & ad philoſophiā hortatus eſt, cùm ille bonis omnibus perditis cuperet interire. *crepat.* loquitur, ſonat. *vnde.* à quo Stertinio. *deſcripſi.* notaui diligenter. *ſolatus.* cōſolatus. *ſapientem* irriſio philoſophorum. *paſcere.* nutrire, in ſignum ſapientiæ. *Fabricio.* vnde ſe in Tiberim præcipitem dare voluit, damni dolore commotus. hic autē pons Fabricius dictus eſt, à Fabricio cōſule conditore, qui nunc Lapideus nominatur, iunctus inſulæ Tiberinæ. *nam malè re g.* perditis rebus meis. dicit cauſam ob quam ſe voluit deiicere in Tiberim. *dexter.* bonus, felix, fauſtus, propitius. Virg. Sic ſidera cælo dextra feras. Perſ. dextro Hercule. *caue faxis.* notandum eſt, ve, ſyllabam in verbo ſecundæ coniugationis, caue, eſſe breuē. ſic Perſ. in, vide, breuem poſuit; Vide ſis ne maiorum tibi fortè limina frigeſcant. *inſanos qui inter ve.* inter inſanos nō eſt inſania metuēda; ſic ſtulta verecūdia eſt, vereri in his vitiis quæ vidētur eſſe cōmunia. *Primùm nam.* ἀναστροφὴ, pro nā primùm: *nil verbi.* ordo eſt, nil verbi addā, quin, id eſt, vt nō pereas, te præcipites. *quē mala ſtultitia.* definit quid ſit furere. *Chryſippi port.* Stoici philoſophi, ἀπὸ τῆς στοᾶς porticu. *autumat.* affirmat, dicit, comprobat. *formula.* regula. hæc definitio. *ſapiente.* Stoico. *nunc accipe.* Stertinius Da-

maſippo. *deſipiant*. ſtulti ſint. *inſano poſuere*. & illi inſaniunt quibus tu videris inſanus. *velut ſiluis*. comparatio. *certo de tramite*. de via recta amouet & abducit. *partibus*. modis. *caudã trahat*. Prouerbiũ eſt, hoc eſt, riſu dignus eſt. ſumtũ à cõſuetudine puerorũ: ſolẽt enim pueri deridẽtes neſciẽtibus à tergo caudam ſuſpendere, vt, veluti pecora, caudã trahant. *Eſt genus vnũ ſtultitiæ*. Enumerat ſtultitiæ genera, vnũ, inquit, genus ſtultitiæ eſt, quoties non timenda metuimus; alterũ, cùm verè timenda nõ metuimus. *vt igneis*. proponit aliquos eſſe, qui res faciles pro difficillimis habẽt, & ſemper timore depreſſi, quærũt latere. *alterũ & huic con*. huic contrariũ, ab hoc diuerſum. *nihilo ſapiẽt*. æquè ſtultum, vt qui temerè & ſponte feruntur in præceps. *clamet amica mater*. hæc cõpoſitè proferenda ſunt; videntur autẽ ſumta è Græca tragœdia, φιλημάτης. *ſerua*. te, caue tibi. *nõ magis aud*. vt vitet præcipitium. *dum Ilionam edor*. Iliona filia fuit Priami nupta Polymneſtori. cui Priamus in belli deſperatione cõſtitutus, credidit filiũ ſuum Polydorũ cũ ingenti pecunia; ſed barbarus, auaritia incẽſus, Polydorum interemit, & pecuniã ſibi vendicauit. hac de re ſcripta eſt tragœdia, in qua agẽda fuſiùs hiſtrio egit parteis Ilionę, qui ebrius, dum vellet ſimulare Ilionã dormientẽ, grauitate vini in verũ ſomnũ inductus eſt, atq. ita dormiuit, vt nõ audiret etiã mille Catienos agẽteis partes filij Polydori, & inclamanteis matrẽ Ilionam, hiſq; verbis ſepulturã implorãteis, Mater te appello, ſoror ô, ſurge, & ſepeli me. *Catienus m. d*. Catienus hiſtrio egit partes Polydori, dictus à Cario quodam nobili cantore. *mater te app*. verba ſumta ſũt ex veteri tragœdia. *errori*. error proprius eſt iis qui in ſiluis incerta via vagantur. *integer eſt mẽtis*. Interrogatio ironica. *eſto*. concedamus creditorem ſapere, dum probemus hũc ipſum magis inſanire quàm Damaſippũ. *reiecta præda*. neglecto lucro. *præſens*. propitius. *ſcribe decem à Nerio*. Nerius & Cicuta fœneratores fuere calidiſſimi, & admodũ aſtuti. ſenſus autẽ eſt, pecuniã à fœneratore Nerio accipe mutuò, quæ ſi non ſufficit, accipe centũ tabulas, id eſt, centũ milia à Cicuta fœneratore doloſo, & hoc debitũ ſit firmatũ centũ catenis, id eſt, iuris nexibus, ſiue cautelis, tamen debitor fruſtrabitur conſignatores. *ſcribe decem*. decem milia lib. Scribere iuris verbum eſt, pro mutuũ ſumere, reſcribere verò eſt reddere debitum. *Cicuta*. Cicuta fœnerator fuit, ſic dictus ab amaritudine morum. *nodoſi*. doloſi, qui multis dolis & nodis obſtringat debitores. *catenas*. cautiones, iuris nexus. *ſceleratus*. callidus, ingenioſus. *Proteus*. Proteus eſt quiuis perfidus debitor, qui mille modis ſtudet elabi ne reddat debitum. *cùm rapies in ius m. r. al*. Græcus eſt ſermo, qui ſignificat, ſi eũ in ius rapere cœperis, nõ ridebit ex animo, ſed riſum ſimulabit ſuis malis, id eſt, ſuo ore: *fiet aper*. ferox. *modò auis*. fugax. *modò ſaxum*. mutus. *ſi malè rem g*. adhuc verba ſunt Damaſippi ſub perſona Stertinij. *contrà*. ſcilicet, rem bene gerere. *putidius*. ſi inſani eſt malè rẽ gerere, multo putidius eſt cerebrũ Perillij, quàm debitoris, qui id ſtudet dictare quod debitor nũquã ſit ſoluturus. *dictantis*. credentis; quia cùm damus, dicimus, ſcribe cautionẽ pro ea pecunia. *reſcribere poſ*. reſcribere eſt debitũ ſoluere, hoc eſt, ſcriptũ debiti liberare. Terẽt. Sed trãſi, ſodes, ad forũ, atq; illud mihi argentũ iube reſcribi Phormio, hoc eſt, reddi per ſcripturã. *audire atq; togam i. e*. ſenſus eſt, iubeo audire, & ad præcepta vera auaros iubeo eſſe bene cultos. nam qui ſoluto pallio audiunt, negligentes iudicantur, & minimè curioſi. Eſt autẽ ὕστερον πρότερον, nam priùs neceſſe eſt ſe cõponere, quàm audire. *triſtive ſuperſtitione*. inani, quia ſuperſtitio triſteis & tetricos homines efficit. *calet*. nimius eſt. Zeugma in verbo calet. *dum doceo inſ. o*. dum oſtendo omneis inſanos eſſe. *ordine*. per ordinẽ. *danda eſt helleb*. plurimũ hellebori dandũ eſt auaris, tanquàm maiori morbo laborantibus. *hellebori*. helleborus nomẽ eſt herbæ, quo purgatur cerebrũ. hic ponitur pro remedio inſaniæ curandæ. *neſcio*. Litote, pro bene ſcio. *Anticyram*. μετωνυμία, quia continens pro contento ponitur. Anticyra nomen eſt inſulæ & oppidi in Propontide, ſicut Helenius teſtatur, vbi multum hellebori naſcitur. ſenſus eſt, tanta eſt auaritiæ dementia, vt totius inſulæ helleboro ſanari non poſſit, quod caput tamen ſanat, & mentẽ recreat. *hæredes Staberi*. Staberius homo fuit auariſſimus, adeò magnitudine pecuniæ delectatus, vt cũ finẽ vitæ adeſſe intellexiſſet, monumento ſuo hæredes inſcribere iuberet, quãtum quiſque à ſe in partem accepiſſet. Qui ſi in aliquo mentiti eſſent, damnationis nomine centum paria gladiatorum populo exhiberent; epulum etiam populo pararent ad arbitrium Arrij voraciſſimi, & frumentum quantum Africa feraciſſima mitteret, hoc eſt, infinitum. *ſummam*. relictam pecuniam. *ni ſic feciſſent*. ſummam ſepulchro inciſiſſent. *damnati*. teſtamento. *arbitrio Arrij*. ad Arrij ſententiam, qui fuit valdè luxurioſus. *ſiue ego prauè*. ἀνθυποφορὰ Staberij: hoc enim ſubijcit Staberius, ne quærerent ſui hæredes cur hoc fieri voluerit. *patruus mihi*. ne ſis indagator & cenſor ſeuerus rerum mearum. *prudentem animum*. ἐμπειρικῶς. *quoad*. quamdiu. *vitium*. ſupp. eſſe. *cauit nihil acrius*. nihil magis timuit, nihil ſic cautè vitauit atque pauperiem. *minus locuples*. ſi fortè vnum quadrantẽ minùs reliquiſſet mortuus quàm

viu. s

viuus habuerat. *videretur ſe neque.* luxurioſior & abiectior. ſic ſuprà dixit, illũ aut nequities, id eſt, luxuria. *diuitiis pa.* omnium enim rerum regina eſt opulentia. *conſtruxerit.* congregauerit, coaceruauerit. *clarus erit.* hæc ἰσχυρικῶς dixit. *hoc veluti v. p.* Has quaſi virtute paratas diuitias putauit ad virtutem pertinere. *Græcus Ariſtip.* Docet inſanum etiam eſſe eum qui pecuniã ſpernit, cuius vſus eſt neceſſarius. Ariſtippus Græcus Cyrenaicus dictus eſt: cùm ſerui eius auro onuſti tardiùs ambularent, quod à rege quodam Mauritaniæ acceperat, iuſſit vt abiicerent, tanquam itineris impedimentum. *vter inſanior h.* qui congregat an qui contemnit. *nil agit exemplum.* Quaſi Damaſippus dicat Stertinio, ad rem dubiam diſcernendã opus eſt non dubio, ſed argumẽto certo. *ſi quis emat citharas.* nunc probat non minùs inſanos auaros, quàm qui nimiùm pecuniam contemnunt. *formas.* calopodia. *aduerſus m.* alienus à mercatura. *vndique.* ab omnibus. *qui.* quomodo. *dominus.* ſi tamẽ dominus dicẽdus ſit. *nihil eſt.* quod dico parum eſt. *age.* præterea. *ſtramentis.* ſtratis. ſtramenta dicuntur vilia quæque, quæ ſubſternũtur dormientibus. *vnde octoginta a. n.* ſcilicet lxxix. hoc eſt, vno anno minus quàm octoginta, ſicut dicimus vndeuiginti, id eſt, nouemdecim. *ſtragula.* pretioſa plumario opere facta. *blattarũ.* blatta genus eſt vermis, veſteis corrodens, ſicut & tinea. *diis inimice ſ.* inuehitur in auarum. *curtabit ſumma.* de ſumma minuet, amputabit. *quiſq. dierum.* vnuſquiſq; dies. *porrigine.* porrigo morbus quidam capitis cariem faciens, naſcitur autem ex ſordibus & incuria capilli impexi. *quare ſi quidvis ſatis eſt.* ſi contentus es paruo, & exiguũ tibi ſufficit, quare periuras, vt habeas ampliſſimas diuitias? Si mediocritate cõtentus es, cur cædibus mercaris opulentiã & ſacrilegio? Sed fortaſſe dicturus es, quare ego inſanus appellor, cùm hoc non faciam, neque matrem occidam? Quamuis non occidas matrem apud Argos, vt Oreſtes fecit, tamen reuera es inſanus. *vxorem interimis.* propter diuitias. *incolumi cap. es?* poteſt'ne fieri vt ſano ſis capite, id eſt, ſanæ mentis? *Argis.* apud Argos. *actũ.* agitatũ. *tutæ mentis.* ſanæ mentis. *ſplendida bilis.* ſic Perſ. vitrea bilis, flaua vel atra. κατὰ ἀντίφρασιν. *pauper Opimius.* aliud exemplũ ad auaritiæ inſaniam docendam. *pauper arg.* ita dicimus diues opum. pauperem autem dicit animo, non fortunis. ſic alibi, magnas inter opes inops. *poſiti.* repoſiti & conditi. *Veientanũ.* Veientum ciuitas eſt Campaniæ, vbi naſcitur peſſimum vinũ. ſic Perſ. Veientanúmq; rubellũ. *Campana ſ. trulla.* trulla vas fuit fictile. *vappámq.* vinum corruptũ & inſipidũ. *lethargo.* morbo veterno, qui facit homines immemores nimio ſomno. *multũ celer atq. fid.* hæc duo medico ſunt neceſſaria, ſciẽtia & diligẽtia. *accedere plur.* ſupp. iubet, ἀπὸ κοινοῦ. *men' vino?* méne viuo? verba ſunt ægroti Opimij. *deficient inopẽ.* verba medici hortantis ægrotũ, vt cibũ ſumat. *inopem.* inanẽ te deſtituent viribus. *vt viuas vigila.* verba medici. διαλογισμὸς. *fultura.* robur. *ruenti.* deficiẽti. *hoc ptiſanarium or.* ptiſanã ex oriza confectã. *quanti e.* ægrotus. *paruo.* medicus. *quanti ergo?* æger. *octuſſibus.* medic. octo aſſibus. *Eheu quid r.* ægrotus. *quiſnã igitur.* Damaſip. ad Stertinium. *quid ſi quis.* non ſufficit ad ſanitatẽ auarũ non eſſe. *Craterũ.* Craterus nomẽ eſt medici excellentiſſimi ſub Auguſto; de quo Perſ. Quid opus eſt Cratero magnos promittere mõteis. *negabit.* Craterus. *acuto.* penetrabili, pernicioſo, graui; vt alibi, Cũ ſemel accepit ſolẽ furibũdus acutum. acutus Græcè ὀξὺς, ab ὀξύνω, acuo. *quid enim differt.* ſenſus eſt, quid intereſt, vtrùm non vtaris, an in barathrũ mittas. à barathro, dictus eſt Baratto, onis, ſcurra voraciſſimus. *dones q. h.* Eadẽ namq; eſt inſania mentis, nimis parcere, & prodigere. *Seruius Oppidius.* hoc exemplũ eſt eius partis, quiſnã igitur ſanus? *Canuſi.* Canuſiũ oppidum eſt Apuliæ. *diuiſſe.* diuiſiſſe. *poſtquàm te talos.* poſtquã, inquit, ô Aule, te luxurioſum fore cognoui. *talos.* teſſeras. *donare.* nuces. *ludere.* talis. *te Tiberi.* cum te, ô Tiberi, deprehendi fore tenacẽ. *cauis.* locis occultis & abſconditis. *numerare.* nuces. *tu Nomenta.* ô Aule, ne ſequereris luxurioſum. *tu.* ô Tiberi. *Cicutã.* auarũ fœneratorẽ. *tu caue.* bene monet appetendũ quod naturæ ſufficit, oſtendítq; paternũ affectum naturæ cõſentire, quæ paucis eſt contenta. *titillet.* ad ſe quadam iucũditate rapiat; ne vos delectet atq. ſollicitet ambitio. *ambo.* ambos. *inteſtabilis.* cui non licet teſtamentum condere, vel teſtamento quid ab alio accipere. *ſacer.* execrabilis, execrandus, κατ' ἀντίφρασιν, ſacri enim dicebantur periuri, & obnoxij numini per quod iurauerant, ſi iuramentum nõ ſeruaſſent. *in cicere atque faba.* antiquis temporibus, vbi pauperiores erant Romani, hæc dabantur & ſpargebantur in vulgus, ab his qui ludos Floraleis exhibebant, ad plauſum & fauorem populi captandum. hac occaſione carpit ambitionis inſaniam. *latus.* latus, inflatus & ſuperbus ambules in circo & theatro. *aeneus vt ſtes.* tibi erigatur ænea ſtatua. *ſcilicet vt pl.* ironicôs. *nudus.* nudatus agris & bonis paternis, vt tibi applaudat populus, imbelli vulpi, ſicut Agrippæ genero Auguſti, qui virtute fuit leo. *aſtuta.* quod enim leo viribus, hoc vulpes conatur aſtutia facere. *ne quis humaſſe velit.* Introducit aliquem altercantem cum Agamemnone, vt doceat ſaniores eſſe eos qui inſani videntur his quos

ſanos putamus. Dogma autem quoddam Stoicorum pragmaticôn vocatur, *πάντας ἀνθρώπους μαίνεσθαι*, quod eſt, omneis inſanos eſſe homines. *humaſſe*. ſepeliuiſſe. *Atrida*. ô Atrida. vocatiuus eſt. *vetas cur?* contra ambitionē *διαλογισμὸς* inter plebeiū & regem Agamemnonem. *rex ſum*. ordo eſt per tmeſim Rex ſum, & æqua impero, qui potui vel iniqua. *nil vltrà quæro ple*. Hæc verba plebeij ſecant continuam regis reſponſionē. *maxime regum*. Plebeius ad captandā regis beneuolentiā, prius optat illi, vt victor de Troianis ſaluus domū redeat: deinde interrogat an ſibi liceat regem de aliquibus percontari. qua in re imitatur Socraticas dialectos, quibus callidè obtrectat & carpit ambitionem. *Dij tibi dent*. Homericum hoc eſt, *ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι*. *Conſule*. Rex. *cur Aiax*. plebeius. *gaudeat vt pop p*. iccirco non vis eum ſepeliri, vt gaudeāt de eius morte & tua crudelitate Troiani & ipſe Priamus: ſic poëta: hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ. *tot iuuenes*. Troiani. *mille ouium*. Rex. *inſanus Aiax*. *tu cum p v*. plebeius. *ſpargis mola*. molam ſalſam dicunt far & ſalem cū aqua, quæ ſpargebatur inter cornua quando initiabatur victima. *caput*. natæ tuæ Iphigeniæ. *rectū animi ſer*. ſanus eſſe potes? *quorſum?* ſupp. tendis. quid vis? loquitur Agamēnon. *inſanus quid enim A*. oſtendit magis Agamemnonē inſaniuiſſe quàm Aiacem. Hæc autem eſt fabula. Aiax poſtquàm cauſam amiſit, cum Vlyſſe contendens de armis Achillis, dolore & inſania correptus, irruit in gregem pecudum, atque interficiens boueis, putabat ſe necare Agamemnonem & Vlyſſem: at poſtquā reſciuit ſe turpiter egiſſe, reſtituta mēte præ dolore gladio incubuit, quare Agamemnon prohibuit eum à communi ſepultura. *vxore*. ab vxore. *precatus*. tan: ū. *Teucrum*. fratrem ſuum. *violauit*. occidit *Vlyſſem* inimicum & aduerſariū. *Verum ego*. Rex *aduerſo littore*. inimico, vnde nauigare non poteram. *prudens*. ſciens & volens. *placauiſ. v*. vnde Virgilianū illud, ſanguine placaſtis ventos & virgine cæſa. *nēpe tuo*. plebeius, certè tuo ſanguine placaſti vētos. *meo*. Rex. *non furioſus*. quia hoc feci nomine patriæ. *qui ſpecies*. plebeius. *alias veri ſceleriſq; tumultu*. hoc eſt, qui res alias facit modò iuſtas, modò iniuſtas mentis agitatione, is non ſanus habetur. *ſceleris tu*. mali confuſione & ſocietate. *capiet*. ſumet, & facere quid aggredietur. *commotus*. inſanus. *nihilum diſtabit*. nihil intereſt, vtrū quis per ſtultitiam erret (vt Agamemnon in filia) an per iracundiā, vt Aiax qui pecus ſtrauit. *deſipit*. vt tu dicis. *cùm prudens*. ô Atrida. *ob titulos*. ob gloriā & vanum triumphū. *ſtas animo*. es ſanus? *purum*. à vitio, cares vitio? *tumidum*. turbatum, ſollicitum & ſuperbum. *ſi quis lectica*. Aliud argumentum à ſimili, quo oſtēdit Agamemnonem inſanire. *amet*. velit. *deſtinet*. ſpondeat, conſtituat. *interdicto*. edicto prætoris ei bonis interdicatur qui talia agit. *huic*. talia agēti. *ius*. adminiſtrationē rerum ſuarum. *abeat*. transferatur. *propinquos*. tutor agnatus eſto. Inſanis & mēte captis interdicto prætoris bonorū poſſeſſio tollebatur, & propinquis tuenda tradebatur. *quid ſi quis g*. argumentum à minori. *deuouet*. deſtinet aræ. *integer eſt animi?* interrogatiuè. *ne dixeris*. hūc eſſe ſanum. *praua ſtultitia*. quæ ducitur ambitione. *ſceleratus*. crudelis. *furioſus*. iracundus. *Bellona*. Belli Dea, Martis ſoror. *vitrea fama*. Studium ambitionis eſt fragile, ideò dicitur fama vitrea. *circūtonuit*. percuſſit furore & inſania. *cruētis*. abſolutè, pro ſanguine. *Nunc age luxuriā*. Dixit in auaros, in ambitioſos, nunc luxurioſos vult etiā inſanos eſſe: age, inquit, nunc videamus vtrū luxuria non habet ſtultitiam. *Nomentanum*. pro quouis luxurioſo. *vincet enim*. probabit ratio ſtultos eſſe omneis luxurioſos. *hic*. Nomētanus poſtquam hæres accepit à parentibus mille talenta, id eſt ampliſſimas diuitias, omnibus cupediariis & obſonatoribus, edicit, mandat cum grauitate, vt mane ad ſe domum veniant. *Tuſci vici*. Tuſci aliquando ab Aricinis pulſi contulere ſe Romam, & vicum, qui modò Turarius dicitur, inſederunt, eiq; ſuum nomē dederūt. *turba impia*. in Tuſco vico habitabant lenones, meretrices, fœneratores: qui iccirco dicuntur impia turba, quia ad peierandum erant faciles, & inhumaniſſimi, ita vt neque miſericordia mouerentur, neq; flecterentur precibus. *cum ſcurris*. hiſtrionibus, paraſitis. *fartor*. qui ſuillas vendit, & ex iis facit ſalſitias. *cum Velabro*. Velabrum locus Romæ, vbi proſtabāt omnia quæ ad victus rationē & delicias pertinebāt. *quid tam* quid tum, poſtea quàm omnes conuenerant? *verba f. l*. apud luxurioſum leno primùm loquitur, tamquam patronus omnium nebulonū. *quicquid mihi*. lenoni. *aquus*. ironicôs. *in niue Luca*. verba luxurioſi ad venatorem & piſcatorem, non etiā ad lenonem, vbi notat incuriā, oſcitantiam, & ineptiam luxurioſi. *tu piſceis*. Ad cupediarios habentur hæc verba. *Segnis ego*. ſupp. ſum, ingratus & tardus in dādo vobis præmio, cùm tantum bonorum poſſideam. *ſume tibi*. ô venator. *tibi tantumdem*. ô piſcator. *tibi triplex*. ad lenonem. *vnde*. à quo. vt cariorem meretricem faceret, finxit nomē vxoris. *Filius Aeſopi d*. Alio exemplo docet luxurioſos inſanire. Menij Aeſopi tragici filius Aeſopus luxurioſus, cùm omnium rerum vile putaret diſpendium, gemmā pretioſiſſimam ab auricula

cula

cula vxoris Metellæ detractam, & in aceto dilutam deuorauit, vt patris ſcilicet opulentiam vinceret voracitate & luxu. *Scilicet vt decies ſolidum.* integrū, decies centena millia ſeſtertiûm, vt ſe iactaret. *inſignem.* pretioſam. *baccam.* vnionem, margaritam albam. *Illud idem.* eandem baccam. *in acre*ɑ́*τυε.* τὸ ve, πρὸς τὸ, cloacam, iungendum eſt, non minus certè inſanus, quàm ſi eam baccā aut in flumen abieciſſet, aut in cloacam. *Quinti progenies Arri.* Aliud exemplū de luxu. *par nobile.* notum, famoſum. *amore gemellum.* Amore gemelli dicuntur, qui amant paria: gemellum, id eſt, concors & æquale. *Luſcinias.* διὰ συναιρέσεως duarum vocalium poſteriorum. *impenſo.* magno pretio emtas, erant enim cariſſimæ. *Quorſum abeant.* quibus adnumerandi ſint, bonîſne, & creta notandi an malis, vt carbone notentur? bona enim albo lapillo ſignabantur; aduerſa verò nigro. Perſ. illa prius creta, mox hæc carbone notaſti. *adificare caſas.* hæc puerilia ſunt. *ploſtello.* puerili, de luto & ſarculis confecto. Diminutiuum eſt à ploſtro ſeu plauſtro. *Ludere par impar.* Micare: ludus eſt micantiū puerorū. *Si quem delectat.* Hoc eſt, ſi quem videris barbatū hæc facere, dices, hunc amentia vexat, habet & defatigat. *puerilius.* ſtultius, ineptius: ſi ratio obtinebit puerilius eſſe amare, quàm in puluere ludere, nónne inſanus eris? *ponas.* deponas. *inſignia morbi.* inſtrumenta luxuriæ. *mutatus Polemon.* Polemon iuuenis fuit Athenienſis perditæ luxuriæ: is cùm ebrius incederet per vrbē, fertur audiſſe è propinquo Xenocratis vocem diſputantis, deinde introiiſſe coronatus, & vnguētatus ad eū deridendū: ſenex autem perſeuerauit, & inuectus in luxuriam, coëgit Polemonem pœnitere ſui, & coronas abiicere; qui poſtea tantus in philoſophia extitit, vt dignus exiſtimatus ſit, qui Xenocrati ſuccederet. fuit autem Xenocrates cōtinentiſſimus, & maximè ſobrius: de quo Lais ſponſionem fecerat, quòd eum poſſet ad ſuos amores ſollicitare concubitúſque: nocte ergo quadam terrorem finxit, & confugit ad eum, &, quaſi neceſſitate coacta, cum eo manſit. Ille verò immobilis iacuit. poſtea dum ſoluere ſponſionē cogeretur, reſpondit, ego de homine, non de ſtatua ſponſionem feci. *faſciolas.* Faſciolæ, ornamenta quædam ſunt brachiorum, pedū, articulorum, vel vittæ. *cubitale.* puluillus qui cubito cœnanti ſupponi ſolebat. *focalia.* collaria, à collo dependentia, ad fouendum collum & fauces. *vtilis.* Polemon. *furtim carpſiſſe.* pudore affectus hoc fecit, ne quis intelligeret eum aliquādo fuiſſe luxurioſum. *impranſi.* ſobrij, ieiuni, rigidi, ſeueri; & eſt ἀντίθετον ebrij ſeu poti. *correptus.* caſtigatus. *magiſtri.* ſenis Xenocratis. *Porrigis irato p.* Iterū vt oſtēdat non eſſe amatorē ſanū, probat paribus eſſe moribus amatorē & puerū. *ſume catelle.* verbum eſt blādientis. *amator exclu.* aptat ſimilitudinem. *qui diſtat.* à puero. *agit vbi ſecum.* quando intra ſe deliberat. *haret.* ſtupet & ſtat defixus ante moleſtas ſibi fores vbi erat exclusus. *Ne nūc cum me v. v.* eleganter eludit amatorē dicto Terentiano. *dolores.* quos patior amator. *ſeruus.* Parmeno. *non paullo.* multò ſapientior conſulit Hero. *qua res.* vt amor. *nec modum habet.* in ſe. *tractari.* regi non poteſt. *hac.* varia & mutabilia. *caca flui. ſorte.* incerto caſu contingentia. *explicet.* proficiat. *ac ſi.* quàm ſi det operā vt cū ratione inſaniat. *quid cum Picenis.* Solent amantes ex malis ſemina, duobus primis digitis cōpreſſando in camerā, velut augurantes, mittere, vt ſi camerā cōtigerint, poſſe ſperare ad effectū ductū iri, quod animo cōcepiſſent. *penes te es.* ſanus es, redijſti ad mentē? *Quid? cum b. ſ.* quid cū per delicias balbutire affectas ſenex, & puerilia imitaris? Hypallage. non enim verba palato feris, ſed verbis balbis palatū. Perſ. & teneto ſupplantat verba palato. *adificante caſas.* puero puerilia facienti. *adde cruorem ſtul.* iram cruentā amori. *ignem gladio ſer.* auge ſtultitiā crudelitate. Pythagoricū hoc eſt. *Hellade percuſſa.* Marius quidā ob amoris impatiētiam, Helladen puellam quandam occidit, quòd ab ea cōtemneretur, & ſe poſteà mœrore præcipitauit. Quid ergo, dicis eū non fuiſſe inſanū, quem ſceleratum fuiſſe negare non potes? *Cerritus fuit.* furioſus, ira Ceteris percuſſus. In Plauto habes, Cerritus ſiue laruatus. *an commota mentis.* an aliud putabis eſſe inſaniam, aliud ſcelus cōmittere, cū omnes qui aliter faciūt quàm debēt, inſani habēdi ſint? *ſceleris damnabis eum.* an pronūciabis non fuiſſe inſanū, ſi pronūciabis crudelē: abſolues inſanū & eundem condemnabis ſceleratū? *ex more.* ex vulgari conſuetudine, quia vulgus aliū iudicat inſanū eſſe, & aliū crudelē. *cognata vocabula.* apta ἐπίθετα. *rebus.* criminibus. *Libertinus erat.* tranſit ad ſuperſtitioſos, quos etiā oſtēdit nō eſſe ſanos. *compita.* ἀμφόδοι Græcè dicuntur. Iuſſerat Auguſtus in cōpitis deos penates conſtitui, vt religioſiùs colerentur, quibus ex libertinis ſacerdotes dati ſunt Auguſtales appellati. *ſiccus.* ſobrius, abſtemius. ne quis dicat quòd ebrius hoc fecerit. *lautis m. ſ. m.* quia ſolebāt precaturi deos manus & pedes abluere. *ſurripite.* ſubripite. *mentem niſi litig.* ſumtū eſt hoc argumentū à dominis mancipia vēdentibus, quorū omnia vitia ſibi cognita tā animi quàm corporis debebāt aperire emtori, niſi poſtea litigare vellēt, propter celatum vitium: ergo tenetur venditor emtori præſtare damnū, ſi nō dicit ſeruum, quem vendit, eſſe ſuperſtitioſum. *auribus atque oculis.* à par-

partibus principalibus ad totum corpus. *exciperet dom.* fide interpoſita aſſeueraret *hoc quoq. vul.* ſuperſtitioſorum. *Chryſippus.* Stoicorum magiſter. *fecunda in gente.* inter Menenios ſtultè ſuperſtitioſos. Menenius autem fuit iis temporibus inſanus aliquis de familia Meneniorum, mirè ſuperſtitioſa & ſtulta: vnde neniæ dictæ videntur, ineptiæ. *fecunda.* quia multi fuere Menenij, id eſt, ſtulti. *Iuppiter ingen.* alterum exemplũ ſuperſtitionis ſtultæ & inſanæ. *cubantis.* ægrotantis. *frigida ſi p. q. r.* votũ matris. *illo mane d.* die Iouis. *caſus.* ſupp. ſi. *ex præcipiti.* malo, ex deſperatione, ex periculoſo morbo. *necabit.* occidet. *fixum.* ſtantem. *quóne malo m. con.* interrogatio. *mentẽ concuſ.* habens mentem cõcuſſam & commotã. *timore deor.* religione. quales ſunt qui putant omnia hominibus contingere à diis. *hac mihi Stert.* hic tãdem finit Damaſippus verba quæ habuit cum Stertinio. *ſapientum oct.* Septem fuere ſapientes Græciæ; hunc Stertinium adnumerat quaſi octauum ludendo. ſic Iuuenal. Tertius è cælo cecidit Cato. *arma* præcepta. *compellarer.* inſanus dicerer. eſt enim cõpellare iniurioſè alloqui: vt Cic. in Philip. laudat, an compellat edicto? *ignoto ter.* ignota ſibi vitia. ſumtum hoc eſt ex Aeſopi fabula, quæ duas peras dicit habere mortaleis, poſteriorem in qua ſunt propria cuiuſq; vitia, & priorem, in qua ſunt aliena; noſtra vix cognoſcimus, aliena videmus acutè. Perſ. Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo. *Stoice poſt d.* Nũc Horatius ad Damaſippum, qui hactenus cum Stertinio eſt philoſophatus. *ſic vendas omnia p.* ſupp. quàm comparaſti. *qua me ſtult.* ſupp. dic. *ego nam v. m. ſ.* ego non videor mihi inſanire. *quid. caput abſciſſum.* Quid mirum ſi videris tibi ſanus eſſe, quoniam Agaue cùm per inſaniam ferebat caput filij ſui Penthei abſciſſum, non intelligebat ſe inſanire. Pentheus autem cùm rideret ſacerdotes Liberi bacchanteis, inter quas erat Agaue eius mater, ab eis diſcerptus eſt, caputq; amputatum, quod mater ſuis manibus gerebat. *ſtultum me fateor.* Horatius. *concedere v.* conſentire veritati, liceat mihi confiteri quod verum eſt. *ediſſere.* expone, explana, explica. *accipe.* audi. Damaſippus oſtendit Horatio ſua vitia. *ædificas.* magnificè. *longos imitaris.* aut proceros, quia fuit breuis ſtaturæ; aut diuiteis. erectus ambulas, ac proceros nobileiſq; imitaris. ædificas autem dixit propter Mæcenatẽ, qui tunc in Eſquiliis magnificas ædeis & hortos amplos ornabat. *ab imo ad ſummum.* à pedibus vſque ad caput totus es duorum pedum: tamen ita ſtudioſè ædificas altiorẽ domũ, quaſi non te capiat hæc in qua habitas. *moduli bipeda.* magnitudinis duorũ pedum. *idem corpore.* Hic notatur ſuperbia & magnus animus Horatij. *Turbonis.* Turbo gladiator quidam fuit exiguæ ſtaturæ, ſed magni animi in prœlio. *ſpiritũ & inceſſum* animum & geſtum tumidum. *qui ridiculus.* Cur tu minus es ridendus quàm gladiator Turbo, cum ſis eadẽ ſtatura. *verum eſt.* æquum & iuſtum te facere. *minori.* inferiorem te imitari. *abſentis ranæ p.* Exemplo fabuloſo vult oſtendere inſanos eſſe, qui imitantur eos quibus longè ſunt inferiores. *denarrat.* diligenter narrat. *cognatos.* fratres: quod notandum eſt, quaſi ſecum natos & genitos. *eliſerit.* oppreſſerit. *rogare.* rogabat. *ſic magna* nũ tã magna fuiſſet? *maior d.* ita vt vnũ & ſemis haberet magnitudinis modum. *abludit imago.* diſcrepat, aberrat. comparatio. *adde poëmata.* nunc ad inſaniam illam quam pateris in ædificando, adde iſtam inſaniam faciẽdi poëmata. *poëmata.* quæ nũc facis, qui fomes eſt inſaniæ, ſed & poëtæ omnes inſaniunt. *oleum adde camino.* Prouerbium in augmento. oleum enim auget flammam. *quæ ſi quis.* Homerum intelligit. vel hoc modo, ſed nullus ſanus ea facit, ergo nec tu ſanus es cùm ea facis. *iam deſine.* Horatius admonet, vt ſeſe comprimat etiam inſanum. *Non dico horr. ra.* iracundiam tuã taceo, *cultũ maio. cenſ.* Damaſip. ſupp. non dico. arguit veſtitum Horatij ſupra cenſum. *teneas Damaſippe.* Horat. tibi habeto tua vitia, quia cognoſco inſaniam tuam. *mille p. p. m. f.* Damaſipp. ſupp. non dico. *furores.* amores libidinoſos. *ô maior tan. p.* Horat. *maior.* ſtultior me. In Stoicos hoc dictum eſt, qui ſua non agnoſcentes vitia, aliorum grauiter perſequebantur.

CRVQVIVS.

MIRO quodam artificio ſui temporis Stoicos homines impuros illudit Horatius, ſub perſona ei rei accõmodatiſſima Damaſippo, ſtulto quodam, & non omnino ſano mercatore, quem ſibi faciat recitare, quonam pacto mercibus ſuis aliquando temerè commutatis, ex ſatis amplis opibus deueniſſet ad extremam fermè pauperiem, adeò vt iam fabula vulgò factus, præ pudore de ſe in Tiberim præcipitando non dubitaret, niſi auctore Stertinio Stoico retractus, & à præcipitio liberatus didiciſſe Stertinij more κυνίζειν, hoc eſt, impudentẽ eſſe, in alios acriter inſultare, eiſq. nomen inſaniæ obiectare, vt qui iam Stoicus liber eſſet, barbam nutriret, & à Stertinio hoc modo ſapere didiciſſet. hoc enim erat eorum tunc temporis hominũ ſupercilium, qui ſeſe pro Stoicis venditabant, vt ſe ſolos ſapere, ceteros omneis inſanos eſſe clamitarent; ſeſe virtutẽ amplecti, alios eſſe in vitio; cùm tamen vita & moribus nihil eſſet ipſis ambitioſius, auarius, nequius, ſuperſtitioſius. Quod

Quod de Damaſippo in cõfeſſo eſſe ait Horatius, quem pulchrè quidem de ſtultitiæ generibus fingit ex antiqua Stoicorum virorũ ἀκωλύτων, ἀνεκβιάστων, ἰλλαβίζων, ἀπαραποδίστων, diſciplina cum Stertinio diſſerere, ſed ſtultitia ſe non eſſe inferiorem; inquiens, ô maior tandem parcas inſane minori. Ceterùm ſuo more eos ex inſidiis adoritur, dum in exordio ſe ſuáque ſtudia Damaſippo liberè vellicanda propinat. quod eo conſilio facit, vt tutius circum præcordia ludat, ipſique minùs animaduertant ſe viris bonis ludos fieri. *ſi rarò ſcribis vt to.* Hæc lectio, ne quis offendatur nouitate, non eſt noſtrum commentum, ſed trium codicum Blandiniorum cum Martinio, quam non temerè putaui vulgandam: Nam præter codicum Bland. venerandã antiquitatẽ, ad hoc me quoque impulit, cùm recta ipſius interrogationis deductio ex priori parte propoſitionis cõnexæ, ſeu (vt loquũtur doctores ſcholaſtici) hypotheticæ, quæ talis eſt: ſi raro ſcribis ob vini ſomníque benignitatem, quid nunc fiet à te ſobrio? tùm vulgati Acronis nomine commentarij, in quibus hoc loco notatũ eſt hyperbaton quod vel neglectum, vel à nemine adhuc animaduerſum, certè nullum erit, niſi per τὸ ſi, conſtituamus hic ἀκολουθίαν ὑποθετικήν. Omitto ad huius lectionis aſſertionem, in hac Satyra τὸ ſic, non ſemel inuaſiſſe locum huius cõdicionalis copulæ, ſi. paullò namque pòſt vulgati codices habent, ſic puerilius his ratio, &c. vbi citra vllam ambiguitatem & ſenſus & ſcriptorum codicum (quod & Lambinus notauit) legendum eſt, ſi puerilius his r. Inſuper non procul à fine huius ſatyræ vulgò legitur, Stoice poſt damnũ ſic vendas o.p. vbi ſcripti codices habent, Stoice poſt damnum ſi vendas omnia pl. his itaq; argumentis mihi videor ſuo loco reſtituiſſe τὸ ſi. Atqui tamen mihi non ſum ita Suffenus, vt exiſtimem vulgatam lectionem carere ſuo patrocinio. *ſi rarò ſcribis vt t.* valdè artificioſè fingit Horatius Damaſippum de fide ſcribendi ei ſignificata ſecum expoſtulare, hócque futurum quodammodo promiſiſſe, vbi relicta vrbe, finitíſq. Saturnalibus ſe in villulam recepiſſet; quaſi vrbis ſtrepitus & comiſſatio iis diebus ſacra facilè totum Horatium ſibi mancipaſſent: Nũc autem Damaſippus quaſi non immemor promiſſi, eius oſcitantiam caſtigat ex hypotheſi: Si vini, inquiens, ſomníque indulgentia fuerit in cauſa, quo rariùs ſcriberes, neceſſe fuit eam ſobrietate diſcuti; verùm à Saturnalibus in villula fuiſti, nihil te impeditiorẽ vertit aliò, non ſomnus vigilias occupauit, nõ vinum frugalem victum interturbauit, calami parati, paries apertus, non defuere docti comites fidíque ſtipatores Plautus, Menander, Eupolis, Archilochus; quid ergo nunc fiet aliud quàm vt promiſſa appareant, & ſcribas aliquid laude dignum? *vt toto non qua.a.* Hæc per exaggerationem efferuntur, vt à tempore & tarditate ſit ipſa caſtigatio vero ſimilior. *vt toto non q. a.* Hoc eſt, vix aliquando multò etiam pòſt tempore poſcas membranã, eſt enim finitum pro infinito poſitum. *mẽbranam poſcas.* in qua ex παλιμψήστῳ ſeu tabula raſili, ex diariis, tabulis ceratis ſcripta confuſius obſcuriúſve, deſcribas nitidiùs, ordinatiùs perfectiúſque, tanquam euulganda, atque oculis omnium exponenda. Videtur itaque membrana hic poni pro codice, in quo nihil deleri aut radi poteſt: aliàs autem membrana etiã raſilis eſt, vt ait in epiſtola ad Piſones, membranis intus poſitis delere licebit. membrana propriè dicitur ea quæ vulgò nominatur charta virginea, Martiali verò charta virgo, quòd fetum virginem & incorruptum ſeruarit, ὑμὴν Græcè, pellicula cui fetus includitur, vt videre eſt apud Galenum ad Glauc. *ſcriptorum quæque retex.* commutans, emendans quæ in tabulis aliquando ſcripſeras: eáque iterum quaſi ab initio cœpta ita delendo maculas, vt nihil antea ſcriptum fuiſſe videri poſſit: ſumta metaphora à tela quæ texitur & retexitur, ἀναλύεται. *iratus tibi.* Hæc cauſa eſt efficiens, cur rarò ſcribit, & nil laude dignum, quæ commemoratur à Damaſippo velut eius rei conſcio. *vini ſomniq; benig.* plus impendio addictus. *nil dignum ſermone c.* ea namque mollities omneis neruos & animi & corporis frangit, mentíſque oculos ita præſtringit, vt nihil videre, nihil meditari poſſit homine dignũ. De vini autem indulgentia quæ capitis grauedinem, ſomnúmque comitem ferè habet indiuiduum, cur obſit bonę menti, dilucidè Xenophontis in ſympoſio comparatio hæc exprimit: τὰ γὰρ ἐν τῇ γῇ φυόμενα, ὅταν μὲν αὐτὰ ὁ θεὸς ἀθρόως ποτίζῃ, οὐ δύναται ὀρθοῦσθαι, οὐδὲ ταῖς αὔραις διαπνεῖσθαι, οὕτω δὲ καὶ ἡμεῖς, ἢν μὲν ἀθρόοι τὸ ποτὸν ἐγχεώμεθα, ταχὺ ἡμῖν καὶ τὰ σώματα, καὶ αἱ γνῶμαι σφαλοῦνται. hoc eſt, ea quæ terræ ſunt inſita, quãdo nimiũ cælitus madeſcunt, nequeunt erigi, neque ab auris perſpirari; ita nos quoque, ſi potum ſine modo hauſerimus, mox & corpore & animo laboramus, &c. *quid fiet.* poſterior pars hypotheticæ per hyperbaton. *ab ipſis Saturnalibus.* poſt dies Saturno ſacros. de feſtis Saturni dicemus poſtea. *ſobrius.* ſcriptus codex Gualteri Siluij, & vnus Bland. habent hanc interpunctionem, ab ipſis Satur. huc fugiſti ſobrius. ſed Bland. pro τοῦ ergo, habet, eſto. deinde antiquiſſimus Bland. pro τοῦ ab, habet, at. Sobrius autem ei opponitur, quod ſuprà dixit, vini ſomniq. benignus. perinde ac ſi dicat, ſi vini ſomníq. copia largior obſtitit tibi ſcripturienti, nũc ſobrius ἄοινος, ἄϋπνος ὤν,

ἄξιόν τι, dic aliquid dignũ promiſſis. *incipe.* age, hortantis. *immeritúſque.* *ἀντιμεταξύ*, pro immeritò. *iratis natus p. d. a. q. p.* iratis, malè propitiis, malè fortunantibus. ſic Perſ. diis iratis, genióque ſiniſtro: huic contrarium eſt, diis hominibúſq; plaudentibus: qui plura volet huc facientia cognoſcere, legat in Chiliad. Eraſ. adagium, Genius malus. *diis atq; poëtis.* velim diſpiciat lector doctus, núm foret ex ſententia auctoris, diis atque poëtis, interpretari per *ἐν διὰ δυοῖν*, pro diuinis poëtis, perinde ac ſi ironicôs hæc dicantur à Damaſippo: *paries.* de pariete ſcriptum hoc loco Pſeudacronis, mihi videtur eſſe purum putum commentum: non negauerim tamen maioribus noſtris tabulas cera incruſtatas fuiſſe, atque à parietibus ſuſpenſas, *κηρώματα*, à materia, ſeu *παλιμψήστους*, à radendo dictos, in quibus quæcumq; primùm in mentem veniebant, incerto ordine notabant. Verùm ſolidos lecti parietes cera illitos, nugamentum crediderim: quin potius parietes dixerim pluteos, in quos cogitabundi, vel pugnos vel caput illiderent, ſi quid pro voto nõ ſuggereret animus: hinc dicitur paries laborare, ictus & verbera pati, metaphoricôs: quale quoque eſt illud Perſij, nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit vngueis. Sunt enim Plutei quoque tabulæ, teſte Feſto, quibus aliquid præcipitur. *atqui vultus erat.* perpulchra *ἠθοποιΐα*, quæ affectũ promittentis imitatur, & eius factũ exprimit, nõ ſine cauillo. *vultus.* Vultus eſt index animi, vultu annuimus, abnuimus, ſignificamus; in eo náq; elueſcit affectus mẽtis: Quare rectè & propriè Græcis, *τὸ πρόσωπον*, nominatur. *minantis.* pollicentis, per *μετάληψιν*: alterum namque ex altero quodammodo ducitur. *quorſum pertinuit.* *χλευασμοῦ* ſpecies, facti obiectio, cum amara inſultatione. *ſtipare.* quaſi ſtipatores educere: cũ eo conuenit quod proximo verſu dicit, comites educere tantos. Non arbitror autem Horatium, ne per ſomnium quidem cogitaſſe, quẽ ex his quatuor ſcriptoribus, cui aut cõiungeret, aut poſtponeret, vt vir quidam in primis doctus, non penitus inſcitè commentatur: Demus enim Menandrum politicoteron aliis duobus, à Platone minùs diſſentire; tamen Socratica ea grauitas, & diuina Platonis philoſophia ſublimior videri poteſt, quàm quæ demittat ſe ad comicam actionem populíque vilitatem. Quare ludamus potiùs cum Damaſippo, dicamuſque Horatium iniquè egiſſe, qui tantos viros nullo ordine aut loco ſibi tanquàm ſtipatores eduxerit in caſulam ſuam & ruſticam villulam, quando eos pro dignitate tractare nolit, eíſque colloquendo commentandóque fieri familiarior. *Inuidiam placare par. v. r.* Colligit Horatium vnum eſſe ex iis, qui dum vitant ſtulti vitia in contraria currũt: virtus enim quæ conſiſtit in actione, gloriam habet comitem, ea autem miſera eſt, ſi caret inuidia: contrà, ceſſatio à ſcribendo, cuius acriter inſimulat Horatium, habet adiunctam deſidiam miſeram quæ eſt in contemtu. Itaque ſi virtutem negligit inuidiæ metu, neceſſe eſt eum viuere ingloriuм turpitérque contemni; ea eſt enim natura hominum, vt potentioribus inuideant, aſpernentúrque humiliores. Hæc autem extrema, eſſe in gloria, & contemtim viuere, inter ſe maximè pugnant. Ceterùm Damaſippus ex obliquo notat amarulentiùs Horatium, quòd neglecta diſciplina Stoica (quæ iubet ſuos ſectatores virtutem colere, in foro verſari & reipubl.) quærat otium forúmque vitet, & Epicuro ſit addictior impendiò, vt qui ex eius præſcripto nolit ad rempublicam accedere. *vitanda eſt improba Siren d.* hortatur Horatium ab honeſto, vt otio & ceſſatione valere iuſſa, ſe componat ad bene agendi ſcribendíque ſtudium, ſi nolit ad deſidiam tamquam ad Sireneos ſcopulos, omnium facere iacturam, virtutis, vitæ honeſtæ, nominis, famæ celebris, exiſtimationis & amicorum omnium. Alludit Damaſippus ad *δογματικὰς σειρῆνας τοῖς ἀπεικούσας*, quarum meminit Diogenes Laert. in Epicuri vita, ſed nimis inuidiosè id facit, vt purà vir Stoicus. *vita meliore.* bene agendo, virtutem exercendo. *ponendum.* deponendum. *æquo animo.* patienter. aut potiùs *ἀνδρωδῶς*. *Dij te Damaſippe.* Agit Horatius gratias de tam ſano conſilio, ſed *εἰρωνικῶς*: vt qui gratitudinis ergò ei viciſſim precetur à diis beneuolis dari tonſorem, qui barbam tondeat, hoc eſt, eum donari meliore mente, qua ſimul cum depoſita barba poſſit ab inſania Stoica liberari, nec amplius neglectis propriis, alienis impediri curis: curioſitatis enim morbo adiuncta eſt grauis ſtultitia dementiáque. *ſed vnde.* quomodo, vel ex quo tam ſedulò percontatus es quid agam, quid mediter, quò me vertam, apud quem rerum mearum te, velut *ἐπιτροπήν* geris? *Ianum ad medium f. e.* De Iano medio, imo & ſupremo quæ in ſcriptis Blandiniis antiquiſſimis ſedulò conquiſiuimus, in Cõmentatore reponi curauimus, ſatis (vt mihi quidẽ videtur) vero cõſona & aperta, ſi de foro conſtaret vllum veſtigium, Auguſtíne id fuerit, iuxta Apollinis ædem (nam Auguſtum conſecraſſe Ianum in ſuo templo ex Aegypto aduectum, conſtat ex Plinio) an Neruæ, quod poſtea forum tranſitorium dictum eſt: in qua ſententia eſt Seruius, inquiens, captis Faliſcis ciuitate Tuſciæ, vbi inuentum eſt ſimulacrum Iani cum frontibus quatuor: vnde, quod Numa inſtituerat, tranſlatum eſt ad forum tranſitorium,

torium, & quatuor portarum vnum templum cõſtitutum. Nunc autẽ cùm nihil ea de re certi dici poſſit, putaui fore præter rem in ea controuerſia tempus terere. Verum monendus lector eſt, vt in Commentariis conſideret ea quæ de Iano & mercatore ſcripto tradita ſunt, quàm ſit philoſophatũ inſigniter, ἀλληγορικῶς, ab inepto aliquo & nugiuẽdo nebulone. Nã quod ait, ideo Ianus dictus eſt Deus mercatorum, &c. hoc omnino corruptum eſt, & pro mercatorum legendum puto annorum, referendũq; ad Ianũ quadrifrontẽ, cuius ſimulacrũ ſic effictu erat, vt dextera manu trecentorum, ſiniſtra autẽ quinq. & ſexaginta numerum haberet, ad anni dimenſionẽ oſtendendam: & quatuor fronteis, quatuor anni tempora ſignabant: eique Varro lib. 4. rerum humanarum, pro numero 12. menſium, totidem aras dicatas fuiſſe ait. *fracta* à naufragio ſumta metaphora. ſic & Perſius, cantas cum fracta te in trabe pictum ex humero portes. Ad hunc modum ait Damaſippus, cùm res mea ad medium Ianum fracta eſt quaſi ad ſcopulos illiſa naui negotiorum, mearúmq. mercium. *aliena negotia curo.* hoc Damaſippi ſtudium in inſpectanda vita aliena detorquet ex obliquo in eiuſdẽ notæ Stoicos, quibus φιλομάθεια ἀλλοτρίων κακῶν (vt ait Plutarchus) μᾶλλον ἢ τῶν οἰκείων πραγμάτων, hoc eſt, ſtudium aliena mala cognoſcendi, curæ magis eſt, quàm rem propriam gubernandi. Atque hæc vna cauſſa eſt cur optet Damaſippo tonſorem, vt ſuprà dictũ eſt: Nam Platone auctore 4. de republica, τὰ αὑτοῦ πράττειν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν, δικαιοσύνη ἐστί, hoc eſt, ſuas res agere, & non curare aliena, perfecta virtus eſt. Quare ſupra omneis deſipiunt Stoici, qui, quid domi ſuæ fiat, ignari, aliena præſertim vitia tantopere perluſtrent. *excuſſus.* eiectus. notat vim ſtultitiæ, cui dominatur fortuna. *olim nam quærere.* narrat Damaſippus quid priùs egerit, quàm ſit factus Stoicus. *quærere.* cognoſcere. *quo vafer ille.* periphraſis æris Corinthij: hæc enim eſt ſententia, olim fui ſtudioſus æris Corinthij cognoſcendi quærendíque. nã Siſyphus Aeoli filius, rex Ephyræ quam condidit, quæ poſtea dicta eſt Corinthus, in eo ære lauit ſuos pedes. *quid ſculptum.* ſic habent omnia ſcripta, non etiam ſcalptum, vt vulgata. *fuſum durius* minùs artificioſè. Commemorat ſe nullius rei ſtudio magis captum fuiſſe quàm operis ſculpti, cælati, conflati, ſignati, &c. cuius generis ſunt Agalmata, Toreumata, Emblemata, Chryſendeta, &c. *callidus h. ſ. p.* hoc eſt, arte & vſu edoctus imponebam ſignatis operibus iuſtum pretium. hic fortaſſis eſt Damaſippus, cuius Cic. meminit lib. epiſt. 7. ad M. Fabium Gallũ. *Mercuriale.* Omnes codices ſcripti ſic habent præter Tonſ. in quo legitur, Mercurialem *compita* per metonymiam, pro iis qui in compitis auctionantur. *& miror morbi te purg.* Eſt autẽ helleniſmus, θαυμάζω σε καθαρθέντα τῆς νόσου ταύτης. *atqui emouit v. m. n.* Reſpondet Damaſippus ſe veterem quidem morbũ exuiſſe, ſed in eius locum ſucceſſiſſe aliũ quendã ad miraculum vſq; nouum, inquiens, vetus illud ſtudium cognoſcendi, quærẽdi, & æſtimandi ea quæ ſenſibus obiecta, non parum mihi voluptatis afferebant, eiecit, méq. eius obliuiſci fecit nouus animi morbus, noua vitæ ratio, noua diſciplina, qua nũc ex profeſſo inſpicio, æſtimo, & inſpector vitã & mores hominum, qui morbus mirè, id eſt, valde & mirabiliter nouus inauditúſq. eſt, vt qui non in fortunas hominum, ſed in nomen, famã & exiſtimationẽ grauiter incumbit. Perſtitit itaque Damaſippus in curioſitate: verũ hæc poſterior in vitio longẽ priorem ſuperat, id quod à ſimili in vitiis & affectibus corporeis nõ obſcurè denotat, inquiens, *vt ſolet in cor traiecto la. m. e. q. d.* pro nobilitate namq. membri affecti vehementior morbus eſt: vt ſi cor elangueſcat, corpus laborat grauiùs concutiturq. validiùs, quàm ſi vel latus vel caput doleat: & nõ rarò fit, vt per incuriã ex συμβεβηκότων, id eſt, accidentibus, acria naſcantur συμπτώματα, id eſt, vehementes corporis affectus. *in cor tra. l. m* à ſimili, ait enim plerumque ita fieri, vt animi non minus variis affectibus quàm corpora morbis exagitentur, adeò vt poſtremum malorum nonnumquam ſit omniũ grauiſſimũ: vt qui ex pleuritico, aut cephalalgico (qui morbi ſunt partium corporearum) totus ipſe fiat cardiacus difficilliméq. laboret: aut rurſum, ſi lethargicus fiat phreneticus, quæ poſterior affectio innumeris periculis exſuperat priorẽ. *in cor.* non eſt hic cordis dolor, eius partis quæ in corpore primatũ obtinet, ſed ſtomachi, ſiue oris ventriculi. loquitur enim Damaſippus ex eorum opinione, qui ſtomachi dolorem, ob vicinitatem partiũ, iudicant eſſe cordis. Quin & veteres τὸ cor, καρδίαν nominarunt, propter συμπάθειαν fortaſſe. hinc καρδιαλγία, affectus ſtomachi, Galeno lib. 2. de morbis & ſympt. & καρδιωγμὸς, hoc eſt, vt idẽ cõmentatur Aphoriſ. 17. lib. 4. δῆξις καρδίας, τουτέστι, τοῦ στόματος τῆς γαστρὸς, id eſt, mordicatio, ſeu (vt Plinius exponit) roſio ſtomachi, ſiue oris ventriculi, vnde nimia quædã naſcitur corporis imbecillitas, immodico ſudore digerenda. *lateris miſeri.* Quid ſi hic credamus non πλευρῖτιν, hoc eſt, περὶ τὰς πλευρὰς νόσον, ſed παρὰ τὰς πλευρὰς πόνον, deſignari, vti nec per capitis dolorẽ, κεφαλαίαν (qui morbus interdũ acutus eſt, & peſtifer, teſte Celſo lib. 4. cap. 2.) ſed κεφαλαλγίαν, hoc eſt, non intenſum & inueteratũ capitis dolorẽ? quandoquidem

videtur Horatius hoc velle, quod minùs difficilis morbus nonnumquã tranſmutetur in acerbiorẽ: quemadmodum fatetur Damaſippus affectionẽ corporis & actionem in negotiorũ merciúmq; adminiſtratione, ſe cõmutaſſe in affectum animi, qui grauiores turbas dabat. quam ſententiam ſubſequens verſus dilucidiùs aperit, puta, *vt lethargicus hic cùm fit pugil.* nam qui lethargo laborat, is morbo afficitur nõ perturbato moleſtóve nec ſibi, nec alij: at is ſi cadat in phreneſin, protinus vehementia mali concitatur, effertur, ſurſum deorſumq. rapitur, & quaſi pugil aliquis ita totus exagitatur, vt & ſibi & aliis difficilis, acerbus & formidoloſus non iniuria eſſe poſſit. Nunc autem cùm languidi, & in agendis rebus minus alacres λήθαργοι quoque vocentur Zenodoto, νωθροὶ verò Suidæ; pulchrè admodum videtur Horatius ſub perſona Damaſippi veterẽ morbum, ſtudium, putà, rerum agendarum, velut ſomnolentum & inhabile ad acquirendum & conſeruandum, cũ lethargo nonnihil conferre: & nouum morbum in perſpiciendis alienis ex profeſſione Stoica, velle multum continere φρενίτιδος: ea namque cura turbulenta eſt, & maleuoli hominis; adeò vt non temerè tales dici poſſint ἐπιχαιρέκακοι. *lethargicus.* λήθαργος, veternus Latinè (quamuis Plinio hæc duo nonnihil diſcrepent) eſt marcor quidam, & inexpugnabilis pænè dormiendi neceſſitas, vt ſcribit Celſus lib. 3. cap. 20. ἀπὸ τῆς λήθης, obliuione, καὶ ἄργος, ἀπὸ τοῦ ἄλγος, ſtrenuus, τροπῇ τοῦ λ εἰς ρ. non etiam ἀργὸς, id eſt, ignauus, vt quidam volunt. nam cùm à celeri & repentina obliuione dicatur, phrenitidi periculosè ſuccedit, vt calidis frigidi morbi omnes, dum imperitia medicorum phrenitidi per refrigerantia obluctando in contrariam temperiem cerebrum inducunt: fit autem cerebri ſubſtantia tùm pituita, tùm tumore quodam frigido, tum febricula affecta. *fit pugil.* motu, geſtu corporis & agilitate membrorum incomparabili: Phreneticus enim nimia inquietudine non eſt abſimilis pugili. *& medicum vrget.* eſt enim Phreneticus tam alienatæ mentis, vt ne medico quidẽ parcat à quo iuuari poſſit. duo cod. Bland. habent, & medicũ vrget. *ſimile huic.* phrenetico, ſupp. facias. *eſto vt lubet.* eſto inſanus ſi voles, nihil id mea refert. *ô bone.* Damaſippus per apoſtrophen ait Horat. ab inſania non eſſe liberũ. *ne te fruſtrere.* ne te lateat, μή σε λάθῃ. *ſtultis prope omneis.* ne quis exiſtimet Damaſippũ hic aliud dicere ab hoc Stoico paradoxo, ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται, propter τὸ propè, quod exceptionẽ denotare videtur; quaſi aliqui ſtulti eſſent qui nõ inſanirẽt; is ex præceptionibus grãmaticis in memoria habeat, huiuſcemodi particulas, fermè, ferè, propè, plurimũ vniuerſale quid adferre iis quibus apponuntur; vt notauimus Ecloga 3. lib. 1. *ſi quid Stert. veri c.* 1. codices Bland. & Buſl. habent, verũ. *tempore quo me.* ex eo tempore, quo &c. *ſapiẽtem paſcere barbam.* alludit ad vetus hoc dictũ, ἐκ πώγωνος σοφοί, barbatenus ſapientes. Barbã autem prolixam iocando in philoſophorũ ſuperciliũ: qui plus in cultu corporis, quàm animo & vitæ moribus ſanctimoniæ ponunt. Lucianus ſubinde τὸν βαθὺν πώγωνα nominat, hoc eſt, barbã profundã: nõ enim πωγωνοφορία, aut etiã τριβωνοφορία (vt Plutarchus loquitur) philoſophũ facit. *non triſte.* litote. lætum *nam malè re geſta.* cum eo conuenit quod ſuprà dixit. cum omnis res mea Ianũ ad mediũ f. e. *operto cap.* velato. operiũtur capita vel pudoris, in nuptiis olim, vel luctus, in funere, vel religionis cauſa, in deuotionibus. Damaſippus autẽ hic videtur, deſperatis rebus omnibus, ſe deuouiſſe patri Tiberino. *dexter ſtetit.* aſtitit fauſtus mihi & fortunatus, méq. ſeruauit. *pudor, inquit, te m. v.* pudor eſt ex iis vocibus quæ dicũtur ἀδιάφοροι, quibus cũ in malũ, tum in bonũ vti licet: pudor autẽ hic malus dicitur inutilis & pernicioſus. In 4. cod. Blãd. Mart. Tonſ. & Sil. legitur, angit, in aliis, vrget. *inſanos qui inter.* Inſani cũ inſanis rectiùs cõueniunt. alludit ad id prouerbij, pares cum paribus. *quẽ mala ſtultitia.* hæc definitio eſt eius quod dixit, *furere*: eſt enim furere cæca mente, mala ſtultitia, & ignorantia veri grauiter agitari perturbariq. mala autẽ ſtultitia redit in ordinẽ cũ ſtulta malitia: ait enim Aeſchylus, ἡ δὲ μωρία μάλιστ᾽ ἀδελφὴ τῆς πονηρίας ἔφυ, id eſt, ſtultitia maximè ſoror eſt malitiæ. *quæcumq. inſcitia v.* hoc modo legitur in 4. cod. Bland. & Tonſ. alij habent, quæcumq. inſcitia v. *Chryſippi porticus.* à loco qui ςοὰ nominatur; deſcriptio Stoicorũ. *nũc accipe.* attentio cũ beneuolentia, qua Stertinius Damaſippũ reddit docilem. *qui tibi namẽ inſano p.* Omnia ſcripta cõſentiunt in datiuo, inſano, præter vnicũ Tonſ. qui habet inſani. *palãteis error.* codex Tonſ. & Sil. habet pallẽteis. *vnus vtriq.* vndẽ codices habẽt, vtriſq. *illudit partibus.* vt putà dextra & ſiniſtra, quæ procul abſunt à medio, quo nomine ſunt in vitio. *caudã trahat.* ordo eſt, crede te hoc modo inſanũ eſſe, ita vt is qui te deridet, nihilo te ſapientior, caudã trahat, id eſt, ſit ignauus & excors; qui etiã præ malo tecum pudore vel tutiſſima formidat, triſtis etiã, & tuo more deſperatus, fortaſſis ob rem malè geſtã ſibi extremum malum meditans. Sumta eſt autẽ metaphora à brutis, quæ cùm timent, vel iniquiùs aliquid patiũtur, ſimul & caudas cõtrahunt, & demittunt auriculas. vnde eſt illud Plinij, Canum degeneres, caudam ſub aluum reflectunt. ponitur autem trahat, pro contrahat, vt

poſtea.

poſtea Ecloga 6. Seu bruma niualē interiore diem trahit. de auriculis demiſſis ait Horat. Eclog. 9. lib. 1. Demitto auriculas vt iniquæ ſortis aſelius. Qui namque animo ſunt deiecto vel meticuloſo, *τὰ ὦτα ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχουσι*, ait Plat. lib. 10. de republ. id eſt, auriculas in humeros demittunt. Lambinus in huius loci interpretatione (reiecta Turnebi ſententia, quæ certè nec mihi videtur hic ſatis rectè aptari poſſe) ſequitur Pſeudacronem, cui ſubſcriberem, ſi Eraſmum, in Horatiana lectione verſatiſſimum, non viderem in Chiliadib. hoc dictum omiſiſſe. poſtremò noſtram opinionem, putà, ignauiam & metum quorundam notari, manifeſtò aſſerunt continuò ſubſequentia nimirum, *eſt genus vnum ſtultitiæ, nihilum metuenda timentis.* hoc enim genus ſtultitiæ ſub ſe cōtinet inerteis & ignauos, qui exhorrent vel leuem auræ ſtrepitum, caudámque trahunt & fugiunt meticuloſi, iuxta illud Poëtæ: Degeneres animos timor arguit. Hic *ἐν παρέργῳ* monendus eſt lector beneuolus, ſi fortaſſis, vt fit, audiat nos iniquiùs lacerari, quòd vulgatos Acronis & Porphyrionis nomine commentarios, auſi ſimus è manibus ſtudioſorum ereptos, exterminare, adq́ue barbaros relegare, ne dubitet noſtrum patrocinium ſuſcipere, vel hoc argumento, quòd ex hoc loco in finem vſq; huius libri, quęcumq; typis edita ſunt Porphyrionis appoſito nomine, ea me ad verbū ferè inueniſſe adſcripta ad oram libri Buſlidiani, nullius auctoris addito nomine: vnde non leuem coniecturam facere licet, quę Porphyrioni dantur, ea eſſe doctioris alicuius plagiarij. *eſt genus vnū ſt.* Adfert duo ſtultitiæ genera inter ſe contraria, alterū in ignauia, metu & inutili pudore, ſub quo continetur Damaſippus (cùm rebus amiſſis cogitaret de ſe in Tiberim præcipitando) & alij quos ait ob ignauiam trahere caudam : alterum in audacia & temeritate ſitum, vt pòſt paullò oſtendit. *in campo.* campus eſt terræ planities ampla & grandis, inquit Valla. *quam Fuſius eb. ol.* hęc Ilionę tragœdia ſcripta eſt à Pacuuio : ait enim Feſtus in dictione repotia, Pacuuius in Iliona, abeo depulſum mámma pædagogandum, &c. *mater te appello.* Hic qui matrem excitat Polydorus Priami filius natu minimus, eſt interfectus à Polymeſtore Thrace, hoſpite Priami, marito Ilionę, qui, teſte Marone, Polydorum obtrūcat, & auro vi potitur, &c. Euripides autem in Hecuba tragœdia, manifeſtè dicit Priami filium fuiſſe: ſed Pacuuius, ex quo hæc adducuntur, Priami nepotē fecit ex Iliona, quæ erat maxima natarum Priami, iuxta Virg. verùm nihil eſt abſurdi, & Hecubam matrem veram eſſe Polydori in Hecuba Euripidis, & Ilionam in tragœdia Pacuuij etiam matrem appellari, vtputa nutriciam; alumni ab infantibus namq; & pueris patres & matres nuncupantur. Quin imò Hyginus in fabulis cap. 109. ſcribit Ilionam Polydorū fratrem pro filio ſuo, & filium ſuum ex Polymeſtore Deiphilum pro fratre educaſſe, quam ipſe Polydorus ſuā matrem credidit donec ab ea eſſet edoctus ſe eſſe fratrem. *huic ego vulgum.* locus attentionis: oſtendam, inquit, vulgum in emendo, vendendo, credendo, inſanire errorem ſimilem huic, hoc eſt, ita ad ſtuporem vſq. eſſe temerariū, & indormire lucro, vt nullis clamoribus, exhortationibus, conſiliis, nulla deniq; rerum ſuarum iactura abduci poſſit à ſpe captandæ prædæ *inſanit veteres ſt. D. e.* Cōceſſio, per expolitionē eius loci ſuprà, hoc ſi erit in te ſolo, &c. qua erigit animum Damaſippi, & à pudore malo liberatum cōſtituit: nam ſi emere veteres ſtatuas eſt inſanire, non poteſt omnino ſana & integra mente eſſe is creditor, qui ſtulto alicui ſuam pecuniam committit, à quo neque ſuam ſortem neq. fœnus recipiat. *accipe quod numquàm reddas m.* locus hic & implicitus eſt & varius, cū propter nomina fictitia Nerij, Perillij, & Cicutæ, quæ tréſne ſint perſonæ an duæ, fœneratoréſne omnes an iuriſperiti, non ſatis perſpectū eſt; tum propter inuolutam ſententiā ad eum vſq. verſum, audire atq; togā iub. com. &c. ita vt prima facie non facilè quis dixerit, vna ne res, an plures agātur? Quare lector benignus noſtros conatus boni conſulet, ſi quid fortaſſe non omnino pro voto reſponderit. Itaq. cùm de debito & credito omnis ſit inſtituta cōtrouerſia, ſciſcitatur Stertinius vter altero ſit inſanior, debitórne an creditor? Prior quæſtio nititur hypotheſi, altera facto: illa quidem eum qui oblatam pecuniā non accipit, hæc verò eum qui fœnori dedit, quod debitor numquā ſit reſcripturus, oſtendit inſaniorem. *eſto.* conceſſio, qua ſub hypotheſi docet creditorem liberalem nequaquā ſtulteſcere, ſed Damaſippū aut alium quemuis è vulgo vehementer eſſe excordē, qui neglecta creditoris benignitate, reiicit pecuniā quā numquàm ſit redditurus. *ſcribe decem à Nerio.* hoc factū eſt auari creditoris fœneratoriſque, Nerij, putà, Perillij, quem Stertinius infert ipſo debitore multò eſſe inſaniorem, vt qui dictet ſeu credat ei à quo numquam quicquam ſit accepturus, etiamſi iure cogatur ad reſcribendum debitum. *quam præſens Merc. fert.* videtur alludere ad *τὸ ἑρμαῖον*, hoc eſt, ad lucrū fauſtum & fortè oblatum à Mercurio, quod meritò eſſe debet gratiſſimum. *ſcribe decem à Nerio.* In hac lectione conſentiunt omnes ſcripti codices. Verba ſunt Nerij Perillij fœneratoris auari ad debitorem, cui dictat formulam ſcriptionis. *ſcribe decem.* numerus certus pro incerto,

ſecundum vſitatum iureconſultis loquendi modum; aiunt enim illi, finge Titium accipere vel dare decem,&c. *non eſt ſatis.* Hęc verba ſunt Stertinij agentis cum Nerio Perillio, hortantiſque,ſi ei non exiſtimet ſatis eſſe datum ſcripto ſeu ſyngrapha creditoris, vt ei adſcribat, ſi volet,centum tabulas,hoc eſt,certa prolixáque verba, eáque diligenter cautionibus, & iuris nexibus colligata, qualibus vti ſolebat Cicuta nodoſus, id eſt, callidus aliquis & verſipellis argentarius,vel (quod vero magis eſt conſentaneum) pararius: nam parariorum fides & auctoritas in vſuris, fœnore, contractibus, & id genus aliis obligationibus, interpoſita,non parui olim fiebat. Seneca lib. 2. de benefic. Quidam nolunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios, &c. Vlpia. lib. 2. ff. de proxenet. Si proxeneta interuenerit faciendi nominis, vt multi ſolent, videamus an poſſit mandator teneri,&c, *Proteus.* metaphoricôs pro tergiuerſatore, qui qualuis ſtrophas comminiſcitur ne ſoluat debitum, inſtar Protei dei qui in varias figuras ſe transformabat. *cũ rapies in ius malis r. a.* ſic habent Blandinij codices, ceteri,in iura; ſed alia lectio genuina eſt ad imitationem illius Homeri ἰλ. υ. οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισι, hoc eſt, aſt illi malis iam ridebant alienis, id eſt, vultu ſimulato ſe ridere fingebãt: quod quidem facere aſſolent, qui ridendo dolos & fraudes machinantur. *fiet aper m. a.* à brutis,rupibus, & plãtis ſubindicat varios affectus debitoris in illudendo creditore. De Proteo marino deo vide fabulam Ariſtei lib. 4. Georg. Virg. *ſi male rem gerere.* colligit ὑποθετικῶς ex diſſentaneis, eiſque adiunctis Nerium Perillium creditorem, quem ex actis, cautionibus, & re bene geſta omnes iure ſanum iudicent, multò reuerà maiori mentis vitio captum eſſe, quàm Damaſippum, quem pleriq. omnes ob rem malè geſtam & ad Ianum medium deperditam, velut inſanum, agebant in præcipitium: nemo namque non cenſeat eum penitus impotentem animi, qui credit alicuius fidei id quod ferè prænouit eum rependere non poſſe. *Perilli.* Codex Sil. habet Parelli. *audire atque togam i. e.* προεκθεσιν, qua, velut inuitans ad ſe omneis, ſpargit collectim capita futuræ declarationis ſui promiſſi, vtputà omnes inſanire. Verba ſunt Stertinij Stoici ſub perſona Damaſippi. *togam iubeo compo.* iubeo vos eſſe procinctos paratóſque, ſumta metaphora à claſſe, quæ procincta dicebatur, teſte Feſto, cùm exercitus cinctus erat Gabinio cinctu confeſtim pugnaturus. *ambitione mala.* Ambitio, inquit Feſtus, eſt ipſa actio ambientis: ea autẽ mala eſt, quæ virtute non nititur; nam virtute ambire oportet, inquit Plautus, nõ fauitoribus. *argenti pallet amore.* affectus auari exprimitur argenti colore. *triſtive ſuperſtitione.* Epitheton ab effectu, vt pallida mors. *ordine.* ἑφεξῆς. *danda eſt ellebori.* primo ordine ſtatuit auaros, velut anteſignanos huius inſanæ militiæ. *neſcio an Anticyram.* ἀοζιστικῶς μετωνυμικῶς. ratio res ipſa & Ianum conſilij. *hæredes Staberi.* Expoſitio inſanæ auaritiæ, ab exemplo Staberij hominis auariſſimi, qui teſtamento cauit, vt hæredes quantam quiſq; ſummam accepiſſet, eã cippo incidi iuberent, appoſita, ni ſic feciſſent, gladiatorum, epuli, & frumenti plurimi pœna. *ſiue ego prauè.* προκατάληψις Staberij. *prauè.* κακῶς. *ſiue rectè.* ἄνευ κακίας, ſine intentione mala. *ne ſis patruus m.* ne me caſtiges. Nota eſt patruorum in nepotes ſeueritas. vnde metaphoricôs patruus pro cenſore morum & obiurgatore ſumitur. hinc ait Perſius Satyr. 1. Cùm ſapimus patruos. Vide Adag. in Chiliad. Patruum eſſe. *prudentem animum vidiſſe.* In omnibus codicibus, quos vidi tam ſcriptos quàm excuſos, legitur τὸ vidiſſe: at Lambinus ſecutus (vt arbitror) phraſim iuridicam, legendum cenſet, iuſſiſſe; verùm neſcio an id quoq; ad manuſcriptum codicem: nam referens hæc verba, credo hoc Staberij p. a. v. ad ſuperiora, ait teſtatoris eſſe iubere & cauere teſtamento. Quod etſi nõ infitier, tamen propter omnium codicum conſenſum, mihi religio fuerit hoc verbum vidiſſe, ſuo loco mouere: præſertim cùm videã non omnino id eſſe pretium operæ; imo perturbatum iri lectionis conſecutionem in eius verbi transmutatione: nam prudentem Staberium vidiſſe, præbet occaſionem Damaſippo ſciſcitandi non quid iuſſerit, ſed quid ſenſerit, quid prouiderit, quid intenderit in huiuſcemodi teſtamenti factione, nimirum (Stertinio tacitam teſtatoris mẽtem ſubindicante) Staberium iis teſtamenti formulis intendiſſe, vt vir bonus moreretur: quod iudicabat non futurũ, ſi moreretur vno quadrante pauperior quàm vixerat. nam pauperiẽ credebat eſſe ſummum vitiũ, propterea quòd cernebat diuites ſolos haberi bonos claros, forteis, ſapienteis, reges, &c. atq. in eo ſenſu τὸ hoc, non præcedentia, ſed ſubſequentia demõſtrat. Deinde Staberij prudentẽ (ἱεραστικῶς) animũ vidiſſe, dictũ puta per ſynchyſin, pro eo quod eſt, Staberiũ prudẽti animo vidiſſe, hoc eſt προνοεῖν, prouidiſſe: ne ſcilicet vulgò crederetur pauperior occubuiſſe, eóque nequior. Si quis magis probet Lãbini lectionem, quã certè nõ improbo, hoc ei per me integrũ eſto. *credidit ingens paup. v.* Ingens vitiũ ex Stoicorum ſchola eſt ſummũ malũ. Quare Staberius ſi pauperiem crediderit ingens vitiũ, credidit eſſe ſummum malum, nec iniuria vitandũ: cuius opinionis auaræ

nis amaræ Stertinius Stoicus inſimulans Staberiũ peripateticum, non parùm notat, idque ex obliquo, eius ſectæ philoſophos, tamquàm nimis plebeios, qui res fortuitas, vitæ putà commoda & incõmoda, dignarentur boni & mali nominibus, cùm reipſà nihil tam ſit abiecti animi quàm amare diuitias. Quòd autem Staberius in ea fuerit hæreſi, vt pauperiem in extremis malis numerarit, argumento eſt, quòd, ex antitheſi, in diuitiis omneis boni parteis collocauerit, vtpote virtutem, famam, decus, &c. Diuites enim nominantur clari, fortes, iuſti, &c. *minus locuples.* pauperior, per litoten. *periſſet.* ſic habent tres codices Bland. Sil. Diuæ. reliqui, periret. *quas qui cõſtruxerit.* Sic codex vnus Bland. & Buſl. ceteri omnes, cõtraxerit. *ſapiénſne.* variant hic codices, alij, ſapiénſne etiã & rex, alij, ſapiénſq; etiã rex: alij, ſapiénſq; etiã & rex habent. quare lectori ſit liberũ eam vt probet quam volet. mihi certè prima videtur Horatiana: gaudet enim nõ rarò Horatius ea particula, ne, pro vtiq;: quod alibi quoq; à me notatũ eſt. *hoc veluti vir. para.* Clauſula mentis & intentionis Staberij teſtatoris. *virtute paratum.* quaſi præclarum aliquod facinus & nobile habuit accumulatas diuitias. *ſperauit mag. lau. f.* ſibi perſuaſit in aggeſtis relictiſque diuitiis eſſe nominis immortalitatẽ, & gloriã perpetuò duraturã. *quid ſimile iſti.* tranſitio ad factũ Ariſtippi philoſophi ab hac Staberij mente planè diſſentaneum, non minùs tamen inſanũ. *Græcus Ariſtippus.* hoc Ariſtippi factũ refert hoc modo Laertius in Ariſtippo: τοῦ θεράποντος ἐν ὁδῷ βαστάζοντος ἀργύριον, & βαρυνομένου, ἀπόχει, ἔφη, τὸ πλεῖον, καὶ ὅσον δύνασαι βάσταζε. hoc eſt, cùm ſeruus in via geſtaret argẽtum grauareturq;, effunde, inquit, quod eſt nimium, & quantũ potes, ferto. *nil agit exemplũ.* Nam in re controuerſa iubent canones dialectici ex notioribus ignota dubiáq. colligi: litem namq; lite, hoc eſt, incertis incerta velle diluere, dicunt ipſi παραλογίζεσθαι. *ſi quis emat citharas.* pluribus exẽplis, iiſq; dilucidioribus infert auaro nihil eſſe demẽtius. *nec ſtudio cith.* Non enim omnes qui habent citharam, ſunt citharœdi, vt eſt in prouerbio; πολλοὶ τοὶ γὰρ ναρθηκοφόροι παῦροι δέ τε βάκχοι, hoc eſt, multos thyrſigeros, paucos eſt cernere Bacchos. *ſi ſcalpra.* ſcalprũ à ſcalpendo dictum, ſutorium inſtrumentum quo ſcinditur coriũ, σκυτοτόμων ἐργαλεῖον, inquit Pollux. ſupernè bifidum, hinc erectũ, illinc recuruũ, non diſſimile vinitoriæ falci, Græcè σμίλη. *formas.* Græcè ſignificantius dicitur, καλόπους, ὁ ξύλινος πούς, ligneus pes, een leeſt. *vne formæ.* ἀπὸ τοῦ κάλον, τὸ ξύλον, lignum. *quid diſcrepat iſtis.* ab iſtis. omnes ſcripti codices habent, qui diſ. *iſtis.* duo cod. Bland. cum Mart. habent, iſte.

Hæc autem eſt comparationis redditio, qua docet auarũ in conquirendis, congerendis & recondendis pecuniis, artis iis vtendi non minus eſſe ignarum, quàm quemuis ex iam dictis. *neſcius uti.* neſciens vſum, vt ait Ecloga 1. lib. 1. *foliis amaris.* herbis, quales ſunt erucæ, inulæ, &c. vt ſcribit Saty. 8. huius lib. erucas virideis, inulas ego primus amaras monſtraui incoquere, &c. *nihil eſt.* ἐπανόρθωσις. *ſi & ſtramentis.* à cibo, potu & cubitu expreſſit ad viuu ſordidiſſimi hominis τὴν δίαιταν: cum tamẽ ait vulgò minùs inſanum videri propter errorem cõmunem. *filius aut e. l.* ἐπίπληξις: obiurgatio caſtigatióque tenacitatis à deſtinatis. *ebibat.* metaphor. comiſſando conſumat. *cuſtodis.* quibus parcis, nepotibúſne an ſenectæ, metuens nequando tibi quid ad vitam deeſſe poſſit? *quantulũ enim ſummæ cur.* διάλυσις eius partis, ne tibi quid deſit: à breuitate vitæ ſenilis, nam pauci dies parum decurtabunt, & deminuent ſummam pecuniariã, etiãſi victus ſit aliquanto liberalior, & cultus ſolito mundior. *vngere ſi cauleis o. m.* ſi victu quidẽ frugali, ſed mundo vtaris, non etiã ſordido. *caputq; cœperis.* ex vitio capitis, vtpote porrigine, totũ corpus neglectim habitum, facilè colligere licet. *porrigine.* porrigo eſt vitiũ capitis, vbi inter pilos quædam quaſi ſquamulæ ſurgunt, inquit Cor. Celſus lib. 6. cap. 2. eæque à cute reſoluuntur, & interdum madent, multò ſæpius ſiccæ ſunt, &c. feréque id in capillo fit, rariùs in barba, aliquãdo etiam in ſupercilio, &c. videto Celſum. Porrigines, inquit Plin. felle ouillo capiti illito tolluntur. *quare ſi quiduis ſat.* ἀντιπαράληψις. *populũ ſi cæ. ſa.* Argumentũ à minori ad id quod maius eſt, minus eſt enim ſaxis aliquẽ è populo aut ſeruos petere; quo tamen nomine quiuis vel à pueris inſanus habetur; quanto ergo maius indicium eſt inſani capitis in vxorem & matrẽ ſæuire capitaliter, & hanc quidẽ veneno, illam verò laqueo è medio tollere? *cũ laqueo vxorem.* vt dote potiaris. Videtur notare facinus alicuius ſcelerati ciuis. *incolumi capite es?* es ſano cerebro & ſenſibus integris? *quid enim.* ἀγανάκτησις auari, qui animo fert iniquiſſimo, ſe inſanientis inſtar, haberi vxoricidam, matricidámque, cùm nullius ſceleris credat ſe eſſe conſcium; τὸ enim, particula eſt expletiua, vt notauimus Ecloga 1. lib. 1. *neq; tu hoc facis Argis* ἐλάττωσις ἐμφατική, facinoris ipſius Oreſtis in occidenda matre ſua Clytæmneſtra, à iuſta doloris cauſa, quòd illa patrem Agamemnonem interemerat: à loco, quòd apud minus humanas furioſáſque mulieres: à vi manifeſta, quòd ferro: quæ ſingula vehemẽter aggrauant auarum atque ipſo Oreſte, multò magis à mente alienatum docent, vt qui nulla vel iræ, vel doloris, ſed vnius auari-

 tiæ cauſa

hę cauſa ſceleratus eſt in omneis qui Romę, quaſi totius humanitatis domicilio, qui dolo, fraude, veneno, laqueis, cæde denique omnibus, qui non ſemel, vt Oreſtes, ſed perpetuò dementiam ſuam exercet. *an tu reris eum.* πρόληψις. Diluit enim inſitiationem auari, qua tacitè negat ſe furere, vt qui matrem non interfecerit, quemadmodum Oreſtes, quem antea ſanum, propter hoc facinus dij immortales immiſſis furiis crudeliter exagitatum ſedibus incertis vagari voluerunt. Ad hoc reſpondet Damaſippus ſub perſona Stertinij: cædem matris Oreſti non extitiſſe furoris cauſam, vt qui multo antè tēpore inſaniuiſſet, nimirum, ex quo id facinus animo ſecum meditatus fuerat; imo tantum abeſt, vt matricidium eius dementiæ caput & origo fuerit, vt ei finem impoſuiſſe videri poſſit: nihil enim poſtea mali, non in Pyladem ſocium, non in Electram ſororem perpetraſſe legitur. Ad hunc modum auari non deſinunt apud ſe non eſſe, etiamſi grauius aliquid protinus in aliquem non ſtatuant, nam multò ſæpè priùs moliuntur parentibus, amicis, notis, ignotis inſidias, habendi libidine, veluti furiis agitati, quàm ad crudele aliquod crimen impellantur: qua in re vel Oreſte quoque ſceleratiores apparent, quòd tantiſper dum viuunt, vt ſuam ſitim expleant, flagitia flagitiis accumulare non ceſſant. *in matris iugulo.* παθητικῶς, crudeli facinori exprimendo appoſita verba ad commiſerationem. *maletuta mentis.* maletuta, compoſitè, vti dicimus, maleſana. At codex Tonſ. habet, tutæ malè mentis. *vocando hanc furiam.* Alludit ad illud Euripidis in Oreſte, μέθες μ' ἓν οὖσα τῶν ἐμῶν ἐρινύων, μέσον μ' ὀχμάζεις, ὡς βάλῃς εἰς τάρταρον, id eſt, ſine me, quæ vna es ex meis furiis, medium me tenes, vt in tartarum præcipites. *pauper Opimius argēti.* Ex theſi ſuprà poſita, ibi, quid diſcrepat iſtis, &c. ſubinfert hypotheſin, qua ſub perſona Opimij cuiuſdam graphicè depingit auari naturam & mores. *pauper argenti.* theſauri repoſiti recōditiq; ſic alibi, integer vitæ, ſceleriſq; purus, &c. *Veientanum.* Veientanū vinum ſaporis admodum ingrati, naſcitur in agro Etruriæ Veientano. Perſ. Satyr. 5. Veientanumq́ue rubellum exhalat vapida læſum pice ſeſſilis obba. *trulla.* vas potorium, quod nomen à terendo deriuat Nonius. truula deminutiuè, deinde trulla, vas vinarium (inquit Cic. in Verr. 6. de gemmea trulla regis Antiochi) ex vna gemma prægrandi erat trulla excauata cum manubrio aureo, &c. Iuuenal. Si trulla inuerſo ſonitum dedit aurea fundo. Sic & apud Plin. trulla murrhina. Trulleū autem vas erat aquarium quo manus, Nonio teſte, abluebantur. *lethargo grandi.* diuturno & alto. de quo ſuprà. *vt heres iam c. l.* Depingit affectus hęredis in hæreditate capiēda. *excitat hoc p.* prudens medici conatū in vitio corporis expellēdo, quod nullo pharmaco corrigi potuit. *iā hæc auferet* ſic habent omnes ſcripti cod. non etiam, hoc, vt vulgati. *hoc age.* τοῦτο πρᾶττε. Hoc antiquum verbum ſacrificale eſt, inquit Budæus 5. de aſſe. quo vtebatur præco in ſacris imperandis, vt habet Plutarch. in Coriolan. eo autem vtimur, cùm vni rei mentem adhiberi volumus, & aduerti animum. Plaut. in Perſ. hoc age, opus ne eſt hac tibi emta? *vena.* vires, robur, arteriæ. *tu ceſſas?* Sic habent omnes antiqui codices, non, quid ceſſas? vt legit Lamb. Medicus impellit quodammodo, & vrget adhortando, veritus ne veterno iterum corripiatur. *hoc ptiſanarium oryzæ.* ptiſana eſt hordeum aut triticum decorticatum: ſed & aliæ fruges decorticantur, vt videre eſt apud Dioſcoridem lib. 2. cap. 79. de hordeo & cap. 88. de oryza. apud Columellam ptiſana (ptiſanarium autem eſt deminutiuum) eſt pultis genus ex farina hordeacea, cui maxima reſtaurandarum virium, nutriendique vis ineſt: eius cremor ſiue ſuccus datur febricitantibus, vt habet Galenus lib. 1. ad Glauco. Ceterùm de ptiſanæ præparatione, & polentæ conſideratione, legito ſcripta Andreæ Matthioli in 79. cap. Dioſcor. lib. 2. dicitur autem ptiſſana vel ptiſana, πτισάνη, ἀπὸ τοῦ πτίσσω, id eſt, purgo, decortico, &c. *quanti emta.* oryzæ in genitiuo caſu. *octo aſſibus.* tres Bland. codices habent, octuſſibus, quam Linacer expreſſit lectionem lib. 6. De emend. ſtruct. ſed (modò ſint characteres idonei) per inanimaduertētiam. nam Budæus 1. lib. de aſſe, ſatis luculenter oſtēdit vſum harum aſſis partium, centuſſis, decuſſis, octuſſis, &c. Codex Tonſ. habet octuſſibus. Mart. hoc modo, VIII. aſſibus. vetuſtiſſimus Bland. codex habet hanc ſcripturam, oct. aſſibus: quæ vt per apoſtrophum eſt apertiſſima, ita & optima. Sed tamen, vt hoc addam tamquā auctariū contra Lambinū, habet Cic. ad P. Seſtiū proconſ. Omnino ſemiſſibus magna copia eſt. Deinde Feſtus in verbo peculatus: Quę pecudes, poſtquā ære ſignato vti cœpit P.R. Tarpeia lege cautum eſt, vt bos cētuſſibus, ouis decuſſibus æſtimaretur. *eheu quid refert.* ob eam ſummā tanto dolore percellitur animus Opimij (quaſi ad vitam ſibi præterea nihil eſſet reliqui) vt indignabundus vehementer inſurgat in medicū, qui ſe excitauerit, mortique eripuerit: quandoquidē hoc ptiſanarium tanti conſtiterit, inquit, video mihi pereundū eſſe, hoc eſt, diuitias meas (nam ſua bona auaris ipſa vita longè cariora eſſe nemini dubium eſt) ſi namq; non furtis & rapinis hęredum, profectò ego morbo, id eſt, morbi

morbi curatione viuus vidénſq. totus exhaurior, pauper fio & pereo. Quid ergo nũc mihi beneficij præſtitiſti, ô medice, qui me ex ſomno ſuauiſſimo, quaſi morte dulciſſima ad vitam reuocaſti ærumnoſam, ipſáq; morte mihi longè formidabiliorem? *pereámq. rap.* ſic legitur in omnibus ſcriptis, præter Mart. qui ſequitur vulgatã lectionem, putà, pereámne, &c. ſed non aptè: ex præceptionibus enim grãmaticis, τὸ ne, in interrogationibus præcedere debet τὸ an; vt alibi notauimus *quiſnã igitur ſanus?* tranſit ad aliud ſtultitiæ genus. Eſt autẽ dialogus Damaſippi & Stertinij Stoici; hos namq. duos facit Horatius vnà colloqui, ab eo loco, & caue faxis te quicquã indignũ, &c. ad eum vſque, hæc mihi Stertinius ſapientũ oct. *qui non ſtultus.* deſcriptio ſani à negatione oppoſiti. Quæ ratio deſcribendi Dialecticis nõ eſt incognita, ſed docendæ rei minus accõmoda. *ſtultus & inſanus.* plus eſt inſanire quàm ſtulteſcere. habet Plato in Timæo, δύο δ᾽ ἀνοίας γένη, τὸ μὲν μανίαν, τὸ δ᾽ ἀμαθίαν, hoc eſt, duo amentiæ genera, alterũ quidem inſaniã, alterum verò ineptã ſtultitiã: vtrumq. dicit Stertinius exagitare hominem ſordidum. *non eſt cardiacus.* à ſimili. Eſt autem cardiacus morbus ἀπὸ τῆς καρδίας, id eſt, à corde (ſic enim ſtomachũ, qui in his maximè languet, veteres nominabant) dictus, quoties, putà, cũ acuta atq; æſtuante febre, & cum magna animi deſperatione, atque anxietate, corporiſque iactatione ſtomachus languet, & immodico ſudore ſuperum corpus digeritur, rigente atq; areſcente inferno. Hæc Pantinus medicus doctiſſimus in cap. 20. lib. 3. C. Celſi. *Craterũ dixiſſe p.* ab auctoritate. *rectè eſt.* εὖ ἐστί, εὖ ἔχει τὸ σῶμα, bene eſt igitur, éſt-ne iccirco corpore bene conſtituto? *negabit.* Craterus, quia aut pleuritide, aut è renibus laborare, & corpus grauiter affici poſſe conſtat. De pleuritide dictũ eſt ſuprà. de renũ doloribus ſcribit C. Celſus lib. 4. cap. 10. *morbo tentantur acuto.* morbus acutus, νόσος ὀξεῖα, eſt vbi ſine intermiſſionibus acceſſiones & dolores graues vrgẽt, vt habet Celſ. lib. 3. ca. 2. quẽ legito eiuſdem lib. cap. 1. & 2. De morborũ differentiis. Codices Blãd. & Torũ. habẽt tentẽtur; ceteri, tentantur. Colligit autem Stertinius more Stoico, ſtrictim, hoc modo; non ſi non eſt cardiacus aliquis, ergo eſt ſano corpore. non eſt enim vnũ morbi genus quo affligũtur humana corpora, ſed multa & varia. *non eſt periurus n ſ.* reddit comparationem, hoc modo: nõ ſi non eſt periurus neque ſordidus, iccirco non eſt ambitioſus & audax. aliæ namque diuitiæ ſordeſcunt, & aliæ ſunt ambitioſæ. *immolet æquis hic p. L.* hoc eſt, gratus ſit Laribus ob acceptũ beneficium, eíſq; porcum ſacrum faciat æquis, propitiis, beneuolis, ἀλεξικάκοις, vt Iulius Poll. lib. 5. cap. 27. vt qui mentem ei ſanã præſtiterint, conſeruarintque, & à periurio fraudéque deterruerint, auaritiæque ſordibus: hoc enim eſt munus Larum, mentem largiri bonam, & quæ in familia ſunt, omnia ſana, tuta & integra præſtare. hinc δαίμονας Cic. Lareis interpretatur in, De vniuerſitate ex Timæo Platon. ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἐπιχθόνιοι φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων, vt habet Heſiodus, hoc eſt, ſancti & terreſtres, hominũ queis credita cura eſt. Quo nomine quoq. Appuleius de Socratis dæmonio eos bonos genios nominat. Cui concinit D. Auguſtinus de Ciuitate lib. 9. cap. 11. Lares, inquiens, appellantur ſi boni ſint meritis cõtrà Laruæ, ſi mali. Hinc etiam pro diuerſitate vel beneficij vel maleficij, Lares quidem præſtites habent, Laram, Larum matrem, inquit Lactant. quæ eadem & Muta & Larunda nominatur; habent & Manam, Maturnã, Matutam, tum quòd præſtent oculis omnia tuta ſuis, vt canit Ouid. 5. Faſtor. tùm quòd ab eis bona ſuo tempore cuncta promanẽt. Laruæ verò Tryptes, Furam, Furinámq;, & Maniam matrem habent aſſeclas; quæ quidem Mania, inſania eſt & inſipientia, ſiue ἀπὸ τοῦ μάνου, quòd ea affectio ita remittat diſſoluátque animum, vt non ſit apud ſe: ſiue ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, quod eſt inſanire: ſiue ἀπὸ τοῦ μονᾶσθαι, quòd agat in ſolitudinem eum qui eo morbo laborat. eſt autem incerta eius etymologia, teſte Cic. 3. Tuſculan. quæſt. verùm enimuerò quicquid id eſt, & Maniã Laruáſq; & Lareis Geniόſque bonos piaculari porco placare ſtudebat antiquitas; hos quidem, vt prodeſſent & familiam augmentarent, quos πλουτοδότας vocat Heſiodus; illos verò, ne nocerent, animúmq; delirio turbarent: quod obſcuriùs ſignificat Heſiodus inquiens, ἀλλὰ ἱμερτὴν τιμὴν καὶ τοῖσιν ὀπηδεῖ. Quemadmodum & ex hoc loco, & Varrone de re Ruſt. lib. 2. cap. 4. & ex Menæchmis Plautinis, Epidicóque eſt teſtatiſſimum. In Epidico namq; ſic ait Stratippocles: Deſipiebam mentis, cùm illas ſcriptas mittebam tibi. Epidicus: Men' piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam, vt meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum? In Menæchmis inquit Cylindrus: Nunc obſonatu redeo Menæch. reſponde mihi adoleſcens, quibus hic pretiis porci veneunt ſacres, ſinceri (ſic ſcabres apud Feſtum in dictione, vaſtum. Alex. ab Alexandro lib. 3. cap. 12. fetus bouis 30. pecoris 7. ſuis, 10. à partu die puri habentur; ideo ſacres dicti. vide M. Terent. Varr. lib. 1. cap. 2. ad finẽ) numos eos à me accipe. iube te piari de mea pecunia; nam ego quidem inſanum eſſe te certò ſcio. Item pòſt paullo Cylind. Si me conſulas, numum illum, quem mihi dudum pollicitus dare, iubeas, ſi ſapias, porculum afferri.

afferri tibi: nam tu quidem hercle, certò non ſanus ſatis Menæchme. Itaque & Maniæ ob inſaniam Larum matri, vt Varro quoque teſtatur lib. 2. De analogia & feſto, atque laribus ipſis porcum in hoſtiam mactatum fuiſſe in confeſſo eſt. Verùm cur porcus in id genus ſacrificij aſſumtus ſit, non arbitror perinde eſſe certum: atqui eſt vero conſentaneum, diabolum inuidia generis humani, cùm primum idolorum cultum miſeris mortalibus, & à veri Dei cognitione alienatis perſuaſiſſet, id in primis curaſſe ad maiorem abominationem, irámque Dei implacabilem homini conciliandam, vt deos ſuos iratos nõ alia quàm humana victima propitios redderent, vt qui non niſi & meliores animas & eximias hoſtias diligerent: teſtatur Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 7. inquiens, idque obſeruatum aliquamdiu, vt pro familiarium ſoſpitate pueri mactarentur Maniæ Deæ matri Larum, &c. Teſtantur hoc ſacra Dianæ Tauricæ, teſtatur Aegyptia Iuno, teſtantur Læſtrygones, Iupiter Latialis, Saturni Coloſſus apud Carthaginiẽſeis, Phœnices, Cretenſes, Galli in ſacris Saturni; deniq; teſtãtur diris omnibus deuota, ſacra Orgia. Quæ quidem ſanguinis humani litatio tantiſper inualuit, dum viri ſapiẽtes, melioríque mente præditi, magníſque imprecationibus tam barbarum morem deteſtati, ad humaniorem vitæ modum ſtatuendum, à cædibus eos humanis, ritúque ferino deterritos arcerent, próque hominibus, alios bruta mactanda, alios primos fructus, alios vina libanda, ceteráque id genus diis offerenda docerent: qui verò belluis ſua ſcelera expianda crederent, non immemores ſe à maioribus accepiſſe, deos ſuos exquiſito nidore delectari, & in familia ſua non offenderent poſt hominem quicquam ſuilla carne pretioſius, ab iis porcus immolari cœptus eſt, præſertim diis Laribus, qui & familiares eſſent domeſticíque & aruorum tutelares, quaſique cum homine nati & præ ceteris colendi; hinc etiamnum Lares grundules nominati ſunt, à grunniẽdo verbo antiquo. Quòd autem in ceteris victimis porcus in ſacrum pro homine ſucceſſerit, Diophantes Lacedæmonius apertiſſimis ſcriptis, in ſacris deorum teſtatum reliquit, porcũ, putà, loco hominis ab Athenienſibus immolari cœptũ; apud quos antea qui centũ homines interemiſſet, Marti hominẽ ſacrificabat. Legito Alexandrũ Alexandrinũ lib. 2. cap. 22. lib. 3. cap. 12. Sed & Varro de re Ruſtica lib. 2. cap. 4. ait à ſuillo pecoris genere immolandi initium primum ſumtum eſſe videri, quòd animalium ſoli ſues ϑύται, ἀπὸ τοῦ ϑύειν, id eſt, ſacrificare, dicti ſunt. De carne verò ſuilla quòd ea ſit delicatiſſima, & variis condimentis pluribúſque aptiſſima, docent ὀψάρτυται pro ſua ganea, quinquaginta & amplius ex ea millibus excogitatis adornatíſque, adeò vt non ex alio animali parabilior, non lautior, non denique iucundior humanis voluptatibus, nec ex ſua natura ſapidior materia apparari poſſit; taceo lardum, pernam, taceo ſuccidiam maiorum delicias. *nauiget Anticyram.* πίνοι ἐλλέβορον. Non enim minus eſt commotæ mentis, quàm auarus & periurus. itaque ad purgãdam cerebri maniam opus eſt ei ellebori candidi potione. vide Adagium, Anticyras nauiget. *Barathrum.* per barathrum, in luxu, intellige ingluuiem, ſeu ventrem omniuorum; in ambitione, dum largitionibus immenſis captant & ambiunt honores & magiſtratus, intellige populum, donorum munerúmq; voraginẽ, ac per hoc ſtultorũ diuitum perniciẽ: quemadmodũ docet poſtea, inquiens, in cicere atq; faba bona tu perdáſq; lupinis, &c. Erat autẽ Barathrũ locus Athenis profundior (vt κεάδας, ᾅδης, apud Lacedæmonios) in quem maleficos, κακούργους deturbabant demergebántque. At propriè βάραθρον eſt infinita quædam profunditas & hiatus ingens, qui integra ſæpe flumina deuorat, παρὰ τὸ βαίνειν, ab ingreſſu. Cælius lib. 9. cap. 34. βάραθρα, fauces hiatúſque præcipites. *Seruius Oppidius.* hæc deſcriptio ſani hominis poſita eſt pro theſi: vtitur enim exemplo Seruij Oppidij, cuius conſilium in admonitione liberorum ponit tanquam ἀνακεφαλαίωσιν iam dictorum de auaritia: ſimul & tranſit ad ambitionis & luxuriæ ſtultitiam. *diues antiquo cenſu.* antiquus cenſus, antiquę diuitiæ fuerunt prædia, fundi, agri, greges, armenta, &c. nimirum ante æs, aurum, argentum ſignatum. *diuiſſe.* per ſyncopen pro diuiſiſſe: ſic habẽt omnia ſcripta, non etiam, didiſſe, vt aliqui putarunt. *fertur & hæc.* omnes cod. manuſcr habẽt, hoc: ſed non video multum intereſſe. *fertur & hoc mor.* præclarum & laudabile liberis à patre relictum teſtamentum, iam morti proximo; quæ quaſi rediuiua ſcintilla patrum patriarcharum eluxit in animo Seruij ethnici. *ferre, ſ. L.* id autem dicimur laxo ſinu ferre, cuius nullam curam gerimus. perelegantes εἰκόνες ex notis hominis prodigi, ſordidíque. huic autem cõtrarium eſt, in ſinu manum habere, de tenaci & auaro. *numerare c. a. t.* notæ auari. *triſtem* ſollicitum. *Nomentanum.* prodigum. *Cicutam.* auarum. *quare per diuos.* δέησις μετ᾽ ὅρκου. *& natura coërcet.* quod natura dictat & requirit, quod naturæ ſuſtinendæ ſatis eſt. videtur alludere ad Græcã phraſim ἐξαρκεῖ τῇ φύσει. ſic enim loquuntur Græci, ἐξαρκεῖ ὑμῖν, vobis ſatis eſt: Euripides, τὰ δ᾽ ἐξαρκοῦντ᾽ ἀνδρί, id eſt, hæc marito ſufficiunt. *ædilis fueris tu. v. p.* hi primi gradus erãt ad ampliores honores & magiſtratus, de quibus

de quibus à populo deturbati, non facilè poſtea ad dignitatem perueniebant: quare opus erat multis promiſſis & largitionibus ad populi fauorem demerendum. *fuerit ve.* ſic habent omnia ſcripta, eáque ſecuti ſumus cum Cantero viro doctiſſimo. *in cicere atque faba.* ad hunc modum Perſ. Satyr. 5. cicer ingere largè rixanti populo, noſtra vt Floralia poſſint aprici meminiſſe ſenes, &c. Floralibus enim ludis 4. Kal. Maias, ædiles cicer, fabas, & miſſilia in plebem ſpargere conſueuerãt, leporéſque & capreas, aliaque multa animalia populo exhibere, non ſine ingenti diuitiarum profuſione. Vide Lactãtium de obſcenis his ſacris in honorem Floræ meretricis lib. 1. cap. 20. *latus vt in circo.* ſic habent omnes cod. ſcripti. eſt autem ſynchyſis, pro, vt ſpatiere in lato circo & amplo, nimirum Martio. Alij aliter interpretantur hæc verba, ſed non ſatis aptè, vt mihi quidem videtur. *nudus agris, nud. n. i p.* ex diuenditis prædiis, inque miſſilia popularia, ſtudij & applauſus ergò, facultatibus omnibus erogatis. *ſcilicet vt plauſus.* ludicra comparatio leonis ad vulpem; Agrippæ ad obſcuri alicuius diuitis filium, ad honores, ſi non virtute, ſaltem diuitiis aut alio conſilio euehi conantem. Notus eſt Apologus vulpis, aut potius aſini Cumani, qui leonis exuuiis ſtuduit aliis animalibus eſſe terrori. Hæc autem ἐν παρόδῳ ſcripta ſunt ab Horatio in gratiam M. Agrippæ Vipſanij generi Cæſaris Auguſti. *ne quis humaſſe velit.* Hæc theſis Agamemnonis regis vaniſſimi commodè ſubſequitur obteſtationem Seruij Oppidij, qui liberos ad omnem modeſtiam cohortatos, iureque iurando obſtrictos, noluit ad popularem gratiam ſeque ſuaque perdere turpiter: non ignarus quæ vanitas illa & quanta ſecum trahat incommoda. Namque ex inſano hoc Agamemnonis decreto de non humando Aiacis cadauere (quod huc ex Aiace Sophoclis tranſlatum eſt) quod ſatis inuidioſè fingit regem cum Plebeio controuertere, ſtatuit in propatulo ambitionis inſanos & horrendos comites, vtputà imperandi libidinem, philautiam, formidinem, vlciſcendi ſtudium, impietatẽ, titulos inaneis, iram implacabilem, etſi qua ſunt his crudeliora. *ne quis h. v.* Dialogus eſt Agamemnonis & Plebeij liberti. *rex ſum.* ab auctoritate regia, cui quod lubet, licere neceſſe eſt. *nihil vltrà quær. p.* codex Blandinius antiquiſſimus oſtendit apertè pro re, ſyllaba eraſa, ſupra ſcriptam ro, ab inepto aliquo & audaculo caſtigatore, qui putabat fortaſſe magna ſe cum gloria claudicanti pedi mederi poſſe pro re, ſubſtituẽdo ro, cùm lippientibus oculis ipſe minùs clarè cerneret continuò ſubſequentis dictionis bina conſona, cuius ratione per Grammaticos canones licet nonnumquam ſyllabam natura breuem prolongare; prætereo ἰατρομίμησιν ἐπιζητικήν, taceo delicias Horatianas, quas vna ſæpe littera corrumpit: quod hic liquidò conſtat factum eſſe: nam ſi quis preſſius examinet hunc locum, non difficilè deprehendet eum deſiderare perſonam ſecundam, cùm ſit obliqua interminatio, ſi, nulla præfata venia, pergit de regiis rebus percontari regem. hanc itaque lectionem ſequor cum Cantero doctiſſimo. *quare Plebeius.* Plebeius, non eſt aliquis è plebe (vt mihi apparet) ſed nomen ſerui, aut potius, liberti Agamemnonis, quemadmodum paullò pòſt dicemus in dictione libertinus. *& æquam rem imp.* ab æquitate decreti regij, vel ipſo rege iudice: ſed bene ſciſcitatur Muſonius apud Stobæum, ἆρ' ἔστ' ὅπως βασιλεὺς ἀγαθὸς εἴη τις, ἂν μὴ ἄνθρωπος ἀγαθὸς ὤν, hoc eſt, an quis rex bonus eſſe poſſit, niſi idem vir bonus fuerit? *ac ſi cui v.* Antiquiſſ. codex Blandin. habet, *at ſi cui.* hæc eſt conceſſio libertatis percontandæ ſententiæ regiæ de iure facti. *maxime regum.* aſſentatiuncula. *dij tibi dent* εὐχή, ad captandum regis animum. Hæc ferè ex Homero. vide Commẽtat. *reducere Troia.* ſic habent ferè omnia ſcripta, & veram lectionem eſſe exiſtimo, ita vt antiqui τὸ re, ferè pro arbitratu aut longarint, aut breuiarint. ſic & Ouid. 10. Metamorph. In quem recidimus quicquid mortale creamur. Legito Giſanij doctiſſimi collectanea in Lucret. Aliqui codices habent, redducere, ſed aliud malo. *ergo conſulere.* ἐρώτημα. conſulere hic eſt percontari & interrogare, teſte Feſto, in verbo conſulas: imitari videtur iuriſconſultos, ad quos conſultores cùm adibant, dicere ſolebant, licet conſulere? Cic. pro Murena. *cur Aiax heros.* πύσμα. ſic Homerus ἰλ. β. ἀνδρῶν δ' αὖ μέγ' ἄριστος ἔην Τελαμώνιος Αἴας, ὄφρ' Ἀχιλλεὺς μήνιεν· ὁ γὰρ πολὺ φέρτατος ἦεν. *puteſcit.* In hoc verbo nulli codices ſcripti diſſentiunt, quare id ſeruãdum putaui tamquam genuinum; nam puteſcere propriè magis cõuenit abiectis inſepultiſque cadaueribus quàm putreſcere. hinc vult Aelius apud Varronem lib. 4. de ling. Lat. puticulos dictos, quòd puteſcebant ibi cadauera proiecta. Nonius quoque putidum non putrem, ſed odoris mali, ex Cic. 5. de fin. bon. & mal. non inſcitè illud dictum videatur in ſue, animum illi pecudi datum pro ſale, ne puteſceret. At putreſcere verbum ſepultis quoque cadaueribus aptari poteſt. Non infitior tamen apud Homerum ἰλ. λ. legi πύθεται, hoc eſt, putreſcit, pro inhumato Aiacis corpore; ſed meo iudicio, minùs aptè. præterea non neceſſe eſt fateri Horatium in omnibus expreſſiſſe Homerum. verùm per me nolim quemquam certare de aſini vmbra, vt aiũt. *gaudeat vt Priami p.* hæc ſunt expreſſa ex ἰλ. α. ἦ κεν

γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες ἄλλοι τε Τρῶες, hoc eſt, Gaudeat & Priamus, nec non Priameia proles atque alij Troës. argumentum à cauſa finali, vtputà, non vis humo tegi, ſed à feris laniari cadauer Aiacis, vt gratum facias hoſti. *per quem tot iuuenes.* periphraſis cædis multorum Græcorum, per exaggerationem. *mille ouium inſ. m. d.* αἰτιολογία, cur ſæuiendum ducat in cadauer Aiacis, putà, Vlyſſis & Menelai ab eo deſtinatam mortem, totiúſque exercitus, niſi Deus aliquis hunc conatum reſtinxiſſet; & in ouilia pecudéſque conuertiſſet. hæc ex Aiace flagellifero Sophoclis, vbi ait δυσφόρους γνώμας, Aiacis oculis obiectas fuiſſe, non enim vidit nihil in mactandis ouibus, verùm iudicauit eſſe aliud quod intuebatur, quàm id quod erat. quare fuit animus diuinitùs perturbatus, vt voluit antiquitas, tanti mali cauſam ſimpliciter ad deos referens. ſed qui propiores cauſas indagati ſunt, aiunt hoc vitium perturbatæ mentis de atra bile naſci, vnde fumoſi quidam & turbidi halitus euaporati, inque cerebri loculis concepti, tenebras offundunt intellectui, καὶ θηριώδη τε παράνοιαν, id eſt, ferinam quandam dementiam. Quare vt ſolent oculi caligare & vehementer obtenebrari, cùm fumus talis de ventriculo ad eos fertur: ita halitus iſti peſtiferi, mentis & animi lumen admodum obtundunt, & μανικοὺς efficiunt. Talem ſcribit Ariſtot. fuiſſe Bellerophontem, dum miſer in campis mærens errabat Alæis, ipſe ſuum cor edens hominum veſtigia vitans, teſte Homero. talis fuit Argiuus ille cuius meminit Horat. epiſt. 2. ad Florum lib. 2. *tu cùm pro vitula.* ἐρώτημα ἐμφατικὸν, cum indignatione ab impietate facti, nimirum, mactatione natæ Iphigeniæ in Aulide, quam Calchas vates reſpondit immolandam ad numen placandum. Vide Seruium 2. Aeneid. in expoſitione eius verſus, Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa, &c. Item Iphigenia Euripid. *ſpargiſq; mola caput i. ſ.* lubet hic in gratiam ſtudioſorum, quibus librorum copia pro voto non ſemper eſt ad manum, pluribus agere de ritu ſacrificandi veteribus vſitato. Itaq. ſacrificaturi molam ex farre molito, & ſale cum ture maſculo inter hoſtiæ cornua deponebant, eam mactam eſſe ſignificantes, quod quidem ad probationem proficere credebant, vt, ſi nō obſtupuiſſet, ſacro faciendo crederetur idonea; qui ritus nominabatur immolatio, quaſi molæ in caput victimæ collocatio, vino aut muſto in caput victimæ affuſo; quod priuſquam funderet, ſcipulo aut ſimpuuio ligneo fictilive, quod inter ſacra vaſa cyatho non valde erat abſimile, & ipſe aruſpex ſacerdos leuiter delibabat, & circumſtantibus guſtandum deferebat, vt pariter libarent: & hic ritus vocabatur libatio. poſtea ſetas inter cornua victimæ, manu euulſas tamquam prima libamina proiiciebat in ignem: conuerſúſque ad ortum, obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam ducebat: tandem victimam diis exhibitam & dedicatam, mandabat iugulare miniſtros, qui à mactando cultrarij, victimarij, & ab aliquibus popæ, agonéſque vocitabantur: alij ſanguinem emanantem admotis vaſculis excipiebant: alij excoriabant & abluebant: alij ignem ſuccendebant: Mox aruſpex ferreo cultro viſcera explorabat an perlitatum foret. Erat autem is culter oblongus manubrio eburneo, clauis æneis, ære Cyprio, & argenteo capulo ornatus: non enim manu licebat contrectare viſcera. his peractis ex omni viſcere & membro miniſtri partes certas decerptas farina inuoluebant: & in calathis ſacrificanti offerebant: is aris impoſitas incenſo foculo comburebat, quod reddere erat & litare: Deinde ad epulas ipſi & conuiuia conuerſi diis laudes canebant, pedibúſque circum aras complodentes ad numeros pſallebant, pulſatíſque cymbalis choreas agebant. *rectum animi ſ.* rectum animum, conſtantem & firmum. Quæ vindice nullo (1. Metamorph.) ſponte ſua ſine lege fidem, rectúmque colebat. Recto autem contrarium eſt prauum. *quorſum?* ſupp. hæc, rogat Agamemnon. *inſanus.* quem inſanum autumas. *quid enim.* τὸ enim, eſt expletiuum. verba ſunt Plebeij. *abſtinuit vim vxore.* ἐξήγησις facti Aiacis ex antitheto facti Agamemnonij, qui natam mactauit: cùm is neque reipſa læſit Atridas, quod iure tamen ei licitum fuit ob iniquum de armis Achillis iudicium: ſed verbis tantum minatus eſt: neque fratrem Teucrū, neque Vlyſſem in armis Achillis adeptis aduerſarium perſecutus eſt: ita diluit ſingulas illatæ contumeliæ cauſas. *verùm ego vt hær.* ἀναγκαῖον. cōfutat Agamemnon inſaniæ notam à neceſſario: non enim infitiatur ſe natam immolaſſe, ſed negat eo nomine ſe commotæ mentis habendū, vt qui prudens, hoc eſt, præſenti & conſtāti animo, ſenſibúſque integris, non etiam dementia perculſus id fecerit, deóſq. placauerit, qui in Aulide claſſem detinebant irati. *nempe tuo.* tacita παλιλογία, ad impietatem patris contra filiam retegendam, ait, tuo ſanguine, putà, natæ tuæ Iphigeniæ. *meo, ſed non f.* conceſſio facti, ſed infitiatio furoris. *qui ſpecies alias vero ſcel.* oſtēdit argumento ſyllogiſtico (cuius hæc eſt propoſitio, qui ſpecies alias verò, &c.) Agamemnonem verè inſanire: hoc modo, Qui ſibi perſuadet verum id eſſe quod falſum eſt, idq́. inſuper ſcelere contaminat, ſeu (vt adnotauit D. Woulardus) qui ſub ſpecie iuſtitiæ ſcelus admittit, id eſt, qui multum ſceleris admiſcet veritati, is habendus eſt cōmotæ mentis: At tu inancis

titulos.

titulos imperij contra Troianos pro veris duxiſti, de quibus triumphum agere magnopere ſtuduiſti, quod quidem animo concipiebas non fore niſi diui feliceem nauigationem annuerent tuo ſanguine placati, non ſine immani ſcelere: quî ergo fieri poteſt te non fuiſſe furioſum? Codex antiquiſſimus Bland. habet, ſpecies alias veris, cum hac adnotatione, cõtrarias veritati. Codex Diu. habet, alias veri, ſed ſupra i litteram, o poſita eſt, quem ſecutus ſum; multùm commendans ſagax ingenium Lambini, qui nullo ſuffragante ſibi codice, vt ait, alias veris, legendum aduertit: equidem Bland. codicis lectionem typis mandari maluiſſem propter vetuſtatem, ſed ſ littera maiuſcula ademta ſequenti dictioni, adſcripta erat præcedenti. In Buſlidiano ſ apertè eſt eraſum. quare ſine vllo fuco expreſſi Diu. codicis lectionem. Sed quid ſi (ὑπερβατῶς) propter plurium codicum conſenſum in τῷ veri, exponamus τὸ alias infinitè, hoc modo, qui capiet, concipiet, animo comprehendet alias, id eſt, aliquas ſpecies veri permixtas tumultu ſceleris, hoc eſt, coniunctas cum ſcelere, contaminatáſque tumultuoſo aliquo facinore? *Aiax cùm immeritos.* ſic habent omnes codices præter Mart. qui habet, *Aiax immer. cùm occidit.* Eſt autem argumentum à minori: nam ſi inſanit qui agnos occidit immeritos, quanto inſanior qui filiam mactat innocentem? explicat ſpeciem veri & recti falſam, vtpote, inaneis imperij titulos, cum ſcelere commixtam, nimirùm, cum cæde Iphigeniæ filiæ. *committis inaneis.* ſic omnes cod. præter vnum Bland. qui habet, admittis. *purum eſt vitio tibi cum t.* codex Diu. habet, purum eſt vitio, vel cum t. e. cor. *ſi quis lectica.* aliud argumentum à minori, quo docet inſanire Agamemnonem. *nitidam.* abluto vellere candidam. *puſam aut puſillam.* codex Mart. habet, ruſam & puſillam. Bland. antiquiſſimus, ruſam & poſillam, ſed ſupra *o*, ponitur *v*. reliqui omnes habent, ruſam & puſillam. Variant quoque lectionem qui hunc locum tractant: Ioannes Deſpauterius in ſua verſificatoria (quem eius dictionis arbitror auctorem) pro puſillam (quæ dictio primam corripit) legit ruſillam, quem ſequuntur non pauci contra fidem omnium codicum manuſcriptorum, verùm ea mihi certè non probatur; quis enim agnam nitidam (nimirùm à lanæ candore) dixerit ruſillam, aut etiam ruſam? vt habent ſcripta. Qui color etiamſi in forma bene exculta quibuſdam non ſit ingratus, vel Gallis & Cimbris teſtibus, qui ſtudent ad rutilam ſpeciem nigros flaueſcere crineis, vt ſcribit Serenus, tamen eum agnæ non video poſſe accommodari. Lambinus ex codicibus nonnullis calamo exaratis, quos non nominat, ſcribit pupam aut pupillam. quod equidem non improbo, at malui tamen legere, *puſam aut puſillam*, immutatione R litteræ, quam habet codex Mart. in P non multum diſcrepantem. ſeruata quoque in vtraque dictione, puſa & puſilla, ex etymologia, pari ſyllabarum quantitate, ita vt puſa ſit puella, & puſilla, puellula, nulla epitheti conſideratione, quod quantitatem aut turbare, aut præceptionibus Grammaticis obnoxiam reddere poſſet. nam vt non infitier puſillus adiectiuum, primam ſyllabam habere breuem, tamẽ nolim ſub eam legem cadere appellatiuum puſilla, ſed dependere ex puſus & puſa primitiuorum natura, quæ tunc temporis in vſu aliquo erant: Pomponius enim apud Varro. lib. 6. de ling. Lat. in epigrammatio his vtitur, dicit puſum puſa puella, hic mutua muli, nam verè es puſus tu, tua amica ſenex. Ioſeph. Scaliger legendum ſcribit, *putam & putillam*; ab ea parte qua puellæ ſunt feminæ. quod mihi reuerà probatur. nam cum puſa & puſilla quadrat optimè. ſic & Plautus in Aſin. dic me tuam hirundinem, monedulam, paſſerculum, putillum, &c. ſic & in Horatij vita primo loco hic poſita Auguſtus, inter alios iocos putiſſimum penem & homuncionem lepidiſſimum, &c. *abeat tutela.* tutela pro curatione, pertineat ad propinquos, iuxta illud Iuſtinian. lib. 1. inſtit. de curatoribus: furioſi quoque & prodigi licet maiores ſint viginti quinque annis, in curatione ſunt agnatorum ex leg. 12. tabul. *quid: ſi quis.* redditio argumenti per exaggerationem. ſic habent omnes codic. non, quod, vt excuſi. *ergo vbi praua.* complectitur ambitionem amentem nutrire clientelam, nec admodum laudabilem, putà ſcelus & furorem, idque agit Sorite Stoico perpulchro, hoc modo: Qui ambitioſus eſt, captat inaneis titulos, laudem popularem, imperia, &c. hunc autem iubet Bellona gaudere cæde & ſanguine: cum itaque furioſum eſſe neceſſe eſt & ſceleratum: verùm qui ſceleratus eſt, prauè ſtultus eſt, & ſummè inſanus: ergo qui ambitioſus eſt, ſummè inſanus eſt. *vitrea fama.* vana & inconſtans, fortunæque ſimilis, quæ cùm ſplendet frangitur, inquit Publianus. *circum tonuit g. Bellona cr.* ſtupidum, animi impotentem, attonitum reddidit, ἔξω φρενῶν, ἐμβρόντητον. Bellona belli Dea, ἐνυὼ Græcè, τὴν οἱ μὲν τροφὸν, οἱ δὲ μητέρα, οἱ δὲ θυγατέρα Ἄρεως παρέδωκαν, inquit Φουρνοῦτος, hoc eſt, quam alij alumnam, alij matrem, alij ſororem Martis tradiderunt. ἡ ἐνιεῖσα θυμὸν καὶ ἀλκὴν τοῖς μαχομένοις; hoc eſt, quæ furorem immittit & robur deprœliantibus. Dicta eſt autem παρὰ τὸ ἐνύειν, ὅ ἐστι φονεύειν, inquit Euſtath. *nunc age luxuriã.* Stertinius per exhortationẽ tranſit ad luxurioſum

& prodigum, quem ſub Nomentani perſona docet ſcripta non eſſe ſanæ mentis. *vincet enim ra.* ratio, rerum euentus. In omnibus ſcriptis manu legere eſt, vincet, quæ ſecutus ſum, non improbans aliam lectionem. *hic ſimul ac.* narratio facti Nomentani ἀσώτου. *mille talenta.* ampliſſimum patrimonium, 175000. lib. groſſ. Fland. Certum autem poſitum eſt pro incerto. *Tuſci turba impia vici.* lurcones, ganeones, barathrones, mendici, pharmacopolæ, lenones, & id genus homines perditi, deplorati, & abiecti; quorum meminimus in 2. Ecloga lib. I. in comitatu Tigellij. Non prorſus inepte quis dixerit turbam quoque impiam hic dici ſicarios, inſidiatores, gladiatores, & eos qui vitam ſimul & libertatem impiè venalem habebant, iuxta illud Plauti in Curculion. In Tuſco vico ibi ſunt homines qui ipſi ſeſe venditant. Nihil enim magis impium in Deum ac naturam poteſt excogitari, quàm ſe, vitam, & libertatem pretio vẽdere: quales ij ſunt, qui ad pretium participandum ſe venumdari paſſi ſunt, vt ſcribit Iuſtinian. Inſtit. lib. I. tit. de capitis diminutione. *cum ſcurris fartor.* ſub his comprehendo ſaginatores, qui ex altilibus lucrum faciebant non paruum, & macellarios. *velabro.* velabrum autem vel à velando, quòd viam ad hippodromum ferentem è foro, velis, in ipſis ludis obtendere ſolebant: vel à vehendo: nam olim paludibus Auentinus mons à reliquis erat diſcluſus. Itaque eò ex vrbe (inquit Varro lib. 4. de ling. Lat.) qui aduehebantur ratibus, quadrantem ſoluebant, quod de aqua tum dicebatur velabrum; & vnde eſcendebant ad imam nouam viam, locus ſacer velabrum. Hunc locum Varronis ſic reſtituit Turnebus; qui talis eſt: Itaque eò ex vrbe, qui aduehebantur ratibus, quadrantem ſoluebant, cuius veſtigia, quòd ea, qua tum ibatur, velabrum, & vnde eſcendebant ad imam nouam viam, lucus eſt & ſacellum, Larum. Ego certè (pace Turnebi) putarim locum Varronis hoc modo legendum: Qui aduehebantur ratibus, quadrantem ſoluebant, cuius veſtigia (quod aqua tum ibatur) velabrum, & vnde eſcendebant ad imam nouam viam, lucus erat, & ſacellum Larũ, &c. nam in ipſo velabro ſacer locus erat, quod velabrũ dicebatur, vt Varro oſtendit lib. 5. in quo Accæ Laurentiæ ſacrificium fiebat, qua in nouam viam exitur: veteres porrò, eſcendo, pro aſcendo dicebant, vt notauit Turnebus. *omne mac.* veteres quò quæque ferrent, quæ vendere vellent (inquit Varro lib. 4.) forum appellabant, hoc erat antiquum macellum, vbi olerum copia: ea loca etiam nunc (ait Varro) Lacedæmonij vocant μακελλὸν, ſed Iones oſtia hortorum & caſtelli μακέλλας, &c. & paullò poſt: Hæc omnia poſtquam contracta in vnum locum (purà forum boarium, olitorium, piſcarium, cupedinis) quæ ad victum pertinebant, eſt ædificatus locus, appellatum macellum, vt quidam ſcribunt, quòd ibi fuerit hortus; alij quòd ibi domus fuerit cui cognomẽ fuit Macellus, quę ibi publicè diruta eſt (damnato Macello latrone) à cenſoribus Aemilio & Fuluio, è qua ædificatum hoc quod vocatur ab eo Macellum. *accipe quid contra.* attentio. Quidam codices habẽt, contra hæc. *in niue Lucana.* perpulchra διατύπωσις ἀσώτου. *verris.* ſic habent ſcripti libri omnes præter Mart. qui ſequitur vulgatam lectionem. *currit.* omnes codices in hoc verbo concordant. *filius Æſopi.* Aliud exemplum perditę luxuriei. Plin. lib. 9. cap. 35. tractans de Cleopatræ luxuria, quæ detractum ex altera auricula vnionem, acetoque reſolutum, ea cœna conſumſit centies ſeſtertiûm, &c. Prior, inquit, id fecerat Romæ in vnionibus magnæ taxationis Clodius Tragœdi Aeſopi filius, relictus ab eo in amplis opibus hæres; ne in triumuiratu ſuo nimis ſuperbiat Antonius, pęne hiſtrioni comparatus, &c. Vide Cælium lib. 15. cap. 5. *prauorum am.* rerum prauarum ſtudio. *impenſo.* omnino exiſtimo, vel reclamantibus codicibus omnibus legẽdum eſſe, immenſo ἀμετρήτως, ἀμετρί, hoc eſt, immodico pretio & incredibili. ſic enim Plin. lib. 9. cap. 40. Qui iſta mercantur immenſo. Item lib. 20. cap. 9. Silueſtres ſiue erraticæ immenſo plus effectus laudat Cato, loquens de braſſica. Impenſo verò non videtur eam vim præ ſe ferre (quamquam id non improbem) nec inueniri exiſtimo apud idoneos ſcriptores eo modo poſitum, ſed cùm ſuo appellatiuo, vt apud Cæſarem 4. belli Gallici. Quæque impenſo parant pretio. vbi dubitare quoque licet, an impenſo pretio, ſit idem quod ſoluto, an magno. ſic etiam fortaſſe apud Suetonium in Tiberio, impenſæ preces, pro magnis: habet enim neſcio quid latentis energiæ, vt per ſe poni nolit; quemadmodum τὸ immenſo. quod velim à doctis preſſius excuti. *quorſum abeant.* in 4. codicibus Bland. Buſl. & Tonſ. legitur, notati, in Mart. & Diu. & Sil. notandi; præterea in 2. Bland. Buſl. Tonſ. ſcriptum eſt hoc modo, quorſum abeant? ſani, vt creta, an carbone notati? iudicet lector. *ædificare caſas.* oſtendit ab indecoro eos non eſſe apud ſe, qui immoderatè gaudent amoribus: non enim magis decet barbatum ſenem & virum grauem ea ſtultitia moueri, quàm tractare puerilia, ædificare caſas, &c. qui ludi ſunt pueriles. *delectet barb.* aut virum grauem, aut philoſophum. *ſi pueril.* ſic habent 4. cod. Bland. & Buſl. at Mart. habet, ſed: alij ſequuntur vulgatam lectionem, ſed non aptè. *in puluere trimus.* antiquiſſimus codex Bland. habet, primus, quod non improbo;

probo; ſed alia tamen lectio commodior apparet. Trimus autem eſt trium annorum infans. *faciáſne, quod o.m p.?* hoc eſt, redeas ne ad mētem? quod ſi ita eſt, ergo amens fuiſti. *mutatus Polemo.* vide Comment. & Diogenem Laërtium in vitæ Polemonis exordio. *cubitale.* ſic habent omnes ſcripti libri, verùm in antiquiſſimo Bland. videtur e littera eſſe adiecticia propter eius exilitatem, adeò vt autumem antè ſcriptum fuiſſe cubital: quamuis non infitier etiam cubitale legi poſſe, eiq. non obſiſtere metri neceſſitatem, nam τὸ focalia. primam quidem longam habet pro colli, aut molli habitu, aut ornamento, quod à ceruice ad fauces protenditur, ad eas à frigore defenſandas, quaſi faucalia; ſed idem etiam primam corripit, pro ferro ad criſpandos crineis apparato, aut ligneis vimineiſque orbiculis, qui igni & flammæ opponi ſolent contra ardorem: tunc enim à foco deducetur ea dictio, vt focillo, refocillo. ceterum quæ hic enumerantur ægrotorum refocillamenta, paullatim voluptate magiſtra, molles homines, fractiq. deliciis ad ſe tranſtulerunt: faſcioli namque (ἀναδέσμοι) ſunt quibus obligantur vulnera; at delicatulis nunc ſunt tæniæ oblongæ inuolutæque, nōnumquam ad capitis ornatum, brachiorum, περιβραχιόνια, (quæ & cubitalia nominantur) & crurum, περισκελίδες. Focale erat quo valetudinarij ceruicem & fauceis aduerſus frigora munire ſolebant, γνάθιον. at nunc ad illecebras Marte Scythica eſt opus. *carpſiſſe coronas.* flores, ex quibus coronæ ſiue ſerta compoſita erāt, quales erant roſæ, violę, lilia, ſiſymbria, anemone, ſerpyllus, crocus, hyacinthus, heliochryſus, &c. Iul. Poll. lib. 6. c. 19. *porrigis irato p.* à puerili inconſtantia, moribus, & leuitate, colligit amorem nihil eſſe quàm meram ſtultitiam: repetit autem puerilia, vt id apertè quod iamiam dixit, & reipſa & ratione conuincat, per Phædriam Terentianum, vero penitus eſſe conſonum. *amator excluſus qui.* redditio comparationis puerilis. Huc faciunt illa Plutarchi, τὰ δὲ τῶν ἐρώντων πάθη ἀληθῆ, στέργουσι, ἐχθραίνουσι, τὸν αὐτὸν ποθοῦσιν ἀπόντα, τρέμουσι παρόντα, κολακεύουσι, λοιδοροῦσι, ὑπεραποθνήσκουσι, φονεύουσιν, εὔχονται μὴ φιλεῖν, καὶ παύσασθαι φιλοῦντες οὐ θέλουσι, σωφρονίζουσι, καὶ πιπρᾶσι· παιδεύουσι, καὶ διαφθείρουσιν, ἄρχειν θέλουσι, καὶ δουλεύειν ὑπομένουσι. τοῦτ' αἴτιον γέγονε μάλιστα τοῦ μανίαν ὑποληφθῆναι τὸ πάθος. hoc eſt, Sed amātium affectus veri ſunt, amant, oderunt, eundem abſentem deſiderant, præſentem metuunt, adulantur, conuicia dicunt, pro amato moriuntur, occidunt, optant non amare, abſtinere amore nolunt, corrigunt, & obæcæcant, docent ac perdunt, imperare volunt, & ſeruitutem tolerant: hæc eſt cauſa cur hic affectus maximè pro inſania reputetur. Itaque rectè dixit Sophocles, ἔρωτες γὰρ νόσημα, τοῦτ' ἐφήμερον κακόν, id eſt, amoris morbus, malum eſt diariū. *agit vbi ſecum.* haud aliter habent omnes ſcripti cod. Explicat amatoris dialogiſmum, huc ex Eunucho Terentij tranſlatum: ſunt enim ferè verba Phædriæ. *ecce ſeruus.* Phædriæ Parmeno *non paullò.* Litote. *tempeſtatis propè ritu.* effectus, pro cauſæ incertitudine & mobilitate: quæ tota pendet ex ſideribus cæli octaui. Vnde illud Virgil. lib. Georg. 1. Quid tempeſtates autumni & ſidera dicam. *cæca fluitantia ſorte.* incerto euentu & dubio. Vt Virgil. lib. 10. Neſcia mens hominum fati ſortiſque futurę. *nihilo plus expl.* Parmeno Terentian. Nihilo plus agas quàm ſi des operam vt cum ratione inſanias. *quid? cum Picenis.* oſtendit amatorem μελαγχολᾶν, aliis quibuſdam indiciis: Nam quemadmodum nemo niſi demens aliena loquitur, à ſe diſſentit, ſecum ipſe contendit, ait, negat; id quod de Phædria Terentiano ſuprà in confeſſo eſt; ita digitis primoribus compreſſis in altum malorū ſemina ſubhumida eiaculari, imagines quaſdam de camera tangenda animo concipere, iiſque veluti felicis alicuius amoris ominibus mentem addicere, non eſt niſi malè ſani hominis. De mittēdis in altum granis pomorum, quemadmodum vulgò nunc eiaculantur ceraſorum lapilli, vide ludum ſympoſiacum apud Iul. Poll. lib. 9. cap. 7. circa finem. *ſi cameram.* cameræ, teſte Nonio, tecta ſunt in curuitatem formata; Græcis καμάρα. apud Feſtum. καμάρης ἅμαξα, plauſtrum concameratū, quale eſt quod nominatur Gallicè *vne galeotte.* cameratum opus, concameratio, een bauſeerſel. *quid? cùm balba feris.* ſic Perſ. Saty. 1. Eliquat & tenero ſupplantat verba palato: hoc enim eſt molliuſculè, blandiuſculeque verba pronunciare ad gratiam puellæ captandam. ferire verba palato, ὑπαλλαγή. Mart. codex & Tonſ. habent, feris; reliqui, feris. *adde cruorem ſtultitiæ.* hæc amoris eſt extrema dementia, ne dicam extrema linea, nimirum ſe vitamq́. ſuam in periculo ponere, amoris potiundi gratia, quod eſt furibundi hominis & mente collapſi. Conſurgere namque & violenter quædam manu facere, non parua ſpecies eſt phrenitidis, vt habet C. Celſ. lib. 3. cap. 18. *ignem gladio ſcrutar.* alludit ad Pythagoræ ſymbolum, putà πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν, hoc eſt, ignem gladio ne fodito, hoc eſt, iram, amorem, Venerem ne concitato, irritato, vi nec minis exagitato, vitam deniq. qui ignis eſt ſumtus ex ſempiternis ignibus, ne perdito: quod qui facit, ſtultitiæ crudelitatem cōmiſcet. *ſcrutare.* ἀνακρίνε. *Hellade percuſſa.* cæſa. exemplum ſceleris furioſi Marij, ob impatiētiam amoris. *cerritus fuit.* Ceriti, inquit Nonius, laruati, malè ſani; aut Cereris ira, aut laruarum incurſa-

curſatione animo vexati: Plaut. in Amphit. Quaſi aduenıente morbo medicari iuuenem, tu certè aut laruatus es aut ceritus. Eſt autem cerritus aut epentheſis litteræ r, aut ſyncope ſyllabæ re, quaſi cereritus, fanaticus, Cereris furore agitatus, δαιμ τερμανὸς, νυμφόληπτος, lymphaticus. *modò inquam.* ὃν τρόπον, quomodo inquam Marius fuit ceritus cùm percuſſit Helladem amaſiam. helleniſmus. oſtēdit autem Marij exemplo nonnumquam eos qui amant, ſcelere contaminare ſuos amores, & ob id inſanire maximè; niſi quis iudicet ſcelus nō eſſe inſaniam; & Marium ob ſcelus quidem damnandum, ſed à commota mente liberandum, minimeque inſanum eſſe dicendum. hæc autē controuerſia pendet ex definitione ſceleris & inſaniæ; nam tametſi ſint hæc vocabula ita cognata, vt contingat aliquando eundem & ſceleratum eſſe & inſanum, tamen alia vis eſt inſaniæ, alia ſceleris, inquiunt. *libertinus erat.* ad extremum paucis ſuperſtitionem complectitur ab inſania non abeſſe; verum à ſuo ingenio non diſcedit: nam inducens Damaſippum ſub perſona Stertinij docere ab cūctis ſuperſtitioſos ſupra modum ſtulteſcere, ipſe, quaſi aliud agens, ridet omnia ſacra, cærimonias, diuinum cultum, preces, vota, &c. vt cui nulla erat religio, Ecloga 9. lib. 1. atq. adeò ſub libertini perſona ex obliquo Stoicos ipſos non ſinit intactos, quòd aſſerant deorum immortalium religionem, eos curare mortalia, & animorum immortalitatem contra Epicureos, qui cum Horatio vnà credebant deos ſecurum agere æuum, nec ſi quid miri faciat natura, deos id triſteis ex alto cæli demittere tecto. Ecloga 5. lib. 1: *libertinus erat.* hæc dictio multum negotij moleſtiæque faceſſit omnibus interpretibus, nec adhuc ſatis eſt explorata. Pſeudoporp. Pſeudacróve libertinos hic (neſcio quos) ſacerdotes commentus eſt, ſacrorum compitalium ab Auguſto dictos Auguſtaleis, quos profectò nec vllus alius ex veteribus (quod ſciam) vnquam fuiſſe litteris prodidit: ſed nec id expreſſit Horatius, nō enim ſacerdotem ſed libertinum ait per compita cucurriſſe. Alij multò magis ad rem diſſerunt, inquirentes, quî fieri poſſit libertinum habere dominum & venalem eſſe, cùm libertinus ſerui manumiſſi, hoc eſt, liberti ſit filius (pro eorum ſententia qui inter libertum & libertinum diſcrimen ſtatuunt) Nannius noſter, cuius induſtriam ſemper feci maximi, non minus ingenioſè quàm modeſtè ſcribit hic libertinum dici libertum dediticium, ex eo genere qui per omnem quidem vitam ſerui, in morte verò fiebant liberi. verùm an hi à dominis vendi poterant, arbitror non eſſe compertum. Quare altera Lambini ſentētia mihi commodior apparet, qua per hypotheſin ait hunc locum intelligendum hoc modo, ſi libertinus hic ſuperſtitioſus ſeruus eſſet, & à domino ſuo venum expoſitus, dominum in vendendo fuiſſe mentem excepturum propter inſaniam, ne teneretur emtori redhibitoria. Ceterùm vt noſtrā quoque cōiecturam lector diiudicet, ego ſanè auſim dicere τὸ libertinus, nomen eſſe lautioris alicuius ſerui propriū, vel de Mæcenatis familia, vel alterius Romani potentioris, quem gaudet Horatius ſuo more adunco ſuſpendere naſo, vt fertur, eò fortaſſe quòd Stoicis eſſet addictior. cur autem id ita eſſe credam, faciunt innumera id genus cùm libertinorum tum ſeruorum nomina, puta, liber, libertus, cliens, plebeius (cuius ſuprà iam facta eſt mentio) ingenuus, libertinus, liberalis, Romanus, &c. In tabulis Romanis Martini Smetij, Marco Laurino, viro cùm natalibus tum cognitione antiquitatis nobiliſſimo dicatis, ſed nōdum euulgatis, paſſim obuia, & hinc patronorum, illinc dominorum prænominibus expreſſa. Præterea non parùm me iuuat Dionyſius Halicarnaſſ. lib. quarto Antiquit. vrb. Romæ, memoriæ prodens (vt eum Latinè loqui faciam) Seruium Tullium mandaſſe, vt viciniæ ſacella lignea dedicarent Laribus, & quotannis eis ſacra facerent, conferentibus liba ſingulis domibus, ſacrificiſque compitalia ſacra facientibus, ſeruos miniſtrare voluiſſe, non etiam ingenuos aut libertinos, quaſi hoc gratius eſſet Laribus. Quod feſtum noſtra quoque ætate Romani agitant paucis diebus poſt Saturnalia cum primis celebre & ſumtuoſum compitalium appellatione, duratque mos ille priſcus in ſacris placandi genios per ſeruorum miniſteria, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, vt hac honorifica humanitate manſuetiores redditi dominos cariores habeant & leuius ferant ſuę fortunæ inclementiam. Hactenus Dionyſ. Ex cuius verbis Libertinum hunc Horatij neceſſe eſt ſeruum fuiſſe, miniſtraſſeque vicatim curſitando ſacra facientibus, qui ſacrifici libertini ne fuerint an alterius ſortis homines, Pſeudoporphyrioni, & poſt eum Alexandro Alexandrino ediſſerendum relinquo: eos autem Auguſtaleis non fuiſſe omnino mihi perſuadeo, vt qui multò ante quàm Auguſtus eſſet, à Tullio rege ſint ordinati. Meminit quidem Sueton. Tranquil. Auguſtum compitaleis Lares ornari bis in anno inſtituiſſe, vernis floribus & æſtiuis, ſed ſine vlla aut ſacri aut ſacerdotij mentione, quod non temerè prætermiſſet, ſi de ſuo nomine quid Auguſtus innouaſſet. Quare crediderim hoc commentum Pſeudoporphyr. natum eſſe ex ſacerdotio ſodalium Auguſtalium, de quo ſic ſcribit Cornelius Tacitus lib. 1. annalium: Idem annus nouas cærimonias accepit addito ſodalium

dalium

dalium Auguſtalium ſacerdotio, vt quondam Titus Tatius retinendis Sabinorum ſacris ſodaleis Tatios inſtituerat, ſorte ducti è primoribus ciuitatis vnus & viginti. Tiberius Druſuſque & Claudius & Germanicus adiiciuntur. Hæc Tacitus. Nunc velim lectorem perpendere ſecum, num hi ſacerdotes libertini fuerint: deinde num ſacrifici ſacrorum compitalium, qui à Senatu non Auguſti ſed Tiberij tempore ſunt inſtituti. *qui circum compita.* feſtis compitalibus. *αἱ περιόδιοι* dicta ſacra, quæ non ſtata erant, ſed conceptiua, teſte Macrobio his ferè verbis: Die nono poſt Calendas Ianuarias Quiritibus compitalia erũt. *ſiccus, lautis mane s m c.* ridet Horatius cærimonias, ieiuniũ & manuum ablutionem, Stoicis, & iis qui reuerenter ſacra tractant, commendatiſſimas; adeò vt Heſiod. in operib. & dieb. vetet Ioui ſupplicari, niſi manibus lotis, inquiens, *μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν, οὐ γὰρ τοί γε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.* quos verſus ſic ad verbum ferè vertimus: Nequãdo de mane Ioui nigra vina ſacrato illotis manibus, néve immortalibus vllis, nam minùs aduertunt animum, & tua vota recuſant. *vnum quid, tam magnum addens. vnum.* hanc lectionem habent 4. cod. Bland. Bull. & Diu. ſed Tonſ. Mart. Nan. & Sil. habent, quiddam. verùm in priori magis acquieſco, propterea quòd plenis buccis irrideat opinionem Stoicorum de immortalitate: cui riſui hęc verba ſunt aptiſſima in hanc ſententiam, & addens ieiunio aliiſque cærimoniis vnum quid, id eſt, aliquid, tam magnum (*εἰρωνικῶς*) Nihil enim amentius eſſe opinabantur & magis ridiculum Epicurei, quàm ſentire animam eſſe immortalem. Atque hanc opinionem, *ἀνάφορα τοῦ* vnum, magis efficit ludicram; pertinet enim *τὸ* vnum, ad præcedentis, per *ἐξοχὴν* ridiculam, vt ſenſus ſit, vnum, inquam, nimirum, ô dij me ſurpite morti, hoc eſt, ſubripite morti, nolite me mori, donate me immortalitate. Non autem aſſentior iis qui *τὸ* vnum, iungendum ducũt pronomini me, propter *ἀπόλυτον*, & codicum Bland. interpunctionem *me ſurpite morti.* codex Tonſ. habet morte, in caſu ablatiuo. quæ lectio ſi cui probabitur, is diffiteri non poterit libertinum hic eſſe ſeruum vitę pertæſum, eumq. ob ſenium rogare Deos, vt ſe per mortem liberent à ſeruitute. *diis etenim f.* planè ludit Stoicos, qui credebant Deos curare mortalia, eóſq. vel ad inferos demergere homines, vel immortaleis reddere poſſe: cùm ſimul omnia cum vita & corpore cadere *δογματίζονται οἱ ἐπικούρειοι.* *ſanus vtriſque au.* Synecdochicôs, pro toto corpore. *mentem.* ſtultitiam Stoicam, putà, ſuperſtitionem, qua mens malè affecta erat: venditori namque incumbebat notabilia tam corporis quàm animi vitia declarare emptori, niſi litigioſus, hoc eſt, litis actionis redhibitoriæ ſtudioſus in vendendo mancipio, excipere & pronunciare vellet huiuſcemodi vitia. *hoc vulgus.* ſuperſtitioſorum, contemtum propter Stoicos. *in gente Meneni.* in natione ſtultorum. Gens autem Menenia, aut dicta eſt à Menenio conſule mentis non ſatis integrę, qui voluit videri eſſe ab Agrippa Menenio: cuius meminit Halicarnaſſeus: Aut crediderim notari gentem Stoicam, quę in cultu deorum & ſacris cærimoniis ita ſedula erat & curioſa, vt ab Epicureis pro ſtulta & ſuperſtitioſa riſui haberetur; *μενοινὴς* enim curioſus eſt, *μενοινή*, cura & ſollicitudo, *ἀπὸ τῶν φρενῶν.* Non celabo lectorem me in Tonſ. Sil. & Diu. codicibus inueniſſe Menecei, quam lectionem facio non minimi, propter Meneceum Thebanum, qui propter ſalutem patriæ in perpetuum ſtabiliendam, ſeſe dedit ex oraculo præcipitem, vt ſcribit Apollodorus lib. 3. & Papinius 10. Thebaidos. Itaque ſub gente Menecei vult Horatius Chryſippum ponere, ſeu adnumerare inſanis eos qui ſtatim iudicant & ſacris & oraculis dandam eſſe fidē: quaſi mortalia omnia dependerent ab arbitrio deorum. Equidem hanc lectionem euulgaſſem, ſed volui prius lectorem conſulere. *Iuppiter ingenteis.* alterum ſuperſtitionis argumentum, quod ſuperiori à ſexu & affectu materno erga liberos, aliquantò quidem tolerabilius eſt, at inconſideratius tamen & inſanius: Libertinus ob ſenium delirus precatur deos immortalitatem; aut (vt habet codex Tonſ.) vitę pœnitudine ductus ob incommoda ſeruitutis optat mortē: Mater nimis quàm ſollicita de valetudine pueri ſupplicat & vouet; votique ream ſe facit, quæ poſtea, vel caſu, vel opera medici, puero priſtinæ ſanitati reddito, quaſi damnata voti, puerũ ſtatuit in ripa Tiberis nudum religioſula, febrim reducit ſtultula, & eũ necat penitus inſana. *Iuppiter in.* inuocatio Iouis, bonorũ omniũ, malorumq. (vt credebant Ethnici) auctoris. Quod & Archilochus ait, *τὶς θεοῖς τίθει πάντα,* hoc eſt, diis adſcribe omnia. Et Heſiodus in exordio operum & dier. quantumuis id infitietur Epicurus, teſte Lactantio. *menſes iam q. c.* à diuturnitate morbi difficultas, & deſperatio melioris valetudinis. *frigida ſi puer.* quartana frigida, quòd ferè ab ingenti horrore incipiat affligere corpus, teſte C. Celſo, qui toleratu moleſtior multò eſt, quàm ſubſequẽs eum calor. *ſi puerum.* votum matris per hypotheſin. *quo tu indicis ieiunia.* hoc eſt, quo tuo nomine conſules aut prætores ſacra imperant. poterit etiam pertinere ad decimum Kal. Ianuarias Ioui feriatum. *nudus in Tiberi ſt.* à me ſtatuetur, vt ablutus viuo flumine ad tua ſacra ſacer accedat,

gratias

gratias tibi pro beneficio ſanitatis acturus. *caſus medicúſve leua.* in tribus Bland.& Mart.codice legitur, caſus medicúſque leuarit. nec inuenio eam lectionẽ penitus abſurdam, modò per ἓν διὰ δυοῖν reddas in hunc modum, caſus medicúſque, id eſt, medicus fortunatus, quem caſus aliquis iuuat: nam in quartana inueterata depellenda, plus ſæpe caſus ipſe quàm medici quoduis pharmacum valere poteſt. *ex præcipiti.* ex præpropero, præmaturoque malo, quod ante tempus à natura præfinitum, ante ſenium in mortem puerum præcipitaret. *in gelida f. r.* in defluentibus aquis ipſius Tiberis, ripæ proximis. *febrimq́; reducet* ὕστερον πρότερον, pro reducet febrim per frigus aquæ, puerúmque necabit. *quóne malo m. p.* clauſula ſuperſtitioſæ inſaniæ per ἐρώτημα, *quóne.* de hac particula, ne, qua non ſemel vti gaudet Horatius, ſæpius à me dictum eſt: at hic videtur habere energiam peculiarem, perinde ac ſi dicat, quo quæſo, quo amabo, malo mater concuſſa mentem, ſynecdochicôs, id eſt, habens mentem percuſſam, & furore exagitatam? *timore deorum.* δεισιδαιμονίας. ſuperſtitionis & religionis diſcrimen apertiſſimè declarat Cic. lib. 2. de natura deorum. Nonius autem Marcell. Qui tota die precabantur, inquit, & immolabant, vt ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomen patuit poſteà latius. Qui autem omnia quæ ad cultũ deorum pertinerent, diligenter retractarent, dicti ſunt religioſi ex eligendo: ſed verè ſuperſtitioſi proprietatem ex hoc habent, quòd præ cultura deorum ſuperſedeant cetera, id eſt, negligant. Itidem & religioſi, quaſi religoſi omnium ceterorum ſacrificiis deſeruiãt. hæc Non. *hac mihi Stertini* clauſula propoſiti thematis, vt putà, omneis ſtulteſcere & inſanire: ab auctoritate doctoris Stoici Stertinij, quem Horatius ſub perſona Damaſippi, εἰρωνικῶς, vocat octauum ſapientum. *arma dedit.* metaphoricôs, arma, pro defenſione. *dixerit inſanum qui me.* Explicatio defenſionis à talione: nam qui, quæ vult, dicit, quæ non vult, audiet: εἰ δέ κε κακὸν τ' εἴποις τάχα κ' αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις, hoc eſt, ſi malè cui dicas, ſis plura audire paratus, inquit Heſiodus in oper. & dieb. ita Plaut. Contumeliam ſi dices, audies: vt enim ſalutabis, ita & reſalutaberis. Videto in Chiliad. Qui quæ vult, dicit, &c. *dixerit.* ellipſis coniunctionis cauſalis, quare, aut ſimilis. *Stoice poſt damnum.* hic dialogus inter Horatium & Damaſippum protenditur ad finem vſque Satyrę: inquit Horat. Stoice poſt damnum. Hæc coniunctim legenda ſunt, perinde ac ſi dicat, ſi damnum paſſus non fuiſſes, nunc Stoicus non eſſes. *ſi vendas omnia pluris.* hanc lectionem inueni in duobus codic. Mart. & Diu. Siluius etiam habet, ſi, ſed cum e littera ſupraſcripta. equidem hanc ſecutus ſum. ita vt hæc ſit eius ſententia: ô Damaſippe (inquit Horatius) ſi poſt damnum rerum tuarum ad medium Ianum, nũc factus Stoicus vendis pro mercibus omnia præcepta Stertinij pluris & carius, adeò vt iam ſapiens factus, præceptorumq́ue peritus, de omnibus ſententiam ferre poſſis; dic, quam me ſtultitiam putas inſanire? Alluſio pulcherrima ad diuitias & merceis Stoicas, nimirùm ſapientiam, vnà cum ſuis comitibus, moroſitate, arrogantia, mordacitate, curioſitate, &c. quibus venditando, eáſque quaſi venaleis exponendo, ceteros ineſcare ſtudebant, nam ſe ſolos ſapiẽteis, diuites, liberos, bonos, feliceis, & beatos prædicabant. Qui autem vulgatam lectionem amplexantur (quod ſanè per me ſit omnibus integrum) τὸ ſic aiunt eſſe feliciter ominantis. *Stoice poſt dam.* faceta notatio ſtultitiæ, nam malo accepto ſtultus ſapit (vt fertur) παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω, Heſiodus ἐν ἔργ. καὶ ἡμέρ. ſic etiam, ἐξ ὧν ἔπαθες ἔμαθες, quæ nocent docent. *quam me ſtultitiam.* hæc lectio integra ſeruata eſt in codice Mart. quam non iniuria probat Lambinus, etiamſi ceteri codices omnes ſequantur vulgatam: illa enim ſapit amabilem helleniſmum, μαίνεσθαι μανίαν. ſic Seneca de vita beata, inſanire inſaniam hilarem. *quid.* attentio. *caput abſciſſum.* argumentum à ſimili. *demens.* vetuſtiſſimus cod. Bland. habet, *manibus portauit Agaue.* filia Cadmi ex Hermione. *nati infelicis.* Penthei, qui Agaues & Echionis filius (vt ſcribit Apollodorus lib. 3.) à Cadmo in regno ſubrogatus, Bacchica ſacra à feminis fieri prohibuit, quiq. cùm ſe in Citheronem montem Mimallonidas exploraturus contuliſſet, ab Agaue matre per furorem, eum feram eſſe arbitrata, membratim conciditur. *ædificas, hoc eſt, long. imi.* omnino mihi perſuadeo, dum viueret Horatius, hæc fuiſſe prouerbialia quædam ſchemata, *ædificas, longos imitaris.* pro eo quod eſt, effers te, nimis tibi φίλαυτος es, neque tuo pede te metiris, ſed maiora tuis viribus conaris. hoc autem ſumtum arbitror ab inceſſu faſtuoſorum, ἐπ' ἄκρων ὀνύχων βαδιζόντων, hoc eſt, ſummis ingredientium vnguibus; eóque modo ſe efferentium, quò longiores ceteris appareãt. In verbo autem ædificas, elegans eſt alluſio ad architectum, qui domum ædificat vel ſuperbiorem vel altiorem quàm par eſt: de quo Theocrit. in Thalyſia, ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται ὅστις ἐρευνῇ ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος, hoc eſt, Si mihi magnopere faber eſt inuiſus in altum qui ſtruit adnitens ſuperare iugum Oromedontis. Itaque ædificare, in altum ſtruere, metaphoricôs ad eos pertinet, qui ſe ſtudent aut æquiparare, aut præponere iis quibuſcum nullo modo

ſunt

ſunt cōferendi. quod vitium Damaſippus in Horatio damnat, quē iccirco ait imitari longos, quòd cùm ſit ſtatura corporis puſilla, incedendo ſeſe efferat, vt longus videatur. Non me latet Eraſmum interpretari hoc Horatij, moduli bipedalis, de iis qui potenteis ſumtu conantur æquare: verùm in eo quoque non dubito eum ſententiam expendiſſe ad verbum, *ædificas*, pro eo quod eſt, ſumtuoſas ædeis extruis, ad imitationem Mæcenatis, qui in Eſquiliis tunc temporis ædificare credebatur, (vt habet Pſeudacro) quòd etſi non infitier hunc locum ſic exponi poſſe, tamen ex ſpiritu & inceſſu Turbonis, ex Apologo ranę ſe inflantis, ex poëmatis, quæ confert oleo, facilè licet coniicere hæc ad animi faſtum potius ſpectare: quod & ſubindicant hæc verba pòſt paullò ſuppoſita, nimirum, non dico horrendam rabiem: deinde, cultum maiorem cenſu: poſtremò, mille puellarum. Quod autem, ædificare non ineptè poſſit interpretari propriè, pro eo quod eſt, ſumtui non parcere in ædificando ad imitationem longorum, id eſt, potentium & nobilium virorum, doceri poteſt ex eo Iuuenal. Satyr. 8. Quid prodeſt Pontice longo ſanguine cenſeri? ita vt longi ſint qui longam maiorum ſuorum ſeriem oſtentant: quemadmodum de Męcenate ſcribit Horatius Ecloga 6. lib. 1. *Turbonis in arm.* ait Commentator Turbonem gladiatorem fuiſſe. ego certè crediderim eum fuiſſe homuncionem mentis non ſatis ſanæ, qui vulgò, eò magis erat ridiculus, quòd ſumtis armis, in modum gladiatoris ſeſe gauderet oſtentare publicè, ſuamq. ridiculè prædicare fortitudinem, non minus quàm Therſites ille Homericus. *an quodcumque f. M.* hoc eſt, an in dicto, facto, cultu, &c. te æquum eſt parem eſſe Mæcenati? *tanto diſſimilem.* vetuſtiſſimus cod. Blandin. & Tonſ. habent *tantùm*; ſed vt ſeruemus, tanto, ſic eſt ordinãdum: an æquum eſt te diſſimilem tanto, & minorem, certare tanto, id eſt, cum tanto viro? *μαχεῖν ἢ μάχεσθαι τοσούτῳ*. *abſentis ranæ.* argumentum ab Apologo ranæ ſe boui exæquare nitentis. *pullis.* πῶλος. cuiuſuis animalis fetus. *vituli.* bouis iunioris. *quantáne.* vt ſuprà, quóne malo m. c. *num tantùm ſufflans ſe magna fuiſſet.* ſic habet Blandin. vetuſtiſſ. cum Tonſ. quos ſecutus ſum. ceteri habent, tandem ſufflans: nulli autem, inflans; Diu. & Mart. habent, ſic magna f. ſed arbitror lectorem mecum probaturum lectionem Blandin. & Tonſ. codicum, vt ſit ſenſus, num tantùm, id eſt, tam magna fuiſſet, &c. ſic etiam accipiuntur tantùm & quantũ in 8. Satyr. lib. 1. cùm mihi non tantum furéſque feræque ſ. &c. ſic & in ſequenti verſu, *num tanto*? cùm ſcribendum ſit, *num tantum*, pro tam magna fuiſſet; quamquam hic tanto, tolerari poteſt, propter comparatiuum, maior. *hæc à te non multum abſim.* redditio comparationis, qua iucunde fingit ſe à Damaſippo inſimulari faſtuoſæ dementiæ. *oleum adde camino.* hoc eſt, maioris inſaniæ materiam, inquit Eraſm. Vide adagium, oleum camino addere. Pſeudoporph. corrumpit hoc loco vulgatum adagium, inquiens, oleum in incendium; cùm dicendum ſit, oleo reſtinguis incendium, *ἐλαίῳ πῦρ σβεννύεις*. *quæ ſi quis.* in vulgata hac lectione conſentiunt, vnus cod. Bland. Diu. & Tonſ. ſed tres alij Blandin. & Sil. habent, quę ſi quis ſanus facit, & ſanus facies tu? ſed Mart. quæ ſi quis ſanus fecit, ſanus facias tu. *non dico hor.* præteritio choleræ. *iam deſine.* inquit Horatius *ἀγανάκτησιν* ſimulata. *cultum m. c.* præteritio cultus ſumtuoſi, per *ἀναφορὰν τοῦ* non dico, *λέγω κοινῶς*. *teneas Dam.* tecum habita, inquit Perſ. *mille puellar.* præteritio conclamatæ libidinis. *ô maior tand.* exclamat Horat. cum indignatione, in *πολυπραγμοσύνην* Stoicam: quas merces iam iam ait venditare Damaſippum.

ECLOGA IIII.

CATIVS.

VNDE, *& quò Catius? non eſt mihi tempus, auenti*
Ponere ſigna nouis præceptis: qualia vincunt
Pythagoran, Anytiq́; reum, doctumq́; Platona.
Peccatum fateor, cùm te ſic tempore læuo
Interpellarim: ſed des veniam bonus, oro.
Quòd ſi interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox:
Siue eſt naturæ hoc, ſiue artis, mirus vtroque.
Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem:
Vtpote res tenueis, tenui ſermone peractas.
Ede hominis nomē: ſimul et Romanus, an hoſpes.
Ipſa memor præcepta canam: celabitur auctor.
Longa quibus facies ouis erit, illa memento,
Vt ſucci meliora, & vt magis alba rotundis,
Ponere. namque marem cohibent calloſa vitellū.
Cole ſuburbano qui ſiccis creuit in agris,
Dulcior. irriguo nihil eſt elutius horto.
Si veſpertinus ſubitò te oppreſſerit hoſpes:
Ne gallina malum reſponſet dura palato,
Doctus eris viuam miſto merſare Falerno.
Hoc teneram faciet. pratenſibus optima fungis
Natura eſt; aliis malè creditur. ille ſalubreis

Aeſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore ſolem.
Aufidius forti miſcebat mella Falerno:
Mendoſè: quoniam vacuis committere venis
Nil, niſi lene, decet. leni præcordia mulſo
Proluerìs melius. ſi dura morabitur aluus:
Mitulus, & viles pellent obſtantia conchæ,
Et lapathi breuis herba, ſed albo non ſine Coo.
Lubrica naſcentes implent conchylia lunæ.
Sed non omne mare eſt generoſæ fertile teſtæ.
Murice Baiano melior Lucrina Peloris.
Oſtrea Circæis, Miſeno oriuntur echini.
Pectinibus patulis iactat ſe molle Tarentum.
Nec ſibi cœnarum quiuis temerè arroget artem,
Non prius exacta tenui ratione ſaporum.
Nec ſatis eſt cara piſceis auertere menſa,
Ignarum quibus eſt ius aptius, & quibus aſſis.
Languidus in cubitum iam ſe conuiua reponet.
Vmber, & iligna nutritus glande, rotundas
Curuat aper lanceis carnem vitantis inertem.
Nam Laurēs malus eſt, vluis, et arūdine pinguis.
Vinea ſummittit capreas non ſemper edulcis.
Fecundæ leporis ſapiens ſectabitur armos.
Piſcibus, atque auibus quæ natura, & foret ætas,
Ante meum nulli patuit quæſita palatum.
Sunt, quorum ingenium noua tantùm cruſtu-
la promit.
Nequaquam ſatis in re vna conſumere curam:
Vt ſi quis ſolùm hoc, mala ne ſint vina, laboret,
Quali perfundat piſceis ſecurus oliuo.
Maſſica ſi cælo ſupponas vina ſereno:
Nocturna, ſi quid craſſi eſt, tenuabitur aura:
Et decedet odor neruis inimicus: at illa
Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.
Surrentina vafer qui miſcet fece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ouo:
Quatinus ima petit, voluens aliena vitellus.
Toſtis marcentem ſquillis recreabis, & Afra
Potorem cochlea. nam lactuca innatat acri
Poſt vinū ſtomacho: perna magis, ac magis hillis
Flagitat in morſus refici. quin omnia malit
Quæcumque immundis feruent allata popinis.
Eſt operæ pretium duplicis pernoſcere iuris
Naturam. ſimplex è dulci conſtat oliuo:
Quod pingui miſcere mero, muriaq; decebit:
Non alia, quàm, qua Byzantia putuit orca.
Hoc vbi confuſum ſectis inferbuit herbis,
Corycioq; croco ſparſum ſtetit: inſuper addes
Preſſa Venafranæ quod baca remiſit oliuæ.
Picenis cedunt pomis Tiburtia ſucco.
Nam facie præſtant. Vennucula conuenit ollis.
Rectius Albanam fumo duraueris vuam.
Hanc ego cum malis, ego fecem primus, & alec,
Primus & inuenior piper album cum ſale nigro
Incretum, puris circumpoſuiſſe catillis.
Immane eſt vitium, dare millia terna macello:
Anguſtoq; vagos piſceis vrgere catino.
Magna mouēt ſtomacho faſtidia, ſeu puer vnctis
Tractauit calicem manibus, dum furta ligurrit:
Siue grauis veteri creterræ limus adhæſit.
Vilibus in ſcopis, in mappis, in ſcobe quantus
Conſiſtit ſumtus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma:
Et Tyrias dare circum illota toralia veſteis,
Oblitum, quanto curam, ſumtumq; minorem
Hæc habeant, tanto reprendi iuſtius illis,
Quæ, niſi diuitibus, nequeāt contingere menſis?
Docte Cati per amicitiam, diuóſque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocūque, memēto.
Nam quāuis referas memori mihi pectore cūcta:
Non tamen interpres tantundem iuueris. adde
Vultum, habitumq; hominis: quē tu vidiſſe beatus
Non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
Non mediocris ineſt, fonteis vt adire remotos,
Atque haurire queam vitæ præcepta beatæ.

Commentator.

V N D E, *& quò Catius*? Sub perſona Catij riſurus eſt Poëta Epicureos, vt in proxima Stoicos. fuit autē M. Catius Epicureus, qui quatuor libros ſcripſit de rerum natura, & de ſummo bono; quod cùm Epicurei in voluptate ponerent, hoc eſt in gulæ & corporis libidine, contra Stoicos, qui ſummum bonum dicebant eſſe voluptatem rerum honeſtarum, rogat Catium Horat. vt ſibi dicat cœnæ parandæ & ordinandæ magiſtrum, eiusque præcepta. *vnde, & quò Catius*? Horatius interrogat Catium. *vnde.* is, & quò is? *non eſt mihi tem.* reſpondet Catius. *tempus.* reſpondendi. *auenti.* cupienti. *ponere ſigna.* ſcribere, annotare, conſignare

litteris

litteris noua præcepta. *nouis*. miris, recentibus, magnis. *Pythagoram*. Pythagoras Samius tyrannos ſuæ patriæ fugiens, apud Crotonem phyſicam Philoſophiam docuit, ſuadens inter cetera propter μετεμψύχωσιν, ab animalibus abſtinendum, vetuitque per ea iurandum in hunc modum, μὰ τὸν κύνα, μὰ τὸν χῆνα: quòd diceret Deum omnibus animalibus permixtum. Et cùm multos iuuenes haberet auditores ſibique fauenteis, ne ab his ciuitas occuparetur, à principibus occiſus eſt. *Anytiq; reum*. Socratem. Nam Anytus & Melitus accuſauerunt Socratem per inuidiam, quòd iuuenes corrũperet, quòd nouos deos colere doceret, quòd maiorum religionem non ſeruaret: quare cõdemnatus eſt, & in carcere hauſto veneno mortuus. *peccatum fateor*. ait Horatius. *tempore læuo*. ſiniſtro, inopportuno. *interpellarim*. allocutus ſim. *bonus*. propitius. *interciderit*. exciderit interpellatione mea, & in obliuionem venerit. *repetes mox*. facilè recordaberis & reuocabis in memoriam. *ſiue eſt natura*. optima es memoria & naturali & artificiali; εἰρωνεία. *quin*. aduerbium affirmandi. *id erat cura*. hoc ego agebam & meditabar apud me ea quæ audiueram à magiſtro meo. *tenuis*. ſubtileis, quæ difficulter memoria tenentur. *peractas*. explicatas. *ede hominis*. nomina magiſtrum tuum, inquit Horatius. *ſimul*. ede. *ipſe memor p.c.* inquit Catius, memorabo præcepta magiſtri mei, ſed nomen tacebo: Sciebat enim Epicurum multis eſſe odio, tamquam voluptatis auctorem. *longa quibus f.o.er*. bene ab ouis incepit, id eſt, ab initio cœnæ; vt alibi, ab ouo vſque ad mala citaret, iô Bacche. *vt ſucci melior*. quia longiora oua & meliora ſunt, & candidiora quàm rotunda. *ponere*. apponere. *marem*. magnum. *namque*. hoc eſt, ideo longa ſunt melioris ſucci, quoniam continent marem vitellum, hoc eſt, gallum. *cohibent*. conſtringunt, in ſe habent. *calloſa*. dura, fortia. *vitellum*. vitellus eſt oui pars media. *cole ſuburbano*. id eſt, caule: vt clode, pro claude; ſorices, pro ſaurices; coda, pro cauda. Caulis, inquit, dulcior eſt, qui naſcitur in aridioribus locis: Suburbana autẽ loca riuis abundãt. *elutius*. inſipidius, diſſolutius, liquidius, aquatius, minus ſapidum & fatui ſaporis; ab eluo eluis. *ſi veſpertinus*. aliud præceptum. Si veſperi hoſpes ſubitò te oppreſſerit, id eſt, inexpectatus venerit. *reſponſet*. deſipiat, reſiſtat, & aduerſetur palato. *doctus eris*. noſſe debes. *malum*. malè. *miſto*. cum aqua. *hoc teneram*. hæc res. *pratenſibus*. in pratis creſcentibus: dulciores enim ſunt & innocui. *aliis*. quia noxij, periculoſi, & ſæpè mortiferi. *non bene creditur*. metaphoricôs: vt, non bene ripæ creditur. *antè grauem qua l.* ante æſtum ſolis vehementem, manè. *Aufidius fort. m.m.F.* Aufidius conditum de Falerno vino faciebat, ſed ſtultè, quia auſterũ eſt, & non debebat niſi mollis vini conditum ieiunus guſtare. *mendosè*. imperitè, malè, non rectè, ſtultè. *vacuis*. ieiunis. *nil niſi lene d.* quicquid ante cibum bibitur aut ſumitur, debet eſſe lene, propter ventris conſtipationem. *mulſo*. mulſum eſt commiſtio aquæ puræ & mellis incocti: quod & μελίκρατον dicitur. *prolueris*. perfuderis, irrigaueris. vt Virg. pleno ſe proluit auro. *ſi dura morabitur al.* ſi venter ſuum officium non faciet. *mitulus & viles*. piſciculus ex genere concharum nigratum: enumerat cibos parabileis. *viles*. non magni pretij. *obſtantia*. ventri: quæ claudunt meatus ventris. *Lapathi breuis h.* parua, non excreſcens in altum. *non ſine Coo*. vinum Coum à Co inſula. *lubrica*. lenia, quæ deducunt & ſoluunt ventrem. *conchylia*. quæ implentur luna creſcente. *generoſa f.t.* conchylium generoſum non vbique naſcitur. *murice Baiano*. qui apud Baias naſcitur. *Lucrina Peloris*. quæ in Lucrino ſinu naſcitur, vbi meliores murices capiuntur, quàm in Baiano littore. Lucrinus autem ſinus oppoſitus eſt Peloro Siciliæ promontorio. vnde fortaſſis dicta eſt Peloris muricis genus: eſt autem murex genus piſcis, vt Lucilius, Muréxq. marin⁹. *oſtrea*. in genere neutro. *Circeis*. Circæum mare à promontorio dicitur, vbi Circe filia Solis habitauit, non procul à Caieta. *Miſeno*. mare Miſenum à Miſeno Aeneæ nauclero, qui ibi periit ſubmerſus. *pectinibus patulis*. pectines plani ſunt piſces ex genere concharum. *patulis*. repandulis, os aperientibus: ad naturam reſpexit: patulum enim dicitur, quod natura patet. vt Virg. patulæ recubans ſub tegmine fagi. Patens verò, quod & aperitur & clauditur. *molle Tarentum*. molle, aut delicatum, aut quia mollior eſt ibi aër, aut à molli purpura, quæ ibi tingitur & in vſu eſt. Eſt autem Tarentum oppidum in Apulia, quod Tares filius Neptuni ibi ſtruxiſſe dicitur. *nec ſibi cœnarum*. nemo debet arroganter dicere ſe noſſe apparare cœnas; eſt enim magni artificij componere & ordinare cœnæ fercula: elegans ironia. *exacta*. perfectè cognita, conſiderata, explorata. *tenui ratione*. quæ difficulter percipitur. *nec ſatis eſt*. piſcatoria menſa, quæ pro Roſtris ponebatur, vbi piſces pretioſi vendebantur, & nonnumquam pendebantur. *auerrere menſa*. emere & auferre. ſenſus eſt, non ſufficit caro pretio piſceis emere, eoſque à menſa vẽditoris domum ferre, niſi prius didiceris, quod ius, quibus piſcibus ſit aptius ad prouocandum palatum conuiuæ languidi, id eſt, faſtidioſi, & defatigati nimio luxu. *languidus*. ſatiatus edendo & bibendo. *iam*. iam languidus. *reponet ſe*. ſuauitate condimenti ad edendum reuocabitur. ita & alibi, Et cubito remanere preſſo.

Vmber & iligna. à loco, de Vmbria ſcilicet. *iligna.* deriuatiuum ab ilice. Aper autem nutritus iligna glande ſolidam carnem habet & dulcem. *curuat.* ſuo pondere. *inertem.* pinguem *Laurens.* à loco. à Laurento Latij oppido. *malus eſt.* noxius. *vluis.* vlua eſt herba paluſtris. ſic Maro: Paſtus ſiliquis & arundine longa. *vinea ſummittit capreas.* ſilueſtreis. Capreæ quæ in vinetis aluntur, non ſemper ſunt edules, id eſt, aptæ vt edantur. Eſt autem ἀμφιβολία: aut enim non ſemper ſubmittit, aut non ſemper edules. *fecundi leporis.* quia dicuntur lepores ſemper eſſe prægnantes. *ſapiens.* ſapiens hic à ſapore, non à ſapientia dictus eſt. *armos.* ſumen, pro lumbis. *atas.* modus. *patuit.* nota fuit. hoc eſt, nemo ante me de ſapore quicquam nouit. *ſunt quorum ingen.* ſunt qui in inueniendis cruſtulis tantùm ſunt ingenioſi, ſed ideóne ſatis idonei ſunt apparatores & conſtructores conuiuiorum quia hoc norunt? Irridet eum quòd de opere piſtorio in ſuo libro ſcribit de ſe ipſo, hæc primus inuenit & cognouit Catius Miltiades. *noua tant. cruſ.* tenues placentulas, opus dulciarium. *promittit.* adinuenit & approbat. *nequaquam ſatis.* ſupp. eſt. *laboret.* curet. *ſecurus.* ignarus, vel negligens, non curans, ſine cura. *Maſſica ſuppones.* quæ cras es poturus. *ſi quid craſſi.* immaturi & odoris aſperi; quia ſi aſperum fuerit, eius odor neruis eſt inimicus. *lino vitiata.* per ſaccum lineum colata. *Surrentina vafer.* docet quomodo vina per commixtionem turbida reddãtur pura & liquida. Surrentina autem debilia ſunt; Falerna, acria & robuſta: itaque ex fece Falerni Surrentina fiunt gratiora & mollia. *limum.* fecem. *quatinus.* quoniam. *ima petit.* quia vitellus, qui eſt aliquantuli ponderis, petens fundum, voluit ſecum aliena, id eſt, deducit ſordeis & fecem. *toſtis marcẽtem.* præceptum pro potoribus. *toſtis.* frictis aut aſſis. *marcentem.* languidum, grauatum vino, & ideò cibos faſtidiẽtem. *ſquillis* ſquillæ piſces ſunt, quas Græci καρίδας nominant, aut καμμάρους. *recreabis.* refocillabis ad potandum. *potorem.* ebrioſum. *nam lactuca in. a.* confutat illorum opinionem, qui putabant lactucam ſtomacho eſſe vtilem poſt vini largam potationem. Quin etiam apparet apud veteres vltimis menſis lactucam dari ſolitam. *innatat.* ſupernatat, non ſubſidet, & per hoc lædit ſtomachum, acremque reddit. *poſt vinum.* largius ſumtum. *perna magis.* ſenſus eſt, ſiue lactuca vtilis eſt ſtomacho poſt potationem, ſiue noxia, tamen perna ac hilla magis recreant. *hillis.* hilla eſt deminutiuum à poſitiuo hira; & ſignificat inteſtinum ſalſum, vel (vt alij dicunt) fartum ſalſitium. Alij dicunt hillum in neutro genere ab hilo, id eſt, paruo ſeu minimo. *duplicis per iu.* id eſt, iuſculi, ſiue iuſcelli. *pingui mero.* mulſo. *miſcere.* temperare oportet. Item *muria.* aqua ſalſa, pro liquamine, ſeu garo: eſt autem muria vocabulum Syriacum. *non alia.* muria. *Byzantia* Conſtantinopolitana. *orca.* olla Græca, ζύζα, ſeu vaſis genus ore anguſto in formam κωμ-ηλίν. *hoc vbi confuſum.* dulce oleum mixtum cum mero & muria. *herbis.* oleribus. *Corycioq́.* à loco. Eſt enim Corycius mons in Cilicia. *croco.* hic crocus, & hoc crocum legitur. *ſparſum.* fuſum, conſperſum. *ſtetit.* ceſſauerit agitari, feruere *preſſa Venafrana.* addes oleum Venafranum. à loco, ex Venafro Campaniæ allatum. oleum, oliuum, liquor eſt; olea, oliua, arbor; bacca, fructus arboris. *Picenis.* ab oppido. *Tiburtia.* ab oppido Tibure. *ſucco.* ſapore. *facie.* ſpecie, pulchritudine præſtãt Picena. *Vennucula.* vua Venuſina. à loco. *ollis.* in quib. ſeruantur eius botryones. *duraueris.* ſeruaueris. *hanc ego.* vuam Albanã. *incretum.* permixtũ. *circumpoſuiſſe ea.* in catinis in circuitu menſæ poſuiſſe. *catillus.* deminutiuum à catino. *puris.* mundis & terſis, aut nihil aliud habentibus. *macello.* emere res magni pretij. *anguſtoq́.* breui. *vagos piſceis.* ἐπίθετον naturale, piſcibus enim naturale eſt latè vagari. *ligurrit.* leuiter comedit. Terent. Itidem patria qui obligurrierat bona. *grauis limus.* multum cœnum, multæ ſordes. *veteri creterra.* antiquo vaſi. *vilibus.* parui pretij. *ſcopis.* habendis. *mappis.* lauandis. *ſcobe.* hic ſcobis, & hæc ſcobes, dicitur raſura ſerrarum; Græcè πρίσμα: Theotiſca lingua. vrpora ſed hic pro omni purgamento domus ponitur. Sunt qui velint hic eſſe ferrum, quo raduntur ſordes à pauimento, à tabulis marmoreis, ab ipſis ſedibus. *quantus.* quàm paruus. *neglectis.* ſenſus eſt, quantò in his magis exiguus eſt ſumtus, tantò facilior offenſa culpandi ſi negligantur. *ten'.* ſupp. oportet. *lapides varios.* aut menſam marmoream diuerſi coloris, aut (quod ferè omnes volunt) pauimentum vermiculatum. *palma.* pro ſcopis ex palma confectis. *radere.* verrere. *& Tyrias.* ordo eſt, an decet te dare Tyrias veſteis, id eſt pretioſos tapetes aut mappas circum toralia inluta, id eſt, ſordida? namque olim in toris iacentes epulabantur. Toralia autem à toris, hoc eſt, herbis tortis dicta ſunt, ſuper quas olim diſcumbebant cœnaturi. *hac habeant.* munda toralia & mundæ menſæ. *qua niſi diui.* ſenſus eſt, iuſtiùs reprehenderis, ſi non habueris domi omnia munda quæ minoris conſtant, quàm ſi defuerint tibi pretioſi piſces, & optima vina, quæ non ſolent habere niſi menſæ diuitum. *docte Cati.* iocatur Poëta in eum Epicureum, qui hæc omnia conuiuiorum præcepta digeſſerat, ad quem ſe à Catio deduci flagitat. *ducere.* deducere. *auditum.* ad audiendum. *interpres.* tu ſcilicet. *vultum habitumq́.*

pro-

pronunciationem & geſtum. *quia contigit.* quia conceſſum tibi fuerit eum videre & audire docentem. *at mihi cura.* quia deſideramus ſcire quæ ignoramus, & iam nota non magni facimus æſtimamusque. *fonteis remot.* ipſum præceptorem. *vitæ præcepta bea.* εἰρωνικῶς.

CRVQVIVS.

QVEMADMODVM in præcedente Satyra ſub Damaſippi perſona Stoicam πολυπραγμοσύνην eſt acriter inſectatus, ita hic ſub perſona Catij cuiuſdam plenis buccis irridet Epicureorum μικρολογίαν φυσικὴν ἐν ὀψοποιΐᾳ: nam cùm eſſent indocti nec non ſordidi, non verebantur ſe doctiſſimis quibuſque, atque adeò primæ notæ philoſophis cùm in cognitione rerum, tùm in artificio culinario anteponere, perinde ac ſi in ſumtu magnifico luxuque ipſi præ ceteris eſſent dapſiles, cùm tamen nihil præter tenuia, parabilia atque omnibus pænè obuia in his præceptis deſcribat, paret, miſceat, coquat & condiat, in quibus quantum à vera ratione, vſuque communi diſſentiat, vel mediocriter in rerum naturis, obſonādiq. arte verſatus facilè intelligat, Horatium eam ſectam ita facere ridiculam, vt etiam cum ratione doceat inſanire. De imperita illorum hominum arrogantia hic agit præcipuè: ſordeis autem declarat ex profeſſo Satyra vltima ſub perſona Naſidieni. Errant itaque tota via, qui credunt hæc præcepta Catij culinaria ab Horatio ſeriò tradita, cùm nihil quàm illudat ſtultam planeque inſulſam Epicureorum ſapientiam. *vnde, & quò Catius.* ἐρώτημα προσαγορευτικόν. quo ſalutationis genere non rarò vtimur, quando in eum incidimus qui eſt occupatior, quàm vt pluribus detineri poſſit. An autem hic ſit Catius ille Inſuber, cuius eſt mentio apud Cic. lib. 15. Epiſtola vna & altera, de quo ad Caſſium ita ſcribit, Catius Inſuber Epicureus, qui nuper mortuus eſt, &c. iudicent docti: mihi certè non apparet, nam in ſcriptis annotationibus inuenio eum dici Miltiadem: ſed ea res minoris eſt momenti, quàm vt in ea inquirenda velim quemquam bonas horas malè perdere. *non eſt mihi tempus.* viua διατύπωσις hominis occupati. *auenti ponere ſigna.* αἰτιολογία ab occupatione philoſophica. *auenti* cupienti, meditanti; aliâs auere etiam gaudere eſt, teſte Feſto. *ponere ſigna no. præ.* fingit Horatius ab Epicureo philoſopho didiciſſe Catium præcepta quædam noua de re culinaria, & in iis diſponendis, eorumque rationibus & cauſſis cùm propriis tum aduenticiis deſcribendis ita præpeditum, vt ſe minimè patiatur interturbari: qua in re ludit hominis ambitionem planè ſtupidam cum ſordibus coniunctam, vt in argumento dictum eſt. *ponere ſigna.* ponere ſigna nouis præceptis, eſt apponere ſiue adſcribere cauſas, rationes & argumenta ad perſuaſionem. Non me clam eſt, Cōmentatorem & alios viros doctiſſimos aliter interpretari hæc verba, nimirum vt ponere ſigna nouis præceptis, ſit noua præcepta litteris mādare: ſunt enim nomina rerum ſigna ſeu notæ, auctore Ariſtotele περὶ ἑρμηνείας. verùm quòd ab iis diſſentiam, in cauſa eſt narratio & expoſitio præceptorum Catij, quæ ferè ſingula ſuas habent adiectas rationes. *nouis præcep.* videtur hoc εἰρωνικῶς dictum; nam vt ea quæ hic parari præcipit, non erant prorſus incognita, ita nec noua hæc præcepta iudicanda ſunt, niſi fortaſſis eorum ratione quæ à Pythagora, Socrate & Platone multo antè tempore de cibi & potus honeſto vſu tradita fuerant. *qualia vincant.* qualia ſigna & argumenta commentariaque vincere & ſuperare poſſint ea quæ in rerum natura inuenta, deſcripta & ſuis rationibus comprobata ſunt à Pythagora, Socrate, & Platone ſummis philoſophis. Hic vide, ſub perſona Catij, inani ſcientiæ perſuaſione intumeſcenteis Epicureos. In tribus cod. Bland. Tonſ. Diu. Mart. habetur, vincunt, iuxta vulgatam lectionem. In antiquiſſimo Bland. vincent. in Siluij codice, vincant. quod poſtremum mihi in primis placet: at vulgatum tamen, vincunt, tam propter plurium ſcriptorum codicum conſenſum, quàm arrogantiam Catij, arbitror non habendum in poſtremis. *Anytiq. reum.* Periphraſis Socratis ab accuſatore Anyto. vide Comment. *doctumq. Platona.* ſcribit Tzetzes lib. 10. artem condiendi opſonia exercuiſſe Platonem *peccatum fateor.* ἐξομολόγησις importunitatis cum deprecatione. *ſiue eſt natura hoc.* Ironica commendatio Catij, partim à natura, hoc eſt, naturali rerum cauſarumque cognitione; partim ab arte, hoc eſt artificio culinario, præceptionibusque opſonandi. Commentator & alij hæc pertinere volunt ad memoriæ vireis & artem; verū mihi magis arridet hæc expoſitio, ita vt τὸ hoc, demonſtret τὸ aliquid, quod vel ad cauſas naturaleis, vel ad popinariā ſpectat. D. Arnoldus Woulardus hoc modo adnotauit: Quæ interciderunt, iterū ad memoriā reuocare, partim eſt naturę, partim artis; tu in vtroque plurimum vales. Hic notandum eſt ex præceptionibus Grammaticis τὸ ſiue, in orationis exordio poſitum præter aliarum copularum naturam, treis minimum ſenſus poſtulare, vt, ſiue amat, ſiue odit mulier, inconſtans eſt: ita hoc quoque loco, ſiue hoc, quod in memoriam reuocabis, ſit aliquid, quod ex cauſis naturalibus pendet, ſiue deliciarum noua præcepta ſpectat, tu in vtroque es admirandus. *quin.* certè,

profectò, affirmandi aduerbium φιλαύτῳ Catio mirè ſubſeruiens. *id erat cura.* ἐπιμελὲς μοι ἦν, μέμηλε μοι τοῦτ᾽: ad Græcam phraſim, hoc ego mecum cogitabam, hoc mihi erat curę, erat cordi, &c. *vtpote res tenueis.* εἰρωνεία: hæc enim præcepta de rebus parabilibus, habet Catius pro rebus tenuibus, hoc eſt, magni momenti & luxus; quas tenui quoque ſermone, λεπτῷ λόγῳ, λεπτῇ φροντίδι, ſubtili ratione & magna cura ait diſputatas ab aliquo doctore. Qua in re vel cæcus videat Horatium impendio ridere nimias in rebus paruis argutias Catij, quæ λεπτολογία dicta eſt. *longa quibus facies o. e.* hic aduertito initium τοῦ λεπτολογεῖν: Argutatur namque Catius longa oua rotundis eſſe præferenda, quaſi melioris ſucci: quod ſanè dictum ita argutè ſua ratione munitum eſt, vt vulgò creditum ſit ab Horatio ſeriò pronũciatum, adeò vt videri quoque poſſit dediſſe non minimam occaſionem viris doctiſſimis, Columellæ & Plinio, aliíſque non paucis idem aſtruendi: Columella namq. lib. 8. cap. 5. ſcribit: Cùm volet quis quàm plurimos mareis excludi, longiſſima quæque & acutiſſima oua ſubiiciet: & rurſus, cùm feminam, quàm rotundiſſima. Habet & Plinius libro 10. cap. 52. Quæ oblonga ſunt oua, gratioris ſaporis putat Horatius Flaccus; feminam edunt, quæ rotundiora gignuntur; reliqua marem. At Ariſtoteles libro ſexto de hiſtoria animalium, planè diuerſum ab his ſcribens, ait, ἔϛι δὲ τὰ μὲν μακρὰ καὶ ὀξέα τῶν ᾠῶν θήλεα, τὰ δὲ στρογγύλα, καὶ περιφέρειαν ἔχοντα κατὰ τὸ ὀξὺ, ἄῤῥενα: hoc eſt, oua quidem lõga & acuta, ſunt feminina, ſeu femellas excludunt: at rotunda, & in orbem pro acutie deſinentia, maſcula. Hanc Ariſtot. ſententiam multis argumentis aſſerit Auerrois, quam nec Beroaldus in Plinium, reprobat. ſed ſunt etiam qui & Plinio, & Columellæ non ſegniter aſtipulantur: verùm quicquid id eſt, nobis indubitatum eſt Horatium in hoc dicto Catij, quod omnino coniectaneum eſt, & ſubſequentibus præceptis, nihil quàm Catio cum ſuis Epicureis os ſublinere, non etiam id ſcribere quod reuera ſentit. Quod autem ad auctoritatem attinet, non video cur Ariſtoteli, quod ad rem ruſticam attinet, Columella (vt Plinium omittam) aut contrà, alter alteri cedere debeat: nam certiſſima experientia poſteriorum ornithotrophorum, ſeu auiariorum, docet neutrum rectè dixiſſe, ſed promiſcuè, nunc hęc, nunc illa oua, marem & feminam edere, idque, vt arbitror, pro virtute ſeminis. Itaque præceptum Catij (vt mihi quidem videtur) exponi debet ex Columellæ Pliniíque ſententia potius quàm Ariſtotelis, ita vt calloſa ſint oblonga, cohibeántque vitellum marem ſeu maſculum. *vt ſucci melioris.* id eſt, gratioris ſaporis, vt ait Plin. *vt magis alba.* candidiora. quis hic non aſſerat Horatium μυκτηρίζειν phyſica ſigna Catij? nam ſi oua longa ſint gratioris ſaporis, quis ea neget liquidiora, dulcioraque, & palatum iucundius afficere, & corpus humectare vtilius? Quod ſi ita ſit, quis non affirmet ea feminam potius cohibere quàm marem, cùm maſcula omnia calidiora, minuſque humida, magis aſtringant, minuſque ſapiant? Deinde ob eaſdem cauſas hinc calidioris, illinc humidioris naturæ, quis dicat oua maſcula candidiora eſſe femineis? an non doctiores Phyſici cenſent affectionem internam ferè deprehendi ex ſignis corporis exterioribus? *ponere.* apponere menſæ, vt 2. Satyr. vix tamen eripiam poſito pauone, &c. Iuuenal. Quæ ſibi totos ponit apros. *namque marem.* mas vitellus eſt maſculus, ſeu vnde maſculus naſcitur: eſt enim τὸ mas, hoc loco, vnum ex iis nominibus quæ ambigua dicta inter appellatiua & adiectiua mediam naturam habent, vt τὸ rex, in illo Virgil. hinc populum latè regem belloq. ſuperbum, &c. *cohibent.* in ſe continent. *calloſa.* vocabulum Catianum. Calloſa, inquit Lambinus, veluti callo obducta, id eſt, dura. equidem calloſa interpretor plena callo, hoc eſt, albumine, eò quòd oua longa calore concreta, plenius habeant firmiuſque albumen rotundis. Quod autem callum interpreter albumen oui, facit Lucretius lib. 4. inquiens: Propterea q. ferè res omnes aut corio ſunt, aut etiam conchis, aut callo, aut cortice tectæ, &c. Sic & callũ aprugnum interpretãtur laridum apri apud Plin. libro octauo, cap. 51. nec non fungi callum. Ad eum etiam modum ait Plin. lib. 15. cap. 28. Carne palmæ placent, ſucco vuæ & caryotæ, callo pyra & mala, corpore melimela, mora cartilagine, nuclei grano, &c. Sed quid ſi callum, oui teſticulam nominemus? non raró enim experimur aliam alia duriorem. *cole ſuburbano.* ſic habent 4. codices, Bland. Buſl. Tonſ. at Diu. & Mart. habent, caule, cum vulgari lectione. Hoc autem venit à Græco καυλὸς; quod propriè ſtipitem notat, ſeu ſcapum thyrſumve, vt καυλὸς τῆς κράμβης, caulis braſſicæ; at μετωνυμικῶς pro ipſa braſſica ponitur, quòd ea inter herbacea apud antiquos (auctore Catone) principatum obtineret. Senſus autem eſt, colis, ſeu caulis, id eſt, braſſica agreſtis, dulcior eſt hortenſi. *irriguo nihil eſt e. h.* horto, per metonymiam, pro caule hortenſi multis aquis irrigato. Hæc autem ſi ratio phyſica vera eſt, eos toto cælo errare neceſſe eſt, qui de re hortẽſi magna cura nec minori eruditione ſcripſerunt: omnes enim aiunt vno conſenſu caulem braſſicam gaudere ſolo humido & minus aprico: in primis Columella lib. 11. cap. 3. frigidis, inquit, & pluuiis regionibus

gionibus poſitio eius eſt optima. Poſt hunc autem Palladius in Februario, titulo 24. Caules, ait, ſolum pingue & ſatis ſubactum diligunt, argillam & glaream timent, ſabulone & arenis non delectantur, niſi perennis vnda ſuccurrat. Idem rurſum in Iunio tit. 4. Hoc menſe, inquit, circa ſolſtitium, braſſicam ſeremus, cum inchoante transferemus Auguſto vel irriguo; vel pluuia initiante madefacto, &c. Quare cùm ſuccus eius ſit nitroſus ſalſuſque & abſtergens, ſi in agrum ſiccum & valde apricum transferatur, omnino opus eſt eam degenerare & amariorem fieri. At fortaſſe volet aliquis halmyrin denotari, quam τῇ ἡδονῇ, φησὶν Ἀθήναιος β. θ, πρώτην κεκρίσθ. hoc eſt, ganeæ & voluptati natam, inter ſua genera ſibi primatum vindicare. Equidem hoc mihi minimè perſuaſerim: nam halmyris ſiue marina, lurconibus quidem nimio luxu faſtidioſis, ſua ſalſugine & acore crapulam quidem corrigere, ſed palato iam penitus infatuato, reuera dulcis eſſe nequit, vt quæ natura guſtu ſit acris, ſalſa & amara; vt omittam hic de agreſti, non etiam marina aut ſilueſtri præceptum dari à Catio. relinquitur itaque de braſſica capitata, Lacuturri, braſſica Aricina, ſimilique potius agere Catium, quæ delectatur irriguo loco, qualis eſt conuallis Aricina, vnde Lacuturris allata Romam eſt, vt ſcribit Plin. Quin etiam hiberna quàm æſtiua braſſica melior eſt, quòd frigore & humore hiberno facultas eius temperetur, lotium ciet, lumbricos tollit, &, quæ ex vino fit, crapulam diſcutit (vt ſcribit Ariſtoteles in problematis) ante omnem alium cibum præſumta, ebrietatem arcet, &c. Qua de cauſa, vt finem faciamus, vel ruſtici olitores dixerint Horatium nihil aliud quàm pro ludo habere Catium; norunt enim illi vſu & induſtria, braſſicam præſertim capitatam, ſiue caulem album, ſi ex humido ſolo transponatur in agrum ſiccum, multum natiuæ facultatis virtutiſque deperdere. Non immeritò certè quis dixerit in hoc præcepto Catium inuidiam facere velle Pythagoræ in eius braſſicæ deſcriptione & laude, à quo dicta eſt Pythagorea, vt ſcribit M. Cato. *doctus eris viuam m. m. F.* vel irridet Horatius nouum hoc Catij commentum, qui, vt vino ſuo parcat, gallinam præcipit immerſandam miſto Falerno, contra nobilioreis ὀψοποιοὺς, qui volunt merum vinum ei rei in primis eſſe præſentaneum, carnemque efficere molliculam: vel manifeſtat inſignem eius imperitiam, qui in nouo (vt ait) præcepto ſe non videt ſentire cum vulgo. Verùm enimuero non ſolùm (vt vulgus opinatur) vinum, non aqua ſola teneritatis alicuius cauſa eſt, ſed ſuffocatio, ſpirituumque vitalium intus violenta concluſio, quæ vis calore ſanguinis per corpus diſperſo, carnem quodammodo maceratam tenereſcere facit. Alij autem coqui, vbi feſtinato opus eſt, non aquæ aut vini ſolliciti, per cerebrum acu immiſſo mactant aueis: Alij per roſtrum infuſa aqua aceto miſta, poſt paullò iugulant: Alij ſemiputato iugulo ſinunt alitem curſu, volatu, ſaltu, alarum concuſſu motuque, dum mortuus concidat, delaſſari; & hanc aſſerunt indubitatam rationem tenerioris carnis, delicatioriſque. Nec ab hac profectò multum diſſidebat opinio ganeonum olim in lupo Tiberino, apud quos (auctore Horatio Ecloga 2. huius lib.) nullo loco lupus erat, præter eum qui inter ponteis captus apponebatur: eum enim rapidiore vnda ſurſum deorſumque iactatum agitatumque molliorem probabant: contrà, duriorem languidiore aqua, ſecundóque flumine delatum reiectabant. Quin & ferina (vt aucupio piſcationique venationem aſſociemus) molliſſima eſt tenerrimaque, ea quæ citato, multoque & irrequieto curſu exercita, captaque, aut opere piſtorio cruſtis integitur, aut ad luculentum inaſſatur focum: nam φυσικῶς, per ſudorem multum, eumque continuum, tenacioribus, ſuperfluiſque humoribus eiectis, ſanguineque meliore, calidioreque per corpus diffuſo, neceſſe eſt carnem velut excoctam molleſcere. Ceterùm gallinaceæ carnes (ſi primæ notæ philoſophis fides danda eſt) nobiliſſimæ exiſtunt, ſunt enim boni ſucci, facillimæque concoctionis, nec non omnibus naturis, temperamentiſque peridoneæ: quo nomine certum eſt eas præcipui eſſe alimenti, & elixas & aſſatas, ſed has quidem cœnæ, brumalibus præcipuè diebus, accipiunt; illas verò prandia ſalubrius. *pratenſibus optima fungis n. e.* quis paullò naſutior non deprehendat, Horatium in hoc præcepto notare Catium vel quouis fungo inſipidiorem, qui pratenſibus fungis primas tribuat; cùm vel propriis digitis nemini non ſit magis notum, prata & decliuia quæque ſuo lentore craſſo, & vligine putri fœtidaque nihil exuberare præter ſubnigros, aſpectu triſteis, malè olidos, & ad leuiſſimum quemque contactum fragillimos: Quam ob rem demirari ſatis nequeo ex iis qui hac de re ex inſtituto ſcripſerunt, hunc riſum animaduertiſſe neminem præter vnum Ruelliū, qui viſus eſt hic nonnihil ſubdubitare, inquiens lib. de ſtirpibus 3. cap. 114. Galli fungos campiniones nominant, quòd in campis tepido imbre proueniāt: præferunt è mōtibus inter iuniperos, & in locis apricis enatos; quāquam ſcribit Horatius, pratenſibus optima fungis natura, aliis malè creditur, &c. hæc ille: qui ſubodoratur quidem aliquid, ſed minus accuratè rem attingit. verùm hoc

ei com-

ei commune eſt cum omnibus pænè viris doctis, apud quos auctoritas Horatij, propter omnigenã & præcellentem eruditionem, tanta eſt, vt malint ea, quæ per occupationes minùs aduertunt eſſe ludicra, ſeriò interpretari, quàm videri ab eo diſſentire. Hinc Robertus Conſtantinus vir doctus in Lexico ſuo ait, quoſdam hos Catij fungos putare Amanitas, ab Amano monte (vt arbitror) dictos, quorum meminit Galenus tribuens eis in vtilitate, alterum poſt boletos locum. Paulus Aegineta lib. 1. οἱ δ᾽ ἀμανῖται, δευτέρας εἰσὶ τάξεως. Atqui neſcio an apud Amanitarum fungorum ſcriptores legi potius debeat, ἀμμωνῖται, id eſt, arenoſi & litorales, ab exundante nonnumquam maris alluuione: quandoquidem campeſtribus & montoſis facilè quiuis locum primum conceſſerit. Porrò (vt ad inſtitutum redeamus) pro comperto eſt apud omneis, fungos ex humido enaſci frigidóque; ſed eduleis & innoxios, (modò aliqui ſint tales) ex tenui magis & aëria, quàm terreſtri pituitoſaq. materia, quæque miſtam habet qualitatem putredinoſam, auctore Galeno lib. 7. de Facult. ſimpl. medic. cuiuſcemodi ſunt pratenſes, noxij, peſſimi, & frigidi nutrimenti, vt non minus verè quàm doctè in Dioſcoridem annotauit Amatus Luſitanus medicus non indoctus: quod eos quoque minimè fugit qui fungorum, boletorum & tuberum deſiderio capiuntur: non raro namque inſident quercuũ & caſtanearum radicibus, earumque ſuccisis caudicibus, ſectantur campeſtria, rimantur apricos foſſarum aggeres, terramque leuem, & minimè tenacem, ſed modicè temperatam; ex ea enim vtiles exudant ſalubreſque & odorati fungi: quod etiamnum in horto noſtro certa experientia didicimus annis iam proximè præteritis. cùm enim eum ad humoris redundantis copiam compeſcendam, tum ad excoquẽdum inutile ſoli vitium per frigus hibernum, ſub hiemem pro more denudaſſemus leui ſarculo malorum pirorumq. radices; ſub veris ſubſequentis initium, leui prius iniecta palea eas rurſus terra integi iuſſimus, vnde iam vere præcipiti, atque autumno proximo, poſt imbreis calidiores enati ſunt fungi, ad palmi altitudinem pediculo, calloque turbinato, adeò candido, & odore grato, vt omnibus ſpectatoribus eſſent admirationi. Sed de his plus ſatis. qui plura noſſe concupiſcit, is legat Pliniũ lib. 21. cap. 3. & lib. 22. cap. 14. Theophraſt. Dioſcor. Athenæ. Ruell. &c. *Ille ſalubreis æſtates pera.* etiam ſi quis adhuc crediſſet me pro commentariis mera ſomnia commemorare, hoc vnicum præceptum Catij, eum vel inuitum nobis aſſentiri compellat, faterique planiſſimè Horatium ei rei dare operam, vt eruditis omnibus huius Epicurei coqui innoteſcat ſtultitia craſſiſſima, quæ, quaſi ex diametro, diſſidet à præceptionibus conuiualibus doctiſſimorum ſcriptorum. Nemo enim ſapiens vnquam velit aut ſuaſerit alicui, niſi ei malè velit, vt poſt cibum mora deglutiat: ſic enim ſumta celerrimè cum cibis aliis in ventriculo corrumpuntur, perinde ac pepones (auctore Galeno) nouo quodam & inexplicabili modo: at contrà, initio menſæ, ventriculo ab excrementis vacuo, non omnino ſunt inutilia: multùm quidem humectant, ſed refrigerant modicè; quin imò protinus intumeſcunt, ſi nõ ſuperueniat alius cibus, auctore Plinio lib. 23. cap. 7. Quare Galenus libro De cibis boni & mali ſucci, in primis cauendum præcipit, ne fructus hic omnino maturus edatur; nam is ſummè maturus facillimè vitiatur, & in venenum tranſit. Non ſum neſcius Lambinum & Turnebum longè aliã præcepti huius Catiani dare interpretationem: verùm quòd hoc quaſi πρὸς ἀφοσίωσιν, ab eis factum ſit, dandum eſt grauioribus ſtudiis. Nec alia ſanè de cauſa venia dignus eſt Ioannes Bruyerinus Campegius, qui de re cibaria lib. 1. cap. 1. Quæcumque ferè hic ridiculè ſcripta ſunt, ea temerè iudicet indoctè ceciniſſe Horatium. *ante grauem.* mora inſolata minus humectant, & citius in ventriculo corrumpuntur. *Aufidius forti miſcebat m. F.* ſatis apertè demonſtrat Horatius in hoc & ſubſequenti præcepto, cum potus, tum cibi vilioris vſu, Catium nihil minus quàm palato ἐπικυρίζειν, ſed eum eſſe potiùs de numero eorum quos μικρολόγους cognominare ſolemus, hoc eſt, parui & illiberalis animi, humiliſque & præparci: quibus ὑδρόμελι, id eſt, aqua mulſa ob nimiam parcitatem familiaris eſt. verùm non ob id tantum facetus eſt Horat. in Catium, quantum quòd Aufidij probatiſſima οἰνομέλιτος conficiendi ratione damnata, ſuam aquam dulcem, longè præferẽdam cenſeat: nam etiamſi neutrum ſit inutile corpori reficiẽdo, ventrique molliendo; tamen ſi Plinio, Dioſcoridi, & aliis, qui à maioribus acceptam vtriuſque compoſitionem, poſteritati tradiderunt, fidem damus, οἰνόμελι, ſeu mulſum Plinio, vtilius multò deprehendemus: ait enim Plin. lib. 22. cap. 24. Mulſum ex vetere & auſtero vino vtiliſſimum eſt, facillimeque cum melle concorporatur. non implet ſtomachum, appetendi reuocat auiditatẽ cibi, aluum mollit, corpora auget, &c. Vide Ruellium ex Plinio lib. 5. cap. 21. Idem etiam de οἰνομέλιτι lib. 1. cap. 143. ſic ſcribit ex Dioſcoride ferè ad verbum: Mulſum quod οἰνόμελι vocant, ex annoſo auſteroque vino & melle quàm optimo vtiliſſimũ fit: minus hoc inflat, & velociter ſidit: inueteratum, corpus auget: media ætate, aluum vrináſque ciet: ſuperſumto cibis, noxia contrahitur: antecedens, implet

implet quidem, ſed auiditatem cibi commouet, &c. *ſi dura morabitur aluus*. quàm commodè Catius & opportunè ſuo mulſo ſubnectit cibum vulgò parabilem, & ad parſimoniam ſcitè condiendam minimè malum, nec minus inidoneum ad aluum molliendam quàm ſuum mulſum vel ſe auctore ipſo! Cui ſanè (vt ceteros taceam huius artis peritiſſimos) non aduerſatur C. Celſus lib. 2. cap. 29. Aluum mouēt, inquiens, cochleæ, garum, ſalſamenta, oſtrea, pelorides, echini, muſculi, & omnes ferè cōchulæ, maximè ius earum, &c. quamquam in hoc à Catio diſſentire videri poteſt, quòd iuſculo adſcribat, id quod Catius fortaſſe carni piſcium: habent enim omnia teſtacea naturam geminam, alteram quidem ſalsè ſuccoſam, quem ζωμὸν Græci nominant; qui aquæ, in qua coquuntur, mixtus, aluo molliendæ eſt appoſitiſſimus: alteram verò carneam, craſſiusque concretam, quæ ventrem nihil aut parum lenit, niſi iuris natiui, eiusque copioſioris ſalſiſque gratia. Verùm enimuerò vt cum homine parco liberalius agamus, quàm pro merito, eumque doceamus nihil præcipere diſſentaneum ab iis qui in eodem argumento verſantur: interpretabimur hic ad aluum molliendam Catium nolle quenquam mitulos vorare, aut conchas, ſed eas cum lapatho vinoque Coo albo prius incoctas, vnà cum decocto ſumi velle. Quod autem id vtile ſit ad aluum duram demulcendam, obſtantiaque pellenda, ſcribit Athenæus lib. 3. δειπνοσοφ. inquiens, Ὄστρεα συνεψόμενα μαλάχῃ ἢ λαπάθῳ, ἢ ἰχθύσιν, ἢ καθ' αὐτὰ, τρόφιμα, καὶ εὐκοίλια, id eſt, oſtrea cum malua, aut lapatho, aut piſcibus, aut per ſe incocta nutriunt, & ventrem leniter ducunt: hinc & ἀρτυματώδης lapathus dicitur, nimirùm, quòd cibis condiendis ſit aptus. Variant autem hic codices. quatuor Blandin. Sil. Diu. habent, mitulus & vil. Mart. mitilus & v. Tonſ. mitilus & viles pellant ob. e. vt vt eſt, docti ferè ſine magno delectu ſcribunt, alij, mitulus, alij mytulus. De mitulis autem Plinius lib. 9. cap. 25. memoriæ prodidit, eos inter conchas margaritiferas collocans, in Boſporo Thracio rufos ac paruos vniones proferre: at nobis hodie licet obſeruare non tantùm mari quantùm oſtiis fluuiorum marinis gaudere mitulos non margaritiferos, teſta leui, nonnumquam hirſuta & nigricante, quos nunc muſculos Latiniores, Flandri muſſelen, Itali *muſcioli*, Græci μύακας nominant; quos Plinius lib. 22. cap. 10. in mitulos aſſerit degenerare, Tellinis paullò maiores: Quod cōtra Paullum Iouium facit, qui in libello ſuo De piſcibus maluit cum Athenæo labi, quàm conſiſtere, verumque fateri cum Hippocrate lib. 2. de Diæta, cum Dioſc. lib. 2. de Medica materia; Galeno libro vndecimo de ſimplic. medic. facult. & cum Paullo Aegineta. Scribit enim Athen. lib. 3. ἀντὶ τοῦ κόγχου ἀντέλλην καλούμενον, ἐστὶν δ' ἄδιστον κρέας, τὴν τελλίναν λεγομένην ἴσως δηλοῖ, ἣν Ῥωμαῖοι μύτλον ὀνομάζουσι. hoc eſt, pro concha nos antellen appellamus, eſt enim caro inſuauiſſima, tellinam dictam fortaſſe ſignificat, quam Romani mytlon (corruptè pro mytulum) nominant. *conchas*. concha κόγχη Græcè: nomen generis eſt omnium teſtaceorum: ſed hic non ineptè crediderim denotare tellinas Romanas notiſſimas: Romę nāq. plurimæ circumferuntur venales, qua gratia viliores habentur inter alia genera piſciū. *& lapathi breuis herba*. lapathum, aut lapathus, λάπαθον, ἢ λάπαθος, ἀπὸ τοῦ λαπάζω vel λάπτω, quod eſt, euacuo; herba quæ ventrem euacuat, rumex Latinè. Ceterū quòd dicit breuis herba, ſubindicat ὀξυλάπαθον, ab acutis foliis, putà, acetoſam noſtram, qua in acetariis non rarò vtimur, qui eſt rumex minor ſeu breuis, ideò fortaſſe, quòd non diu vigeat, vt adnotauit D. Woulardus. Sed hic monendus eſt lector, ne culpet lapathum qui palato minus iucundus, inter piſcium delicias ſcilicet, extra ordinem turpiter hic oberret, quaſi edulis: non enim præcipit Catius vt ſit edendo, ſed vt vnà cum conchis coquendo parandoque iuri ſubſeruiat. *ſed albo non ſine Coo*. ὁ μὲν λευκὸς τῶν οἴνων, λεπτότατος τῇ φύσει, οὐρητικὸς, θερμὸς, &c. ait Athenęus, hoc eſt, vinum album natura eſt tenuiſſimū, vrinam prouocat, calidum, &c. Qua cauſa quoq. Hippocrati dicitur ὀλιγοφόρος, quòd aquæ minimam ſuſtineat commiſtionem. Quòd autē Coum velis infundi, hoc facit, propterea quòd ſalſius ſit aliis, ſiue id vltramarinum fuerit, ſiue facticium: cuius cōfectionem legito apud M. Catonem cap. 112. Qui item vinū Coum addi iubet in ſuo decocto, inquiens: Decocto ex perna, braſſica, beta, felicula, mercuriali, mitulis, capitone, ſcorpione, cochleis, & lēte adde, vini Coi cyathum vnum, bibe, interquieſce; deinde iterū eodem modo, deinde tertium, purgabit te bene, &c. *lubrica naſcentis*. χεροτοχαφία ab accreſcēte luna, quo tempore conchylia implentur, eſui aptiſſima gratiſſimaque palato, & πρὸς τὸ γλοιῶδες τῆς κοιλίας ἄγειν, id eſt, ad id quod viſcoſum eſt & glutinoſum, per aluum agēdum. Sunt enim tunc temporis craſſioris ſucci, ſalſioriſque: qualia ſunt omnia ὀστρακόδερμα, id eſt, quibus teſta eſt pro tegmine: nam oſtrea, quaſi oſtea, id eſt, oſſea denominari volunt aliqui. Hæc omnia ad incrementum lunæ augeſcunt, & ad decrementum minuuntur, auctoribus Ariſt. Lucil. Plinio, & ea cōchylia maximè, (Plinio teſte lib. 2. cap. 99.) quibus nō eſt ſanguis. *ſed non omne mare*. occupatio à diuiſione, ſumta à natura loci marini, quę certè ad nihil aliud ſubiecta videtur, quàm, vt

vel ſuam rerum cognitionem deprædicet, vel ſuæ parcitati patrocinetur, ne pro mitulis & cõchis apponat murices, oſtrea, pelorides, &c. ad aluum leniendam. *murice Baiano.* in littore Baiano extra Lucrinum ſinum. *Lucrina Peloris.* Peloris capta in Lucrino ſinu, qui à lucro dictus (vt arbitror) propter vbertatem piſcium qui ibi alebantur, meliores & ſuauiores reddebantur, magna olim vectigalia præſtabat Romanis, contiguus Baiis: de quo ſic Strabo lib. 5. Lucrinus verò ſinus vſq. Baias latitudinem pandit, qui ex exteriori pelago, per aggerem longitudinis ſtadiorũ 8. latitudinis autem vnius orbitæ arcetur: illum autem ab Hercule traducendarum Geryone boum cauſa exaggeratum fuiſſe perhibent, qui, cum pedibus perambulari propter fluctus ingruenteis per hiemes nõ poſſet, Agrippa exornatum melius conſtruxit; leuioribus enim lembis præſtat ingreſſum, ſtantibus in anchora prorſus incommodus, captandis verò oſtreis vberrimus: de quo Martial. Non omnis laudem pretiumq. Aurata meretur, ſed cui ſolus erit concha Lucrina cibus *Peloris.* de Peloridib. ait Diphilus apud Athenæum lib. 3. χημῶν δὲ τῶν παχειῶν αἱ μικραί, καὶ λεπτὴν ἔχουσαι τὴν σάρκα, ὄστρεα λέγονται, εὔστομοι δέ εἰσι καὶ εὐέκκριτοι· αἱ δὲ παχεῖαι, βασιλικαὶ δὲ πρός τινων καλούμεναι, πελωρίδες δὲ λεγόμεναι, τρόφιμοι, δυσέκκριτοι, εὔχυλοι, εὐστόμαχοι, καὶ μάλιστα αἱ μείζους, id eſt, ex chamis autem magnis, quæ minores ſunt, carnemque habent tenuem, oſtrea dicuntur, ſtomacho vtilia, ventremque ſubducentia: ſed maiores, quæ à quibuſdam regiæ dicuntur, & peloriæ, nutriunt, non excernuntur facilè, ſunt boni ſucci, ſtomachoque conferũt, & maximè quæ ſunt maiores: ὀνομάζονται παρὰ τὸ πέλωρον, ait Athenæus, hoc eſt, nominantur à voce pelorion quæ magnum ſignificat. *oſtrea Circeis.* hoc eſt, oſtrea Lucrina, meliora ſunt oſtreis Circæis, aut, oſtrea oriuntur Circæis, vt adnotauit Woulardus. Circæa autem oſtrea nigra ſunt & carne & teſta. *Miſeno oriuntur e.* in eodem autem maris Tyrrheni tractu ſunt, Vulturnum, Liternum, Cumæ Chalcidenſium, Miſenum, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus, & Auernus, Circæum, &c. quemadmodum videre eſt in tabulis Ptolemæi, & apud Plin. lib. 3. cap. 5. & Strabonem lib. 5. *echini.* echinus marinus (eſt enim alius terreſtris, quem Erinaceũ potius nominaueris) piſcis eſt rotundus, ſpinis horridus, & aculeis armatus, hirtusque, vnde & nomen accepit; ἐχῖνον enim Latini hirtum vocant. Ariſtot. lib. quarto De hiſtoria animal. plura eius genera deſcribit. Vide quæ adnotauimus Epod. 5. Galenus autem Echinum marinum ex oinomelite & garo ad aluum ducendam edi præcipit, qui autumno in pleniluniis calidisque diebus cibo maximè eſt idoneus, vt ſcribit Athenæus lib. 3. ex Ariſtot. apud quem plura legito. *pectinibus pat.* pectines piſces ſunt ex cõchyliorum genere, qui pectinatim conchas habent ſtriatas, vulgo *des coquilles.* laudatiſſimi ſunt Mitylenis, Plin. libri trigeſimitertii cap. vndecimo. Pectinum cibo purgatur veſica, quorum mares alij donacas, alij aulos vocant, feminas verò onychas, Plin. eodem loco. De pectinum, muricum, & concharum generibus luxuque, Plinius libro 9. cap. 33. & 34. Ex pectinibus iuxta Athenæ. libro 3. teneriores ſunt albi, odoris enim non ſunt tetri, ſed ventri accommodi: ex nigris autem & ruſis maiores & verni ſunt gratiores ori: generatim verò omnes ſtomacho ſunt vtiles, concoctu faciles, aluoque molliendo non inepti, ſi ſumantur cum cumino & pipere. *molle Tarentum.* à mollitie & luxu populi, vt videre eſt apud Strabon. libro ſexto, vbi & Tarentum ab Heroë quodam nomen accepiſſe litteris proditum ſcribit. Tarentum etiam, Varrone teſte, Sabinorum lingua molle ſignificat. *nec ſibi cœnarum.* præclarè quidem per occupationem ſeſe oſtentando, de nobilioribus conchyliis locutus eſt Catius: at maluit tamen, quàm generoſior haberi, iuſculum piſcarium de vilioribus conchis conficiendum præcipere, quò ſuis rebus (ſi quando forte fortuna res ita poſtularet) honeſtius conſulendo minus decederet: At inſequenti dum in arte iuris componendi ſapiendique primas ſibi vendicat (cùm tamen vix aliquid præter vulgaria, tenuiter tamen, præcipiat) elabitur ad ferinam, de qua an rectiùs ſapiat, iam videbimus. Sed prius diſputandum opinor, an (quod hic viri quidam in primis docti fieri cenſent) Catius, poſt ea quæ ſunt prandij ſeu promulſidis, nunc ordine præſcribat, quæ ſunt cœnæ menſæque ſecundæ? Ego quidem non facilè in animum induxerim id ita eſſe, præſertim cùm ſit pro comperto Horatium hic agere Democritum, notareque egregiam hominis dementiam, qui volens, ex Epicureorum ſupercilio, conuincere ea quæ de conuiuandi modo fuerant à maioribus moderatè relicta poſteris, hic inducitur ea nunc mollius delicatiusque ſcilicet, quaſi nuper à ſe inuenta ſui ſimilibus impudenter obtrudere velle, & in multis quidem ex iis non ſequi naturam, in aliis verò pro deliciis habere inciuilem parſimoniam, in omnibus autem ferè eſſe perturbatum, delirareque potius quàm rectum diſpoſitionis ordinem ſeruare. Quòd autem nonnulla facies in aliquibus appareat alicuius & veritatis & ordinis, ea res vnica doctis impoſuit, quo minus callidum Horatij fucum perceperint. *non prius exacta.* iuxta illud Solonis, ἄρχε, πρῶτον μαθὼν ἄρχεσθαι, id eſt, imperium gere, ſed non prius,

prius, quàm imperium ferre didiceris. ita nemo rectè cœnam parat, niſi qui prius eam parare didicerit. magnifica ſcilicet verba Catij in cibo parabili, & omnibus obuio. Codex Diu. habet, ni prius ex. *tenui ratione.* *μικρῷ λόγῳ.* *nec ſatis eſt cara.* Catius pro ratione ſuarum ſordium vtitur *ἀγανακτήσει* quadam obliqua in eos qui nulla cura rei familiaris, in caris piſcibus emendis gaudent dare milia terna macello, vt habeantur magnifici *δαπανικοί*, ſed hoc eſt immane vitium, vt inquit poſtea, & promi magis quàm condi. Quare non in caritate & profuſione, cum Nomentano, vult eſſe luxum, ſed in eo putat omne ſtudium eſſe collocandū, vt cognoſcat obſonator quibus piſcibus *ὀπτοῖς*, & quibus *ἑφθοῖς* accommodatior, id eſt, qui piſces elixi ſuauiores ſunt aſſis, ad inuitādam orexin faſtidientis præ nimia crapula ſtomachi. Quod quidem conſilium *λεπτολόγῳ* Catio non prorſus eſt inutile; ſed ſplendido conuiuatori & lauto nihil minus conuenit, vt qui gaudet fercula ferculis accumulare. *cara p. a menſa.* cara menſa, eſt ſpecies *ὑπαλλαγῆς.* pro caros piſceis. quod ſchema ſatis eſt familiare Horatio. *euertere.* ſic habent omnes cod. ſcripti, præter Toſ. qui ſequitur vulgatam lectionem. *languidus in cubitum* alludit ad antiquum ex tricliniis cœnandi morem, è quibus conuiuæ accumbētes, corpore leniter in ſiniſtrum cubitum inclinato, cibum potumque tantiſper capiebant, dum eſſent ſaturi: deinde capite ad quietem in ceruicali reclinato, crapulam dormientes exhalabant, donec ad nouas delicias excitati, ſeſe rurſus in cubitum reponerent. verùm de tricliniis poſtea latiùs. *Vmber & iligna n. g.* nunc obiter enarrat aliquot ferinæ ſpecies, non tam vt id dicat, quod res eſt, quàm vt argutetur; nam aprum quidem ſiluestrem, glandeque iligna nutritum, Vmbrumque commendat: Laurentem verò malum eſſe cenſet, vt qui ſit impinguatus vluis & arundine, ciboque minus arido: qua in re non tam gulæ, quàm ſuæ culinæ ſubſeruit. Eſt quidem ea ſententia non procul à vero, verùm delicatioribus parum grata, vt qui humido pingui magis recreentur, quàm cibo ſolido & aridiore, ſuoque pondere lancibus geſtandis nimis oneroſo: qualis eſt caro aprorum ſilueſtrium, præ iis qui in cœno & paludibus volutantur; nam ſilueſtribus eſt caro durior ſolidiorque & vix ſuperuacanea pinguedine reſperſa, cùm propter ſolidius nutrimentum, tum propter continuas eorum curſitationes, defatigationesque in aperto puroque & aridiore aëre, quibus & nemora ſunt conuenientiſſima, inquit Columella lib. 7. cap. 9. quæ veſtiuntur quercubus, ſubere, fago, cerris, ilicibus, oleaſtris, tamaricibus, corylis, pomiferiſque ſilueſtribus, &c. At apri qui limo & radicibus cœnoſis veſcuntur, vel qui domi in otio ſaginantur, multoque & coacto paſtu, coque nec ſatis ſolido enutriti ſunt, carnem quidem habent pinguiorem ganeæque magis accommodam, ſed alimenti non omnino probiſſimi. quod indicat Catius aſſerens talem carnem eſſe inertem, hoc eſt, inertia, otio, deſidia, & multo ſomno acquiſitam, malamque, id eſt, deterioris ſucci & nutrimenti. *vinea ſummittit cap.* capreæ non ſunt hic vitium capreoli, hoc eſt, clauiculi, ſeu cincinni, coliculive, quibus ipſa vitis ſe à palis ſuſtētat, ſuoſque quodammodo pampinos librat, ſed capræ ſilueſtres, feræque, quæ relictis rupibus & ſiluis, æſtate quidem pampinos, autumno verò pampinaria auidiſſimè ſectari ſolent & carpere; vnde & nomen ſortiuntur, Varrone teſte. Inter agreſtia verò animalia medici caprearum carnes concoctu faciles aiunt, probique ſucci; idque propter pernicitatem, & in curſu, recurſu, ſaltuque irrequietam, laſciuamque, necnon aëris, quo delectantur, ariditatem: Atram autem bilem, qua (vt cetera ſilueſtria) redundant, carniſque ſiccitatem temperari dicunt, ſi humentioribus incoquatur. namque elixam, quàm aſſam ſalubriorem cēſent: at contrà tamen nobiliores inaſſatam plus appetere cernimus, quàm elixam. Quo argumento licet conicere plus eos palato ſtudere quàm rectæ valetudini. Sed de capreis & capris legito Plin. lib. 8. cap. 50. & 53. Et in primis Iulium Scaligerū lib. 15. contra Cardanum exercitatione 207. vbi ait Plinium pro epulis, titulos capratum conuiuis apponere. Vinea itaque non ſemper ſummittit capreas eduleis, id eſt, alit & nutrit, metaphoricôs; nam vt matribus ſummittimus agnos, nutricationis gratia, ita vinea ſibi non ſemper ſummittit capreas eduleis, id eſt, aptas eſui, nimirum brumali tempore in altis niuibus; quare tunc temporis lepores captabimus, quorum, auctore Catio, ſapiēs, id eſt, ſaporum peritus ſectabitur armos: ait enim, *fecundi leporis ſ. ſ. ar.* quod non aduertens Ioannes Bruyerinus lib. 13. cap. 24. De re cibaria, à Catio dictum, fecundi leporis, inquit, ſectandos armos docuit Flaccus Horatius ganeæ non imperitus: Noſtra ætas, inquit, ſpinæ mediæ calloſa præfert. Equidem Horatium ganeæ non imperitum fuiſſe, facilè conceſſerim, ſed eum tam deſipuiſſe, vt ſeriò potius, quàm iocò, ridendique Catij gratia crediderit armos eſſe lumbis leporinis præponendos, nemo mihi facilè perſuaſerit. quis enim neſcit in lepore, nil armis eſſe aridius? Quis contrà, guſtauit ipſa pulpa quicquam ſucculentius? vt non immeritò ex ea pulpamentum apud omneis ſemper fuerit laudatiſſimum. quod quidem non ignorauit miles ille Thraſo, lepus, inquiens,

tute es,& pulpamentum quæris? Sed & clunes non ſunt in poſtremis ganeæ partibus,qui à coquis delicatioribus larido confoſſi, ſolent vel inflari, vel panificio incruſtari: & anterior pars conciſa,vel ex aqua & vino addito pipere elixari, vel iurulentè cruſtis integi. De fecunditate autem leporis ſcribit Herodotus in Thalia. τοῦτο μὲν ὅτι ὁ λαγὸς ὑπὸ πάντων θηρεύεται, καὶ θηρίου, καὶ ὄρνιθος, καὶ ἀνθρώπου, οὕτω δή τι πολύγονόν ἐστι, ἐπικυΐσκει τι μόνον πάντων θηρίων, καὶ τὸ μὲν δασὺ τῶν τέκνων ἐν τῇ γαστρί, τὸ δὲ ψιλόν, τὸ δὲ ἄρτι ἐν τῇσι μήτρῃσι πλάσσεται, τὸ δὲ ἀναιρέεται. hoc eſt, ita certè fecundum animal lepus eſt, vt ab omnibus capiatur, & feris,& auibus, & hominibus, ſuperfetetq́ue ſola inter omneis feras, alium quidem ex fetibus hirſutum habens in vtero, alium glabrum, alium qui iam in matrice formatur, alium qui concipitur. vide Plin. lib.8. cap.56. Antiquiſſimus codex Bland. vnà cũ Tonſ. habet, *fecunda leporis*. quos ſecutus ſum, quòd femellæ caro, quàm maris, ſucculentior ſit: etiamſi phyſici contendant leporẽ ſexus eſſe incerti, nunc marem, nunc feminam. id autem ipſi viderint, veriúſne, an audacius aſſerant. *piſcibus atque auib.* digna me herculè ſententia glorioſo Catio, cui ad applauſum præter Gnathoniſmũ iure dixeris deeſſe nihil, adinſtar Terentiani militis, qui labore alieno magnam partam gloriam verbis in ſe trãſmouet. Quaſi verò ante eum catillones nulli, ligurritores nulli, popinones nulli, non auium, non piſcium amãtes obſonatores, ſed viri boni omnes, frugales omnes, cordis quàm palati ſtudioſiores omnes. *ſunt quorum ingenium.* inuidioſè ſuprà ſatis iniquus fuit in Aufidium, quem culpat in Falerno vino melle miſcendo; hic certè non multò eſt æquior in eum (niſi quòd nomini parcat) à quo ſuperari ſe in pemmatis, tragematis, placentis, & dulcibus cruſta contegendis, operéque piſtorio, lactarioque planè non audet infitiari. ſed per ἐξουθενισμὸν artificis, ait alia quoque neceſſaria eſſe cognitu, neque cruſtulis tantum adornandis vnam eſſe dandam operam. De placẽtis, pemmatis, & id genus dulciariis plurimis, tam antiquorum quàm recentium coquorum, Ioannes Bruyerinus lib.6. c.7. De re cibar. *ſunt quorũ.* Helleniſmus. εἰσὶν οἵ. *nequaquam ſatis in re v.* ſenſus eſt, non ſatis eſt eleganti obſonatori, vt vnius condimenti aut confectionis ſit peritus, in eóque omnem curam & ſtudium impendat, ſed etiam neceſſe eſt in omnibus eum culinæ partibus eſſe artificioſum & diligenter exercitatum. Ceterùm codex Siluius & Diu. habent, in re vna eſt conſum. *cur.* *vt ſi quis ſolũ hoc.* αἰνολογία à ſimili, quæ ex obliquo inducitur, vt manifeſtet Horatius Catium non tãtùm id agere, vt non malo vino & oliuo perfundi curet piſceis obſonator, quantum vt in auſteriori vino medicando, & in iure duplici componendo ipſe & ingenium ſuum & mirum artificium deprædicet, quaſi τῆς ὀψοποιίας ἐγκύκλια pernouiſſet. *Maſſica ſi cœlo ſupponas v. ſ.* nouum hoc Catij præceptum de vinis ad auram nocturnam cælo ſereno exponendis, facit ad inuidiam veteribus comparãdam, qui vina auſteriora, vt fierent innocentiora, ſaccellanda ſcribebant, non ignari (vt mihi perſuadeo) huius rationis, quam Catius ſibi vendicat, quæ non niſi longo tempore vina mollia potui apta redderet, cùm percolatio id efficiat vel intra paucos dies. Sed nec ad hoc ſolum veteres amariora vina σακκίζειν, hoc eſt, per ſaccos vinarios mittẽda cenſebant, vt liquidiora purioraque redderentur, verùm etiam vt peregrinis ſaporibus additis eorum facultatem ipſa retinerent, palatumque ſuauius afficerent. Qua de re videto Conſtant. Geoponi. lib.7. cap. vlt. de vinis autem cælo ſereno ſupponendis ſcribit Plinius quoque, inquiens, Campaniæ nobiliſſima expoſita ſub dio in cadis verberari Sole, Luna, imbre, ventis, aptiſſimum videtur: quod arbitror ad muſta denſiora robuſtioraque pertinere; nam & hoc in aliquibus Galliæ tractibus fieri certum eſt; nec non in Germania inferiori, vbi pro foribus œnopolarum ex tabulis vinariis cellulis ædificatis olim ſolitum erat ad Diui Martini vſq. ſacrum muſta Rhenana collocari ſub dio in eum finem (vt arbitror) vt ea citiùs ſubſiderent, molleſcerentq́ue, lunariq́ue de nocte, tepore diſſoluta, caloreq́ue Solis diurno, & vẽtis perflata quodãmodo excoquerentur. *limo vitiata.* ἀπόφθεγμα Catij in eos qui vina Maſſica percolatione mitigari volebant, veiam dictum eſt. Ceterùm monere lectorem duxi non eſſe abſurdum, velit ne cum Siluio codice legere, *integrum perdunt limo vitiata ſaporem*; ita vt Catius eum rideat, qui limo, hoc eſt, vini fece cenſet & odorem & auſteritatem vini Maſſici non inutiliter corrigendam. Quod quidem indicat non perinde in fortibus (qualia ſunt Maſſica) atque in tenuibus fieri poſſe, qualia ſunt Surrentina, quæ fece Falerni robuſtiora redduntur; ait enim, Surrentina vafer qui miſcet f. F. Quòd autem ea ſint tenuia, teſtatum eſt Plin. lib.14. cap.6. Surrentina in vineis, inquit, tantum naſcentia, conualeſcentibus maximè probata, propter tenuitatem, ſalubritatemq́ue. Tiberius Cæſar dicebat cõſenſiſſe medicos, vt nobilitatem Surrentino darent, alioquin eſſe generoſum acetum C. Cæſar, qui ſucceſſit illi, nobilem vappam. hæc Plin. A quo non multum diſſentit Athenæus lib.1. de vinis Italicis, inquiens, συρρεντῖνος δὲ ἀπὸ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτῶν ἄρχεται γίνεσθαι πότιμος. ὢν γὰρ ἀλιπὴς καὶ λίαν ψαφαρὸς, μόλις πεπαί-

νεται.

νεται, καὶ παλαιούμενος, χεῖδον μόνος ἐςὶν ἐπιτήδειος τοῖς χρωμένοις διηνεκῶς, hoc eſt, Surrẽtinum autem à quinque & viginti annis incipit eſſe potabile; & quia pinguedine careat, valdeq. tenue ſit, vix matureſcit; & inueteraſcens pænè ſolùm eſt vtile iis qui eo continuè vtuntur. In hanc ſententiam ſcribit etiam Dioſcorid. lib. 6. Surrentinum valde auſterum eſt, quare inteſtinorum & ſtomachi fluxiones cohibet: & cùm tenue ſit, caput minus tentat, inueteratum ſuauius redditur & ſtomacho vtile. *columbino limum b.c.o.* συνεκδοχικῶς, pro parte totum, ouum pro vitello, quem vult Catius ſecum voluere, hoc eſt, in fundum deuoluere, & deuehere aliena, nimirùm terrenam fecis materiam, ab aëria vini natura alienam. Qua in re Horatius Catium ſuſpendit adunco naſo (vt aiunt) vt res ipſa rationi conſona demonſtrat. non enim vitellis œnopolæ vina turbida clarificant, ſed albuminibus in dolia coniectis, vnaque cum vino concuſſis aliquanto tempore, vehementiùſque agitatis, quæ poſtea quieti tradita pro capacitate vaſis citiùs aut ſeriùs aliena ſenſim deorſum trahunt: cui quidem experientiæ opitulatur ipſa ratio: nam vitellus frigore vini, ſuoq. lentore diffundi nequit, ſed ſpiſſatur contrahiturque, albumẽ verò nequaquam, ſed humectatur ampliaturque: itaq. vitellus vino feculẽto mixtus, particulatim inſtar coaguli deorſum ſidit, nihil limi ſecum deducens; at album per vina diſperſum, ſecum defert quicquid eſt obuium. *quatenus ima petit.* quatenus, inquit Valla lib. 2. cap. 43. id eſt, quoniam. *toſtis marcentem ſquillis.* ex interrupto reuertitur Catius, quaſi poſt prolixum quoddam hyperbatum, ad interpoſitionem eorum verſuum, nec ſatis eſt cara p.a.m. i.q.c. i a. & quibus aſſis languidus in cubitum i. ſ. c.r. vnde vel ipſa luce clarius eſt Horatium planiſſimè mordere in homine glorioſo craſſam mentis & ingenij tarditatem, vt qui nullo ordine, nec vlla memoria effutiat quicquid primum ſubit in animum. Ait ita q. ſquillas & Afram cochleam commodè aſſari ad reficiẽdum languidum & luxu vinoque marcentem potorem, ſed & pernam & hillas elixas, ſiue ex iuſculo ſumtas idem præſtare beneficij. Ceterùm antiquum obtinens, pro nobilioribus oſtreis, potori languido ſquillas proponit & cochleas aſſas, vt quæ minoris emantur, immane credens vitiũ caros piſceis auertere menſa piſcatoria, vt ſuprà dictum eſt. De ſquillis autem ſcribit Athenæ. lib. 3. μνησίθεος δ' Ἀθηναῖος ἐν τῷ περὶ ἐδεσμάτων, κάραβοί φησι καὶ καρκίνοι καὶ καρίδες καὶ τὰ ὅμοια δύσπεπτα μὲν πάντα, τῶν δ' ἄλλων ἰχθύων ἐστὶ πολὺ ... id eſt, Mnaſitheus Athenienſis in libro De edulibus, locuſtæ, inquit, & cancri & ſquillæ & ſimilia, difficilia quidẽ ſunt concoctu, ſed faciliora tamen quàm alij piſceis quos aſſare magis quàm elixare conuenit. Sed & friguntur in ſartagine, Athenæ. in eodẽ loco. Verùm quia nonnullis torrentur vtilius, & aliis ſalubriùs elixantur, ad eam controuerſiã paucis diluendam, hoc in primis noſſe opus eſt, aliud quidem genus eſſe expreſſa extenſaq. cauda, quod elixum ex aceto & pipere cõtuſo in deliciis eſt faſtidiẽti ſtomacho, eaq. ſquilla Flãdris Geernaert, nominatur, Narbonenſibus *cinade*, aliis *ſcile*, &c. quod genus quoque non inutiliter hecticis frigitur. Aliud verò genus ſquillæ eſt forma rotunda, cauda nimirũ, quaſi pro cooperculo ad alui exitũ ita cõpreſſa, vt nulla caudæ figura appareat; quod genus Græci καρκίνον, Latini tranſpoſitis literis, Cancrum vocãt, Flandri, Crabbe: hoc etiam elixũ ex aceto & pipere non inſipidè ſumitur, ſed delicatius eſt toſtum. Plura de his legito apud Matthiolum in Dioſcorid. *Afra potorem cochlea.* de cochleis Dioſcorides lib. 2. c. 9. Terreſtres cochleæ, inquit, ſtomacho vtiles ſunt, & non facilè corrumpuntur. Optimæ Sardonicæ, Africanæ, Aſtypaleicæ, &c. & paullò pòſt: Marina ſtomacho idonea, & facilè aluo excernitur, &c. euoluito hic Matthiol. & Amatum Luſitanum. *nam lactuca innatat acri p.v.* ἀκάρτησις tacita ab incõmodo lactucæ poſt vinum ſumtæ, nimirum quòd ventriculum reddat ὀξυρεγμιώδη, hoc eſt, acidum eructare ſpiritum, ex cruditate natum: Innatans enim lactuca, & occludit os ventriculi, & impedit ingeſtum cibum ſalubriter concoqui, præſertim ſtomacho ita cibo potuque repleto, vt lactucæ recipiendæ, ad vini fumos ſuo frigore compeſcẽdos nõ ſit locus. Quo argumento licet apertè demonſtrare veteres frugaliores fuiſſe, animíque & mẽtis ſtudioſiores ſuis poſteris, qui poſt cœnam lactucas eſitabãt cùm vt de nocte ſuauiùs quieſcerent (ea namque eſt ὑπνώδης, id eſt, ſoporifera) tum ne cerebro nimis fortaſſe vini vaporibus incaleſcẽte (eſt enim ἀκραιπάλη, arcens crapulam) poſtridiè minus præſenti cõſilio obirent ſua munia; quo nomine Virgil. eam mirè commendat, inquiens in Moreto: Grataque nobilium requies lactuca ciborum. Cuius etiam rei non ignarus Martialis non tam ſciſcitari videtur quàm conqueri, Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum, dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes? Animaduertebat enim omneis luxu perditos, & ab inſtitutis maiorum præceptiſque deſciſcenteis, plus operę dare ventri farciendo, ſaginandoq. corpori, quàm animo exercendo, recteque colendo. Athen. οἱ μὲν γὰρ ἀρχαῖοι πάντες ἀπὸ τοῦ δείπνου ὑπερέφερον ὑπὸ μήτρας ὑπὸ θρίδακας, ὑπὸ ἄλλο τι τῶν τοιούτων ἀκρατισμῶν γίνεται. Quos ſubſecutus Catius præcipit hic, reiecta lactuca, ſquillas & cochleas

aſſas vorare: nō multò ſanè poſt vinum copioſum lactucis ſalubriores: nam ſi lactuca ὀξυρεγμίαν, certè illa ἰρδυγλῶ κυτάση gignere poſſunt. Non eo inficias: initio menſæ lactucas vtiliter edi poſſe, tam coctas quàm crudas ex aceto & oleo, cum ad choleram, & ſitim reſtinguendam, tum ad appetentiam cibi ſuſcitandam, aluumque leniter ducendam, iuxta illud Martial. Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo vtilis, &c. Verùm ea vitæ ratio nimia crapula ſopitis vētribus, ne dicam oppreſſis, familiaris eſſe poteſt, non etiam ſobriis & frugi hominibus, quales erant maiores famem obſonantes, non lactucas. & id genus inuitamenta gulę *perna magis ac m. h.* hoc eſt, ſi cochleis aſſis nō recreetur, edat & reficiatur elixa perna in morſus & minuta fruſtula conciſa, & hillis, hoc eſt, iſitiis, tomaculis, lucanicis, & id genus inteſtinis ex confectis carnibus ſuillis & aruina fartis, potius quàm lactucis. Eſt autem perna πεταοῦ μέρ, id eſt, pars petaſonis, inquit Athen. Petaſo autem eſt ipſa coxa, Fland. een heſpe/ een hamme. Quare perna Athenæ. eſt pes porci cum ea petaſonis parte quam naſum nominamus, het nuesken vander hamme metten voete. πέρνα, Catoni & Plinio perna eſt coxa ſuilla ſalita. πέρνα petaſo, κωλῆ καὶ κωλῶ Athenęo, quamuis hoc propriè coxam cum pede anteriorem notet. Hillæ autem ſunt inteſtina farta, quæ vel aſſa vel elixa ex aceto & muſtarda (vt ſic loquar) morſicatim, ſeu cum buccellis (vt habet Apicius) comeſa reparant appetentiam iis quibus luxu ad ſummum vſque refertis edere quidem minimè, ſed morſicare conuenit, penſelen Flandricè. hira, ait Soſipater lib. 1. Inſt. gram. eſt inteſtinum aut aliud quod vnuſquiſque intelligere voluerit: ſumtum eſt enim nomen ab inuentoribus Lucanis. *quin omnia malit.* colligit omnia vulgaria viliaque gulam proritantia magis placere ganeonibus & eſſe gratiora quàm optima quæque. Cōuenit autem hic locus cum illo ſuprà, Ecloga 2. Quamuis putet aper rhombúſve recens mala copia quando ægrum ſollicitat ſtomachum, &c. *quin omnia.* id eſt, vt omnia malit, &c. *quæcumque immundis.* hoc eſt, vulgaribus, nec ita mūdis vt ſunt popinæ nobilium & potentum. vt hic ſit ordo & ſententia: Ita potor languidus ad optimos cibos nauſeat, vt quæcumq. feruent & cocta ſunt in popinis publicis, parumque nitidis, optet ſibi allata eſſe. Omnes, quos vidi, ſcripti codices, habent *in mundis.* quæ lectio ſi placet (vt omnino certè diſplicere nō poteſt, propter immunditiem, quam Catius ait poſtea ſtomacho mouere faſtidia) ſic eam interpretabimur, potor mauult omnia, quęcumque feruentia (per ſynchyſin) & recēs cocta feruntur in mundis popinis, hoc eſt, vaſis popinariis, per metonymiam. Codex Mar. habet feruunt; Sil. habet, ablata. *eſt operæ pretium.* reuertitur ad iuris componendi mentionem ſuprà poſitam, *ignarum quibus eſt ius aptius.* quod duplex aſſerit, alterum ex oliuo ſimplici. alterum ex vino, muria, herbis, croco, & oleo Venafrano. Viri quidam doctiſſimi multum laborant in declaratione huius compoſitionis, nec ſatis aſſequuntur cur vinum pingue, & oliuum dulce, cùm contrà potius, vinum dulce diceret & oliuum pingue; ego certè id ab Horatio conſultò factum crederem, in eum putà finem, vt Catiū vel imperitiæ, vel memoriæ parum confirmatæ notaret, niſi eandem compoſitionem ferè Naſidienus referret vltima Satyra, ex qua tota hęc dependet. dulce itaque oliuum eſt, non graueolens, corruptumve (quali dixit huius lib. Satyr. 2. Auidienum in repotiis vti, cuius odorem olei nequeas perferre, &c.) ſed optimum, & vetuſtate maturum: Quomodo quoque dixit vinū pingue, quod ex Naſidieni (huius Catij fortaſſe magiſtri) cōpoſitione cognoſcimus eſſe quinquennale & Italicum, non mutatum, ἐκ διασήματος: quali item Auidienus accipiebat amicos, quibus non niſi mutatum defundebat. Commentator merū pingue habet pro muſto; alij mulſum interpretantur. *muriaq́ decebit.* muria, id eſt, garo de ſuccis piſcis Iberi, inquit Naſidienus. *non alia quàm qua Byzātia putuit orca.* hoc eſt, ea muria quam teſta marina remittit, interprete Naſidieno, cuius teſta marina eſt Catio orca Byzantia, nō etiam piſcis orca, vt doctiſſimus quidam cenſet, ſed vas fictile aut ex lignis fabricatum in formam orcæ piſcis, ventricoſum, putà, & ore anguſto; quemadmodum apud Perſ. Satyr. 3. Mænaq. quod prima mundum defecerit orca. De orca autem piſce, deq. eius pugna cum balena, vide Plin. lib. 9. cap. 6. Cuius corporis vaſtitas & carnis durities immanior eſt, quàm quæ ſale macerari & liqueſcere, eſuique poſſit & ad delicias aptari: quare neceſſe eſt muriam eſſe de thunnis aut ſcombris in orca Byzantina liquefactis, & putorem quendam grauem redolentibus. Sic namque habent codices ſcripti omnes, *putuit*, non etiam, *putruit*, vt legunt alij cum vulgatis cod. ad hunc quoque modum ait Perſ. Saty. 3. Nec inuideas quòd multa fidelia putet in locuplete penu, &c. Vide Comment. *hoc vbi confuſum.* nimirum vinum pingue cum muria, infectis herbis & croco. *ſectis herbis.* vtpote eruca & inula minutim conciſis & incoctis, vt habet Naſidienus. *ſtetit.* feruere deſiit & ſubſedit. *inſuper addes preſſa.* poſtea ſuperinfundes oleum Venafranum. ſic Naſidienus: his miſtum ius eſt oleo quod prima Venafri preſſit cella. *Picenis cedunt pomis Tib. ſ.* non iniuria certè venia digni ſunt viri doctiſſimi,

ctiſſimi, qui variis diſtracti rebus minus aptè crediderunt ea quæ ſubiiciuntur pertinere ad ſecūdas Catij menſas: quas nullas hic ponit; quis enim primo obtutu cum illis non ſentiat, Horatium, putà, non ludere, ſed ab ouis ad mala vſque progreſſum primas & ſecundas ſub perſona Catij, ſeriò deſcribere? verùm quàm ſit hoc à vero diſſentaneum, faciilè deprehenderit qui riſus Horatiani non ignarus, ſingula diligentius examinat: non enim de pomis & vuis hic agit, vt ornet ſecundas menſas, ſed vt Catium in præceptis ſuis inordinatum, nec ſui magis memorem derideat; quē poſt inſertam iuris duplicis componendi commentationem, inducit ex abrupto reuerti ad intermiſſa τὰ εἰς ἀναστόμωσιν βρώματα, id eſt, ad edulia quę appetentiam irritant, cuiuſcemodi ſunt cum vuis & malis conditis, fex, alec, & id genus acria, quæ laſſum peruellunt ſtomachum, inquit Naſidienus. *Picenis cedunt.* Picena mala ſunt dulciora Tiburtis: eadē puto à Naſidieno nominari melimela, à melleo ſapore: Muſtea Catoni, Varroni, Columellæ, inter conditiua numerata. *nam facie præstant.* rubent enim minorem ad lunam delecta Naſidieno auctore. *Vennucula conuenit o.* aliæ namque vuæ ſunt ollares, ſeu condititiæ in ollis, quas Græci βοτρύδια nominãt. Mart. Nec dignam toto ſe botryone putat. Latini racemos appellant, quòd plura contineant acina. aliæ ſunt penſiles, quas tigillis appendimus fumo indurandas: quales ait Catius eſſe Albanas. ſic ſuprà Ecloga 2. Tum penſilis vua ſecundas & nux ornabat menſas. *hanc ego cum malis.* hos arbitror verſus ſic ordinandos, ego primus inuenior hanc vuam cum malis, & fecem, & alec, & piper album cum nigro ſale incretum, circumpoſuiſſe puris, nitidis & mūdis catillis, ita vt in ſingulis ſingula poſita in circuitu menſæ, multitudine ferculorum, & nouo apparatu (viliori tamen pro ſordibus Catij) eam refertam magnificè ornarent; erat enim ea menſa rotūda, vt coniicere licet ex triclinio & mēſa Naſidieni, quò videntur hæc pręcepta referēda: ait enim Fundanius, in primis Lucanus aper leni fuit Auſtro captus, vt aiebat cœnæ pater. acria circum rapula, lactucę, radices, &c. nam quod circum dicit Fundanius, hic circumpoſuiſſe exprimit Catius. *cum malis.* hoc eſt, & mala Picena conditanea. erant in catillis nitentibus circumpoſita. *ego fecem.* fex eſt id quod ex craſſamento vini præcipuè tenuiſſimum liquamen in vſum ſumitur: ex quo cum pane aſſo & pomis elixis condimentum vulgò confici ſolet apud Flandros occidentaleis, præſertim in ieiunio quadrageſimali, quod ʒwellynghen nominatur. *alec.* ſunt qui ſcribunt alec eſſe liquamen ex inteſtinis piſcium; ego certè arbitror eſſe ex halece piſce colliquato. Aut dici poteſt hic eſſe ἓν διὰ δυοῖν figura, fecem & alec, id eſt halecem fecatum ſeu fece conditum. *inuenior.* hãc lectionē videre eſt in Blād. antiq. Buſl. & Diu. cod. ceteri omnes habent inueni; ſed inuenior aptius apparet. *piper album.* de pipere albo, nigro, & λόγῳ vide Dioſcor. lib. 2. cap. 153. cum Matthioli commentariis, qui Dioſcoridis & aliorum ſententiam docet erroneam ex eorum ore qui nuper inuentas inſulas periuſtrarunt: nec à Matthiolo diſſentit Amatus Luſitanus. Vide item Solinū cap. 64. *cum ſale nigro.* vulgari, communi. *incretum.* purgatum per incerniculum, quod eſt cribri genus, ab incernendo, hoc eſt, pollinem, vel id quod eſt tenuiſſimum à furfuribus ſeparando. Sunt qui incretum intelligunt permixtum. *immane eſt vit.* hæc quædā eſt clauſula epiphonematica in laudē & commendationem tam frugalis inuenti; multis enim catillis & parui pretij ferculis, magnificentia quædam oſtentatur minimè ſumtuoſa. *anguſtoq; vagos piſceis.* hoc eò pertinet quod ſuprà dixit, toſtis marcentem ſquill. &c. Nam multò ſatius eſt piſcibus modici ſumtus reficere potorem languidum, quàm peregrinis obſoniis, remotorumque marium coëmendis prodigiis apparandiſque omnem cenſum, multaque ſeſtertium milia turpiter inſumere. Vtile certè eſt hoc Catij præceptum & conſilium, ad euadendam pœnā legis ſumtuariæ. *magna mouent ſtom.* hęc eſt ἀνθολογία eius quod dixit; *puris circumpoſuiſſe catill.* nam quicquid immundum eſt & ſordidum illotumque, præterquàm quòd oculos offendat, ſtomacho quoque nauſeam non parùm mouet. Quod Naſidienus etiam non ignorans, iubet alterum puerum mēſam acernam pertergere, & alterum tollere quicquid poſſet cœnanteis offendere. *ſeu puer vnctis.* ſordidatis, immundis, pinguedine, aut luto deturpatis; pinguedine quidem, dum furta eduliorum è catinis ablata ligurrit & vorat; limo verò & cœno, dum contrectat veterem & limoſam creterram. *furta.* codex Diu. habet fruſta. *veteri creterra.* ſic habet Bland. vetuſtiſſimus. quam dictionem ſibi incognitam corrupit ſciolus quidam, ſubſtituens eius loco, *cratera*, a littera pro e ſcripta, atque r eraſa; verùm non penitùs hæ litteræ ita perierunt, vt id primum obtutum in eo codice non appareant. Eſt autem creterra apud Noniū ſitula, quam vetuſtate carioſam rimoſamq. & limo oblitam, dum manibus incurij pueri negligentiùs contrectant, cœnoſis manibus commaculãt calices & pocula. vtitur autem eadem dictione Cicero lib. 2. de natura deorum. Quòd autem τὸ creterra, ſit aptius quàm τὸ cratera, lector doctus, vel me tacente, facilè ſubodorabit ex ſupellectili ſubſequenti viliore. *vilibus in ſcopis.* inculcat munditiciæ in primis curæ.

curæ eſſe debere, idque à diſſentaneis; nam vt ſordes & cultus neglectior oculis eſt faſtidio, ita nitor & elegantia inuitant appetentiam. verùm quando nequit Horatius Catio non ſubridere, quòd tam magnifica promiſſa præceptorum & apparatus culinarij tam ridiculè finiat, plusque in contemta & vili ſupellectili detergenda nunc laboret, quàm adhuc pro ratione inſtituti & exſpectatione in nouis & lautis epulis deſcribendis, præſtiterit operæ, ex indignatione abrupta modò altiùs inſurgit, Horatiumque tangit ex obliquo, quaſi minimè in re familiari curioſum, inquiens; *ten' lapides varios lutulenta radere palma?* perinde ac ſi dicat, té ne decet, ô Horati, lutulentis ſcopis detergere deturpareque lapides politos pretioſosque, potius quàm mundis? *& Tyrias dare circum.* Téne decet purpureas veſteis (tori diſcubitorij delicias) ſubſternere toralibus illotis, easq. circumdare tegereque immundo ſubſtragulo, quod diſcumbentibus pro voluptate nauſeam moueas? oblitus es & ignoras hæc vilia ſi immunda ſint & neglectim habita, eò iuſtiùs reprehendi, quò minoris ſunt ſumtus: contrà verò, ea quæ non niſi diuitibus cõtingunt, ſi omiſſa ſunt, eò minus in reprehenſionẽ cadere, quò pluris conſtant? *lapides varios.* Glareanus ex Eraſmo legit, parios: Commentator ait pauimentum variegatũm: nec ego quidem dubito ipſum alludere ad λίθους πολυτελεῖς καὶ δαιδαλέους, hoc eſt, ad lapides pretioſos & artificioſos. *radere.* tergere, purgare, mundare. *palma.* pro ſcopis palmeis. *& Tyrias dare circum illota tor. veſt.* ſenſus eſt, té-ne decet circum Tyrias veſteis dare illota toralia, hoc eſt, purpurea lectorum inſtragula circumdare & cõtegere ſubſtragulis impuris & immundis, & non potius contrà, tegere ſordida toralia purpureis ſtragulis? Innuit autem Catius (vt conijcere licet ex præcedentibus) toralia non minus debere eſſe munda lautaque, quàm purpurea ſtragula, ne quid ſit quod offendere poſſit. *toralia.* toralia ab herbis tortis, aut vluis, aut paleis, &c. obtegi ſolebant veſtibus purpureis. Horat. Satyr. 6. poſtea: Ergo vbi purpurea porrectum in veſte locauit. Virg. Stratoq́; ſuper diſcumbitur oſtro. Ouid. in medio torus eſt de mollibus vluis impoſitus lecto ſpõda pedibúſq. ſalignis, veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore ſacro ſternere conſueuerant, &c. Nonius, Toral, inquit, quo torus tegitur, vt quo ſolium, ſoliar. *docte Cati per a.* adblãditur Catio offenſo valde iocosè, quò ſibi deſinat indignari, approbás eius doctrinam, & eum à quo tam doctè fuerat inſtitutus. *nam quamuis.* occupatio tacitæ quæſtionis; poterat enim Catius dicere, non opus eſſe alio à ſe præceptore, vt qui ordine & memoriter omnia iam recitaſſet. *adde vultum h.q.* ſubindicat Horat. recitationem diſcipuli, viuæ quidem vocis eſſe vmbram, ſed ei abeſſe corpus & vitam, vtpote, actum & motum, quæ ſunt doctoris & inuentoris; non multò namque amplius pręſtat is qui cõmemorat ab alio inuentum, quàm ſcriptura, quem mutum magiſtrum ſolemus appellare. hinc eſt illud Aeſchinis de Demoſthene, τί δὲ εἰ αὐτοῦ θηρίου ἠκηκόειτε, id eſt, quid autem, ſi ipſam audiſſetis belluam? *fonteis vt adire rem.* nouos & incognitos, non omnibus expoſitos. Tota hæc allegoria plena eſt vrbanitate mirabili.

ECLOGA V.

VLYSSES.

HOC *quoque, Tireſia, præter narrata, petenti*
Reſponde: quibus amiſſas reparare queam res
Artibus, atque modis: quid, rides? iámne doloſo
Non ſatis eſt Ithacam reuehi: patriosq́; penateis
Aſpicere? ô nulli quidquam mentite, vides, vt
Nudus, inopsq́; domũ redeam te vate: neq. illic,
Aut apotheca procis intacta eſt, aut pecus. atqui
Et genus, & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt,
Quando pauperiem miſſis ambagibus horres:
Accipe, qua ratione queas diteſcere. turdus,
Siue aliud priuum dabitur tibi: deuolet illuc,
Res vbi magna nitet domino ſene: dulcia poma,
Et, quoſcumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem guſtet venerabilior Lare diues,
Qui quamuis periurus erit, ſine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitiuus: ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.
Vt'ne tegam ſpurco Damæ latus? haud ita Troiæ
Me geßi, certans ſemper melioribus. ergo
Pauper eris. fortem hoc animũ tolerare iubebo.
Et quondam maiora tuli. tu protinus, vnde
Diuitias, æriſque ruam, dic augur, aceruos.
Dixi equidem: & dico: captes aſtutus vbique
Teſtamenta ſenum: neu, ſi vafer vnus, & alter
Inſidiatorem præroſo fugerit hamo:
Aut ſpem deponas, aut artem illuſus omittas.
Magna, minórve foro ſi res certabitur olim:
Viuet vter locuples ſine natis, improbus vltrò
Qui meliorem audax vocet in ius: illius eſto
Defenſor. fama ciuem, cauſſaq́; priorem
Sperne, domi ſi natus erit, fecundáve coniux.

Quinctes

Quincte puta, aut Publi (gaudent prænomine molles
Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum.
Ius anceps noui? cauſas defendere poſſum:
Eripiet quiuis oculos citius mihi, quàm te
Contemtũ caſſa nuce pauperet. hæc mea cura eſt,
Ne quid tu perdas, neu ſis iocus. ire domum, atq.
Pelliculam curare iube. ſi cognitor ipſe.
Perſta, atque obdura: ſeu rubra canicula findet
Infanteis ſtatuas: ſeu pingui tentus omaſo
Furius hibernas cana niue conſpuet Alpeis:
Nónne vides, aliquis cubito ſtantem propè tangẽs
Inquiet, vt patiens? vt amicis aptus? vt acer?
Plures annabunt thynni: & cetaria creſcent.
Si cui præterea validus malè filius in re
Præclara ſublatus aletur: ne manifeſtum
Cælibis obſequium nudet te: leniter in ſpem
Arrepe officioſus, vt & ſcribare ſecundus
Heres: &, ſi quis caſus puerum egerit Orco,
In vacuum venias. perrarò hæc alea fallit.
Qui teſtamentum tradet tibi cumque legẽdum:
Abnuere, & tabulas à te remouere memento,
Sic tamen, vt limis rapias, quid prima ſecundo
Cera velit verſu. ſolus, multis ne coheres,
Veloci percurre oculo. plerumque recoctus
Scriba ex quinqueuiro coruum deludet hiantem:
Captatorq; dabit riſus Naſica Corano.
Num furis: an prudens ludis me, obſcura canẽdo?
O Laërtiade, quidquid dicam, aut erit, aut non.
Diuinare etenim magnus mihi donat Apollo.
Quid tamen iſta velit ſibi fabula, ſi licet, ede.
Tempore quo iuuenis Parthis horrendus ab alto
Demiſſum genus Aenea, tellure, mariq;
Magnus erit: forti nubet procera Corano
Filia Naſicæ metuentis reddere ſoldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas ſocero dabit: atq;
Vt legat, orabit. multum Naſica negatas
Accipiet tandem: & tacitus leget: inuenietq;
Nil ſibi legatum, præter plorare, ſuiſq;.
Illud ad hæc iubeo: mulier ſi fortè doloſa,
Libertúſve ſenem delirum temperet: illis
Accedas ſocius: laudes, lauderis vt abſens.
Adiuuat hoc quoque: ſed vincit longè prius, ipſum
Expugnare caput. ſcribet mala carmina vecors?
Laudato. ſcortator erit? caue te roget: vltrò
Penelopam facilis potiori trade. putáſne
Perduci poterit, tam frugi, tamq; pudica,
Quam nequiere proci recto depellere curſu?
Venit enim magnum donandi parca iuuentus.
Nec tantum Veneris, quantum ſtudioſa culinæ.
Sic tibi Penelope frugi eſt: quæ ſi ſemel vno
De ſene guſtarit, tecum partita lucellum:
Vt canis, à corio numquam abſterrebitur vncto.
Me ſene, quod dicam, factum eſt. anus improba Thebis
Ex teſtamento ſic eſt elata: cadauer
Vnctum oleo largo nudis humeris tulit heres:
Scilicet elabi ſi poſſet mortua: credo,
Quòd nimiùm inſtiterat viuenti. cautus adito:
Neu deſis operæ: néve immoderatus abundes.
Difficilem & moroſum offendet garrulus vltra,
Non etiam ſileas. Dauus ſis comicus: atque
Stes capite obſtipo, multum ſimilis metuenti.
Obſequio graſſare: mone, ſi increbruit aura,
Cautus vti velet carum caput. extrahe turba
Oppoſitis humeris. aurem ſubſtringe loquaci.
Importunus amat laudari? donec ohe, iam
Ad cælum manibus ſublatis, dixerit, vrge: &
Creſcentem tumidis infla ſermonibus vtrem.
Cùm te ſeruitio longo, curaq; leuarit:
Et certum vigilans, quartæ ſit partis Vlyſſes
Audieris, heres: ergo nunc Dama ſodalis
Nuſquam eſt? vnde mihi tam fortem, támque fidelem?
Sparge ſubinde: & ſi paulũ potes, illacrimare. eſt
Gaudia prodentem vultum celare. ſepulcrum
Permiſſum arbitrio, ſine ſordibus exſtrue. funus
Egregiè factum laudet vicinia. ſi quis
Fortè coheredum ſenior malè tuſſiet: huic tu
Dic, ex parte tua, ſeu fundi, ſiue domus ſit
Emtor, gaudentem nummo, te addicere. ſed me
Imperioſa trahit Proſerpina: viue valeq;.

COMMENTATOR.

INDVCITVR Vlyſſis perſona Tireſiæ vmbram alloquentis apud inferos, interroganti que, quomodo amiſſas naufragio & per procos opes reparet. Quod ex Homeri Odyſſea ſumtũ eſt. Horatius

ratius autem quaſi aliud agens & hæredipetas lacerat, & quibus modis hæreditates captentur edocet; tangens Romanorum prauam cõſuetudinem, qui diuitiis omnia poſtponerent. *hoc quoque Tireſia.* Vlyſſes ad Tireſiã. *præter narrata.* vt alia quæ narraſti. Hoc ſignificat aliud colloquium inter Vlyſſem & Tireſiam. *artibus.* dolis. *modis* obſequiis. *tamne doloſo.* aſtuto tibi, ô Vlyſſes, & ingenioſo. *ô nulli quicquam m.* ô veridice Tireſia. Verba ſunt Vlyſſis ad Tireſiam *te vate.* te vaticinante. *aut apotheca.* maior quædam neceſſitas eſt comparandæ ſubſtantiæ, omnia namque procorum turba cõſumſit. *& genus & vir.* ſenſus eſt, tametſi quis ſit generoſus & fortis, tamen ſi rem non habet, vilior eſt alga. *quando.* quia. Tireſias ad Vlyſſem. *miſſis ambagibus.* omiſſis multis verbis, accipe quomodo diuitias compares. *priuum.* quaſi priuatum & proprium. τὸ ἴδιον: cui opponitur publicum, quod eſt vniuſcuiuſque, & nõ proprium alicui. Plaut. Cilix, Lyciſce, Soſio, Stiche, Parmeno, exite & ferte fuſteis priuos in manu. hinc priuilegium. *cultus.* bene aratus, fœtus. *ante larem.* ante deos penates, hoc eſt, antequam primitias laribus offeras, mitte munera diuiti, quaſi ſit tibi ipſis diis venerabilior: nam veteribus ipſa conſuetudo fuit, vt rerum primitiæ diis laribus ponerentur. *ſine gente.* ignobilis, ſine nobilitate, libertinus; nam ſine gente libertini, contrà, ingenui generoſi dicuntur & gentiles, quòd ſint ab vna gente, hoc eſt, ſtirpe & origine. *cruentus ſang. f.* parricida *fugitiuus.* ſeruus. *exterior.* à parte ſiniſtra. *ſpurco Da.* abiecto, neſcio cui, ſeruo. Sunt autem Vlyſſis tamquã indignantis verba. *Troia.* ad Troiam. *certans ſemper mel.* Græca locutio; certans cum datiuo caſu, vt Maro: certent & cycnis vlulæ. &, Solus tibi certet Amyntas. *ergo pauper eris.* verba Tireſiæ. *hoc.* Vlyſſes. ſcilicet vt tegam ſpurco Damæ latus: quaſi dicat, aut ſubeundum dedecus eſt, aut amplectenda pauperies. *& quondam m. t.* hoc item Virg. ô paſſi grauiora. Item, ô fortes peioraque paſſi mecum ſæpe viri. ſic Vlyſſes, malorum, inquit, cõſuetudine iam ſum induratus. *ruam.* eruam & congregem. *æris aceruos.* ingentem pecuniam. *dixi equidem.* Tireſias ait. *captes.* id agas, vt ſenes teſtamento ſuo te faciant hæredem. *aſtutus.* vafer, aſtutus in malis, acutus in bonis, vt acutus Scipio, aſtutus Annibal. *inſidiatorem* te, qui offeres munera non honoris alicuius gratia, ſed hæreditatis captandæ. *præroſo hamo.* metaphora à piſcibus, quod aptè ſubdit, quia dixit *captes.* præroſo hamo, id eſt, vorata eſca, conſumtis tuis & perditis muneribus. *ſpem deponas.* iuxta illud Virgil. Tu ne cede malis. *artem.* obſequendi & captandi. *ſi res certabitur.* impersonaliter; ſi res alicuius in certamen & litem venerit. *olim.* aliquando. *vter locuples.* conſidera vter eorum, qui certant, ſit locupletior. *improbus vltrò.* quamuis ſit improbus & peiorem cauſam habeat, ſi diues & ſine liberis fuerit, eum defende etiam non rogatus. *fama ciuem.* virum bonum. *priorem.* meliorem cauſam habentem. *Quincte pu. à* ſic et loquere honorifico prænomine. *ius anceps* ἐπίδηλον iuris, quod incertum eſt, nũc propter ἀμφιβολίαν, nunc propter ἀντινομίαν. *caſſa nuce.* fracta. *pauperet.* priuet, fraudet, ſpoliet, ἀποστερῇ. *ſocus.* ludibrium & contemtui ſis alicui, & defenſore vacuus, nam loca vacua facile inuaduntur. *pelliculam cur.* iube eum ſui corporis habere curã *ſi cognitor* eſto patronus, ſis cauſæ defenſor. *perſta.* permane, perdura. *rubra.* ardens nimio calore. *infanteis ſt.* mutas, quæ loqui non poſſunt. *tentus omaſo.* diſtentus, refertus, ſaturus. *omaſo.* omento. omaſum eſt inteſtinum bubulum. *Furius hibern.* Furius viuaculus in pragmatia belli Gallici ſic exorſus eſt: Iuppiter hibernas cana niue conſpuet alpeis. *hibernas.* frigidas. *conſpuet.* ridet durã metaphoram. *nonne vides.* ordo eſt, aliquis prope ſe ſtantem tangens cubito dicet, nõne vides, quàm patiens frigoris? *vt amicis.* quàm paratus amicis, quàm vehemens. *annabunt.* ad te confugient. *tynni.* piſces. pro hominibus. *cetaria creſcent.* tuæ res hoc modo augebũtur & commodum. Cetaria loca ſunt iuxta lacum vbi cete, tynni, & alij piſces capti ſaliuntur. *tunni.* piſces delicati: metaphoricôs pro ſenibus diuitibus. *validus ma.* qui malè valet. *ſublatus* adultæ ætatis *in re præclara.* in amplo cẽſu. ſenſus eſt, non ſolùm ſectare diuites, qui nullos habent liberos, ſed & eos qui habent, ſed infirmos, & per omnem pueritiam languidos. *cælibis.* cælebs pro orbo capitur. *obſequium.* officium quod in cælibem impendis. *nudet te.* prodat te & oſtendat captatorem hæreditatum. *leniter.* paullatim. *in ſpem.* hæreditatis. *adrepe.* προσέρπε ἠρέμα, ſerpe in eius amicitiam, ne te prodat manifeſta blandities, & patrimonij cauſa id facere videaris. *ſcribare ſ. hær.* vt ſubſtituaris; quia in ſecundo verſu hæredes ſubſtituuntur. *egerit.* coẽgerit, impulerit mori. *in vacuũ v.* in poſſeſſionem vacuam hęrede, & ex aſſe hęres fias *hæc alea.* hæc ars. *fallit.* paucos fruſtatur. *qui teſtamẽtum.* in quo quis te fecit hæredem. *vt limis rapias.* obliquis oculis raptim legas. *prima cera.* prima tabula: nam in primæ tabulæ ſecũdo verſu hæredis nomen continetur. *multiſne cob.* ſupp. ſis. *vel per o.* perlege. *recoctus* denuo, ſæpe refectus, & per hoc aſtutus: recocti autem dicuntur ſcribæ, qui ſæpius cum proconſulibus ad prouincias miſſi, exercitatiores facti ſunt vſu ipſo & frequentia: ſolent autem mitti quinq. viri, qui cùm recitaſſent, vendebãt decurias ſuas, & quinque viri dicebãtur: quòd ſi voluiſ-

voluiſſent iterum pro magiſtratibus apparere, & fructus priores percipere, cocti dicebantur, quiq. ſæpius hoc factitabant, recocti: Qualis Coranus fuit, qui Naſicæ filiā in vxorem accepit, & auaritiā ficto teſtamēto deluſit. itaq. vult hoc dicere, caue, ne ſic captes, vt in impoſtorem incidas, qui te ſub ſpecie inſtitutionis irrideat: homo enim exercitatus, facilè illudit auidos, & appetenteis rei alienæ. Naſica & quicumque inhiant morti alienę, amiſſa præda corui vocantur deluſi; non minùs enim ſenibus inhiant ob diuitias, quàm corui ſectātur cadauera. *ſcriba.* Coranus. *coruum* ſocerum ſenem. *captator.* hæredipeta. *dabit.* pro dedit, quia diuinatores de futuris tantùm loquūtur, & Horatius pręterita narrat tamquam futura. *num furis?* inquit Vlyſſes, vaticinaris an nō? Quod Vlyſſes ait admirabundus, quia non intelligebat ea dicta tam obſcura. *ô Laërtiade.* ô Vlyſſes, inquit Tireſias. *aut erit, aut non.* aut verum dicam, aut mētiar. iocatur in ambigua reſponſa vatū, irridens Apollinē ſatyrico more. *donat.* donauit. *quid tandem.* Vlyſſes ait. *ede.* explana quid hoc ſit, coruum deludet hiātem. *tempore quo iuuenis.* Tireſias loquitur & explicat ſuum vaticinium. *iuuenis.* Auguſtus, qui Parthos vicit. *ab alto.* nobili & magno. *magnus erit.* de pręſentibus tāquam futuris loquitur. *nubet.* quia iam nupſit. *procera.* adultæ ætatis. *metuentis redd. ſol.* nolentis dare integram dotem. *tum gener.* Coranus. *tabulas.* teſtamenti. *ſocero.* Naſicæ. *vt legat.* vt cognoſcat quid contineant. *præter plorare.* Græciſmus, præter ploratū, quia alium inſtituerat hæredem. *ſuisq;.* filiæ *adhac.* præter hæc quæ dixi. *mulier.* quælibet. *doloſa.* aſtuta. *temperet.* ad arbitrium ſuum regat *accedas ſo.* παρεγγὺς ἴλλαμαι τῆς θεραπείας. *laudes.* fac vt laudes. *adiuuat.* ad habendas diuitias. *ſed vincit longè.* id eſt, multo eſt melius *expugnare cap.* vincere blanditiis & obſequiis tuis, vt capias eum cuius hæreditatem affectas. *ſcribet.* ſi ſcribet inſanus ineptos verſus. *ſcortator erit.* mœchus & adulter ſectabitur matronas. *caue.* vide te ne roget. *vltrò.* non rogatus, ſponte tua pręueni petitionem eius. *facilis potiori.* promtus quaſi potiori deduc Penelopam ad eius domū. mirè hoc dicitur Vlyſſi. *putáſne.* Vlyſſis verba ad Tireſiam. *recto depell. curſ.* à recto caſtitatis tramite & diſciplina morū. *venit enim ma. do.* Tireſias loquitur. *donandi.* ad donandum. *culina.* popinæ & ventri, non inguini. *lucellum.* à ſene largiente acceptum. Lucellum diminutiuum à lucro. *abſterrebitur.* recedet. *me ſene q. d. ſ. e.* dum viuerem ſenex: nam apud inferos hęc narrat Vlyſſi. Oſtēdit autem per hunc epilogum, inſiſtendum quidem eſſe in ſpem captandæ hæreditatis, ſed non nimis improbè. *anus improba.* aſtuta. *elata.* ad ſepulcrum portata. *ex teſtamento.* in teſtamento præcepit, vt ſic efferretur: nimirum vt nuda & oleo vncta à captatore nudo efferretur, ea videlicet cogitatione, vt vel mortua humeris eius elaberetur, cuius viua captionem euadere non poterat. *mortua.* vel mortua. *quòd.* quia *inſtiterat.* ſe ingeſſerat. *cautus adito.* eum cuius hæreditatem cupis. nolito eſſe odioſus importuno acceſſu, ſed moderata ſint tua obſequia. *opera.* obſequiis. *moroſum.* δύσκολον. Oſtendit quomodo poſſit importunitatem loquendi vitare. apud auſterum & taciturnum ne nimis loquare, nec nimium ſis taciturnus. *Dauus ſis Comicus.* aſtutus & callidus, qui loqui non nouit vbi tacito eſt opus. *obſtipo.* fixo, immobili, triſti, vel, vt Scaurus dicit, inclinato in alterum humerum. *obſequio graſſ.* quantum potes obſequendo aggredere diuites, multus eſto in obſequiis. *increbruit aura.* ſi ventus ſit impetuoſior & acrior. *extrahe turba* ſi fuerit populi concurſus, libera eum oppoſito corpore. *aurem ſub.* ſubiunge, patienter eum audi. *importunus.* importunè. *amat laudari.* inſtanter eum laudato, donec dixerit, ohe, atque ita illum vincies tibi obſequio. *creſcentem tum.* ineptis & magnificis verbis eum cumula, & quanto magis vides eum laudibus erigi, tantò magis eum præconiis effer, & falſis laudibus, velut vtrem ventis, inflare contende. *cum te ſerui.* morte ſua. *& certum vi.* iucundè Solent enim homines, quæ vehementer optant vigilantes, per ſomnium videre. Ergo noli credere te hæredem ſcriptum eſſe, niſi illud vigilans audieris: Vlyſſes quartæ partis hæres eſto. *ergo.* ſupp. dic. *nunc Dama.* verba ſunt flentis defunctum. *nuſquam eſt.* mortuus eſt. *ſparge ſubinde.* frequenter dicito, vnde mihi tam fortem amicum inueniam. *in lacrymare.* pathos. *eſt gaudia prod.* prodeſt, vtile eſt, licet, iuuat. *permiſſum.* teſtamento. *arbitrio.* tuo. ſi tibi teſtamento data eſt cura funeris. *ſine ſordibus ext.* magnificè, largè. *factum.* à te. *dic ex parte tua.* huic dicito te libenter vendere, quicquid hæreditatis ipſe deſideret. *nummo.* pretio, quæ erat imaginaria venditio pro donatione. *ſiue domus ſit.* quia lege cautum erat, ne res, vel ager, vel domus in teſtamento relicta alicui donaretur, quare vt videretur emiſſe, nummum dabat. *ſed me imperioſa.* namque hæc omnia loquitur Tireſias apud inferos. *viue, valeq;* ſic Virgil. Iamque vale, torquet medios nox humida curſus.

CRVQVIVS.

MONITV Circes deſcendit Vlyſſes ad inferos Tireſiā vatem cōſulturus de reditu in patriā: is reſpondit eum in patriam quidem reuerſurum, ſed res eius non fore ſaluas, ni bobus Solis

parcat: à quibus, eo dormiente, cùm in Sicilia ſocij eius non abſtinerent, ſed mactatos coctoſque vorarent, Solis ira factum eſt, vt & nauibus, & ſociis amiſſis, ipſe nudus vix enatarit in inſulam Ogygiam ad Calypſo. Horatius itaque ex obliquo notans impuros Romanorum mores in hæreditatibus captandis, eoſque plus auaritiæ eſſe quàm virtutis amanteis, inducit Vlyſſem iterum ad Tireſiam deſcendere ſciſcitaturum, qua ratione nudus in patriam reuerſus, effugeret mendicitatem. cui Tireſias reſpondet, tutiſſimam diteſcendi viam eſſe, diuites cuiuſuis ſortis & condicionis orbos, vel eos qui liberos quidem haberent, ſed à primis vſque annis deploratæ valetudinis, ſenes muneribus delinire, ſubſequi officioſè, eis aſſentari, eorum dicta & facta licet improba ſæpè & ſcelerata collaudare, in omnibus iis applaudere, & in primis Gnathoniſmis & Dauitiſmis vti: iis enim modis aſſerit Vlyſſem vel ex aſſe, vel ex quadrante hæredem futurum. Is quæſtus longè erat vberrimus, & ad diuitias conquirendas compendioſiſſimus. *hoc quoque Tireſia.* exorditur Vlyſſes ex abrupto, idque perturbatiùs, vt ſolét quibus res iam ſunt deſperatæ. *amiſſas reparare queam res.* naufragio perditas, ob Solis boues à ſociis violatos, contra Tireſiæ oraculum. *artibus atque modis.* πάσῃ τέχνῃ, inquit Hom. Odyſſ. πάντῃ τρόπῳ, πάσῃ δυνάμει, hoc eſt, prorſus, & quacumque ratione, iure vel iniuria: iuxta illud Demoſth. πολλὰ δ' οὖν κακὰ πράγματα τοὺς ἐλευθέρους ἡ πενία βιάζεται ποιεῖν, id eſt, ad multa profectò mala paupertas etiam ingenuos adigit, eaque perpetrare cogit. *quid rides?* ἀγανάκτησις Tireſiæ; nõ fert enim ſatis æquo animo, iterum ſe interpellari ab Vlyſſe, credens ſe ludi potius quàm conſuli, præſertim quòd ſuis monitis, in repetenda patria, non fuiſſet obtemperatum. Ceterùm, quid, rides? hæc ita diuiſim legenda ſunt, nec Vlyſſi, vt volunt alij, ſed Tireſiæ danda. Huius autem vatis ſepulchrum apud Tilphoſam fontem, ſub Tilphoſio monte labentem, conditum, vbi & templum Tilphoſij Apollinis memoriæ prodidit Strabo libro nono. quem etiam lib. 16. ex Odyſſ. Homeri lib. κ. ſcribit & viuum & mortuum dediſſe oracula, cui dederat vita functo Proſerpina mentem vt ſaperet, pariterque homines leuis vmbra iuuaret. De quo & Apollodorus lib. 3. Erat per ea tẽpora Thebis Tireſias vates Eueris & Chariclonis Nymphæ filius, ab Vdæi vnius Spartorum Satorúmve genere oriundus, oculis captus. Deque huius cæcitate & vaticinandi peritia varia eſt hiſtoria, &c. hunc legito. *iámne doloſo non.* prudenti & aſtuto, πολυτρόπῳ. perinde ac ſi dicat: Tibi viro ſapienti fortique & multarum rerum vſu experientiaque imbuto, ad rem parandam nullo conſilio opus eſt, quando pro voto in patriam, ad vxorem & liberos redire tibi ſit à diis conceſſum. Notat Tireſias in Vlyſſe mollitiem animi, qui maluit immortalitate quàm patria carere, auctore Homero Odyſſ. α. αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται, hoc eſt, atqui Vlyſſes geſtiens etiam patriæ ſuæ fumum exilientem videre, mori exoptat. *patrióſque pen.* vxorem, liberos, & familiam. *ô nulli q. m. dixeris* à veritate reſponſi, ad animum Tireſiæ demerendum. *vides vt nudus.* πάθος à nuditate & inopia, tam rerum ſuarum naufragio amiſſarum, quàm familiæ à procis vxoris penitus exhauſtæ. *te vate.* cùm vtar te vate: monuerat enim ne boues Solis violaret, niſi perire cuperet. *apotheca.* ἀποθήκη, horreum, repoſitorium, locus vbi quid in vſum ſeruatur reconditum. Vox peculiaris Columellæ & Plinio. *atqui & g. e. v.* occupatio tacitæ quæſtionis, quæ ſequitur id quod ſuprà dixit Tireſias, iámne doloſo, &c. Nam qui ſapiens eſt, & nobilis fortiſque, quid ei deeſſe poteſt ad vitam beatam? ad hoc reſpondet Vlyſſes, eò dementiæ & improbitatis ventum eſſe ab omnibus, vt virtute nihil ſit vilius, ſolos diuites & pecunioſos in foro eſſe, & magiſtratu dignitatéque publica: nomen, genus, ſapientiam, fortitudinem, omnem denique honeſtatem cum ſuis comitibus haberi odio, exulare & latere. quod dictum eſt Satyricum in impuram ſceleſtamque Romanorum vitam. *quando pauper.* narratio technarum quibus vtuntur hæredipetæ in demulcendis ſenibus. *turdus.* ellipſis coniunctionis, ſiue. Gaudent ſenes vtili amicitia, quare ad animos eorum conciliandos palmarium eſt, munera grata mittere. Turdus auis eſt multum commendata ganeæ, iuxta illud Martial. Inter aueis turdus ſi quis me iudice certet, inter quadrupedes gloria prima lepus. ea auis nominatur Flandricè een crammer / oft lijſter, κίχλη Græcè: cuius tria genera vide apud Ariſtot. Hiſtor. libro nono, cap. vigeſimo. & Athen. libro ſecundo. *ſiue aliud priuum.* priuum hic non tam priuatum quid & proprium denotat, quàm peculiare & rarum ex auium genere: Quales apud antiquos erant gallinæ auctore Myrtilo apud Athenæ. lib 9. quas ſolas appellabant ὄρνιθας καὶ ὀρνίθια. nec non apud Columellam & alios, qui de auibus ex profeſſo ſcripſerunt, gallina ſemper primum locum tenet. Aut quia primum dicit, quod & domeſticum eſt, & cohortale, non ineptè reddi poteſt de feris & exoticis auibus, magna cura & opera iam manſuefactis conſeruatiſque. Sic & Lucil. inquit, abdomina thunni priua dabo, quaſi peculiaria & in vſum proprium recondita. Porrò codex Blandin.

anti-

antiquiſſimus habet ad oram paginæ characteres ipſa quidem forma Græcos; ſed eos aſſequi cùm nequeam, non inutile duxi ſtudioſis perſpicacioribus eruendos appingere, ἰΔιιζατωΝ ὀιΝιτΗΝ ιαΝιιr ѕοΐιΝk. neſcio an initium ſic ſcribi debeat, ἰδιοτάτην ὀρνίθην. *deuolet illuc.* appoſita feſtinationi metaphora ab auibus dono mittendis deſumta, ne alius ſenem diuitem præoccupet: non rarò namq. nocuit differre paratis. *res vbi magna nitet.* argumentum diuitiarum à nitore & cultu. *dulcia poma* μελίμηλα, γλυκόμηλα: mala muſtea Varroni; Paradijs appelkens. *honores.* primos fructus, honoribus deorum & ſacris debitos: Antiquitas enim Laribus primos fructuū ſacrificare ſolebat. *qui quamuis p. a.* monet omnis generis diuites eſſe captandos, probos, improbos, nobileis, ignobileis, noxios, innoxios, ſeruos, liberos: nam valere debent pudor & probitas vbi de numaria re agitur, virtus enim poſt nummos, vt ait Epiſt. 1. Quod etiamnum poëta quidam antiquus canit apud Plutarchum in commentario de poëtis audiendis: τοῦ γὰρ δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο, τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος, ἔνθα κερδανεῖς, hoc eſt, opinionem ſpernito iuſti viri, quiduis agentem ſequere, cùm ſpes eſt lucri. atque hoc ipſum eſt quod ait, *ne tamen illi tu.* hoc eſt, ne pudeat te illum à ſiniſtris aſſectari; nam pudor inutilis eſt viro indigenti. *vt ne tegam ſ. D. l.* ſic habent omnia ſcripta cōtra vulgatam lectionem. eſtq́ue ἀγανάκτησις. perinde ac ſi dicat, itáne me comitem ire iubes, vt ſpurco & vili generéque ſeruili nato Damæ claudam latus ſiniſtrum: *haud ita Troia me g.* à gestis rebus. quàm difficile eſt egregia & bene nata ingenia, virtute deſerta, vitiis aſſueſcere. *certans ſemper melior.* Helleniſmus. Certare cum melioribus, eſt cum fortioribus de virtute & gloria contendere. *ergo pauper eris.* clauſula Tireſiæ: qua ſignificat Horatius apud Romanos rectè factis & æquis honeſtiſq́ue rationibus non eſſe locum, ſed largitione & aſſentatione rem omnem peragi. tale eſt illud epiſt. 1. plebs eris. *fortem hoc animum t. i.* hoc ſumtum eſt ex Odyſſea ε, vbi ait Vlyſſ. ἤδη γὰρ μάλα πολλ' ἔπαθον καὶ πολλὰ μόγησα κύμασι καὶ πολέμῳ· μετὰ καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω, hoc eſt, iam tuli & antè mali multum, multumq́ue laborum fluctibus & belli, age & hoc acceſſerit illis. *tu protinus vnde d. a. r.* quandoquidem paupertas vrgebat, quæ hominem multa experiri iubet, animo iam nunc ad omnem euentum obſirmato, hortatur Vlyſſes Tireſiam, vt in incepto pergat. *æris q. ruam.* eruam & conquiram. alludit ad auarorum naturam, qui ſuū theſaurum ſolent humi defodere, aut in arcis concluſum diligenter adſeruare. Aut ruam æris aceruos, id eſt, mēſurem: quemadmodum apud Plautum, æris aceruos ruit; ita vt ruere ſit modio adæquare cumulum: hinc rutrum pro hoſtorio. Lucilius, frumētarius eſt, modium ſecum atque rutellum vnum adfert, &c. Cic. Attico lib. 16. De laudibus Dolabellę, deruam cumulum. *captes aſtutus vbiq.* propoſitio: hanc poſtea per parteis expoſuit. *neu ſi vafer v.* præcipit in inſtituto eſſe obdurandū animum, nec confeſtim deſperandum, ſi ſemel & iterum res ipſa non ſucceſſerit ex animi ſententia: nam qui lucrum cupit, damnum patiatur oportet. *præroſo fugerit hamo.* metaphora à piſcibus ſumta: prærodunt enim piſces hamum, id eſt, eſcam prægustant, donec ſenſerint hamum, ad cuius contactum exhorrent & fugiunt: ita ſenes vafri munera capiunt donec fraudem perſentiſcunt: verùm piſces incauti vt vix effugiunt vbi hamum vorant, ita ſenes muneribus ineſcati non facilè elabuntur. *artem ill. o.* dolum & inſidias, τέχνην. *magna minórve f.* expolitio propoſitionis à cauſa forenſi: hoc enim primum & præſentiſſimum eſt conſilium, vt pluribus innoteſcas, in publico verſari, cauſas intendere, & defenſare: vbi namque turba eſt, ibi quæſtus eſt, iuxta hoc Homeri Odyſſ. ρ. πτωχῷ βέλτερόν ἐστι κατὰ πτόλιν ἠὲ κατ' ἀγροὺς δαῖτα πτωχεύειν, id eſt, mendico præſtat populoſa per oppida cœnam mendicare ſuam, quàm ruri. Quare ſi inter diuites orta ſit cōtrouerſia de rebus aut magnis aut paruis, eū ſtudio & officio proſequere, & eius parteis tutare qui liberis caret, quamuis ſit improbus, iniquus & audax; alterum verò qui liberos habet & vxorem fecundam deſere, oppugna & inſulta, etiam ſi probus ſit & ciuis bonus, cauſaq́ue nitatur æquiore: *certabitur.* verbum perſonale, ἀπροσώπητον, ex eorum paſſiuorum numero quæ tertias vtriuſque numeri perſonas habent, vt aratur ager, arantur agri. Lucan. Plus cinerum Hæmoniæ ſulcis telluris aratur. *vltrò.* αὐτομάτως, nulla de cauſa improbus & infeſtus alteri. D. Woulardus per ſynchyſin vult τὸ vltrò, determinare τὸ eſto, hoc modo, vltrò illius eſto defenſor. cuius ego ſententiam libenter amplector, ſi modò ei iungatur τὸ improbus, pro epitheto dictionis, defenſor, vt hic ſit ordo, vltrò eſto illius improbus defenſor; hoc eſt, indefeſſus patronus. *audax.* nimia inſolentia ferociens. *fama ciuem.* nomine & exiſtimatione virum bonum. *Quinte putà aut P.* aucupandi ſenis formula primo congreſſu, cum præfatione honoris. *molles.* delicatæ, teneræ, eneruës, quales ſunt diuitum & præpotentum, quæ obtrectationibus quidem & aſſentationibus ſunt patulæ, ſed obſurduerunt veritati. vide Adag. Auricula infima mollior. *tibi me virtus t.* ἐπωνυμία, à virtute. *ius anceps n.* à iuris ſcientia. *cauſſas def.* ab vſu & cognitione cauſſarum forenſium. *eripiet*

quiuis o. e. à fidelitate & diligentia patrocinij. *caſſa nuce.* omnes manuſcripti habent, quaſſa, vetere ſcriptura, ſicuti nonnumquam offendi quarere, pro carere. Caſſa autē nux, vitioſa eſt & inani putamine, Adag. pro re nihili. *neu ſis iocus.* ridiculus. *ire domum.* præcepta Tireſiæ ad Vlyſſem. *pelliculam cur.* curare cuticulam, indulgere genio, ſunt eiuſdem farinæ, pro eo quod eſt, animo obſequi, & genialiter viuere. *ſi cognitor ipſe.* ſic habent 4. Bland. Buſl & Diu. reliqui habent, ſis. Cognitor, inquit Feſtus, eſt qui litem alterius ſuſcipit coram eo cui datus eſt: Procurator autem abſentis nomine auctor fit. Aſconius Pedian. qui defendit alterū in iudicio, aut patronus dicitur ſi orator eſt, aut aduocatus ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico, aut procurator ſi negotium ſuſcipit, aut cognitor ſi præſentis cauſſam nouit, & ſic tuetur vt ſuam. *ſeu rubra canicula.* χαυσοχαυφία æſtatis feruentis ab ortu Caniculæ ſideris: aut per Caniculā notatur clamoſus aliquis & mordax orator. *findet infanteis ſt.* videtur notare vel ineptos iudices, qui cauſas non magis quàm ſtatuæ cognoſcunt, vel infacūdos actores cauſarum. *tentus omaſo.* diſtentus pinguibus inteſtinis. Præcitum & omaſum, inquit Nonius, partes carnis & viſcerum: Significatur Fuſius obeſus & craſſus ventre fuiſſe diſtento & pingui: Qualis ille eſt apud Perſ. cuius pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat. *Furius hibernas.* hic etiam M. Fuſius ab aliquibus nominatus eſt, bibaculus dictus à nōnullis. At ego malim ſequi annotationes Blandinias, quæ ſine vllis maculis habent Fuſius viuaculus, vt in Commentat. ſcribi curaui. Huic opinioni conſentit is qui Macrobij locum reſtituit lib. 2. cap. 1. mihi ex libro Fuſij viuaculi notus eſt, &c. inquit Macrob. Commendatur à Diomede & Quintil. in iambicis; cuius hic eſt verſiculus in Orbilium, Orbilius vbinam eſt litterarum obliuio? vixit vnà cum Cic. patria Cremonenſis, teſte Euſebio in Chronicis. Horat. autem deſcribens tempus hibernum ἐν παρῴδᾳ iocatur in eum propter verborum ampullas in hoc carmine, Iuppiter hibernas, &c. quod niuem vocet ſputum Iouis. codex Tonſ. habet, conſpuet vadas. *nónne vides.* hortatur Vlyſſem Tireſias ad conſtans propoſitum à commendatione in foro ei aſtantium, & ſpe quæſtus opimioris. *plures annabunt tunni.* ἀλληγορικῶς. plures ſenes accedēt, ſuam cauſam tuæ fidei concredentes. apta comparatio Thynnorum prægrandium ad ſenes diuites, craſſos & ineptos. Alij Thunni ſunt piſces minores, Tonnine vulgò vocitati: quorum captura copioſa eſt in Hiſpania ad columnas Herculis. *cetaria.* cetaria, cetarij à cete grādibus dicuntur piſcatores, tam qui eos piſceis captant, quàm in cetarijs ſaliunt & vendunt. *ſi cui præterea.* tranſit ab orbo ſene ad eum qui filium quidem habet, ſed non vitalem, vt qui ab infantia in adultam vſque ætatem ſublatus & enutritus nihil quàm elanguet: quod eo conſilio fieri ſuadet, ne pateſiant hæreditati factæ inſidiæ. qua ſuſpicione vulgò laborant, qui ceteris neglectis & contemtis, orbo ſeni tantum dant operam. *nudet.* metaphoric. declaret, & manifeſtet animum tuum dolis intectum celatumque. *arrepe.* ἀνύχῳ ποδὶ, hoc eſt, tacito pede & cautim, multiſque officiis eum demereri ſtude, quo ſperare poſſis te hæredem languenti filio ſubſtitutum fore. *orco.* codex Sil. habet, horco, ex Græco; eſt enim, auctore Heſiod. ὄρκος τῆς ἔριδος υἱός, Litis filius: ponitur autem pro fatalibus inferis: itaque agere orco, ſeu ad orcum; eſt concedere fato, mori. *hæc alea fallit.* alea de ancipiti rerū euentu dicitur, nimirum vbi res non ex arbitrio noſtro, ſed à fortuna dependet: qualis eſt hæreditatis captatio, & cetera ferè quæ ſunt humana. At hoc tamen homini pro ſolatio datum eſt, vt id quod minus pro ſententia cecidit, arte corrigat & rectè diſtribuat. *qui teſtamentum.* conſilium de teſtamentariis tabulis ab Vlyſſe reiectandis, quas ei legendas teſtator obtulerit, ne incidat in eas pedicas quas alij ſtruxerat, & captans capiatur. quod multo antè tempore prædicit futurum Naſicæ ſocero capturo Coranum generum, à quo miſer captandus venit. *qui teſtamentum t.* τμῆτις, pro quicumque teſtator. *abnuere.* leui nutu quodammodo recuſare, ita tamen vt quaſi aliud agens & ex obliquo tabulas reſpectans, cognoſcas ſolúſne, an multis cohæres ſcriptus ſis. *prima ſecundo cera.* prima cera pro prima parte tabulæ cera illitæ, vbi in primo verſu nomen teſtatoris, in ſecundo verſu, nomen hæredis, aut ſolius, aut cum cohæredibus; in ima verò cera, hoc eſt, in extrema parte tabulæ cetera pro teſtatoris voluntate notabātur. Veteres autem tabulis vtebantur ceratis, in quibus cum priuata tum publica ſignabant. *ſolus multiſue co.* hæc eſt interpretatio eius quod ſecundo verſu primæ tabulæ ſcribi ſolitum erat, nimirùm, hæres vnus, aut cohæredes. *plerumque.* aliquando, olim. *recoctus.* in quinqueuiratu decoctus, id eſt, luxu perditus, nūc per ſcribatum recoctus; nam recoquere, id eſt, reparare ſtudet in ſcribatu quod antea decoxit: ſed de hoc ſcriba recocto, vide Comment. ſumta metaphora à fabris aurariis, argentariis, ferrariis, qui maſſæ ad incudem reuocatæ, coquendæ recoquendæque vnà cum forma nomen variant: non aliter ſanè quàm vt belli tempore vomeres recoquuntur in arma & gladios, ita ſcriba temporis iniquitate inutilis, vel ad rem attentior, vt lucrū faciat amplius, curat ſe fieri quinqueuirū: qui iterum

rum negotio abſoluto, cuius gratia dictus erat atq; creatus, ne ſine quęſtu priuatus viuat, ad ſcribatum reuertitur. Coquere, recoquere, fingere, refingere, cudere, recudere, mutare, incudi reddere, ad incudem reuocare, in eadem ſunt metaphora. Porrò fuere quinqueuiri diuidundis agris, muris, turribúſque reficiundis, ſæpiùs vt plebem funebri pecunia leuarent, vtque æs alienum pro his qui ſoluendo non eſſent, de publico ſoluerent, menſarij nuncupati. Quæ res quantum ad patrum plebiſq; conciliandos animos profuerit, difficile dictu eſt. Séd & fuere quinqueuiri creati cis & vltra Tiberim, qui poſſent veſpertinis horis vices magiſtratuum gerere, cùm magiſtratus ad id temporis in foro eſſe non deceret, &c. Alex. ab Alexand. lib. 5. cap. 16 *dabit riſus.* præbebit occaſionem ridendi. *num furis?* εἰρωνεύῃ ἢ μάντιν ἄγεις? Vatem & diuinatorem agis, afflatus numine & diuino furore raptus hæc, loqueris, an ſciens & prudens me ludificas? fingit Horatius ea vaticinari Tireſiam, quæ multo pòſt tempore futura erant: quæ cùm nihil ad ſe facere crederet Vlyſſes, ſe ridiculo eſſe opinatur. Quod quidem conſilto factum eſt ab Horatio, qui more ſuo nihil quàm & diuos & diuina omnia, vateſque ipſos pro rebus ludicris haberet, quòd ij multis ſæpè ambagibus vſi, primùm conſultores rei nouitate attonitos, deinde obliquitate reſponſi magis dubios nonnumquam à ſe dimittebant quàm acceperant: Quare ne quid tale de Tireſia ſibi perſuaderet Vlyſſes, inducit Horatius eum (εἰρωνικῶς vt arbitror) non eſſe ex eorum numero, qui ambiguis oraculis ſolent animos tenere ſuſpenſos, ſed vera dicere, vt qui Apollinem ſibi haberet auctorem: ait itaque, *ô Laërtiade* perinde ac ſi dicat, ô Vlyſſes neminem ludo, ſed certa loquor & indubitata, adeò vt quæ aſſero, ſint futura; contrà, quæ nego, non eueniant *diuinare &c.* αἰνολογία ab auctoritate Apollinis, cuius oracula habebantur certiſſima: hine illud, τὰ ἐκ τοῦ τρίποδος, hoc eſt, hæc ex tripode profecta ſunt. *mihi donat Apollo* Apollo, putà, Tilphoſius, qui templum ſuũ habuit nõ procul à ſepulchro Tireſiæ, vt ſuprà diximus. *ſi licet, ede.* omnes cod. habent, ede, præter Siluium, qui habet, edam. *fabula.* vaticinium Tireſiæ habet Vlyſſes pro fabula, pro commento, pro ludo, nimirùm quòd ea res ſibi eſſet incognita, & fabulę propinquior quàm rei verę. *tempore quo iuuenis* χρονογραφία. quando hæc res eſſet euentura: nimirùm eo tempore quo Parthi Auguſto imperanti redderent ſigna militaria M. Craſſo cũ exercitu cæſo & M. Antonio erepta anno ab vrb. cond. 726. Videto Oroſium lib. 6. cap. 21. *ab alto d. gen.* laus Auguſti Cæſaris à natalibus. *forti nubet.* forti, diuiti, quemadmodum Plaut. in trinumo: eum ſororem deſpondiſſe ſuam in tam fortem familiã, id eſt, diuitem & copioſam, inquit Nonius Poteſt quoque εἰρωνικῶς accipi pro bono *metuentis* παρατηρῶντος. occaſionem captantis ne ſolueret vniuerſum debitum *præter plo.* πλὴν τὸ οἰμώζειν. nam plorare imprecabãtur antiqui cui malè volebant. *ſuisq;* creditoribus, quibus erat obæratus & obligatus totã ſummam reddere. *illud adhuc iub.* aliud conſilium captandi ſenis, à familiaritate cum domeſticis. *mulier.* γυνή. *delirum.* epitheton ſenis. *ſed vincit lon.* ἐπανόρθωσις: nam monet quidem nõ eſſe inutile familiaribus applaudere, ſed magis approbat ſenis ambire gratiam. *vltrò Penelopam.* ſub Vlyſſis & Penelopæ perſonis inſurgit in Romanos putidiſſimos, qui ſuas vxores matronas pudicas & honeſtas, hæreditatis aſſequendæ gratia, vel inuitas vltrò perducebant ad ſenes ad alteros. quæ, proſtituta ſemel pudicitia, lucrumque vnà cum voluptate expertæ, poſteà non magis ad [illegible] vitæ genus honeſtum redire poterant, quàm ſolet canis ab vncto corio ſemel guſtato depelli. *potiori.* quaſi potiori amatori, & ad dandum potentiori. ſic enim Dorio leno in Phormione ait, mea lege vtor, vt potior ſit, qui prior ad dandum eſt. *putáſne per.* ἐρώτησις. à maiori. Nam ſi nobiles adoleſcentes viribus integris & firmo corpore, non valuerint vllis pollicitis, donis, muneribus, aut vlla gratia eius animum flectere, inque ſui amorem pertrahere; qui nunc perſuaderi poterit, vt, pudicitia valere iuſſa, perducatur ad ſenem vietum & exuctum? *tam frugi.* tam caſta. *venit enim magnum d. p.* αἰτιολογία per ſynchyſin eius quod dixit, potiori trade. Nam iuuenes qui procos agebant Penelopæ, tenuiores erant, & in magnis muneribus dandis parciores minuſque liberales. Quod vel eo argumento in confeſſo eſt, quòd Penelopam ditiorem plus veneris & curandæ cutis gratia procarentur, quàm eius potiundæ; vt canit Elegiac. Turba ruũt in me luxurioſa proci: luxuria namq. & luxus non tam Veneris eſt; quàm in cibo & potu rebuſque alijs nimia affluentia: definitore Nonio, apud quẽ luxuria eſt contra pudorem & ſupra modum profuſio. Cic. 1. de offic. intelligimus quàm ſit turpe diffluere luxuria, delicatè & molliter viuere. *ſic tibi Penelope frugi.* διὰ τῆς μικροδωρίας procorum cõfutat Penelopæ caſtitatem, cui ſi multa elargiti & præclara fuiſſent, non minus difficulter eius pudicitiam expugnaſſent, quàm cuiuſuis alterius mulieris: eius enim natura ſtultior eſt & imbecillior, quàm vt ſuis oppugnatis affectibus imperare poſſit. Videtur autem hoc loco Horatius eſſe ex eorum numero, qui contra Homerum tradiderunt Penelopam ſe proſtituiſſe omnibus procis. *de ſene guſtarit.* de ſene guſtare eſt eius dona experiri *vt canis*

canis à corio. vide Adagium, χαλεπὸν χορίου κύνα γεῦσαι, hoc eſt, periculoſum eſt canem inteſtina guſtaſſe. *me ſene quod dicam f.* narratio facti, quo monet Tireſias Vlyſſem, vt in officio ſeni faciendo, neque ſit importunus, neque ceſſator, ſed imitetur Dauum comicum. *ſcilicet elabi ſi poſſet m.* codic. 4. Blãd. Mart. Sil. Diu. habẽt ſine vllis notis expreſſã hãc lectionẽ, ſcilicet elabi ſic poſſet mor. ſed antiquiſſ. Bland. ſcilicet elabi vt ſic poſſet mor. quæ lectio vt aperta & manifeſta, ita certè perinde videtur approbanda quàm vulgata: verùm per me vtatur lector ſuo iudicio. Anus autem cùm viua nequiret vllis artibus effugere importunitatem hæredipetæ, teſtamento cauit, vt ſuum cadauer oleo copioſo inunctũ, ipſe nudis humeris efferret ad ſepulturam, vt vel mortua ſic elaberetur captatorem. *credo quod nimium.* cauſa condicionis teſtamentariæ de vnctione, & cadaueris elatione. *cautus adito.* conſilium de moderato obſequio & callido in tractandis ſenibus. *offendet garrulus vltrà.* ſic habent codices Bland. 4. M. Tonſ. Buſl. Sil. Diu. & credo genuinã eſſe, ita vt τὸ vltrà, ſit idem quod Græcè dicitur ἐπιπολὺ: quod expreſſit epiſt. 7. inquiens, ne te lõgis ambagibus vltrà quàm ſatis eſt morer. *Dauus ſis comicus.* induito ſerui perſonam, magis vt tibi commodes, quàm vt obſequaris ſeni, omnia ſimulans, omnia metuens, omnibus applaudens. De Dauo, Geta & aliis ſeruis, vide Alexan. Alexand. lib. 3. cap. 20. *obſequio graſſare.* ſedulus & officioſus quouis obſequij genere ei adeſto, eum comitare. hoc generatim dictum per parteis explicat. Graſſari antiquum verbum eſt pro frequenter adire, ſalutare, comitari, iuuare. Nonius ait ſignificare ſupra modum ſæuire nec non ambulare. Feſtus autem, antiqui, inquit, graſſari ponebant pro adulari: Ergo graſſare, id eſt, adulando non apertè, ſed ex inſidiis capta ſenem. *ſi increbruit au.* hæc lectio ſeruata eſt illæſa in antiquiſſimo Blandin. Buſl. Diu. reliqui verò omnes habent *increpuit*, minus rectè, vt arbitror: nam licet increpare nonnumquam ſit idem quod ferire, ſonituque aureis verberare, auctore Nonio, tamen hoc alio quodam modo denotat, quàm increbreſcere, quod vehementioris eſt venti, & increſcentis auræ, quæ corpora plerumque grauius percellit afficitque. quod ne contingat, monendum ſenem præcipit Vlyſſi, vt in tempore caput tegat. *aurem ſubſtringe loq.* finge & compone te quaſi attentè auditurum, quicquid dicere conabitur, idque ſubſtrictis, hoc eſt, ſubrectis auribus: quaſi ſint omnia quæ dicit admiranda. ſumta metaphora à brutis, quæ vbi quid eminùs audiunt, aureis ſurrigunt, quibus demiſſis obſurdeſcunt, vt habet Ariſtotel. lib. de natur. animalium nono.

Sic Epodo 6. agam per altas niueis aure ſublata. Huic contrarium eſt alibi, Demitto auriculas vt iniquæ mentis aſellus. Non me clam eſt hunc locum ab aliis exponi aliter, ſed hæc ſententia mihi viſa eſt magis apta. at ſequatur tamen lector alios pro arbitratu. *importunus amat laudari* τὸ importunus, ab aliquibus iungitur verbo, amat. quam ſententiam etiamſi non improbem; tamen mihi videtur habere vim maiorem ſi apponatur verbo, vrge, propter exclamationem ſenis, quaſi iam tædio affecti importunitatis. Importunus vrge, hoc eſt, noli vnquam finem facere eius laudes in aureis occinendi, donec ſublatis ad cælum manibus dixerit, ohe, iam ſatis eſt, per apoſiopeſin. *ſublatis mani.* hic geſtus eſt præ lætitia & gaudio exultantis. *creſcentem tumidis.* appoſita & faceta allegoria, vt per vtrem philautum ſtultumque & vecordem hominem; per ſermones tumidos, ab effectu, laudes inaneis, ventoque ſimileis intelligamus, qui intumeſcere, ſupraque modum efferri faciunt vanos animos. *cum te ſeruitio longo.* tranſit ad præmium laboris ab Vlyſſe captatum, ſperatumque. *& certum vigilans.* τὸ certum, pro certo, aduerbialiter. per ἀντιμερίαν, vel participium, vigilans, vel verbum, audieris, determinat: equidem malim cum verbo ordinari: ad multa namque vigilantes ſępe obſurdeſcimus, ita vt id quòd eſt certò audire nequeamus, eſt enim auditus ſenſus tardus. Sed & poteſt τὸ certum, eſſe nomen abſolutè captum pro re certa, nimirum, Vlyſſes quartæ partis hæres eſto. *vigilans*, ὕπαρ, inter vigilandum; cui contrarium eſt ὄναρ, καθ᾽ ὕπνον, per ſomnium, nempe quando ea res agitatur in cerebro, de qua vigilantes aut egimus, aut vehementer cogitauimus. quemadmodum apud Theocrit. piſcator, πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, ἰχθύα κἠγών, hoc eſt, panes in ſomnis captat canis, aſt ego piſceis. *ergo nunc Damaſ.* poſt obitum ſenis, adeptamque hæreditatem, docet Vlyſſem Tireſias vates, qualis perſona, quæ ſimulatio ei ex vſu fuerit ad alios diuites & propinquos defuncti captandos. *Dama ſod. v.* querela à morte ſodalis. Dama nomen ſerui apud Syros. *nuſquam eſt.* non eſt, non viuit, mortuus eſt, ſpecies metalepſeos: exprimit geſtus, voces, & lamentationes quibus vti ſolebant amici, propinqui, affines, & hæredes in funebri pompa. Sic ode 24. lib. 1. Ergo Quintilium perpetuus ſopor vrget, &c. *tam fortem.* à fortitudine & fidelitate ſodalis. *vnde.* quomodo. ſic ſuprà Eclog. 3. Vnde tam bene me noſti? Cic. pro Sylla, non recordor vnde ceciderim, ſed vnde ſurrexerim *ſparge ſubinde.* alludit ad morem antiquum funeris curandi, cùm aceræ inſtratiſque lectulis ſolebant amici inſpargere flores, corollas, vnguenta, odores, ra-

res, ramos, frondeis, & id genus alia dona, cum fletu, deploratione & lacrymis. Commentator & alij referunt hæc verba, ſparge ſubinde, aliò. quare liberum eſto lectori ſentire vt libet. *eſt gaudia p. v. c.* licet non indicare vultu animi gaudium: vultus autem dicitur animi proditor, quòd eius ſit index: habent enim oculi, frons & ipſe vultus ſuum ſermonem. *funus.* pompam funeralem. *malè tuſſiet.* mala tuſſis eſt, quæ accedit aqua intercute laborantibus, iuxta illud Hippocratis, *τοῖσιν ὑδρωπικοῖσιν βὴξ ἐπιγενομένη, κακόν*, tollit enim omnem ſpem valetudinis, teſte C. Celſo lib. 2. cap. 8. Sed & mala tuſſis *φθίσις* comitatur, quando pus excreatur, & nonnumquàm cruentum aliquid, quam ſubſequitur tabes. *malè.* vehementer & periculoſè. *gaudentem.* opinor τὸ gaudentem, per enallagen pro aduerbio ſimilis notæ poni *χαρᾷ*, libenter. *numo te addicere.* addicere numo, inquit Budæus in Pandect. eſt quod noſtrates dicunt, fruſto panis vendere; quod donationis eſt inſtar, cùm obtentu venditionis rem donantes, inuidiam donationis vitamus, aut pudori accipientis conſulimus. *imperioſa trahit P.* nam poſt mediam noctem die aduentante per Proſerpinam nihil vmbris fari concedebatur: quare ſignificatio eſt noctis iam præcipitis.

ECLOGA VI.

HORTVS.

HOC *erat in votis: modus agri non ita magnus,*
Hortus vbi, & tecto vicinus iugis aquæ fons,
Et paulum ſiluæ ſuper his foret. auctius, atque
Dij melius fecere. bene eſt. nihil amplius oro,
Maia nate, niſi vt propria hæc mihi munera faxis:
Si neque maiorem feci ratione mala rem:
Nec ſum facturus vitio, culpáve minorem:
Si veneror ſtultus nihil horum: O ſi angulus ille
Proximus accedat: qui nunc denormat agellum:
O ſi vrnam argẽti fors qua mihi monſtret: vt illi,
Theſauro inuento, qui mercenarius agrum
Illum ipſum mercatus arauit, diues amico
Hercule: ſi, quod adeſt, gratum iuuat: hac prece te oro
Pingue pecus domino facias, & cetera, præter
Ingenium: vtq́; ſoles, cuſtos mihi maximus adſis.
Ergo vbi me in monteis, & in arcem ex vrbe remoui:
Quid prius illuſtrem ſatyris, muſaq́; pedeſtri?
Nec mala me ambitio perdit, nec plũbeus Auſter,
Auctumnúſque grauis, Libitinæ quæſtus acerbæ.
Matutine pater, ſeu Iane libentius audis,
Vnde homines operum primos, vitaq́; labores
Inſtituunt (ſic dis placitum) tu carminis eſto
Principium. Romæ ſponſorem me rapis: eia,
Ne prior officio quiſquam reſpondeat, vrge.
Siue aquilo radit terras: ſeu bruma niualem
Interiore diem gyro trahit: ire neceſſe eſt.
Poſt modò, quod mi obſit, clarè, certumq́; locuto,
Luctandum in turba, facienda iniuria tardis.
Quid vis inſane? & quas res agis? improbus vrget
Iratis precibus. tu pulſes omne quod obſtat,
Ad Mæcenatem memori ſi mente recurras.
Hoc iuuat: et melli eſt: non mẽtiar. at ſimul atras
Ventum eſt Eſquilias: aliena negotia centum
Per caput, & circa ſaliunt latus. ante ſecundam
Roſcius orabat ſibi adeſſes ad puteal cras.
De re communi ſcribæ magna, atque noua te
Orabant hodie meminiſſes Quincte reuerti.
Imprimat his, cura, Mæcenas ſigna tabellis.
Dixeris, experiar? ſi vis, potes, addit: & inſtat.
Septimus octauo propior iam fugerit annus,
Ex quo Mæcenas me cœpit habere ſuorum
In numero: dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet iter faciens: & cui concredere nugas
Hoc genus: hora quota eſt? Thrax eſt gallina Syro par?
Matutina parum cautos iam frigora mordent:
Et, quæ rimoſa bene deponuntur in aure.
Per totũ hoc tempus ſubiectior in diem, et horam
Inuidiæ: noſter ludos ſpectauerat vnà:
Luſerat in campo, fortunæ filius, omnes.
Frigidus à roſtris manat per compita rumor?
Quicumq. obuius eſt, me conſulit: ô bone (nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet)
Numquid de Dacis audiſti? nil equidem. vt tu
Semper eris deriſor. at omnes dij exagitent me:
Si quicquã. quid? militibus promiſſa, Triquetra,
Prædia Cæſar, an eſt Itala tellure daturus?
Iurantem me ſcire nihil, mirantur, vt vnum
Scilicet egregij mortalem, altiq́; ſilentI.
Perditur hæc inter miſero lux, non ſine votis:

O rus, quando ego te aſpiciam? quandóque licebit
Nunc veterũ libris, nũc ſomno, & inertibus horis
Ducere ſollicitæ iucunda obliuia vitæ?
O, quando faba Pythagoræ cognata, ſimulq́;
Vncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo?
O noctes, cœnæq́; deûm: quibus ipſe, meiq́;
Ante Larem propriũ veſcor, vernasq́; procaceis
Paſco libatis dapibus! prout cuique libido eſt,
Siccat inæqualeis calices conuiua, ſolutus
Legibus inſanis: ſeu quis capit acria fortis
Pocula: ſeu modicis vueſcit lætius. ergo
Sermo oritur non de villis, domibúſve alienis:
Nec malè, nécne Lepos ſaltet: ſed, quòd magis ad nos
Pertinet, & neſcire malũ eſt, agitamus: vtrúmne
Diuitiis homines, an ſint virtute beati:
Quídve ad amicitias, vſus, rectúmne trahat nos:
Et quæ ſit natura boni: ſummumq́; quid eius.
Ceruius hæc inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. nam ſi quis laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, ſic incipit. Olim
Ruſticus vrbanum murem mus paupere fertur
Accepiſſe cauo, veterem vetus hoſpes amicum,
Aſper, & attentus quæſitis: vt tamen arctum
Solueret hoſpitiis animum. quid multa? neque illi
Sepoſiti ciceris, neque longæ inuidit auenæ:
Aridum & ore ferens acinum, ſemeſaq́; lardi
Fruſta dedit, cupiens varia faſtidia cœna
Vincere, tangentis malè ſingula dente ſuperbo:
Cùm pater ipſe domus palea porrectus in horna
Eſſet ador, loliumq́;, dapis meliora relinquens.
Tandem vrbanus ad hunc, quí te iuuat, inquit, amice,
Prærupti nemoris patientem viuere dorſo?
Vin'tu homines, vrbemq́; feris præponere ſiluis?
Carpe viam (mihi crede) comes: terreſtria quãdo
Mortaleis animas viuunt ſortita: neque vlla eſt
Aut magno, aut paruo lethi fuga. quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus iucundis viue beatus:
Viue memor, quàm ſis æui breuis. hæc vbi dicta
Agreſtem pepulere: domo leuis exſilit. inde
Ambo propoſitum peragunt iter, vrbis auentes
Mœnia nocturni ſubrepere. iamq́; tenebat
Nox medium cæli ſpatium, cùm ponit vterque
In locuplete domo veſtigia: rubro vbi cocco
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos:
Multaq́; de magna ſupereſſent fercula cœna:
Quæ procul exſtructis inerãt heſterna caniſtris.
Ergo, vbi purpurea porrectum in veſte locauit
Agreſtem: veluti ſuccinctus curſitat hoſpes:
Continuatq́; dapes: nec non vernaliter ipſis
Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata ſorte: boniq́;
Rebus agit lætum conuiuam, cùm ſubito ingens
Valuarum ſtrepitus lectis excuſſit vtrumque.
Currere per totum pauidi conclaue: magisq́;
Exanimes trepidare, ſimul domus alta Moloſsis
Perſonuit canibus. tum ruſticus, haud mihi vita
Eſt opus hac, ait: & valeat. me ſilua, cauusq́;
Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur eruo.

COMMENTATOR.

IN hac Satyra agens de iocunditate ſeceſſus ſui, qua in agro ſuo Sabino fruebatur, & ſecuritatem ruris laudat, & de incommodis vrbis loquitur, quæ paſſus eſt dum Mæcenati obſequitur. hoc autem cupit oſtendere, vitam ruſticam quietiorẽ eſſe vrbana. *hoc erat in vo.* hoc optabã, nimirùm vt haberem aliquid agri, in eo hortum, fontem perpetuò fluentem, & ſiluam vicinam; plus autem conceſſit fortuna, quàm ſemper optaui. *non ita magnus.* non valde magnus. *iugis aquæ f.* perennis, cõtinuò fluentis. *ſuper his.* inſuper, præterea. *foret.* Zeugma, reſpondet enim verbum ſingulis partibus. *auctius.* quàm optabã. *dij melius f.* vicit quod optaui numinis fauor, vicit votũ meum. *oro.* opto. *Maia nate.* ô Mercuri. *propria.* perpetua, rata, firma. *faxis.* facias. Mercurium præcipuè colit, quia in Campis Philippicis eum liberauit; vt, Mercurius denſo pauentem ſuſtulit aëre. *ratione ma.* auaritia. *vitio culpaq́.* luxuria, profuſione. *ſi veneror.* ſi non habeo vota huiuſcemodi ſtulta. *ô ſi angulus ille.* ſtultum votum. ille angulus qui terminat agrum meum. *denormat.* decurtat & inæqualem facit. Eſt autem norma ad quam menſores fineis æqualeis dirigunt, habita perpendiculi ratione. *ô ſi vrnam.* ſi non opto tale, ô ſi theſaurum inuenero. *fors.* fortuna. *quà.* aliqua parte. *diues.* factus. *amico Hercule.* propitio. Hercules enim theſauris præeſſe dicitur. Sunt qui eundem incubum quoque, ſeu incubonem eſſe velint: vnde putant quòd & res ruſtica ſit in eius tutela: nam ei ſacra faciunt

faciunt ruſtici cùm iuuencos domuerint. Prętereà traditur fabula, quòd fuerit mercenarius aliquis, qui ſemper Herculem ſit deprecatus, vt ſibi boni aliquid largiretur, quem Hercules ad Mercurium duxit, & obſecratum theſaurum fecit oſtendi. quo effoſſo, ille eundem agrum, in quo operam mercenariam faciebat, cõparauit, & labori ſolito operam dedit: ſicq. probauit mercenarius quod Deus prædixerat Herculi, nulla re illum poſſe beatum viuere, cùm in eadem opera etiam poſt inuentionem theſauri perſeuerauit. Perſ. Dextro Hercule pupillúmve vtinam, quem proximus hæres impello, expungam. *quod adeſt.* quod poſſideo. *gratum iuuat.* me. *domino.* mihi. *cetera.* ſegetes, vineta, & ſi qua ſunt ſimilia. *præter ingenium.* quod craſſum nocet, animus enim cibis oppletus ſtolidus efficitur. *vtq; ſoles.* ait in libris carminum, Mercurij ſe ope ſeruatum Philippis. *vbi.* poſtquam. *in monteis & in arcem.* in villam in monte poſitam, quæ quaſi arx eſt ruſtico, quòd ab vrbanis moleſtiis & curis arceat vindicetque. Qualem villam etiam Melibœus ſua regna vocat, inquiens: Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas. *ex vrbe.* Roma receſſi. *quid prius illuſtrem.* inluminem, exequar Satyrico carmine. *muſaq; pedeſtri.* ſtylo humili & communi, qui ſermoni vulgari ſimilis eſt. *nec mala me ambitio p.* quando ſcilicet in agro ſum. *plumbeus.* grauis, noxius, peſtilens. *autumnusq; g.* quia per autumnum fructibus arborum grauati, plurimi moriuntur, à quo ſibi dicit ruri nõ eſſe periculum. *Libitinæ quæſtus.* Libitina lacus eſt in vrbe apud quem habitant qui efferenda corpora conducunt, & præbent funeribus neceſſaria, libitinarum dicti. Libitina etiam dea eſt, & lectulus cadaueris. *Matutine pater.* inuocatio. Ianum autem inuocat, quòd temporum ſit Deus, & præſit rebus incipiẽdis, quas matutino tempore rectè incipere ſolemus, ſiue in vrbe, ſiue ruri. *ſeu Iane libentius.* Ianus autẽ dictus, quòd quaſi ianua præbeat introitum in nouũ annum. *ſic diis placitum.* vt tu ſis incipiendarum rerum auctor. *ſponſorem me r.* vt ſpondeam. *ne prior officio.* ne ſit alius me officioſior, ne videar nolle officio amici in ſpondendo fungi. *reſpondeat.* ſatisfaciat. *vrge.* propera. *radit.* ſtringit, ſiccat, & ſuo flatu verrit. *niualem.* frigidum. *interior gyro.* circulo minore & breuiore. *diem trahit.* breuiorem facit, quia hieme dies ſunt breuiores. *ire neceſſe eſt.* ad ſpondendum: & eſt ellipſis coniunctionis tamen. *quod mi obſit.* quippe poſtquam pro aliquo ſpondendo me obligarim. *luctandum in turba.* mihi eſt. *tardis.* quos pulſo & vrgeo. *quid tibi vis inſane.* dicit is quem impello. *iratis precibus.* imprecationibus. *quod obſtas.* tibi. *memori ſi mente.* ſi memor cauſæ eas ad Mæcenatem. *hoc iuuat.* hoc bonum eſt conſilium. *melli eſt.* iucundum, dulce, ſuaue eſt. vt, diis pietas mea, & muſa cordi eſt. *Eſquilias.* Eſquiliæ locus erat vbi peregrini & pauperes ſepeliebãtur: poſtea horti Mæcenatis. *atras.* propter funera mortuorum. *ante ſecum.* ſic aiunt & mouent. *ad put.* prope. puteal locus erat in foro, ad quem conueniebant mercatores & fœneratores, ad tradendum & recipiendũ. alij dicunt fuiſſe pro roſtris, vbi tribunal erat prætoris. *re communi ſcr.* Horatius hic oſtendit ſe fuiſſe de numero ſcribarum, & decuriam habuiſſe. *re communi.* republica. *meminiſſes Q. reuerti.* quaſi ad locũ condictum. *imprimat his c.* cura vt ſubſcribat. *dixeris.* ſupp. ſi. *experiar.* videbo, conabor. *dumtaxat.* tãtummodo. *rheda.* curru ſecum trahere. *nugas hoc genus.* huius generis nugas, purgat ſe apud eos qui putant eum apud Męcenatem plurimum poſſe, non ſine tacita nota Mæcenatis, qui nihil ſerij communicabat Horatio: ita vt rectè dixerit Perſ. Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico tãgit. *Thrax eſt gallina S.* Thræx gallina fuit ſecutor, Syrus autem retiarius, vterque gladiator. *matutina pa.* hoc autumni tẽpore fieri ſolet. *et quæ rimoſa b.* ſupp. credebat mihi, hoc eſt, de iis loquebatur mecum, quæ ſine periculo rimoſis auribus, hoc eſt, garrulis, committũtur, eaq. mihi credebat, quæ prodita nocere non poſſunt: auris rimoſa, auris patula eſt, quæ nihil ſecreti continet. ſumtum ex eo dicto Terentiano, Plenus rimarum ſum, hac atq. illac perfluo. *per totum hoc tempus.* per totum hoc ſeptennium & amplius quotidiè magis ac magis ſubiacebam inuidiæ: Nam ſi quis me vnà cum Mæcenate in campo videbat, ſtatim dicebat me eſſe fortunæ filium, hoc eſt, fortunatum. Solebant autem Romani in campo Martio ludere pila trigonali. *noſter.* verba ſunt inuidorum de Horatio, ſic enim ſolent dicere liberti, aut clientes. *in diem & horam.* per ſingulos dies & horas. *vnà.* cũ Mæcenate. *omnes.* dicũt inuidi. *frigidus à roſt.* hoc eſt, ſi aliquis rumor grauis & formidoloſus manauerit per vicos & plateas, & diſperſus fuerit, &c. *per compita.* compita ſunt multarum viarum concurſus in vnum. *ſcire deos.* Auguſtũ, Mæcenatem, &c. Sic Virg. Nec tam præſenteis alibi cognoſcere diuos. &, Namque erit ille mihi ſemper Deus, &c. *numquid de D.* qui tunc rebellabant Romanis. *vt tu.* quàm tu. *at omnes dij ex. m.* perſequantur. ſic, inquit, cogor obteſtari & iurare: exagitatur autem à diis, qui ob ſcelus perpetratum furore concutitur. *ſi quicquam.* audiui. *Triquetra.* Triquetra Sicilia, quòd in treis parteis ſeu promõtoria diducta eſt: Græcè Trinacria, à tribus promõtoriis, Pachyno, Lilybæo, Peloro. *militibus pro. p.* an Cæſar ſit daturus militibus promiſſa prędia ex Itala tellure,

an Sicula? nam militibus emeritis vel dabatur ſtipendium ex ærario, vel aſſignabantur agri quos colerent. *alti'q; ſilenti.* vnicè taciturnum. *perditur.* perit, conſumitur. *hac inter.* anaſtrophe. *miſero.* in miſeris. *votis.* deſideriis. *ô rus.* iſtud eſt votum. *inertibus h.* in quibus nil agitur. *ducere ſoll.* viuere in iucundo otio. *ô quando f. P.* Pythagoras philoſophus ab omnibus animalibus abſtinens, etiam fabam non comedit; quòd ea viridis in pyxide ænea diutius aſſeruata vertatur in ſanguinem: vnde fertur maluiſſe in latrones incurrere, quàm per fabarum ſegetem tranſire, cùm aliundè effugium non haberet. *cognata.* dubitabat enim an in eo corpore lateret anima patris ſui, an alterius propinqui: qua de re ridet eum & eius ſequaces. *cœnaq; de.* cœnas deûm dixit ſecuriores, & quæ ſunt ſine ſollicitudine, ſic alibi: Namque deos didici ſecurum agere æuum. *mei'q;.* amici, familiares. *procaces.* petaces, qui confidenter loquuntur & liberè. *libatis dapib.* deguſtatis eſcis & deminutis, putà, vbi in rus meũ veni. *ſiccat inæquales.* adbibit quantum lubet. *legibus inſanis.* inſanas leges vocat Archipoſian, quando capaces calices ebibunt ad æqualeis hauſtus. *capit acria.* accipit grandia pocula. *modicis.* poculis. *vueſcit.* vdus fit, inebriatur. *latius.* libentius. *non de villis.* de auaritia, vt vrbani *lepos.* nomẽ inſignis ſaltatoris Cæſari grati: Archimimi, qui ſic appellatus eſt, quòd iucundè & molliter ſaltaret eloquereturque. *& neſcire mal.* ignorare non expedit. *agitamus.* diſquirimus. *quidve ad amicitias.* quęrimus quid nos trahat ad amicitias, vtilitas ne an honeſtas: multi dicunt amicitias propter vtilitatem expeti, multi contrà. *vſus.* vtilitas. *rectúmne.* honeſtas. *natura boni.* definitio. *ſummũq; q. e.* & quid ſit ſummum bonum: quod Stoici dicunt eſſe virtutem; Epicurei verò voluptatem. *garrit.* narrat, dicit. *ex re.* commodum non ſine cauſa, ſed ad propoſitum pertinenteis. aliâs, ex re, id eſt, ex vtilitate. *Arelli.* auari & diuitis. *ſollicitas.* ex effectu, quia cenſus nimius ſollicitos facit. *ignarus.* nam diuitiæ non faciunt beatitudinem, ſed animus paruo contentus, quæ virtus dicitur αὐτάρκεια: Quæ cùm Latinè vno verbo dici non poteſt, αὐτάρκεια, inquit Cic. eſt quæ paruo contenta, omne id reſpuit quod abundat. *paupere cauo.* in anguſtis latebris, anguſto cubili. *aſper.* parcus. *attentus quæſ.* qui moderatè vtebatur quęſitis, ita tamen vt largus eſſet in accipiendo hoſpite. *artum.* anguſtum, tenacem. *ſolueret.* curaret, laxaret. *hoſpitiis.* hoſpitibus. *longa.* habent enim glumum longum. *inuidit.* pepercit, ſed omnia detulit. *acinum.* hic acinus & hoc acinum, propriè eſt ebeni, vel ederæ botrus, ſed hic pro racemo ponitur. *tangentis malè.* vix, & faſtidioſè contingentis. *pater ipſ. d.* mus ruſticus. *eſſet.* comederet. *horna.* hornotina, vnius anni. *prærupti.* alti. *feris ſiluis.* deſertis regionibus. *terreſtria quando.* ſiquidem terreſtria animalia habent animas mortaleis, ita vt mori debeant. *aut magno a. p.* non diuiti, non pauperi, non nobili, non ignobili. *quo bone circa.* tmeſis, quocirca. *viue beatus.* affectatio in re ridicula. *pepulere domo.* ſollicitauerunt animum muris, vt domum ſuam deſereret. *leuis.* citus, celer; quia facilis eſt tranſitus à peioribus ad meliora. *auentes.* gaudentes. *nocturni.* de nocte. *cùm.* quando, quo tempore. *canderet.* fulgeret. *ſupereſſent.* abundarent. *fercula.* fercula ſunt & pulpita, in quibus deorum ſimulacra tolluntur, & vaſa, quæ plena pulmentariorum ponuntur in caniſtris. hoc caniſtrum & hi caniſtri pluraliter. *extructis.* compoſitis. *vernaliter.* more vernarum & ſeruorum. *prælambens.* prægustans. *lectis excuſſit.* iucundè, quaſi à deliciis inſperatis. *currere.* currebant. *trepidare.* trepidabant. *moloſſis.* canibus epiroticis; à Moloſſa ciuitate Epiri. *tum ruſticus.* mus. *cauusq;.* cauerna vbi antea habitauerat. *eruo.* eruum genus eſt leguminis.

CRVQVIVS.

STVDIOSIS & doctis hominibus demonſtrat Horatius à ſua perſona vitam ruſticam multis nominibus vrbanæ vitæ præferẽdam, iis in primis quibus dij immortales ſuo nutu adauxerint vel relicta à maioribus, vel acquiſita bona, ita vt iis contenti moderatè iucundeq. vitam tranſigant, nihilque amplius optent: quibus ait ruri licere in ſumma quiete Lari ſacra facere, genialiter viuere, philoſophari'que, quæ prima ſunt & ſumma vitæ beatæ. Contrà in vrbe viris bonis ad honeſtum otium nullum dari locum, nõ domi, propter intempeſtiuum ſæpè & ingratum multorum concurſum; non in foro, vt qui non norunt niſi ſuo plerumque magno malo pro amicis ſpondere, in turba patronorum verſari, aliis iniuriam facere; non apud principes viros, à quibus non rarò pro ludo habentur & ioco, præſertim ſi aduertant eos nihil ambire, non adulari, non applaudere, ſed ſuo more honeſtè viuere, philoſophiæque operam dare: Quam cùm in nugis ponant, eius quoq. cultores nihil quàm nugari, nugiſque ſuis dignos cenſent: perinde ac ſi de reipublicæ ſtatu cognoſcere, nihil quicquam ad eos attineat; aut ſint ineptiores quàm quibus tale quid credi poſſit. Qua nota non inurbanè pungit hic Mæcenatem, cui annos iam propè octo ſe non alia de cauſa gratum & familiarem fuiſſe ſubindicat, quàm vt ſecum iocaretur & luderet. Qua nunc de cauſa vrbis & vrbani

vrbani ſtrepitus omnino pertæſus, vel inuito Mæcenate (à quo quaſi ab vrbano mure fabulatur ſe, modò ſatis ſuperque ſplendidè, non ſine metu tamen acceptum) magno animo tenueis opes in ſuo prædio, ceu cauo cum mure ruſtico meditari ſignificat, rebuſque vrbanis cum ſuo ſplendore formidoloſo valedicere. Quem eius animum verè magnum, & ad quemuis vitæ modum ſubeundum, promtum paratumque, ſi quis magis ad viuum cernere velit expreſſum, legat lib. 1. epiſt. 7. ad Mæcenatem. *Hoc erat in votis.* exorditur ab expoſitione ſui voti, quod à diis immortalibus auctius factum quàm ſperauerat, grato animo deprædicat: in quo oſtendit ſe & virum bonum, & paucis contentum. In votis autem eſſe, eſt optare ἐξ ἀνελπίστου: vouemus enim diis immortalibus, vt impetremus quod petimus. *modus agri non ita m.* videtur alludere ad præceptum vetus Afris celebre (Columella auctore lib. 1. cap. 3.) apud quos oportebat agrum imbecilliorem eſſe quàm agricolam: Quod perpulchrè Virg. explicuit, inquiens, Laudato ingentia rura, exiguum colito: Nam ſi fundus ſit amplior, quàm vt ipſi probè excolendo ſatis eſſe poſſint cultoris diuitiæ, plurimum fit, vt is minus profit, quàm anguſtior. Apud Romanos autem bina iugera viritim à Romulo diuiſa fuiſſe ſcribit Varro lib. 2. de re Ruſtica. Q. autem Cincinnatus habuit 4. iugerum auitum hærediolum. Columella autem lib. 1. cap. 3. ad finem, modus erit, inquit, ſua cuique moderata voluntas facultaſque. talem hic arbitror & paullò ampliorem ſignificare Horatium agri modum ſibi à diis conceſſum auctumque. *hortus vbi.* hortus hic villa eſt, antiquo more, iuxta illud Plinij lib. vndecimo: In duodecim tabulis legum noſtrarum nuſquam nominatur villa, ſemper in ſignificatione ea hortus: in horti verò, hæredium. Sic Iuuenal. Satyr. 14. Nec modus hic agri noſtro non ſufficit horto. *iugis aquæ.* fons & ſilua ad amœnitatem & elegantiam horti. *ſuper his.* Hellenismus. ἐπὶ τούτοις. *bene eſt.* gratias agendi, ſeu gratitudinis formula: Qualis ea eſt qua vtitur lib. 1. epiſt. 7. benignè reſpondet, pro gratias agit, recuſando oblatum. ſic etiam dicimus καλῶς ἔχει, quando alicui bene precamur. *Maia nate.* habuit enim Mercurium ſui ſuarumq. rerum tutelarem Deum, quemadmodum multis locis teſtatur. eum itaque precatur vt hortum deorum munere beneficioque datum auctumque ſibi faciat proprium, hoc eſt, ſibi vni conſeruet dum viuit, ne eripiatur, aut cogatur ipſe aliqua de cauſa alienare, ſed eum ſinat ſibi propinquiſque ſuis fieri hæredium; nimirum, vt ſe mortuo, vel tranſeat ad hæredes legitimos, vel ad eos quos teſtamēto inſtituere lubitum fuerit. In hanc ſententiam ait Charinus Terentianus: Ego vitam deorum propterea ſempiternam eſſe arbitror, quòd voluptates eorum propriæ ſint, ita vt proprium cum perpetuo & immortali conſentiat. *ſi neque maiorem.* τὸ ſi, non accipitur vt condicionem notet, ſed cauſam, pro quia, vel nam, &c. Nulla enim lege aut condicione agit Horat. cum Mercurio, vt hæc bona ſibi propria ſtabiliat fortunetque, ſed cauſam ponit, vtpote, quòd nullius iniuria, fraude, dolóve malo ea acquiſiuit; deinde quòd nec luxu turpiter, nequitiáve diſſipabit; præterea quòd non optet plura, ad inſtar eorum quibus nihil quicquam ſatis eſt, ad explendam habendi libidinem; poſtremò, quòd ſe iis iuuari fatetur cum gratiarum actione: ob has cauſas ſupplicat Mercurio, vt ſe ſuaque tutari firmareque dignetur. *ſi veneror ſt. n. h.* quia nihil tale religioſè, vehementerque exopto, quod ſolent auari. Venerari, τὸ εὔχεσθαι. Eraſ. pro veneror, placuit, venor, vt refert Glareanus. *ò ſi angulus ille* de variis agrorum formis, angulis & dimenſionibus videto Columel. lib. 5. cap. 2. *denormat ag.* ſic habent omnes cod. præter Diu. qui legit, deformat: verùm quod τὸ denormat, rectiùs legi debeat, oſtendit illud Vitruuij lib. 7. Longitudines ad regulam & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam reſpondentes exigantur. Itaque denormari, eſt ad normam non reſpondere. *fors quà.* aliquà, alicubi, aliquo loco. *vt illi.* codex Blandin. vetuſtiſſ. & Tonſ. habet, vt ille. *theſauro inuento.* eſt autem theſaurus pecunia repoſita cuius nulla extat memoria, ἀπὸ τοῦ αὔρου, antiquo vocabulo, & τίθημι. erat autem αὖρον, aurum pecunia; hinc ἄορος Heſych. diues, abundans. *amico Hercule.* Perſ. dextro Hercule, ait, eadem ſententia. videto adagiū, amico Hercule. fingitur Hercules ſemper apud ſe habuiſſe Amaltheæ cornu. vnde theſauris recludendis, & opibus largiendis præeſſe creditus eſt. Lege Palæphatum in Amalthea, & Apollodorum lib. 2. in laboribus Herculis. *ſi quod adeſt gratum.* hoc eſt, quia, quod adeſt, gratum iuuat delectatque. *præter ingenium.* facetum & penitus Horatianum verbum. *ergo vbi me in monteis* precatus Mercurium rerum ſuarum conſeruationem, paucis edocet, quid ruſtica vita, iucunda, ſimplex & nullis morbis obnoxia, differat ab vrbana, plena tædij, moleſtiæ & ambitionis laborioſæ, non ſine valetudinis iniuria. Monteis & arcem fortaſſe nominat villam Tuſculanam, quæ in monte ſita procul ſpectantibus exhibebat arcis formam, de qua ſic ait Epodo prima, nec vt ſuperni villa candens Tuſculi Circæa tangat mœnia. aliter ſentit Commētator. hunc videto. *quid prius illuſtrem.* quid potiùs carmine celebrare & decantare

cantare me par eſt, quàm Satyros & Muſas agreſteis, hoc eſt, Faunos, Siluanos, Panas, deos deaſq. campeſtreis, quos penes eſt meos tutari fineis, limiteſque, & pecoris agere curam. Non ſum neſcius alio aliter hic ſentire, Satyroſque & muſam pedeſtrem interpretari verſus ſatyricos, qui ſuis pedibus ſunt orationi proſæ quàm ſimillimi, ita vt hi ſint quaſi ablatiui inſtrumenti, Satyris, muſaque pedeſtri; dubitetque Horatius quod argumenti genus Satyrico carmine deſcribat. Ego profectò contrà ſentio, eoſque ablatiuos pertinere ad comparatiuum prius, exponique per quàm, hoc modo, prius Satyris, id eſt potius quàm Satyros & muſam pedeſtrẽ. hoc eſt, *μοῦσαν πεδιάν, ἢ πεδιαίαν*, muſam campeſtrem, *ἀπὸ τοῦ πεδίον*, campus, terra, ager, planities, &c. Quid enim prius fuerit ei qui rus colit, & magis proprium quàm diis ruſticis ſacra facere, eorumque laudes decantare? Itaque ab iis diſſentio qui muſam pedeſtrem volunt eſſe *πεζὸν λόγον*, id eſt, orationi ſolutæ carmen ſimillimum. Quin & *τὸ* pes, etiam Latinè pro tractu, ora, limite ponitur apud Varron. vbi ait, Meliboea in hoc pede cõputatur. Auſonius, Quin etiam riguis humili pede condita pratis; pro loco cuius area eſt humilis. Huic autem interpretationi ſeruit illud quod ode 1. l. 1. dixit, Me gelidum nemus Nympharumque leues cum Satyris chori ſecernunt populo. *nec mala*. laborioſa & corpori noxia: Eſt enim ambitio hic nõ honoris, gloriæ, magiſtratus & imperij cupido, vt volunt quidam, ſed ipſa ambientis actio, qui ambitus Vallæ nominatur, grauis & periculoſus corpori. nam qui non virtute contendebant fieri magiſtratus, ii opus erat in veſte candida circuire ſingulos, prima hora ſalutare, comitari, occurrere, opperiri, manus prẽſare, ſedulò & multùm ſupplicare, populo munera largiri, ludos ad fauorem demerendum exhibere, ceteriſque artibus & ſtudiis vti, vt ſuffragiis iuuarentur: eaque petendi magiſtratus ratio autumni tempore, propter auſtrum, imbreis & dubium cælum valetudini vehemẽter officit, & multos ſæpè interimit. ab hac itaque ambitionis moleſtia ruri liber Horatius, neq. auſtris aduerſis obiectatur, neque aëris intemperie affligitur, ſed otiũ agẽs valetudini dat operam. *Libitinæ quæſtus acer.* de Libitina lacu, vt habent codices Blandinij ad marginem, nõ memini quicquam me legiſſe apud alios ſcriptores: Ad lucum Veneri Libentinæ dicatum ſcribit Nonius Marcellus. Eſt autem Libitina funerum dea, ſiue ea ſit Proſerpina, ſiue Venus, vt ſcribit Dionyſ. Halicarn. lib. 4. & Plutarch. qui in vitis, Inſtituit, inquit, Numa Pompilius Libitinam coli: quæ dea inſpectrix eſt eorum quæ mortuis iuſta perſoluũtur, ſiue Proſerpinam eam, ſiue Venerem credimus. Præterea alio loco: Cur quę ad funera pertinent, vendunt in templo Libitinę, exiſtimantes Venerẽ eſſe Libitinam? hinc ex Cic. 2. De natur. deor. ſatis fortaſſe fieri poſſet, vt putà, multos nimia venere, libidine, luxu & voluptate, ante tempus è viuis eripi: ait enim, Quo ex genere cupidinis & voluptatis, & Lubentinæ Veneris vocabula conſecrata ſunt, &c. Deinde ait, ea ipſa vitia naturam vehementius ſæpe pulſant. Quare autem dicta ſit Venus Libitina, ſeu potius Libẽtina, ſcribit Varro lib. 5. de ling. Lat. à libẽdo, inquiens, libido, libidinoſus, libentina. *Matutine pater ſ. i. l. a.* ruri ruſticus in optata tranquillitate Muſas colit: nunc in vrbe vrbanus Ianum inuocat actionum ciuiliũ præſidem, laborumq. auctorem. Quia autẽ per Ianũ credebatur acceſſus patere ad ſuperos deos ceteros, preceſq. ſupplicum per eum tamquam per cæli portas tranſmitti, primus omnium ſemper inuocabatur: & quoniam idem cum Sole eſt habitus, Dieſpiter dictus eſt, quaſi diei & Matutinus pater à Matuta, id eſt, aurora. *unde bo.* ad ortum namque Solis primos eius diei labores ordiũtur mortales. Sic Horatius ad opus eius diei, quod in foro ſibi futurum erat, à Iano principiũ, ſuique carminis ſumit exordium. Sed de Iano, qui & Ganus, ab eundo dictus eſt Ciceroni, à Cimbrico vocabulo Gaen, ei incognito, & de aliis huc pertinentibus, diligenter legito Ioannis Becani noſtri viri exquiſitæ doctrinæ Cronia. *operum p. vitæq. l. ἐν διαζώοις*, primos labores operum vitæ, id eſt, vitæ operoſæ, negotioſæ, moleſtæ, & difficilis; putà, vrbanæ. *Romæ ſponſorem me.* viri quidam docti hæc verba referunt ad Ianum, adeò vt velint eum impellere Horatium ad officium in ſpõdendo præſtandum: deinde pro verbo, vrge, quod in omnibus manuſcriptis eſt intemeratum, legendum cenſent, vrges. quam interpretationem etiãſi non penitùs damnare velim; magis tamen vero conſentaneum duxerim, ſecundam perſonam, rapis, infinitè poni pro quauis tertia, pro, rapit me aliquis, vt pro ſe ſpondeam, eia, inquiens, vrge, ô Horati, feſtina, & da operam eam mihi vt primus ſpondeas, ne, dum alij te diligentiores in hoc officij genere ſuis reſpondendo, primum locum occupent, nobis aut opperiẽdum ſit, dum illi dimittantur, aut in aliud tempus differenda ſponſio. *ſponſorem.* fideiuſſorem. de ſponſionis duplici genere vide Budæ. in Pandect. *me rapis.* feſtinare iubet aliquis. *ſiue aquilo radit t.*. verba ſunt Horatij, quibus edocet ab intemperie ventorum & aëris cælique rigore, valetudinis incommoda, quibus corpus obiectari neceſſe eſt, dum morẽ geris amico. *ſiue Aquilo radit t.* depectit, & obuia quęq. ſolo adæquat, metaphoric[illegible] tanto namque impetu ex

tu ex alto incumbit aliquando in terras, præcipuè Circius, qui ab occaſu æſtiuo ſubordinatur Aquiloni, vt ſuo turbine villæ, arbuſta, tecta, ſata læta boumque labores deuaſtentur. qua de cauſa Auguſtus ei votum exſoluit, ſacrumque fecit, ne Galliã rapidè infeſtaret. *ſeu bruma ni.* ſiue hiems diurno vrentique frigore corpora infeſtet. Bruma autem à breuitate dierum dicta, teſte Feſto, pro hieme ponitur. Eſt qui velit brumam dici à brumo, hoc eſt, Baccho, βρυμίῳ, quòd in ea tempora, putà, ſub ſolſtitium hibernum inciderent Bacchi feſta, Decembri menſe. Ouid. 3. Faſt. Veſter honos veniet cùm Laurentalia dicam, acceptus geniis illa December habet. Sic & Poëta: inuitat genialis hiems. *interiore gyro t.* breuiori ambitu diem contrahit, ἐσωτερικῷ: Interior quidem dicitur, quòd ſuo puncto, putà, primo gradui Capricorni, ceu centro ſit propinquior; breuior autem, διὰ τὸ χειμερινὸς τροπικὸς κύκλος, inquit Proclus (quod in ſphæra obliqua accipiendum eſt, quæ noſtra eſt) ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος τέμνεται οὕτως, ὥστε τὸ μὲν ἔλασσον τμῆμα ὑπὲρ γῆν γίνεται, τὸ δὲ μεῖζον ὑπὸ γῆν, hoc eſt, quia brumalis tropicus circulus ita ab horizonte interſectus eſt, vt minor pars ſupra terram exiſtat, maior verò ſub terra. *trahit.* contrahit. ſimplex pro compoſito. *ire neceſſe eſt.* officij gratia. *poſtmodò quod mihi o.* oſtendit damnum fortuitum, & fori moleſtias, quæ ſponſionem ſubſequi ſolent, iuxta id quod dici ſolet, ἐγγύα πάρα δ' ἄτη, hoc eſt, ſponde, noxa præſto eſt. vide Chiliad. ſenſus autem eſt, poſtmodò, hoc eſt, poſtea mihi locuto clarè certumque, hoc eſt, poſtquam clarè, apertè & liberè de certa ſumma ſponſionem feci, quod mihi obſit, quæ damno eſſe poſſit, luctandum in turba, &c. Fiebat enim ſponſio interpoſita ſtipulatione certæ pecuniæ, quam perderet is qui ſponſione vinceretur. *luctandum in turba.* nimirùm, vt alios anteuertam, minus in rebus agendis alacres. In hoc conandum eſt, μηχανητέον σὺν τῷ πλήθει, magna arte & molimine opus eſt, ne repellar, ſed ante alios cauſam dicam, quod coram recuperatoribus aut alio iudice diſceptari erat ſolitum. Sic & Cic. pro Plancio: Equidem ſi quãdo, vt fit, iactor in turba, non illum accuſo qui eſt in ſumma ſacra via, cùm ego ad Fabianum fornicem impellor. *facienda iniuria tardis.* perurgenda, perrumpenda turba eſt, ὠστιστέον. Plaut. cubitis depulſa de via. *quid vis inſane.* verba hæc ſunt (meo quidem iudicio) non eius qui in turba pellitur (vt volunt omnes) ſed cuius nomine Horatius ſponſionem fecit: is enim fingitur monere Horatium ei non eſſe luctandum in turba ad ſpõſionis cauſam diſceptandam, ſed recurrendum ad Mæcenatem, apud quem facilè pellat quicquid obeſſe poſſit. *quid vis inſane?* verba monentis amici, & reuocantis Horatium properantem ad arcum Fabianum. *quas res agis?* quid vis, quid cogitas, quò properas? *improbus vrget.* amicus ſedulus in ſua cauſa vſq. ad improbitatẽ, vt qui in vrgendo Horatio nullã habeat rationem venti, aëris, tempeſtatis. *vrget.* inſtat, hortatur. *iratis precibus.* ab effectu, nimiis, quæ iram nonnumquam vel amiciſſimo mouere ſolent. *tu pulſes omne quod obſtat.* tu facilè propulſare poteris quicquid nobis obſtat, hoc eſt, facilè efficies apud Mæcenatem, & impetrabis, ne is cui ſponſio facta eſt, nos laceſſat, ſi ad Mæcenatem abeas, eique non ex ſcripto, ſed memoriter narres rem omnem. *hoc iuuat, & melli eſt.* inquit Hor. hoc conſiliũ placet & gratũ eſt, mellis inſtar. *non mentiar.* commemorabo Męcenati rem omnem pręſenti memoria, ſine dolo malo, aut fuco, non agam rhetorem, quò captem Mæcenatis animum cum iniuria partis aduerſæ, vt ſolent calumniatores. Sed licet etiã τὸ mentiar, Græco more interpretari τὸ vt, vt illi τὸ ὡς, ſubintelligendo; hoc modo: tua admonitio de adeundo Mæcenate, vt non mẽtiar, eſt mihi, quaſi mel, dulciſſima, ſuauiſſimaq; *atras ventum e. E.* ad domum Mæcenatis, qui in Eſquiliis ædificauerat. *aliena negotia c.* perelegans ὑποτύπωσις negotiorum: quę ſic deſcribũtur ex omni parte inſilire in Horatiũ, vt ea res quaſi ob oculos fieri videatur. *ad puteal.* puteal propriè eſt putei labrum: erat autẽ puteus (à putore, vt notat Varro & alij) in Portia Baſilica, iuncta curiæ Hoſtiliæ, non procul ab arcu Fabiano, vbi prętor ius dicebat. ei autem puteo, propterea quòd Scribonius Libo prætor ſuperimponi fecit labrũ magnificum (vt eſt veriſimile) & affabre cęlatum ornatumq. vulgò dictus is locus eſt Puteal; quemadmodum ſcribit Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 3. antiq. vrb. Rom. ad finem, ſpectataque, inquit, eſt in foro (loquẽs de ænea ſtatua Nauij Actij) vſq. ad noſtra tempora, ante curiam prope Ruminalem ficum poſita, mediocri ſtatura, & operto capite: cotem quoque atque nouaculam non longè inde ſub ara quadã ſitas fuiſſe memorant, qui locus Romanis Puteal dicitur, &c. Itaque adeſſe ad Puteal, eſt iuuare cauſam, iudiciq. commẽdare. *de re communi.* res communis, vt arbitror, eſt res aliqua ad populũ pertinens, à ſcribis primariis publiciſq. excepta in Senatu aut iudicio & notata. Aut res communis, ipſis, putà, ſcribis cum Horatio *noua te* antiq. cod. Bland. habet ſine vlla litura, *nouatæ*, & adnotationem hanc, ſcribæ & nouatę quibus ſpoponderant. nouatæ, qui nouauerant debitum: vnde nouatio, cùm contractus; aut debitoris perſona mutatur: quæ verba, quòd mihi ſomnium quoddam videntur, nolui Commentariis inſerere. interim iudi-

iudicet lector. *ſeptimus octauo propior.* narratio temporis, quo fuit Mæcenati familiaris. *dumtaxat ad hoc.* expoſitio cauſæ finalis familiaritatis cum Mæcenate, qua facetè vtitur, non tam vt moleſtias pro aliis intercedendi apud Mæcenatem, & opinionem euitet, quid rerum agant viri principes, cognoſcendi amicisq́ue communicādi, quàm vt ſignificet quo ipſe loco, ſuiq́ue ſimiles viri boni doctiq́ue, qui non norunt χαρίζεσθαι, ſint apud potenteis & nobileis. *nugas hoc genus.* antiptoſis, non licita modò, verùm etiam concinna & eruditis vſitata, pro huius generis. *Thrax eſt gall.* ſic habent omnes, quos vidi, codices ſcripti. Canterus lib. 4. cap. 12. Nouar. lect. notat ſe in veteri libro legiſſe, Thrax an Gallina Syro par; cui ſubſcribit Lambinus: à quibus certè nolim diſſentire: in hāc ſententiam, Eſt ne Thræx Gallina, par Syro retiario? ita vt Thræx ſiue Thrax gallus (quem Gallinam ignauiæ fortaſſe cauſa nominat) ſit mirmillo ab armaturæ genere Gallorum, qui antè mirmillones dicebantur, vt habet Feſtus in voce Retiario, in quorum galeis piſcis effigies inerat: habebat quidem mirmillo ſcutum, falcem & galeam, ſecutor verò retiarius fuſcinam & rete ſumebat, qui pugnans in mirmillonem hæc cantabat, Non te peto; piſcem peto, quid me fugis Galle? Ceterùm duo Bland. codices habent, *Thrax eſt Gallina*, vt Feſtus legit, Thræces, inquiens, gladiatores à ſimilitudine parmularum Thraciarum: verùm Tonſ, Diu. Mart. Sil. habent, Thrax eſt gall. &c. *& quæ rimoſa.* clauſula nugarum. *per totum hoc temp.* ab inuidia, ἐν παρόδῳ, nonnihil deplorat ſe Mæcenati nimis familiarem, adeò vt nonnumquàm videatur ei eſſe pro ludo. Qua in re mirabiliter inſanit vulgus hominum, qui felices eos iudicat qui nobilibus & præpotentibus viris familiariter vtuntur; cùm nullum vitæ genus ſit moleſtiis omnibus magis obnoxium, adeò vt verè dicatur aulica vita, ſplendida miſeria. *ſubiectior in diem & hor.* Græciſmus καθ' ἑκάστην ἡμέραν καὶ ὥραν. *noſter ludos ſpect.* verba ſunt eorum qui de familia & clientela Mæcenatis Horatio inuidebant tantam felicitatem, vt vnà cum Mæcenate in foro, in theatro, in publico, familiariùs ageret verſareturq́. *fortuna fil.* in hominem vndequaque beatum & fortunatiſſimum. *frigidus.* ab effectu, quòd metus horrore concutiat & propè exanimet. *manat*, metaphor. pro vulgatur. *conſulit.* interrogat. vt Eclog. 3. ſuprà. *propius contin.* πλησιάζουσι. *de Dacis.* de Dacis legito quæ adnotauimus in 14. Od. lib. 4. *deriſor. μῶκος. at omnes. δίκης.* cod. Diu. Mart. & 3. Bland. deriſor ad omneis. *quid* attentio, *ſcilicet*, aſſerentis. *perditur.* perit ſine fructu vtili & honeſto, iucundoq́ue, ſi conferatur ad otia vitæ ruſticæ.

ô rus. ἐπιφ. nunc veterum lib. tria enumerat vitæ ruſticæ ſtudioſis grata commoda: veterum lectionem, otium ſiue lectionis intermiſſionē, & ſomnum: quibus in vrbe ſine interpellatione frui non licet. Sic interpretor horas inerteis quas damus ludo & ioco, ad animos remittendos: quando, putà, non lubet vacare muſis ſeuerioribus. *ducere ſollicitæ i. o. v.* vita ſollicita hic eſt vita vrbana, plena operum, non bene grata Horatio, qui optat vitam ſibi dari ruſticā, vt à ſollicitudine, & vrbanis moleſtiis, quibus ſurſum ac deorſum agitabatur, aliquando liberetur; itaque ducere iucunda obliuia vitæ ſollicitæ, eſt viuere vitam ruſticam, per quam iucundè licet obliuiſci vrbanæ, quæ ſollicitudine tædioq́ue plena eſt, ἐξ ἀντιθέτου: quam oderat Horatius cane peius & angue (vt aiunt) vt quæ ſuis moribus & ingenio penitùs aduerſaretur. quare rectè dixit Socrates, βίος ἁρμόζων, ἡδύτερος, hoc eſt, vita moribus apta, iucundior eſt. *faba Pythagoræ.* vide Comment. & Eraſmi Chiliad. in Adagio, à fabis abſtineto. *vncta ſat p.* veteres lardum pro ſuilla carne ſalita, pingui macráve dixere. Plinius lib. 28. cap. vndecimo. lardum quoque pingue, &c. Quin & Marcellus medicus lib. de Medicamentis cap. 34. lardum coctum cum pingui ſuo, &c. Nonius, dicitur & ſuccidia quod eſt laridum. Macrob. autem inquit, laridum, quaſi largè aridum. Itaque Horatio hoc loco τὸ pingue, epitheton ad diſcrimen addi videtur. Sic & Ouid. Pinguia cur illis guſtantur larda Calendis. hæc itaque laus eſt vitæ ruſticæ à ſimplicibus & inemtis dapibus; quæ naturæ moderatæ ſunt amiciſſimæ. *ô noctes.* à tranquillo & ſuaui ſomno nocturno, qui non contingit vrbanis, iuxta illud Eclog. 1. lib. 1. Agricolam laudat iuris legumq́. peritus ſub galli cantum conſultor vbi oſtia pulſat. Cic. pro Muren. Vigilas tu de nocte, vt conſultoribus tuis reſpondeas: vrbanis enim vt dies ſunt laborioſi, ita nec noctes quietæ. *cœnaq́. deûm.* ἐν δαιτὶ θεῶν. noctes cœnæq́ue, id eſt nocturnæ cœnæ, placidæ, quietæ & ſine vlla ſollicitudine; cuiuſcemodi & dij gaudent, & in templis Romæ deorum menſis apponi ſolitæ, non ſumtuoſæ, ſed modicæ, frugales & parabiles, quæ iucundè & ſuauiter reficerent animos, vt ſcribit Dionyſ. Halicar. Legito cap. 21. lib. 5. Alex. ab Alexand. *ante Larem proprium.* domeſticum & familiarem. Lares proprij dicuntur ad diſcrimē Larium communium & publicorum; qui & dij patrij & penates nominabantur. videto quę adnotauimus huius lib. Eclog. 3. *vernasq́.* vernæ, inquit Feſtus, qui in villis vere nati, quod tempus, duce natura, feturæ eſt: & tunc rem diuinam inſtituerit Marti Numa Pompilius pacis concordiæque obtinendæ gratia inter Sabinos Romanosq́ue,

nóſque, vt vernæ vincerent: Romanos enim Vernas appellabant, id eſt, ibidem natos, quos vincere perniciosum arbitrium Sabinis, qui coniuncti erãt populo Romano. hæc Feſtus. At Nonius, vernas veteres appellabant, ait, qui vere ſacro fuerant nati: & habebatur nomen hoc pro vitabili & maledicto. *procaces*. Feſtus, procari, inquit, poſcere: vnde procaces meretrices, ab aſſiduè poſcẽdo: & proci, vxorem poſcentes in matrimonium. M. Tull. lib. 4. de Repub. apud Nonium, à procando, id eſt, poſcendo procacitas nominata eſt. Virg. lib. 1. Aeneid. penituſque procacibus auſtris, hoc eſt, ſæuientibus procellis, ait Nonius. *paſco libatis d.* priſci moris erat inter epulas & pocula, primum diis libare, & conuiuis bene precari: & ſecundum precationem dapibus cum modeſtia veſci: libare autem diis ſeu libamina dare, erat ciborum particulas, cœnarum putà primitias, & vinum in ignem coniicere. Quòd autem id antiquis vſitatum ac religioſum fuerit, Varro ſignificat in Manio apud Nonium: quocirca, inquiens, oportet bonum ciuem legibus parere, & deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας. *ſiccat inæquales c. c.* ab hilaritate & bibendi libertate, ſeu ἀρχιποσίας, id eſt, bibẽdi principatu ſeu magiſterio, in quo penes arbitrum ſorte lectum, συμποσίαρχον dictũ, erat imperare conuiuis & præfinire bibendi leges, vt aut biberent quantum iuberet, aut potu abſtinerent. quas hic inſanas nominat, propter inæqualitatem fortaſſis, & nonnumquam poculorum capacitatem. Siccare itaque calices inæquales, eſt bibere pro arbitratu. *ſeu modicis.* modica & acria pocula dicta ſunt ex antitheſi. *vueſcit latius.* vueſcit, habent 4. cod. Bland. quod aptius eſt quàm humeſcit, vt habent alij: quòd illud ad pocula magis pertineat, vt vuidus, à quo deducitur: Virg. Vuidus hiberna venit de glande Menalcas. & Od. 5. libr. 4. Sicci mane die, dicimus vuidi, cùm Sol Oceano ſubeſt. *ſermo oritur.* à ſermone conuiuali in cœna ruſtica, non de quæſtu turpi, vt ſolent vrbani fœneratores, nec re ludicra cum luxu perditis & leuiculis homuncionibus, ſed de re ſeria, honeſta, & vtili cum grata, decẽti & lepida voluptate. *vtrum ne diuitiis homines an.* enumeratio quæſtionum ſermonis conuiualis: prima eſt, an beatitudo in diuitiis, an virtute ſita eſt? cuius prior quidem pars vulgò probatur, iuxta illud Timoclis, τἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς, ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο, μηδ' ἐκτήσατο, οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ, hoc eſt, argẽtum hominibus ſanguis eſt & anima: id quiſquis non habet, neque poſſidet, is inter viuos mortuus obambulat: At poſterior ſapientibus accepta eſt, μακάριος γὰρ, inquit Xenoph. ὅστις ἑλόμενος τὸν βίον μετ' ἀρετῆς, hoc eſt, beatus eſt quicumque vitam eligit cum virtute coniunctam: πᾶν πλῆθος, καὶ πᾶν πλοῦτος, ἀρετῇ ὑπείκει, ait Plato, id eſt, omnis copia, & omnis opulentia cõcedit virtuti. Altera eſt, vtiléne an honeſtum ſit amicitiæ cauſa? Hæc autẽ quæſtio ſatis ſuperque diſputata eſt à Lælio Cic. Ariſtot. autẽ cap. 3. tria ponit amicitię genera, ipſis amabilibus conſentanea: nimirum bonum, iucundum, vtile: Senibus vtilem tribuens amicitiam, iucundam adoleſcentibus, bonam bonis & conſtantibus, virtutéque & morum probitate ſimilibus; eaque ſola vera eſt & perfecta amicitia: ψυχῆς μὲν οὖν ἂν εἴη ἀρετὴ τελειότης, ἢ ἀμεμψία τῆς ζωῆς, λόγου τε, καὶ νοῦ, καὶ διανοήσεως ἀκροτάτη, καὶ καθαρωτάτη ἐνέργεια, inquit Iamblichus: hoc eſt, virtus certè eſt animi perfectio, modus vitæ optimus, rationiſque & mentis, & cogitationis ſumma perfectiſſimaque actio. *& quæ ſit natura boni.* tertia quęſtio eſt, quid ſit bonum, & quid ſummum bonum? Cuius quidem pro varia philoſophorum ſententia, varia eſt controuerſia definitioque: quare à Platone, Ariſt. Cicer. ceteriſque petat neceſſe eſt, qui diuiniùs philoſophari deſiderat, fineiſque bonorum & malorum determinare. *Ceruius hæc inter.* hic verſus variè legitur. Sil. codex habet, Ceruius has inter vicinos garrit anileis, &c. Mart. legit, Ceruius hic inter vicinos, &c. alij omnes, Ceruius hæc inter, &c. præterquam quòd omnes Bland. habeant, vicinos. qui nominandi caſus eſt (vt mihi videtur) antiquo more ſcriptus, pro vicinus: quæ ſcribendi ratio in iis codicibus frequens eſt, præcipuè in vultus, & vulgus. talem ego nominatiuum fuiſſe cenſeo viuos, in eo verſu Ennij, per eliſionem s litteræ, quem recitat Cato Maior, cur? volito viuos per ora virûm. de quo perpulchrè diſputat vir doctiſſimus Suffridus Petrus, in ſui caſtigationibus in Caton. Maior. Quare vulgatam lectionem ceteris prętulerim, inducit enim Ceruium vicinum ex conuiuis vrbaniorem garrire, hoc eſt, lepidè, voceque ſatis clara recitare fabellas anileis, non futileis, nulliúſve pretij aut frugis, ſed non planè philoſophicas cognituque difficileis, at ex re tamen natas, hoc eſt, argumento quod controuertitur à conuiuis: idque ad grauitatem propoſiti thematis condiendam, deliniendoſque incaleſcenteis animos: vt ſi quis Stoicus diuitias neget cenſendas eſſe inter bona; contrà Peripateticus id acrius vrgeat, bonique nomine eas complectetur, Arelliique laudet opes: hic confeſtim Ceruius vicinus non alienum à re propoſita commemorat apologum, cùm ad voluptatem ſeriis immiſcẽdam, tum ad iucundiùs perſuadendum, & quaſi ob oculos demonſtrandum (diuitias, putà, nihil in ſe habere boni pro Stoicorum ſententia, quibus addictior erat Horatius quàm Peripateticis) quod philoſophicis

Phicis rationibus altercando dilucidè fieri nequibat. *Ceruius h. i. v.* Ceruius Vicinus cognomine, non etiam à vicinia dictus, vt arbitror. *garrit aniles.* neutrum hic in vitio ponendum eſt, ſed garrire eſt iucundè narrare, & fami iariter, non grauibus, & à communi ſenſu remotis argumentis niti. Anilis autem fabella non eſt inepta, & quę nihil in ſe habet rei, ſed vulgaris, & quæ à quouis facilè intelligi poteſt; quales ſunt Apologi Aeſopici. *ignarus.* qui non eſt expertus quantas curas ſecum trahant amplæ diuitiæ, vt qui tenuioris eſt fortunæ, & humilioris. *olim ruſticus v.* narratio Apologi, quæ non caret aculeo: vt ſuprà in argumento ſcripſimus. *aſper.* non delicatus & mollis, inſtar vrbani. *attentus.* codex Torr. Diu. & vnus Bland. habet, intentus. *quæſitis.* partis per labores. *vt tamen.* per ellipſin, ita. *artum.* ſic habent omnes ſcripti codices, & genuinum arbitror; in iis enim nunquam aliter ſcriptum offendi. *hoſpitiis.* hoſpitibus; abſtractum, vt aiunt Grammatici, pro concreto: ſic & vigiliæ, operæ, præſidia, ſubſidia, &c. pro vigilibus, operariis, præſidiariis, ſubſidiariis militibus. *quid multa.* attentio cum tranſitione. *ſepoſiti ciceris.* Helleniſmus, inuideo cum genitiuo caſu: aiunt enim Græci φθονῶ σοὶ τούτου, inuideo tibi huius rei, pro hanc rem. ſic habent omnia ſcripta præter vnum Blandin. codicem, qui legit, ſepoſitis, cum vulgatis, ſed ineptè. *longa inuidæ.* auenæ optimæ: eſt enim auena longa pretioſior curta. *ſemeſáque lardi.* dicitur enim Homero μῦς πτερνοτρώκτης, mus perniuorus. *cupiens var. ſ. c.* πολυτελῆ διαίτᾳ, vtpotè pro ſplendore & magnificentia ruſtica. *vincere.* expugnare, diſcutere varietate eduliorum: nam vnius generis fercula obtundunt potius delicatos quàm excitant palatum, vt oſtendit Catius. Hic vide quàm ſtultè is ludat omnem operam, qui tenuior frugaliorque ſtudet accipere opulentiorem deliciiſque aſſuetum. *tangentis m. ſ. d.* faſtidientis omnem apparatum ruſticum. *eſſet ador.* ador farris genus, edor quondam appellatum; ab edendo: vel quòd aduratur vt fiat toſtum, inquit Feſtus: at Nonius, ador frumenti genus, inquit, quòd epulis & immolationibus ſacris pium putatur: vnde & adorare, propitiare religiones poteſt dictum videri. *loliumq́.* zizania, vulgò Dauick Fland. *yuroye* Gallis. Infelix loliũ, Virg. *quid te iuuat.* blan diloquentia facit ad perſuaſionem. *prærupti nemo.* ὑπόθεσις. Quàm, quaſo, procul abludit hæc deſcriptio ab Horatiana villa in ſuperno Tuſculo, ita vt hæc verba muris vrbani delicati, ſint quaſi Mæcenatis Horatium pellicientis ad vitam vrbanam. *patientem.* à tolerantia & ruris tenuitate dehortatio vitæ ruſticæ. *vis tu homines.* ita offendi in omnibus, quos vidi, codicibus ſcriptis. Lambinus ex aliis codic. legit, Vin' tu. vtra ſit alteri præferenda diiudicent docti: ego certè ſequar cõſenſum plurium codicum ſcriptorum, vis tu homines: quòd hæc ita interroget, vt ad rus deſerendum inuitet. At Vin' tu homines? ſic percontatur ruſticum, perinde ac ſi iam diu apud ſe ſtatuiſſet mus ruſticus, vt, relictis ſiluis, in vrbem commigraret: eius enim ſenſus eſt, verène ita eſt, te velle præponere homines vrbemque ſiluis feris? Legito Vallam lib. 2. cap. 14. *carpe viam mihi co.* comitare me in vrbem. Hortatur ad vitam vrbanam ſe duce. *terreſtria quãdo.* ab animæ mortalitate ex Epicureorum & Atheorum ſententia. *neque vlla e. l.* a morti imminẽtis neceſſitate: nam vt ait Metrodorus, πρὸς μὲν τὰ ἄλλα δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι, χάριν δὲ θανάτου πάντες ἄνθρωποι πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν, id eſt, aduerſus alia quidem tutamen parari poteſt, ſed quod ad mortem ſpectat, omnes homines ciuitatem immunitam habitamus. *quo bone circa.* ὑπερβατὸν tmeſis, pro, quocirca. In omnibus ſcriptis à me lectis habetur, quo, bene, circa: quam ſcripturam ſi putabimus idoneam, τὸ bene, iungendum erit epitheto beatus. *rebus iucundis.* quales ſunt vrbanæ & præpotentum virorum. *quàm ſis aui br.* à vitæ breuitate. *dicta.* verba muris vrbani ipſe melioris vitæ plena. *agreſtem pep.* agreſti muri fidem fecerunt domicilij ruriſque relinquendi. *mœnia nocturni.* ἀπὸ νυκτὸς, nocturni de nocte *iamq́ t. n. c.* χρονογραφία: pro nocte intempeſta. *rubro vbi cocco* argumentum domus locupletis, ab apparatu & ſplendore lecti eburnei & toralis: lectus autem pro fulcro. *extructis caniſtris.* ordine collocatis, diſpoſitis, exornatis. Caniſtrum autem ſportula eſt panibus fruſtuliſque & reliquiis cœnæ excipiẽdis. *ergo vbi por.* ſtudium, ſedulitas & cura muris vrbani, vt apparatu, magnificentia, & dapibus hoſpitem ſuum accipiat, ad ruris odium inducendum, vrbiſque amorem perſuadendum. *porrectum.* exporrectum, extentum, accumbentem: alluſione ad antiquum corporis ſitum, quo ſolebant maiores ex tricliniis cœnitare. *purpurea v.* in torali, ſeu diſcubitoria ſindone purpurea. *veluti ſuccinctus* ad inſtar ſerui diligentis & expediti, habentiſque veſteis ſuccinctas. *curſitat.* ſedulitas muris vrbani *continuatq́ d.* apparatus ferculorum omnis generis. *vernaliter.* officiosè & ſedulò, vernarum inſtar. Blandinij codices habent, *vernıliter*, quod & in Nonio legitur. Ego certè hanc dictionem expreſſiſſem, motus auctoritate veterum codicum; ſed malui prius cõſulere lectorem doctum, quàm vetuſtatis nimis amans videri. Atqui tamen eius vocis, verniliter, exilitas redolet neſcio quid officioli conuenientis tantillo animalculo, quod in miniſteriolo ita ſedulum

lum eſt, vt & vernulam diligentia ſuperet, & in prægustandis cibis ſubeat parteis hoſpitis benigni, & vt hilariter comiſſetur: ſedulò ſuadentis. Vernilitas enim Fulgentio eſt loquacitas; à vernis garrulis. *ille cubans.* porrectus in ſtragula purpurea, vt ſuprà dixit. *mutata ſorte.* in melius & lautius commutata vitæ condicione. *boniſq; rebus.* ſuprà, in iucundis rebus. *cùm ſubitò ingens.* hic vide momentaneæ fluxæque voluptati quàm parum ſit fidendum. Sed ferè nobis ſic vſu venit, vt, cùm omnia noſtra in tuto eſſe, nihilque ſupereſſe aliud arbitramur, quàm vt dies lætos beatosque tranſigamus, repentè ſuboriatur ingens aliquis, & plerumque non omnino panicus timor, terrorque, qui tam grauiter percellit & nos & noſtra omnia, vt poſtrema gaudij luctus & dolor occupent. Ita namque natura comparatum eſt, *ὡς ἡδοναὶ πᾶσαι βραχεῖαν καὶ ὀλιγοχρόνιον ἔχειν τὴν τέρψιν*, inquit Apollonius Iuncus apud Stobæ. id eſt. vt voluptates omnes breuem & planè fugacem habeant delectationem. quare nihil eſt conſultius, quàm ſic nos affici, vt in tranquillo, cum mure ruſtico, compoſitoque ſenſu conſtitutis nobis, voluptate nihil opus ſit *& valeas.* ſic in omnibus manuſcriptis quos legi. Lambinus legit, & valeat. iudicet lector.

ECLOGA VII.

DAVVS.

IAMDVDVM *auſculto: & cupiens tibi dicere ſeruus*
Pauca, reformido. Dauúſne? ita, Dauus, amicum
Mancipiũ domino, et frugi, quod ſit ſatis: hoc eſt,
Vt vitale putes. age, libertate Decembri,
(Quando ita maiores voluerunt) vtere: narra.
Pars hominum vitiis gaudet conſtãter: & vrget
Propoſitum: pars multa natat, modò recta capeſſens,
Interdum prauis obnoxia. ſæpe notatus
Cum tribus annellis, modò læua Priſcus inani
Vixit inæqualis, clauum vt mutaret in horas:
Aedibus ex magnis ſubitò ſe conderet, vnde
Mundior exiret vix libertinus honeſtè.
Iam mœchus Romæ, iam mallet doctus Athenis
Viuere: Vertumnis, quotquot ſunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, poſtquam illi iuſta chiragra
Contudit articulos: qui pro ſe tolleret, atque
Mitteret in phymum talos, mercede diurna
Conductum pauit. quanto conſtantior idem
In vitiis, tanto leuius miſer: acrior ille,
Qui tam contento, quam laxo fune laborat.
Non dices hodie, quorſum hæc tam putida tendant,
Furcifer? ad te, inquam. quo pacto peſſime? laudas
Fortunam, & mores antiquæ plebis: & idem,
Si quis ad illa Deus ſubitò te agat, vſque recuſes:
Aut quia non ſentis, quod clamas rectius eſſe:
Aut quia non firmus rectum defendis: & hæres,
Ne quidquam cœno cupiens euellere plantam.
Romæ rus optas: abſentem ruſticus vrbem
Tollis ad aſtra leuis. ſi nuſquam es fortè vocatus
Ad cœnã, laudas ſecurum olus: ac, velut vſquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amáſque,
Quòd nuſquam tibi ſit potandum. iuſſerit ad ſe
Mæcenas ſerum ſub lumina prima venire
Conuiuam? nemon' oleum feret ocyus? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, furiſq;.
Miluius, & ſcurræ tibi non referenda precati,
Diſcedunt. etenim fateor, me dixerit ille
Duci ventre leuem. naſum nidore ſupinor,
Imbecillus, iners, ſi quid uis, adde, popino:
Tu, cùm ſis quod ego, & fortaſſis nequior: vltro
Inſectere velut melior? verbiſq; decoris
Obuoluas vitium? quid ſi me ſtultior ipſe
Quingentis empto drachmis deprenderis? aufer
Me vultu terrere: manum, ſtomachumq; teneto,
Dum, quæ Criſpini docuit me ianitor, edo.
Te coniux aliena capit: meretricula Dauum.
Peccat vter noſtrûm cruce dignius? acris vbi me
Natura incendit: ſub clara nuda lucerna
Quæcumque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitauit equum laſciua ſupinum:
Dimittit neque famoſum, neque ſollicitum, ne
Ditior, aut forma melioris meiat eodem.
Tu, cùm proiectis inſignibus, annulo equeſtri,
Romanoq; habitu, prodis ex iudice Dama
Turpis, odoratum caput obſcurante lacerna,
Non es quod ſimulas? metuens induceris: atque
Altercante libidinibus tremis oſſa pauore.
Quid refert virgis vri, ferróque necari?
Auctoratus eas: an turpi clauſus in arca,
Quò te demiſit peccati conſcia herilis

Contractum, genibus tangas caput? eſtne marito
Matronæ peccantis, in ambos iuſta poteſtas?
In corruptorem vel iuſtior? illa tamen ſe
Non habitu, mutáſve loco: peccátve supernè,
Cùm te formidet mulier: neque credat amanti.
Ibis ſub furcam prudens: dominoq́ue furenti
Committes rem omnem, & vitam, & cum corpore famam.
Euaſiſti? credo, metues: doctusq́ue cauebis.
Quæres quando iterum paueas: iterumq́ue perire
Poſſis. ô toties ſeruus. quæ bellua, ruptis
Cùm ſemel effugit, reddit ſe praua catenis?
Non ſum mœchus, ais. neque ego Hercule fur, vbi vaſa
Prætereo ſapiens argentea. tolle periclum,
Iam vaga proſiliet frenis natura remotis.
Túne mihi dominus, rerum imperiis, hominumq́ue
Tot, tantiſq́ue minor? quem ter vindicta, quatérque
Impoſita haud vnquam miſera formidine priuet?
Adde ſuprà dictis, quòd non leuius valeat. nam
Siue vicarius eſt, qui ſeruo páret, vti mos
Veſter agit: ſeu conſeruus: tibi quid ſum ego? nempe
Tu mihi qui imperitas, aliis ſeruis miſer: atque
Duceris, vt neruis alienis mobile lignum.
Quis nam igitur liber? ſapiens, ſibiq́ue imperioſus:
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent:
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in ſeipſo totus teres, atque rotundus,
Externi nequid valeat per læue morari:
In quem manca ruit ſemper fortuna. potéſne
Ex his, vt propriũ quid noſcere? quinque talenta
Poſcit te mulier: vexat: foribúſq́ue repulſum
Perfundit gelida. rurſus vocat. eripe turpi
Colla iugo. liber: liber ſum, dic age. non quis.
Vrget enim dominus mentem non lenis: & acreis
Subiectat laſſo ſtimulos, verſatq́ue negantem.
Vel cùm Pauſiaca torpes inſane tabella:
Quî peccas minus, atque ego? cùm FulvI, Rutubæq́ue,
Aut Pacidiani contento poplite, miror
Prœlia rubrica picta, aut carbone: velut ſi
Re vera pugnent, feriant, vitentq́ue mouentes
Arma viri: nequam, & ceſſator Dauus. at ipſe
Subtilis veterum iudex, & callidus audis.
Nil ego, ſi ducor libo fumante: tibi ingens
Virtus, atque animus cœnis reſponſat opimis.
Obſequium ventris mihi pernicioſius eſt cur?
Tergo plector enim. quid? tu impunitior illa,
Quæ paruo ſumi nequeunt, obſonia captas?
Nempe inamareſcunt epulæ ſine fine petitæ:
Illuſiq́ue pedes vitioſum ferre recuſant
Corpus. an hic peccat, ſub noctem qui puer vuam
Furtiua mutat ſtrigili? qui prædia vendit,
Nil ſeruile gulæ párens habet? adde, quod idem
Non horam tecum eſſe potes: non otia rectè
Ponere: téque ipſum vitas fugitiuus, & erro,
Iam vino quærens, iam ſomno fallere curam,
Fruſtra: nam comes atra premit, ſequitúrque fugacem.
Vnde mihi lapidem? quorſum eſt opus? vnde ſagittas?
Aut inſanit homo: aut verſus facit. ocyus hinc te
Ni rapis: accedes opera agro nona Sabino.

COMMENTATOR.

INDVCITVR ſeruus ex Comœdia, putà Dauus callidus, qui dicit ſe non poſſe ferre dominum ſuum alia laudare, & alia facere. Aliter inducit Horatius ſeruum loquentem cum domino ſuo de variis hominum moribus, libereq́ue taxantem domini ſui vitia, quodq́ue aliter viuat quàm præ ſe ferat. *& frugi.* vtile. *quod ſit ſatis.* non parum, ſed valde frugi. *vt vitale putes.* hoc eſt, vt eum velis eſſe vitalem. *age liber. d. v.* habe licentiam & libertatem dicendi quæ velis. nam Saturnalibus feſtis libertas ſeruis concedebatur: & omnes tam ſerui quàm liberi exæquabantur, ad imitationem aurei ſeculi quo Saturnus regnauit: Decembri autem menſe Saturnalia celebrabantur. *pars hominum* hæc verba ſunt ſerui. *conſtanter.* valde pertinaciter. *vrget propoſitum.* perdurat & perſeuerat in propoſitis vitiis. *natat.* inconſtans, mutat propoſitum, incerti eſt propoſiti. *recta.* abſolutè, in neutro genere. *prauis.* vitiis. *notatus.* viſus & culpatus. *cum tribus anellis.* multis, nam annulorum multitudo erat vitioſa: & nulli niſi certæ dignitatis homines annulos geſtabant. Anellus deminutiuum ab anulo. *modò læua.* aliquãdo ſine vllo anulo *vixit inæq.* mutabilis & dubius. *clauum vt m.* veſtem Senatoriam. *vt mutaret.* adeò vt mutaret.

ædibus.

adibus ex m. ſupp. ſic vixit inæqualis, vt ex ſuperba & ambitioſa domo migraret in humilem, & talem vnde vix dignaretur egredi libertinus paullò liberalior *honeſtè.* decenter. *iam mœchus R.* ſupp. ſic vixit inæqualis, &c. ἀπὸ κοινοῦ. *iam.* aliquando. *doctor Athenis.* dicitur enim Priſcus oratoriam docuiſſe. *Vertumnis.* Vertumnus Deus à vertendo dictus, Romæ colebatur pro Deo Tiberis, quòd verterit eius alueum. etiam Deus eſt naturæ, eò quòd vertat & mutet ſenſus humanos cogitationeſque. Is autem dicitur iniquis Vertumnis natus, qui neſcit imperare ſibi, & ſuos affectus regere. *quotquot ſ.* erat enim Vertũnus multiformis, poſitus in multis locis ciuitatis, & ferè in omnibus municipiis Italiæ cõſecrabantur ſimulacra, quibus eſſent ambigui vultus; qui pro habitus diuerſitate in diuerſas facies deorum vertebantur. *iniquis.* iratis. *ſcurra Volanerius.* exemplum cõſtantiæ in vitiis. *ſcurra.* vrbanus *iuſta.* grauis. *mitteret in phymum.* in pyrgum ſeu fritillum, ex quo agitatæ teſſeræ mittuntur in tabulam. Eſt autem Phymus inſtrumẽtum ligneum ſtricti oris, ex quo conijciuntur teſſeræ, ne poſſit falli is qui cum alio ludit. *cõſtantior.* pertinacior. *idem.* Volanerius, qui quanto erat pertinacior in ſuo propoſito, tãto felicior eo qui ſemper ad diuerſa vertebatur. *leuius.* minus. *prior illo.* quàm ille Priſcus. *qui iam.* modò laxo, modò contento: vt, iamque eadem digitis, iam pectine pulſat eburno. *contento.* nimis parco. *laxo.* luxurioſo. *fune.* vitæ condicione. *non dices h. q.* verba ſunt heri. *putida.* vetuſta, inepta, odioſa. *furcifer.* ſceleſte. *ad te inquam.* ſeruus. *quo pacto p.* herus. *laudas.* ſeruus. *antiqua p.* antiquorum hominum vitam. docet inconſtantiam heri. *vſque.* valde. *aut quia non ſ.* duas reddit cauſas inconſtantiæ, aut quòd non intelligit id quod aſſerit, aut quòd dubitat de eo num ſit rectum. *non firmus.* inconſtans. *cœno cupiens.* exire è vitiorum turpitudine. *ruſticus* ruri exiſtens. *leuis.* incõſtans. *laudas ſecur ol.* cœnam ruſticam & tenuem: dicisque nihil eſſe ſecurius quàm prandere domi. *ac.* ſupp. ſi. *potandum.* epulandum. *iuſſerit.* ſupp. ſi. *ſerum.* ſerò. *ſub* paullò antè, vt, ſub lucem exportant calathis. *lumina prima.* initio noctis apparentia. *nemon' oleum* verba ſunt domini feſtinantis ad cœnam: quæ ſeruus liberè inducit: oleum petit, vt lotus & vnctus abeat cœnatum. *ecquis audit?* nemon' audit? expreſſit velocitatem hominis ad cœnam accelerantis. *blateras c. l.* vociferaris, exclamas præter modum. hinc blaterones, clamoſi: nam blaterare propriè eſt ineptè clamare. *Miluius & ſcurr.* cùm ieris ad Mæcenatem, Miluius & cæteri paraſitæ diſcedũt, imprecati tibi ea quæ nolim te audire: quod ideo faciũt, quia dolent ſe priuatos cœna ſui patroni. *precati.* imprecati. *me dixerit ille.* quicumque fuerit. *duci ventre l.* eſſe glutonem, luxurioſum. *naſum nidore.* naſum nidore ſupinari dicitur, qui nimium delectatur, & ſectatur odores pulmentariorum. *nidore.* nidor, odor eſt gratus naribus. *popino.* popino popinonis, amator popinę. *tu cùm ſis q c.* ſeruus liberè loquitur, propterea quòd herus ei poteſtatẽ feciſſet. *velut melior.* quaſi magis ſobri⁹ & integrior. *verbisq; decoris.* de aliis bene loquẽdo & alios corripiendo. *deprenderis.* inueniris. *aufer* deſine, ceſſa. *manum.* verbera. *ſtomachumq;* iracundiam. *Criſpini.* qui Stoicam ſectam ſecutus eſt. De Criſpino iocatur Satyr. I. lib. I. Ne me Criſpini ſcrinia ipſi compilaſſe putes. *te.* dominum oſtendit ſuum herum eſſe nequiorem ſe ſeruo. *Dauum.* me ſeruum. *nuda.* quæcumque meretricula proſpectans de feneſtris *turgentis ver. cau.* ictu veretri. *clunibus.* dum ſuperincumbo. *agitauit equum.* me ſuccumbentem ſupercriſſata eſt. *famoſum.* mala fama laborantem *ſollicitum.* timentem ne alius ea vtatur. *tu cum proiectis.* inuehitur tamquam in equitem Romanum, in Horatium, qui depoſito habitu equeſtri, ne cognoſcatur, matronas ſectatur, obtectoque capite adulteratur. *inſignibus.* ingenuitatis. *anulo equeſtri.* non licebat equitibus Romanis anulis vti, niſi à prætoribus eis donati eſſent. *ex iudice.* in adulteros iudices eligebantur. *Dama s.* Dama nomen eſt ſerui: vt, Dama eſt non treſſis agaſo. *odoratum c.* vnctum. *obſcurante la.* tegente veſte ſeruili, ne poſſis agnoſci. In te itaque ſimul timor & libido pugnant, dum & metuis & cupis adulterium committere. *non es quod ſimulas.* hoc eſt, non es tu ſeruus, quem te eſſe fingis? quaſi dicat, maximè. *induceris.* in domum adulteræ. *altercãte* repugnante libidinibus. *quid refert vri virgis.* hoc eſt, nihil intereſt inter gladiatorem & adulterum: nam gladiatores ita ſe vendunt & cautiones faciunt: vri virgis, ferro necari. *auctoratus.* addictus, condemnatus. Qui ſe vendunt ludo, auctorati vocãtur: auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum cum cõdicione emtoris. *an turpi clauſ. in arca.* id eſt, an in adulterio comprehenſus claudaris in arca ab ancilla, quæ conſcia eſt adulterij dominæ ſuę, ne te maritus inueniat. *contractum.* propter anguſtias arcæ in qua es concluſus ab ancilla. *in ambos* adulterum & adulteram. *eſtne marito?* erotema. *in corruptorem.* adulterũ. *vel.* etiam. lex fuit apud Athenienſeis, vt adulterum cum adultera deprehenſum marito liceret occidere. hæc lex abolita eſt lege Iulia, quę iuſſit cognitionem adulterij ad iudices referri, & ita adulterium puniri. *non habitum v. l.* id eſt, non deponit ingenuitatis inſignia, neq. ſe loco mutat, quia non exit domo ſua vt ipſa ſectetur te. hæc πρὸς τἀναντία dicta ſunt.

nam ipſe herus depoſito habitu ingenuitatis induit turpem, ne quis eum cognoſcat: & relicta domo ſua ingreditur domum alterius. *peccat ve ſup.* non aſcendit ſuper adulterum: & ita hoc modo nihil cõmittit turpitudinis *formidet*. refugiat *amanti*. dicenti quòd te ames. *ſub furcam* in ſeruitutem, aut pœnam; ſunt tormenta ſeruilia: apud veteres ſerui in graui ſcelere deprehenſi furcę ſubiiciebantur. *prudens*. ſciens, non inſani cõſilij *dominoq́ f.* marito, aut amori & libidini. *committes*. quaſi illi addictus. *rem omnem* patrimonium tuum. *euaſti*. euaſiſti. *metues*. quaſi dicat, minimè metues, ſed quęres iterum committere adulterium, & in aliud periculum incides punieri. q. ie. *paueas*. in adulterio deprehenſus. *iterumq́ p.* quam adulter *non ſum mœchus*. ſi non palam ſis adulter, putas te non mœchari? ergo nec ego fur ero, ſi palam non ſurripio argentum: Sed quemadmodum non furor metu ſupplicij, ita nec tu committis adulterium metu pœnæ: verùm ſi non metuam ſupplicium, furor, quo nomine fur ſum dicendus, ita & tu adulter, quia timore pœnæ abſtines ab adulterio. *periculum*. pœnam. *prætereo*. non inuolo. *ſapiens*. prudens. *non ſum mœchus* contra Stoicos, qui animum plus conſiderabant quàm factum. *frenis*. timore. *túne mihi d.* quaſi dicat: tu potius dicendus es ſeruus quàm dominus, cùm toties liberatus à periculis, adhuc timori ſubiaces & conſcientiæ malorum. *rerum imperiis* cui pecunia, amor, libido, homines tot tantique imperant, dignum eſt te imperare mihi? *priuet*. liberet ab amore. *quem ter. v. q. q.* finitum pro infinito. *vindicta*. virga prætoris qua percutiebantur ſerui dum liberi fiebant, manumittebanturque capiti impoſita: tribus namque rebus fit manumiſſio, vindicta, cenſu, teſtamento. *ſuper dictis*. his quæ ſuperius diximus *quod non leuius*. quod ſuperioribus par eſt. *ſiue vicarius eſt*. ſoletis vos, inquit, ingenui diſputare, vtrum ſeruus ſerui ſit vicarius dicendus an conſeruus? ergo cùm tu dominus meus aliis ſeruias, id eſt, vitiis & voluptatibus, ego certè tuus vicarius ſum dicendus aut conſeruus. *tibi quid ſum ego?* interrogatiuè *vt neruis alienis m l.* agitaris alienis neruis & viribus, ſicut ſolent trahi neruis alienis ligna mobilia: notatur ludus quidam, quo ſimulacra lignea neruis moueri & agitari ſolent. *quiſnam igitur liber?* herus *ſapiens* ſeruus. *ſibiq́ imperioſ.* qui ſe regit, & non ducitur libidinibus, ἐγκρατὴς. *reſponſare*. reſiſtere, contradicere, repugnare. *teres atque ro.* æqualis, conſtans. *externi ne quid*. τὰ τῶν ἐκτὸς. externa & fortunæ bona. *per leue*. metaphora à leui ligno, ſiue marmore, cui ſi quid imponas, hærere non poteſt; ita nec ſapientem vitia contingũt, ſed ab eo decidunt, nullis enim blãdimentis, nullis illecebris vincitur. *manca* inualida, inefficax, quoniã ſapienti nocere nõ poteſt, ſiuè aduerſa, ſiue proſpera, quia fortunæ impetum non pertimeſcit. *noſcere*. in te. *ex his*. quæ diximus eſſe in ſapiente. *vt*. tamquam. *quinque talenta*. docet eum non eſſe liberum, quod non ſit imperioſus, neq. poſſit repugnare ſuis libidinibus *vexat* precando, excludendo, reuocando *gelida* aqua *ingo*. ſeruitute, propter amorem *non quis*. non potes dicere te eſſe liberũ. *dominus*. libido. *ſubiectat*. ſubijcit. *laſſo*. tibi. *verſat*. regit & vexat. *negantem*. te ſeruire. *Pauſiaca*. Pauſias pictor fuit nobilis *torpes*. obſtupeſcis, miraris. *tabella* pictura. *qui*. quo modo *atque*. quàm. *Fului Rutubaq́* nomina ſunt gladiatorum. *contento poplite* quoniam gladiator dum dimicat, extendit ſuum poplitem: aut quia qui attentus aliquid ſpectat, erigit ſe & extendit poplitẽ. *contẽto poplite*. vtrum ipſe an illi gladiatores picti? *velut ſi reuera*. laus picturæ. *vitentq́ mo. ar. v* vulnera, tum prœliari videntur. *nequam, &c.* ſi forſitan, inquit, fuero delectatus ea pictura, & in ea ſpectãda moram fecero, ſtatim ſtomacharis, & dicor ceſſator, ac piger *audis*. diceris. *nil ego*. audio, dicor homo nullius momenti & nihili. *ſi ducor*. delector ita oſtendit quædam liberis quidem laudem, ſeruis verò culpam afferre. *libo fumante*. libum eſt placentæ genus. Virg. adorea liba. *tibi ingẽs virtus*. ironia. *virtus*. ſapientia. *reſponſat* repugnat, renũciat, reſiſtit. omnia ironicôs: quaſi dicat, non ſpernis opimas eſcas, ſed vltrò eas appetis. *obſ. quiũ v.* luxuria, nã luxurioſus ventri ſeruit. *pernicioſus eſt*. quàm tibi *tergo p e.* nam vapulo ſi ſum luxurioſus. *quî tu im*. vnde, quo modo. *impunitior*. quo modo dicis te minùs puniri quàm me, cum tu magis pẽdas luxuriæ pœnas, quàm ego: nam ego quidẽ vapulo, tibi autem multo cibo, & cruditate, vexatur ac debilitatur corpus *paruo* pretio *ſumi*. emi *nempe inamareſcunt*. quia neque cõcoquuntur, neque digeruntur. *ſine fine*. immoderatè appetitæ *inluſiq́ pedes*. titubantes, vacillantes, tamquam decepti multo vino & cibo. *vitioſum*. ægrum cruditatibus. Ita quáuis exterior dominus non ſit, qui hæc mala in te puniat, tamen morbi qui naſcũtur ex ſuperfluitatibus, nõ ſinunt te impunitum. *mutat*. emit, dat ſtrigilem, vt vuam accipiat. *gulæ parens*. obtemperans: ſenſus eſt, ſeruus qui ſtrigilem furatur, atq. in vuam mutat, crimine luxuriæ notatur: at liber & ingenuus qui patrimonium vniuerſum luxurię impendit, non ſeruit gulæ, nec luxurioſus eſt? ſtrigil inſtrumẽtum eſt æneum, quo ſudorem ſolent in balneis homines detergere deradereque. *nil ſeruile*. ironicôs. *non horam*. dum duceris voluptatibus, non es tecum, id eſt, non es ſanus. *non otia r. p.* otia rectè ponere dicuntur, qui tempus otiorum

bonis

bonis artibus impendunt. *teipſum vitas.* quia malè tibi es conſcius. *vt erro.* errones hic ſunt, qui inopes recti conſilij vagantur: hic erro, ſicut popino popinonis, ganeo, onis. *comes.* luxuria. *vnde mihi lap.* verba ſunt iraſcentis domini propter iniuriam ſerui. *quorſum opus.* verba ſerui. *vnde ſagittas* dominus. *aut inſanit homo.* ſeruus ait: quod oblitus ſit libertatis dicendi, mihi pro more maiorum à ſe conceſſæ. *verſus facit.* Poëtarum more furit. *ocyus hinc te.* dominus: quaſi octo ſeruos herus miſerit in ergaſtula agri Sabini.

CRVQVIVS.

HAEC Satyra viuam quandam imaginem præ ſe fert libertatis ſeruilis, qua feſtis Saturnalibus mancipiis vti licebat in dominos ſuos, quos hoc prætextu notat acriter: inducit enim ſeruum Dauum familiarem & Comicum, rerumque heri ſuum probè cõſcium (forſitan ex his vnum quẽ rebus ſuis gerendis procurandisque præfecerat) de vita & moribus agere cum hero ſuo, eumque, impetrata licentia loquendi, vehementiùs increpare, quòd ita turpiter flagitioſe, alea, luxu, ambitione & adulteriis rem omnem & nomẽ perderet, vt nec modum haberet nec honeſti rationem vllam. qua de cauſa, vitiis enumeratis, quaſi ad oculũ demonſtrat, edocetque eum vel abiectiſſimis mancipiis eſſe viliorem, vt qui non reipſa, ſed nomine tenus dũtaxat liber, cupiditatibus ſuis, & voluptati miſeriùs multò quàm quiuis ſeruulus hero ſuo pareret. Quod dilucidiùs vt faceret, vtitur honeſti & ingenui partibus, quarum nulla cùm in herum caderet, apertè inficiatur eum eſſe liberum. Verùm enimuerò vt iucundiora hæc fierent, videtur Horatius ſe quoque velle caſtigari à Dauo, ab inconſtantia, vitæ leuitate, à fuga commiſſationis ſimulata & nimia cholera. quæ res nonnullis argumẽto fuit, vt exiſtimarent hic dumtaxat Horatium à Dauo ſeruo reum agi, quod nõ temerè mihi quis perſuaſerit. *iamdudum auſculto.* exordium Comicum, ex interrupto putà ab officio ſerui cordatioris, & in herum ſuum benignioris: ait enim ſe patienter audire quid dicat, imperet, velit: ſe quoque videre quid meditetur, quid agat, non audere tamen ſe ei, quod nouit, indicare. Hæc enim, præter obſequium hero debitum, complectitur in ſe verbum auſculto, vt non difficulter licet colligere ex verbis ſerui ad herum. *reformido.* non ignorabat enim domino ſuo eam vitæ & morum turpitudinem auditu fore iniucundam, idcirco ait, ſeruus, id eſt, in ſeruitute exiſtens, reformido: perinde ac ſi velit ſignificare libertate ei opus eſſe ad liberè loquendum. *amicum mancipium domino, & frugi quod ſit ſatis, hoc eſt, vt vitale putes.* hic locus adhuc (vt mihi quidẽ videtur) viris etiam doctiſſimis eſt inexploratus: eſt enim ita in arduo poſitus, vt eò nemo penetrauerit: quare ſi propiùs accedere, eumque perſpicere coner, vix auſim mihi quicquam polliceri. At ne tamen videar ceteris meticuloſior, laudabiliùs dixero, noſtrarum virium facto periculo, vel in præruptis hærere ſaxis, quàm ab incepto conamine pede retracto deflectere aliò, inque ignauiæ comites diſcedere. quare vt paucis aliorum commentationes coniectaneosque labores commemoremus: Lambinus, à quo Turnebus non diſſentit, ait: Ita frugi, vt in vita retinendum ac ſeruandum, minimeque occidendum eſſe putes, &c. Vel ſic cum Turnebo; frugi quantum ſatis eſt ad bonam valetudinem & ſalutem: Nam vt edaces, &c. hunc legito. A priori certè opinione diſſentio, propterea quòd vetus lex de dominorum vitæ & necis poteſtate in ſeruos, lege noua tunc temporis annihilata erat. Poſteriorem autem approbarem libentiùs, ſi de liberis potius & dominis eſſet controuerſia, quàm ſeruis, quos ſcimus plurimum ex dimenſo victitaſſe. quare hæc verba, mancipium frugi quod ſit ſatis, videntur mihi ſignificare id quod maioribus dictum eſt mancipium frugi bonæ, nimirum quod ſit ſatis frugi; hoc eſt, probum & conſummatè officioſum, hoc eſt, ſic ſatis frugi, vt vitale putes, hoc eſt, vt id merito ſuo iudicare poſſis dignum vita, non longiore modò, ſed etiam meliore, vtpote libertate: hic herus volens videri Dauo gratum facere pro ſuo voto, confeſtim ait, Age, vtere libertate Decembri: verùm non temporaneam hanc, ſed perpetuam viſus eſt optare Dauus, quod ſummum erat beneficium, quod à domino in ſeruum conferri poterat: vt Simo ille Terentianus, Quod habui (inquiens Soſiæ) ſummum pretium perſolui tibi, &c. Nec iniuria libertas ſeruis talis erat vita, vnde vitales dicerentur; nam vita naturalis in rebus agendis dicendisque, eis ferè erat pro morte: iuxta illud Vlpiani. ff. de regulis iur. Seruitutem mortalitati ferè comparamus. *libertate Decembri.* de Saturnalibus feſtis, & libertate ſeruorum in dominos ita copioſè litteris proditum eſt à Macrobio, vt nõ iniuria quis actum agat, qui poſt eum velit idem conari: quare hoc obiter hic adnotandum putaui: Saturnalia antiquitùs celebrata fuiſſe Decembri menſe, vno tantùm die, nimirùm decimoquarto Kalendas Ianuarias: mox triduo, poſtea diebus ſeptem, ex quibus quinque habebantur feſti: quibus diebus exæquato omnium iure, comiſſationibus, poculis, muneribus accipiẽdis miſſitandisque, regnis, imperiis, magiſtratibus deſignãdis, aliisq; pro arbitratu rebus innumeris agitandis

tandis ſine diſcrimine ſeruis & liberis æqua poteſtas fiebat. Videto Macrob. lib. 1. Alex. ab Alexād. lib. 2. cap. 22. Lucianum in Saturnalibus epiſt. *pars hominum.* propoſitio diſtributiua morum vitæque humanæ in parteis duas, quarum altera complectitur in vitiis pertinaceis, altera varios & inconſtāteis, nunc malis addictos, nunc mutatis animis ad honeſtum propenſos. An autem tertia quædam vitæ pars, in vna virtute conſtans, ſit humana, & non diuina potiù, nec huius eſt inſtituti indagare, & negat Simonides, inquiens, πάμπαν ἄμωμος οὔτις, οὐδ' ἀκήρατος, hoc eſt, omnino nemo eſt innocens, nemo bonus: &, vt dici ſolet, οὐδεὶς ἅγιος. *vrget prop.* inſiſtit vitiis. *pars multa natat.* verſatur in rebus humanis, nunc animi rectitudine ſurſum agitatus, nunc illecebris & voluptatibus corporis deorſum præcipitatus, ita vt affectibus perinde ac fluctibus vndiſque marinis innatans, vel ad leuem fortunæ nutum rapiatur in omnem partē. *ſæpe notatus cum tribus anellis.* declaratio poſterioris partis ipſius propoſitionis ab exemplo Priſci. *cum tribus anell.* anulum geſtare fuit equeſtris ordinis; hoc enim erat eius ſtatus inſigne, vt & latus clauus Senatorij: verùm vt omnia præclara ſolent in peius ruere, tandem anuli vſus cœpit eſſe promiſcuus equitibus, militibus, libertinis, feminis, & poſtremo mancipiis. *modò læua Priſcus in.* prior ætas in ſiniſtra manu, eiuſque digito medico, ſeu παραμέσῳ, geſtare ſolebat anulum ferreum; non tam ornatus, quàm ſignandi cauſa. verùm de anuli dignitate, iure, geſtatione, numero, materia, videto Plin. lib. 33. cap. 1. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19. Budę. in Pandectas. hic monendus lector eſt vt diſpiciat, num pro læua, malit legere læna, in hanc ſententiam: Priſcus ita vixit aliquando inæqualis & inconſtans, vt in horas mutaret clauum aut latum aut anguſtum læna inani, veſte militari, & viliori, minimeque forenſi. De clauo Satyra 5. libr. 1. *ædibus ex mag.* vt inconſtans in habitu commutando, ita & in ædibus fuit, adeò vt pro indumento & claui ſplendore habitaret magnificè; contrà, pro læna, aut amictu plebeio conderet ſe in ædiculas humileis & abiectas, qualeis incolere ſolent libertini fortunæ mediocris. *iam mœchus Romæ.* inconſtantiæ nota ab inſtituto & vitæ modo, non ſine obliquo crimine luxus Romani, & commendatione Athenarum à diſciplinis liberalibus: ferè namque ita vſu venit, vt eorum quibuſcum viuimus, moribus nos accommodemus, τῶν ἀνθρώπων γὰρ οἱ βίοι ταῖς χώραις συνεξομοιοῦνται, id eſt, hominum mores & vita ad regionis habitum reſpondent. hac de cauſa Priſcus tam fuit inconſtans incertuſque ſententiæ, vt modò mœchari, modò docere vellet. τὸ doctor, habent omnes Blandin. codices & Mart. quos ſecuti ſumus. *Vertumnis quotquot ſunt natus iniq.* Epiphonematis ſpecies in mutabile Priſci ingenium. De Vertumno Deo vide Commentatorem. Hoc autem pro auctario adiiciam, Vertumnum Deum eſſe annum vertētem, ἐνιαυτόν: qui propter variam cæli faciem dicitur apparere multiformis, varius, & mutabilis, nunc arator, ſeminator, meſſor, nunc vindemiator, plantator, holitor, nunc foſſor, frondator, & quid non? at tandem in Auiculum conuerſus, fingitur Pomonam vxorem ducere, nimirùm frugibus iam matureſcentibus. legito 14. Metamorph. Ouid. Iniquis ergo Vertumnis naſci dicuntur infelices, & variis caſibus exerciti. *ſcurra Volanerius.* declaratio poſterioris partis, ab exemplo Volanerij ſcurræ. *contudit articulos.* comminuit. Vnus codex Bland. habet, contigit articulos: pro ſimplici tetigit. quam lectionem nō putarim inferiorem alia. *mitteret in phymum* ſic codices Bland. 4. Buſl. Sil. & hanc quoque lectionem cum Cantero doctiſſ. iudico genuinam & Horatianam, inque eius locum irrepſiſſe τὸ pyrgum, ex annotationibus ſcriptis: eſt enim φυμὸς, alueolus oris anguſti, in quo ante iactum ab aleatoribus agitantur teſſeræ ad euitandum dolum: ἀπὸ τοῦ φυμόω, coarcto, cōſtringo. eius meminit & Pollux lib. 10. cap. 31. & lib. 8. Scribitur & φιμὸς in vno codice Bland. quemadmodum & apud Aeſchinem aduerſus Timarch. καὶ φιμοὺς, καὶ κυβευτικὰ ὄργανα, hoc eſt, & fritillos & inſtrumēta luſoria. quod etiamnum apud Cic. hoc modo ſcribendum eſſe arbitror ad Att. lib. 14. epiſt. 5. vbi habetur, φυρμὸς πολὺς, pro, ab aleatore, φυμὸς πολὺς. de quo loco adhuc contenderunt docti. *quanto conſtantior iiſdem in vitiis.* ſic omnes, quos legi, codices ſcripti, quos ſequimur, præter Tonſ. qui conſentit lectioni vulgatæ. *acrior ille.* ſic legitur in omnibus ſcriptis præter vnum Blandin. cuius ſententia eſt, ille Priſcus eſt acrior, ardentior, vehementior, minus ſedatus, & ob id miſerior dementiorque. Lambinus & Turnebus legunt, ac prior illo. quam ſcripturam ait Marius Nizolius expreſſiſſe Aldum; nec eam damnādam cenſeo. *qui tam contento quàm laxo f. l.* ſic tres Bland. Tonſ. & Sil. & ea lectio mihi probatior viſa eſt ipſa vulgata, ad denotandam vehementem inconſtantiam, & ad quæuis inconſultam leuitatem. at vulgatam tamen non vitupero. *tam putida.* Metaphoricôs, à naribus ad aureis, pro iis quæ auditu ſunt iniucunda. *laudas fortunam.* Dauus ad herum ſub perſona Horatij. Multis, inquit, laudibus efferſ diuitias antiquas, non amplas & ſplēdidas, ſed modicas, quæ vitæ frugaliter ſuſtentandæ ſatis eſſe poſſint: commendas antiquum

viuendi

viuendi modũ ſimplicem, frugalem, tranquillum, non ambitioſum, luxurioſum, non auarum & inuidioſum, ſed liberalem & in omneis benignũ facilémque, adeó vt his ipſis felicitatẽ metiri videaris: at ſi Deus tamen aliquis, tibi è malis erepto, ea quæ tantopere laudas, largiatur vltrò, credo te recuſaturum. *ſubitò.* inexpectatò, *αὐτομάτως*, ſine tuis votis, &, vt fertur, *αὐτομάτως ὁ θεὸς ἀνίησι τ' ἀγαθὰ*, id eſt, vltrò Deus ſubijciat tibi hęc bona. *agat.* *ἄγῃ*, ducat. hic non difficulter mihi perſuaſerit aliquis, hæc eò à Dauo in hero ſuo damnari, vt offenſiorem Mæcenatis animum, alióſque fortaſſe potenteis viros ſibi reconciliet Horatius: in ſuperiori namque Satyra (quæ in codicibus Blandinijs & Buſl. ab hac eſt indiuiſa) in laude vitæ ruſticæ, & vrbani ſtrepitus vituperatione (præcipuè vbi ſe canit Mæcenati annos ſeptem nihil fuiſſe quàm nugas) impotentiùs æquo ſeſe geſſit, vt non iniuria Mæcenas ei ſuccenſeat. Quare ſinit à ſeruo modò ſe caſtigari, quaſi vel aliud ſentiret ac diceret, vel loquacius impédio, ſuo ingenio indulgens, ab honeſto ſciens ac prudens diſcederet. *aut quia non ſentis.* *διπλολογία*, à diiunctá, cuius pars prior: aut eſt ab ignoratione recti, quod magno tamẽ clamore conatur aſſerere; aut à ſimulatione, quód aliud ſciat & aliud doceat apertè: Poſterior ab incõſtantia; quód rectum quidem cognoſcat, propugnet tamen, ſéque ipſe neſciat eximere, rectáq; tramitem ingredi. *non ſentis.* non intelligis, neſcis, ignoras: aut, nõ ſentis eſſe rectius. id eſt, ſimulas: ſed prior ſententia magis arridet. *hæres nequicquam c.* hoc eſt, ita tecũ pugnas, ita te tibi inuoluis, vt quid dicas, quid agas, quò te vertas, vt ex his te rebus vindices omnino tibi ſit incertũ. Vide adagium, in luto hæſitas. *Romæ rus optas.* Expolitio incõſtantiæ à loci commutatione. *laudas ſecurum olus.* domeſticum & frugalem victum. *ac velut vſquàm vinctus eas.* τὸ vſquam, non etiam vſque, habent omnes ſcripti libri. *vſquàm.* aliquò. *amaſq; quod nuſ.* gaudes domi eſſe manendum. τὸ amas, in omnibus ſcriptis adiungitur ſequentibus. *ſerum.* ſerò. *ὀψιμαθ.* *ſub lumina prima.* paulò ante ſtellarum exortum. Tale eſt illud vltim. Epiſt. lib. 2. Cædimur, & totidem plagis conſumimus hoſtem Lento Samnites ad lumina prima duello, id eſt, ad noctem vſque. *nemon' oleum feret o.* *διατόνως* hominis feſtinantis. cod. Mart. Buſl. Din. habet. fert. *blateras.* *μωρολογεῖς*: impatientia moræ. *furiſque.* ſic libri ſcripti, Blãd. antiquiſſimus, Tonſ. Buſl. Sil. reliqui *fugiſque.* Alterum ſequimur, pró eo quod eſt, inſanis, excandeſcis, nimia cholera agitaris? At ſi cui τὸ fugis magis placeat, non repugnabimus. *etenim fateor.* Hæc *ἀνθυποφορὰ* ſerui eſt: ne quis cũ Pſeudacrone credat dominum interloqui: præoccupat enim Dauus ſe ventri quidem & luxui eſſe deditum, ſed herum coarguit multò eſſe nequiorem. *me dixerit ille.* τὸ ille; accipitur infinitè pro quauis perſona, nomine quidem incerta, ſed re ipſa cognita: non enim dubium eſt, quin herũ ſubindicet: ita vt τὸ ille, reſpõdeat huic infinito, ὁ δεῖνα. *naſum nidore ſupinor.* Synecdochicós, hoc eſt; habeo naſum ſupinum, patulũ & ſublatũ ad odorem gratum percipiendum. Sumta metaphora ab armentis. *ſi quid vis.* & ſi præterea aliquid aliud velis eſſe me, ſim popino, ſim ganeo, ſit mihi vitæ modulus ipſa culina. per conceſſionem. *tu cùm ſis quod ego.* Apoſtrophe in herum cum inſectatione amarulenta; ait enim ipſum & eſſe popinonem, & ſe nequiorem, hoc eſt, nequitiei & luxuriæ magis addictum. *inſectere.* modi eſt potentialis: pro debes ne me inſectari & verbis laceſſere, quaſi me eſſes probior? Imò melior ſum te, quód fatear peccatũ meum, cùm tu hoc non fatearis, ſed verbis potiùs decoris vitia tua contegere ſtudes. *verbiſq; deco. ob.* vocabulis honeſti virtutiſque. *aufer me vultu te.* deprecatio minarũ. *manũ ſtomachumq; te.* quieſce ab ira & verberibus tantiſper dum te conuinceã me nequiorem ſtultioremque, non penitus obſcuris Stoicíſq; rationibus, cuiuſcemodi Criſpinus Stoicus vti ſolet (*εἰρωνικῶς*: Criſpinum enim nihil vbique quàm ridet) ſed apertis & vulgaribus, quę vel ſeruis Criſpini ianitoribus perſpectæ ſunt & vſitatæ. Omnes interpretes hæc interpretantur nobiſcum de Criſpino Philoſopho: ſed quid ſi referantur ad Criſpinũ balneatorem, de quo ſcribit Perſ. I puer & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer? *te coniux alie.* propoſitio futuræ diſputationis. *peccas vter. n. c. d.* punitionis enthymema feſtinatò collectum, *ἐνθυμηματικῶς*. perinde ac ſi nullis argumẽtis aliis ſit opus, quàm, tu mœcharis, ergo cruce dignus es, eáq; maiore quàm Dauus, qui nihil quàm meretricatur. *acris vbi me.* continuat narrationem eius partis, meretricula Dauum capit, &c. quando acris natura, ardens animus, & vehemẽs libido incendit me &c. 4. cod. Bland. Tonſ. Mart. habent, *intendit. ſub clara nuda lucerna.* De die, de luce, vel, vt alij volunt, ὑπὸ λύχνου ἢ φανοῦ, ἢ λαμπάδος. Tonſanus codex habet, *lacerna*. cui non grauatim aſſentior, ita vt lacerna ſit pallium lineum tenuiſſimũ, *πεπλόνιον*, Ariſtoph. Quod non impedit, quia meretricula, vt nuda cernatur: quã Coam veſtem nominat Horatius ſub finẽ Satyr. 2. lib. 1. inquiẽs, altera nil obſtat, Cois tibi pæne videre eſt vt nudam, &c. Deinde Iſidorus lib. 19. cap. 25. Meretriciæ veſtis, inquit, ſignum fuit pallium lineum, quo & matronæ in adulterio deprehenſæ induerentur. omitto quod paulò póſt ait, illa tamen ſe nõ habitu mutatue, &c. perinde ac ſi dicat meretricem

mutare habitũ in Venere, matronã nequaquam, ſed ſtolam habere ad talos demiſſam, quæ nõ permittit eam purè apparere, vt ait Satyr. iam dicta. *quæcunque excepit tur. v. c.* tres Bland. cod. ſic habent, quæcumq; excipit vrgentis ſe ver. cau. Mart. codex, quæcumque accepit. iudicet lector. Senſus autem eſt, quæcumq; nuda me paſſa eſt incubum. *clunibus aut ag. equum.* Indicat autem turpiorem Venerem. vt Martial. ad vxorem, Hectoreo quoties ſederat vxor equo. *mut. eodem.* Eandẽ amplexetur, cumq́ue ea rem habeat. *tu cùm proiectis.* expolitio alterius partis propoſitionis, putà, te coniux aliena cap. *anulo equeſt.* Anulus inſigne fuit equeſtris ordinis, vt videre eſt apud Plin. *Romana ha.* toga. *ex iudice.* eligebantur enim tunc temporis iudices tam ex equeſtri quàm Senatorio ordine. *turpis* infamis. *odoratum.* odoribus delibutum. periphraſis liberi hominis. *obſcurante lacerna.* quando vilius indumentũ, & ſeruile tegit & mentitur te eſſe ſeruum turpem. eſt autem lacerna pallium obſoletum ad arcendam pluuiam. *tremis oſſa.* *συνεκδοχικῶς.* *quid refert vri virgis.* edocet herum non eum eſſe modò, quem ſe ſimulat, ſeruum, ſed etiam multò deteriorem ſeruo magiſq; impium, vt qui gladiatore non melior, ſe quaſi pæne ſeruũ libidini patiatur inauctorari. Viri docti hoc loco ex Acrone ſtatuunt auctoramenti gladiatorij conditiones tres, nimirùm vri flammis, virgis ſecari, & ferro necari. Turnebus autem lib. 2. cap. 20. prius quidem duas recenſet, vtpote, virgis vri, & ferro necari: ſed pòſt paullò, Grãmatici, inquit, veteres (Porphyrio fortaſſe & Acro) poſt vri, diſtinxiſſe videntur, & coniunxiſſe duo ſequentia, virgis ferróque necari. in qua quidem ſententia tantiſper etiamnum fui, donec in manuſcriptos codices incidi, in quibus non hanc ſolùm interpunctionem offendi, vri virgis, ferróque necari, cum hac adnotatione in codice Bland. vetuſtiſſimo, vri virgis, eſt vapulare; & in Diuæi, vri virgis eſt verberari: verũ etiam legi in Tonſ. codice tranſpoſitionem dictionum hanc: quid refert virgis vri, ferróque necari. ex quo tempore cœpi non temerè (vt opinor) cõijcere ab Horatio binas tantùm condiciones notari, tertiam ſuppoſiticiam eſſe à Pſeudacrone, qui parum memor eius quod Epiſto. 16. ait, habes pretium, loris non vreris, non vidit τὸ vri, hic quoque metaphoricôs accipi: ſed opinatus eſt ad flammam & ignem pertinere. Hos itaque verſus ſic interpretabimur: quid refert, quid intereſt, vtrùm gladiator auctoratus pretio, eas vri virgis, hoc eſt, verberandus, & ferro gladióque necandus, an mœchus ſis clauſus in arca turpi, quò ancilla peccati herilis conſcia demiſit te ita contractum, vt genibus tangas caput? non minùs enim, quàm gladiator, tu in periculum capitis venis, ſi maritus matronæ te deprehendat. Petronius in Satyr. habet hæc verba; Eumolpe, vri, vinciri, verberari, ferróque necari. *auctoratus eras.* Budæus ex lege ſecunda, §. ſed etſi eum exauctorauit. ff. de ijs qui notantur infamia; auctorare, inquit, eſt obligare: & auctorati milites, ſacramento aſtricti, & quaſi obærati, id eſt, ære ſtipendiario obſtricti, ac iam non ſui arbitrij. Itaque auctorare aliquem dicitur, qui ſuæ auctoritati & poteſtati dato pretio, eum ſubiicit iis cautionibus & legibus, vt verberetur, trucidetur, & quicquid imperatum aut opus fuerit, promptè ſubeat: cui cõtrarium eſt exauctorare, hoc eſt, obligatum dimittere, & ſuæ iterum poteſtati permittere; hinc milites exauctorati, qui accepto ſtipendio miſſi, ac rude donati ſunt. Lucianus in Icaromenippo, ridet hoc miſerum genus hominum, inquiens, *τὸ καταλειπόμενον ἐστὶ γελοῖον, ἄνθρωπον ἑπτὰ δραχμῶν εἰς τὸν ἀγῶνα μεμισθωμένον*, id eſt, quod ſupereſt, ridiculum eſt, nimirum homuncionem ſeptem denarijs ad agonem eſſe conductum. Ceterùm cod. Tonſ. & Buſl. habent hic, auctoratus eras, & ferè in omnibus ponitur τὸ vt, poſt vocem contractum; quod etſi non omnino improbem, tamen mihi videtur adiecticium, quando hic ordo verborum ſit planiſſimus, quid refert, eas vir. v. &c. an clauſus in arca turpi tangas caput pedibus? ita vt hæc per parentheſin quodammodo includantur, quò te demiſit peccati conſcia herilis contractum. *an turpi cla. in a.* *ὑπαλλαγὴ*, pro tu turpis, &c. *eſtne marito.* hoc erotema Daui ſumit expoſitionem ex lege Iulia de adulteriis. *illa tamen ſe non habitu.* ſenſus eſt, vt arbitror, tu cùm nõ ſeruo viliſſimo tantùm, ſed etiã quouis gladiatore duriora patiaris, eò es miſerior, quòd ea te non ita redamet, vt amore tui velit eſſe meretrix, téque, relicto marito, comitari, adulterijq́ue damnari: formidat enim ne amorem ſimules. Hæc autem tria, mutare habitum, mutare locum, peccare supernè, ſunt meretricia: Matronę autem adulterij damnatæ pro ſtola induebantur toga, vt ſuprà dictum eſt ex Iſidoro. Sic & Epigrammatarius lib. 1. Coccina famoſę donas & ianthina mœchæ vis dare quæ meruit munera? mitte togam. Item 10. Thetin viderat in toga ſpadonem damnatam. Numa dixit eſſe mœcham. *peccátve supernè.* hoc eſt, non ſit omninò abiecta, vilis, & impudica more meretricio: puto namque hoc pertinere ad infamem inuerſamq; Venerem, ad quam nequit matrona induci ab adultero delaſſato: & hoc ipſum eſt quod in Commentatore ſcripſimus, vix tandem ex barbariſſimis characteribus codicũ Blandiniorum erutũ, *πρὸς τἀναντία*: adulter enim mutat habitum, illa nequaquam; adulter mutat domũ, illa minimè; adulter nonnumquàm peccat infernè,

infernè, illa, dum non credit amanti, nõ peccat ſupernè. Sed quid ſi per epexegeſin peccare ſupernè declaret, quid ſit mutare loco, nimirũ matronam ſuccumbere, & non mutare loco, hoc eſt, non incumbere? frigidius enim mihi videtur, vt mutare loco, pertineat ad mutationem ædium in matrona liberaliore, quę domi quidem ſuæ pati poteſt ſuam pudicitiam expugnari, ſed vt foris etiam impudica ſit, non crediderim, niſi iam tota ſit meretricia. Eraſmus. ſupernè, accipit pro externè, quaſi dicat, inquit Glareanus, nõ peccat palam: conatur enim Dauus oſtendere mulierem imbecillitate peccare, non dedita opera. Nannius li. 4. Miſcell. putat pro ſupernè olim ſcriptum fuiſſe ſupinè, id eſt, inconſultò, ſtultè. Turnebus li. 2. cap. 18. aliã habet ſententiam. Codex Diuæi, habet (quantum licet conijcere ex notis vſu & vetuſtate tritis) nõ peccat ſupernè, id eſt, non reſupinat adulterum. *ibis ſub furcam.* Itaque conſultò dabis te in miſeram & deteſtandã ſeruitutem, quod nemo ſeruorũ facit, imo ne gladiatorum quidem quiſquam, qui non dato, ſed accepto pretio ſe operamque ſuam addicit emtori. ire ſub furcam, ferre furcam, genus erat ſupplicij ſeruilis: hinc dicti furciferi. vide Donat. in Andr. Plaut. in Caſina, Deos quæſo, vt quidem hodie camum & furcam feras: Ariſtoph. in Nebulis, φιμώσητε τούτου τῷ ξύλῳ τὸν αὐχένα id eſt, hoc ligno conſtrinxeritis huius collum. *dominoq́; furenti.* libidini furioſæ; nulláque certa ratione tibi imperanti concredes te tuáque omnia. Sunt qui per τὸ domino, ſignari malint, maritum matronæ: quod etſi non improbem, tamen crediderim potius hic accipi pro libidine; quemadmodum poſtea, vrget enim dominus mentem, &c. vbi furorem eius exprimit. *euaſti.* euaſiſti periculum, quò te præcipitauit furioſus dominus. *credo.* εἰρωνικῶς: perinde acſi dicat, neque metues, neque cauebis donec pereas, hoc eſt, rem omnem, nomen, famam & fortaſſe vitam amittas. *ò toties ſeruus.* exclamatio in indignitatem libidinis, quæ toties ex homine libero ſeruum facit. *quæ bellua rup.* argumentum à maiori ſubſeruiens exclamationi: ſi bellua nõ reddit ſe catenis vnde ſemel effugit, ſed naturam ſequitur; quî tu tibi tam es iniquus, tam inconſideratus, & alienus à mente, vt cùm ſis natura liber & ingenuus, poſthabita turpi ſeruituti libertate, non vites ea pericula ex quibus aliquando vix euaſiſti? *praua.* malim legere priua, quemadmodum mihi videor legiſſe in codice Diuæi. *neque ego Hercule fur.* confutatio à pari: vterque enim à maleficio abſtinet metu pœnæ. *vbi vaſa.* Bland. cod. antiquiſſ. habet viſa. *túne mihi dominus.* colligit quod ſuprà pollicitus eſt, nimirùm dominum ſuum, & eſſe ſeruum, & ſe ſtultiorem, atq; adeò ne dignum quidem qui ſibi ſit dominus, vt qui turpiùs alij ſubſit: deinde ſe quingentis emtum drachmis vindicta liberum fieri poſſe, eum verò nulla vmquàm vindicta à formidine, quæ libidinis comes eſt, liberari poſſe. quibus argumentis, altero ſyllogiſtico, altero ab vſu & fori conſuetudine docet Dauus herum ſe eſſe nequiorem, quòd & duriorem ſeruitutem pateretur & difficiliorem. *miſera formidine.* ab effectu. *ſiue vicarius eſt.* Argumentum à notatione, quo nunc citra ambages docet herum ſecum eſſe ſeruum, hoc modo, Quicunq; ſeruo paret, is eſt eius vicarius & conſeruus, ego autem tibi ſeruo pareo, quid ni ergo ſim tuus vicarius? aſſumtio autem certa eſt, nam tu, qui mihi imperas, alij ſeruis. *vti mos veſter agit.* ſic habent codices Tonſ. Mart. Sr. & alij, quos ſecuti ſumus. *tibi quid ſum ego? nempe.* Vnus codex Bland. habet, tibi quod ſum ego, ſine interrogationis nota. verùm ſecutus ſum vulgatam lectionem. *nempe.* ſubiectionis ſpecies: ſibi namque reſpondet Dauus, & aſſerit ſe eſſe heri ſui vicarium: ea enim huius aduerbij, nempe, vis eſt pręcipua, vt affirmet interrogationem: teſtimonio Vallæ, Linacri, & aliorum. Sic & Epiſtol. 16. li. 1. Reſpondés-ne tuo dic ſodes nomine? nempe. *tu mihi qui imperitas.* ellipſis hic eſt coniunctionis cauſalis, nam, aut ſimilis. *alij ſeruis miſer.* ſic codex Bland. antiquiſſimus cum duobus alijs, nõ etiam, vt ceteri omnes, aliis. quem nos ſecuti ſumus, ita vt ſententia ſit, alij ſeruis miſer, nimirùm domino furenti libidini, vt ſuprà: & paullò pòſt, Vrget enim dominus mentem non l. *duceris vt neruis al.* Muretus vir doctiſſimus grauius hic inſurgit in interpretes, quos ſi volet eſſe Acronem & Porphyr. profectò nõ facit pro merito tantorum virorum; quorum ſi extarent incontaminati Commentarij, neque cæcitatis eos argueret, & ſeriùs hanc interpretationem τῆς ἰδιογνώμονος pro ſua euulgaſſet, vti lectori conſtare poteſt ex Commentariis antiquis, in quibus ex ſcriptis libris adhuc ſupereſt antiquitatis miſerabiliter laceræ veſtigium. De ἰδιογνώμονος legantur annotationes Mureti & Lambini Comment. & aliorum. Equidem neſcio quoque an alludat ad Silenos Alcibiadis, de quibus legito Chiliades Eraſ. videtur enim Dauus herum ſuũ Sileno alicui ſimilem fingere, vt qui multò eſſet alius intuenti propius, purà ſeruus, quàm ſummo habitu vultuque appareret. Non autem me latet Silenos imagunculas fuiſſe extrinſecùs quidem ridiculas, intrinſecùs verò diuinam quandam artem ſculptoris celare: Sed quid vetat id etiam de præpoſteris Silenis interpretari? *quiſnam igit. lib.* Erotema ex Stoicorum ſententia. *ſibiq́; imperioſus.* ſic codex Blãd. antiquiſſimus cũ Tonſ. & Buſl. Quam lectionem

RR 2 Canterus

Canterus quoque non improbat. reliqui codices omnes habent, ſibi qui imper. quam non damno. In hanc ſententiam ait Claudius, Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris ira, ſeruitij patiere iugum, tolerabis iniquas interitus leges, tunc omnia iura tenebis, ſi poteris rex eſſe tui. Sed hac de re latiùs in 1. Epiſt. lib. 1. *fortis reſponſare.* Helleniſmus. Hęc autem prolixior expoſitio Stoicæ ſententię, paucis hoc modo reddi poteſt: liber eſt, qui neque deijcitur aduerſis (cuiuſcemodi ſunt paupertas, exilium, vincula, mors, &c.) neque proſperis effertur, vt ſunt honores, libidines, fortunæ bona, &c. quibus ſolet humanus animus vehementer concuti rapique in omnem partem: oportet enim hominem liberum eſſe ſapientem, regem, temperantem, liberalem, moderatum, fortem, continentem, &c. Virtus enim ex Stoico dogmate ita ſecum virtutem trahit, vt concatenati anuli. *vt proprium q. n.* ἴδιον καὶ οἰκεῖον, poſſeſſiuè, hoc eſt, quod poſſis verè fateri tuum eſſe. *quinque talenta p.* regreditur ad intermiſſum propoſitum ſeruitutis herilis. *foribus repulſum p. g.* perpulchra præpoſitionum tranſpoſita commutatio, pro eo quod eſt, perfuſum gelida repellit à foribus. *turpi colla iugo.* turpe iugum libido: ab effectu. *liber. liber ſum.* amara inſultatio per iterationem. *vrget enim dom.* ἀναλογία, ex natura relationis: is enim non poteſt eſſe liber, quem vrget & impellit dominus. *vel cùm Pauſiaca t. i. t.* arguit herū ſeruitutis à nimio picturæ ſtudio. Sed & Cic. talem declarat eſſe ſeruum in e, tiarum eo paradoxo, ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, quem ſtupidum detinet Aëtionis tabula, aut ſignū aliquod Polycleti. *aut Paciliani.* Codex Bland. habet hanc dictionem ſine vlla macula aut litura, quem ſequimur, nam & apud Cic. ſæpius hoc nomē occurrit. Sic legit Adria. Iunius noſter in Nonio Marcello à ſe caſtigato. *contento poplite.* eſſe contento poplite, quod gladiatorium eſt, ſic dixit vt Cic. 2. Tuſc. vt onera contentis corporibus faciliùs feruntur, remiſſos opprimunt; &c. & Virg. 3. Georg. Contenta ceruice trahunt ſtridentia plauſtra: ita vt contentum idem ſit quod colligatum & coniunctum. *nequam & ceſſator.* ſupp. ἀκούω, audio, hoc eſt, dicor à te. *ceſſator.* ὀκνὸς, piger, ignauus, ſerui proprium. *ſi ducor libo.* de libi confectione vide M. Catonem de agricultura. *obſequium ventris m. p. c.* anaſtrophe ſigni interrogatiui, cur. vt hic ſit ordo, cur obſequium ventris mihi eſt pernicioſius in nidore fumantis libi, quàm tibi, cuius palatum vel delicatiſſima requirit: ſic namque facienda eſt interpunctio, vt τὸ cur. præcedentia, nō etiam ſequentia reſpiciat. *tergo plector enim.* conceſſio: fatetur gulam eſſe in cauſa cur pœnas luat, ſed oſtendit hero ſuas illecebras multò difficiliùs adferre malum. *qui tu impunitior illa quæ paruo ſumi nequeunt opſonia captas.* ſic habent omnia ſcripta, nec quicquam immutaui propter apertam ſententiam. *impunitior,* ἀτιμωρία, pro impunitius, ſiue impunius: vt ſenſus ſit, quo pacto impuniùs quàm ego, conſectaris illa opſonia, illas delicias quæ nequeunt paruo comparari? *nempe inamareſcunt epula.* non ſapiunt propter aſſuetudinem, aut generant ex ventriculi cruditate ὀξυρεγμίαν, ſeu ὀξυψίαν, ructum acidum. *illuſiq; pedes.* per gonagram, quæ ex genuum debilitate, & humorum redundantium collapſu oritur. *an hic peccat.* argumentum à minori: ſi peccat ſeruus, gulæque criminatur, quòd pro ſtrigili vuam accipiat, quantò magis herus, qui vorat vniuerſum patrimonium? *qui puer vuam furtiua mutat ſt.* ſic legitur in omnibus ſcriptis, quę mutare nolui, eſt enim hypallage, & oratio fluida. Vide Epodo 1. peculíve Calabris ante ſ. &c. *non horam tecum eſſe.* oſtendit herum ſe multò puniri acerbius, vt qui nō corpore modo, ſed etiam laboret animo. hoc autem quod ait Dauus, non horam tecum eſſe potes, aut ad animum non omnino bene ſibi conſcium, aut, quod magis arbitror, pertinet ad inæqualitatem vitæ, cuiuſcemodi inconſtantiæ ſuprà damnauit Priſcum. *te ipſum vitas fug.* tecum pugnas, es præſens abſens. *fugitiuus.* epitheton ſerui, qui fugit eo animo vt ad dominum non reuertatur. *& erro.* ſic ſcriptum eſt in antiquiſſimo Bland. Tonſ. Diuæi, Buſ. Nan. Mart. Sil. in tribus aliis Bland. vt erro. diiudicet lector. Eſt autem erro, auctore Vlpiano, ſeruus nugator vagabundus, ſed ad dominum tandem rediens. Arrianus de re militari, leuius itaq; delictum emanſoris habetur, vt erronis in ſeruis: deſertoris autem grauius, vt in fugitiuis. *comes atra.* ipſa nimirum cura. *vnde mihi lapidem.* perpulchra & lepida διατύπωσις, heri infenſi & ſerui illudentis habitum. *inſanit.* non eſt ſanus, non eſt ſanæ mentis. *aut verſus f. facit.* Cic. 2. de natura Deorum, iam Apollo verſus facere debebat: alludit ad furorem diuinum, ἐνθουσιασμόν. *accedes opera agro n. S.* Sententia eſt, niſi citiùs hinc abeas, tantùm abeſt, vt te libertate donem, vt ex ſeruo vrbano & honorario efficiam te vilem & abiectum. In ea namque ſignificatione τὸ opera, vſi ſunt optimi quique auctores, Cic. præcipuè, qui pluribus in locis contumelioſè ſatis appellitat operas, ſordidos abiectoſque & vilis conditionis homines; vt pro Sextio: Cùm per tribunum aliquem & ſexcentas operas ſe fortunis ſpoliari videant. & alibi; Operarum, inquit, ſuarum gladiis & lapidibus obiecerit. Item pro Flacco: opera faceſſant, ſeruitia ſileant.

ECLOGA VIII.

FVNDANIVS.

VT te Naſidieni iuuit cœna beati?
Nam mihi quærenti conuiuam, dictus here illic
De medio potare die. ſic, vt mihi nunquam
In vita fuerit melius. da, ſi graue non eſt,
Quæ prima iratum ventrem placauerit eſca.
In primis Lucanus aper, leni fuit Auſtro
Captus, vt aiebat cœnæ pater. acria circùm
Rapula, lactucæ, radices, qualia laſſum
Peruellunt ſtomachum, ſiſer, alec, fecula Coa.
Hic vbi ſublatis puer alte cinctus, acernam
Gauſape purpureo menſam perterſit: & alter
Sublegit, quodcunque iacêret inutile, quódque
Poſſet cœnanteis offendere: vt Attica virgo,
Cum ſacris Cereris, procedit fuſcus Hydaſpes
Cæcuba vina ferens, Alcon Chium maris expers.
Hic herus, Albanum Mæcenas, ſiue Falernum
Te magis appoſitis delectat: habemus vtrumque.
Diuitias miſeras. Sed queis cœnantibus vnà
Fundani, pulchrè fuerit tibi, noſſe laboro.
Summus ego, & prope me viſcus Turinus, & in-
Si memini, Varius. cum Seruilio Balatrone (fra,
Vibidius: quos Mæcenas adduxerat vmbras:
Nomentanus erat ſuper ipſum, Porcius infrà,
Ridiculus totas ſimul obſorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, ſiquid fortè lateret,
Indice monſtraret digitó. nam cetera turba,
Nos, inquam, cœnamus aueis, conchylia, piſceis,
Longè diſsimilem noto celantia ſuccum:
Vt vel continuò patuit, cùm paſſeris, atque
Inguſtata mihi porrexerat ilia rhombi.
Poſt hoc me docuit melimela rubere minorem
Ad lunam delecta. quid hoc interſit, ab ipſo
Audieris melius. tum Vibidius Balatroni:
Nos, niſi damnosè bibimus, moriemur inulti.
Et calices poſcit maiores. vertere pallor
Tum parochi faciem nil ſic metuentis, vt acreis
Potores: vel, quòd maledicunt liberius: vel,
Feruida quòd ſubtile exſurdant vina palatum.
Inuertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius, Balatroq́;, ſecutis omnibus: imi
Conuiuæ lecti nihilum nocuere lagenis.
Affertur ſquillas inter muræna natanteis
In patina, porrecta. ſub hoc herus, hæc grauida,
inquit,
Capta eſt, deterior poſt partum carne futura.
His miſtum ius eſt oleo, quod prima Venafri
Preſsit cella, garo de ſuccis piſcis Iberi,
Vino quinquenni, verùm citra mare nato,
Dum coquitur: cocto Chium ſic conuenit, vt non
Hoc magis vllum aliud: pipere albo, nō ſine aceto,
Quod Methymnæam vitio mutauerit vuam.
Erucas virideis, inulas ego primus amaras
Monſtraui incoquere, inlutos Curtillus echinos,
Vt melius muria, quam teſta marina remittit.
Interea ſuſpenſa graueis aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia puluerìs atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos maius veriti, poſtquàm nihil eſſe pericli
Senſimus, erigimur. Rufus poſito capite, vt ſi
Filius immaturus obiſſet, flere. quis eſſet
Finis, ni ſapiens ſic Nomentanus amicum
Tolleret? heu fortuna, quis eſt crudelior in nos
Te Deus? vt ſemper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa compeſcere riſum
Vix poterat. Balatro ſuſpendens omnia naſo,
Hæc eſt conditio viuendi, aiebat: eoq́;
Reſponſura tuo nunquam eſt par fama labori.
Téne, vt ego accipiar lautè, torquerier omni
Sollicitudine diſtrictum? ne panis aduſtus,
Ne malè conditum ius apponatur? vt omnes
Præcincti rectè pueri, comtíque miniſtrent?
Adde hos præterea caſus: aulæa ruant ſi,
Vt modò: ſi patinam pede lapſus frangat agaſo.
Sed conuiuatoris, vti ducis, ingenium res
Aduerſa nudare ſolent, celare ſecundæ.
Naſidienus ad hæc: tibi dij, quæcunque preceris,
Commoda dent: ita vir bonus es, cōuiuaq́; comis.
Et ſoleas poſcit. tum in lecto quoque videres
Stridere ſecreta diuiſos aure ſuſurros.
Nullos his mallem ludos ſpectaſſe: ſed illa
Redde, age, quæ deinceps riſiſti. Vibidius dum
Quærit de pueris, num ſit quoque fracta lagena,
Quòd ſibi poſcenti non dentur pocula: dúmque
Ridetur fictis rerum Balatrone ſecundo:
Naſidiene redis mutatæ frontis, vt arte

Emendaturus fortunam: deinde ſecuti
Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes
Membra gruis ſparſi ſale multo, non ſine farre:
Pinguibus & ficis paſtum iecur anſeris albi,
Et leporum auulſos, vt multo ſuauius, armos,
Quam ſi cũ lumbis quis edit. tum pectore aduſto
Vidimus & merulas poni, & ſine clune palumbes
Suaueis res, ſi non cauſas narraret earum, &
Naturas dominus: quem nos ſic fugimus vlti,
Vt nihil omnino guſtaremus: velut illis
Canidia afflaſſet peior ſerpentibus Afris.

COMMENTATOR.

FVNDANIVM amicum ſuum interrogat Horat. qualis cœna Naſidieni diuitis fuiſſet apud quem ipſe cœnauerat: quam ex ordine deſcribẽs, oſtendit eum in lautitiis ſuis & apparatu magnifico iactando fuiſſe putidiorem. *vt.* quomodo, qualiter. *iuuit.* delectauit. *beati.* mirè beati, diuitis. *conuiuam* te ſcilicet Fundani. *here.* pro heri. *illic.* apud Naſidienum. *de medio die.* à meridie. *ſic.* ſupp. acceptus ſum in cœna, ſic ea me iuuit, ait Fũdanius. *vt mihi num.* vt numquam fuerim acceptus iucundius. *da ſ. g. n. e.* dic, ait Horat. *iratum.* eſurientem, famelicum. *Lucanus aper.* valentiſſimus, ſpecies pro genere. *fuit.* ſupp. qui. *leni auſtro.* amœno, non æſtuoſo. *cœnæ pater.* paſtor, pater familias, cœnę præbitor, ἀρχικὸς τοῦ δείπνου, συμποσίαρχος. *acria c.* aut quia habent quandam acrimoniam, aut quia cum aceto condiantur. *rapula.* neutro genere, & deminutiuè, pro rapis, ſeu napis. *radices.* ῥάφανοι. *laſſum.* faſtidioſum. *peruellunt.* cum quadam delectatione pungunt & exuſcitãt, vellicantque & permouent ſtomachum faſtidientem ad ὄρεξιν. *ſiſer.* genus oleris vtile ſtomacho. *fecula Coa.* deminutiuè. *hic vbi.* vt, poſtquã. *puer.* ſeruus. *alter cinctus.* notat eius ſeruos incomtos, inornatos, & rudes. *acernam.* de acere confectam, τὸ σφένδαμνος Græcè dicitur arbor, vnde fiunt tabulæ: & hoc notat eius ſorditiem, quòd pro diuitiis non habuerit menſam citream aut vermiculatam. *Gauſape.* mappa villoſa. hic Gauſapes. *alter.* poſt illum qui terſit. *ſublegit.* ἀνελέξατο. *iaceret.* remaneret. *inutile.* ſordidum. *offendere.* lædere viſum, mouere faſtidium. *vt.* tamquam. *Attica virgo.* ſacerdos Cereris. illas vult quas Tullius in Verrinis κανηφόρους ait, quæ ſacra Cereri ſublatis ſupra caput manibus, in ſportulis portare ſolebant. *Fuſcus Hydaſpes.* ridet nimiam pompam in tenui apparatu. Hydaſpes, Alcon, nomina ſunt ſeruorum Naſidieni. *Chium m. v.* ſine marina aqua. Græci namque ſolent vina miſcere aqua marina, vt non facilè corrumpantur: vnde inſtitutum tradit Varro, vt Delphini circa Liberum pingerentur. *aut maris expers.* id eſt, non mari aduectum, ſed in Italia natum & factum. *hic herus.* tunc Naſidienus ait. *te magis appoſitis.* ſi vinum Albanum aut Falernum magis te delectat appoſitis, id eſt, quàm quæ appoſita, & in conuiuio præſto ſunt, ſcilicet Cæcubum & Chiũ. *diuitias miſeras.* ſupp. narras, inquit Horatius. quòd ſollicitè & magna cura ſeruabantur, & non apponebantur. *ſed queis cœnant v.* valdè ſcire cupio, qui tecum cœnauerint hilariter & iucundè. *ſummus ego.* in cornu, in ſumma parte lecti, ſuppl. eram vel fui. *Thurinus.* aut proprium eſt, aut gentile, nimirùm de Thurio oppido Calabriæ. *cum Seruilio Bal. Vib.* hi erant in altero lecto cum Mæcenate. *vmbras.* paraſitos. *Nomentanus erat.* in tertio lecto. Nomentanus autem erat Decumanus. *ſuper ipſum.* ſupra Naſidienum. *Porcius.* Publicanus. *ſimul obſorbere placentas.* notat paruitatem placentarum: quare ridiculus obſorbere, hoc eſt, in obſorbendo & deuorando totas placentas. *Nomentanus ad hoc.* ad hãc rem erat ridiculus. *lateret.* Porcium: quod Porcius non aduerteret, ſed eum ſubterfugeret. *indice monſt. dig.* alluſit ad morem licitationis: erat enim Nomentanus Decumanus & Porcius Publicanus: Publicani autem ſublato digito licitationem vectigalium faciebant. *nam cetera turba nos in.* ἐπεξήγησις. verba ſunt Fundanij. *longè diſſimilem.* meliorem. *noto.* vſitato. *celantia.* intra ſe continentia. *ſuccum.* ſaporem. *patuit.* probatum eſt. *paſſeris.* paſſer eſt genus piſcis. *inguſtata mihi.* à me, quæ antea non guſtaueram. *docuit.* Naſidienus. *melimela.* ſuauiſſima mala, κυδώνια μῆλα. *rubere.* eſſe rubicunda. *minorem ad lunam.* ad incrementum lunæ, quando luna creſcit. *delecta.* ex arbore. *quid hoc interſit.* quid hoc ſit, & qualis ſit differentia, quòd melimela creſcente luna rubent, ipſe melius te docebit quàm ego, qui mihi narrauit. *Vibidius Bal.* ſupp. ait. *damnosè.* hoc eſt, ita multùm, vt damnum ſentiat, qui conuiuium præbet. *moriemur inulti.* quaſi miſeri: hoc execrantium eſt cibos, & comminantium in pocula, ad vindictam. *vertere.* Enallage, pro vertebat, mutabat: vel eſt ellipſis verbi cœpit. *parochi.* Naſidieni, domini ipſius conuiuij. *vt.* quàm. *liberius.* per ebrietatem. *ſubtile.* tenue & parũ. *exſurdant.* ſurdum reddunt, vt iam non ſentiat ſaporem. *Alliſanis.* calicibus & poculis maioribus. eſt autem Alliſanum dictum ab Alliſe oppido Samnij, vbi maiores calices fiebant. alij volunt fuiſſe vicum Campaniæ, vbi fictiles & latiores calices fiebant.

inuertunt.

Inuertunt. exhauriunt: aut eſt hypallage, vt ſit ſententia, inuertūt Alliſanos calices toto vino ebibito, vt vinaria tota ponantur pro vino. vel inuertunt vinaria, id eſt, ὑποφόρα κατὰ κεφαλῆς τρέποντας, id eſt, vaſa vinaria in caput vertūt, ita vt ore terram tangerent. *imi cõuiuæ lecti.* Nomentanus & Porcius, qui in imo lecto erant accumbentes, nihilum nocuere lagenis, id eſt, nihil biberunt. Alij ſic legunt, *ſecutis omnibus imis: conuiuæ lecti.* id eſt, electi viri, Mæcenas & alij nobiles nihil biberunt. *natantes.* in iuſcello. *ſub hoc.* in hoc miſſu allato. *heros.* dominus conuiuij. *hac grauida.* quaſi tunc ſit melioris ſaporis cùm grauida eſt. *his.* murænæ & ſquillis eſt iuſculum commiſtum, in quo natabant ſquillæ. ζωμὸς Græcè. *prima.* optima. *Venafri.* Venafrum ciuitas eſt Campaniæ, vbi naſcitur optimum oleum: ſed hoc tamquam fictum ridet Fundanius. *cella.* olearia. *garo.* cum garo liquamine. *piſcis Iberi.* Hiſpani. *vino.* cum vino. *verum citra m.n.* vino Italo. *dum coquitur.* ius *cocta.* iuſcello. Italicum & Chium vtrumque aptum eſt iuſculo. *hoc magis v.* ſupp. conueniat. *pipere.* cum pipere & aceto ius mixtum eſt. *quod.* acetum. *Methymnæam v.m.v.* Methymna oppidum in Lesbo inſula. *vitio.* ſuo. *mutauerat.* dū mutatur, acidam fecerat, & vitiauerat. *erucas.* eruca nomen eſt herbæ, quæ εὔζωμον Græcè dicitur. *inulas.* inula, ἑλένιον Græcè, nomen herbæ. *incoquere.* in iure illo. *echinos.* piſceis docuit incoquere. *vt melius.* ſupp. ſapiant. *muria.* cum muria. *teſta marina.* peregrina, Græca. *interea.* dum hæc narrat Naſidienus. *aulæa.* cortinæ, vela. Apud veteres tenſis aulæis exercebantur conuiuia: vnde permanſit conſuetudo militibus, vt tentoria habeant: ſub cameris autem tendebantur, vt ſi quid pulueris caderet, ab ipſis exciperetur. *pulueris atri.* ſupp. tantùm. *Campanis.* in planis locis plus eſt pulueris quàm montoſis. Campania autem in campis ſita eſt, vnde etiam nomen accepit. *nos maius v.* ruinam domus timentes. *poſtquàm nihil eſſe.* poſtquàm ſenſimus ſtare domum. *erigimur.* apparet hic conuiuas in lectis diſcubuiſſe. *poſito capite.* in lectum. *Rufus.* Naſidienus, erat enim binomius. *immaturus.* adoleſcens obiiſſet. *flere.* flebat, vel flere cœpit, quaſi perculſus orbitate filij, deſcribit luctum Rufi. *quis eſſet f.* flendi, quàm diu ille fleret? *ſapiens.* ſimulans ſapientiam, ironicôs. *tolleret.* conſolatione fletum mitigaret. *heu fortuna.* Nomentanus ad conſolationem Naſidieni, ſic conqueritur de fortuna. *te Deus.* fortuna Deus. *vt.* quomodo, qualiter. *compeſcere riſum.* ne audiretur ridere: mappa namque os occludebat. *ſuſpendens o.n.* omnia irridens. *hac eſt cond.* vt etiam in proſperis aduerſa non deſint, *eóque,* ideóque. *fama.* gloria. *labori.* in exhibenda cœna. *ten' vt accipiar l.* ὡς ἐν ὑφφάνθλῳ ſupp. oportet. Ita apud Terent. in Phorm. Téne aſymbolum venire vnctum atq; lautum è balneis, otioſum ab animo, cùm ille & cura & ſumtu abſumitur? *accipiar.* vt, Illos porticibus rex accipiebat in amplis. *agazo.* is propriè eſt qui iumenta tractat; hic autem ſatyricè ſignificat eſcarum miniſtrum, quem vulgò nominant infertorem. *ſed conuiuatoris.* Quemadmodum, inquit, dux exercitus in aduerſis rebus probatur, vtrum nouerit opitulari tutaríq; ſuum exercitum, nam felicitas in militia celat imperandi ſcientiam; ita conuiuatoris prudentia in aduerſis cernitur, quemadmodum poſſit zelari & tractare ſuos conuiuas. *nudare ſ.* demonſtrare, probare. *Naſidienus ad h.* ait. *comis.* facetus, elegans. *ſoleas.* calopodes, nempe ad reparandum conuiuium. *in lecto.* in vnoquoque lecto. *ſtridere.* poſtquam Naſidienus diſceſſiſſet, cœperunt conuiuæ ſuſurrare in aurem ſciſcitantes, quaſnam putarent eſcas allaturum Naſidienum. & notandum eſt, quòd in ipſo verſu ſit imitatus ſonitū ſuſurri. vt, Lento ducunt argento. &, ſale ſaxa ſonabant. *nullos his m.* ait Horatius. *his.* quàm hos. *redde age.* dic, refer. huic eſt reciprocum illud Virgilij, Sacra refer Cereri, id eſt, redde. *Vibidius.* Verba Fundanij. *videtur fictis.* iocis; quia qui vult mouere riſum, ſe fingit aut mæſtum, aut iratum; aut hilarem, &c. inſtar mimorum; aut ridetur propter figmenta Naſidieni & eius ſordeis. *Balatrone ſecundo.* hypocritam agente, ſubſequente, ſubſeruiente, pocula etiam poſcente, ſecundabat omnia iocis ſuis. *Naſidiene r.* apoſtrophe ad Naſidienum redeuntem. *mutata fronte.* iam lætior. *Mazonomū.* Mazonomus genus eſt lancis capacioris, in quo deferuntur eſcæ, magna ſcutella. *diſcerpta.* diuiſa. *quàm ſi cum l.* Lumbi plus habent carnis, armi verò duriores ſunt: oblati igitur nobis ſunt armi ſine lumbis, quos commodius eſt ſolos eſſe, quàm ſimul cum lumbis, quia lumbi habent aliquid tetri odoris, & ſaporis minùs iucundi. *quis edit.* ſubiunctiui modi, edim, edis, edit: nunc edam, edas, at. *aduſto.* aſſo. *palumbes.* ſilueſtreis columbas. *narraret earum.* ſi nobis non recitaſſet cauſas non allatarum clunium & lumborum. *ſic fugimus.* abceſſimus illinc. *guſtaremus.* quia Naſidienus fortaſſe dicebat ſe inueniſſe vermeis in cæteris partibus quas non attulit. *velut illis.* cibis.

CRVQVIVS.

SI Catium Satyra 4. huius lib. induxit Horatius in præceptis ſuæ cœnæ recenſendis, ſui quodammodo immemorem, ineptum, turbatum, & pro hominibus ſui ordinis monſtroſè philautū: hic videas

hic videas à Naſidieno, Catij fortaſſe præceptore, vel potiùs, ipſomet Catio Naſidieno, apponi cœnam Mæcenati, Fundanio, ceteriſque conuiuis nō magis ordinatam, ſed planè confuſam, inſulſam, craſſam, & inde à primis ad extrema vſque fercula fœtidè ſordidam, nec minùs vana quadam oſtentatione ridiculam, ad improbitatem, credo, auaritiæ celandam. inſtituit autem menſam tripartitam, ad maiorum, arbitror, imitationem, ex apro Lucano, muræna patinaria, & venationis aucupijque particulis in mazonomo allatis. Initio quidem, contra omnem cœnæ rationem modúmque, apro Lucano corrupto rancidóque circumponi iuſſit, non quæ famelicum, ſed qualia ſtomachum laſſum, nimiáque crapula languidum recreent, vel ex præcepto Catij Saty. 4. his deinde ſublatis, vinóque in triclinium magna pompa allato, oſtentatóque, cum placentulis, & paſſeris rhumbíque cōditis ilijs, melimeliſq; allata pòſt muræna eſt inter ſquillas in iuſcello natanteis, quod ſuum inuentum, aut ſaltem compoſitum mixtumq; mirè prædicat. ſed eam cùm non guſtarent, vel propter inſipidum condimentum, vel ob caſum aulæorum repentinum in patinam: tandem poſt largum Naſidieni fletum, in mazonomo (neſcio an Græco more cum cantu & tibicine) comportata ſunt auium variarum leporúmque fruſtula putida, tedolentiáque aduſtionem: quæ vnà cum Naſidieno conuiuas ait Fundanius perinde fugiſſe atque venenum præſentiſſimum. Ceterùm hæc conuiuij narratio tam iucundè concinnata eſt, vt, actioni alicui ſimilis, per omnia ſibi lepidiſſimè reſpōdeat: Exordio namq; cœnę malè compoſito, tamquam protaſi, ita ſubſeruit commemorationis epitaſis ex aulæorum ruina puluerulenta, vt epilogus exitum habeat planè facetū & ludicrum: Præterea quantum præſenti commentationi condiendæ commodent Nomentanus, Portius, Vibidius & Balatro. *vt te Naſidieni i. cœb.* ſic habent duo codices ſcripti, puta, Sil. & Mart. cum vno & altero vulgato, quos ſecuti ſumus, indignū rati Horatiū cenſere paucis in verſibus ſui oblitum eandem ſyllabam nunc produxiſſe, nunc contraxiſſe citra omnem neceſſitatem, nimirùm, ſecundam in dictione Naſidienus, cum ſynæreſi tertiæ & quartæ dictionis eiuſdem: Taceo genium Horatianum clarius eluceſcere, taceo carminis numeros vulgato ſermoni propinquiores hoc in ſitu: vnde Deſpauterius etiamnum in cæſuris hoc modo legens, vt te Naſidieni, &c. adfert pro exemplo carminis omni cæſura carentis. De Naſidieno equéſne Romanus fuerit, vt vult Pſeudacro, nihil quod conijciam habeo: præterquam quòd opiner eum eſſe Catium qui Saty. 4. noua conuiuandi præcepta cum ſuis rationibus ſibi vendicat. Naſidium cum Caſſio Parmenſi, & alijs factionis Pompeianæ defeciſſe ad Antonium ſcribit Appianus ad finem lib. 5. bellor. ciuil. hinc fortaſſe format Horatius Naſidienum. *vt te Naſid.* exordium ab erotemate, quod continet argumentum futuræ narrationis. *beati.* εἰρωνικῶς, quaſi infelicis & miſeri, vt qui neſciat rebus ſuis vti, ſed eas corrumpi potius, & perire, quàm frui velit. *nam mihi quærenti.* αὐτοσχεδίως. *de medio pot. d.* ridiculè hoc ſubijcit: quid enim illic de medio die potare liceret, vbi id ne cœnanti quidem cōceditur ſine pallore parochi, vt ait Fundanius? *ſic.* διαλείποντος. *da ſi gra. nec.* omnes ſcripti libri habent, dic. *iratum vent.* ab effectu, iuxta illud, fames & mora bilem in naſum conciunt. *Lucanus aper.* Synecdochicôs, totum pro parte: et legimus tamen Seruium Rullum primū Romanorum totum aprum vna menſa appoſuiſſe. hinc Iuuenal. Quanta eſt gula quæ ſibi totos ponit apros. *leni fuit Auſtro.* Amœno temperatóque cælo, non exæſtuante Auſtro, quo non molleſcere tantùm, verumetiam ferina facilè putreſcere atq; corrumpi ſolet: quemadmodum ait Satyra 2. huius lib. At vos ô Auſtri, coquite horum opſonia: quare leni Auſtro captum dicit, quò celet eius fœtorem. *cœnæ pater.* præfectus, quaſi τραπεζοκόμος. *acria circum.* hæc εἰς αἰνιγματώδη faciunt omnia, non autem ad ſtomachum famelicum placandum. quare hæc non ſuo loco apposita ridet Fundanius. ſed fortaſſis opinatus eſt Naſidienus his ἰυπομάχοις tollere ſe poſſe aut mitigare nauſeam ranciditatis apri Lucani. Solebant quidem Romani cibos delicatiores herbis condire, ſed non niſi conuiuis iam exaturatis & edendo languidis, ad orexin prouocandam. hinc eſt illud Martialis, Dum turtur mihi pinguis erit, lactuca valebis. Quod autem circum, dicit, ſatis oſtendit in triclinio cœnam fuiſſe appoſitam in orbiculari menſa. Sic & Catius Ecloga 4. puris circumpoſuiſſe catillis. *ſiſer.* herba, cuius radix decocta ori grata, & ſtomacho vtilis, vrinam ciet, & inuitat appetentiam, ait Dioſcorides. Flandris ſuycker wortelkens/ oft Serille. Gallis *Cheruy. alec fecula Coa.* de halece & fece, vide quæ adnotauimus Satyra 4. huius lib. hoc tantùm hic apponendum putaui, feculam condimentum eſſe ex eo genere quod ἄπεφθον Plinio dicitur lib. 11. cap. 15. quod ex craſſiori ſedimento purum profluit. Qui autem nunc vſus inualuit, vt fæx & fæcula cum diphthongo æ ſcribantur, cùm omnes manuſcripti libri e ſimplex oſtendant, diſputent docti; mihi certè æ diphthongus ſuppoſiticia videtur, nam & Græcùm φέκλη (quod à Latino deductum oſtendit Galenus περὶ τόπων lib. 1. inquiens, Ἰρινὲς ἀπὸ χυμαρικῆς, ἐκ φυρμῶν φέκλην καλοῦσι,

per,e,ſcribitur. *puer alter cinctus.* ſic habent duo cod. Mart. & Sil. quos ſecuti ſumus propter ἀκολουθίαν τοῦ alter, ſubſequentis. *menſam perterſit.* quid ſi per.exit, legamus? is enim vſus gauſapis apparet fuiſſe ex illo Martial. Nobilius villoſa tegant tibi gauſapa citrum. *& alter ſubl.* hoc enim moris erat in cœnis ſollemnibus, vt ex toto famulatu aſtāte, alter reliquias colligeret quæ de menſa cadunt, alter murmur compeſceret, alius ſputa è pauimento, & ſi quid præterea eſſet immundi, verreret. *Attica virgo.* periphraſis κανηφόρου, hoc eſt, caniſtriferæ virginis; quæ quaſi pertæſa virginitatis, ſacra Cereri ferebat in caniſtro, vt, quaſi exauctorata, viro nuberet. Vide Halicarnaſſ. lib. 2. antiquitatis Romanæ: & Adagium, ingredi Iunonium. *Cæcuba v. f.* de vino Cæcubo & aliis Italicis vide Athenæ. ad finem lib. 1. *Alcon Chium m. e.* maris expers, id eſt, non Græcum, neque ex Chio inſula nauigio per mare in Italiam allatum, ſed in Italia natum factúmque & pertenue, vt quod marinam non ferret. De vino Græco factitio, lege Catonem: de vino autem marino conficiendo, Dioſcorid. *hic herus.* Cùm Naſidienus aduerteret Mecenatem, vel auerſari, vel non guſtare allata vina propter acerbitatem fortaſſe vel tenuitatem, ſatis arroganter quidem iactitat ſe habere nobiliora ſi ea deſideret, Albanum, putà, & Falernum, ſed adeò miſerum deſcribit eum Horatius, vt eis vti non audeat, inquiens, per exclamationem. *diuitias miſeras.* nimirùm ab effectu, quòd hominem miſerum, infelicem, & in maximis fortunis efficiant infortunatiſſimum, corpore quidem, quòd in omnium rerum affluentia egeat, animo verò, qui perpetuò cruciatur habendi libidine. *ſed queis cen. v. ſ.* percontatur Horatius qui fuerint alij conuiuæ cũ Fundanio bene accepti; ad continuationem narrationis. *ſummus ego.* narrat Fundanius quo ordine in triclinio conuiuæ diſcubuerunt: ſummus, inquit, eram in primo lecto, &c. Romanis nonnumquàm locus honoratior ſummus in menſa fuit; aliquando verò in medio diſcubuiſſe magnificentius putabant: at in imo conuiuij dominus accumbebat: quod hic ab Horatio videmus obſeruatum: nam in medio lecto Mæcenas cum ſuis vmbris Balatrone & Vibidio, Naſidienus in imo diſcubuit cum ſuis conuiuis Nomentano, Porcióque. *quos Mæcenas adduxerat v.* vmbræ Mæcenatis fuere Seruilius, Balatro, & Vibidius, vt habent adnotationes Blandiniæ: à quibus non diſſentit Gregorius Gyraldus in re nautica: quas vmbras metaphoricôs ἐφόλκια nominat à nauibus minoribus, quæ maiores comitantur. Apud maiores autem (vt hoc ἐν παρόδῳ dicam) diligenter obſeruatum fuit, ſi quis ad cœnam benigniùs inuitatus accederet, vt, de beneuolentia hoſpitis confiſus, alios veluti comites & vmbras ſecum duceret. Legito Adagium, vmbræ: at ſua ſponte conuiuio aliis parato, ſeſe adiungere non licebat: at ſi tamen ita vſu veniret, vt non inuitati, ſed αὐτόματοι aduentarent, ij in imam lecti ſpondam deduci iubebantur. Præterea ſi fortaſſe cõuiua ſeriùs & ad præſcriptam horam non adeſſet, eum non admittebant, aut diſcumbere patiebantur niſi triclinio circuito. *prope me.* codex Blandinius antiquiſſimus habet, pro me; quam lectionem ego prætulerim vſitatæ, vt ſit pro me, id eſt, ante ſeu ſupra me: ei namque ex oppoſito reſpondet τὸ infra. atque ea lectio clarè demõſtrat Fundanium diſcubuiſſe medium. *ſuper ipſum.* Naſidienum, contemtim, tacito videlicet nomine conuiuatoris. *ſimul abſorbere pl.* in Buſl. Bland. vno, & Diuæi codice legitur, ſemel: in aliis, ſimul. deinde in Buſl. & duob. Bland. ponitur, obſorbere; in reliquis, abſorbere. *indice monſt. digito.* In auctione & locatione attollere digitum, ſe emtorem & conductorem; in certamine & pugna, deditionem: Manum verò protendere, pacem peti ſignificabant. Vide Commentar. Totus autem hic locus iocis lepidiſſimis aſperſus eſt: nec vlla perſona eſt, in qua non ſit ſuum decorum obſeruatum: Nam Portius in eo riſum mouet, quòd & ſolus, & totas placentas obſorberet; cui rectè ſubſeruit Nomentanus, tamquam Decumanus, indice deſignãs, qui ex cibis reliqui eſſent nobiliores: vt qui inſignis helluo, ſcilicet, certò dignoſceret quæuis pulmentorum, condimentorúmque genera: Ad hæc Fundanius inuitatus à Naſidieno, nos, inquit, cetera turba cenamus, hoc eſt, cenare ſolemus aueis, conchylia, piſceis, quæque longè meliorem habent ſaporem, noto vobis Epicureis helluonibus, quibus nihil bene ſapit, niſi quod nobis vulgóque penitus eſt inſipidũ: qualia erant condita ilia paſſeris & rhombi, quæ à Naſidieno porrecta reliquit inguſtata Fundanius: quod aduertens Naſidienus, ſermonem diuertit ad melimela, non ſine riſu Fundanij: quare ad omnem Naſidieni apparatum, cùm ipſi (cetera turba) accumberent nauſeabundi, neque quicquam guſtarent, Vibidius commodùm inuitabat Balatronem & ceteros, præter Nomentanum, Naſidienũ, & Porcium, ad pocula: nos, inquiens, fetore propemodum enecati, moriemur inulti, niſi largiter bibendo damnum demus Naſidieno, nóſque ita de eo vlciſcamur: hæc enim verba, moriemur inulti, ſunt execrantis ſaporem condimentorum planè putidum. *damnoſè bibimus.* damnum à Græco δαπάνη, dapnum, vt ὕπνος, ſopnus, deinde mutato, p, in m, fit damnum, ſomnus: eſt autem damnum propriè ἀνάλωμα, pernities, παρὰ

τῶ δάπτω, deuoro: vt ὀδυσ. ξ. κλήματα δαρδάπτουσιν, dilapidant. ſic & Iuuenal. Nulla viri cura interea, nec mentio fiet damnorum. Ita hic damnoſè bibere, eſt prodigè, profuſè & largè bibere, citra parcimoniam, ἀφειδῶς. *porrexerit.* Tonſ. habet porrexerat. *poſcit maio.* ſic omnes ſcripti libri, non etiam poſcunt. *vertere pallor.* pallor metum ſubſequi ſolet: verùm opinor τὸ metuentis, non tam accipi propriè, quàm denotare latens odium cum iracundia: oderunt enim & execrantur auari potores egregios, ſuo vino malè formidantes *parochi.* de parocho vide Ecloga 4. lib. 1. *acreis.* ſtrenuos. *vel quod liberius.* cauſa metus à παῤῥησία, ſeu dicendi licentia potoris; metuebat enim Naſidienus ſuas ſordeis propalari. *vel feruida q.* altera cauſa ab immoderato vini potu: redditur enim palatum ad bibendum potentius, & ad ſapiendum ineptius vbi vini calore obtunditur. *Allifanis.* per l. duplicatum habent codices ſcripti. lege Commentator. *imi conuiua lecti.* In Commentatore duplex notatur lectio, ſed nos priorem ſumus amplexati ex 4. codicibus Bland. veluti probatiſſimam: vulgata namque, ſecutis omnibus imis, id eſt, diſcumbentibus in imis lectorum partibus, nobis penitus habetur abſurda: Sic enim & Porcius, vnus ex imis, inter potores numerandus veniret, qui cum Nomentano & Naſidieno nihil quàm helluabatur appoſitas delicias, quando Vibidius Balatronem prouocabat ad pocula: deinde quàm, hoc eſt, ridiculum conuiuas lectos, interpretari delectos & honoratiores, quos Fundanius ſecum velut eiuſdem loci & ordinis ſocios nomine turbę comprehendit? Quos certè ſi credimus vt condimentorum faſtidio propè extinctos, ita & ſiti enectos diſceſſiſſe, mirum in modum deſipimus; vt quos facilè cōijcimus omneis potaſſe largiùs (præter Nomentanum & Porcium cum Naſidieno in imo lecto lurcones Epicureos) ad nauſeam depellendam. Prætereo quàm commodè reſpondeat imus lectus ſummo, in quo diſcumbebat Fundanius. *imi conuiua lecti n. n. l.* nec mirum ſi lagenis non nocuerunt; erant enim exhauſtæ, vacuæ vino, & inuerſæ, interea dum paſſeris & rhumbi vorarent ilia cetera̓que. ſic ad Lollium epiſt. 18. & imi deriſor lecti. *affertur ſquillas inter mur. na.* Altera menſæ patina, nimirùm muræna patinaria, inter natanteis in iure à Naſidieno compoſito, ſquillas. De ſquillis vide adnotata in Eclogā 4. huius lib. De murænaquæ & lampetra, & Oppiano echeneis, vide Plin. lib. 9. cap. 20. & 23. *deterior poſt p. c. f.* Conſtantinus in re medica ait ferinas omneis eſſe illaudabilis, & melancholici ſanguinis, niſi vicinas partui: an idem de piſcibus, iudicent medici. Sed arbitror Horatium hic ludere phyſicam Naſidieni rationem. *quod prima Venafri.* Scribit Columella tres eſſe labrorum ordines, quorum vnus primæ notæ capit oleum, alter ſecundæ, tertius poſtremæ: prima itaque cella pro prima preſſura ponitur, quādo videlicet oleum nulla ferè vi, ſed vltrò, quaſi lixiuium, defluit. De laude verò olei Venafrani Strabo lib. 5. laudem, inquit, habet olei totus maximè Venafranus ager, &c. *garo de ſuccis piſ. Ib.* De Caniaro & garo vide Iulium Scaligerum exercitation. 303. 3. ex quo in gratiam ſtudioſorum pauca hæc notare libuit, Muriæ tria eſſe diuerſa genera: duo in primis, garum è ſale & inteſtinis, muriam è ſale & viru piſcium ſalitorum: quod etiam manat ab integris, à Græcis ἅλμη. Tertium muria non exquiſita, ſed cum fece quæ Plin. dicitur alex, vt vulgò ſcriptū eſt: alij ex Horatio, alec. hactenus Scaliger. Quod autem hic garū eſſe vult ex ſuccis piſcis Iberi, cum eo conuenit quod Satyra Catiana dicit, Muriáque decebit non alia quàm qua Byzantia putuit orca, vt ibi declarauimus. *vino quinquenni.* Vinum quinquenne, ſatyra dicta vocat, pingue merum. *quod Methymnaam v. m. v.* vitium pro acore, vua Methymnæa pro vino. *erucas virides.* Erucas virideis & inulas amaras in hoc iure coquere, eſt eas macerare & emollire, πεπαίνειν ἢ μαλακύνειν: quod idem Catius docuit, inquiens, hoc vbi confuſum ſectis inferbuit herbis, &c. hæc autem iuris non ſimplicis compoſitio cum ea ferè reſpondet, quam Catius Ecloga 4. commemorauit Horatio: quæ certè ex ſua commiſtione non ineptè nominari poteſt ὀξυλαιόγαρον. *mutauerat.* mutauerit, habent omnia ſcripta. *inlutos Curtillus echinos.* hic locus non caret obſcuritate, veruntamen conabimur pro ingenio eum explicare & elucidare hoc modo: Curtillus (vnus ex hoc genere Epicureorum) mōſtrauit incoquere echinos inlutos, hoc eſt, è vaſis vbi ſale conditi & repoſiti fuerant, cum ſua ſalſugine exemtos in hoc iure coquere, vt melius, helleniſmus, ὡς κρεῖττον ὄν. id eſt, tanquam hoc ſit ſapidius, quàm cum ea muria, quam teſta marinā, id eſt, orca Byzantia (vt habet Catius) ad nos remittit: perinde ac ſi echinus illutus in eo coctus, non tantùm ſuppleret vicem muriæ ſeu gari ex ſuccis piſcis Iberi, ſed id etiam ſapidius redderet ex ſententia Curtilli. Alij aliter interpretantur hæc verba Horatij, quare per nos liberum eſto cuique ſentire pro arbitratu. *inlutos.* ſic in codicibus Bland. & aliis, quos ſecutus ſum propter antiquitatem. *quam teſta marina r.* remittit, habent plura ſcripta; deinde τὸ, quam, expoſui relatiuè, ſed non ſine ellipſi vocis, quàm, partis alterius. Ceterùm lectorem monitum volui in omnibus ſcriptis poni, *quod teſta marina remittit.* præterquàm in vetuſtiſſimo Bland. vbi legitur,

quo teſta

quo teſta marina r. & ſuprà notatum,eo. quam equidem lectionem non probo; verùm tamē mihi diffiſus eam lectorem celare nolui, vt diligentiùs locus hic euolui poſſit. *interea ſuſpenſa g.* digreſſio à repentino caſu aulæorum, ad riſum quoq; captandum ab immunditia & denſitate pulueris,quæ res arguit Naſidienum in cura rei familiaris negligentiorē quoq; fuiſſe. *aquilo.* turbo. *erigimur.* ſubito caſu perculſi, inque lectos collapſi. *flere.* captatio riſus ab indecenti fletu Naſidieni, per enallagen. *quis eſſet finis.* perinde acſi diceret,non deſijſſet,nec finem feciſſet flendi,niſi ſapiens,&c. *heu fortuna.* exclamatio ridicula in fortunæ crudelitatem & inconſtantiam. *hac eſt conditio.* vt mala ſunt vicina bonis. *reſponſura t.n.* εἰρωνικῶς. *téne,vt ego acci.l.* ἀνακεφαλαίωσις ridicula totius apparatus,laboris & pompæ menſalis. *ſed conuiuatoris.* argumentum à ſimili planè ludicrum. *tibi dij quæcumq.* gratiarum actio ſeria ſubiuncta conſolationi ridiculæ.hinc conijce ſtupiditatem Naſidieni. *ſoleas poſcit.* Solebant veteres depoſitis cœnare ſoleis,ne lecti ſtragula fœdarent,quibus toralia contecta erant. Terent.in Heaut.aſſideo,accurrunt ſerui,ſoccos detrahunt,video alios feſtinare,lectos ſternere, cœnam apparare.&c. Mart. Depoſui ſoleas, affertur protinus ingens inter lactucas oxygarumque liber.talis iocus eſt eiuſdem in Cottam, qui ſoleas amiſit dum cænaret,pueri negligentia. *nullos his m.* interloquitur Horatius,quò Fundanium commodè reducat ad intermiſſam cœnæ narrationem. *Vibidius dum q.* continuatio narrationis. *fracta lagena.* caſu aulæorum. *vt arte.* ὀψοποιΐα. ridiculè. *emendaturus fort.* caſum aulæorum fortuitum infauſtumque. *deinde ſecuti ma.* Epilogus non minùs ad riſum facit,quàm exordium : nam vt illic ineptam puerorum pompam in lagenis geſtandis inſtar Caniferarum , ita hic illudit,quod & fetenteis & aduſtas ferarum auiumque particulas comportarent in Mazonomo lance,in quo nefas erat deferri alios à delicatiſſimis cibis,velut acipenſere, attagene , &c. idque à pueris coronatis præcedente tibicine.vide Adag. Amazonum cantilena.

pinguibus & f. recentibus: vel ab effectu , quòd impinguāt.Apud veteres autem magnis in deliciis erant anſeres,præcipuè gratia iecinoris,quod fartilibus quibuſdam in ventre,vt creſceret,excogitatum fuit,exemtumque lacte & mulſo magis augetur : quod ficis paſtum συκωτὸν , id eſt, ficatum nominatur. *anſeris albi.* Bland. codex antiq. & Tonſ.habent albæ,quod non diſplicet. *& leporum auulſos.* duo codices Bland. habent , vulſos. Vide num hoc cum præcepto Catij conſonet , fecundæ leporis ſapiens ſectabitur armos,ęquè ridiculè. Legito adnotata in hoc præceptum. *vt multò ſuauius armos.* tamquàm multo delicatius, & gratiori ſapore quis armos leporinos ſolos edat quàm cum lumbis. *ſuaueis res.* epexegeſis,merulas & palumbes exiſtenteis res ſuaueis & delicatas,ſi non cauſas,&c.hunc etiā in modum de anate ſcripſit Martial. Tota tibi ponatur anas,ſed pectore tantùm & ceruice ſapit; cetera redde coquo. Quaſi in particulis maiores ſint deliciæ,quàm in totis aut feris aut auibus. Verùm quòd Horatius nihil quàm rideat,vel hinc manifeſtum eſt,quod dicit, *niſi cauſas narraret earum & naturas dominus,* hoc eſt, per ἐν παρόδῳ, cauſas naturales, cur partes eſſent totis ſæpè,& integris corporibus aut aliæ aliis pręferendæ. Quid? an non hoc conſentiat ſignis Catianis, quibus noua ſua præcepta ὀψοποιΐας ſtabilienda,cunctiſque aliorum præceptis præponenda iudicat? Quin etiā Plinius lib. 10.cap. 50.(quod huc facere videtur) hæc ſcribit: Poſtea culinarum artes,vt clunes ſpectentur, vt diuidantur in tergora, vt à pede vno dilatatæ repoſitoria occupent, dedere & Parthi cocis ſuos mores ; nec tamen in hoc mangonio quicquam totum placet, hic clune, alibi pectore tantùm laudatis . legito Agellium lib. 15. cap. 8. Eiuſmodi autem deliciæ ciborum Græcis τραχήλια propriè nominantur ex particulis reciſis auium propriè , quaſi truncatis. vide Athen. lib. 3. περὶ ἰχθυοπωλίου & 11. numerantur inter ἀκροκώλια apud Celſum lib. 2. cap. 19. quos trunculos vocat à truncando. & cap. 22. vbi trunculi ſuum & petioli &c.

Q. HORATII FLACCI

EPISTOLARVM LIBER PRIMVS.

Ad Mæcenatem I.

Prima dicte mihi, ſumma dicende camœna
Spectatum ſatis, & donatum iam rude, quæris
Mæcenas iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem eſt ætas; non mens; Veianius armis
Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.
Eſt, mihi purgatam crebrò qui perſonet aurem:
Solue ſeneſcentem maturè ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.
Nunc itaque & verſus & cætera ludicra pono:
Quod verum, atque decens, curo, & rogo: & omnis in hoc ſum.
Condo & compono quæ mox depromere poſſim.
Ac, ne fortè roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus iurare in verba magiſtri:
Quo me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.
Nunc agilis fio, & merſor ciuilibus vndis,
Virtutis veræ cuſtos, rigidúſque ſatelles:
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus ſubiungere conor.
Vt nox longa, quibus mentitur amica; diéſque
Longa videtur opus debentibus: vt piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingratáque tempora; quæ ſpem
Conſiliumq; morantur agendi nauiter id, quod
Aequè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè:
Aequè neglectum pueris ſenibúſque nocebit.
Reſtat, vt his ego me ipſe regam, ſolérque elementis.
Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus:
Non tamen iccirco contemnas lippus inungi:
Nec, quia deſperes inuicti membra Glyconis;
Nodoſa corpus nolis prohibere chiragra.
Eſt quâdam prodire tenus, ſi non datur vltrà.
Feruet auaritia miſeroq; Cupidine pectus?
Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? ſunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.
Inuidus, iracundus, iners, vinoſus, amator:
Nemo adeò ferus eſt, vt non miteſcere poſſit;
Si modò culturæ patientem commodet aurem.
Virtus eſt vitium fugere: & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe. vides; quæ maxima credis
Eſſe mala, exiguum cenſum, turpemq; repulſam,
Quanto deuites animi capitiſq; labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiẽs, per ſaxa, per igneis:
Ne cures ea, quæ ſtultè miraris, & optas:
Diſcere, & audire, & meliori credere non vis?
Quis circum pagos, & circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia; cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine puluere palmæ?
Vilius argentum eſt auro; virtutibus aurum.
O ciues, ciues: quærenda pecunia primùm eſt,
Virtus poſt nummos. hæc Ianus ſummus ab imo
Prodocet: hæc recinunt iuuenes dictata, ſenesq;
Læuo ſuſpenſi loculos, tabulamq; lacerto,
Eſt animus tibi, ſunt mores, & lingua, fideſque,
Si quadringentis ſex, ſeptem milia deſunt,
Plebs eris. at pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si rectè facies. hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi; nulla palleſcere culpa.
Roſcia, dic ſodes, melior lex; an puerorum
Nenia; quæ regnum rectè facientibus offert,
Et maribus Curiis & decantata Camillis?
Iſne tibi melius ſuadet, qui rem facias, rem
Si poſſis rectè: ſi non; quocunque modo rem:

Vt pro-

Vt propius ſpectes lachrymoſa Poëmata Puppi:
An, quis fortuna te reſponſare ſuperba
Liberum, & erectũ præſens hortatur, & aptat?
Quod ſi me populus Romanus fortè roget, cur
Non, vt porticibus, ſic iudicijs fruar ijſdem,
Nec ſequar, aut fugiã, quæ diligit ipſe, vel odit:
Olim, quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam: quia me veſtigia terrent,
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.
Bellua multorum es capitum. nam quid ſequar? aut quem?
Pars hominum geſtit conducere publica. ſunt, qui
Fructis, & pomis viduas venentur auaras,
Excipiantq; ſenes, quos in viuaria mittant.
Multis occulto creſcit res fenore. verùm
Eſto alijs alios rebus, ſtudijsq; teneri:
Iidem eadem poſſuntne horã durare probantes?
Nullus in orbe ſinus Baijs prælucet amænis,
Si dixit diues: lacus, & mare ſentit amorem
Feſtinantis heri. cui ſi vitioſa libido
Fecerit auſpicium: cras ferramenta Teanum
Tolletis fabri. lectus Genialis in aula eſt?
Nil ait eſſe prius; melius nil cælibe vita.
Si non eſt: iurat bene ſolis eſſe maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Quid pauper? ride: mutat cænacula, lectos,
Balnea, tonſores: conducto nauigio æquè
Nauſeat, ac locuples, quem ducit priua triremis.
Si curtatus inæquali tonſore capillos
Occurri: rides. ſi fortè ſubucula pexa
Trita ſubeſt tunicæ: vel ſi toga diſsidet impar:
Rides. quid, mea cùm pugnet ſententia ſecum?
Quod petiit, ſpernit: repetit, quod nuper omiſit:
Aeſtuat; & vitæ diſconuenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.
Inſanire putas ſollennia me; neque rides.
Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati: rerum tutela mearum
Cùm ſis; & prauè ſectũ ſtomacheris ob vnguem
De te pendentis, te reſpicientis amici.
Ad ſummam ſapiens, vno minor eſt Ioue; diues,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique regum:
Præcipuè ſanus, niſi cùm pituita moleſta eſt.

COMMENTATOR.

PRIMA *dicte mihi ſumma dicende Cam.* Videtur Horatius hanc Epiſtolam Mæcenatis hortatu ſcripſiſſe. *prima Cam.* ſcilicet in principio carminis lyrici, tale eſt illud Virgilianum, à te principium tibi deſinit. *dicte.* celebrate. *ſumma.* vltima, & finali. *ſpectatum*; probatum. *rude.* miſſione; erat autẽ rudis, virga quæ gladiatori dabatur in ſignum miſſionis artis gladiatoriæ. *antiquo ludo.* alludit ad libros carminum. *ludo.* officium ſcribendi ſiue antiquam conſuetudinem ludum μεταφορικῶς vocauit, vt oſtenderet tædioſum ei iam eſſe ſcribere, propter ſenium, & continuas ſeditiones, ob quas ſe rus contulerat. *Veianius.* nomen proprium gladiatoris nobiliſſimi, iucundè hoc exemplum attulit, quia ſuperius meminit ludi. Comparat autẽ ſe Veianio, qui cùm, poſt multas palmas, Herculi conſecraſſet ſua arma, tandem contentus agro ſuo, priuatim vixit. cuius exemplo, propter ætatem, & inſtitutum vitæ, dicit, relictis iocis, & lyricis verſibus, ſe velle tranſire ad Philoſophiæ ſtudium. *extrema to. ex. are.* Quia gladiatores petituri rudem, ex media arena conſueuerunt ſe ad crepidinem circi, ita conferre proximos, vt poſſent populum triſti vultu exorare. ſtabat autem populus ad podium, vnde ferè ſpectabat; ibíque conſuetudinis erat ſtantem gladiatorem petere miſſionem. *eſt mihi.* Philoſophus. *purgatam.* facilem ad audiendum, idoneam, & attentam, hoc eſt, habeo qui me ſemper moneat. *ſolue ſeneſ.* ſolue à labore, ſolue à venere; verba ſunt monentis Horatium. *ridendus.* valde deridendus. *ilia ducat.* frequenter anhelet. *nunc itaque.* quoniam Philoſophus aliquis me monendo attentum facit. *ludicra.* iocos ineptos, ſcilicet carmen Lyricum; hoc enim eſt leuis animi fomentum planè ludicrum. *quod verum.* Philoſophiæ præcepta. *curo.* diſco. *omnis in hoc ſ.* philoſophor. *condo.* in animo & memoria. *compono.* opere. *quæ.* ſupp. tractata, & digeſta. *quo me duce.* ſupp. Philoſophię, ſeu magiſtro ſectę; qua doctrina, quibus Philoſophiæ præceptis. *addictus.* metaphoricôs, à militia, quia iurabant milites in verba ducis, & ſic ibant in militiam. ſenſus eſt, nulli ſum obnoxius, omnes ſcrutantes argumẽta ad rem probandum audio. *tempeſtas.* aut fortuna, aut caſus, aut animi inclinatio. *nunc agilis.* facilis, mobilis, diuerſa appetens, negotioſus, accinctus ad laborandum, dedo me ſtudijs reipublicæ gerendæ. *ciuilibus vndis.* rebus ciuium commotis. & mirè manet in metaphora, quia dixit tẽpeſtas. *virtutis veræ c.* moralis Philoſophiæ, ídque ſecundum Stoicos, qui in virtute ſummum bonum collocabant. *rigid.*

ſatelles. quia omnes peccantes, volebant Stoici æqualiter puniri. *Ariſtippi*. Ariſtippus Cyrenaicus fuit, & Epicureus, qui ſummum bonum in voluptate conſtituebat. *furtim*. quia Stoici dicunt voluptatem fugiendam. *ſubiungere*. hoc eſt Philoſophus ſum, & rebus vtor, ita vt eis imperem, non autem vt eis ſeruiam, vt auarus; & ita in republica verſor, vt non ſim ambitioſus, ſed virtutem colam. *amica*. meretricula. *debentibus*. mercenariis. *piger*. longus, tardus. *agendi gnauiter*. philoſophandi. *id quod aq*. ſcilicet Philoſophiæ ſtudium, quod omni ætati prodeſt excultum. contrà neglectum nocet. *elementis*. principiis Philoſophiæ, & præceptis primis. *non poſſis*. ſupp. ſi. argumentum à comparatione. *oculo contendere*. videre acutè. *lippus*. cæcutiens. hoc contra eos facit qui diſſuadebant ſapientiæ ſtudium, quod eam perfectè nemo cõſequi poſſit. *nec quia deſp*. alia comparatio: quaſi dicat, ſi non poſſis tam robuſtus eſſe, quàm fuerit Glycon, non debes idcirco corporis exercitium negligere; quia exercitatio corporis vitia purgat. Alij Milonis legunt, illius ſcilicet Crotoniatis, qui Olympiis in agone dicitur ſuis humeris viuũ taurum ſuſtuliſſe, manúque mactaſſe, & comediſſe. *Glyconis*. Glycõ, athleta quidam fuit fortiſſimus. *eſt quadam pro*. quaſi dicat aliquis, noli deſiſtere à Philoſophiæ ſtudio, etiamſi non poſſis ad ſummum peruenire. *quadam prodire tenus*. vſque ad aliquantulum doctrinæ pertingere; vt, pube tenus. *feruet*. ſupp. ſi. incipit dare præcepta. *miſeróque cupid*. habendi. *verba & voces*. Philoſophiæ præcepta. *voces*. κατὰ τὸ αὐτὸ, hoc eſt, ſecundum idem; quia verba, & voces idem ſunt. *certa piacula*. remedia. mirè Philoſophiam dicit eſſe vitiorum expiationem, quaſi ſacroſanctum ſit aliquid in præceptis Philoſophiæ. *laudis amore*. inanis gloriæ ambitione. *ter purè*. ita ait ter purè, vt ter mergunt, qui ſe expiant. Perſius, Tiberino in gurgite mergis, manè caput bis terque & noctem flumine purgas. *purè lecto*. bene lecto atque rectè ſine excogitatione libidinis. *vinoſus*. vinolentus. *ferus eſt*. feritatem vocat inſcitiam, & animi duritiem. *cultura*. Philoſophiæ. *aurem*. omnis hic locus conſonat Tuſculanis diſputationibus. *caruiſſe*. carere. *exiguum cenſum*. paupertatem. *repulſam*. reiectionem ab honoribus. *quanto*. admiratione. *labore*. periculo, adeo vt etiam mori velis, ad ea acquirenda quæ contraria ſunt his, ſcilicet diuitias, & honores. *extremos*. longè remotos. *ne cures*. id eſt, vt contemnas ea quæ ſtultè miraris. *diſcere & aud*. Hyſteron proteron, nam prius audimus, poſtea diſcimus. *meliori*. doctiori, præceptore Philoſopho. *quis circum pa*. ſenſus eſt, omnibus quidem optabile eſt mereri coronã, ſed quis non cupiat potius coronari in Olympicis certaminibus ſine magno labore & periculo, quàm in pagis, & compitis, magno cum ſudore & diſcrimine capitis? ita quis non malit in otio philoſophico diſcere cõtemnendas eſſe diuitias, quàm cum maximo labore eas ſectari per terras, & maria? *compita*. compita dicuntur quę patent in multas vias. *vilius ar*. contemtibilius eſt aurũ virtute: eſt ergo virtuti poſtponendum. *hæc Ianus*. hoc eſt, omnes Romani à maximo ad minimũ qui ad Ianũ conueniunt, hoc prodocent. i. apertè dicunt. Duo Iani ante baſilicã Paulli ſteterũt, vbi locus erat feneratorum. Ianus autẽ, hic platea dicitur, vbi mercatores, & feneratores totius cauſà conuenire ſolebant. *iuuenes dict. ſeneſque*. hoc eſt, ſenes hoc docent, & iuuenes diſcunt, quibus pecunię ſtudio par eſt animus imperitia, & per hoc ſunt contemnenda quæ dictitant. *dictata*. præcepta à parentibus & ſenibus data. *loculos*. conſuetudo quondam fuit, vt iuuenes fenori operam dantes, & feneratores in Ianum intrantes, in læuo brachio ferrent tabulas ad exarandum nomina, & loculos ad fenus accipiendum: & eſt Hypallage, ſuſpenſi loculos, pro habentes loculos ſuſpenſos à lacertis. *ſed quadringentis*. ſeſtertiis. hoc quaſi ipſi dicit auarus ambitioſus. ſenſus eſt, nõ habes cenſum equitis Romani; nam quadringentis ſeſtertiis deſunt tibi ſex aut ſeptem milia numûm. *eſt animus tibi*. quamuis hoc ita ſit, ait Horatius auaro, habes tamẽ animum bonum, mores bonos, id eſt, virtutem, eloquentiam, & conſtantiam ex præceptis philoſophicis. *plebs eris*. reſpondet auarus, id eſt, contemnêris, inter plebem reputaberis, & in quatuordecim ordinibus non ſedebis. Otto Roſcius tribunus plebis iuſſit, non poſſe fieri equitem Romanum niſi eum qui haberet quadringenta milia ſeſtertiûm. Sed Roſcius melius ne docet, qui dicit vndecunque habendam eſſe pecuniam; an Philoſophus, qui monet contemnendam eſſe ſuperbam fortunam? *at pueri ludent*. ait Horatius. *rex eris, aiunt*. id eſt, beatus eris ſi rectè viues, & ſummè felix, etiam iudicio puerorum. *nil conſcire ſibi*. nullius ſceleris ſibi eſſe conſciũ. *nulla palleſ*. nulla mala cõſcientia remorderi. *melior lex*. lex theatralis, lata à tribuno plebis Roſcio Ottone. *nænia*. nęnia laus eſt mortuorum, ſed hic eſt cantilena, vt alibi dicitur, merita nox quoque nænia. & hoc dicto valde grauat legem Roſciam. *Curijs*. Curius dentatus vir fortiſſimus fuit, qui Corinthũ vicit. hoc autem dicebant & Curij & Furij Camilli, ſcilicet, is regnum habet qui rectè facit. *decantata*. nota ſcilicet lex puerorum. *ſuadet*. ſuademus etiã mala, ſed hortamur ad bona. *Puppi*. Puppius tragœdiographus ita mouit affectus ſpectantium vt eos

flere

flere compelleret: inde diſtichō fecit, flebunt amici, & bene noti mortem meam, nā populus in me viuo lachrymauit ſatis. *reſponſare.* contumaciter reſpondere: reſponſat autem fortunæ is qui aduerſa æquo animo tolerat. *præſens.* valens perſuaſione. *aptat.* formar. *porticibus.* mœnibus. *iudiciis.* hoc eſt, quare non ſuam, velut ciuis, ſententiam ſequar. *ipſe.* populus Romanus. Senſus eſt, ſi interrogauerit me populus Romanus, cur ſecum non ſentiam, & ſtudeam rem facere, paupertatemq́ue fugere, cùm non ſolùm in vna vrbe, ſed etiam in vna porticu ſecum ſedeam, ego reſpondebo, quæ vulpes aliquando reſpondit ægrotanti leoni, qui cùm interrogaret, cur ad ſe nō veniret, reſpondit, quia terrent me veſtigia ingredientium, & non reuertentium. *referam.* reſpondebo; quia video multos periiſſe qui tibi conſenſerunt, veluti Graccos de lege agraria, &c. *omnia te ad.* quia ſi quis ſequitur voluntatem populi, nullam habet ſapientiæ curam. *capitum.* diuerſarum opinionum, non alicuius certi conſilij. definitio eſt populi, qui hydriæ ſimilis eſt, & ideo ei non conſentiendum; nō vnam enim ſequitur ſententiam. *quid ſequar.* ſupp. non poſſum diſcernere. *geſtit cond.* in publicis actibus verſari; ſunt qui dicūt bonum eſſe, agros publicos conducere, alij viduas inſidijs capere, vt ſibi earum bona vindicent. *auaras.* parcas, & per hoc diuites. hæc dici videntur in Stoicos ſimulatos. *decipiantq́.* vt callidè poſſent eorum hereditatem auferre. *in viuaria.* in ſuas naſſas. *occultò.* illicitò. *eſto.* conceſſio. concedo vt diuerſa ſentiant homines, ſed nō inuenies qui in propoſito perſeueret. *prælucet.* ſplendidior eſt. *lacus & mare.* id eſt, etiam lacus, & mare diuitum ſentit amorem erga ſe, qui ſupra mare, & lacus conſtituunt ædificia. *cras ferramenta.* ille poſitis ædificiis apud Baias, ſi delectatus fuerit alio loco, protinus iubet eò transferri ferramenta ad componendum prætorium. *Theanum.* Theanum Sidicinum ciuitas eſt Campaniæ. ſenſus eſt, primùm gaudet maritimis locis, continuò pòſt, mediterraneis. *lectus genia.* lectū genialem vxorem nominat. *ſi non eſt.* ſcilicet genialis lectus, & vxor. *quo teneam vultus mutant.* mirè reſpondet, quoniam ſuprà dixit, bellua multorum es capitum. *quid pauper.* fingit Mæcenatem ridere quaſi præſentem. *nauſeat.* nauſeare propriè dicuntur, quibus eadem faſtidiū afferunt; nauſeant etiam qui nauigio rarò vehūtur. *ac locuples.* id eſt, quàm locuples. *quem ducit.* id eſt, ſimpliciter, tam pauper alienū nauigium faſtidit, & mutare cupit, quàm diues ſuum. & per hoc oſtendit in nulla re homines habere conſtantiam, ſed eſſe mutabileis. *priua trire.* alij priuam ſic intelligunt, quæ vna vni aſſignatur, ſed hîc priuata poteſt intelligi & propria. *curtatus.* tonſus. *inæquali tonſore.* hypallage, inæquali, quia inæqualiter tondet. *ſubucula.* propriè dicitur pannus addititi*, à ſubijciendo, vel ſubſuendo. *pexa.* pexa tunica, id eſt, purgata propter lanam longiorem in qua ſordes facilius hærent quàm in ſubucula trita. *toga diſſidet impar.* non æqualis ſedet in humeris. *quid mea cum.* cur reprehendis vitia corporis, & non ea quæ ſunt animi, & cur aliena & leuia in me vitia rides, & mea maioráq; ſine riſu præteris? *ſollemnia.* pro ſollemniter, iudicas me more omnium hominum laborare, & idcirco pro conſuetudine cunctorum moribus non eſſe credendū: hoc eſt, quū hæc omnia fecero, putas me communem errorem pati, & ideo non magis me curas quàm ſi inſanirem. *curatoris.* qui ſolet dari inſanis, & per hoc, curatoris, id eſt, monitoris. ſenſus eſt, tu caſtigator, & monitor leuiſſima reprehendis, & maiora non corrigis. *tutela.* ô Mæcenas cùm ſis auctor fortunarum mearum, & videas me iſtis moribus inſanire, non curas mihi dandum eſſe à prętore curatorem. *praua.* inæqualiter. *ſtomacharis.* iraſceris ob minimum peccatum & nullius momenti. *pendentis.* tui clientis. *præcipuè.* ſolus. videtur tangere Stoicos, qui dicūt ſapienteis bene ſanos etiamſi ægrotent: ego autem dico, ſanum eſſe ſapientem, ſi ſine morbo eſt. *pituita.* pituita propriè eſt morbus capitis. metaphoricôs transfertur à vitio gallinarum & pullorum.

CRVQVIVS.

MAECENATEM precatur ab ætate; vt exemplo Veianij, lyra, citharáque ad Veneris poſtem fixis, ludicriſque verſibus valere iuſſis, ſibi liceat, quod ſeneſcentem decet, philoſophari, ſuóque more, non etiam ad aliorum Philoſophorum certa decreta viuere, vt qui nihil iam curet aliud, ſecumq́ue meditetur præter honeſtū, cuius ex Philoſophiæ præceptis rationem habere; omniumq́ue animos ſecum ad id ſeriò præparare, ſi adhuc temporis opportunitas iam diu multumq́ue deſiderata non patitur, ſaltem hoc ei præſtare eſt animus, quod ſibi per ingrata tempora fuerit integrum; nimirum deterritos Romanos à vitiis, ad bene viuendi ſpemq́ue conſiliumq́ue inuitare: is autem primus ad virtutem gradus eſt, & quaſi elementum, vitia noſſe, eáque vitare cognita, beneq́ue ſperare. ſic virum bonum cenſemus qui vitia fugit, & eum ſapere qui non ſtulteſcit; pauperem, qui non eſt diues; eumq; de media eſſe plebe, qui per cenſum non ſedet in quatuordecim ordinibus. Quæ mala ſibi ſtultè pro maximis habita, quanto ſtudio, animíq; contentione deuitent Romani, docet argumento mercatorum, feneratorum

torum, publicanorum, & hæredipetarum, apud quos, pecunia quidē longè priorem, virtus autem multo poſteriorem locum tenet, licet ea decantata ſit à Maribus, Curiis, Camillis, cæteriſq; viris fortibus. quod cùm ita ſit, cum populo Romano ſentire ſe negat, quem neglecta virtute, ſuis affectibus indulgentem demonſtrat in rebus ſuis nihil habere conſtantię tranquillitatíſque, adeò corruptis iudiciis, ad obuia quæque paullo momento impelli, homines certè planè Euripos. *Prima dicte mihi.* Captat beneuolentiam Mæcenatis ab antecedentibus, & ſequētibus ſcriptis in eius gratiam. *Spectatum ſ.* me tibi ſatis ex ſcriptis vitæque inſtituto cognitū, metaphoricôs, à gladiatoribus quos populus dimicantes ſpectare ſolebat, quorum alij mirmillones, ſequutoréſque, alij retiarij nominabantur; de quorum armis, modóque pugnandi lego 8. Satyram Iuuenal. Ceterùm hi duo verſus allegoricôs ſunt exponendi. *donatū iam rude.* hoc eſt, quem ætas miſſum fecit, inſtitutíque ratio vetat amplius tractare ludicra. *rude.* rudis, raudus, ὁ ῥάβδος, videntur eiuſdē eſſe notæ pro virga, quam hic à ruditate miſſo gladiatori datam, crediderim fuiſſe palmeam per αὐτοσχεδίας. *antiquo me incl. ludo.* cupis ô Mæcenas me continere in aſſueta iam inde ab adoleſcentia, iocandi ludendíque ratione: hoc enim videtur ſignare; iterum includere, pro iterare ſæpius antiquos ludos & iocos. veteri autem inſtituto munera gladiatoria in foro erāt edi ſolita. Plin. ca. 1. lib. 19. Vitruuius de Architect. lib. 5. cap. 1. Sueton. in C. Cæſare. *non eadem e. a.* excuſatio ab ætate grandiori, alios quæ mores poſtulat. *non mens.* vigor animi & ſententia, γνώμη: accreſcit autem cum ætate conſilium, & prudentia; ætatis itaque mens ferè comes eſt indiuidua. *Veianius armis.* argumentum ab exemplo Veianij gladiatoris. hic locus, præter alios, eò me induxit: vt in argumento huius epiſtolæ, ſeu magis ἐκφέρειν, lyram, citharamque cum verſibus laſciuis credam Veneri poſuiſſe Horatium; hoc enim & comparatio requirit, vt ſingula ſingulis reſpondeant, & res ipſa; non minus enim cantionibus, lyra, citharáue, quæ non raró quoque plus habēt energiæ, ad puellarum molliendos animos, quàm gladiatoribus ſuis armis opus eſt ad ſuperandos aduerſarios. nec exiſtimo Horatiū per antiquum ludum, aliud deprecari Mæcenatem præter odas, etſi quidam viri docti aut aliter ſentiant, aut varient: laſciuire nanque ſenem decet minimè, ſed σατυρογραφεῖν, vitiáque notare, quis viro ſeni cenſeat indecorum? imò Satyrarum ſcriptio non magis cum ludo ſentit, quàm Epiſtolarum, in quibus tamen nonnunquam facetè ludit, vt omittam virorum doctorum iudicio Satyras multo poſt odas tempore vulgatas fuiſſe. Quare, vt finem faciam, non arbitror eos verſus, ſolue ſeneſcentem maturè ſanus equum, ne peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat, aliò pertinere quàm ad amores, in quib⁹ ſeni quidē peccare eſt & facile, & turpe; quod ne fiat, nūc verſus, inquit, id eſt, molliores modos, & cetera ludicra pono, quibus cōcitantur amores. *Herculis ad poſtem fix.* de more maiorum, qui deuotionis ergô, vel ob ſeruatos ſe auctóſue, dijs ſuis arma, ſeu ἀναθήματα dedicata in templis, poſtibus aut muris affigi curabāt. *poſtem.* συνεκδοχικῶς. pars pro toto; poſtis, pro templo. *latet abdit. agro.* λαθὼν ζῆ. *ne populum.* à cauſa finali. verſus hic nōnihil faceſſit negotij interpretibus. Commentatori laudatur Veianius, quòd toties victor tandem populum exorauit miſſionem; Turnebo, contrà, vituperatur, quòd victus ab aduerſario iugulandúſq; multoties euaſerit deprecante populo, adeò vt tandem ſit rude donatus: quam ſententiā Lambinus non improbat. Equidem Commentatori ſubſcribo, non enim ſolemus inertibus omnino, ignauiſque libenter & ſæpius patrocinari, imò timidos & ſupplices, &, vt viuere liceat, obſecranteis, etiam odiſſe, Cic. auctore pro Milone. Videtur autem Veianius nō ex mercenarijs aliquis aut hominibus nequam, qui vitam pecunia venalem habēt, ſed vel ex rudiariis auctoramento reuocatis, quod à Tiberio factum legimus auctoramento centum milium, vel aliquis robuſto & valido corpore fuiſſe, qui in gratiam populi, aut patroni in arena ſeſe exercebat; quòd quum magno cum applauſu populi fortaſſe nō ſemel feciſſet, tandem ſuis armis Herculi ſacratis, in otium ruſticum ſe recepit, ne toties, quoties videlicet mercenarij ſolebant; hoc eſt, turpiter, exoraret, hoc eſt, exorare deberet populum in arena extrema. i. vel in extremo vitæ curſu (ſic enim videtur id accipiendū) ne peccet ad extremū ridendus. &c. vel in arena extrema, id eſt, in qua agitur extrema vitæ ſors. vel ſi videbitur, ſequitor Commentatorē. codex vnus Bland. habet expreſſe, exornet, alter Bland. per liturā, quā Lamb. quoq; ſcribit ſe obſeruaſſe in ſcriptis, nec eam videtur cū Simone Boſio poſthabere vulgatæ. ſed ab ijs diſſentio. iudicet lector peritus. *eſt mihi purga.* ait adeſſe ſibi monitorem, qui crebro à ludo deterreat ad exemplum Veianij, ne tandē ſe ridendū propinet, aut inter ludendum totus concidat effetus. hic auris purgata eſt vacua, docilis, attenta ad audiendū. ſic Perſ. Saty. 5. purgatas inſeris aureis fruge Cleanthęa. i. attentas & à vitiis liberas, qualeis decet eos eſſe qui percipiēdæ Philoſophiæ ſe parant. eſt enim ſapientiæ ſtudiū quod in purgatione, & perfectione humanæ vitæ verſatur, qua, proprio, & innato nobis vigore

aſſumto,

aſſumto, ad ſimilitudinē Dei traducimur. *eſt mihi.* ἐστιν ὅς. helleniſmus. monitorem autē qui tonat per aurem Horatio, accipio ποιητικῶς, animæ diuiniorem partem, mentem ipſam, vel rationem, humanorum affectuū in capite, veluti præfectum, Platone autore: vel ipſum animum ὃς ἐν ὠσὶ τῶν ἀνθρώπων οἰκέει, id eſt, qui in auribus hominū habitare dicitur Herodoto. *ſolue ſeneſcentem.* verba monitoris ad Horatium; quorum hæc ſententia eſt: ô Horati cùm adhuc ſis integer & validis viribus, ſanáque mente, maturè, opportunè, & in ipſo tempore, ſolue equum, ſeiunge à curru, exime iugum & lora; quieſcere iube, ceſſaréque à curſu, ſeneſcentem, ſenio proximum, vergentem in ſenectam, iam propè viribus exhauſtum, ne ad extremum, ſub finem, ſub exitum curulis certaminis peccet, ceſpitet, impingat, recalcitret, ridēdus, riſu, pro gloria, & applauſu à ſpectatoribus excipiēdus; & ilia ducat, anheloſus, & ſuſpirioſus, calore concuſſis iliis pænè concidat. poteſt quoque τὸ ad extremum, ordinari cum τῷ ridendus, pro extremè, plurimùm, ridendus. allegoricôs autē per equum corpus intellige, cuius indulgentē affectibus ad hanc vſque ætatem, iíſque ſe obſequentē, raptum fatetur ad amores, iocos, ludos, Venerē cæteraque, quibus adoleſcentia exerceri delectaríq; ſolet, quæ ſub ſenium iubet ratio, atque adeò ipſa Philoſophia miſſa facienda, ſeriáque tractanda. *nunc itaque & verſus.* ludicros, amatorios, qui me ridiculum faciunt; quales ſunt Odæ, non etiam Satyræ, quarum ludus in vitiis notandis ſerius eſt, & grandioribus annis in primis conueniens: quod & in hac epiſtola facit, aliíſque nō paucis, ſed verecundiùs aliquanto quàm in Satyris. *cætera ludicra.* citharam, lyram, ſaltus, choreas: hic verſus eſt epilogus prooemij. *quid verum atque decens.* protaſis narrationis. *verum.* ſerium, verum animi bonum, τὸ καλὸν βίου, vitæ decorum. ſic Euripides, ἐπιμεληθῆναι λέγεις καλῶ κ' ἀγαθῶ. quò fortaſſis aſpexit. *atq. decens.* honeſtum, cum decenti vtilitate coniunctum. *curo & rogo.* curioſè ſollicitéque inquiro. *omnis in hoc ſum.* omnis, totus, ὅλος καὶ πᾶς εἰμι. vide Satyr. 9. totus in illis. *condo.* condere, Feſto, propriè eſt in vnum & in interiorem locum dare, ad cuſtodiam faciliorem: quod verbum, inquit, nunc ſignificat conſcribere, nunc facere, nūc componere, & inſtruere: hic autem exiſtimo non tam eſſe memoriæ mandare, quàm inuenta, lectáque apud Philoſophos inquiſitáq; conſcribere, & componere, id eſt, in ordinem confuſa digerere; quæ poſt paulò, tam dicto quàm facto depromeret, palamque faceret omnibus vtilia. quæ quidem præcepta Philoſophica propter ſectarum varietatem ei fuit opus ordinare, quòd nulli addictus, id modò notaret, quod ad vitam rectè inſtituendam iudicaret vtiliſſimum. *ac ne for.* προκατάληψις κατ' ἔκβασιν, quæ facit in eos qui de ſecta Epicurea faciunt inuidiam Horatio, cùm nihil inter veteres Poëtas eius ſcriptis ſit ſanctius, ſimplicius, caſtius, pauculis exceptis, nihil magis pium, religioſius, moribúſque componendis vtilius. *duce.* veri inquirendi bonique principe auctore, qui inter cæteros tres primi cenſentur, Zeno, Ariſtoteles, Ariſtippus. *quo lare.* qua familia Philoſophica; quæ idcirco familiæ nomine inſignitur, quòd vt omnes eiuſdem gentis, ita omnes diſcipuli eiuſdem ſectæ ſententiæque ſunt cognomines, nimirum Stoici, Peripatetici, Cyrenaici. legito Diogen. Laërt. in Philoſophorum vitis. *tuter me.* me tutum, ſecurum, & tranquillum præſtem. *nullius addictus.* nō addictus, aſtrictus, obligatus, ἀπωμοσμένος; iurare in verba, præceptis, dictatis aſſentiri alicuius magiſtri, principis ſectæ Philoſophicæ, deferor hoſpes; omnibus ex æquo amicus, eò me cōfero, cum eo ſentio, quem præſens offert occaſio & res ipſa. *addictus.* alludit ad verba prætoris debitorem damnatum addicētis creditori in ſeruitutem dum ſolueret æs alienum. Quintil. lib. 7. cap. 4. an autem, vt quidam ſentiunt, Horatius hic Academicis aſcribendus ſit, iudicet lector; mihi certè non apparet, niſi eum de noua Academia fuiſſe, Arceſilamque ſecutum, nihil certò aſſeruiſſe iudicemus: qua in opinione eum pugnantia dicere neceſſe eſt, vt qui in nullius magiſtri verba iurare ſe ſcribat. *quo me cunque rapit.* allegoria ab vndis marinis quibus naues rapiuntur ad arbitrium ventorum. ſatis innuit Horatius ſe in memoria habere illud Phocylidis, quò fortaſſis alluſit, καιρῷ λατρεύειν, μητ' ἀντιπνείειν ἀνέμοισιν, quod ſic vertimus, fortunæ inſerui, & ventis nolito reſtare. ſignificat ſe non ita ſectæ alicui amicum, vt ſe tanquam propriū internumque, ſed vt aduenam habeat, & externum, & hoc ipſum eſt ſeruire ſcenæ, vt ad Brutum Cic. tempori & quibuſcum verſeris ſe accommodare. *nunc agilis fio.* expolitio eius verſus quo me cumque ra. hio practicus, inque cauſis agendis me exerceo, in foro obambulo, περιπατεῖν, id eſt, cum peripateticis fio peripateticus. hoc ipſum notat τὸ agilis, quòd non in virtute vnica contemplando, ſed in actione virtutis Peripatetici ſummum bonū collocant, ſatis humani in cæteris & faciles, nō etiam difficiles more Stoico. cum hoc illud facit, lib. 2. Saty. 6. luctandum in turba, facienda iniuria tardis &c. *merſor ciuilibus vndis.* tale eſt hoc eadem Satyra pòſt paullo: at ſimul atras ventum eſt Eſquilias aliena negotia centum per caput, & circa ſaliunt latus, &c. merſor, habent omnes mei codices ſcripti, & vnus vulgatus, quod τῷ vndis quoq;

 conuenit.

conuenit. *virtutis veræ cuſ.* repete, nunc fio, hoc eſt, aliquando, idq́ue cum Stoicis fio Stoicus & aſſero virtutem ipſam eſſe ſummum bonum, at nõ infitior tamen in republica verſari, eamq́ue adminiſtrare eſſe ſapientis, ſed ſum virtutis rigidus ſatelles, nihilq́ue nocenti remittendum cenſeo, etiam in minimis erratis, quando hoc decretum ſit nobis Stoicis, omnia peccata eſſe æqualia. legito paradoxon Cic. ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα & Satyram 3. lib. primi ſub finem. *rigidus.* durus & inexorabilis. *nunc in Ariſtippi.* aliquando Ariſtippi diſcipulus, ſector voluptatem, corporiſque & affectibus indulgeo, ſed *furtim,* hoc eſt, non more nepotum, publicè, cum infamia, turpiterq́ue, ſed occultè, λάθρα, nec id niſi paucis amicis eius rei conſciis. hic locus argumento poſſet eſſe, Epiſtola 5. legendum eſſe, Si potes arcanis conuiua recumbere lectis, &c. eò quòd in multis exemplaribus ſcriptis ferè inuenio τὸ archanis per aſpirationem ſcriptum, vt ibi docebimus. *& mihi res, non me r.* huius loci interpretatio, & ſententia manifeſta eſt ex his verſibus Satyr. 3. lib. 2. Quid ſimile iſti, Græcus Ariſtippus, qui ſeruos proijcere aurum in media iuſſit Libya, quia tardius irent propter onus ſegnes &c. interpretatio Lambini, licet nõ inepta, parum tamen ad rem facere videtur. iudicet lector doctus. *ſubiungere.* omnes ſcripti cod. ſic habent. *vt nox longa qui.* ἐπαινοῦσι πολλὰ τὴν πρόσθεν. quod verum atque decens &c. condo & compono quæ mox depromere poſſim, ſed vt nox longa &c. argumenta hæc ſunt à ſimilibus. *vt nox longa.* videtur alludere ad illud Theocriti εἰδύλλιον ιβ', ἤλυθες ὦ φίλε κοῦρε τρίτῃ σὺν νυκτὶ καὶ ἠοῖ, ἤλυθες, οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσιν. hoc eſt, veniſti dilecte puer, iam tertia nox eſt, tertia iam reuehit croceos aurora iugaleis, cùm tamẽ vna dies cupidis afferre ſenectã poſſit, & aſſidui depreſſis pondere voti. *mentitur amica.* non ſeruat promiſſa. ſic Satyr. 5. lib. 1. hic ego mendacem ſtultiſſimus vſque puellam ad mediam noctem expecto &c. *dura premit cuſt.* periphraſis nouercarum, dura cuſtodia matrum, id eſt, duræ matres, nimirum nouercæ. *ſic mihi tarda.* ἀνταπόδοσις, ſimilitudinis, qua conqueritur tardius fluere (metaphoricôs; hoc eſt, præterire tempora ingrata, dura & iniucunda, nimirum tumultuoſa, ob principum virorum populíque ſeditiones, quæ viris bonis ſibíque omnem ſpem, conſilium, propoſitum, animum detinebant in ſuſpenſo, tantumq́ue non adimebant bene gnauitérque agendi, tractandi, conſcribendi, vulgandique id quod cuiuſque ſortis, condicionis, ætatis, hominibus factu quidem vtile, neglectu verò noxium foret. *agendi gnauiter.* non aſſentior ijs qui Horatium cenſent, ſuam tantummodò rem curare, in eo quod ait, agendi gnauiter; quaſi ſibi bene agere philoſophariq́ue ſatis ſit, nullo populi ſtudio, quo ille cumque modo aut agat, aut tumultuetur, ſuſque déque, vt aiunt, imò contrà, ſuis in ſcriptis ferè omnibus hoc agit, vt compoſitis omnes & æquis animis moderatiſque ab annis primis Philoſophiæ præceptis imbuti, honeſtè beatéque vitam inſtituant; quod & hic vehementer exoptat, quando Philoſophiæ ſtudiũ excultum dicit ex æquo cunctis prodeſſe, contrà, neglectum, nocere. Quinimo ſi tantum ſibi ſuiſque rebus ſit vtilis Horatius, quanto, quæſo, momento fuerit alijs eius honeſta vita ſine ſcripto, qui nec populi principatũ gerebat, nec leges præceptáque morum poterat imperare? Quare equidem malim, gnauiter agere, interpretari, bene quidem viuere, ſed ad vitam quoque & mores bonos præcepta conſcribere vulgaréque, atque omnium oculis exponere tamquam vitæ ſpeculum; namq; vt omittam ſequenteis verſus hoc deſiderare, apud antiquos quoque Gnareo vel Gnario, in vſu erant pro ſignifico declaro, expono, vt videre eſt apud Feſtũ in Gnaruiſſe, id eſt, narraſſe, deinde in Gloſſis Gnaritur, γνωρίζεται. *æquè pauperibus.* paupertas enim non bene moratis, inſtitutiſque mentibus creditur malum eſſe maximũ, vt paullò pòſt, & Ode 24. lib. 3. magnum pauperies opprobrium, iubet quiduis & facere & pati Satyr. 3. lib. 2. ſub perſona Staberij. *locupletibus æquè.* ne efferantur ſupra modum, ſibique indulgeant. *neglectum.* incultum, neglectim habitum, ignoratum. *pueris.* adoleſcentibus, ad refrenandã libidinem. *ſenibúſque.* ad æqualitatem animi ſeruandã, & ſenij moroſitatem compeſcendam, ceteráque incommoda. ſic Epicurus quoque Menicæo, autore Laërtio in ipſius vita, Philoſophandum igitur, inquit, & iuueni, & ſeni; illi quidem vt ſeneſcẽs in virtutibus, vigeat præteritorum gratia; huic vt iuuenis vnà, & vetulus ſit, quòd futurorum careat metu; meditandum ergo quę faciant beatam vitam, ſiquidem ſi adſit illa, omnia ſuppetunt; ſin verò abſit, agimus omnia vt illam habeamus. *reſtat vt his ego.* clauſula iam datæ ſimilitudinis; cuius hæc ſententia eſt: Quoniam per tempora non licet verè philoſophari, virtutemq́ue ſuis omnibus numeris, partibus & cauſis, & (vt dialecticôs loquar) eſſentialiter definire, eiúſque partibus ſigillatim declaratis, honeſtè benéque viuendi præcepta tradere, vt ſecundum id quod recta ratio decreuerit, nõ ignoremus, quid tenendum, omittendúmue, quid faciendum ſit vel non faciendum, ſupereſt vt ipſis elementis vitam moderemur, hoc eſt, ex ijs vitæ commodis, incommodiſue quæ res ipſa communis, eiúſque experientia nobis ob oculos ponit; ex

qui-

quibus ſi non perfectè, ſaltē aliquo modo, id quod verum eſt bonúmque tandem cognoſcere poterimus; nam vitare vitia, recta ad virtutem via eſt; quæ vitia menti ad verum diſcernendum, quàm ad clarè intuendum oculis lippitudo, non minus obſunt, & ad lippitudinem, vel tollendam vel corrigendam, vt collyriū planè eſt vtile, ſic docet Horatius ex effectis deprehendi vitia, eáq; fugi poſſe, vel emendari lectione Philoſophica, auditione, & exemplis familiaribus. *elementis.* initijs Philoſophiæ, naturæ quàm menti notioribus. *non poſſis oculo.* αἰτιολογία à comparatione pari. *oculo.* enallage numeri, pro oculis. ſic habent omnes ſcripti quos vidi codices, non oculos, vt Lambinus legendum contendit, atque adeò vulgauit præter neceſſitatem, vt mihi quidem videtur, ſi ad hunc modum verba declares, ſi non poſſis oculo tantum contendere, quantum Lynceus, id eſt, ſi non poſſis in rebus ipſis perſpiciendis, tanta vi oculorum niti quanta Lynceus, idq; propter lippitudinē, idcirco nolis collyrio ſanari lippitudinemque arceri? ſic quoque dicimus, animo contendere. Cic. Quantum conniti potes animo, quantum labore contendere &c. tantum fac vt efficias. Ego ſequor conſenſum codicum, nihil Lambino præiudicās. *Lynceus.* de Lyncei oculorum perſpicuitate vide adagiū in Chil. Lynceo perſpicacior. *membra.* membrorum robur. *nodoſa.* quod in nodis, id eſt, articulis corporis hæreat præcipuè. *chiragra.* χειράγρα. quę dictio ποιητικῶς primā corripit abiecta ι. *eſt quadam prodire tenus.* γνώμη. quale hoc eſt, in magnis & voluiſſe ſat eſt: in magnis enim rebus ſi non effectus votis noſtris reſpondeat, at conatus tamen ſua laude non caret. *eſt quadam.* ſic inueni ſine vlla litura in antiquiſſimo Bland. codice & Buſlidiano. Nannij codex habet, eſt aliqua prodire tenus &c. ceteri omnes habent, eſt quodam &c. *feruet auaritia.* enumeratio vitiorum, quibus implicitus animus humanus, dicitur ſolari ſe, quando legendis Philoſophis audiendíſque ſedulo enititur ad virtutem. Expolit autem id carmē, reſtat vtar ego, &c. *miſeróque cupidine.* ſic habent 4. Blād. Tonſ. Sil. Buſl. reliqui miſera, non aptè. poſterior autem huius carminis pars eſt prioris deſcriptio, auaritia namque eſt ingens habendi cupido, qui miſerum facit hominē. *ſunt verba & voces.* verba pertinent ad ea præcepta quæ Philoſophis, doctíſque hominibus litteris tradita, lectorem ſtudioſum lenire recrearéque poſſunt, quod indicat verſus ſequens, ſunt certa piacula, quæ te ter pure lecto &c. voces autem ſunt eorum qui vitiorū turpitudine declarata, hortantur ad virtutem capeſſendam. huc pertinet quod ait, ſi modò culturæ patientem commodet aurem. *dolorem.* animi, qui curis augendæ quidem rei plurimis, amittendę verò metu maximo conficitur. *morbi.* νοσήματα, ὅ ἐστι οἴησις σφόδρα δοκοῦντος αἱρετοῦ, in Philoſophorum placitis, id eſt, opinatio vehemens eius quod expetendum videtur animo penitus inſita. *laudis amore.* κενοδοξία, ἧς τροφὴ τιμαί, καὶ ἔπαινοι. Chryſoſt. περὶ τῆς ἱερωσ. hoc eſt, vana gloria, cuius cibus & alimentum honores & laudes ſunt. *piacula.* medicamenta purgantia, καθάρσεις, id eſt, præcepta Philoſophica. *recreare.* inſtaurare, reficere, ἀνακομίζεσθ. ἐπισκιάζεσθ. *inuidus, iracundus.* congeries feſtinatæ narrationi ſeruiens. *adeò ferus.* alienus ab omni humanitate, ita vitijs addictus, tam malitioſus, κακοήθης. vt non poſſit manſuefieri, ad mentem redire ſaniorem, vitia, improbitatemque odiſſe, ſi docenti, rectéque monenti attentas aureis accommodet, ſéque docilem præbeat. quod ſi faciat, vitiáque partim ex præceptis moralibus, partim ex ore docentis percepta fugere ſtudeat, iam in via eſt ad virtutē, atque pro viro bono habendus eſt; nam *virtus eſt vitium fugere.* hæc ratio quaſi clauſula ſubiecta eſt, per enumerationem; Philoſophiæ principiis, quę nominauit elementa, quę per duriora tempora, minúſque tranquilla, vult eſſe ſolatio bonis viris, nimirum vt vitia fugiant, nam à contrariis, vitium fugere, conſequens habet amplecti virtutem, quemadmodū ſapere eſt non ſtulteſcere: quę rationes cùm ſint in relatione, non etiam vt definitio in eo quod naturaliter explicatur, meritò in elementis Philoſophiæ cenſentur, nam quod alicui conuenit, id eius contrario cōuenire nequit. *vides quæ ma.* argumenta ab exemplis vitæ communis humanáque ſtultitia, quibus oſtendit quoque vitiorum turpitudinem inconſtantiamque deuitandam. *turpemq; repulſam.* in honorum petitione. *animi.* tres codd. habent animo, Nannij, Tonſ. Silutius. *capitiſq; labore.* vitæ periculo. *impiger extremos.* expolit quod dixit, exiguum cenſum, quem hic exponit pauperiem, id eſt, moderatum, & victum frugalem. *per ignes.* an per ardenteis circulos, tropicum Cancri, & Zodiacum, eò quòd mercatorem ait ad Indos penetrare, an ſimpliciter pro grauiſſimis periculis? *ne cures ea quæ.* vt non cures diuitias &c. non vis diſcere & audire, & credere meliori? ſenſus quidem eſt, quia pauperem eſſe, credis malum eſſe maximum, das operā mercaturæ vt dites euadas, quod bonum iudicas eſſe ſummum, ſed verū melius eſt, contemnere diuitias, vitámque in ſecuritate tranquillam degere, quod docet Philoſophus, an ditari, perpetuóque in ſummis perturbationibus eſſe miſerum, quod prodocet Ianus? *quis circum pagos.* à ſimili. *compita.* τρίοδοι, τετράοδοι. *magna coronari.* Helleniſmus, στεφθῆναι τὰ Ὀλύμπια μεγάλα.

ſine puluere. vide adagium, Citra puluerem; & quę notauimus in oden 1, lib. 1. *vilius argentum eſt*. explicat quod dixit, *& meliori credere non vis*. hęc enim verba ſunt Philoſophi docentis contemtum diuitiarum, magiſtratuum, honorum &c. præ virtutis excellentia, quæ cætera omnia ſua bonitate longè ſuperat. perinde hoc eſt ac ſi dicat, ô ciues, diuitias, opes, honores miramini, & optatis tanquã bona maxima, ſed ſtultè id facitis: nam virtute, nõ argentum, non aurum eſt præſtantius. eſt autem comparatio impropria ſecundũ Stoicos. eo modo quoque dicimus, Deũ meliorem eſſe cacodæmone: cùm dæmon tamen nõ ſit bonus. *ô ciues ciues*. hæc adhortatio Iani pugnat ex diametro cum doctrina Philoſophi; nam Ianus non per ironiam, vt volũt aliqui, ſed prodocet ſeriò virtutis ſtudium pecuniæ poſthabendum. in qua ſententia ait eſſe ſenes, & iuuenes, quaſi prius ſit diteſcendũ, quàm philoſophandum; quod quàm ſit miſerũ, nedum ſtultum, docent ſequentia. *hæc Ianus ſ.* de Iano legito quæ ſcripſimus in Satyram 3. lib. 2. *prodocet*. palam docet; ſic habent 4. Bland. Buſl. Diuæi, Silu. ſed Martin. edocet: Tonſ. & Nan. prædocet. vulgati perdocet. Lambinus probat, prodocet, à quo non diſſentio. *dictata*. ſæpius inculcata pręcepta Iani. *Iano ſuſpenſi loculos*. ad fœnus reponendum. *tabulamq;*. ad ſcribenda nomina. ſuſpenſi loculos Enallage paſſiui pro actiuo, pro ſuſpendentes, per Synecdochen. hæc ſunt dictata Iani, quæ recinunt ſenes, iuuenéſque ad vſque neniam puerilem. *eſt animus tibi*. hic verſus in cod. Buſlid. vetuſtiſſimo præponitur huic, *ſi quadringentis*; & quidem rectè (meo iudicio) nam poſtpoſitio mihi ſemper fuit ſuſpecta: continet enim verba Iani queruque incitantis ad quærendam pecuniã ante virtutem, ab animo præſenti in rebus agendis, à moribus fori perſpectis, ab eloquentia, & fide; quę omnia maximopere deſiderantur ad mercatum & lucrum faciendũ. *ſi quadringentis*. hic verſus cauſam complectitur quærendæ pecunię, putà, honores; nam ſi quadringentis, id eſt, ſi cenſus tuus non reſpondet legi Roſciæ, plebs eris, hoc eſt, eris plebeius, & ordinis plebeij, non equeſtris, cuius cenſus erat quadringentorum ſeſtertiûm ſub Iulio Cæſare, id eſt, ad numeros noſtros, auctore Budæo, decem milium coronatorum. *at pueri ludentes*. confutatio ſtultitiæ præceptorum Iani, mercatorumque à iudicio puerili doctrináque parentum, ſimplici quidem, ſed veriſſima, quę à natura illa prima & incorrupta promanãs, à Deo op. max. in humana creatione infuſa, nihil quàm quod rectum erat, amare amplectíque poterat. qua de re plura ſcribere nos vetat nimia prolixitas, & argumentũ longè latéque diffuſum, nimirum de paritate, imparitatéque, de quaternario, & rectitudine vitæ quæ eſt in perfectione æqualitatéque ætatum quatuor, adoleſcentiæ, iuuentutis, virilis ætatis, & ſenectutis; quæ ſi in honeſtate ſibi conſentiant, regium virum efficiunt. ſed ſatius eſt de his pauca tangere, quàm plura deterere. *hic murus aëneus*. γνώμη. vitæ beatæ tranquillæque princeps effectrix. vide in Chiliad. murus aëneus. huic autem concinit illud in Tuſcul. lib. 2. nullum theatrum virtuti conſcientia maius eſt. *ludentes*. non arbitror alludere ad ſphæromachiam, vt quidam viri docti volunt ex Platone, in qua Gręcis, qui vicerat, Rex ſalutabatur, victus verò Aſinus, victoríq; mandata cogebatur exequi; nec ad Baſilinda quoque, vt Nannius adnotauit. ſed exiſtimo hanc eſſe ſententiam: pueri ludentes, id eſt, inter ludendum, paſſim, & dum munia ſibi à parentibus iniuncta peragunt, ita canunt, Rex eris ſi rectè facies. Solebãt parentes notę melioris, vt in labore ſuos liberos ſolarentur, ſimul & recrearent, eis præire honeſtis cantionibus ad mores formandos, à vitiíſque & ignauia deterrendos; vtque à patribus acceptas leges memoriæ infigerent, quas pueri inter ludendum frequenti repetitione memorię mandare ſolebant, ne earum obliti vel præmium propoſitum non acciperent, vel damnarentur ſocordiæ. hinc apud Gręcos νόμοι, cantiones quædam dictæ, quæ nimirum ad vitæ rectitudinem ſpectabant, vt quæ ex legibus rectæ naturæ conſtabant, à patribus acceptis. lege Ariſtot. in Problem. Seg. 19. Quæſtione 28. Sed apud Laërtium quoq; ex Elegis Solonis, conſtat leges carmine ſcriptas cantari ſolitas ad memorię facilitatẽ. quin & Cic teſtis eſt, pueros leges xij. tab. tanquam carmen neceſſarium didiciſſe. Sic & hæc puerilis nenia dicitur Heſychio παιδαγωγὸς νόμος, quod è legibus ſumta mores formabat: eumque morem ab Hebręis originẽ habuiſſe crediderim, (eſt enim nenia vox Hebraica) quibus à Deo parentibus mandatum fuit, vt ſuos liberos docerent leges patrias. *nulla palleſcere culpa*. culpam pallor ſubſequi ſolet. *Roſcia dic ſodes*. ἐπίτιμος vehemens, quod multum grauat legem Roſciam. *puerorum eſt*. ſic eſt ſcriptum in omnibus cod. præter Martin. *& maribus Curijs*. ab auctoritate virorum fortium. τὸ mas autem ſubit hìc formam nominis adiectiui. *iſne tibi melius*. ἐπάνοδος ad præcepta vtriuſq; doctoris; Philoſophi quidem de virtute præferenda pecuniæ, Iani verò contrà ſentientis, per collationem vtriuſque conſilij. *qui rem facias*. ſic habẽt omnia ſcripta ſine aduerbio, vt, quod ex interpretatione adiectum videtur. *rem facias*. lucrum. *quocunque modo rem*. iure vel iniuria. *vt propius*. à cauſa finali, vt ſedere poſſis inter equites, recitanti proximus: qui locus in quatuorde

tuordecim ordinibus erat equitum Romanorum. *liberum.* purgatum à vitijs. *erectum.* ad virtutes. *præſens.* fidus & conſtans, qui non fucum, nō dolum obtrudit, non ea docet quæ fugiunt, nō caduca, quæ poſſeſſorem deſerunt, qualis eſt pecunia, ſed quæ immortalia ſunt diuináq; ad ea hortatur. *& aptat.* aptos facit, informatq́ue docileis auditorum animos. ſic habent 4. Bland. Buſl. Nann. & Siluij codex, ſine vlla litura: alij cum vulgatis ſentiunt in τῷ optat, ſed ego cū Cantero ſequor aliā, licet eam Lamb. non probet. iudicet lector. *quod ſi me.* παρεμπτάληψις. *iudicijs fruar ijſdem.* Nannij codex cum Tonſano, habent, idem. quod non diſplicet omnino; nam cur non ſim idem, hoc eſt, cur ſim alius à populo & in vita communi, vt in opinione? *ſequar.* opes & honores, quos diligit populus. *ac fugiam.* pauperiem, & turpem repulſam, quas odit. *olim quod vulpes.* Apologus Aeſopicus per ſubiectionem. *bellua multorum capitum.* à deſcriptione populi χαρακτικὴ, ad varia cuiuſq; ſtudia, & inſuper incōſtantiam populi docendam, quæ ſine vlla quiete vexant eos qui neglecto virtutis amore ſectantur Iani documenta. per multa capita, varietatem, inconſtantiam, diſſentientes opiniones inter ſe intellige. *pars hominum.* expolitio multorum capitum, per enumerationē ſententiæ vniuſcuiuſque. *conducere publica.* hinc publicani Iudæis odioſi propter vectigalia; ſed & mercenarij publici, id eſt, qui opera, mercede publica conducunt, μισθωτοὶ, hic eo nomine quoq; cenſeri poſſunt. *fructu & pomis.* vilibus & nullius pretij donis. fructis autem legendum cenſeo (idq́ue meo iudicio) aptiſſimè: quod ſanè nō obſeruaſſem, niſi admonitus aperta litura Siluij cod. & Martinij. Nam, fruſtis, certè nō conuenit. quis enim fruſtis capiatur alius quàm viliſſimus quiſque? equidem cruſtis admiſerim potius, vt habent quidam codices; his enim inuitātur à doctoribus pueri elemēta velint vt diſcere prima. ſed hæc duo fructis & pomis appoſitiſſimè conſentiunt. & ne vocis, fructis, inſolentia deterreat aliquem, is nouerit τὸ fructus olim ſecundæ fuiſſe inflexionis. vnde in Adelphis, nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero, odiū. ſic apud Caton. quoq́ue fundus, melior erit, minúſque peccabitur, fructi plus capiet. *excipiantq́ue ſenes.* inſidioſè capiant, captóſq. & veluti feras, aut piſceis in viuariis detentos tandem ineſcatos vorent. *multis occulto creſc.* hoc genus hominum multò eſt deterrimum vel Iſocrate teſte ad Demonicū, πάντες γὰρ, ἔφη, μισοῦσιν, οὐκ οὕτω τοὺς ἐξαμαρτάνοντας, ὡς τοὺς ἐπιεικεῖς μὲν φάσκοντας εἶναι, μηδὲν δὲ τῶν τυχόντων διαφέροντας. hoc eſt, omnes enim, inquit, non ita eos oderunt, qui mali ſunt, vt eos, qui cùm ſe probos eſſe ſimulent, nulla tamen in re à vulgo differunt. *verum eſto.* conceſſio opinionis variæ, propter capitum multitudinem; nā dici ſolet, Quot capita, tot ſenſus; quot homines, tot ſententiæ. *ijdem eadem poſſunt.* ad oſtendendam maiorem inconſtantiam, ſciſcitatur an in propoſito aliquis conſtet, & nō potius in horas ſingulas id variet? quo argumento demonſtrat hoc donari poſſe, non omnes idem ſentire; ſed ſibi non conſtare, ſecumq́ue pugnare, nulla eſſe venia dignum. *nullus in orbe ſinus.* Erotematis expolitio à diuite inconſtante, Baiiſq; propter amœnitatem loci, prætorium ſtructuriente. *lacus & mare.* lacus marinus, nimirum Lucrinus, inter Puteolos & Miſenum montem; nam lacus Lucrinus in Baiano eſt, & mare habet ſinum Baianum. *amorem.* ſtudium. προσωπογραφικῶς. *feſtinantis.* ad ædificandum. propriè ait feſtinantis; nam Catone, in, De ſuis virtutibus, oratione, auctore, qui multa ſimul incipit, neque perficit, feſtinare dicitur, ſed properat, qui, quod maturè incipit, tranſigit. *heri.* diuitis. *fecerit auſpicium.* hoc eſt. ei, loco auſpicij habita, mutauit animum. *Theanum.* dictum Sidicinum non procul à Nola, & Sora. *lectus genialis.* lectus genialis, auctore Feſto, ſternitur nuptijs in honorem Genij, à genendo olim, nūc à gignendo dicti. θεὸς γενέθλιος, Deus natalitius dicitur Genius. de lecto geniali, Arnobius contra Genteis. prolixè autem de eo Catullus in nuptijs Pelei & Thetidis. Eſt præterea lectus genialis, κλίνη συμμετρία. ſed hic pro vxore capitur. *in aula* κατ᾽ ἐξοχὴν pro domo. *Protea.* alluſio ad fabulam Protei in quamuis ſe formam tranſmutantis. vide 4. Georg. Virg. *quid pauper.* ne videatur Horatius nimis inuidioſè diuites ſolos inſtabilitatis culpare, & inter eos Mæcenatem, ob ædificiorū amplitudinē nouitatemq́ue, & in Eſquiliis, & aliis in locis, vt eum non offendat acerbius, facit Mæcenatem ſecum agere, percunctaríque quidnam ipſe meditaretur, an ſibi in rebus conſtaret. *quid pauper.* ſup. tu agis; ei reſpondet Horatius. *ride.* inquit. *mutat cœnacula.* loquitur de ſe in tertia perſona, ſeq́ue ſatis inconſtantem fatetur, in ſua quoque paupertate, quod pro more ſuo facit; nimirum quò liberiùs mores rideat alienos, nimis incompoſitos inæqualeíſque. *mutat cœnacula, lectos.* nunc domi cœnat in vrbe, dormitq́ue, nunc ruri in Tuſculano, nunc apud te, nunc apud alios, & proinde mutat balnea, & tonſores, vt vobis aliíſque viris principibus honeſtè conuerſetur, & hoc modo ſub ſua perſona pauperis notat artificioſè diuitum clientelas. Quòd autem ſic interpreter hunc locum, ſuadet Satyra 7. li. 2. vbi ſub heri perſona patitur à Dauo ſeruo (nō ſine nota aliorum) ſe inconſtantiæ damnari. legito hos verſus eius Satyræ, non dices hodie quorſum

hæc tam putida tendant furcifer? ad eum vſq; verſum, etenim fateor, me dixerit ille &c. & noſtros Commentarios. *conducto nauigio æquè nauſeat.* hunc locum declarant verba Plutarchi ἐκ τοῦ περὶ εὐθυμίας. ὥσπερ οἱ δειλοὶ καὶ ναυτιῶντες ἐν τῷ πλεῖν, εἶτα ῥᾷον οἰόμενοι διάξειν, ἐὰν εἰς γαῦλον ἐξ ἀκάτου, καὶ πάλιν ἐὰν εἰς τριήρη μεταβῶσιν, οὐδὲν περαίνουσι, τὴν χολὴν καὶ τὴν δειλίαν συμμεταφέροντες ἑαυτοῖς· οὕτως αἱ τῶν βίων ἀντιμεταλήψεις οὐκ ἐξαίρουσι τῆς ψυχῆς τὰ λυποῦντα καὶ ταράττοντα. hoc eſt, quemadmodu timidi & nauſeantes, dum exiſtimant ſe meliuſculè habituros, ſi ex acatio in gaulum, rurſumque ſi in triremem commigrarint, at nihil tamen proficiunt: ita aliud vitæ genus non eximit animo ea quibus grauatur, & perturbatur. ταῦτα δέ ἐστιν ἀπειρία πραγμάτων, ἀλογιστία, τὸ μὴ δύνασθαι, μηδ' ἐπίστασθαι χρῆσθαι τοῖς παροῦσιν ὀρθῶς· ταῦτα καὶ πλουσίους χειμάζει καὶ πένητας, ταῦτα καὶ γεγαμηκότας ἀνιᾷ καὶ ἀγάμους. id eſt, hæc autem ſunt rerum inſcitia, rationis pænuria, neque poſſe, neque præſentibus rectè vti noſſe: hæc & diuites grauant & pauperes, hæc nuptas ſimul & innuptas cruciant. *conducto.* quod proprio careat. *ſi curtatus.* ſic habet vnus cod. ſcriptus Diu. nec tamen ſine litura literæ t. ceteri omnes ſine vllis maculis habent, curatus; à quo non libenter diſcedo; ſed nonnihil impellit nos ad aliam lectionem verborum perſpicuitas. interim tamen & hæc interpretatio ſatis aperta eſt: Si curatus capillos, id eſt, habens capillos nitidos vnctóſque, ſed inæqualiter .i. ineptè tonſos, quia tonſura nō reſpōdet nitori, rides. Quin & cetera huic interpretationi conſentiunt; nam tunicæ pexæ, eleganti, & mundę ridiculè ſubeſt trita ſubucula, vilis & detrita; ſic quoque imparem humeris inſidere togam, riſu dignum eſt: atque hoc modo per hypallagen τὸ tonſore inæquali, pro tonſura nō ineptè ponitur. itaque (meo iudicio) propter conſenſum omniū codicum τὸ curatus velim præferri τῷ curtatus, quæ vox haud dubiè ſuppoſiticia eſt, propter τὸ tonſore, tametſi reclamet Lamb. qui tamen non infitiatur in vix vllis manuſcriptis aliter ſe inueniſſe. quare diſpiciat lector. *ſi curtatus.* nunc apertè de ſe agit in ſecunda perſona, miratúrque externum corporis cultum minùs aptum Mæcenati eſſe riſui, non etiam animi ſui mutabilitatē contrarietatemque; quod videtur non carere peruerſi iudicij nota, in amici vitijs cæcutire, quod vehementer quoq; reprehendit Satyr. 3. lib. 1. ſed aliò pertinet, vt iam dicemus. *inſanire putas ſollemnia me.* nō rides me quando mecum diſſentio. cur? quia me inſanire putas ſollēnia, hoc eſt, per enallagen συνήθης Græco more putas ſollemne, conſuetum, familiare, vt qui ſim ὀξύθυμος, iraſci facilis, iræ impatiens, cerebroſus; quod de ſe fateri videtur Satyr. 5. li. 1. donec cerebroſus proſilit vnus, &c. deinde Satyr. 9. eiuſdem lib. vbi de cerebro Bollanum commēdat. Poſtremò Epiſt. vlt. lib. 1. iraſci celerem, &c. *nec medici.* eò quod hoc vitij naturæ ſit inſitum. *nec curatoris.* quia ea inſania momentanea, nec multum formidabilis eſt, & facilè deponitur ſine damno aut nominis aut bonorum. *à prætore dati.* furioſo dabatur curator à prætore, ſi non erant agnati. vide titu. de tutela, in inſtitut. Iur. ciuil. *rerum tutela mearum.* tutor cùm ſis. commendatio Mæcenatis, ab amicitia & cura Horatij, qui in habitu, cultúque corporis eum monebat munditiei, ſed quòd ſecum aliquando diſſideret, dabat naturę aut paupertati, non auaritiæ, non ambitioni, aut luxuriæ. atque hoc argumento nobis eſt, pauperes quidem eſſe ſæpè non minus inconſtanteis ipſis diuitibus, ſed eò minus reprehendendos, quòd hoc eis non ex rerum abundantia, vitioſáque libidine, ſed accidat aut neceſſitate, quod diuitibus ſit obſequēdum, aut natura, propter quam nemo aut vituperandus venit, aut laudandus. *ad ſummam ſapiens.* hoc Iani documentum, poſt prolixam digreſſionem, ad turpem ciuium inconſtantiam morumque inæqualitatem, concludit hanc Epiſtolam pro ciuium & populi arbitrio contra doctores Philoſophos de virtute diuitiis anteponenda, perinde ac ſi dicat, vt bonus, liber magiſtratus ſis &c. non opus eſt virtute, nam diues ſapiens ad ſummam ſcilicet pecuniariam amplificandam, tantum non eſt Deus, & immortalis, eſt liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum, præcipuè, id eſt, maximè ſanus; *niſi cùm pituita moleſta eſt,* id eſt, niſi cùm emungitur pecunia, & pro lucro damnum facit: vt enim defluxus è capite per nareis, ita defluxus pecunię è loculis auari ſine quęſtu tam grauis eſt, vt eum nec dies nec nocteis ſinat interquieſcere. Alij aliter hunc locum exponunt, nimirum de ſapiente Stoico, qui ex eorum decretis vnus, eſt omnia, ſed (vt mihi quidem videtur) non rectè, cùm nuſquam hic eius facta ſit mentio, ſed vbique ſit actum de pecuniæ lucro, de pecunia virtuti præferenda, de gradibus honorum pro cenſu cuiuſque, de inconſtantia. iudicet autem lector doctus. *ad ſummam ſapiens.* ſic quoque dicimus, ad quæſtum eſſe callidum, ad verum ſapere, ait Propertius. *honoratus, pulcher.* ſic alibi, & genus, & formam regina pecunia donat. *pituita.* τὸ δὲ λοιπὸν φλέγμα καὶ χολή, Ariſtoteles de vita breui, hoc eſt, reliquum verò phlegma ſeu pituita & bilis, in τῷ pituita ecaſis eſt.

EPISTO-

EPISTOLA II.

AD LOLLIVM. I.

TROIANI *belli ſcriptorem, maxime Lolli,*
Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi:
Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non:
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.
Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.
Fabula, quâ Paridis propter narratur amorem,
Græcia barbariæ lento colliſa duello,
Stultorum regum, & populorum continet æſtus.
Antenor cenſet belli præcidere cauſam.
Quid Paris? vt ſaluus regnet, viuatq; beatus,
Cogi poſſe negat. Neſtor componere liteis
Inter Peleiden feſtinat, & inter Atreiden.
Hunc amor, ira quidẽ communiter vrit vtrumq;.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.
Seditione, dolis, ſcelere, atque libidine, & ira.
Iliacos intra muros peccatur, & extra.
Rurſus quid virtus, & quid ſapientia poſſit,
Vtile propoſuit nobis exemplar Vlyſſem:
Qui domitor Troiæ, multorum prouidus vrbeis,
Et mores hominum inſpexit: latumque per æquor
Dum ſibi, dum ſocijs reditũ parat, aſpera multa
Pertulit, aduerſis rerum immerſabilis vndis.
Sirenum voces, & Circæ pocula noſti:
Quæ ſi cum ſocijs ſtultus, cupidúſque bibiſſet:
Sub domina meretrice fuiſſet turpis, & excors:
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.
Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati;
Sponſi Penelopæ, nebulones, Alcinoíque,
In cute curanda plus æquo operata iuuentus:
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curam.
Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones:
Vt teipſum ſerues non expergiſceris? atqui,
Si noles ſanus, curres hydropicus: & ni
Poſces ante diem librum cum lumine: ſi non
Intendes animum ſtudijs, & rebus honeſtis:
Inuidia, vel amore vigil torquebere. nam cur
Quæ lædunt oculos feſtinas demere: ſi quid
Eſt animum differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet. ſapere aude:
Incipe. viuendi qui rectè prorogat æuum
Ruſticus expectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.
Quæritur argentum, puerìſque beata creandis,
Vxor: & inculta pacantur vomere ſiluæ.
Quod ſatis eſt cui contigit, is nihil amplius optet.
Non domus, & fundus, non æris aceruus, & auri
Aegroto domini deduxit corpore febres:
Non animo curas. valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat vti.
Qui cupit, aut metuit, iuuat illum ſic domus, aut res
Vt lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram,
Auriculas citharæ collecta ſorde dolenteis.
Sincerum eſt niſi vas, quodcumque infundis, aceſcit.
Sperne voluptates. nocet emta dolore voluptas.
Semper auarus eget. certum voto pete finem.
Inuidus alterius macreſcit rebus opimis:
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum. qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, & mens,
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.
Ira furor breuis eſt. animum rege: qui, niſi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compeſce catena.
Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter,
Ire viam quâ monſtrat eques. venaticus ex quo
Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,
Militat in ſiluis catulus. nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu. quod ſi ceſſas aut ſtrenuus anteis,
Nec tardum opperior, nec præcedentibus inſto.

COMMENTATOR.

TROIANI *belli ſcriptorem maxime Lolli.* Scribẽs Lollio ait lecto à ſe poëmate Homeri manifeſtius ſibi & melius exprimi ab eo Philoſophiæ præcepta, quàm ab optimis eius profeſſionis auctoribus Chryſippo, & Crantore: in Iliade enim vitia turpitudinémque & ſtultitiam hominum; in Odyſſea verò ſub Vlyſſis perſona, virtutẽ, ſapientiamq; demõſtrat. *Troiani belli ſcript.* periphraſis Homeri.

Homeri. *declamas.* quia orator erat. *Chryſippo.* Chryſippus Apollonij filius Solenſis fuit, Antiſtes ſectæ Stoicæ. *Crantore.* Academico. hic Solenſis fuit pulchritudine corporis conſpicuus, non tantùm à Xenocrate præceptore ſuo, ſed etiã à Polemone, qui Xenocratis ſcholam excepit, adeò fuit adamatus, vt in academia maximã dignitatem ſit aſſecutus. *cur ita cre.* quod Homerus melius dixit Chryſippo. *diſtinet.* occupet, intentum vel diſtractum teneat. *fabula.* Ilias. dicit quo modo per ſingulas fabulas demonſtret virtutes, & vitia. *narratur.* ab Homero. *Barbariæ.* Troiæ. *lento.* diu geſto & forti. *colliſa.* proſtrata. *duello.* bello. duellum propriè eſt quod à duobus bellum geritur. *regum* ducum. *æſtum.* perturbationem. *Antenor.* oſtendit quomodo cauſa perturbationis ſedandæ, fuerit principibus commiſſa. *cenſet belli.* poſcit reddi Helenam. *quid Paris?* ſupp. facit? repudiat, abnegat ſuaſionem, & negat poſſe cogi, id eſt, conſtringi, vt reddat Helenam. *Neſtor.* dux Græcorum. *inter Peliden.* Achillem Pelei filium. *Atriden.* Agamemnonem, Atrei filium. *hunc.* Achillem. *amor.* Briſeidis. *vtrumque.* Achillem, & Agamemnonem. *delirant.* errant, peccant. *plectuntur.* ſuſtinent, patiuntur. vt, Venuſinæ plectantur ſiluæ. *Iliacos.* Troianos. *extra.* à Græcis. *ſeditione do.* apud Græcos. *ſcelere atque libidine.* apud Troianos. *& ira.* apud vtroſque. *ſapientia.* prudentia. *virtus.* patientia, tolerantia. *propoſuit.* in Odyſſea Homerus. *qui domitor Troiæ.* hi verſus ex Odyſſeæ principio ſumti ſunt, vt in arte Poëtica, Qui mores hominum multorum vidit & vrbeis. *ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη· πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.* *prouidus.* prudens. *aſpera multa.* aſperitatem caſuum ita pertulit, vt nec vndis obrui poſſit, nec ſuperari à monſtris. *immerſabilis.* inuictus, indefatigatus. *vndis.* caſibus, calamitatibus. *Sirenũ voces.* Sirenes dicuntur fuiſſe filię Alcinoi. *Circes poc.* Circe fuit filia Solis, quę carminibus ſuis, & veneficiis homines mutabat in feras, vt fabula eſt: re autem vera, mulier fuit ſpecioſiſſima, quæ mentes hominum præ nimio amore alienabat à ſe: hanc autem Vlyſſes deuitaſſe dicitur. *noſti.* ô Lolli. *domina meretr.* non dicit Circen fuiſſe meretricem, niſi fabuloſè: ſecundum Stoicos enim, auaritia, cupiditas, libido, dominæ meretrices vocantur; quibus qui ſeruiunt, turpes vocantur, & ſerui; ſe autem, & ſapienteis, qui ijs vitiis carent, & ſolos, liberos eſſe volunt. *turpis.* in beſtiam mutatus. *immundus.* impudicus. *ſus.* porcus. *nos numerus ſumus.* vides quos fama obſcura recondit, quia nõ paremus Philoſophiæ, à cuius ſtudio qui abſunt, aiunt numerum tantummodo explere hominum, nec alij vlli rei eſſe natos, quàm vt fruges, & cibos conſumant. *ſponſi Penelopæ.* proci quos Homerus enumerat, in curando corpore apud Penelopen occupatos fuiſſe. *nebulones.* perditi, dicti à nebula. Varro nebulones vocat obſcuro loco natos. *Alcinoique.* luxurioſi, molles, inepti, ab Alcinoo rege Phæacum, luxui dedito. *in cute curanda.* ad obſequendum corpori. *operata.* occupata. *iuuentus.* ſup. nos ſumus. *cui.* iuuentuti. *ceſſatum ducere.* ad ceſſandum curas, & ſollicitudines, ad finiendum dolores, & mærores, vt ceſſent curæ: vt, Quæſitum Aenean ad mœnia Pallantea. ſolemus adhibere ſonitum citharæ, aut lyræ, vt facilius ſopiamur. *ducere.* trahere. *ceſſatũ.* ad ceſſandum, eſt infinitus à futuro. *non expergiſceris.* non intendis animum tuum Philoſophiæ, vt in eius præceptis inſtitutus rectam viam ingrediaris. *ſi noles ſanus, curres hyd.* ſi noles ventura vitia propellere, cùm te oppreſſerint, conaberis eis reſiſtere fruſtra: nihil enim proficies. alluſio ad artem medicam, qua ſolent hydropici currere, id eſt, ſe exercere, vt morbus extenuetur, antequã ingraueſcat, & inſanabilis fiat. *poſces ante diem.* vt de nocte ad lucernam lucubres. *librum.* qui præcepta Philoſophiæ continet. *lumine.* lucerna. *inuidia. vel amore vig.* hoc eſt, ex otio incides in amores, inuidiam aut aliud vitiũ, quod te non ſinet quieſcere; & tunc demum ſenties maximum eſſe diſpendium ſapientia caruiſſe. *eſt.* edit, conſumit. *dimidium facti.* id eſt, incepiſſe aliquid boni, quaſi dimidietas eſt facti. *aude.* quaſi ſit audaciæ, contra vitia niti. *aude ſapere.* aude continentiam ſequi: id eſt, aude Philoſophiam diſcere. ſic, aude hoſpes contemnere opes. *qui rectè viuendi.* hoc eſt, qui rationem rectè viuendi differt in aliud tempus, ſimilis eſt ruſtico, volenti flumen tranſire, & expectanti donec totum defluat. *prorogat.* differt. *ruſticus.* agit vt ruſticus. *defluat.* funditus, ad plenũ excedat. Qui vllum tempus præterit, quo melior fieri non laborat, ſtultus eſt ac ruſticus habendus, qui curſum fluminis ſpectat, tanquam finem aliquando futurum. *quæritur.* deſideratur. *beata.* diues, partu felix. *pacantur.* excoluntur, arantur. Virg. manſueſcit arando. *quod ſatis eſt cui contingit.* monet hic, ſi ea quæ cupit aliquis, conſecutus, & adeptus fuerit, cupiditati ſuæ finẽ faciat. ſic alibi, bene eſt cui Deus obtulit parca quod ſatis eſt manu. *cui contigit.* etiam in naturalibus deſideriis. *ægroto.* ſollicitato. *domini.* diuitis. *deduxit.* educere potuit. *valeat.* ſupp. vt, id eſt, opus eſt vt ſanus ſit, ſi cogitat bene vti comportatis, id eſt, paratis, & acquiſitis; nam ſtulto & inſano nil ſatis eſt. *qui cupit.* vt habeat. *metuit.* ne perdat. *& res.* pecunia. *lippum.* cæcutientem. *fomenta pod.* ſupp. iuuãt, quia inſanabilis eſt morbus. fomẽta quidem leniu-

leniunt morbum, ſed non ſanant. *ſincerum.* mundum. *auriculas.* delectant aliquando, ſed non ſanant. *pete.* pone. ſatis ſit tibi quod habes. *finem.* modum. *inuidus.* aliquis. *macreſcit.* torquetur. *inuidia Siculi.* hoc eſt, ne Phalaris quidem Agrigentinorum tyrannus, nō Dionyſius Syracuſanus, maius inuenit tormentū, quàm animis hominum infert inuidia. *qui non moderabitur ira* qui non ſtatuet irę modum. decenter pœnitentiam deſcribit, quæ ſequitur iracundiam. *infectum volet.* quia id facit ſæpe, quod eum feciſſe poſtea pœnitet. *dolor.* nimia indignatio. *dum pœnas.* dum pœnas feſtinanter exigit. odium enim eſt iræ impatientia quæ vindictam deſiderat. *multo.* inſatiabili. *animum.* impetum animi, & vehementiam, qui niſi obedierit, imperare cogitat; cuius imperium ſemper eſt intolerabile. *frenis.* metaphoricôs, pro pręceptis Philoſophiæ, ſapientia, ratione, patiētia &c. *catena.* conſtringe, ne euagetur. *fingit equum.* argumentum à ſimili, quod adhortatur ad ſapientiæ ſtudium à primis annis. *fingit.* format, inſtituit. *tenera.* dum tener eſt, docilis eſt. *venaticus ex quo.* ordo eſt, venaticus catulus, ex quo tempore. *latrauit.* id eſt, guſtauit, perſecutus fuerit. *puer.* cùm adoleſcens eſt. reſpondet ei ſenſui, ſincerum eſt niſi vas &c. *melioribus.* Philoſophiæ magiſtris. *ſemel.* primùm. Virg. cùm ſemel in ſiluis imo de ſtirpe reciſum eſt, matre caret. *recens.* rudis. *quod ſi ceſ.* dehortatur tarditatem, & hortatur ſtrenuitatem. *ſi ceſſas.* à Philoſophiæ ſtudio perſequēdo. *tardum.* ad ſapientiam, ceſſantem. *præcedentibus inſto.* nec vrgeo præcedentem, vt me opperiatur & expectet. hic oſtendit, non ad alienū arbitrium, ſed ad ſuum ſe proficere.

CRVQVIVS.

HÆC Epiſtola ad Lollium, complectitur inſignē laudē Poëſeos Homeri; longè namque præfert eam philoſophicis aſſertionibus, definitionibúſque, vt pote λόγοις θεωρητικοῖς: ad hæc virtutis omneis parteis, vitiorumque turpitudinem planè & ad viuum reſecat, ſuáſque perſonas tanquam in tragœdia in actus ſcenáſq; inducit, vnde certò licet & velut ad oculum cognoſcere, quantum viri prudentes quidem conſilio, fortes verò patriæ populóque ſint armis vtiles; contrà, ſtulti ignauíque quàm noxij, quantóq; damno ſint omnibus, quando ſuis plus affectibus, corporíq. quàm communitati conſulunt. hinc Paris inſano Helenæ amore patriæ pernicies, illinc Vlyſſes ſua prudentia ſociorū ſalus artificioſè deſcribitur. At nos Philoſophi, inquit, qui in theorica nugamur, ſplēdidè quidē de virtute ſentientes diſputantéſque, ad nulla verò reipublicæ munia propiùs accedentes, quid aliud quàm numerum explemus hominum, viles & inutiles, inſtar pecudum, terrę fruges conſumere nati, nunc otio nimio torpidi, rectè viuendi rationem procraſtinantes, nūc inuidia emaciati, auaritia obcæcati, ceteríſque vitijs obſtupefacti, quod decens eſt, & honeſtum non cernentes; & huius quidem vitę mollis delicatæque illecebris ne irretiamur, hortatur à primis annis, virtuti vt demus operam, non eam quidem tantùm quæ eſt ἐν τῇ ἀναγωγῇ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ πράξει. *maxime.* an ab officio, vt maximus Curio, maximus prætor, pontifex maximus, an ab eruditione? *declamas.* de virtute diſputas, exercitij vel oſtentationis gratia, vitiáque deteſtaris. *relegi.* ſæpius atque iterum legi ſcriptorem Troiani belli. *pulchrum.* honeſtū, decorum, τὸ καλόν. quid ſit virtus, quid probitas. *turpe.* vitium, quid turpitudo. *quid non.* ſupp. ſit vtile, quid ſit inutile. his enim quatuor vtimur in demonſtrando, deliberandóque. *plenius.* perfectius. ſic habent Bland. Diuæi, Martin. Nann. codices. Buſl. Tonſ. Sil. planius, id eſt, apertius. *Chryſippo & Crant.* legito Diogenem Laërtiū in vitis Philoſophorum. *dicit.* cauit, deſcribit. *cur ita cred.* locus attentionis. *quid.* ſup. aliud. *detinet.* ſic habent omnes codices, pręter Bland. qui habent diſtinet. *Barbariæ.* Phrygiæ, quæ olim propriè Romanis dicta eſt Barbaria, ob Aeneæ, vt arbitror, comites primùm Italis Latiníſque notos. *colliſa.* contrita, fracta. *duello.* duellum, id poſtea bellum, inquit Varro de lingua Latina libro 6. ab eadē cauſa facta Duellona, Bellona, inquit: vide Feſtū. *æſtum.* ſic habent 4. Bland. Tonſ. Sil. cod. reliqui, æſtus. *cenſet præcidere.* præcidendam eſſe belli cauſam, Helenamque cum ſuis bonis Atridis reddendam. Ilia. 11. *quid Paris.* cenſet vt ſaluus viuat, & regnet beatus? τὸ vt, accipitur τελικῶς. *cogi poſſe ne.* ſubiectio, reſpondens Antenoris conſilio, vt ſententia ſit, Paris negat poſſe cogi, vt ſaluus, & beatus regnet (hoc enim eſſet repugnare naturæ, nolle ſuam ſalutem, & regnū beatum) ſed negat poſſe cogi, vt Antenori morem gerat, Helenamque reddat, ſine qua, ſe neque ſaluum, neque beatum iudicat; tantum valet amor ille mollis, in alienandis à ſe mentibus. codices aliqui, & ſcripti, & euulgati habent, ſolus: quam lectionem quoque Landinus agnoſcit, ſed minus aptè. iudicet lector. *hunc amor.* mihi videtur verſus iſte non prorſus ineptè ſic ordinari poſſe: Nunc vtrumque Achillem, puta & Agamemnonem, vrit amor Briſeidis; nec minus ira, Achillem quidem, quòd amica Briſeide careat; Agamemnonem verò, quòd eam reddere cogatur. aſyndeton, & verbum, vrit, numeri ſingularis, pariunt obſcuritatem, quod clarius ſic exprimitur:

amor & ira communi ſ malo vtrumq; hunc vrunt. *quicquid delirant reges.* γνώμη. videtur alludere ad illud Heſiodi in Oper. & diebus, ὄφρ' ἀποτίσῃ δῆμος ἀτασθαλίας βασιλήων. id eſt, populumque repoſcit ad pœnas regum tauſa. *ſeditione, dolis, ſcel.* clauſula argumenti Iliados, à malis belli comitibus. *intra & extra.* localia ſunt. *rurſus quid virtus.* argumentum Odyſſeæ. *propoſuit.* quaſi poſuit ob oculos, quod intueamur ad imitandum. *exemplar.* τὸ ἐκτύπον. id eſt, perſona vel ſignum, vel res aliqua ob oculos poſita, quā exprimamus. at exemplum, quod ſequamur factū aut vitemus, animo, inquit Feſtus æſtimatur. *qui domitor Troiæ.* Odyſſ. α. ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε, id eſt, vbi Troiam ſacram demolitus eſt. *dum ſibi.* ibidem Homer. ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων, id eſt, redimens vitamque ſuam, & reditum ſociorum. *immerſabilis.* alluſit ad illud Pindari in Pythiis hymno 2. ἀβάπτιστός εἰμι, φελλὸς ὥς, id eſt, immerſabilis ſum vt ſuber, ſiue cortex. *Sirenum voces.* σειρήνων μέλος, id eſt, Sirenū cantus. Hom. Odyſſ. μ. σειρῆνας μὲν πρῶτον ἀφίξεαι, αἵ ῥά τε πάντας ἀνθρώπους θέλγουσιν ὅτις σφέας εἰσαφίκηται &c. hoc eſt, primùm quidem ad Sirenas accedes, quæ omneis homines demulcent, quicunque ad eas veniunt &c. verba ſunt Circæ ad Vlyſſem. fuere autem filiæ Acheloi, ex Melpomene, vel ex Sterope, vt habet Apollodorus lib. 1. *Circæ pocula.* ſic habēt omnia ſcripta quæ legi, nō Circes: filia Solis, & Perſeidos. Heſiod. in Theogon. *pocula.* pharmaca, veneficia, incantamenta. *amica luto.* lutulenta. ſic Virg. immundi meminere ſues. *nos numerus ſumus.* hæc tacita eſt ἀντίθεσις, in hanc ſententiam: Vlyſſes, auctore Homero oſtendit ſua ſapientia, cura, & ſollicitudine ſe virum fuiſſe, nihilque ſupra modum ſuis affectibus conceſſiſſe, neq; Sirenibus auſcultaſſe, neque Circę ſeruiuiſſe, ſed nos iuuentus plus occupata in curando corpore quàm animo, quid præter numerū ſumus, canes, & ſues ſub humana forma? tale eſt illud Homeri, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, id eſt, telluris inutile pondus. ſic & in Theæteto Platon. ἄχθος γῆς, de homine nihili. vide Adagiū, numerus. *ſponſi Penelopæ.* ſic habent omnes manuſcripti. de Penelopa vide notata in Satyr. 5. lib. 2. *Alcinoique.* Alcinoi, vel eſt numeri multitudinis, id eſt, ſimiles Alcinoo, vt dicimus, Catones, Scipiones, &c. vel eſt numeri ſingularis in caſu gignendi, cum hoc quod ſequitur nomine iuuentus; nos ſumus iuuentus Alcinoi. *in cute curanda.* cutis propriè capitis eſt, κύτος κεφαλῆς; caput, capitis globus, os capitis vniuerſum, vt ſcribit Pollux. itaque curare cutem, erit curare caput, ornare, vngere, comere caput, vt & facies ſplendeat. ſic ſuprà epi. 1. curatus capillos potius quàm curtatus; vt ibi diximus. vel etiam, quod nō minus placet, eſt indulgere animo. ſic Ariſt. κύτος τῆς ψυχῆς, inte prete Gaza, id eſt, tota anima. & in Timæo, κύτος ἅπαν τῆς ψυχῆς, id eſt, totus animus. *pulchrum.* honeſtum. ſic ſuprà: qui quid ſit pulchrum &c. & proinde pro ſummo bono habitū ex Epicureorum ſententia. *in medios dor.* in meridiem, in multam lucem. Epicurei namque, cùm ex profeſſo nō accederent ad rem publicam gerendam, ne fortaſſis animus aliqua rei gerendæ moleſtia grauatus, minus eſſet ad genio indulgendum paratus, diei à ſummo reliquū dabant ventri & Veneri, edendo, bibendo, ſaltando. *ceſſatum ducere curam.* ad Græciſmum, ducere ceſſatum. i. ceſſare facere, παύειν τῆς φροντίδος, ἢ κοιμίζειν τὰς φροντίδας. aut ducere curas, id eſt, abijcere curas, ſeu nihil curare quàm ſtrepitum citharæ, ceſſatum, id eſt, ſopitum ſeu ceſſantem, id eſt, hoc vnicum curare ne ceſſet cithara. ſic enim 4. Faſtor. Ouid. largáque prouenit ceſſatis meſſis in herbis, id eſt, incultis, nō exercitatis, intermiſſis, διαλελειμμένοις: ſeu non curare aliud quàm amores, quibus ceſſatur, id eſt, qui coluntur alijs curis omiſſis. Bland. cod. hic habent, ceſſatum ducere ſomnum. Landinus (neſcio an ex ſcripto cod.) legit ceſſantum. iudicet lector. *vt iugulent homines.* hominem Bland. antiquiſſ. Criminatur iuuentutem tam ſupinam, ſuæque ſalutis ita immemorem, vt etiamſi poſſit ab imminenti malo, ſeque ſuáque ſeruare, nolit tamen expergiſci, ſeque periculis eripere; nam vt reipſa latrones de nocte in ædeis irruunt, iugulumq; vi magna petunt, theſauri gratia: ſic & vitia blandè ſtruunt inſidias, & clam obrepunt, vt animum labefactatum perimant. eia itaque expergiſcere, & obſiſte principijs, inquit, ne dulcedine voluptatis primū irretitus animus, poſtea vbi ſe volet eximere eius laqueis, omnino non poterit. *de nocte.* hoc eſt, per noctem. vt ad Q. fratrem Cic. properando etiam citius, quàm ſi de nocte vigilaſſent, perueniant quò velint &c. *atque.* pro atqui, Bland. antiquiſſ. *ſi noles ſanus, curres hydropicus.* ſic ſcriptum eſt in cod. 4. Bland. Nanniano, Buſlidiano, Tonſ. Sil. alij habent cum vulgatis, ſi nolis ſanus, cures hydrop. ſed lectio prior magis placet. cuius hæc eſt ſententia: ſi duces nihili ſanitatem præſentem, bonamq; valetudinem, ſed eam quauis intemperantia vitæ, inconſtantiáque perdere non metues, dum petulantiæ ſatisfacias; futurum eſt, vt eam turpiter amiſſam, magno ſtudio recuperare contendas conſultis medicis, multiſque potionibus ebibitis, non ſine periculo eius nunquam recuperandæ. hæc allegoria declaratur ſequenti verſu, *& ni poſces ante diem.* id eſt, niſi legendis ſedulò libris philoſophicis, animū tuū ſanū, & incōtaminatum declinabis

declinabis à vitiis, &, *ſi non intendes animũ ſtudijs*, hoc eſt, Philoſophiæ præceptis legendo, audiendoq́; imbutus, ſi te non dabis honeſtis occupationibus, boniſque moribus, bene in republ. agendo, ei bene conſulendo &c. *inuidia vel amore*. id eſt, quibuſuis malis animus implicitus, ac penitus fractus. *vigil*. hoc eſt, ſciens ac prudẽs, viuus, vidénſq; peribis. hic videat lector num hæc duo, poſces ante diem, & vigil torquebere, prius adoleſcentiæ, quæ rerum ignara in ſuis tenebris illuminari debet, poſterius ętati virili rectè tribui poſſit, quę vigilijs apta reipublicæ proſit. *nam ſi quid*. exaggeratio à minori: ſi tantopere laboramus in corporis malis depellendis, adeò vt ſi vel puluis tenuiſſimus lædat oculum, ſedulò damus operam vt eum tollamus; cur tam ſumus tardi in maximis animi morbis curandis? Cæterum 4. Bland. cod. cum Tonſ. Buſl. & Silu. habent, quid; alij quod: pręterea Blãd. 2. habent oculum; reliqui, oculos. *dimidium facti*. ſententia Heſiodica per procatalepſin exaggerationis præcedentis, ἀρχὴ ἥμισυ παντός, id eſt, principium dimidium totius. Monet Horatius ab agendo fortiter, deterreri neminẽ debere, tametſi initia rerum omnium, & honeſtatis præcipuè, ſint ardua, difficiliáque. quare hortatur acrius, aude ſapere, incipe, & perfeceris, nam dimidiũ facti eſt cœpiſſe, inquit Auſonius, ſuperſit dimidium, rurſum hoc incipe, & efficies. *ruſticus exſpectat*. à ſimili. *dum defluat amnis*. prętereũt horę, more fluentis aquę. *volubilis*. fluidus. *quæritur argentum*. nunc Philoſophiæ, & rei bene gerendæ ſtudio, explicat quid Romanis prius ſit & antiquius, nimirum pecunia & vxor liberorũ gratia, ad propagationem generis nobilitatíſq; poſterorũ. quod ei reſpondet, Quęrenda pecunia primũ, virtus poſt nummos. *beata*. beata, non hic ad diuitias illas pertinet à quibus diuites nominamur, quemadmodum Satyra vlt. lib. 2. Naſidienum beatum dixit; ſed beata hic eſt fera, puerpera vxor, felix in pariendo, nam prius, inquit, quęritur argentũ, deinde vxor beata, pueris creandis. ſed hanc curam demonſtrat eſſe ſtultam, à ſimili; nam vt ſiluæ incultæ pacantur vomere, id eſt, aratione & cultura fiunt fertiles, ita vxorem ducito, eamq́ue diligenter cole, & fecundã facies. ſic Virg. 3. Georg. nimio ne luxu obtuſior vſus ſit genitali aruo, & ſulcos oblimet inerteis. Tibul. li. 2. eleg. 3. Ducite ad imperiũ dominæ ſulcabimus agros. *quod ſatis eſt cui contigit, is nihil*. ſic habet codex Bland. vetuſtiſſimus, ſed per lituram; quod factum credo à ſciolo, quia codex idem habet cõtingit, cum altero Bland. alij duo habent contigit, cum Tonſa. Diuæi & Sil. alij contingit. hic oſtendit extremæ eſſe ſtultitiæ, quærere pluſquam ſatis eſt, quando ſolus is beatus eſt, qui ſua ſorte contentus viuit, ἄξιος μὲν ὁ ἀνὴρ ἐπαινεῖσθαί τε καὶ θαυμάζεσθαι, μάλιστα τῆς αὐταρκείας τοῦ βίου, inquit Polybius, id eſt, dignus quidem ille vir laude, & admiratione, potiſſimum propter frugalitatem, quodq́, ſua ſorte contentus viuat, quæ ſunt maximæ certiſſimæq́ue diuitiæ. *optet*. optare, & deos poſcere debet, modi potentialis. *non domus & fundus*. nam tantum abeſt, vt fortuita bona ſubleuent animi morbos, & ægritudines, vt eas magis augmẽtent cupiditate & metu domus & fundus, hoc eſt, ampla poſſeſſio. *æris aceruus & auri*. ingens pecunia; æs enim pecuniæ nomen eſt ſortitum, quòd Seruius id nota pecudum primus inſigniuit. *deduxit corpore*. Tonſ. cod. habet, duxit de corpore, quod ex interpretatione in eum locum irrepſiſſe crediderim. *febres*. alij febrẽ quoque, alij febrim habent. *ſi comportatis*. comportata bona ſunt fortuita, vel hereditaria, vel acquiſita; quæ verò ſunt animi, ea portata cenſemus, id eſt, vera bona, iuxta illud Biantis, omnia mea mecum porto. *qui cupit aut metuit*. aſſertio præcedentis ſententiæ; nam cupere aliena, & metuere ſuis, vt eſt auari, ita non eſt cogitantis bene, id eſt, tranquillè, vti ſuis. *iuuat*. delectat, & recreat. *domus & res*. ſic ſcriptum eſt in omnibus codicibus, à quibus non diſſentiendum credo. *vt lippum*. appoſitiſſimæ ſimilitudines, à rebus ipſis, quæ mitigant quidem quod ægrè eſt, ſed ipſum malũ non tollunt. *ſincerum eſt niſi vas*. axioma perpetuum, quaſi clauſula dictorum; ſic in impuro animo, vitiatóque virtus locum nõ habet, aut eã neceſſe eſt hebeſcere, aut perire. *nocet empta dolore vol*. αἰτιολογία, à cauſa finali. ſed quonam modo voluptas emi poteſt dolore, cui ex diametro repugnat? in illa namque ſummũ bonum ſtatuunt Epicurei, in hoc verò malum ſummum. non alio certè modo quàm à conſequente, quòd eiuſcemodi voluptatẽ, quæ impura eſt, dolor ſubſequitur & mæror; at voluptas, quam per virtutem laus comitatur, cum immortalitate, labore certè paratur & rei bene gerendæ ſtudio: hæc quidẽ ſui ſtudioſos, felices, beatóſque; illa verò amãteis ſui, miſeros & infelices efficit, vt ait Menander, ὡς πολλὰ διὰ τὰς ἡδονὰς λυπούμεθα. hoc eſt, quàm frequenter propter voluptates mærore afficimur? *ſemper auarus eget*. enumerat aliquot vitiorũ parteis, vt in nullis oſtendat vitæ ſtatum eſſe certum & tranquillum. auaro nulla quies eſt, ei namq; tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. ſic Ode 16. li. 3. Creſcentẽ ſequitur cura pecuniam, maiorumq́ue fames. *certum finem*. quia auaritia infinita eſt; & inſatiabilis, quia nec augetur copia, nec minuitur inopia. conſulit itaque vt certã ſibi copiã præſcribat, in qua poſſit acquieſcere. *pete voto*. optato à dijs immortalibus vt habendi ſitim ſedent, animumq́ue

numque tranquillent. *inuidus alterius.* eſt enim inuidia, ægritudo ſuſcepta propter alterius res ſecundas, quæ torquet & exſiccat oſſa eius qui inuidet. ô virtutis inuidia, comes (in rhetor. Cic.) quę bonos inſequeris plerumque atque adeò inſectaris! *macreſcat.* fit macer, & extenuatur *opimis.* ſecundis & fortunatis. *inuidia Siculi.* hic inuidia pro inuidentia ponitur: vide in Tuſcul. Cic. quæ ſic ab inuidia diſcrepat, quòd hæc quidem non auctori modò ſuo, ſed etiam alijs malo eſt, præcipuè viris bonis: at inuidentia, in eum demum redit, à quo proficiſcitur. eſt enim inuidia, inuidendi actus; inuidentia verò, ipſa ægritudo. *qui non moderabitur iræ.* eſt autem ira libido puniendi eius, qui videtur læſiſſe iniuria. Cic in Tuſcul. *dolor & mens.* hoc eſt, mens affecta dolore, quæ ira eſt, quippe mens irata, ſeu perturbata. *per vim.* propter animi vehementiam. *ira furor breuis eſt.* ira pro excandeſcentia capitur, quæ vel χόλος ἢ χόλον, vel ὀργὴ Græcis nominatur, quando ſcilicet animus iam cupit in vindictam erumpere, quod ferè eſt momentaneum. *animum rege.* τὸν θυμὸν, qui propriè eſt perturbatio illa appetitus, quando ſanguis circa cor motus incipit ebullire, qui ratione cohibendus eſt, priuſquam efferbeat: tres enim τῆς ὁρμῆς partes lib. 1. magnorum moraliũ numerantur ab Ariſt. θυμὸς, ἐπιθυμία, καὶ βούλησις, id eſt, furor, interprete Valla, concupiſcentia, & voluntas. Cic. Offic. 3. de temperantia, Duplex, inquit, eſt animorum vis atque naturæ: vna pars in appetitu poſita eſt, quæ eſt ὁρμὴ Græcè, quæ hominem huc atque illuc rapit; altera in ratione, quæ docet, & explanat, quid faciendum fugiendumque. ita fit vt ratio præſit, appetitus obtemperet. *qui niſi paret.* obediat rationi, cùm videlicet aut præcurrit, διὰ τὴν θερμότητα, aut rationem deſerit, δι' ἀθυμίαν. ἢ ῥᾳθυμίαν. *imperat.* rationem ſubuertit, ſecumque rapit in præceps. *hunc frenis.* fertur enim homo, Platone teſte, quatuor perturbationibus, vt equis indomitis, quibus inijcere frena rationi neceſſe eſt, ad moderamen in rebus agendis conſeruandum. *catena.* aliqui codices habent catena, alij catenis; ſed parum intereſſe credo. *ceruice tenera.* flexili, ætate tenera. *magiſter.* ἱππόδαμος, ἱπποκόμος, equiſo, equorum domitor. *ire viam.* ingredi. *qua.* ſic codex Sil. Mart. & vera eſt lectio. *ceruinam pellem latrauit.* lattando diſcerpſit, quãdo videlicet poſt ceruũ captũ, ex inteſtinis eius, & ſanguine, immixto pane cibus pelli inſutus venaticis proponitur, quod vulgò dicitur, *faire la curie.* *militat.* feras ſectatur canis. *nunc adbibe puro.* redditio comparationis, qua monet ab infantia præceptis optimis imbuendum puerum, vt in eis ſeſe exerceat, vbi ad ætatem maturam peruenerit. adbibe, habent omnes ſcripti codices, non adhibe, vt quidam vulgati, non rectè. *quo ſemel eſt imbuta.* tale eſt illud Platonis, κεφάλαιον γὰρ ὀρθῆς παιδείας ὀρθὴ τροφή, καὶ κυριώτατον ἐμφύεται παισὶ τὸ πᾶν ἦθος δι' ἔθος. nam ſi natura ad rectiora aſſueſiat, remittit aliquãtulum & miteſcit: ſi obriguit ætate, & velut occalluit, poſtea adeò in contrarium traduci nequit, vt frangatur citius, quàm flectatur aut manſueſcat: iccirco ad Nicomachum lib. 2. moralium Ariſt. οὐ μικρὸν, ἔφη, διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ τὸ παμπολὺ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. id eſt, non itaque parui refert, hoc an illo pacto, mox à pueris aſſueſieri, imò plurimum intereſt, imò potius omne in eo momentum ſitum eſt. ſed naturarum diuerſitas non ignauum aliquem, aut ſtupidum formatorem requirit: alia namq; mollis eſt, flexiliſque; alia contrà ſtupida eſt, planéque dura: quæ ſingulæ analogam ſibi diſciplinam poſtulant, qua elaborentur, ac limentur. qua in re nunc vulgo à parentibus erratur turpiſſimè, quemadmodum nimiſquàm ſedulò demonſtrat Plutarchus, in De recta educatione. eò quoq; fertur Horatius, inquiens; *quod ſi ceſſas nec tardum opperior, aut ſi ſtrenuus anteis, nec præcedentibus inſto.* hoc eſt, ingenia tardiora, quæ magno labore ſtudióque ſunt emollienda, ne obſint alacrioribus, & rurſum meliore natura præditi, promoueantur alacriùs, & vtriuſque diligens habeatur ratio, huius quidem vt laudibus euehatur, illius verò vt propoſitis pręmijs ad labores ſuſcipiendos inuitetur. tale quid eſt quod Epiſt. 2. li. 2. ſcribit, Non tamẽ aduerſis ætatem ducimus auſtris, viribus, ingenio, ſpecie, virtute, loco, re, extremi primorum, extremis vſque priores.

EPISTOLA III.

AD IVLIVM FLORVM.

IVLI *Flore, quibus terrarum militet oris*
Claudius Auguſti priuignus, ſcire laboro.
Thracane vos Hebrúſque niuali cõpede vinctus,
An freta vicinas inter currentia turreis:
An pingues Aſia campi colléſque morentur?
Quid ſtudioſa cohors operum ſtruit? hoc quoque curo.
Quis ſibi res geſtas Auguſti ſcribere ſumit?
Bella quis & paces longum diffundit in æuum?
Quid Titius Romana breui venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus,

Faſtidire lacus, & riuos auſus apertos:
Vt valet? vt meminit noſtri? fidibúſne Latinis
Thebanos aptare modos ſtudet auſpice muſa?
An tragica deſæuit, & ampullatur in arte?
Quid mihi Celſus agit? monitus multúmque monendus,
Priuatas vt quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo:
Ne, ſi fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum
Furtiuis nudata coloribus. ipſe quid audes?
Quæ circum volitas agilis thyma? nõ tibi paruum
Ingenium eſt: non incultum eſt nec turpiter hirtum.
Seu linguam cauſis acuis, ſeu ciuica iura
Reſpondere paras, ſeu condis amabile carmen:
Prima feres ederæ victricis præmia. quod ſi
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes:
Quò te cæleſtis ſapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc ſtudium parui properemus, & ampli:
Si patriæ volumus, ſi nobis viuere cari.
Debes hoc etiam reſcribere, ſit tibi curæ
Quantæ conueniat Munatius. an malè ſarta
Gratia nequicquam coit, & reſcinditur? at vos
Heu calidus ſanguis, heu rerum inſcitia vexat,
Indomita ceruice feros: vbicumque locorum
Viuitis, indigni fraternum rumpere fœdus,
Paſcitur in veſtrum reditum votiua iuuenca.

COMMENTATOR.

IVLI *flore quibus terrarum.* Iulius Florus ad quem hæc ſcripta mittuntur, fuit in cohorte, id eſt, inter comites Claudij Tiberij Neronis, qui ab Auguſto imperium accepit. *quibus.* in quibus. *Claudius* Claudius Tiberius Nero. *Auguſti.* Cęſaris. *priuignus.* Auguſtus ex Liuia duos priuignos habuit, quos adoptauit in ſuã familiam, ſcilicet; Claudium Tiberiũ Neronem, & Claudium Druſum Neronem, amicos Horatij. *laboro.* deſidero. *Thraca.* Græcè protulit Θρᾴκη pro Thracia. *Hebrúſque.* ſupp. moretur, ἀπὸ κοινοῦ. Hebrus autem eſt Thracię mons & fluuius, qui meatu tardior eſt per hiemem propter niuem, & glaciem. *niuali compede.* niue ſtrictus. *an freta vicinas.* hoc eſt, an Helleſpontus detinet te. *turreis.* inter Seſton & Abydon. Luc. tot potuere manus adiungere Seſton Abydo. turreis pro vrbibus Helleſponti poſuit. *an pingues Aſiæ c.* hinc dictum eſt, Et ipſa ſuas mirantur Gargara meſſeis. *ſtudioſa cohors.* litterata. laborioſa Druſi legio, in qua cohors erat prætoria de familia Neronum, qui litterarum erant amantes. *hæc quoque curo.* ſcire laboro. *res geſtas.* hiſtoriam rerum geſtarum Auguſti. *ſumit* præſumit. *bella.* ab Auguſto confecta. *paces.* nouè dixit quia Grammatici negant in plurali numero declinari. *diffundit in æuum.* memoriæ tradit. *quid Titius.* Titius Septimius lyrica carmina & tragœdias ſcripſit, Auguſti tempore; ſed libri eius nulli extant. huius autem inſigne monumentum eſt infra Ariciam. *venturus in ora.* magnæ auctoritatis futurus apud Romanos breui tempore. *Pindarici fontis.* id eſt, non extimuit Pindarici ſtyli magnitudinem ſequi, auſus faſtidire ingenia vulgaria, ac vilia. *fontis.* ſenſus profunditatem. *expalluit.* extimuit. *faſtidire* contemnere. *lacus.* ſcripta. *auſus.* ipſe. *riuos apertos.* Latinos Poëtas minùs difficileis *vt.* quomodo. *fidibúſne Lat.* carmine lyrico. *Thebanos.* Pindaricos. *auſpice.* auſpiciũ dante, fautrice. *aptare.* neceſſe eſt vnicuique Poëtę aptos ſuo poëmati ſuſcipere modos. *ſæuit & amp.* ſuperbit, extollitur, granditer dicit; vt, proijcit ampullas. *priuatas vt q.o.* vt propria ſcripta proferat, nec aliena pro ſuis oſtentet. *tangere v.* ne excerpat ex ſcriptis eorum librorum, qui in bibliotheca Palatina conditi, in auctoritatem à Cæſare ſunt recepti. *Palatinus.* Palatinus autem Apollo dictus eſt, à monte Palatino, vbi Cæſar in bibliotheca ſibi ſtatuam poſuerat, habitu, ac ſtatu Apollinis; vbi & libri Sibyllini erant. monet etiam ne libros Sibyllinos legat. *grex auium.* metaphoricôs dictũ pro cohorte poëtarum. *cornicula.* ponitur abuſiuè pro graculo. eſt autem fabula: Cornicula, conſiderato nigrore ſuarum plumarum, de omnibus auibus ſibi plumas adaptauit: ſed cùm incepiſſet volare, & vnaquæque auium quod ſuum cognouiſſet, ab ea ſuſtuliſſet, illa nuda, & turpis, omnibus auibus riſui fuit. ſic & Celſo futurum prædicit, quando vnuſquiſque Poëta tollet quod ſuum eſt. *cornicula.* ipſe Celſus cornicula. *coloribus.* plumis variorum colorum. *ipſe.* tu ô Iuli. *agilis.* facilis, ingenioſus. *quid audes.* quas lectiones modò ſequeris, quid legis, quid meditaris? comparat autẽ apibus ſcriptorem bonorum carminum. *thyma.* flores vnde apes mel colligunt. *hirtum.* ruſticum. *cauſis.* in iudicijs, in foro. *ciuica iura.* ciuiles leges interpretari. *amabile carmen.* amatorium. *prima feres.* primam coronam. *frigida fomenta.* auaritiã, ambitionem, quæ reddunt hominem ad bene agendum planè frigidum. *cæleſtis ſap.* Philoſophia.

hoc opus. ad hoc opus omnes feſtinemus. *parui.* pauperes. *ampli.* diuites. *ſi patria.* ſi rectè viuere velimus. *debes hoc etiam re.* mirè, quaſi etiam aliæ cauſæ ſcribendæ ſint, quàm reconciliationis. *ſit tibi cura.* ſupp. tantæ. *quanta conue.* deceat, oporteat. *Munatius.* frater. *malè ſarta.* perfidè reconciliata. *coit.* conuenit, coniungitur. *reſcinditur.* euaneſcit. *calidus ſ.* iuuenilis diſcordia. *inſcitia.* imperitia, ignorantia, quia expertes eſtis Philoſophiæ. *vbicumque locorũ.* admonet Philoſophiæ, quæ vnica mores format. *votiua iuuenca.* quam immolabo vobis reducibus. Lyrici iuuencum immolabant; Tragici hircum; Poëtæ taurum.

CRVQVIVS.

FAMILIARIS eſt hæc Epiſtola, cuius argumentũ præcipuum videtur notare Florum partim moroſi cum fratre Munatio diſſidij, partim nimiæ leuitatis in reſcindenda concordia cum fratre inita, quod fraterna caritate indignũ dolet. Verùm multis prius ambagibus quã eò perueniat, captat attentionem Flori beneuolentiamque: primum namque ex eo ſcire deſiderat, vbi nam gentium ſint Claudij Neronis caſtra, deinde, ecquid agant ſui commilitones, quibus litterarum ſtudiis ſeſe inter arma exerceant, quid Titius, lyricis ne, an argumentis tragicis det operam; quid Celſus, an tandem futurus ſit Æſopicæ corniculæ ſimilis? Poſtremò benignum ſibi Florum facere ſtudet, ab ingenij ipſius bonitate, ab vſu forenſi, à legũ peritia, à molli carmine, adeò vt ei dicat eſſe in promptu, ad intima Philoſophiæ myſteria penetrare, æternamq́ue parare gloriam, ſi non obſtent inutileis, penitúſque frigidæ rerum curæ ambitioſæq́;. *oris.* oræ, extremæ parteis terrarum, id eſt, maritimæ dicuntur Feſto. *priuignus.* ex Liuia Druſilla, quam prægnantem abduxit. priuignus itaque non eo modo quo Paulus definit, dictus eſt, non enim ante, ſed poſt ſecundas nuptias genitus eſt. *turreis.* Strabo lib. 13. è Byzantio Septentrionem verſus nauigantibus, recta nauigatio primo eſt Seſtum & Abydum per mediam Propontidem, poſtea eſt Aſiæ ora vſque in Cariam. Abydo autem Leandri in Aſia, Seſtus in Europa nobilis Heronis amore eſt oppoſita: de quorum inter ſe amore lege Muſæum. Cæterũ quia nauigantibus Helleſpontum (quæ freta hic nominat inter vicinas turreis currentia) harum vrbium turreis primũ ſunt in oculis, eas turrium nomine complexus eſt; interim lectorem non celabo Blandinium cod. vetuſtiſſimum cum Siluio hic habere, terras; quæ lectio ſi placebit, vt certè diſplicere nõ debet, terras interpretabimur regiones Europam & Aſiam, quas Helleſponticum mare diuidit. *an pingues Aſia.* an Aſiæ fecunditas, amœnitáſque vos detinet, vel pugnandi difficultatem exhibet. *quid ſtudio.* hactenus de caſtris Claudij Neronis, quo loco ſita ſint; nunc de commilitonum ſtudiis, exercitiiſque dum ſint in ſtatione. *curo.* ſtudioſè diligentérque perquiro. *res geſtas.* res geſtas Auguſti ſcribere, eſt bella, & paces eius diffundere in æuum, id eſt, ſcripto tradere poſteris ad immortalitatem. cod. Tõſ. habet, *pacem*, prętereà hęc verba, morantur, ſtruit, ſumit, diffundit, habet, *morentur, ſtruat, ſumat, diffundat*, non ineptè, vt mihi videtur, nimirũ vt conſentiant ei *militet*, quod in omnibus ſcriptis vulgatiſque eſt vniforme. iudicet lector peritus. *quid Titius.* ſcripta omnia Bland. (vt in Commẽtatore ſcriptum cernere licet) hic habent Titius Septimius; quę ſi vera ſunt, vt certè nõ dubito, hallucinari neceſſe eſt Gregorium Gyraldum Poëticarũ hiſtoriar. lib. 10. qui Titium ſeiungens à Septimio, facit non procul abfuiſſe à Statio, cuius & fragmenta quædam recenſet ex Grammaticis (ni fallor) Diomede & Terentiano. diiudicet lector doctus. *venturus in ora.* poſt reditum recitaturus ſua ſcripta cum magno Romani populi applauſu, vel qui ob ſua ſcripta laudabitur à populo Romano. *hauſtus.* liquores fontis Pindarici, id eſt, fluidam Pindari eloquentiam, cum ſententiarum diuina ſuauitate inuitari. *expalluit.* expauit. *lacus & ri.* communia & quibuſuis obuia, inuentúq; facilia. *vt valet, vt meminit n.* hæc plena ſunt amoris beneuoli. *aptare modos.* modulari verſus Pindari Gręcos cithara Latina, id eſt, Latinis numeris. *deſæuit & am.* an ſæuos, & crudeleis mores principum, verbaq; magnifica tragicôs exprimere ſtudet? *monitus.* monemus iure quodam noſtro & auctoritate, hortamur ferè argumentis. *opes.* pro inuentione diſpoſitionéque, quæ ſunt opes ſcriptoris. *cornicula riſum.* vide Adagiũ, Aeſopicus graculus. *thyma.* thymum. thymus vulgo herba ſuo flore apibus grata. hic pro ſcriptis doctorum virorum capitur. *non paruum.* magnum, per litoten. *turpiter hirtum.* non aſperum ſed placidum. *ciuica iura.* ius ciuile Romanorum. *reſpondere.* hinc ſunt reſponſa prudentum apud iuriſperitos. *frigida cur. fomenta.* nutrimenta. pereleganter diuitias & opes ait eſſe fomenta frigida, alludens ad frigoris naturã, quod ſimul & grauat & tardat feſtinantem, humíque deprimit. *caleſtis ſapientia.* quę frigidis curis contraria facit animos incaleſcere, ſecumq́; ſui ſtudioſos rapit ad ſuperos. *ſi patria vol. ſi no.* ea namque ſapientia docet quid patriæ debemus, quid nobis, quid propinquis, & amicis, vt περὶ καθηκόντων libri docent. Sic in Epiſtola ad Piſones, Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis,

amicis,&c. *ſit tibi cura.* ſic habent omnia ſcripta quæ vidi, ſine vlla macula. quare ſic legendũ cenſeo per ellipſim, ne, hoc modo, ſit ne Munatius tibi tantæ curæ, quantæ conueniat eſſe. *ſarta.* inſtaurata. *heu calid. ſang. heu re.* ſic omnes ſcripti cod. præter Diuæi, qui vulgatos ſequitur; ſed mihi probatur plurium lectio. *rerum inſcitia.* ſtultitia. *indomita.* dura, nondum vſu, & experientia rerum emollita; metaphoricôs à bobus aut equis nondum domitis iugo. *indigni frater.* quos indignũ eſt, nec decet rumpere amicitiã fraternam.

EPISTOLA IIII.

AD ALBIVM TIBVLLVM.

ALBI, noſtrorum ſermonum candide iudex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere, quod Caſsi Parmenſis opuſcula vincat?
An tacitum ſiluas interreptare ſalubres,
Curantem quicquid dignum ſapiente bonoq́ eſt?
Non tu corpus eras ſine pectore. dij tibi formam,
Dij tibi diuitias dederunt artemq́ fruendi.
Quid voueat dulci nutricula maius alumno,
Quàm ſapere & fari vt poſsit quæ ſentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus non deficiente crumena?
Inter ſpem, curámque, timores inter, & iras
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.
Grata ſuperueniet, quæ non ſperabitur, hora.
Me pinguem, & nitidum bene curata cute viſes:
Cùm ridere voles Epicuri de grege porcum.

COMMENTATOR.

ALBI noſtrorum ſermonũ. hac Epiſtola Albium Tibullum alloquitur elegorum ſcriptorem, qui videbatur libros Sermonum multum laudare. fuit autem criticus ſcriptorum Horatij. *candide.* integer, verax, pure, ſine fuco, ſine fallacia *Pedana.* hæc regio inter Tibur, & Preneſte fuit, à Pedano quodam, cuius adhuc monumentũ dicitur extare. vel ab Italiæ oppido Pedo, quod non longè fuit ab vrbe, ſed modò nõ eſt. *Caſſi Parmenſ.* hic aliquot generibus ſtylum exercuit, inter quæ opera, elegi, & epigrammata laudantur, hic eſt qui in partibus Caſſij & Bruti Tribunus militũ fuit, quibus victis Athenas ſe contulit. Quintus autem Varus ab Auguſto miſſus vt eum interficeret, ſtudentem reperit, & peremto eo, ſcriniũ cũ libris tulit; vnde multi crediderunt Thyeſtem Caſſij Parmenſis fuiſſe, ſcripſerat enim multas alias Tragœdias. *interreptare.* verſari. *ſalubreis* amœnas. *ſine pectore.* ſapientia. *dederunt.* media ſyllaba breui. *ſapiente.* qui ſolus ſcit moderatè ſuis vti bonis; quod aut luxurioſo per incontinentiam, aut auaro per abſtinentiam negatum eſt. *dij tibi diuitias.* contra Epicureorum ſententiam, qui negant deos aliquid curare. *quid voueat.* optet maius, & melius ſuo alumno, niſi vt ſapere, & fari poſſit. *valetudo.* ſanitas & robur corporis. *mundus victus.* moderata vita. *crumena.* ſacculo numario, id eſt, patrimonio, ἀπὸ τοῦ κρεμάζω. *inter ſpem.* ſpes eſt futurorũ bonorum, cura præſentium, timor futurorum malorum, ira ſeu dolor præſentiũ. *omnem crede diem.* hoc eſt, quotidie puta te moriturum, & ſic non curabis futura. *viſes.* quandocumque venies vt me videas, inuenies bene paſtũ. *porcum.* in ventrem pronum, corpori inſeruientem, vt ſuprà, fruges conſumere nati. *Epicuri.* Epicurei ſummum bonum in voluptate ponebant.

CRVQVIVS.

ALBIVM Tibullum ſciſcitãdo ecquid agat in villa ſua & ſolitudine Pedana, multa ne ſcribat, an potius philoſophetur, ſatis indicat eum ſe mæſtiorem ſolari velle, vt qui non debeat aliud curare, quàm quod viro ſapiente bonóq; dignum eſt, eò quòd ipſi nihil ad vitam beatam deſit, non corporis, non fortunæ, non animi bona, denique non quicquid parentes liberis, nutrices alumnis ad felicem vitæ ſtatum pijs precibus optare ſolent, ſi fortaſſe perturbatiora nonnunquam ſint humana, interque ſpem metumq; nos ea grauius exerceant; contra eiuſmodi turbas præſens ait eſſe remedium, mortis in dies ſingulos meditationem, eóque modo, nos quidem aduerſa leuius, proſpera verò hilarius eſſe laturos gratiúſque. Quod vt experiatur, eum ad ſe inuitat, vt oblitus omniũ malorum ſecum rideat, ſuóque exemplo vitam inſtituat. *Albi noſtrorum ſerm.* exorditur à iudicij ipſius candore gratitudinis ergô, ad captandã beneuolentiam. *candide iudex.* qui noſtros ſermones nõ maleuolè vel interpretaris vel accipis, fortaſſe propter filium inopiæ poſt prodigalitatẽ notatum Satyr. 4. lib. 1. idque, vt arbitror, nimia patris indulgentia; quo factum credo, vt pater ipſe Tibullus nunc indigentior coactus ſit in villa ſua viuere anguſtiùs. hic omnino neceſſe vt lectori meum ſcrupũm communicem, qui me inducit vt credã non Tibullũ, qui in manibus eſt, hunc eſſe cui ſcribit, annis viginti Horatio iuniorẽ, ſed eius potius auũ; nã Ecloga 4. li. 1. dicit à patre ſe puerũ à vitijs deterritũ Albij filij exemplo fortaſſe patris

Tibulli

Tibulli noſtri Elegiographi, ad quem forſitan ſcripta eſt Ode 33. li. 1. *Pedana*. Pedanorum meminit Plin. lib. 3. cap. 5. Siluius cod. cum Mart. habet Padana. *ſcribere quod Caſſi.* hoc eſt, an nihil quàm ſcribat, numeroſior Caſſio Parmenſi, de quo Satyr. 10. lib. 1. ſed hæc ironicôs dicta crediderim, quód non ignoraret eum ſeceſſiſſe perturbationis alicuius leniendæ gratia. *an tacitum.* φιλοσοφοῦμενον deambulare, corpúſque recreare vmbras captando ſalubreis. *reptare.* vt ſolent cogitabundi, & non bene affecti. *curantem.* agentem quod decet virum ſapientem bonumque qui ſe rebus aduerſis non ſinit deijci, nec proſperis nimis efferri, qui ludicra fortunæ pro nihilo pendens, ſuis ſe bonis animi ſolatur, & reficit. *bonóque.* vnus cod. Bland. habet, bonumque. *non tu corpus eras.* monet Albium ab animi bonis, corporis, & fortunæ, à Deo acceptis, vt moderatiùs ſui rationẽ habeat, incommoda vitæ patientiùs ferat, diuitiíſq; fruatur artificioſiùs. *eras.* enallage temporis, pro es, quod eſt Græcis peculiare ἦν, pro ἐστί, vt ſententia ſit; Non cares mente, nõ es excors, dij tibi dederũt ſapientiam, formã, bonã, diuitias, & artem fruendi, prudentiam, qua tuis vti, tua diſpenſare poſſis & adminiſtrare prudenter, quid eſt, quod amplius deſideres? non optet maius nutricula dulci alumno, quàm vt ſapere poſſit, & fari quæ ſentiat. deinde vt ei gratia, fama, valetudo cõtingat abunde &c. *ſine pectore.* vide Adagium, corpus ſine pectore. hoc eſt, tu non es corpore brutum, ſed habes pectus, διάνοιαν, (continens pro contento,) & humanam formam. *dederunt.* hanc lectionem probat Commentator, nec aliter inueni in omnibus ſcriptis, præter Mart. qui legit, dederant, cum vulgatis aliquibus; quam non reprobo. *artemq́; fruendi.* tuis diuitijs: periphraſis τῆς οἰκονομίας. *quid voueat.* vouere poſſit. *maius.* amplius. *quàm ſapere, & fari vt poſſit quæ ſentiat.* hoc eſt, ſapienter effari, & eloqui ſua ſenſa; quod eſt corporis cum pectore, quod habere ſupra dixit Albium. *& cui contingat.* id eſt, contingere poſſit. *gratia.* humana beneuolentia, hominũ amicitia. *fama.* nobilitas ex bene factis. *valetudo.* ſanitas, quæ tria cum multis alijs ferè ſunt corporis bene formati ſeu formoſi comites, quod in Albio ſuprà laudauit. *& mundus victus* id eſt, diuitiæ frugales, neque ſumtuoſæ, neq; ſordidæ. *non deficiente crumena.* hoc eſt, cum arte fruẽdi, vt ſuprà, quę ars οἰκονομικὴ, curat vt ſemper ſatis ſit, ita vt neque nimis abundet familia, neq; ad moderationem ei deſit aliquid. hæc loci huius mea eſt ſententia & interpretatio; quã propter ſimplicitatem, ſpero lectori docto iri probatum. interim non diffiteor codices hic non conſtare. Bland. 4. habent, *qui ſapere & fari poſſit, quæ ſentiat, & cui.* &c. quam lectionem Lambinus poſtremùm ſequitur. Tonſ. habet, *quin ſapere &c.* reliqui omnes, *quàm ſapere & fari vt poſſit, quæ ſentiat, & cui &c.* à qua non diſſentio propter verborũ perſpicuitatem, & ſententiæ conſecutionem: oſtendit enim prius ea omnia in Albio eſſe quæ poſtea nutricula quæuis ſuo alumno, imò parentes omnes ſuis caris liberis optare poſſent tam animi, & corporis, quàm fortunæ commoda. Nutricum vota pereleganter, ſed ea ſtulta, Perſius exprimit Satyr. 2. Tunc manibus quatit (auia nutrix) & ſpem macram ſupplice voto, nunc Licini in campos, nũc Craſſi mittit in ædeis, hunc optet generum Rex & Regina, puellæ hunc rapiant, quicquid calcauerit hic, roſa fiat, &c. *inter ſpem curamq́;.* videt Albium multum dare ſuis affectibus, eumque vano ſæpè metu aut dolore concuti, valdéque eſſe ſollicitum, vt quæ vel vrgent mala, vel impendere videntur effugiat, minúſue lædant: iccirco peropportunum præſcribit ei pharmacum, vt eiuſmodi motus grauiores eximat animo, faciliúſque compoſitis ſenſibus tranquilliúſque viuat; nimirum vt quotidie cogitet ob oculos verſari mortem, quam ſi non metuet, magnum ſibi præſidium ad beatam vitam parabit: neque enim cætera quoque vel morte duriora timebit, ad quemuis euentum imperterritus, qui ſi lætus erit, quò minus expectatus, eò fuerit gratior. licet hunc quoque locum dicere, non diſſentire ab Epicureorũ monitis, nolléque Horatium perturbationibus vllis inuolui Albiũ, ne curis grauatus animus, minus reddatur alacer ad curandam cutem; ſed hortatur in diem viuat, oblatis à diis, ſeſe delicijs expleat, curet præſentia, cras ſe non victurum credat; qui ſi præter ſpem lætus quoq; illuceſcat, eum in lucro ponat; quod ſi perpetuò faciat, non eſſe cur in vita ſit miſer, & ſe cruciet: dicit autem ſe non aliter agere. *me pinguem.* inquiens. *& nitidum bene curata cute viſes.* ſed hi poſtremi verſus Albio riſum faciunt, ad eius fortaſſe tædium diſcutiendum. *pinguem.* bene habitum. *nitidum.* elegantem & ſucci plenum. *curata cute.* vide Epiſt. 2. in cute curanda &c.

EPISTOLA V.

AD TORQVATVM.

SI potes Archaicis conuiua recumbere lectis,
Nec modica cœnare times olus omne patella:
Supremo te ſole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes iterum Tauro diffuſa, paluſtreis
Inter Minturnas Sinueſſanúmque Petrinum:

Si melius

Si melius quid habes, arceſſe, vel imperium fer.
Iamdudũ ſplendet focus, & tibi munda ſupellex.
Mitte leueis ſpes, & certamina diuitiarum,
Et Moſchi cauſam. cras nato Cæſare feſtus
Dat veniam, ſomnumq; dies. impune licebit
Aeſtiuam ſermone benigno tendere noctem.
Quò mihi fortunas, ſi non conceditur vti?
Parcus ob hæredis curam, nimiumq; ſeuerus
Aſsidet inſano. potare, & ſpargere flores
Incipiam: patiárque vel inconſultus haberi.
Quid non ebrietas deſignat? operta recludit:
Spes iubet eſſe ratas: ad prœlia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit: addocet arteis.
Fecundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?
Hæc ego procurare & idoneus imperor, & non
Inuitus: ne turpe toral, ne ſordida mappa
Corruget nareis: ne non & cantharus, & lanx
Oſtendat tibi te: ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet: vt coëat par,
Iungatúrque pari. Brutum tibi Septimiúmque,
Et niſi cœna prior potiórque puella Sabinum
Detinet, adſumam. locus eſt & pluribus vmbris.
Sed nimis arta premunt olidæ conuiuia capræ.
Tu, quotus eſſe velis, reſcribe: & rebus omiſsis
Atria ſeruantem, poſtico falle clientem.

COMMENTATOR.

S I *potes archaicis conuiua.* Ad Mallium Torquatum, quem inuitat ad cœnam, ſcribit hanc Epiſt. ad quem etiã illam oden, Diffugere niues, redeunt iam gramina campis &c. *archaicis.* Archaici lecti erant breues, & humiles, ab Archiico ſic dicti. qui non magnæ ſtaturæ fuiſſe dicitur vilium lectorum faber *olus omne.* qualecunque. vt dicere ſolemus novomne vinum bibere . ſic & primo ſermonū. per omne audaces mare qui currũt, id eſt, qualecumque, æſtiuũ, autumnale, hibernũ. *ſupremo te ſole.* occidente, ad veſperam. aliâs ſupremo; id eſt, altiſſimo, & medio; vt prô ſupreme Iupiter. & alibi; nam mihi quærenti conuiuam, dictus heri illic de medio potare die. *manebo.* expectabo. *iterum.* ſupp. conſule. *diffuſa.* expreſſa. *paluſtreis.* Minturnæ dicuntur paluſtres, ab ingenti palude iuxta Minturnas, vbi Marius etiã latuit. *Sinueſſ. Petrinum* Petrinus mons eſt, Sinueſſanæ ciuitati imminẽs, vel ager Sinueſſę vicinus. *arceſſe.* ſup. ad me. *vel imperiũ fer.* Quare hoc? quia anteà paſcentes reges appellabantur. vnde qui Senatui cœnam poſt triumphũ dabant in Capitolio, Conſulem vel dictatorem rogabant, ne ad cœnam veniret, ſe illis quod ederent domũ miſſuros, ne illos, non vt reges domũ à Senatu deduci, illis præſentibus neceſſe eſſet. vel aliàs, patere me regem eſſe conuiuij, hoc eſt, vel accerſe ad te me, vel ſine me regem tibi imperare. *& tibi.* in honorẽ tuũ. *mitte.* omitte. *leueis ſpes.* rerum humanarũ hoc eſt, cogitationes fallaceis. *certamina.* quibus certamus anteire ditiores. *Moſchi cauſ.* Moſchus nomẽ eſt rhetoris Græci, qui accuſatus fuit ſuſcepti veneficij, cuius cauſam Torquatus agebat, fuit enim Torquatus cauſarum patronus. *cras nato Caſ.* natalis dies Auguſti fuit 9. kal. Octob. *æſtiuam.* breuem. *benigno.* familiari *quô.* ad quid prodeſt. *aſſidet.* ſimilis eſt. *ſpargere.* lætitiæ cauſa. *vel* etiã. *inconſultus.* ſtultus. *deſignat.* facit. *operta.* ſecreta. *recludit.* aperit, palam facit. *ratas.* certas & firmas, quia ebrij magna ſperant, & ea ſibi certa pollicentur. *onus.* curarum. *addocet arteis.* docet faſtuosè loqui ebrium, & vino exhilaratum. *contracta.* anguſta. *imperor.* finxit ex Græco, κελεύομαι. ſicut in arte Poëtica, inuideor, φθονοῦμαι. *non inuitus.* voluntarius. *corruget nareis.* moueat faſtidium; nam quoties aliquid nos offendit in odore, nares contractæ rugam faciunt. *cantharus.* ſignificat ſe habere vaſa nitida, in quibus ſuam imaginẽ quis quaſi in ſpeculo poſſit cernere. *lanx.* diſcus. *foras elimine*t. foras, & extra limen domus efferat. *Brutũ tibi Sep.* procurare imperor. *tibi.* in gratiam tui. *Brutam.* puellam, vel vt alij, *Butram.* *Septiciúmque.* conuiuarum ſunt nomina. *prior.* melior. *ſed nimis arta.* monet aut vt ſolus, aut vt cum paucis veniat. *olidæ.* malè olentis, fœtidæ. *tu quotus.* id eſt, cum quot comitibus ad cœnam venias. *vmbra.* vmbræ dicuntur aſſeclæ, ſiue quos ad conuiuium nobiſcũ non inuitatos ducere ſolemus. *falle.* monet illum, vt dum cliens expectat illum pro foribus, exeat per poſticum.

CRVQVIVS.

INVITAT Horatius Torquatum ad cœnam minimè ſumtuoſam, ad olus cibarium ex modica patella, qui victus erat domeſticus, & planè vulgaris, eíque pro condimento vinum pollicetur Minturnenſe, olere non multo nobilius. iubet etiam vt apparatus hic ſit ei gratus, vel curet adeſſe lautiorem: & quoniã dies poſterus nato Cæſari feſtus, in multã noctẽ ſinat hilareſcere, benigniúſque agere, vult eum venire curis omnibus valere iuſſis; ait enim fortunæ bonis vtendum eſſe; & nõ ob heredes eis inſtar inſani hominis parcendũ, ſed iucundè conuiuandũ, flores ſpargendos, potandũ,

vel ad ebrietatẽ vſque, quando ea miſeros efficiat beatos, ignauos forteis, liberet à curis, & paupertatem neſciat. Ceterùm ne quid conuiuas offendat, vel deſideretur ad lætitiã, ſcribit omnia libenter ſe procurare; vt omnis ſupellex munda ſit, & ad vſque ſplendorẽ nitida, vt fidi conueniant, & amici pares, iiq; non multi, niſi ſit ei viſum plures vmbras adducere ſecum: ſed multitudinem tamen deteſtatur, metuens ex calore alarũ naribus odorẽ grauem. *ſi potes archaicis conuiua rec. lect.* ad vnũ quos vidi cod. ſcripti omnes in verſibus ipſis habẽt archiacis, præter Tonſanum, in quo ſcriptum legi Archanis, ſed in annotationibus vnius Blandinij, ex quo Commẽtatorẽ magno ſtudio deſcripſimus, vidi; Archaici lecti, dicebantur ab Archaico fabro. in alterius, ab Archæa, quod mẽdoſum eſt; pro Archęo fabro; quod cum Archaico conuenit: ἀρχαῖος enim & ἀρχαϊκὸς, idem Græcis notant, nimirum, antiquariũ, ſimplicitatis antiquæ ſtudioſum, magnificentiæ non amantem: in qua dictione adiectiua, pro propria, ſciolorũ deteſtandùs error non minus impoſuit doctis, quàm in τῷ ἱππυγόμβρος Satyr. 9. lib. 1. qua de re vide noſtros ibi commentarios. Eſt itaque Lectus archaicus, ad vetuſtum morem ex ligno compoſitus, nõ ex argento vel ebore concinnatus, quod Romæ diuitibus tunc in vſu fuiſſe teſtatur Plin. lib. 13. ca. 10. ſed rudem illam & priſcam ſimplicitatem præ ſe ferens; ob quam Quint. Aelius Tubero prætura deiectus legitur, & habitus deſpectui, quòd in funere Africani pop. Romanum publico epulo, hædinis pellibus, teſtis Samijs, & lectis ligneis accepiſſet, quòd incultam parcimoniam in rebus publicis nõ exhorruiſſet. Ad hanc quoq; ſententiã Plutarchus de archaico in Publicola, ἁπλῶς ἀνδριὰς, inquit, καὶ ἀρχαϊκὸς τῇ ἐργασίᾳ, id eſt, ſimplex ſtatua, & vetuſto de more cõſtructa. Quòd autem Turnebus legat Archiacus, ab Archia fabro, dandũ eſt antiquitatis ſtudio, propter tam multorum cod. ſcript. conſenſum, à quibus profectò nec ego diſſentirẽ, niſi adnotationes Blandiniæ, me variũ quaſi data manu in viam reduxiſſent. *ſi potes.* hoc eſt, ſi quidẽ potes &c. erat enim ad rem attentior, & ferè ad ſordes vſque parcus. quas vt notaret ἀμφιβολικῶς, iterat ſuã munditiẽ in ſupellectili domeſtica, prętereà futurorum curã, de diuitijs accumulãdis cõtentionẽ omittendã, inſuper hæredis cauſa non eſſe turpiter defraudandũ geniũ, ſed inſaniæ potius, & ebrietati dicit operã dandã, quò, vt eum perpellat, pollicetur cõpotores fidos amicos, immemores, pareis & paucos: pecunioſi namq; fugiunt multorum conſpectum, ſunt eis omnia ſuſpecta, & dictis ſuis, & factis inſidias poni credunt, illis abeſſe domo crux eſt: iccirco fortaſſe monet, vt per poſticum fallat clientem. Sed & Ode 7. lib. 4. ſatis oſtendit eum ſordidiorẽ vbi ſuadet Horatius ab amœnitate veris, vitæque breuitate non eſſe parcendũ hæredibus auaris, ſed amico animo inſeruiendum. *nec times.* amas, gaudes, per litoten. *modica patella.* nõ capaci. quàm bene conueniunt, lecti archaici, patellæ modicæ cũ olere, quod omne dicit eum cœnaturum, ad deſcribendũ victum tenuem, parcum & pluſquam domeſticum, quem Horatius nõ ex ſuo pollicetur, vt qui hilariùs agebat, ſed ex ingenio Torquati. At non infitior tamẽ Horatium herbis & olere victuq; tenui gauiſum, ſed domi ſecum, nõ etiã in accipiendis conuiuis. *patella* de patellis dictũ eſt alibi. *ſupremo te ſole.* χρονογραφία noctis aduentantis *vina bibes.* vinum cœnæ modicæ viliq; conſentiens, nec à vetuſtate, nec à loco cõmendabile, ſed de vetuſtate dubia ſententia eſt; ſcribit Sigonius in Commentarijs ſuis in faſtos Rom. Ex Capitolino (anno V.C. 716.) inani interuallo inter Agrippam & Gelliũ qui ſubſequitur, conſulem, apparet deſiderari nomen conſulis ſuffecti in locum Caninij, de quo nihil mihi compertum eſt. ſuſpicor autẽ, ne ſit T. Statilius Taurus. primùm, quia biennio pòſt, proconſul triumphauit ex Africa; deinde, quia anno 717. conſul eſt iterum, neq; quando primùm fuerit, extat apud eundem anno 727. Cõſules Caſſiodorus ſuggerit Cæſarem Auguſtũ 7. T. Statilium Taurũ ſecundũ. Statilium Taurum antè dixi videri anno 716. in parte anni primùm conſulem fuiſſe. hęc Sigonius. Ceterùm vero conſentaneum eſt, nõ ea vina fuiſſe vetera: à loco autẽ quantum laudis habere poſſint, facile is conijciat qui non ignorat, paluſtria plus diluta, quàm nobilia, vina proferre; quo nomine Sinueſſa quoque, quę ſita eſt ad Lirum fluuium in ſinu Setino, celebratur ob vini quod profert, non bonitatem, ſed abundantiã. Minturnæ autẽ inter Tarracinam ſunt & Sinueſſam, vtrumque ad ſtadia 80. Strabo lib. 5. *diffuſa.* nata quidem ad paludes Minturnenſeis, & expreſſa; ſed T. Statilio Tauro iterum conſule diffuſa, id eſt, vernaculè (vt mihi videtur) vergoten ende ghekeldert, nimirũ ex dolio ſeu cupa recẽs expreſſa, & fuſa in cados, ſeu vaſa vinaria. *ſi melius quid habes.* familiaris inuitatio. ſic enim vulgo, hebt ghy yet beters / laetet brenghen / oft laet v gheſegghen. *melius quid.* parati, & vini *ſi.* nulla mea ſcripta habent, ſin. *vel imperium fer.* familiare imperium, pro eo quod dici ſolet, ſine te exorem, morem gere, legem accipe. *ſplendet focus.* domus munda eſt, te opperimur. *leueis ſpes diuitiarum & cert.* quia leueis homines, id eſt, inconſtanteis faciunt: ἀεὶ τὸ πλουτεῖν συμφορὰς πολλὰς ἔχει, id eſt, diuitiæ ſemper multas calamitates habent: Philemon apud Stobæum.

certamina.

certamina. liteis, contentiones, odia, diſſidia. *dat veniam.* indulget ſomnū; συγχωρεῖ. *impunè.* quia cauſæ forenſes ceſſabunt: erit cras iuſtitium, quare licebit in multam lucem dormire. *æſtiuam.* confirmat Horatium Dionis ſententia, de natali die Cæſaris quē in Iulio ſtatuit: at Cōment. & Sueto. in Septembri. *benigno.* faceto, iucundo, facili. *tendere.* ſimplex, pro extendere, prolongare, extrahere; τείνειν, ἐκτείνειν. *quò mihi fortunas.* finis enim diuitiarum vtilitas nulla niſi in vſu cernitur. quare inquit Iſocrat. καταφρόνει τῶν περὶ τὸν πλοῦτον σπουδαζόντων, χρῆσθαι δὲ μὴ δυναμένων τοῖς ὑπάρχουσι· παραπλήσιον γὰρ οὗτοι πάσχουσι, ὥσπερ ἄν εἴ τις ἵππον κτήσαιτο καλὸν κακῶς ἱππεύειν ἐπιστάμενος. hoc eſt, contemne eos qui nimiam dant operam diuitijs, præſentibus autem nequeunt vti, afficiuntur enim perinde atque is qui pulcrum equum poſſidens, eſt equitandi imperitus. multi cod. habent, fortuna; Diuæi, fortuna eſt; Tonſ. & Mart. fortunam. ſed doctis certum eſt debere legi, fortunas. *ob hæredis curam.* vt hæredes diteſcant. *ſeuerus.* aſper. *aſſidet inſa.* ſedet ſtulto proximus, eique ſimillimus eſt, μετὰ τοῦ λυπεῖσθαι διάγων τὸν βίον, ἁπάντων καὶ τῶν ὄντων καὶ τῶν ἐσομένων ἀθλιώτατος. hoc eſt, qui cū triſti ſeueritate vitā agit (diues) is miſerrimus eſt omnium mortalium; ait Theopompus apud Stob. *potare, & ſpar. flor.* laus hilaritatis etiam ad inſaniam, & ebrietatem ἐξ ἀντιθέσεως; nam ſi mediū ſeruari nequeat, ſed in alterutro vitiorum peccandum ſit, vulgo probatur magis læto animo exporrigere, quàm triſti frontem contrahere; nam hoc, vel Sapiente auctore, exſiccat oſſa; illud autem ætatem florentē facit. *quid non ebrietas.* enumerat ebrietatis effecta, quæ plus ad eius laudē faciunt, quàm vituperium, vt Torquato diſcuſſa morum ſeueritate, perſuadeat lætioribus poculis, latioribúſque nunc eſſe agendum. *deſignat.* perpetrat. διαπράττεται ἢ καινοποιεῖ, νεωτερίζει, νεωτεροποιεῖ· noui aliquid molitur, innouat & immutat. *operta recludit.* ſic & Homerus, οἶνος δὲ πολύφρονά περ μάλ' ἀεῖσαι, καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, πάντ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκε, καί τι ἔπος προέηκεν, ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον. id eſt, vinum quamuis ſapientiſſimum certè canere, molliter ridere, & ſaltare impulit, hoc etiam protulit verba, quæ ſatius fuiſſet tacere. *inermem.* cod. Bland. habent, ad prœlia trudit inertem. *addocet arteis.* iactitant ſe artium multarum peritos. alias vini laudes ſi quis deſideret, apud Stobæum de incontinentia legat Panyaſſidis verſus. *fecundi.* pleni & abundantes; ἐμπλήσιοι καὶ ἐπιρρέοντες. *ſolutum.* à curis: laſciuum, largum. *hæc ego procurare:* dicit Horatius ſe nō inuitum eſſe menſæ ſtructorem, qui Athen. lib. 4. dicitur τραπεζοποιός. qui menſam curat, & quæ ad ipſam pertinent, οὐχὸ μάγειρος (inquit Heſychius) ἀλλ' ὁ τῆς πάσης περὶ τὰ συμπόσια παρασκευῆς. quemadmodum hic Horatius non cœnam modò, ſed & toralia, mappas, cantharum, lancem &c. *procurare & idoneus.* ἐπιτηδεύων ἐπιτήδειος. *non inuitus.* ἐπιθυμῶν. erat enim natura agilis, promtus, & hilaris, & genij ſtudioſus. *turpe toral.* immundum. de torali vide Satyr. 4. lib. 2. *mappa.* linteum quod inſternitur menſę, ὀθόνη, vel etiam quo inter edendū manus abſterguntur; nam mantile à manibus dictū, datur poſt lotionem manibus exſiccandis. *oſtendat tibi te.* deſcribitur grata conuiuis munditiẽs. *qui dicta for. el.* fidele ſilentium, quod in hilari conuiuio violare eſt nefas. hinc apud Plutarchum, in libello De mulierib us etiam inſtituendis: τῷ Διονύσῳ νάρθηκα καὶ λήθην συγκαθιδρύουσι, ὡς μὴ δέον μεμνῆσθαι τῶν ἐν οἴνῳ πλημμεληθέντων ἀλλὰ νηπίας παιδικῆς δεομένων. ὁ συνῳδὸς καὶ τὸ μισῶ μνάμονα συμπόταν. ὁ δὲ Εὐριπίδης, τῶν ἀτόπων τὴν λήθην σοφὴν εἴρηκε, id eſt, Libero patri ferulam, & obliuionem conſecrant, inſinuantes nō reuocanda in memoriā eſſe quæ inter pocula ſunt admiſſa. huic concinit & illud, odi memorem compotorem; & Euripides, abſurdarum rerū obliuionem ſapientem eſſe dixit. *vt coëat par.* vt par coëat, & iungatur pari; quia pares cum paribus facillimè congregantur: vt eſt in prouerbio. ἧλιξ ἥλικα τέρπει, id eſt, æqualis æqualem delectat. Hom. Odyſſeæ ο. ἀτὰρ καὶ ὁμήλικες εἰμέν, id eſt, quinetiam ſumus æquęui. hęc itaque tria procuraturum ſe dicit, munditiem, amicos fidos, & ætate conſenſúque pareis; & hæc vnica cauſa eſt ob quam Lambino aſſentiendū credam, legendúmque contra omnia quę legi ſcripta, Brutum, pro Brutam; quod eſt in ſcriptis; & Septimium Sepritiúmue, vtrumque eſt in ſcriptis: & hæc ſic ordino, Adſumam tibi ſodaleis, Brutū, Septimiū, & Sabinum, niſi cœna melior, & elegantior puella eum detineat. omnia ſcripta præter Tonſ. habent inſulsè, ad ſummam, cum colo poſt verbum, detinet. quæ cauſa aliquibus interpretibus extitit, vt illa Brutum tibi Septimiumque &c. cum ſuperioribus ſtruenda crediderint, ineptè ſanè meo iudicio. *potior puella Sabinum det.* iocus vrbanus in Sabinum. *locus eſt.* menſa noſtra capax eſt plurium quos te ſequi voles, ne incomitatus venias. non-inuitatos enim vmbras nominare ſolemus, ἀναλογικῶς. vide Adag. vmbræ: & quæ notauimus ad Satyr. vlt. lib. 2. *ſed nimis arta.* arta ſine c, habent omnes ſcripti cod. non hoc in loco ſolùm, ſed vbicumque ea vox occurrit, vt & alibi à me notatum eſt. arta conuiuia ſunt vbi propter cōuiuarum multitudinem artè & anguſtè conſidetur. *olida capræ.* olida capra, & hircus eſt caprarū maritus, qui & fetor eſt axellarū per analogiam.

 vide

vide adag. Hircum olet anus. Quod autem quidam per capras olidas, ſcorta intelligi poſſe exiſtiment, mihi certè non ſit vero conſentaneum; tùm quòd hæc ἐπανόρθωσις ſubſeruiat ingenio Torquati gaudentis non immodico ſumtu, ſed amicis fidis, taciturnis & paribus, tum quòd ſermone benigno cum eo velit producere noctē, quod inter ſcorta quàm fieri poſſit commodè ſcilicet, nemo non intelligit. Scio τὸ benignè, poſſe interpretari, amatorio, ſed mihi non placet: iudicet lector eruditus. *tu quotus eſſe velis.* quàm multos tibi adeſſe ſodales, vt & lectos parem, & apparem cetera. *πόσοι ἀυτόν. atria ſeruantem.* in atrijs te obſeruantem conſulendi te, vel ſua tibi commendandi gratia, vel etiam vt honoris ergò te comitetur. *falle.* late. hoc eſt, eo inſcio per poſticū egredere, ne te detineat. hic verſus tantiſper mihi perſuaſit non ſine alijs rationibus ſatis obuijs in Epiſtola, legendum eſſe, Si potes arcanis conuiua recumbere lectis, vt inueneram in cod. Toulano, dum inciderem in Blandinias adnotationes, quæ ſolæ meam mentem mutarunt.

EPISTOLA VI.

AD NVMICIVM.

NIL admirari, propè res eſt vna, Numici
Solaque quæ poſſit facere, & ſeruare beatum.
Hunc ſolem, & ſtellas, & decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectent. quid cenſes munera terræ?
Quid maris extremos Arabas ditantis & Indos?
Ludicra quid, plauſus, & amici dona Quiritis?
Quo ſpectanda modo, quo ſenſu credis, & ore?
Qui timet his aduerſa, ferè miratur eodem,
Quo cupiens, pacto pauor eſt vtrobiq. moleſtus.
Improuiſa ſimul ſpecies exterret vtrumque.
Gaudeat, an doleat: cupiat, metuátne: quid ad rem?
Si, quicquid vidit melius, peiús ve ſua ſpe,
Defixis oculis, animóque, & corpore torpet?
Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui:
Vltrà, quàm ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.
I nunc, argentum, & marmor vetus, æráque, & arteis
Suſpice: cum gemmis Tyrios mirare colores:
Gaude, quòd ſpectant oculi te mille loquentem:
Nauus manè forum, & veſpertinus pete tectum:
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutius, indignum, quòd ſit peioribus ortus:
Hic tibi ſit potius, quàm tu mirabilis illi.
Quicquid ſub terra eſt, in apricum proferet ætas:
Defodiet, condétque nitentia. cùm bene notum
Porticus Agrippæ & via te conſpexerit Appi:
Ire tamen reſtat, Numa quò deuenit & Ancus.
Si latus, aut renes morbo tentantur acuto:
Quære fugam morbi. vis rectè viuere? quis non?
Si virtus hoc vna poteſt dare: fortis omiſſis
Hoc age delicijs. virtutem verba putas, vt
Lucum ligna? caue ne portus occupet alter:
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas.
Mille talenta rotundentur: totidē altera: porrò &
Tertia ſuccedant, & quæ pars quadret aceruum.
Scilicet vxorem cum dote, fidémq́, & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat:
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venúſque.
Mancipijs locuples: eget æris Cappadocum Rex.
Ne fueris hic tu. chlamydes Lucullus, vt aiunt,
Si poſſet centum ſcenæ præbere, rogatus,
Qui poſſim tot? ait: tamen & quæram: & quot habebo
Mittam. pòſt paulò ſcribit, ſibi millia quinque
Eſſe domi chlamydum: partē vel tolleret omneis.
Exilis domus eſt, vbi non & multa ſuperſunt:
Et dominum fallunt, & proſunt furibus. ergo
Si res ſola poteſt facere, & ſeruare beatum:
Hoc primus repetas opus: hoc poſtremus omittas.
Si fortunatum ſpecies, & gratia præſtet:
Mercemur ſeruum, qui dictet nomina: læuum
Qui fodicet latus: & cogat trās pondera dextrā
Porrigere. hic multū in Fabia valet, ille Velina:
Cui libet hic faſceis dabit: eripiétque curule
Cui volet, importunus ebur. frater, pater adde:
Vt cuique eſt ætas, ita quemque facetus adopta.
Si bene qui cœnat, bene viuit: lucet, eamus
Quò ducit gula: piſcemur, venemur: vt olim
Gargilius qui manè plagas, venabula, ſeruos
Differtum tranſire forum, populumq́ iubebat:
Vnus vt è multis populo ſpectante referret
Emtum mulus aprum. crudi, tumidiq́ lauemur,
Quid deceat, quid non, obliti: cerite cera
Digni, remigium vitioſum Ithacenſis Vlyſſei:
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.

Si

Si, Mimnermus vti cenſet, ſine amore, iociſque
Nil eſt iucundum: viuas in amore, iociſque.
Viue, vale. ſiquid nouiſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.

COMMENTATOR.

NIL *admirari propè res eſt vna Numici.* In hac Epiſtola docet eum feliciter victurum qui ſe ad omnia ſine admiratione ſit habiturus: vt enim omnem ſollicitudinem ex cupiditatibus naſci non dubium eſt, ita beatam vitam in contemtu diuitiarum conſtitutam eſſe ait. Quare monet Numicium per omnia mediũ ſeruare tenorem, quoniam nulla res maiorem perturbationem parat animis, quàm ſi quis alia tanquam bona concupiſcat, & alia tanquã mala timeat. *vna.* vnica, & præcipua, vt, vnum Tritonia Pallas, q.d. *beatum.* non miſerum. *momentis.* horis *formidine.* admiratione, ſtupore. *imbuti.* affecti. *munera.* fruges, fructus, vinũ, metalla. *quid maris.* munera, ἀπὸ κοινοῦ. maris Indici munera ſunt ebenum, & vniones in conchis, gemmæ. *ludicra.* ludos inaneis. *plauſus.* in theatris *amici do. Quiritis.* dona populi Romani, ſceptra, dignitates. *quo ſpect modo* quo iudicio, quo ſtudio, qua ſpe. *quo ore* vultu, oculis. *his aduerſa.* his donis contraria. *cupiens.* cupidus, auarus. *pauor vtrob. mol.* & in timore amittendi, & in ſpe conſequendi, ex quibus aut dolor, aut gaudium contingit. *ſpecies* proſperitatis, & aduerſitatis. *exterret vt.* quia æquè eſt mentis alienatio in proſperitate, vt in aduerſitate. *quid ad rem?* ad beatitudinem? *torpet.* id eſt, hebet, id eſt, ſtupore hæret, & deficit. *vltraq; ſ.* hinc illud eſt, ne quid nimis. *virtutem ſi p.* mirè dicit, cùm alioqui virtus ſit maximè expetenda. *i.nunc.* perge. tranſit ad aliud per conceſſionem. *marmor vetus.* vetera meliora ſunt nouis. *ſuſpice.* cum admiratione aſpice. *gaude.* ironia. *loquentem.* ad populum, in republica. *nauus.* induſtrius, cui contrarium eſt ignauus. *ne plus fru.* ne ſit te ditior. *emetat.* colligat. *indignum.* abſolutè poſitum eſt. aliàs, indignus. *peioribus.* humilioribus parentibus. *hic tibi ſit.* tu obſtupeſce potius ad eius diuitias, quàm ille tuam virtutem miretur. per Ironiam hoc dicit, quia cõtrarium eſt verũ. *ſub terra eſt.* in occulto. *in apric.* in apertum. *proferet ætas.* ſenſus eſt, vt inueniuntur diuitiæ, ita & pereunt. virtus ſola perpetua eſt. *defodiet.* pro infodiet. *condetq;.* abſcondet. *bene notum.* nobilem. *porticus Agripp.* vbi cauſæ agebantur. *ire.* ſup. illuc. *Numa quò d. & Ancus.* reges Romanorũ. *quis non ἰσόρροπα. vna.* ſola. *poteſt d.* vt ſis beatus. *fortis.* ſup. tu. *hoc age.* ſequere virtutem & fuge illecebras. *virtutem verba p.* ſup. ſi. ſi, inquit, contemnis virtutem, vt eã non ſummum bonum, ſed verba tantum exiſtimes, & religionem ſpernis vt lucos ſacros nihil aliud quàm ligna putes, relinque hæc, & vide ne quis negotiator ſuo nauigio ante te occupet portum, & vide ne perdas negotia quæ exercere potes in Bithynia, & Cibyratica, quę ſunt apta negotiatorib⁹, ſunt enim loca tranſmarina. *caue ne port.* hortatur eum ad pecuniam qui contemnit virtutem. *Cibyratica.* Cibyra, vicus maritimus in Paphlagonia, aut Lydia. *Bithyna.* Bithynia eſt in Ponto. *talenta.* notandũ rotundentur, id eſt, cõpleantur: omne enim quod rotundum eſt, ab omni parte perfectũ eſt. *totidem alt.* quæ ſunt duo milia. *quæ parsq; a.* quarta talenta. *quadrat.* quadruplum tacita. cruitum. *ſcilicet vxorem.* per Ironiam, quoniam hoc putant qui nolunt philoſophari *genus.* nobilitatem. *formam.* pulchritudinem. *regina pec.* vnde diuites Reges. *numatum.* numis abundantem *Suadela.* dea ſuadendi. *mancipijs locuples.* ſenſus eſt, nolo ego talis ſis, qualis Cappadocum Rex, qui vna re abundat, ceteris eget, ſed Philoſophiam ſequere, cui nihil deeſſe poteſt *eget æris.* Cappadoces enim dicuntur abundare mancipijs, ſed egere pecunia. *hic tu.* talis. *rogatus.* à præfecto ſcenæ *qui.* quomodo *ſcribit.* præfecto *exilis domus eſt.* ridendi animo hoc dicit, dum reprehendit ſuperuacua auaritiæ. *dominum fallunt.* latent, quia domini ſcientiam, & notitiam excedunt, ita vt neſciat quantũ habeat. *ſi res ſola.* ſic pronuncia, vt ridendo magis horteris. *hoc primus. rep opus.* congregandi diuitias. *ſpecies.* ornatus. *gratia.* cõmendatio *dictet nomina.* qui ſit nomenclator *hic multum in Fab.* verba ſerui ſunt admonentis herum. *Fabia.* familia Romana. *Velina.* tribu. vt Perſius. Libertate opus eſt, non hac vt quiſq; Velina. *trans pondera.* pondera lapides qui per vias dantur in opera, aut latera viarum, poſiti altiores eriguntur. & eſt ſenſus, qui manum porrigat tranſituro. *faſceis.* pro magiſtratu, & imperio. *curule ebur.* ſellam curulẽ vocat in qua magiſtratus reſidens iura dabat, dicta vel à curia, vel à curru: vnde etiam virga quã imperator in curiam ferebat, curulis vocabatur. *vel cui eſt.* hortatur vt vnumquemq; honeſtè prout ętas eius expoſcit, alloquatur. *facetus.* vrbanus. *adopta.* tuo alloquio. *lucet, eamus.* dies eſt, lucet dies, eamus. hortatur ridendo. *piſcem. venem.* piſcationi, venationiq; inſiſtamus. *vt olim.* ſup. faciebat. *differtum for.* plenũ hominibus. *iubebat.* per loca frequentiora tranſire volebat, vt à pluribus cerneretur. *emtum.* in foro. *tumidiq;.* inflati ſaturitate. culpat intẽpeſtiua balnea Romanorũ. ſic Perſ. Turgidus hic epulis, atq; albo ventre lauatur. *quid deceat.* poſtpoſita omni honeſtate. *cerite cera.* hoc eſt, nota infamię, & omni ignominia

ignominia digni ſumus. Cere oppidum in Italia fuit, quò, capta à Gallis vrbe, ſacra Romana cum virginibus tranſlata ſunt, quæ cùm ſeruaſſent integra, pro eo beneficio Cerites ciuitate donati ſunt, municipéſq. facti: at poſteaquàm ſunt auſi Romanis rebellare, eis deuictis, iterumq; ciuitate donatis, ius ſuffragiorum ademtū eſt, cenſuſque eorum in tabulas relati, à cæterorū cenſibus remoti ſunt. hinc factum eſt, vt qui aliquid flagitij admitteret, in Ceritum tabulas relatus diceretur. *remigiū vitioſ.* ſupp. nos ſumus ipſi. Vlyſſes à Tireſia vate apud inferos reſpōſum accepit, ſi vellet cū ſocijs in patriam remeare incolumis, vt non contingeret boues Solis: at is delatus ad eas inſulas vbi boues Solis erant, cùm dormiret, & ſocij eius, magis præſentem voluptatem, quàm patriam eligerent, nec à ſacris pecudibus, nec à Circæo poculo abſtinere potuerunt. *ſi Mimnermus v c.* ad Numicium hæc diriguntur. fuit autem Mimnermus Poëta Epicureus, qui multa elegiaco metro de amore conſcripſit. *viuas.* ſupp. licet vt. *iſtis.* præceptis. *candidus.* benignus, ſine inuidia. *ſi non.* ſupp. noſti melius.

CRVQVIVS.

QVANDOQVIDEM vna, & ſola Philoſophia docet virtutem facere aliquem, & ſeruare beatum, monet Numicium ne temerè quid admiretur, & laudet, ſed eos imitetur qui ſolē, ſtellas, orbeis cæleſteis, & quæ ex horum circumlatione tempora, certiſq; ſtatiſq; momentis nūc oriuntur, nunc decedunt, ſpectant quidem, & admirantur, ſed nullo metu vel affectu alio, quàm vt ex earum rerum cauſis cognitis beatiores euadant, proſintq; poſteris. Non alio certè modo vult Numiciū terrena fortuitáq; bona admirari, laudare, atq; adeò cupere, quàm vt his vtendo bene viuat, & iuuet alios; nam ſi ſtultorū more petat ea ſupra modum, nimirum ad decus, ſplendorem, magnificentiam, aut vſum non verè laudabilem, futurum ait, vt in metu, & cupiditate, cæteriſque affectibus, ſurſum deorſum agitatus, degat miſerrimè, eóque miſerius, quò ea concupiſcet auidiùs quàm ſatis eſt: adeò vt & inſanus & iniquus non iniuria quoq; ſit habendus qui virtutē ipſam, & ſapientiā miretur vltra quàm ſatis eſt, hoc eſt, ad aliud, quàm vt iuſtè & ſapienter viuat. I nunc, inquit, Numici, ſuſpice argentum, marmor, æra, gemmas, veſteis purpureas vltra modum, vt nunc acquiſita, nunc amiſſa te crucient mille modis: gaude nobiliorem te & eloquentiorem Mutio, & miſer morere: ſi ad obiecta cupidus ſtupet animus, fuge conſpectum, ei malo medicando quære remedium; nam ſi corpus afficitur malè, nónne ſtudes hoc malū propellere? Quare ſi cupis tranquillam vitā beatamq; viuere, fortiter, quæ pro delicijs admirari ſoles, ea cōtemne, virtutemque ſuſpice, & amplectere, quæ ſola hoc dare poteſt. At ſi virtutem philoſophiæq; præcepta, verba credis inania, nec ad vitā cōferre quicquam, abito, ad portum propera, Cibyratica mercator cura negotia, quære ingentem pecuniā, quæ cum vxore dotata, fide, amicis, venuſtate nobilitatéque regem te faciat potentiſſimū, hac prima poſtremáque metire tuam tranquillitatem. Si forma decúſque & externa maieſtas, populiſq. gratia dant bene viuere, hoc age, largire in populum munera, ſectare primates, aſſentare, ſaluta, dextrā porrige, vt faſceis acquiras ſellámq; curulem. At ſi felix eſt qui cœnat ſplendidè, genio indulget, piſcare, venare, lauare vel ad infamiā vſq;. Si verò nihil eſt beatum ſine amore & Venere, age, viue in amore iociſque, aut melius quid excogitato, aut mihi credito. *nil admi. propè res.* huius vocis, prope res, compoſitio & diuiſio librarijs indoctis lectionis olim variæ cauſa fuit; nam in 4. Bland. cod. Diuæi, Buſl. Sil. Matt. ſcripta eſt coniunctim properes: in alijs cum vulgatis diuiſim prope res: quæ lectio ſeruanda eſt, licet ab ea diſſentire videatur illud Ariſtot. διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, id eſt, propter admirari & nūc & primum cœperunt homines philoſophari. Namque admirari Ariſt. pertinet ad inquiſitionem veri & falſi, quod mentis eſt altioris. iſtud autem Horatij, nil admirari, quod tranquillat & beatū facit, ad affectus ſpectat; quibus neceſſe eſt rationē dominari: vel ſic admirando rapitur homo in perpetuas turbas ſine vlla quiete, & tandem in ſuam perniciem. *Numici.* quandoquidē poſtea dicit, ne Bithyna negotia perdas, quid ſi legamus Minuti? nam 4. bellorum ciuilium apud Appianū, legitur Minutius Criſpus ex Bithynia veniſſe auxilio Sextio Murco contra Baſſum. *hunc ſolem & ſtellas.* videtur Horatius nos velle intueri, nec non admirari humana, vt naturales Philoſophi τὰ μετέωρα, καὶ οὐράνια, id eſt, ſublimia cæleſtiáq. contemplantur, nulla ſcilicet cupiditate aut metu, ſed vt naturalibus eorum cauſis cognitis meliores euadant doctioréſque; & ſi quid cælitus contingat aut contrà, aut præter naturam, vt animos hominum propter eiuſmodi ſigna perterrefactos liberēt à formidine, Deique cultū promoueant. Sunt qui velint hæc ad Pyrrhonios pertinere, quos Scepticos nominant, qui propter veri falſique confuſa ſigna, vt nihil definiunt pronunciántue; ita ad nullam rem nos obſtupefieri debere, nedū quicquā admirari cenſent, ſed hoc mihi parum placet; nam pronunciat Horatius ad vitam beatam perturbationes, gaudere, dolere, cupere, & metuere, nihil facere, ſed eā conferre vnicam virtutem; non etiam vt Timon &

Neſidemus Pythonij, ſuas conſiderationes dicūt, vmbræ in morem, animi tranquillitatem conſtantiamque comitari. *formidine.* nec cupiditate alia quàm quæ ſcientiam parit. *ſpectent.* hinc μετεωροσκοποὶ nominantur. *munera terræ.* arbitror munera terræ hîc denotari, quæ terra ex ſe, non etiam culta profert, quę ſunt aurum, argentum, marmor, æra &c. ſic enim dicit mare ditare Arabas, & Indos, nempe naturæ donis, ebeno, conchis, gemmis &c. *amici dona Q.* qualia deſcribit lib. 2. Satyr. 3. in cicere & faba bona tu perdáſq. lupinis, lętus vt in circo ſpatiere, aut æneus vt ſtes? *quo ſpectanda modo.* perinde ac ſi dicat, nō alio quàm nulla formidine, aut cupiditate nimia, vt ſtulti, ſed moderata vt fortes. *his aduerſa.* cupitis donis, pauperiem, contemtum, riſum, ignominiā. *fere.* nam qui miratur appetendo, pauet vt ne aſſequatur; qui miratur metuendo, pauet ne eueniant, ita vtrobiq. pauor eſt moleſt⁹, hinc ne aſſequatur cupita; illinc, ne fugiat aduerſa. *vtrobiq. mol.* ſic legitur in omnibus noſtris ſcriptis, & vera eſt lectio; nam duo tantummodo ſunt obiecta perturbationū; bonū, quod ſperatur abſens, lætitiaq. pręſens afficit; & malū, cuius abſentia quidē timori, præſentia verò dolori eſt. *improuiſa ſpecies.* euētus fortuitus inexpectatus exterret vtruq., quādo honoris auido cōtingit infamia, & metuēti paupertatē diuitię: nō eſt itaq. mirū ſi pauor vtrobiq. moleſtus eſt. *gaudeat an doleat.* ſententia horū verſuū mihi talis apparet: Si quis admiretur aliquid, nō facit ad hanc rem quam agimus, an gaudeat, an doleat, cupiat an metuat; hoc enim naturæ humanæ eſt ingenitū, ſed ne id faciat pluſquā ſatis eſt, néue in admirando, cupiēdo, metuēdo, &c. & corpore, & animo torpeſcat, & fiat à ſe alienus, hoc agimus, hoc volumus; nā ſapientia, virtus, eſt ne digna quam quis admiretur & cupiat? at ſi quis tamē hoc faciat vltrà quā ſatis eſt, nō iniuria ſapiens inſanus, & æquus habebitur iniquus. *metuat ne.* ſic habent omnia ſcripta, non vt vulgo, metuatue. *ſi quicquid vidit.* ordo eſt, Si quicquid defixis oculis vidit. i. attentè, oculis immotis, εἰς τὸ ἀτενὲς, ſeu ἀτενὲς ἰφτόεγ. *animoq́ & corpore.* ad Græcam phraſim, ψυχῇ τε καὶ σώματι ναρκεῖ. *ſi petat ipſam.* duo Bland. cum Tonſ. & Sil. habent, petet, quod magis placet. *i nunc argentū.* ironica conceſſio vehementior, notans Numiciū, in admirando, nimiæ, & inconſultæ cupiditatis. *marmor vetus.* pretioſū, nō adulterinū. *æraq́ & arteis.* ἓν διὰ δυοῖν. id eſt, ęreas arteis: pro ſtatuis, ſignis, & vaſis, affabrè ex ære factis. *ſuſpice.* quidā lib. veteres habent ſuſcipe. *Tyrios.* veſteis purpureas. *ſpectant.* admirātur tuam eloquentiā, de qua licet vnicuique gloriari, ſed honeſtè, non etiā nimis. *gnauus.* in omnibus ſcriptis legitur, nauus, vt antiqui. *veſpertinus.* αὐτὸ μείζω. *ne plus frumenti.* hoc eſt, ne nobiliorem & ditiorem ducat vxorem quàm tu. *Mutius.* ad vnū omnes lib. ſcripti quos legi, habent, Mutus & indignū, & in Bland. adnotatum eſt, mutus. i. imperitus & ineloquēs; quod videtur per ἀντίθεσιν mutatū ad id quod ſuprà dixit, loquentem. Sed ea lectio mihi non ſatis probata, non perſuaſit vt vulgatā improbarem: præſertim quia in 2. lib. Bland. & Tonſ. ſupra τὸ Mutus ſcriptū vidi, eſt propriū. *indignū.* arbitror hic eſſe Græciſmū, ἀνάξιον ὂν, indignū exiſtens, quod eſt indignū, Mutiū putà, quàm te, ditiorem vxorem ducere, cùm ſit te ignobilior: ἀφυνικῶς. *hic tibi ſit potius.* ſupp. & ne, vt vix tandē in adnotationibus Bland. excutere potui, vt hic ſit ordo, nauus manè forū &c. ne plus frumenti &c. & ne hic Mutius ob bene dotatam vxorem potius tibi, quàm tu illi ob eloquentiā nobilitatemq́. ſis mirabilis: εὐγενικῶς. per hoc enim indicat vtrumq. mirari ſtultè, alterum diuitias, & vxorem dotatam; alterum eloquentiā & nobilitatē, cùm neutrum ſit cupidè & vltra modū ſuſpiciendū: cuius rationem ſubdit, quòd vtrumq. ſit caducū, inquiens *quicquid ſub terra eſt.* hæc ſuprà vocauit terræ munera, aurum, argentū, æs, marmor &c. videntur hęc ab Horatio ſumta, & verſa eſſe ex Xenophane, cuius hic verſus multū celebratus à Theodoreto Cyri vrbis pontifice, ἐκ γῆς γὰρ τάδε πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ. hoc eſt, cuncta parit tellus, in eam quoque cuncta redibunt. *porticus Agrippæ.* Plin. lib. 32. Pantheon Ioui vltori factū ab Agrippa memoriæ prodidit, cui porticū addidit, cuius tectū 16. olim ingentibus columnis fulciebatur, nunc deeſt vna, & duæ videntur incendio corruptæ; eadē porticus æneis trabibus ſuſtentabatur auro ſuperfuſis: ante aditum in corona porticus hæc leguntur: M. Agrippa. L. F. Conſ. tertium fecit. *via Appij.* Appia via ab Appio Claudio cenſore conſtrata, incipit à porta Capena, ea latitudine, vt plauſtra duo ex aduerſo ſibi occurrentia liberè acciperet. hāc autem muniuit ad Capuam vſque. vide Marlianū in vrbis Romæ typographia. *te conſpexerit.* hoc eſt, qui in via Appia ambularunt, te conſpicuū admirati ſunt. *ire tamen reſtat.* mori tamē neceſſe eſt. *ſi latus aut renes.* à minori, vt corpore valeas, quæris fugā morbi, vt rectè viuas, id eſt, vt animo ſis tranquillo, & admirandis rebus non perturberis, nihil ne curandū credis? Sed vna virtus hoc dare poteſt: fortiter itaq. ſolā virtutē admirare, vt à ſtultis perturbationibus te liberū ſtatuat. *ſi latus.* hic morbus lateris pleuritis eſt. de qua vide Satyr. 3. lib. 2. *aut renes.* nephritis; ἡ περὶ τοὺς νεφροὺς νόσος. hoc eſt, renum dolor & cruciatus. *ſi virtus hoc vna.* hoc rectè viuere; ſic habent omnes manuſcripti quos legi, non hæc. *ſi.* quia, aſſertiuè. *hoc age.* virtutem amplectere.

amplectere. *virtutem verba putes, vt lucum ligna.* hoc eſt, poſſis ne putare, cùm de virtute agimus, eius præcepta tradimus, eam ſummum bonū aſſerimus, & vnam eam dare tranquillitatē vitámque beatam dicimus, poſſis ne, inquā, cogitare nos vobis dare verba, & promiſſa magnifica, rem autem nullam eò fortaſſe, quòd ea neq; cerni, neq. tangi poteſt? quòd ſi in ea es ſententia, ἴθι ἔμπορε, abi mercator, cura tua negotia, à ſacris abſtine, pecuniam tracta, ei te ſeu deo alicui totum cōſecra, hac tranquillitatem, vitam beatam, hac amicitiā, honeſtum, famam, hac deniq. diuina humanáq. omnia metire; reliqua nugæ, verba, nomina, &c. tres cod. Bland. Mart. & Sil. habent, putes, in potentiali modo; quos ſecutus ſum. videtur autem Horatius imitari verba Herculis tragici alicuius Poëtæ, quæ Dio 47. Hiſtoriarum libro Brutū quoq. pronunciaſſe ſcribit, rebus iam deploratis, inquiens, καὶ ἀναβοήσας τοῦτ' δὴ τὸ ἡράκλειον, ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθα ἄλλως· ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ, παρεκάλεσε τινὰ τῶν συνόντων ἵνα αὐτὸν ἀποκτείνῃ. hoc eſt, & cùm clarè pronunciaſſet hoc dictum Herculis, O miſera virtus, eras igitur nugæ tantummodo? aſt ego te vt rem aliquam ſectabar, tu autem fortunæ miniſtra fuiſti; vocauit aliquem ex familiaribus vt ſe interficeret. *ne Cibyratica.* Cibyra Lycaoniæ vrbs ingens & populoſa, fuit eorum Lydorū coloniæ, qui Cabalida tenuerunt, vt habet Stephanus: eò autem mittere ſolemus, qui lucri ſunt auidi, & quaſi quæſtū odorantur. Strabo ad finē lib. 13. Cibyrā ſcribit munitiſſimam ambitu ferè centum ſtadiorū, eámq. propter æquitatem creuiſſe plurimum. *Bithyna negot.* Strabo lib. 12. poſt Pompeiopolim eſt reliqua Paphlagoniæ mediterranea vſque in Bithyniā euntibus occidentem verſus, huic, quę parua quidē eſt, paullò ante ætatem noſtrā multi imperabant, nūc ſtirpe regia extincta Romani imperant. *mille talenta rotundentur.* mille talenta Attica minora faciūt libras groſſorum Flandricas 175000. rotundari, vt mihi videtur, eſt redire in circulum, vt ſi dicamus mille talenta millies. aut ſi mauis, rotundari eſt in ſe redire, & vt vnitas in ſe redit ad numerū denarium ad ſita o nota, quam cifram nominant Arithmetici, ſic iterum in ſe redit duplicata in vicenario, ter in tricenario, quater in quadragenario, atque ita mille talenta rotundentur quater, qui numerus finitus pro infinito poſitus eſt. hæc equidē cenſeo, qui nouit rectius iſtis, cādidus impertiatur; ſi non. his mecum vtatur, vt Horatius ait poſtea. *porro &c.* τὸ &, in tribus Bland. adiectum omittere nolui. *aceruum.* alludit ad aceruū Chryſippeum, qui Sorites dicitur, qui non rotundatur, id eſt, in ſe redit, niſi tandē poſt multas ambages. huc Perſius quoque ſe retulit, vbi in concluſione ſuarū Satyrarum precatur Chryſippum non ſine aceruidiuitiarū nota, qui pro cupiditate auari terminari nequit, inquiens, depinge vbi ſiſtam, inuentus Chryſippe tui finitor aceruí, id eſt, Soritæ, cui poſt multam productionem tandem terminū ſtatuiſti. *ſcilicet vxorem.* ex diametro ſunt hęc oppoſita virtuti, quæ, præ pecunia, non habetur auaro niſi nomē inane, nihil ad vitam conferens quemadmodū pecunia, quæ donat omnia, pręter id quod ſummum eſt, nempe tranquillitatē; ſed auaro, quod nec videri, nec tangi poteſt, nihil eſt, niſi quādo in extremis ſentit ab amata tantopere, & cupita pecunia ſe deſeri, in qua omnē ſuā beatitudinem collocauerat: cuius exēplar viuū nobis fuit Crœſus à Dario captus. *mancipijs locuples.* ſententia eſt, eſto numatus & locuples, non ſeruorū & clientū modò, qualis eſt Cappadox, ſed pecuniæ quoq.: nō enim ſeruorum multitudo te ditabit, regemque faciet, quæ oneri potius eſt quàm honori, ſed pecunia, & ampla rerum poſſeſſio, qualem habuit Lucullus. de Cappadocibus lege Strab. ab initio lib. 12. & 14. lege vnde hoc prouerbium natum ſit, ἔμπορε καππάδοκ' ἔκπλευσον, ἐξελᾶ, πάντα πέπραται, id eſt, mercator nauiga, & expone, iam omnia vendita ſunt. *hic.* talis Cappadox. *chlamydes Lucullus, vt aiunt.* ab exemplo Luculli monet diuites non habenda magis in bonis, nec ditare aliquem, quæ non ſunt vſui, ſed furibus recondita latent, quàm ſeruorū mancipiorúmque multitudinē, qui ſine lucro ampliſſimas ſæpè poſſeſſiones conſumunt. ridet itaque vtrumque & qui multos ad magnificentiam ſeruos alit, & eum qui copioſam habet inutilemque ſupellectilem tineis furibúſq. paſcendis idoneam. ad hūc locum legito vitam L. Luculli ad finem apud Plutarchum, vbi huius quoq; loci fit mentio. *rogatus.* à prætore quodam, Plutarcho auctore, celebrandi ſpectaculi cauſa. *& quot.* ſic ſcriptum eſt in omnibus antiquis lib. per t, non per d litteram, vt vulgò. *mittam.* ſignificabo. *millia quinq.* finitum pro infinito. i. multas. Plutarchus ſcribit ducentas chlamydes nominaſſe Lucullum. *partem.* aliquot ſumeret ipſe prætor vel omneis. *exilis domus eſt.* exclamatio in deteſtationē inutilis auaritiæ. hoc eſt, habetur vulgò non ampla, ſed anguſta familia, vbi nec ſerui abundant, nec plura ſunt repoſita, quàm quæ ſunt vſui. *fallunt.* λανθάνουσι, latent, ignorantur à domino. *ergo ſi res ſola.* clauſula cū exhortatione ad pecunias innumeras coaceruādas, ſi in eis putat Numicius ſitam eſſe beatitudinem. *primus repetas opus.* ſic ſuprà paullò, Nauus manè forum & veſpertinus &c. *ſi fortunatum.* ſi non in pecunia beatitudinē felicitatémq. ſed in honoribus & publicis magiſtratibus ponendā iudicas, hoc agendū eſt, vt

eſt, vt optimates in ſingulis tribubus per nomenclatorem nominatos ſalutes, occurras, dextrã porrigas &c. vt gratiã populi, & fauorẽ largitionibus, ſpectaculis, promiſſis captes &c. *ſeruum qui dictet nomina.* periphraſis nomenclatoris, ὀνομακλήτωρος, cuius erat nomina tenere eorũ qui magiſtratũ ambienti candidato ſuffragari poſſet, eáq; præire voce; nam ſuo quemq. nomine cõpellare, beneuolentiã conciliat, vt contrà, tacitũ nomẽ per obliuionẽ vel incuriã, nõ caret ſuſpicione contemtus. *læuũ latus.* ſic ſcriptũ inueni in Mart. & Sil. cod. in Tonſano, ſæuũ, & ſuprà ſcriptũ ſæuè. in vno ex Bland. ſæuũ, id eſt, vltra menſurã. verũ cũ doctorũ conſenſu ſequor antiqua ſcripta. Nomenclator enim herum ſubſequẽs, & honoris ergô lateri læuo propinquior, manu id pungens, eum monet ſui officij in ſalutãdis nominatim primoribus viris ſibi obuiis. *qui fodicet latus.* hanc ſcripturã 4. cod. Bland. mutare mihi viſum nõ fuit: hæc enim tria, dictet, fodicet, cogat, appoſitiſſimè ſibi conſonãt ad inſulſi cuiuſdam heri ſtuporẽ in petendo magiſtratu, & ſtultitiam demonſtrandã, qui vixdũ poſt multas monitiones & nomenclatoris punctiones, cogi potuit ad officiũ ſuũ in captandi occurrentiũ gratia faciendũ: quales ferè ſunt omnes qui magiſtratus ambiunt, ſtupidi, ignaui, & vani homines; nãqui norunt munia publica plus onerare, quàm honorare, vix ea petet milleſimus quiſq. *trans pondera.* ſubterfugerũt multi interpretibus antiquis, ex quibus Commentatorẽ deſcribimus, aſſentiri, ponderáq; accipere pro lapidibus, ſaxis, & alijs impedimentis in vijs publicis, quod me Hercule nõ feciſſent, ſi in antiqua ſcripta incidiſſent, preſſiúſq; animaduertiſſent apud Horatiũ epiſt. 2. lib. 2. hunc verſum: rerum puræ (vbi antea lectũ eſt, plures) ſunt plateæ, nihil vt meditantibus obſtet. quæ namq; plateæ ſunt puræ, præter eas in quibus nulla per eas incedentibus ſunt obſtacula, qualia hic põdera nominat, ſaxa ponderoſa, trabeis & eiuſmodi, quæ nominat Heſychius σπίλωνας, põtis loco in hieme præſertim itineribus proiectos lapides ingenteis, σπίλωνας inquiens οἱ πρὸς τῇ βάσει λίθοι. vnde illud quoq; eſt Virg. Georg. 4. de apibus, & grãdia cõijce ſaxa, pontibus vt crebris poſſint conſiſtere. *dextram porrig.* vel beneuolentiæ ineundæ, vel auxilij gratiã; vtrumque enim occurrenti æquè gratum eſt. *hic multũ.* verba ſunt herũ monentis nomenclatoris. *cuilibet hic f.* cuicumq. ſuffragabitur, eum euehet ad magiſtratũ, aut eripiet importunus, id eſt, quéuis interpellans, quouis loco, quouis tempore, nulla opportunitate ſeruata irrequietus, dũ voti compos fiat. *curule ebur.* vt te ædilẽ maiorem faciat qui eburnea ſella vehebatur. *adopta.* adiunge, conciliare ſtude. *ſi bene qui cœnat.* hoc eſt, ſi in luxu viuere, & obſoniorũ varietate gulæ operam dare, eſt bene beatéq. viuere, eia, protinus orto ſole quæramus quæ palato ſunt ſapidiſſima, piſceis, ferinã, & cibos non vulgareis. *Gargilius.* vrbana nota vanitatis Gargilij cuiuſdã. *vnus vt è multis.* inſignis mulus, & prægaltus, ad populũ in ſpectaculum pelliciendũ. *emtum.* nõ inter venandũ à ſe captũ. *obliti.* ſine vlla honeſti cura. *cerite cera.* præter ea quæ Comment. habet, aliſq. ex A. Gellio de tabulis Cæretanis, libuit hic quoq; addere quæ à Strab. ſcripta ſunt lib. 5. Quid inſuper inquit Cæretanorũ geſta? nam & capta vrbe Roma redeũtes Gallos in Sabinis aggreſſi, bello armiſque fuderũt ac debellarunt, & quæ illi à libentibus acceperant ſpolia Romanis, ab inuitis ipſi diripuerũt. Præterea eos qui ad ſe capta Roma confugerant, ſaluos protexerunt, ſimul & æternũ, ac inextinctum ignem, ſacerdotéſq. Veſtaleis. Romani autẽ propter malignos Reipubl. gubernatores, nõ ſatis illis gratiæ memoriã tenuiſſe videntur; nam data ciuitate minimè illos inter ciues ſcriptos retulere, alios quinimo quibus ius ipſum æquabile cõmunicatũ non erat, ad Cæretanorũ exterminabant tabulas. hic quoq. propter occaſionẽ præſentem addendũ putaui, licet extra ordinẽ me cũ multis alijs erraſſe in reſtituenda ode 6. li. 4. in dictione Agyleu, cuius loco ob dictionis huius ignorationẽ, poſuimus Agyieu. at hoc quoq. loco docet Strabo antiquã dictionem ſuo loco nõ mouendã: ſcribit enim: In Pythij Apollinis templo Agylleorũ nominato poſitus eſt theſaurus; nã quæ nunc Cære dicitur, quondã nominabatur Agylla, eáq; à Pelaſgis è Theſſalia profectis, condita fertur. Cetera eodẽ loco apud hunc legito, & quo pacto à Tuſcis ἀπὸ τοῦ χαῖρε dicta ſit Cære. *cera* tabula cerata, qualis Romanis erat vſus, cùm priuatis, tum rebus publicis notandis. *remigium vitioſum.* Socij Vlyſſis remiges, vitijs, voluptatibúſq. addicti. remigium, pro remigibus; vt præſidiũ, pro præſidibus, modus loquendi ſcriptoribus ſatis vſitatus. *vitioſum.* præcipuè propter Circes pocula. *interdicta.* ab Vlyſſe ex vaticinio Tireſiæ vatis apud inferos, de quo Saty. 5. lib. 2. *ſi Mimnermus vti.* ſi ex auctoritate Mimnermi Poëtæ planè Venerei iudicas in amore, Venere, iocis, choreis, eſſe vitam beatam, eſto, hunc ſequere, & in eiuſmodi Venerea voluptate viuito. huius Poëtæ hi duo verſus huc faciunt, τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς ἀφροδίτης? τεθναίην ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι. quos vertit Nannius noſter: Quid vita eſt quæſo? quidue eſt ſine Cypride dulce? ah peream cũ nõ ſũt ea grata mihi. de hoc Poëta plura dicem' epiſt. 2. li. 2. *ſi nõbu v.* hoc ſumtũ videtur ex Iſocrate ad Nicoclẽ, χρῶ τοῖς εἰρημένοις, ἢ ζήτει βελτίω τούτων. i. vtere iã à me dictis, aut quære his meliora.

EPISTOLA VII.

AD C. MÆCENATEM CILNIVM 2.

QVINQVE dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax deſideror. atqui
Si me viuere vis ſanum, rectéq; valentem:
Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Mæcenas, veniam: dum ficus prima, calórq;
Deſignatorem decorat lictoribus atris:
Dum pueris omnis pater, & matercula pallet:
Officioſáq; ſedulitas, & opella forenſis
Adducit febreis, & teſtamenta reſignat.
Quòd ſi bruma niueis Albanis illinet agris,
Ad mare deſcendet vates tuus, & ſibi parcet:
Contractúſque leget. te, dulcis amice, reuiſet
Cum Zephyris, ſi concedes, & hirundine prima.
Non, quo more pyris veſci Calaber iubet hoſpes,
Tu me feciſti locupletem. veſcere ſodes.
Iam ſatis eſt. at tu quantum vis tolle, benignè.
Non inuiſa feres pueris munuſcula paruis.
Tam teneor dono, quàm ſi dimittar onuſtus.
Vt libet: hæc porcis hodie comedenda relinques.
Prodigus, & ſtultus donat, quæ ſpernit, & odit.
Hæc ſeges ingratos tulit, & feret omnibus annis.
Vir bonus & ſapiens dignis ait eſſe paratus:
Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis.
Dignum præſtabo me etiam pro laude merentis.
Quòd ſi me nolles vſquam diſcedere: reddes
Forte latus, nigros anguſta fronte capillos:
Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum, &
Inter vina fugam Cynaræ mœrere proteruæ.
Fortè per anguſtam tenuis vulpecula rimam
Repſerat in cumeram frumenti: paſtáque rurſus
Ire foras pleno tendebat corpore fruſtrà.
Cui muſtela procul: ſi vis (ait) effugere iſtinc,
Macra cauum repetas artū, quem macra ſubiſti.
Hac ego ſi compellor imagine, cuncta reſigno:
Nec ſomnum plebis laudo ſatur altilium: nec
Otia diuitijs Arabum liberrima muto.
Sæpe verecundum laudaſti, rexq;, paterq;
Audiſti coram, nec verbo parcius abſens:
Inſpice, ſi poſſum donata reponere lætus.
Haud malè Telemachus proles patientis Vlyſſei,
Non eſt aptus equis Ithaca locus, vt neq; planis
Porrectus ſpatijs, nec multæ prodigus herbæ:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Paruum parua decent: mihi iam nō regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.
Strenuus, & fortis, cauſiſq; Philippus agendis
Clarus, ab officijs octauam circiter horam
Dum redit: atque foro nimium diſtare Carinas
Iam grandis natu queritur: conſpexit, vt aiunt,
Ad raſum quendam vacua tonſoris in vmbra
Cultello proprios purgantem leniter vngueis.
Demetri (puer hic non læuia iuſſa Philippi
Accipiebat) abi, quære, & refer, vnde domo, quis,
Cuius fortunæ, quo ſit patre, quóue patrono.
It, redit: & narrat, Vulteium nomine Menam,
Præconem, tenui cenſu, ſine crimine notum,
Et properare loco, & ceſſare, & quærere, & vti,
Gaudentem paruiſque ſodalibus, & lare certo,
Et ludis, & poſt deciſa negotia, campo.
Scitari libet ex ipſo quæcumque refers. dic
Ad cœnam veniat. non ſanè credere Mena:
Mirari ſecum tacitus. quid multa? benignè
Reſpōdet. negat ille mihi? negat improbus, & te
Negligit, aut horret. Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato ſcruta popello
Occupat: & ſaluere iubet prior. ille Philippo
Excuſare laborem, & mercenaria vincla,
Quòd non manè domū veniſſet: deniq; quòd non
Prouidiſſet eum. ſic ignouiſſe putato
Me tibi, ſi cœnas hodie mecum. vt libet. ergo
Poſt nonam venies. nunc i, rem ſtrenuus auge.
Vt ventum ad cœnā eſt: dicenda, tacenda locutus,
Tandem dormitum dimittitur. hic vbi ſæpe
Occultum viſus decurrere piſcis ad hamum:
Mane cliens, & iam certus conuiua: iubetur
Rura ſuburbana indictis comes ire Latinis.
Impoſitus mannis: aruum, calúmque Sabinum
Non ceſſat laudare. videt, ridétque Philippus:
Et ſibi dum requiem, dum riſus vndiq; quærit,
Dum ſeptem donat ſeſtertia: mutua ſeptem
Promittit: perſuadet vti mercetur agellum.
Mercatur. ne te longis ambagibus vltra
Quàm ſatis eſt, morer, ex nitido fit ruſticus: atq;

Sulcos

Sulcos & vineta crepat mera: præparat vlmos:
Immoritur ſtudiis: & amore ſeneſcit habendi.
Verùm vbi oues furto, morbo periere capellæ:
Spem mentita ſeges: bos eſt enectus arando:
Offenſus damnis, media de nocte caballum
Arripit: iratusq; Philippi tendit ad ædeis.
Quem ſimul aſpexit ſcabrum, intonſumq; Philippus,
Durus; ait, Vultei nimis, attentúſque videris
Eſſe mihi. pol me miſerum patrone vocares:
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per Geniũ, dextramq;, deosq; Penateis
Obſecro, & obteſtor, vitæ me redde priori.
Qui ſimul aſpexit, quantùm dimiſſa petitis
Præſtent: maturè redeat, repetátque relicta.
Metiri ſe quemque ſuo modulo, ac pede, verũ eſt.

COMMENTATOR.

QVINQVE *dies tibi pollicitus mentire.* Hac epiſtola excuſat ſe Mæcenati, quòd vltra placitum eius moretur ruri, propter æſtatem ſcilicet feruidam, quam timebat pati ſi Romam veniret; æſtiuo namque tempore grauis eſt habitatio Romæ, niſi nobilibus quibuſdã qui in locis remotioribus viridaria habent, & aliis qui in prædia hereditaria ſecedunt. Et quia Mæcenas multa contulerat Horatio bona, eũ ſemper ſibi præſentem eſſe cupiebat: quare Horatius ægrè hoc ferens, durius æquo cum eo loquitur, inquiens, malle Mæcenatem omnia quæ dederat repetere, quàm tam graui ſeruitio cogi. *Sextilem t.* qui nunc Auguſtus dicitur. *deſideror.* expector à te. *quam mihi.* eam veniam quã mihi dares, ſi ægritudo intercideret aduentum, hanc ipſam timenti ægrotare dabis, quia propterea omiſi præceptum tuum, quod timui, ſi id nõ aſſequerer. *ficus.* donec nouæ ſunt ficus, & multa morborum genera, in diebus ſcilicet canicularibus. *deſignatorem.* deſignatores dicuntur qui ad locum libitinæ funebria præſtanda cõducuntur, vt defuncti cum honore efferantur. Aliter, deſignatores ſunt funerum mancipes, & ordinatores; nam deſignare eſt ordinare: vnde & qui loca in theatris ſpectatoribus diſtribuebant, deſignatores dicebantur. præterea, deſignare eſt confundere; vt & alibi, Quid non ebrietas deſignat, operta recludit. *pueris.* ſuis. *pallet.* timet, ne infirmi fiant, & moriantur. *officioſa.* valde diligens in ſuo officio. *opella.* deminutiuum ab opera. *reſignat.* aperit. *Albanis.* Latinis. *ad mare.* quod per hiemem calorẽ præſtat, & æſtate frigus. *vates tuus.* ego Horatius. *parcet.* à frigore. *contractusq;.* præ frigore. *cum Zeph.* primo vere. *Calaber.* nõ mihi, inquit, donaſti, quę tibi ſuperuacua erãt, ſed ex tibi etiam neceſſariis me diuitem feciſti. irridet Calabros, qui hoſpites ſuos ea humanitate accipiunt, vt & ad vilia, & ſuperflua poma hortentur. *veſcere ſo.* verba Calabri. *iam ſatis eſt.* verba aduenæ. *at tu.* Calaber. *benignè.* aduena, humanè facis, inquit, & gratias agit. *non inuiſa.* cara, per litoten. *feres.* inquit Calaber. *tam teneor.* verba aduenæ hoſpitis. tam valet mihi animus tuus, quàm ſi ea feram. ironicôs. *vt libet.* Calaber. *relinques.* ſi pueris tuis ea non obtuleris. *dignus &c.* hæc Horatius. *hæc ſeges.* hæc terra, & hæc ætas. *ingratos.* qui gratiam non queunt mereri. *vir bonus.* ſenſus eſt, bonus & prudens vir non niſi dignis largiri ſe paratum eſſe ait, nec immeritò, quoniam eligere debemus in quos beneficia conferimus. *quid diſt.* quæ ſit differẽtia inter bonos & malos. *æra lupinis.* hoc eſt, non adeò putat vilem pecuniam, vt lupinos, ſcilicet vt medium teneat, & dignis digna donet, non ignorans quid debeat indignis, ſcilicet lupinos, id eſt, vilia munera. *dignũ præſt.* me tuis beneficiis, etiã pro tua laude qui hoc mereris, laboro vt dignũ me præſtem, nõ etiã pro ea laude qua in me confers beneficia. *forte.* validũ. *anguſta fronte.* reddes hilarem, & quaſi iuuenem. creſcit autem ſenibus frons, & fit lata cadentibus capillis. *reddes dulce loqui.* blandè. *ridere dec.* riſum iuuenilem. *Cynaræ.* amicæ ſuæ, quã ſe adamaſſe dicit in odis. *mærere.* triſtari, flere, quod ſe neglecto ad aliũ trãſierat. Per hęc autẽ omnia, forte latus, nigros capillos, dulce eloquium, riſum decorũ, fugã Cynaræ, ſignificat validã iuuentam, quæ in eius amicitiam venerat. *fortè per anguſt.* ſubtiliter per hanc ſimilitudinem, dicit libenter ſe redditurum quę à Mæcenate acceperat, ſi ad arbitrium ſuum ſibi viuere non concedatur. *in cumeram.* vas frumentarium, ex viminibus contextũ. *procul.* è longinquo. *macra cauum.* mirè imitatus eſt ſtridorem muſtelæ. *cauũ art.* cauernã artam. *ſubiſti.* intraſti, vt, portúmq; ſubimus. *imagine.* comparatione, ſimilitudine, cõditione. *cuncta reſig.* quæ à te accepi. ſatis aſperè, quaſi Mæcenati imperet, vt ſibi veniã concedat. *nec ſomnum pl.* nec ita opes contemno, vt malim ſomno eſſe deditus; nec illas iterũ adeò cõcupiſco, vt ſeruire malim, quàm earũ gratia liber eſſe. *ſatur altilium.* domi paſtarũ auium. *verecundum.* mirè, quia nunciam aſperior fuit. *nec verba.* hoc eſt, abſentem ſimiliter laudo atque laudam præſentem. *parcius.* minus. *inſpice ſi.* ſenſus eſt, experire an inuitus reddam quæ dediſti, imo quàm lætus fiã vbi reddidero. *donatis.* dona tua. *reponere.* reddere. *Telemachus.* dixit Menelao, tangit hiſtoriam qua inducitur Telemachus apud Homerum hæc dicere

Menelao. cùm enim Menelaus Rex Græcorum Telemacho Vlyſſis filio equos dare dono voluiſſet; fertur Menelao reſpōdiſſe, tua dona tibi apta ſunt, mihi verò nō conueniunt, quia regio mea montoſa eſt, & herbā equis alendis nō producit. hoc autē ad ſe refert Horatius, dicens quòd ſibi iam vetulo nō conueniat in ſeruitio manere. *patientis.* aduerſa, & perferentis. *Ithacæ.* regionis. *vt.* vtpote. *prodigus.* largus. *Atride.* Rex Menelae, Atrei fili. *parvum.* me. *regia Roma.* ſaturatus ſum ſitu vrbis Romæ. *ſtrenuus.* efficax. narratio hæc ſatis apta ſuperioribus eſt, quibus oſtendit ſe diuitijs otium pręferre. *redit.* domū ſuā. *Carinas.* locus eſt ad Tellurem. vt Poëta, & lautis mugire Carinis, propter nobileis ſcilicet, licet legatur, & lætis &c. *queritur.* quia grandioribus natu, & ſenibus ſemper moleſtum eſt iter. *adraſum.* prætonſum. *vacua.* ipſum vacuū, per Hypallagen. *purgantem.* reſecantem. *Demetri.* Philippus ad pueru ſuum Demetriū dixit, *puer hic non leue iuſſa Phili. acc.* hæc per Parentheſim ſunt accipienda. Demetri abi, quære &c. *vnde domo.* ex qua familia. *quóue patrono.* ſub cuius dominio, in cuius clientela. *it.* puer. *præconem.* ab officio. *tenui cenſu.* pauperē. *ſine crimine.* infamia. *properare.* viatorem vel mercatorē agere lucri cauſa. *ceſſare.* interquieſcere, otiari. *quærere.* acquirere. *& vti.* multis ſtudium eſt inutile tantum quærere, & nō vti. *paruis ſodalibus.* vxore, & liberis. *lare certo.* propria domo. *ludis.* theatralibus. *deciſa.* finita. *campo.* exercitatione in campo Martio, vbi iuuentus Romana exercebatur. *ſcitari l.* verba Philippi. placet, inquit, ex ipſo audire quod dicis. *credere.* credebat. *benignè.* ſermo vulgaris eſt. gratias agit. bene autem quiſq; dicit accipi, cùm ſe excuſat. *aliter.* reſpondet Mena benignè eum facere qui inuitaret. *negat ille.* verba Philippi. *negat imp.* ſeruus Demetrius. *negligit.* contemnit. *horret.* timet. *tunicato.* non togato, vilibus veſtimentis induto. *ſcruta.* quas vulgo grutas vocat. *popello.* deminutiuum à populo. *occupat.* improuiſus venit, & præuenit ſalutando. *mercenaria vincla.* occupationes in vendendis mercibus. *prouidiſſet.* quoniā prius fuiſſet ſalutaturus, ſi cognouiſſet Philippum. legitur in alijs præuidiſſet. *ignouiſſe puta.* remiſiſſe hanc culpā. verba Philippi. *vt libet.* Vulteius. *ergo poſt nonam:* Philippus. *rem.* negotium tuum cura. *doctus.* Vulteius, velut plebeius expers rerū. *piſcis ad hamū.* quaſi piſcis ad eſcam. Vulteiū ſignificat auidum pecuniæ fore; ſed vt piſcis decipitur hamo, ſic Vulteius deceptus eſt pecunia. *mane.* poſtridie. *cliens.* cultor potētis amici. *indictis Latinis.* ſupp. ferijs, quibus in vrbe nihil agi licebat: indici autē ſolebant ob certas cauſas. *iubetur.* à Philippo. *impoſitus mannis.* ſedens in paruis equis buricis, vt cum Philippo proficiſcatur. *calúmq;.* aërē. *nō ceſſat.* Vulteius. *quærit.* Philippus. *donat.* Vulteio. *ne te.* verba Horatij. *morer.* ô Mæcenas. *ex nitido.* vrbano. *fit ruſticus.* agricola. *crepat.* ſpirat, laudat, loquitur. *mera.* ſola. *vlmos.* ad viteis ſuſtentandas. *immoritur ſtu.* quaſi ad mortem ipſam laborat, & vitam ipſam impendit. *& amore ſ. hab.* quaſi ibi primum cœpit auarus eſſe. *ſpem.* ſup. anni fructus. *mentita.* ſup. eſt. *enectus.* attenuatus. *caballum.* datum ſibi à Philippo. *ſcabrum.* ſqualidum propter laborē. *ait.* Philippus. *attentuſq;.* laborioſus, auarus, exhauſtus. *Pol.* per Pollucē. Vulteius. *patrone.* ſup. ô. *quod te per genium.* videntur hi duo verſus & à Mena dicti eſſe Philippo, & ab Horatio Mæcenati. *dextramq;.* tuam. *qui ſimul.* verba Horatij. *ſimul.* mox vt. *dimiſſa.* reiecta. *petitis.* his quæ appetuntur. *præſtent.* præcellant. *metiri ſe q.* menſuram tenere vnumquemque. *ſuo modulo.* ſuo ſtatu. *verum eſt.* æquum eſt ac decet.

CRVQVIVS.

QVOD ad promiſſum Mæcenati diem Romę non adeſt Horatius, cum precatur ſibi condonare hoc vt velit, ægrotare metuenti, per æſtum menſis Sextilis, quod æſtatis tempus ſequiente Canicula, multis certè morbis obnoxium nō parùm ſe formidare fatetur. verùm ſi concedet, ei ſe adfuturum pollicetur primo vere: vt qui nolit acceptorum ab eo nō vulgariū beneficiorū immemor, ingratitudinis vlla ex parte notari, ſed multa potius ea laude, & officijs penſare, modò ad id temporis annuat ei Mæcenas abeſſe Roma, quo, recuperatis viribus, & animis priſtinis, promtᵉ redeat ad eiuſmodi quę antea ei pręſtiterat obſequia. Ceterùm ab eo ſi nequeat hoc impetrare inſtar vulpeculæ ventris ſaburrā exonerantis, vt qua irrepſerat in cumerā frumenti effugeret ſalua, paratum ſe dicit, quæ dona ab eo acceperat cuncta potius reddere, quàm miſeram ſeruire ſeruitutē. denique quando modicis rebus cōtentus iucundè tranquilléq; aut Tiburi, aut Tarenti poſſit agere, nec Romā, nec eius ſtrepitū ſibi plus ait conuenire, quàm in Ithaca montoſa inherboſáq. Telemacho equi à Menelao dono oblati. Poſtremo ſi poſt multam operam iam inde ab adoleſcentia Mæcenati datam nihil remunerationis habeat, ſed contrà quæ acceperat munera ſit ei neceſſe reddere; ſupplicat ad exemplū Philippi, qui Vulteium Menā ruris pertæſum iuſſit relicta repetere; vt Mæcenas pro acceptis officijs non ingratus, ei reſtituat vitā priorem, cū ſuo vigore & alacritate. Hic ceu in tabula videre licet, cuius lectorē quoq; monui Satyr. 6. li. 2. in Horatio liberalem patris cū educatione inſtitutionē, quàm grato animo ſit paratus ob accepta

beneficia

beneficia Mæcenati morem gerere, quàm magno ſtudio contendat ab eo aſſequi cũ eius gratia, vt in ver vſq. proximum ſibi ruſticari detur: qua in re ſi voti cõpos nõ euadat, aduerte quàm vrbanè ſimul & facetè agat de miſſione impetranda, adeò vt malit frugaliter, & modicè vitã traducere cum ſecura tranquillitate, & libera, quã vbiq. maximopere cõmendatã habet, quàm in ſummo ſplẽdore, & luxu ſeruire amiſſa libertate planè aurea. *Quinque dies tibi.* exorditur à remotione culpæ in morbi timorem propter æſtũ caniculare. *me rure fut.* in Sabina (vt arbitror) regione ad Farfarũ fluuium vbi villã ſuã habuit Horatius amœniſſimã; de qua poſtea ad Quintiũ epiſt. 16. *rure.* ſcribit Seruius quęcumque propria pluralis ſunt numeri, vel genitiuũ in is mittunt, proſa ſcribentibus in datiuo verbis ſuccedere, ſed Poëtis ferè in ablatiuo: vt hic, rure, & epiſt. ſequẽti, Romæ Tibur amem, ventoſus Tibure Romã. Virg. Tyria Carthagine qui nunc exſpectat. Perſ. rure paterno eſt tibi far modicũ. Priſcian. oratoribus etiã permittit ablatiuũ; quod nolim imitari. *atqui.* cod. Bland. 2. Buſl. Nan. Tonſ. Sil. habent. atq. reliqui, atqui. ſed hęc duo ſine diſcrimine ſæpe poni, alibi quoq. à me notatum eſt. *das.* enallage, pro dares. *colorḗq.* ſic habet cod. antiquiſſ. Bland. Tonſ. Mart. Sil. & verã lectionẽ iudico, eſt enim vero conſentaneũ deſignatorem nõ minus atratũ, quã lictores fuiſſe in ludis funebribus. Qui autẽ deſignatores fuerint, lege Budæũ de ijs qui notantur infamia, in lege, athletas. Qui autẽ ipſi Budæo ſint deſignatores, hoc in ſtudioſorum gratiã ex ipſo aſſcribã. Sunt, inquit, qui deſignatores eſſe putent, (& rectè noſtra quidẽ ſententia) eos qui conſtituendæ funebri pompæ, aut etiã cuicumq. præſunt, vnicuiq. incedendi locũ ordinemq́. præſcribentes, ſimili ferè munere eorũ qui Romæ magiſtri cærimoniarũ vocantur. Cuius ſignificationis exemplũ inuenimus apud Plautum, qui deſignatores ludorũ ſcenicorũ vocat his verbis in prologo Pœnuli: Néue lictor verbũ, aut virgæ mutiant, neu deſignator pręteriẽs obambulet, neu ceſſum ducat dum hiſtrio in ſcena fiet. hactenus Budæ. *omnis.* paſſim. *officioſa ſedulitas.* appoſitiſſima ſignificatio plebeculæ cũ ſuis aduocatis ſollicitæ in cauſis familiaribus, quas ideo nominat opellas, quæ cũ ſint minimi ferè momenti, eas tamen agunt quaſi de rebus maximis ſit cõtentio: de qua ſedulitate officioſa quę viris bonis ſemper ſuſpecta eſſe debet, lege Satyr. 5. li. 2. ab eo loco ad finẽ, captes aſtutus vbiq. teſtamenta ſenũ &c. deinde ſequenti, Romæ ſponſorẽ me rapis, eia, ne prior officio quiſquã reſpondeat &c. aut, quod magis placet officioſa ſedulitas, eſt à clientibus togatorũ hominũ mane ad ſalutationẽ concurrentibus, & per magnã diei partem concomitantibus. hinc *opella forenſis*, eſt deductio ad forũ concomitatióq. *teſtamenta reſignet.* hoc eſt, adducit mortẽ; nã mortuo teſtatore, ad hæredẽ, & legata cognoſcenda, aperiri teſtamenta neceſſe eſt. *quod ſi. & c.* quãdo. *niueis Albanis.* periphraſis hiemis per hypallagen, illinet niueis, pro illinet niuibus agros Albanos, id eſt, aſperget. *ad mare deſcendet.* ad ciuitatẽ maritimã, Tarentũ fortaſſe. ibi namq. ode 6. lib. 2. ait brumã eſſe minus aſperam, inquiens, ver vbi longũ, tepidáſq. præbet Iupiter brumas &c. *ſibi parcet.* parcius viuet, rem parcimonia firmabit. *contractuſq. leget.* perelegãs tranſlatio à nauigantibus accepta, qui procellis vndiſq. imminentibus cõtractis velis litora legunt, vt effugiant naufragiũ, nonnunquã quoq. brumali præcipuè tempore contractis velis aut in portu ſtant, aut remigando nõ procul à portu nauigant. ſic dicit Horat. ſe victurũ parcè & frugaliter, ad euitanda morborũ pericula, dũ ver aduenerit, quo tẽpore pollicetur ſe quaſi panſis velis Romã rediturũ, ad vitã liberaliorẽ ſolutioremq́ue. *cũ Zephyris.* qui ſunt veris comites. *hirundine prima.* quæ veris quoq. aduentantis eſt nuncia: hinc vulgo dicitur ἡ χελιδὼν τὸ θέρος λαλεῖ. id eſt, hirundo æſtatem loquitur. *tu me feciſti locupletem.* tu me ditaſti villis & agris. locuples enim eſt, quaſi locorum plenus, qui multa loca. i. agros poſſidet. *veſcere ſodes.* obſecro indulge genio, eſto hilaris. ô hilaritas ruſtica, & in pyris, pomis, nucibus, quàm laudabilis Calabri prodigalitas! hic Dialogus Calabri, & ſui hoſpitis mirè facetus, dici nequit quãtoperè commendet Mæcenatis in Horatiũ collata beneficia. *benignè.* placidè, modeſtè. *hac porcis.* ô munificẽtia Calabri, cũ porcis hoſpiti communis. *prodigus & ſtultus.* hoc eſt, prodigus ſtultè, vel ſtultè prodigus, is verè dici poteſt, qui in dando nec perſonã, locũ, nec tempus nouit, ſed ſine delectu metitur omnia ex animi ſui ſententia donans tam dignis indigna, quàm contrà. *hac ſeges.* hoc eſt, donatio rerũ viliũ, & ſuperfluarum, ſemper parit ingratos: ea namq. nihil eſt quàm ſtulta prodigalitas, quæ nulli eſt vſui, nec danti, nec accipiẽti. quid ergo gratię poteſt ea mereri, aut quos efficere gratos? *vir bonus.* liberalis delectũ nouit & rerum & perſonarũ. *dignis.* ſup. donis dandis. videtur enim mihi nõ tam perſonarũ nempe Calabri & ſui hoſpitis à diſpari ad Mæcenatẽ & Horatiũ eſſe comparatio, quàm rerũ & donorũ; nam Calabrũ potentem diuitemq́. ſed nõ niſi in donis vilibus liberalem quidẽ fuiſſe, eſt ſimile vero: ſed Męcenatem contrà, nõ vilia, ſed ſe digna dediſſe dona viris bonis, nõ ſtultè, quaſi ignoraret pecuniã pluris eſſe & maioris momẽti quàm lupinos aut pyra, ſed ſapienter, & cum iudicio, adeò vt vel pretioſiſſima quæq. nempe pecunia, villæ, agri, prædia ſibi vileſcerent, ad gratificandum viro bono, ſuáq. amicitia

 digno.

digno. vt nō fruſtra cecinerit Mart. Sint Mæcenates, nō deerunt Flacce Marones: ſed me herculè pluireis ſemper inuenias Calabros. *dignus aut eſſe paratus*. ſic habent 4. Bland. cod. cū Buil. ſed duo cū litura s litteræ manifeſta. & antiqua veraq. eſt lectio. quod & Soſipatei inſtitutionis Grammaticæ li. 4. ex Cōminiano teſtatur: eſſeq. Soloecitmū per ca um, paratus, inquiens, pro paratu ſe eſſe. *quid diſtent æra lupinus*. quia ſuprà Calaber hoſpiti pyra donare ſtuduit muneris loco, hic vult Mæcenatem nō ita vileſcere aut eſſe ſordidū, vt lupinos quoq. largiendos hoſpitibus aut amicis putet muneris ergô. atq. eo modo exiſtimo lupinos hic poni pro re vili, minimiq. pretij, & æra pro re quauis, pretij nō pœnitendi. Muretū virū ſanè doctiſſimū ait Turnebus, & Lābinus quoq. vbi indicaſſe primum, lupinos hic accipiendos pro numis proiectitijs, quibus in colligendis ponendiſq. numeris pueri verorū numorū loco ſolent vti, idq́ue ex Acrone interpretante, quid diſtent æra lupinis, hoc eſt, quæ ſit differentia inter bonos & malos nummos. Equidē vt nō improbo hanc opinionē, tamē ingenuè fateor me neq. in Acrone vulgato, nec in ſcriptis vllis antiquis, ex quibus Cōment. edimus, legiſſe aliud quàm, quæ ſit differentia inter bonos & malos ſine appoſitione τῶ nummos. *dignū præſtabo*. agnoſcit Horat. munificentiā Mæcenatis in ſe, liberalitatēq́ue; icciro pollicetur ſe fore gratū, dignumq. qui nō pyra, vt à Calabro, nec lupinos acciperet. *pro laude merentis*. nota tmeſim, laude promerentis, vt ordo ſit, dignū præſtabo me laude promerentis. *quod ſi me nolles*. mirabilis Horatij παῤῥησία. qua ſanè nō vteretur, niſi bene confiſus de amicitia Mæcenatis, & humanitate: quis enim repoſcat homo fortunæ mediocris, à principe viro prteritos annos ſine periculo ſui capitis? quis formam, robur, gratiā, amores iuuentæ? quod hic facit Horatius, ſi Mçcenas eum nolit à ſuo latere vſquā diſcedere, aut animi reficiendi, aut valetudinis curandæ gratia, ſed inſtar mancipij apud ſe perpetuò deſidere imperet. *fortè per ang*. Apologus Æſopicus facetiſſimus artificioſè ſubſequēs, ad præcedentium verborū libertatē leniendā. *tenuis*. fame exhauſta & inedia. *paſta*. plena, bene ſaginata. *repetas*. Mart. & Sil. cod. habent repedes, quod nō diſplicet, nā cū eo conuenit quod dixit, rurſus ire foras, pro redire. *cauū*. à chao dictū per d, inquit Feſtus, & eius inanitate. paullò ſuprà dixit anguſtā rimā. *hac ego ſi comp*. hoc eſt, ſi quaſi vulpecula aſtuta, me inſinuauerim in amicitiā Mçcenatis, vt bene paſtus, ditatúſq. meo more viuerē, nec eo ſit animo Mæcenas, vt hoc mihi cōcedat, niſi cuncta reddā quæ mihi largitus eſt, iā potius reddo liber, quàm ſeruio miſer. *compellor*. habent ſic 4. Bland. Buil. Tonſ. ſed Mart. habet, compellar, cum alijs. *nec ſomnū plebis*. ſenſus horū verſuū dependet (vt mihi videtur) ab eo quod dicit cuncta reſigno, hoc modo, ego iam ſatur altiliū. i. vrbanæ voluptatis, & deliciarū, cuncta dona reſtituo Mæcenati, & ſic inſtar muſtelæ nudus redeo, & liber ad priorē vitā. deinde, nec laudo. i. vitupero ſomnū plebis, id eſt, vitam vrbanā multo ſtrepitu, & curis perturbatā, nec muto. i. præfero ruris otia liberrima, tranquilliſſimáq. diuitijs pretioſiſſimis. cum hac ſententia conſonat quod dicit Satyr. 6. lib. 2. ô rus, quando ego te aſpiciā, quandóq. licebit nunc veterū libris, nunc ſomno, & inertibus horis, ducere ſollicitę iucunda obliuia vitæ? legito quæ ibi adnotauimus. longè aliter exponit Lamb. hos verſus. iudicet lector doctus. *ſæpe verecundum*. renouat Mæcenati memoriā familiaris olim ſecum colloquij, vt moueat affectū erga ſe benigniorem quàm qui potius velit donata repetere, quàm tantilli temporis abſentiā concedere. *verecundū*. hoc indicat Mæcenatem Horatio dona dediſſe nō petenti, dixiſſeq. inutilem eſſe pudorē viro egēti *rexq*. propter munificentiā. *paterq*. propter amorem, & paternam quandā affectionē, qua proſequebatur Horatium. rexq. paterq. verba ſunt amoris veri plena, icciro ſubdit, *inſpice ſi poſſum*. per inde ac ſi dicat: etiamſi Mçcenas donata repetat, ſe affectū nō repoſiturū. *haud malè Telemachus*. hoc exemplo Menelai, & Telemachi, dilucidè docet fuiſſe honeſtius, nec Mæcenatem dare, nec ſe munera accipere, quàm nunc reddere. *non eſt aptus eq*. verba ſunt Telemachi ad Menelaum, Odyſſ. δ. ἐν δ' Ἰθάκῃ, οὔτ' ἄρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λειμών &c. inter cetera dicit. ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι id eſt, ſed equos ad Ithacā non ducam. *porrectus*. montibus frequens, petricoſa, miniméq. paſcuis apta. *paruum parua decent*. kleyne voghelkens maecken cleyne neſtkens. *non regia*. magnifica, & ſumtuoſa. cū eo quadrat, quod dixit, nec ſomnū plebis laudo. *vacuū*. nō frequēs, & populoſum, & proinde ſtudijs meis, & aptū vitæ tranquillæ. *imbelle Tarentū*. alibi vocat molle, otioſum. *Philippus*. L. Philippus orator inter alios eloquens, & nobilis in altercādo cū aliquo, inquit Cic. in Bruto, aculeo, & maledicto facetus. *ab officijs*. forenſibus. *Carinas*. Carinę ea pars eſt Eſquiliarū quæ inter Buſta Gallica, Tabernolam, arcum Gallieni, & Suburā eſt. dicta Carinæ, teſte Seruio, ab ædificijs factis in modū Carinarū. hic erat domus Pompeij, vbi Lenęus libertus eius, Grammaticā docuit, domus Quinti Cic. domus huius Philippi &c. *adraſum*. aliqui cod. habent, araſum, ſed nulli abraſum. *in vmbra*. in officina, tōſtrina, quæ plurimùm erat in pergulis. i. in ambulacris vndiq. perſpicuis ipſis prætereuntibus, quales erāt quoq. porticus. *purgantem leniter vng*. hoc autē Græcis eſt ἐξονυχίζειν. *gaudentē paruiſq. ſodalibus*. ῥᾳθύμως τε ἐν τοῖς

τι ἐνάργειε. *& lare certo.* cod. Sil. cum Mart. habet & lare curto, quod omnino rectum puto; nã pauperiores in pergulis habitabant, vt & meretrices. *negligit aut horret.* prudentis ſerui reſponſum ſub diſiunctione vt herum mitiget. *ſcruta.* ſcruta ſunt minuta vaſcula, vt notat Ariſtoph. interpres *χυτάρια λεπτὰ σκεύη*, & futilia. accipiuntur quoq; pro quibuſuis mercib' vilibus, & ferè nullius æſtimationis, quas à propolis quandoq; ſolemus emere, ſolandis infantibus & pueris. vnde illud eſt Apollinaris epiſt. 7. nunc quædã friuola, nunc ludo apta virgineo ſcruta donabat. vbi Baptiſta pius nõ aptè ſcroba legit. Heſychio autẽ *ῥωπικὸν*, & Appuleio *ῥωποπωλεῖν* eſt eiuſmodi vilia vẽdere, ſcrutariã facere, *χυτοπωλεῖν*, & *χυτοπώλης*, friuolarius ſcrutarius Agellio. in antiquis ſcriptis inueni, ſcrutum. i. grutũ, hoc eſt, fractũ milium. *prouidiſſet.* ſic habẽt omnes ſcripti cod. nec mutandũ credo. quod autẽ Lamb. cõtendit, legendũ eſſe, prouiſiſſet, arbitror nõ eſſe neceſſe; nam eius verbi ſententiam includunt hæc verba præcedentia, quòd non mane domũ veniſſet, ſeparata ab hoc verbo prouidiſſet, per aduerbium ordinis, deniq. *dicenda tacenda.* *ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα.* fanda, nefanda. cui concinit hoc prouerbiũ, Quicquid in buccam venit, hoc eſt, liberè, quiduis locutus, quod vernaculè dicimus, **ſoo wel dat hem teghen gaet / alſt met gaet**. hæc autem accipienda ſunt in eum ſenſum, nimirũ Vulteiũ ſua negotia inconſideratè effutiuiſſe, nõ etiã publica. *dormitũ dimitt.* iubetur redire domum *& iam.* cod. ſcripti partim, & iam, partim habent etiam. *certus.* quotidianus. *Latinis.* Latinæ feriæ, dies conceptiuus, ait Varro de Latina ling. li. 5. dictus à Latinis populis, quibus in Albano monte ex ſacris carnem (tauri mactati in honorem Iouis Latialis) petere fuit ius cum Romanis. à quibus Latinis Latinæ dictæ &c. Macrobius eos dies annaleis appellat, quorũ celebritas in certos, vel etiã in incertos dies à magiſtratibus vel ſacerdotibus concipitur; quorũ dierum feriæ appellantur Conceptiuæ, vt Latinæ, Sementiuæ, Paganicæ, Cõpitaliteç. *manus.* equuli; quòd palpitatione, & manuũ plauſu ſequantur. *ſeptem donat ſeſtertia.* hoc eſt, ad noſtros numeros arithmet. quinquaginta libras ſeptendecim ſolidos, ſex groſſos, aut circiter; vt colligere licet ex de Aſſe Budæi. *amore habendi.* ſtudio lucri, auaritiæ. *verùm vbi.* hactenus, ex animi ſententia ſucceſſerunt omnia Vulteio: hic incipit fortuna mutare vultum, veláq. vertere: cuius impatiens Vulteius, mutatis animis, incipit meditari vitã priorem, & tanto ſtudio ruris offendi dãno, quanto prius eius deſiderio colendi raptus fuerat. *ſeges.* ager ſatus. *media de nocte.* hic vide quid proſit aut potius obſit in rebus agendis imprudẽtia. Vulteius temerè cœpit agros colere, ſtultè deſerit, ſuis rebus nullà curà aut remedio adhibito, non expectauitq; dum illuceſceret, ſed de nocte caballũ arripuit. *iratus.* acceptis damnis offenſus dolénſq. *ſcabrum.* ſqualidum, hirtum, nõ nitidũ, & bene habitum, vt antea dum ageret in vrbe. *durus.* laborioſus, in ſe immitis, ſibi non parcens. *Vulteri.* diſſyllabum. *ponere.* ſic legitur in Bland. vetuſtiſſimo, Tonſ. Buſl. Diueſ. in alijs dicere. ſed malim, ponere; pro imponere; Cic 1. de natura deorũ: ſunt enim rebus nouis noua ponenda nomina. ſic Satyr. 3. li. 2 nomen inſano ponere. *quod te per.* non propter quod, ſed quam rẽ, quod beneficiũ nimirũ vt me reddas vitę priori. hæc vehemens eſt obteſtatio, nimirũ per ea ferè ſacra quæ naturæ præſunt. *vitæ me redde.* hoc eſt, poſtquã acceperis tua ſeſtertia, quæq. tua ſunt, ſine me redire ad priorẽ vitam, liberato me ab hac ſeruitute ruſtica. *qui ſimul.* cod. Mart. habet, qui ſemel; reliqui omnes ſimul, quod magis placet. *aſpexit.* perpendit quàm ſit difficile mutare vitæ inſtitutum, idq. conari cui nõ conſueueris à teneris. *maturè* non temerè, ſed omnibus prius rebus ſuis compoſitis, cõſideratiſq., ſit ne ſatius vtiliúſq. ruri damna accepta ſarcire prudentia diligenti, & ſummo in otio feliciter viuere, quàm in vrbe miſerè ſemper ſurſum deorſum agitari? *repetatq; rel.* vitã vrbanã cũ ſuis incommodis. *metiri ſe quemq. ſuo.* monemur omnes vt noſtra ſorte contenti, ne acquiramus aliena. tale eſt illud Perſij, Tecũ habita, & noris quàm ſit tibi curta ſupellex; vrbanus quę ſunt vrbis, ruſticus ſua rura curet colatóue. Lucianus in libello de iconibus, ſubſequitur Horatiũ, *παραμετρεῖς τῷ οἰκείῳ μέτρῳ ἑκάτερον*, id eſt, dimetiaris vtrumque menſura propria. *ac pede.* per epexegeſin, modulo, id eſt, pede.

EPISTOLA VIII.

AD CELSVM ALBINOVANVM.

CELSO gaudere, & bene rẽ gerere Albinouano
Muſa rogata refer, comiti, ſcribæq; Neronis
Si quæret, quid agam: dic multa, & pulchra minantem,
Viuere nec rectè, nec ſuauiter: haud quia grando
Contuderit viteis, oleámq; momorderit æſtus:
Nec quia longinquis armentum ægrotet in agris:
Sed quia mẽte minus validus, quàm corpore toto,
Nil audire velim, nil diſcere, quod leuet ægrum:
Fidis offendar medicis: iraſcar amicis,
Cur me funeſto properent arcere veterno:
Quæ nocuere ſequar: fugiam quæ profore credã:

Roma

Romæ Tibur amem ventoſus, Tibure Romam.
Poſt hæc, vt valeat, quo pacto rem gerat, & ſe:
Vt placeat iuueni, percunctare, vtq; cohorti.
Si dicet, rectè: primùm gaudere: ſubinde
Præceptum auriculis hoc inſtillare memento:
Vt tu fortunam, ſic nos te Celſe feremus.

COMMENTATOR.

CELSO *gaudere, & rem benè gerere.* Reprehendit Celſum moroſitatis & inconſtantiæ, ita tamen vt quę in eo carpit, in ſe transferat, quo reprehendat liberiùs. *Celſo gaudere.* nouo ſalutationis genere vtitur, exprimens Græcum modū χαίρειν καὶ εὖ πράττειν. *gaudere.* lætum eſſe. *rogata.* à me. *ſcribæq;.* notario. *minantem.* promittentem Philoſophica. *nec ſuauiter.* ex animi ſententia. *contuderit.* concuſſerit, fregerit. *momorderit.* corruperit. *toto.* ideò dicit toto, vt quamuis partem corporis validiorem oſtendat quàm animū. *leuet ægrū.* releuet ægritudinē, allegoricôs, quod animū ab erroribus & vitijs reuocet. *fidis offendar.* ſup. quia, ἀπὸ κοινοῦ. *medicis.* magiſtris, ſcilicet Philoſophis, qui animo mederi volunt. *funeſto.* triſti. *veterno.* lethargo. *arcere.* liberare. *quæ nocuere.* ſupp. quia. *profore.* profutura. *ventoſus.* inconſtans, inſtabilis, fluitās. *poſt hæc.* ſupp. omnia roga. *vt.* quomodo. *quo pacto.* qua ratione, *rem gerat.* quid agat. *& ſe.* ſupp. gerat. *iuueni.* Neroni. *vtq; cohorti.* erat enim ſcriba militum. *rectè.* ſupp. ſe agere. *gaudere.* ſup. me dicito. *auriculis.* illius. *memento.* ô Muſa. *vt tu fortunam.* hoc eſt, ſi felicitas immutabit te, nos in tua amicitia nō durabimus: quia qui in rebus lætis effertur, omnibus ſit ingratus. aliter: vt tu, inquit, Albinouane felicitatem tuā, & proceſſum in amicitiam Claudij, non inſolenti animo, neq; ſuperbienti tuleris, amicitiā tuā feremus, & ſeruabimus.

CRVQVIVS.

CELSO *gaudere & rem bene gerere.* Rogat Horatius Muſam, primùm, vt Celſum ſaluere iubeat; deinde ei nūciare, ſe meditari pulchra, & valere quidē, ſed non vt velit, non quòd aduerſi quid in ſuis bonis, aut infortunij ſe perturbet, aut grauiùs afficiat, ſed quòd animo quàm corpori peius ſit, vt qui vni ſibi ſapiens, magna quidē leuitate, & inconſtantia contemnat amicorū conſilia, fidorúmq. medicorum præcepta, qui ab hoc eū tam graui malo ſubleuare conantur. Poſtremò Muſam ſciſcitari iubet, ecquid valeat, quid rerum agat, an Neroni gratus, & commilitonibus bene ſe gerat: & deinde monere eum modeſtię, ne rebus proſperis nimis elatus, intolerabilē ſe præbeat omnibus. *Celſo gaudere & bene.* hæc Epiſtola ferè per antiphraſim intelligenda, ſuo more depingit Horatius Celſum ſuis coloribus, idque ſub ſua perſona liberiùs, quem arguit arrogantię, & nimiæ leuitatis, vt qui quouis vento mobilior, in nulla certa firmáq; vitæ ratione ſibi conſtet, nec rectè conſulentibus morem gerat, ſed in caſtris Romam meditetur, vt philoſophetur, eius pòſt paullò tædio affectus, ob nimiū fortaſſe ſtrepitum Tibur ſomniet, ſolitudinémque cuius iterum pertæſus, auráque captus populari, & ambitione, Romam feſtinet. Quare commonefacit eum prudentię, ne tandem ſit contemtui. *Celſo gaudere.* hoc Græcanicum ſalutandi genus mihi argumēto eſt, hunc Celſum ex numero fuiſſe τῶν φιλαύτων, qui præ ſe contemtis alijs, ſe Græcæ litteraturæ, philoſophiæque peritū iactabat; nam ſub eius perſona, dicit Horatius ſe multa & pulchra promittere; quod planè eſt hominis vani, & arrogantis. *ſcribæq;.* an librarius, & Poëta de familia Neronis, qui eius geſta deſcribendo Græcè caneret? quod Horatius ſubindicare videtur, per Muſam eum ſaluere iubens. an ærarius ſcriba Neronianæ cohortis? *ſi quæret,* variant hic antiqua ſcripta: in alijs eſt quærit; alia habent, quærat; ſed plura, quæret. *minantem.* alludit ad τὸ ἀπειλεῖν, quod eſt promittere cum oſtentatione, quod iactabundi eſt, multúmque ſibi tribuentis. *viuere nec rectè nec ſuauiter.* ei contrariū eſt quod dicitur bene beatéque viuere: nō autē rectè valebat Celſus nec ſuauiter, vt qui in militia præſens, abſens Romā meditaretur. *non quia grando.* à remotione cauſæ. *grando contuderit v.* hinc grando dicta eſt calamitas, à confringendis calamis. *momorderit.* repreſſerit ſiccitate. metaphor. *in agris.* ſic habent omnes ſcripti libri, præter Mart. qui habet aruis. ſed alia lectio meo iudicio eſt melior, tum quòd aruum Varroni de re ruſtica, ſit quod aratum nec ſatum eſt, gregi vel armento paſcendo aptum minimè, tùm quòd ager, generatim ſit aruus, conſitus, paſcuus, florens. Plautus in Pœnulo, non aruus hic, ſed paſcuus eſt ager. *ſed quia mente.* cauſa cur non rectè valeat, eſt affectio animi vitioſa, non corporis languor. *nil audire velim.* hęc vera eſt φιλαυτία οὐκ ἐπαινετὴ δὲ ἀλλὰ ψεκτή. i. amor ſui, nō is qui laude, ſed qui vituperio dignus eſt: duplex enim eſt Ariſt. 9. ethicorū. *fidis offen.* ſatis acerbè ex ſua perſona, docet Horatius Celſum eſſe incurabilem, & animi propè deplorati; cuius malum, nimirum arrogantiam, iactantiam, leuitatē, inconſtantiam, nominat metaphoricôs funeſtū veternū qui eſt inexpugnabilis ferè dormiendi neceſſitas, Cor. Celſo medico definitore, λήθαργος Græcè. vide adnotat. in Satyr. 3. lib. 2. *cur.* in ſententia conuenit, cum τῷ quia. *funeſtū.* funeſtum

veternũ vocat ægritudinem animi ferè inſanabilem, fortaſſis in propoſito pertinaciam. *quæ nocuere ſequar.* ex peruerſa animi apprehenſione; vbi quippe ratione ſopita, imperat animi confidentia: *ὁ θυμός. Romæ Tibur amem.* omnes ſcripti cod. hic habent interpunctionem, nõ etiam poſt, ventoſus, vt vulgati omnes; ſed ſcripta mihi magis arrident; vt ſentẽtia ſit: Vbi Romæ ſum, requiro ſolitudinem, & ad agrum Tiburtinum propero: rurſus, Tiburi exiſtens, ventoſus, id eſt, vento ſeu cupiditate popularis auræ plenus Romam reuertor, vt magiſtratus fiam. quid enim eſt aliud gloria, quàm tumor inanis, multos ventos, id eſt, perturbationes concitans in animo ambitioſi? hinc ſuperbos quoq. tumidos, & inflatos denominamus. quare videat lector vtra ſit aptior opinio. ſed non celabo lectorem, me in 4 Bland. inueniſſe, venturus Tibure Romam; quæ non penitus eſt abſurda lectio. *poſt hæc.* ἔπι τούτοις. vtq. ſic omnes cod. ſcripti. *ſubinde.* deinde, ſtatim; notat Valla Elegant. lib. 2. cap. 51. *præceptum.* τὸ ἐπίταλμα. *inſtillare.* infundere in aures leuiter: per aures in animum immittere; metaphor. à liquore.

EPISTOLA NONA
AD CLAVDIVM NERONEM.

SEPTIMIVS, *Claudi, nimirũ intelligit vnus,*
Quanti me facias: nam cũ rogat, & prece cogit
Scilicet, vt tibi ſe laudare, & tradere coner:
Dignũ mente: domóq; legentis honeſta Neronis
Munere cùm fungi propioris cenſet amici.
Quid poſſim videt, ac nouit me valdius ipſo.
Multa quidem dixi, cur excuſatus abirem:
Sed timui mea ne finxiſſe minora putarer,
Diſsimulator opis propriæ: mihi commodus vni.
Sic ego maioris fugiens opprobria culpæ,
Frontis ad vrbanæ deſcendi præmia. quòd ſi
Depoſitum laudas ob amici iuſſa pudorem:
Scribe tui gregis hunc: & fortem crede, bonũq;.

COMMENTATOR.

SEPTIMIVS, *Claudi, nimirũ intelligit vnus.* Hac epiſtola Septimiũ Claudio Neroni cõmendat, vt eũ inter amicos habeat. hic autẽ eſt Septimius de quo in Odis ſcribit, Septimi Gades aditure mecum. *vnus.* ſolus. *quanti m. f.* quã carum me habeas. *legentis.* deligentis honeſtos amicos. *cũ fungi.* ſup. &: vt ſit ordo, & cùm cenſet propioris amici me fungi munere. *fungi.* ſup. apud te ô Claudi. *cenſet.* ſup. me Septimius. *quid.* quãtum. *videt.* intelligit. *me valdius ipſo.* me ipſe. *valdius.* meliùs cognoſcit gratiam quam apud te habeo, quã ego ipſe. à valdè, fit valdius, ſicut à validè, validius. *dixi.* ei Septimio. *cur.* id eſt, vt. *ſed timui.* ne dicerem, me non poſſe quæ poteram. *minora.* quàm ſunt apud te. *diſſimulator opis.* hoc eſt, qui non oſtendam quid poſſim, vel vt celem opem apud te meam. *mihi commodus.* vt integram mihi beneficij gratiã reſeruarem. *vni.* ſoli. *ſic ego maioris.* hoc eſt, ideò me ad preces contuli, vt fugerem exprobrationes maioris culpæ, id eſt, inuidiæ, & arrogantiæ. *deſcendi præmia.* hoc eſt, vt per impudentiam impetrarem: nã vrbana frons conſiſtit in audacia ciuili. *depoſitum.* poſtpoſitum. *laudas.* probas. *amici.* Septimij. *iuſſa.* voluntatẽ: vt Maro, mihi iuſſa capeſſere fas eſt. *pudorem.* verecundiam meam. *ſcribe tui gregis.* hoc eſt, tuo gregi Septimium, & amicis adſcribe.

CRVQVIVS.

SEptimius, *Claudi, nimirũ intelligit vnus.* Claudio Neroni cõmendat Horatius Septimiũ virum eius amicitia domóq. non indignum: ſed ne temerè nimis hoc, confidentérque facere videri poſſit, ſe precibus eius ſcribit ad id coactum, non ignari propioris cum eo familiaritatis, adeò vt quiduis ab eo facilè poſſit aſſequi. cui cùm ſe nequiret excuſare, quin eum Neroni collaudaret, inque familiam eius traderet, primùm ne amicitiæ cum Nerone fiduciam deminueret, deinde ne ſui tantùm ſtudioſus nihil amici quicquam gratia velle crederetur, maluit ea de re Neroni impudentior haberi, quàm neglecti amici culpam incurrere. Quod precatur Neronẽ ne improbet, Septimiumque virum fortem bonúmque adſcribat in amicorum numerum. *Septimius Claudi* Septimius Neronis cum Horatio cõſcius amicitię, ſupplicando cogit Horatiũ, vt ſe Neroni commẽdet. *Claudi.* Claudius Nero, priuignus Auguſti. de quo lege Epiſt. 3. ſuprà. *nimirum.* certè, profectò; aſſertiuè. *intelligit* codices Bland. 4. habent intellegit, antiquo more. *quanti me facias.* quo loco, qua gratia, & amicitia, qua dignitate & æſtimatione ſim apud te: καὶ τοῦ πόσου ἐν τῷ ποίῳ. *nam cùm rogat. & pr. cogit.* ſic habent omnia ſcripta quæ legi. quã lectionẽ primus, quod ſciam, animaduertit Victorinus, vt ſcribit lib. 20. Variarum lectionum cap. 9. non ſine docta ſignificatione eiuſ-

modi dictionis antiquę. *& prece cogit ſcilicet*. nam veri amici ſupplicare eſt imperare. *ſcilicet*. confirmatiuè, certè, vt ſuprà, nimirum. tale eſt illud Cic. ad Atticum: Si taceo oppreſſus & captus quo dolore eſſe debeo? quo ſum ſcilicet. *laudare*. probare, probatum reddere; quæ namq. cõmendamus, ea laudamus. *tradere*. non quo modo ſuas merceis emptoribus tradunt mercatores, quibus hoc proprium eſt, ἅμα δίδου καὶ λάμβανε, id eſt, ſimul da & accipe: vt qui res ſuas non ante tradũt, quàm certi de mutuo: ſed eo modo, quo traduntur amici amicis, ſine ſpe mutui aut lucri. ſic Satyr. 9. lib. 1. hunc hominem velles ſi tradere. *dignum mente*. amicitia; quid enim aliud eſt vera amicitia, quam mens vna in duobus corporibus μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα, Ariſtotelis, id eſt, vna anima duobus in corporibus habitans, nã cũ amico audes omnia loqui vt tecum. *domóq;*. id eſt honeſto in familia Neronis loco, qui nec deligit præter ea quę cũ honeſtate coniuncta ſunt. Laus Neronis ab honeſto, beneuolentiæ cauſa. *munere cùm fungi*. reuertitur ad conſcientiam Septimij, de intima ſua cum Nerone amicitia, perinde ac ſi dicat, de amicitia inter nos, ô Nero, non mihi tantu perſuadeo, quantum ille ſibi perſuaſum habet, me apud te poſſe; honeſta deprecatio audaciæ, ex fiducia perſonæ alterius. *ſed timui*. verebar ne crederet Septimius me non vera dicere, ſed diſſimulare, & oſtendere nolle, quia me gratia, beneuolentiáq. amplecteretis, tamquã ζηλότυπον, nec ferre ſe veſtrę amicitię quoq. mecũ eſſe participem. *mihi commodus vni*. meam rem agere iudicaret, nulla amici cura. is autem qui vni ſibi ſtudet, Græcè ſignificantius ἰδιοπράγμων nominatur. *maioris culpæ*. æmulationis, ζηλοτυπίας *frontis ad vrbanæ*. vrbanæ, ſeu perfrictæ frõtis præmium eſt impudentia, ſeu inuerecundia: deſcendere autem ad vrbanæ frontis præmia, eſt vrbano more non etiam ruſticè, & inciuiliter, nulla gratia, cum aliquo agere, ſed lepidè facetéque quaſi aliud agendo ſeſe inſinuare; quẽadmodum hic ſtudet Horatius tradere Septimium in Neronis amicitiam. *depoſitum pudorem*. nempe præmium frontis vrbanæ. vide adagium perfricare frontem. *ob amici iuſſa*. amici Septimij cauſa. τὸ iuſſa, reſpondet ei quod initio dixit, nam cùm rogat, & prece cogit. *tui gregis*. eſſe de tuo grege, id eſt, contubernio, ſeu numero tuorum amicorum. *fortem crede bonumq;*. καλὸν κἀγαθόν.

EPISTOLA X. AD FVSCVM ARISTIVM.

VRBIS amatorem Fuſcum ſaluere iubemus
Ruris amatores: hac in re ſcilicet vna
Multum diſsimiles: at cætera pene gemelli
Fraternis animis, quicquid negat alter, & alter:
Annuimus pariter vetuli, notiq; columbis.
Tu nidum ſeruas: ego laudo ruris amœni
Riuos, & muſco circumlita ſaxa, nemúſque.
Quid quæris? viuo & regno: ſimul iſta reliqui
Quæ vos ad cælum effertis rumore ſecundo.
Vtq; ſacerdotis fugitiuus, liba recuſo:
Pane egeo iam mellitis potiore placentis.
Viuere naturæ ſi conuenienter oportet;
Ponendæq; domo quærenda eſt area primùm:
Nouiſti-ne locum potiorem rure beato?
Eſt vbi plus tepeant hiemes: vbi gratior aura
Leniat: & rabiem Canis, & momenta Leonis,
Cùm ſemel accepit ſolem furibundus acutum?
Eſt vbi depellat ſomnos minus inuida cura?
Deterius Libycis olet, aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quã, quæ per pronũ trepidat cũ murmure riuũ?
Nempe inter varias nutritur ſilua columnas:
Laudaturq; domus longos quæ proſpicit agros.
Naturam expelles furca: tamen vſque recurret,
Et mala perrumpet furtim veſtigia victrix.
Non, qui Sidonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potentia vellera ſuccum,
Certius accipiet damnum, propiúſve medullis:
Quã, qui non poterit vero diſtinguere falſum.
Quem res plus nimio delectauere ſecundæ,
Mutatæ quatient. ſiquid mirabere, pones
Inuitus? fuge magna: licet ſub paupere tecto
Reges, & regum vita præcurrere amicos.
Ceruus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat: donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis: frenúmque recepit.
Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte:
Non equitem dorſo, non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus: atq;
Seruiet æternum, qui paruo neſciet vti.
Cui non conueniat ſua res: vt calceus olim,
Si pede maior erit, ſubuertet: ſi minor, vret.
Lætus ſorte tua viues ſapienter Ariſti:
Nec me dimittes incaſtigatum, vbi plura
Cogere, quàm ſatis eſt, ac non ceſſare videbor.

Imperat,

Imperat, aut ſeruit collecta pecunia cuique,
Tortum digna ſequi potius, quàm ducere funem.
Hæc tibi dictabam poſt fanum putre Vacunæ,
Excepto, quòd non ſimul eſſes, cætera lætus.

COMMENTATOR.

VRBIS *amatorem Fuſcum ſaluere iubemus*. ad Fuſcũ Ariſtiũ Grãmaticum ſcribit, cuius amicitia plurimũ vtebatur, dicẽs ſe ętate & ſtudio, ceteriſq. ei conuenire, præterquã quòd Ariſtius quidem in vrbe manere deſideraret, ipſe verò ruri *ruris amatores*. ſup. nos. *hac in re*. quòd tu in vrbe, ego ruri habitem. *gemelli*. conuenientes, conſentientes. *quicquid negat alter*. expreſſit vinculum amicitiæ, hoc eſt, in quibus diſcordes ſunt alij homines, nos conſenuimus pariter amici in amicitia nobiſcum nata, vt, His amor vnus erat. Itẽ Salluſt. Idẽ velle atq; nolle, ea demũ firma amicitia eſt. *annuimus*. conſentimus. *pariter vetulis notiſq́, columbis*. hoc eſt, in hoc pares cum vetulis, & ſibi notis columbis; quorum amor plurimus eſt, & diuturnus. *tu nidum ſeruas*. id eſt, ciuitatẽ in qua natus es, & educatus. mirè alluſit ad nomen columbi, qui nidos habẽt; aut indicat Ariſtiũ pauperem fuiſſe, eúmq. in ſuperiori parte domus tanquam auẽ in ſuo nido habitaſſe. nam pauperes olim apud Romanos in cœnaculis habitabant. *& muſco*. muſcus genus herbæ ad fonteis ſaxis adhęrens. *quid quæris*. quid vis. *ſimul*. poſtquam. *quæ vos*. bona ciuitatis. *fugitiuus*. ſeruus. *liba* placentas. ſenſus eſt, ſic me faſtidium vrbis tenet, & rure delector, queadmodum ſeruus ſacerdotis, qui liba edere conſueuit, longo faſtidio libaminum panem deſiderat. *pane egeo*. panem requiro. *placentis*. libis ſacrificiorum. *viuere naturæ*. hoc eſt, ſi quærat aliquis ſecundum naturã viuere, & petat quod ſibi conuenit, *quærenda eſt area*. ſenſus eſt, ita nobis inſtruenda vita eſt, vt primũ auſpicemur optimã ſedẽ, quomodo faciũt qui domũ ædificare volunt, primũ quęritur optima area. *nouiſti ne locum*. quaſi dicat, non vtique. *eſt*. ſup. locus. *repeant*. tẽperatiores ſint. *rabiem canis*. dies caniculareis. *momẽta Leonis*. nocumẽta, cùm ſol ad Leonem venit. *furibundus*. Leo vel canis. *acutum*. acrem, vehemẽtem. *depellat ſom*. vnde Maronianum illud, nec ſomnos abrumpit cura ſalubreis. *minus*. ſupp. quàm ruri. *deterius*. ſupp. nũquid. ſenſus eſt, nũquid minus nitet herba quã marmor Numidicum? imo etiam herbæ redolẽt, non marmora. *purior*. ſup. numquid. *in vicis*. ciuitatibus. *plumbum*. fiſtulã plumbeam. *quàm quæ*. ſupp. aqua. *murmure*. ſono leni. *nempe inter varias*. hoc eſt, adeò rus gratum eſt, vt etiam in vrbe à potẽtibus inter varias columnas, nutriatur ſilua ad delectationem, vt, Horrendum ſiluis. & Cic. in ſilua diſpoſita ſub diuo vidimus. *domus*. in vrbe. *expelles furca*. ſup. cũ. *vſq;*. ſemper, aſſiduè. *recurret*. ſenſus eſt, ſi quæ natura bona ſunt abiicere velis ex animo, recurrent latenter. Nam qui agros fugiũt, hi intra vrbem & domos rus includunt, & arbores, quę ruri abundant, in vrbe diligunt *faſtidia*. per ſuperbiam hominum. *victrix*. naturæ. *Sidonio*. Græco *contendere*. comparare, diſcernere. *Aquinatem*. Aquinũ, oppidum eſt Italiæ, vbi cõficitur purpura, quæ videtur imitari Sidoniam. & Aquinates purpuræ ſimileis ſunt Sidoniis, & Tyriis; atq; imperiti multum ſæpe falluntur. hoc ergo dicit, patitur quidem damnum, qui neſcit dignoſcere purpuras; ſed maiore damno is afficitur, qui tantæ imperitiæ eſt & inertiæ, vt nolit verum à falſo diſcernere. *nimio*. iuſto. *ſecunda*. proſperæ. *mutata*. aduerſæ. *pones*. depones. *licet*. licitum eſt tibi. *vita*. moribus. *præcurrere*. vincere, prœuenire. *violens*. violentus. *verius*. fuerit. *improbus*. mirè improbus, pro eo quod eſt auarus & cupidus. vt, lauit improba teter ora cruor. & alibi, piſcibus atram improbus ingluuiem, & quos improba ventris exegit cæcos rabies. *ſeruiet*. opibus, & diuitiis. *cõueniet*. ſatis erit. *ſua res*. quam habet. *ſubuertet*. pedẽ. *vret*. conſtringet. *cogere*. colligere *imperat*. imperat pecunię, qui ea vtitur; ſeruit qui pa. c. is in amplianda ea laborat. *digna ſequi*. quę magis vinci debet, quàm vincere; trahi, quàm trahere. *poſt fanum*. topographia, poſt ædem Vacunæ deæ, antiquam. Vacuna apud Sabinos plurimum colitur; quidam Dianam, nonnulli & Cererem eſſe dixerunt, alij Venerem, alij Victoriam, deam vacationis, quòd faciat vacare à curis. Sed Varro primo rerum diuinarum, Mineruam dicit, quòd ea maximè hi gaudent qui ſapientiæ vacant. *cætera*. in cæteris. ſynecdoche.

CRVQVIVS.

VRBIS *amatorem Fuſcum ſaluere iubemus*. Quandoquidẽ cęteris omnibus in rebus Fuſcus Horatio conſentit, in hocquoq. velit eũ à ſe non diſſentire, quòd vrbem amœno ruri pręferat. Nam ſi virum bonũ decet, vt æquũ eſt, ſecundum naturam viuere, in primis ei neceſſe eſt diſpicere locum naturæ conſeruandæ maximè conuenientem; qui rure nequit vllus eſſe magis idoneus, aëris cælique ſalubri temperie, perpetuo ſolidóque à curis otio, herbarum vigore, florum ſuauitate, opacitate ſiluarum, & lympharum promanantium leni ſcaturigine: quæ ruris amœnitas quantum ſenſus hominis vniuerſos recreet, viſceis cor-

poris adauctas confirmet, naturæque abblandiatur, dici non poteſt; adeò vt qui inhabitant vrbem, ruris lætitiam æmulari, inumbraréque geſtiant arboribus conſerendis, hortis excolendis ornandiſque, & agris ad proſpectum patentibus apriciſque producendis: tam difficile eſt ab eo diſcedere, quod à natura penitus eſt inſitum: at hoc tamen qui faciunt, naturæq. reluctantur, eos plus opus eſt incurrere dãni, quàm quod eſt maximũ. nam falſum, poſthabent vero, nimirum perturbatiores affectus, tranquillitati mentis, quã conſtituunt in pecunia & rebus magnis, idque vt ruris pauperiẽ tenuémque victum ne experiantur: ſed quid hoc eſt aliud quàm auream libertatem redimere miſera ſeruitute; quæ naturæ maximè eſt aduerſaria? Itaque cũ ſub caſa ruſtica liceat, nõ æquare modò, ſed etiã præcurrere potentiſſimos ciueis vita & moribus, hortatur Fuſcum, ne pecunię ſtudioſus & appetens ad magna contendat, ſeque in eam cõijciat ſeruitutem, quã ſuis humeris non vbi volet magis excutiat, quàm equus ſubiugatus cum ſeſſore frenum, poſt hoſtem ſuum deuictum: ſed potius ſuis rebus contentus, ſuáque condicione ſapienter vtatur fruatúrque. At ne tamen Fuſcus iniquiùs ferat ſe moneri caſtigaríque, eũ precatur, vt decet amicos, viciſſim ſe quoque corrigat, vbi perceperit eum plura colligere, quàm naturæ ſatis eſt. *vrbis amatorem.* non hic de loco modò agitur ſuis muris mœnibúſq. incluſo, ſed etiã, de vrbano ſtrepitu & pompa, de ſalutationibus virorum principum, aſſentationibus, & eiuſmodi officiis pluſquã ſeruilibus; quæ vt nec litteras decent, nec litteratos, ita Fuſcum rebus his vrbanis plus ſatis fortaſſe deditum ſtudet abducere ad ruris opes. hoc eſt, ad vitam tenuem quidem & frugalẽ, ſed liberalem, & naturæ conuenientẽ, qualẽ viri boni cordatíq. ruri ſolẽt agere. *Fuſcum ſal.* in antiquis ſcriptis Bland. inſcriptio eſt, Ad Ariſtium Fuſcum Grãmaticum in vrbe cõmorantem; non autem vt vulgati, ad Fuſcum Ariſtium, &c. Gyraldus quoq. in Hiſtoria poëtica, ſcripta ſequitur. inſuper in ſcriptis legitur hic Comœdiarũ, nõ vt Acrõ, Tragœdiarũ ſcriptor. *ruris amatores.* vitæ frugalis, naturæque conſentientis quæ ruri agitur commodiſſimè. *at cetera.* ſic inuenio in antiquiſſ. codice Bland. quem ſecutus ſum. ſic etiam in fine huius Epiſt. cetera lætus. *gemelli.* ſimillimi. *fraternis animis.* tanquam fratres vnanimes, idem volumus, idem nolumus. *pariter vetulis notiſque columbis.* quam ſibi Lambinus lectionem conſectura proponit, eam continet cod. Bland. antiquiſſimus, ſed in τῷ noti, ſ littera ſupraſcripta, ſed in vetulis & columbis appoſita. ſic & cod. Sil. quam genuinam credo. ſic enim ferè Saty. 3. lib. 1. & magnis parua mineris falce reciſurũ ſimili: vt ibi notauimus, ad imitationẽ Gręcã. hic vide quanto artificio conatur eripere Fuſco ſtudiũ rerum vrbanarũ, non ſine aauritiæ, & ambitionis nota; quòd vera non cõſtet inter eos amicitia, vbi aliqua in re eſt animorũ diſſenſio. *tu nidũ ſeru.* illuſtratio eius quod dixit, hac in re ſcilicet vna &c. vrbem Romã per contemtum nidũ nominat præ ruris amplitudine. ſic Charon quoque ille Lucianicus vrbeis νιὰς φωλεὺς, id eſt, nidos quoſdam nominat, & ſpecus hominum præ terrę magnitudine: nec abludit à natura columbi, qui dũ licet, eodẽ ſemper loco nidificat, vt Fuſcus: à quo in hoc diſſentit Horat. cod. Tonſ. habet nidos. *circumlita.* obducta, circumdata, inuoluta. *quid quæris?* breuis & perelegans dictio, quid multis? ſummatim; quid pluribus? *viuo & regno.* valeo, & liberè ago, nulli ſeruio: libertas enim agendi quiduis, potior eſt vel ampliſſimo regno; contrà, ſeruitus, viua mors eſt. *fertis.* ſic habent omnes cod. ſcripti, præter vnum Bland. antiquiſſ. & Diuæ. qui habent, effertis. *rumore ſecundo.* magno plauſu, & acclamatione populi, cui ſeruire, regnare eſt. *liba recuſo.* vrbanas delicias. ſic ſuprà ad Mæcen. Epiſt 2. nec ſummũ plebis laudo, ſatur altilium. Liba, ſequenti verſu definit mellitas placentas. Varro Libum ſcribit à libando dictum, quòd libaretur priuſquam eſſent coctum. ſic legendum doctiſſimè conicit Scaliger, eſſent, id eſt, ederent. non eſſet, vt in Varrone iamdudum legitur. Lubet hic nugari, vt lectores cõiiciant quales fuerint interpolatores Acroniani. in ſcriptis antiquis hęc legũtur. Cùm in ſeruos ſuſpicio furti habetur, ducuntur ad ſacerdotem, qui cruſtum panis carmine infectũ dat ſingulis: quod cùm adhæſerit ori, manifeſtum furti reum aſſerit. vide num hęc ſumta ſint ex Bibliis Numerorú cap. 5. *pane egeo.* vt naturæ ſatisfaciam; ſimplicem tenuémque victum cũ ſummo otio, & tranquillitate deſidero. ſic ſuprà ad Mæcen. nec otia diuitiis Arabum liberrima muto. *viuere naturæ ſi conuenit.* ſi, non condicionem, ſed cauſam ponit, vt ſenſus ſit, quoniã naturæ conuenienter oportet viuere, hoc eſt, ea libertate tranquillitatéque animi quã nobis natura dedit, vti, non ſunt appetenda ea quę naturam perturbant, inque ſeruitutem rapiunt, ἀλλὰ δεῖ ὁμολόγως ζῆν τῇ φύσει. Cic. de Off. 3. & De finibus 4. Tuſcul. 3. 4. ait autẽ De finibus 2. viuere ſecundum naturam, id eſt, virtute adhibita frui primis à natura datis; finem bonorũ cenſuerunt veteres Academici & Peripatetici. Deinde lib. 3. Cùm hoc ſit extremũ, congruenter naturæ cõuenientérque viuere, neceſſariò ſequitur omnes ſapientes ſemper feliciter, abſolutè, fortunatę viuere, nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere.

ponendaq́

ponendáq; domo. horum verſuũ hæc eſt ſententia: quandoquidẽ omniũ ſapientũ conſenſu viuendũ eſt ſecundũ naturæ primę, & incorruptæ ductum, ei conſeruandæ locus quęrendus, & domus ædificanda eſt; quod cũ nuſquã fieri cõmodius quàm ruri poſſit, quid eſt ô Fuſce, quòd rebus ruſticis præponis vrbanas? codic. Bland. habẽt ponendáq. domo. *area primùm.* hoc ex veterũ patrũ ſentẽtia, à quibus & Heſiodus acceptũ canit, οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα. i. nãq. domus primũ, mulier deinde, bos & arator. nam primi noſtri patres ruri cũ liberis & vxoribus agebãt, agros colebant, ex quibus ſine fraude & iniuria ſecuri victũ quærebant ſimplicem, & naturæ cõuenientem. talem vixit Ofellus ruſticus Satyr. 2. lib. 2. talem Corycius ſenex in relicto rure Tarentino. Virg. lib. 4. Georg. *nouiſtine locum.* illuſtratio ruris. *beato.* ab effectu, quòd beet agricolas, hoc eſt, beatos diuitéſque faciat. *eſt vbi plus.* ab aëris cæliq́ue temperie tam hieme quàm æſtate. *rabiem canis.* alluſio ad quadrupedem. non minus canicula ſidus æſtu nimio quàm canis rabidus morſu perimit. *momẽta.* tempora. vt loquũtur aſtronomi. *accepit ſolem.* ingreditur ſol Leonem: itaque à Leone accipitur prid. Idus Iulias aut circiter, qui furibundus meritò dicitur propter maiores, nec paucas ſtellas, ex quibus aſtronomis compoſitus eſt. vide Hyginum. *eſt vbi depellat.* ab otio & ſecuritate ruſtica. Depellat, habent Buſl. Tonſ. Nan. Mart. Diuæ. Sil. ſed 4. Bland. diuellat. deligat lector ſine diſcrimine. *ſomnos.* longè alius hic ſomnus eſt, quàm ſuprà ad Mæcenatẽ Epiſt. 2. nec ſomnum plebis laudo. vt ibi notauimus. *deterius Libycis.* ab amœnitate ſuauitatéque herbarum & florum, nullo cum marmore & vrbanis ſtructuris conferenda. *purior in vicis.* ab aquis fontanis per ſuos riuulos leni murmure trepidatim decurrentibus, gratúmque non rarò ſomnum ſuadentibus. *tẽdit.* contendit vi magna, & aquæ copia. *plumbum.* tubulos plumbeos. *pronũ.* decliuem. *nempe inter varias.* cõparat ea quæ ſunt naturæ, cũ iis quæ ſunt artis, eaq́. mirabiliter à natura ſuperari docet, vt quã ars imitatur tantũ, & perelegãti ῥωπογραφίᾳ demonſtrat tubulos ad aquęductus in vrbe, opera marmorea, ſiluas nutrire, eáſque columnis ornare magnificis, & ſumtuoſis ædibus ſpatioſos hortos adiungere, non afficere quidem parùm, & paſcere oculos ſpectantiũ, ſed delectare longè magis, decurrenteis per ſaxa prǽrupta riuulos, antra muſcoſa, nitenteis herbas floridáſque, nec non flumina arundine viridi, arboribúſque & virgultis cõſitas, ceteráque ruris commoda, quæ aurã naturæ gratiorem, & ſomnum inducant ſuauiorem. Itaque concedit vrbanis ſua quædam delectamenta ruralia in ſiluis conſerendis, agris, & hortis extendendis, ſed ea non niſi natura duce, quæ nonnũquam vel inuitis, nihilq́ue tale cogitantibus potentibus vrbanis in animis emicat, & tantiſper ſui quádam ſpeciem proludit in adumbrandis rebus ruſticis, dum ſibi licet per ſeruitutem pecuniariã, qua tãquam furca coërcetur, ne qua, niſi mala, id eſt, nõ vera, ſed artificialia ſui, rurìſque veſtigia, id eſt, indicia in vrbe poſſit oſtendere, per quæ tãquam victrix, id eſt, vincens ſibi contraria ſtudia erumpit, ſeque furtim in artificioſis declarat. varia eſt horum verſuum lectio. Mart. cod. habet, expellas, reliqui omnes, expelles, &c. Deinde 4. Bland. Buſl. Sil. habent veſtigia. Mart. & Tonſ. faſtigia. equidem ſequor Bland. propter antiquitatem. At ſi cui magis arridet τὸ faſtigia, id eſt, ſuperbã magnificentiam: aut potius τὸ faſtidia, id eſt, ex ſatietate rerum vrbanarum nauſeã & ingens tædium, per me licebit. Eraſmus autẽ in Chiliad. ſequitur τὸ veſtigia. ducta, inquit, eſt metaphora à ramis, qui appoſita furca torquentur aliò quàm natura poſuerat; qua ſublata rurſum vergunt eòdem quò prius: ſic qui peccare metuunt non virtutis amore, ſed formidine fuſtis, ij ſimul atque tollitur fuſtis, recurrunt ad mores priſtinos; & ſimia ſemper eſt ſimia, etiamſi aurea geſtet inſignia. *furca.* furcilla, vara; pertica, ſeu baculus bidens. Quid ſi in modum olim ſeruorum nocẽtium qui furca ceruici impacta eiiciebantur, dicamus Horatiũ fingere naturam ſeruam furcam pati, id eſt, pecuniæ ſtudium ambitioníſque, &c. eamq́ue magna vi iniuriáque diuitum animis inijci, donec quaſi victrix exſatiatis eiiciat, pérque mala veſtigia rumpat, id eſt, ſui in colendis hortis artificioſis ſpecimen quoddam præbeat? vt ſuprà dixi, furca, ſiue furcellis expellere prouerbialiter dici poteſt, pro eo quod eſt ignominioſa vi eiicere. ſic & Græci δικρόνοις ὠθεῖν, ἢ ἀποκινεῖν. *non quis Sidonio.* hactenus ab adiunctis commodis, nullum rure locum naturæ magis conuenientem eſſe declarauit. nunc contrà, ab incommodis damníſque certiſſimis indicat vrbem, réſque vrbanas eſſe naturæ peſtilentiſſimas, vbi pro libertate, ſeruitus; pro ſecuritate ſollicitudo; pro trãquillitate dominatur perturbatio. *non qui Sido.* argumentũ à ſimili. ſenſus eſt, qui callidus ſeu rerum vſu peritus neſcit vellera potantia fucum Aquinatem, id eſt, veſtem intinctam non vera purpura, cõtendere ſeu pugnare cum oſtro Sidonio, hoceſt, vera purpura, is non accipiet, neque patietur grauius damnum, & propius medullis, id eſt, quod eum maiore dolore afficiet, quã is qui ſibi perſuadet quod falſum eſt, id eſſe verũ, & cõtrà; quales ſunt, qui vitam ruſticam tenuẽ, pauperémq. ſed tranquillã poſtponũt vitæ

vrbanæ luxurioſæ, opulentæq́; , ſed perturbatæ. *Sidonio.* Sidon vrbs nobiliſſima in Phœnicia diſtans à Tyro, maxima Phœnicū & antiquiſſima, purpurarúq́ piſcatu præſtantiſſima, non plus quā ducentis ſtadiis. vide Strab. lib. 16. *callidus.* ἀγχινόως, pro callidè, peritè, & prudenter. πανουργῶς. *oſtro.* oſtrū liquor conchylij ſeu muricis. Oſtreum propriè eſt ipſum conchyliū, ſiue blatta piſcis, quę & purpura nominatur; huius autem ſuccus aut ſanies oſtrū dicitur, de quo & purpureis coloribus cōficiendis legito apud Vitruuiū lib. 7. ca. 13. & 14. *potiusq́; medullis.* ſic Diuæ. Tonſ. reliqui, vt. *quem res plus ni* hoc eſt, qui mediocritate non contētus ad ampliora ſemper aſpirat, is amiſſa tranquillitate, (quod otiū eſt ruſticū) tanquā ſummo bono, incidit plerumq; atque adeò ſemper in infinitas perturbationes, quæ ſummū ſunt & extremū malum. *ſi quid mirabere.* hic locus omnino aſtruit, quā probaui lectionē ſuprà Epiſt. 6. nil admirari propè res, &c. nā ſi miraberis, inquit, pones inuitus, ergo ei acquirendo dabis operā cruciaberíſq. *fuge magna.* deterret Fuſcū à rebus magnis appetendis, quòd in re tenui, & caſa ruſtica beatiſſima ſit vita. *ceruus equum.* Apologus hic docet aliud damnū, non inferius ſuperiore; quod eſt obluctari naturæ; libertas enim natura nobis inſita, ſeruitute perit, quam totis viribus conſectamur, vt effugiamus pauperiem, id eſt, frugalem vitā, quam falſo nobis habemus hoſtē. *pugna melior.* ad pugnā paratior, pugnacior, ſuperior in pugna, victor. *communibus her.* cōpaſcuis. *minor.* inferior, imbecillior, victus. *frenúq́; recepit.* parere cœpit, & homini morigerari. *improbus* turpis *neſciet.* Tōſ. & Marr. neſciat, reliqui neſciet. neſcijt autē, quod Lābinus optare videtur, ineptū eſt, nec immeritò reiectum à Paſſeratio auctore Lamb. cauſam autem reiectionis vel mediocris verſificator facilè coniiciet. *quia.* ſic habent omnia ſcripta, non qui paruo neſciet, &c. vt quidam vulgati. *olim.* nonnumquam. *ſubuertet.* pedem. hinc Græcū illud prouerbium, μηδ' ὑπὲρ τὸν πόδα ἔστω τὸ ὑπόδημα, id eſt, ne maior pede ſit calceus, hoc eſt, ne plus quàm ſatis eſt appete, ne quid conare ſupra vireis. *vret.* pedem. ſic Heſiod. de vxore moroſa, εὕει ἄτερ δαλοῖο καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν, id eſt, vrit torre ſine, atque graui dedit illa ſenectæ; aut, abſque face exurit, crudæ tradítque ſenectæ. *lætus ſorte tua.* hortatur Fuſcū ad mediocritatē, & amicè requirit ab eo caſtigari, ſi in congerendo ipſe modum excedat. *ducere funem.* arbitror hoc ſumptū eſſe, eóq. alludere Horatium quod dici ſolet, μίθος ἕλκεται τότ' ἦν, hoc eſt, funis cōtentionis tunc erat, quod dici ſolet, quando neuter contendentium vult alteri concedere. cuius meminit Tertullianus in principio libri aduerſus Iudæos. natum autem videtur à ludo, quo hinc atq. hinc tenentibus funē, conatur vterque alterum ad ſe trahere. huius funiculi contentioſi meminit quoque naturæ verum miraculum Ioſephus Scaliger in tertium lib. Varro. de re ruſtica, vbi locum hunc Varronis explicat, fortaſſe ante eum duceret ſerram, &c. vbi potius legēdum cenſet, duceret ſertam, in eam ſentētiam qua Terentius ait reſtem ductitare: nam ſerta τὸ σχοῖνον, funiculus eſt. hunc legito. Erat quoque apud Gręcos ridiculæ ſaltationis genus, ac planè ruſticæ in comœdiis, quod κορδακισμὸν nominabant, ad quod in Adelphis Terentius alluſit, tu inter eas reſtim ductitans ſaltabis. Non vult itaque Horatius pecuniam eſſe pręſultorem, funémque ductando ceteros poſt ſe trahere, & imperare ad ea quæ minus ſunt honeſta, ſed contrà eam ductari trahíque. eiuſmodi autem ſaltationis tria erant genera, ἐμμέλεια, Tragica, σίκιννις, Satyrica, & κόρδαξ, Comica, quæ erat omnium maximè libidinoſa. legito Pollucem lib. 4. cap. 14. 15. &c. tortum funem, eſt perpetuum epitheton. 4. Aeneid. feſtinare fugam, tortóſque incidere funeis. Quin & vernaculè vulgò fertur, hy is al de coorde/ leedt hem/ hy is vaſt, pro eo quod Latinè dicitur, captus eſt, ducite. *hæc tibi dictabam.* puero excipienti ſcribentíq;. *putre.* carioſum. *Vacuna.* Vacuna vacationis dea, ſicut Murcia dea pigritiæ, de qua Feſtus, Arnobius, Murcia, ſegnium dea. *excepto.* ablatiuus abſolutus per ſe; ſicut apud Sall. audito regem in Siciliam tendere; vel per ellipſin, eo. *ſimul eſſes.* mihi adeſſes.

EPISTOLA XI.

AD BVLLATIVM REVERSVM EX ASIA.

QVID tibi viſa Chios, Bullati, notáq́; Leſbos?
Quid cōcinna Samos? quid Crœſi regia Sardis?
Smyrna q̄d et Colophō maiora minoráve fama?
Cūcta ne præ cāpo & Tiberino flumine ſordent?
An venit in votum Attalicis ex vrbibus vna?
An Lebedum laudas odio maris atque viarum?
Scis Lebedus quid ſit? Gabiis deſertior atque
Fidenis vicis. tamen illic viuere vellem:
Oblituſq́; meorum, obliuiſcendus & illis
Neptunum procul è terra ſpectare furentem.
Sed neq́;, qui Capua Romam petit imbre, lutoq́;
Aſperſus, volet in caupona viuere: nec qui
Frigus collegit, furnos & balnea laudat,
Vt fortunatam planè præſtantia vitam.
Nec, ſi te validus iactauerit Auſter in alto:
Iccirco nauem trans Aegæum mare vendas.

Inco-

Incolumi Rhodos & Mitylene pulchra facit,
Pænula ſolſtitio, cāpeſtre niualibus auris, (quod
Per brumam Tiberis, Sextili menſe caminus.
Dum licet, & vultum ſeruat fortuna benignum:
Romæ laudetur Samos & Chios & Rhodos abſens.
Tu, quamcumque deus tibi fortunauerit horam,
Grata ſume manu: nec dulcia differ in annum:
Vt, quocumque loco fueris, vixiſſe libenter
Te dicas. nam, ſi ratio, & prudentia curas,
Non locus effuſi latè maris arbiter aufert:
Cælū non animū mutant qui trans mare currūt.
Strenua nos exercet inertia. nauibus atque
Quadrigis petim⁹ bene viuere. quod petis, hic eſt:
Eſt Vlubris, animus ſi te non deficit æquus.

COMMENTATOR.

QVID *tibi viſa Chios, Bullati.* Alloquitur Bullatiu qui varia loca villarum, ciuitatum ac regionum acceſſerat, quem interrogat an ne ad comparationem Tiberis, & campi Martij ei ſordida meritò videntur: quod cùm neget Bullatius, & Lebedum præferat, tandem concludit Horatius omnia loca ſiue minora ſiue maiora æqualia eſſe ad bene viuendū. *quid tibi.* ſup. eſt. *notaq;*. nobilis Alcæo & Sappho. Chios & Lesbos inſulæ ſunt in Aegæo mari. *concinna.* tēperata. *Sardis.* oppidum Lydię, quod Crœſus Halyattis filius tenuit. *Smyrna.* ciuitas Ioniæ in minori Aſia. *Colophon.* vrbs in Ionia Apollinis oraculo nobilis. *ne.* nūquid. *præ campo.* Martio, qui Romę celeberrimus, & ad Tiberim amœniſſimus habebatur. *votum.* tuū. *Attalicis.* Aſiaticis, nā Attalus Rex Aſiæ fuit. *an Lebedum.* Lebedus oppidū eſt deſertum in Aſia iuxta Colophonē. Alij dicūt eſſe vicū in Italia iuxta mare, quò pauci accedunt propter æſtū maris. ſenſus eſt, an terra maríque vexatus paratus es apud Lebedū reſidere, ne iterū nauiges? *Gabiis deſert.* Gabij & Fidenæ ciuitates Sabinorū deſertæ. Notandū in Fidenis primā ſyllabam productam, quā Maro breuem poſuit, inquiens, vrbémque Fidenam. *meorum.* propinquorū. hoc eſt, neq; reuerti ad meos vellem dum in quiete eſſem, neque redeundo iterum maria perferre. *Neptunum.* mare. hyperbatō. hoc autē dicit ad imitationē Lucretij, qui ait, ſuaue mari magno morantibus ęquora vētis, è terra magnū alterius ſpectare laborē. *neq. qui Capua.* Qui Capua Romā pergunt, prę lōgitudine viæ, luto & aqua aſpergūtur, non tamē velint propter interueniens incommodū, totū vitæ propoſitū immutare. *in caupona.* in taberna meritoria. *viuere.* ſup. ſemper. *laudas.* ſup. ſemper. *vt.* quaſi. *præſtantia.* balnea, & furnos. *nec ſi te val.* hoc eſt, nemo neceſſitatis locū facit iudicem, quia nō ſunt ea bona dicēda quę propter neceſſitatē deligimus. *in alto* mari. *incolumi.* ſanæ mentis homini, conſtanti, & quieto. *Rhodos & Mitylene.* nomina inſularū. *pænula ſolſtitio.* æſtiuo. pænula groſſa veſtis, in æſtate inutilis propter ſpiſſitudinē. *campeſtre.* cāpeſtre, eſt linea veſtis tenuis, inutilis hieme, quia totius corporis nihil præter inguina tegit; ideo cāpeſtris dicta, quia in campeſtri exercitio, id eſt, in campo Martio vtebātur iuuenes. *niualibus auris.* hoc eſt, ſolſtitio hiemali, quando flant auræ niuales. *per brumam.* ſup. & quod facit, ἀπὸ κοινοῦ. quia in Auguſto menſe non eſt opus igni, nec in hieme natare per Tiberim: ſic nec ſapienti ad vitā locus aliquid cōfert; nihil enim impedit homines bonis eſſe moribus, ſi volunt, vbicumq. locorū fuerint. *ſeruat.* tibi. *Roma.* viuenti *laudetur.* à te. *fortunauerit.* beatā fecerit. *horam.* quodcumq. tempus. *differ.* in aliud tēpus, ſed vtere ſemper dū dātur. *vixiſſe libenter.* quia cū nihil ad votum deeſt, nihil intereſt, in maiore aut in minore ciuitate viuas, quia vbique licet bene viuere. *arbiter.* qualis locus eſt apud maritimas, & amœnas ciuitates, excelſus ſuper mare, quia in tuto poſitus nòn timet mare, ideo arbiter quaſi domin⁹, & mare reiicit, & de eo iudicat. *cælū.* clima cæli. *inertia.* ſtultitia. *nauibus atque.* ironia. *quadrigis.* equis. *quod petis.* bene viuere. *hic eſt.* vbi habitas. *Vlubris.* vicus deſertus in Cāpania tam inops quā Lebedos in Aſia.

CRVQVIVS.

QVID *tibi viſa Chios, Bullati.* Agit Horatius cū Bullatio de locorū, ciuitatū, & vrbiū, quas ipſe adierat, magnificentia, ſplendore, & amœnitate, num viderit aliquam, vbi potius quàm Romæ, ſe felicem fore crederet. Qui Lebedū ſibi non parū placere reſpondit, ibíque ſe malle viuere, eò quòd Romæ, & maris odiſſet propinquitatē, & viarū difficultatem proficiſcentibus nimiſquā moleſtam. Itá ne, inquit, loci cōmoditas beatum, & contrà infelicem facit incommoditas? ſed quis in itinere Capua Romā, luti pertęſus, & imbris, optet in caupona ſemper agere? aut frigoris impatiens, balnea plenè beare clamitet? nū quis inter nauigandū iactatus ventis & vndis, peregrè ſatiùs, naui vendita manere, quàm maris iterum facto periculo in patriam redire iudicat? Profectò inquit, nō Lebedus, Rhodos, Mitylene, nō Roma ipſa viro ſanæ mentis plus ad bene viuendum requiritur, quàm ad caleſcendum pænula ſolſtitio æſtiuo, caminúſve; aut per brumā campeſtre, nebuláve linea ad frigus propellendum, Tiberináve natatio. verùm, donec fortuna propitia eſt, licet Romæ bene beatéque viuere; ita vt nec Samos tranquillitatis gratia, nec Chios adeunda ſit,

vlláve

vlláve alia regio: quia non locus, non cælum, nec quicquid extra hominē eſt, eum beatu efficit, ſed animus rectæ rationi cōſentaneus, is curas auferre, mentémq. tranquillare valet. Quare ſumma eſt inſania animíq. inconſtantia, in peregrinatione, locorúmq. mutatione, beatitudinem quęrere, quę vbiq; locorū eſt penes te. *quid tibi viſa Chios.* Omnino eſt vero ſimile Bullatium fuiſſe virū bonum, ſed puſillanimē, & ad quemuis, aut belli, aut ſeditionis leuem ſtrepitum, vehementer exhorruiſſe: quę res effecit eum γυρηπλανήτην, id eſt, erronem, & tantum non circulatorem: nam dum incumberet in id, vt tranquillè viueret, vbique locorum, ſemper ei aliquid fuit impedimento, quod eum fecit aliò cōmigrare. hinc factum eſt vt diuerſa loca adiret, & vrbeis multas inſpiceret. hac de cauſa monet eum Horatius, vt tandem ſapiat, nec amplius ſibi perſuadeat, locorum cōmoda vel incommoda quicquā facere ad vitā beatā, ſed eam præſtare animi tranquillitatē ſecuritatémque, quę vt non eſt in rebus externis, ita locorum commutationē eam in animo efficere non poſſe. Sunt qui Bullatiū cenſent circumforaneum fuiſſe, & incertis ſedibus vagatū lucri cauſa: ſed hoc non temere quis mihi perſuaſerit; acerbius enim notaſſet eum Horatius. at interim tamen non negarim moneri leuiuſculos homines, qui dolent impatientiùs, ſi quid accidat præter ſententiā; qua de cauſa mox cogitant de mutandis ſedibus, quaſi vel locus adferat infortunium, vel cęleſtis aſpectus; ignari vitę rationem dependere ex ingenij ſagacitate, prudētiáque. *quid tibi viſa.* hæc enumeratio locorum variorū, indicio eſt, Bullatiū fuiſſe πολύτροπον, id eſt, hominē verſatilis ingenij, ad omnia perluſtrāda. *minoráue fama.* ſic habent omnia ſcripta quæ legi, & vera eſt lectio. referuntur enim ad ſequentem verſum, cuncta ne, &c. *præ campo &c.* præ Roma. *ſordent.* inculta, viliáque videntur *Lebedum laudas.* an Lebedū Romæ præfers, eò quòd ſuprà & infrà mari concluſa, nonnumquā quoque ab infero mari per Tiberim inūdatione ciuibus formidabilis, deinde montibus vndiq; quaſi circumuallata, vias iter facientibus oſtēdit perdifficileis, nec egreſſu cōmodo nec ingreſſu? *ſcis Lebedus quid ſit.* hic dialogus eſt, quantum licuit obſeruare ex notis codicum Blandiniorum. præterea libri omnes ſcripti, quos vidi, habent, quid ſit, nulli quàm ſit. vnus tantū Bland. habet quod ſit, ſed per emēdationem, nam ſupra o litterám ponitur i. Horatium percunctatur Bullatius, eò quòd ſe credat odio maris & viarum tantummodò Roma pluris facere Lebedum, an cenſeat nullo alioqui vel ſtudio Lebedum vel amore dignum. interrogatitaq; ſciat ne Horatius quid ſit Lebedus. *Gabijs deſertior atq; fit vicus* hæc reſpondet Horatius cōtemtim in odium Lebedi, quem vicum dicit deſertiſſimum. at Strabo lib. 14. Poſtea, inquit, eſt Lebedus qui centum ac 20. ſtadiis abeſt à Colophone. Hoc in loco Liberi patris cōuentus eſt, & Ionum habitatio vſque in Helleſpōtum, in qua ſollemnia & certamina Libero patri quotānis celebrabātur, &c. inſuper & Plin. lib. 5. cap. 29. ab Epheſo ſcribit Manteum aliud Colophoniorum, & intus ipſa Colophon, inde Apollinis Clarij fanum, Lebedos, &c. Mela quoque lib. 1. cap. 17. Ibi Cayſtros amnis, ibi Lebedos Clariíque Apollinis fanum quod Manto Tireſiæ filia, fugiens victores Thebanorum Epigonos ſtatuit. itaque quòd Lebedos celebris eſſet ob ſcenicorū hiſtrionum collegium, & ob ludos ac certamina Libero patri quotannis celebria. Bullatio fortaſſis ipſa Roma erat gratior. Quòd autē Horatius dicit Lebedū fuiſſe deſertū, nō penitus abeſt à vero: ſcribit enim Strabo eodē loco inter alia: Quare ij (Myonneſij) in Lebedum migrauere, Lebediis perlibenter eos ſuſcipientibus, propter hominū paucitatē qua detinebantur. *Neptunū procul &c.* Sic Ariſtides in Themiſtocle ἀλλ᾽, οὐχ ὅμοιον ἐν μέσῃ τῇ θαλάσσῃ περὶ τῶν ἐν τῷ πλοίῳ λέγειν καὶ τὴν εὐψυχίαν τὴν αὐτοῦ δεικνύναι, καὶ καθήμενον ἔξω τῆς ζάλης ὑπὸ τῷ τείχει, id eſt, atqui nō perinde eſt, ſi quis medio in mari de iis loquatur qui in naui ſunt, animíq. præſentiam demonſtret, ſedénſq; procul à procella inter parietes. *tamen illic viuere vellem.* verba Bullatij ſine vlla cura propinquorū, & patriæ deligentis præ Roma Lebedum, eò potiſſimū nomine quòd procul abeſſet à mari, nec aliò cōmigranti traiiciendum *ſed neq; qui Capua.* verba ſunt Horatij confutantis Bullatij ſententiā à ſimili, perinde ac ſi dicat, ſi vitā metiaris felicē aut infelicē ex cōmodis loci vel incōmodis, ergo in itinere Capua Romā, cauponam delige defatigatus lutóue aſperſus vbi perpetuò viuas. *frigus collegit.* friget. *furnos.* furnū, inquit Feſtus, nigrū, vel atrū. hinc dicta furnus, furię, funus, fuligo, fulgus, fumus, furuū bouē, id eſt, nigrū immolabant Auerno. hic furnus eſt caſa furnaria, φοῦρνος Polluci lib. 5. & Athen. lib. 3. Eſt Varroni quoq. teſtus vel teſtū, hinc teſtuariū libū apud eūdem. *plenè.* omnino. *Mitylene pulchra.* Mitylene, ſcribit Strabo lib. 13. portus duos habet, &c. & ea rebus omnibus pulcherrimè inſtructa eſt. *dum licet ac vultum.* ſic habent omnia noſtra ſcripta, & rectius quā vulgati cod. propter τὸ κακόφωνον. *tu quamcunque.* γνώμη. hi duo verſus, tu quamcumq. deus tibi fortunauerit horam, grata ſume manu, nec dulcia differ in annū, in Bland. non fuere primū ſcripti, ſed multo pòſt tēpore ſunt adiecti, vt oſtendūt characteres in tribus libris Blād. in quarto fuere

to fuere quidem, ſed hoc modo, tibi fortunauerit oram, ſine nota aſpirationis: prætereà ſequens carmen in quatuor Bland. Mart. & Sil. habet, Tu quocumque loco fueris; non, vt. Quare auſim ne coniicere, eos duos verſus eſſe ſuppoſiticios, cùm de loci tantummodo, non etiã temporis mutatione hic agatur: vel huic poſtponẽdos, Cælum non animum mutant. lectorẽ doctum monere volui, vt mecũ diſpiciat hunc locum examinétque. *nec dulcia.* multi lib. ſcripti habẽt, neu, ſed alterum magis placet. *vt quocumq.* cod. ſcripti Bland. & Mart. habent, tu quoc. *nam ſi ratio.* τὸ ſi, cauſam, non condicionem ſignat. *non locus effuſi latè.* maris arbiter locus, terra eſt, quæ ſuos vndique maris effuſi terminos cõtinet, eius aquas & vndas arcẽs ſuo arbitrio, & ſitu. Cõuenit cũ eo quod ſuprà dixit, Neptunum procul è terra ſpectare furentem. Quare ſenſus eſt, nõ vicus, nõ ciuitas, nõ vrbs, nõ regio, denique non tota terra vitam beatam, ſed ſola tranquillitas animi præſtare poteſt. ἀνθρώπου δ' οὐδεὶς ἀφαιρεῖται τόπος εὐθυμίαν, ὥσπερ οὐδὲ ἀρετὴν, οὐδὲ φρόνησιν: Plutarch. περὶ φυγῆς. nam *cælum nõ animum mutãt.* ſic Aeſchines cõtra Cteſiphontem, vt notat Victorinus lib. 18. ca. 13. οὐδ' ὅστις ἐστὶν οἴκοι φαῦλος, οὐδέποτ' ἦν ἐν μακεδονίᾳ, κατὰ τὴν πρεσβείαν καλὸς κἀγαθός: οὐ γὰρ τὸν τρόπον. ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξε. hoc eſt, quicumque domi prauus eſt, nequaquam ſanè, ne in Macedonia quidem legatione fungens, vir bonus & probus erit; non enim mores, ſed locum ſolum mutauerit. *ſtrennua.* vehemens & cita. *inertia.* ἀφροσύνη, ἀργία, inſipientia, ſtupiditáſq;: qui non videmus perpendimúſque nõ patriam, non locum, nõ cælum nobis obeſſe vel prodeſſe ad vitam beatam. ſtrennua inertia dictum ὀξύμωρον. *nauibus atque quadrigis.* hoc eſt, ſumma feſtinatione, ſummóq. ſtudio ſi quid in patria ægrè eſt, aliò migramus & fugimus, quaſi bene ibi victuri, ſed non fugimus nos ipſos, hoc eſt, affectus animi, cupiditatéſque. *Vlubris.* Vlubrenſes ponit Plin. in Campania; lib. 3. cap. 5. *equus.* ἐπιεικής.

EPISTOLA XII.

AD ICCIVM.

FRVCTIBVS *Agrippæ Siculis, quos colligis, Icci,*
Si rectè frueris; non eſt, vt copia maior
Ab Ioue donari poſſit tibi. tolle querelas,
Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit vſus.
Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibúſque tuis: nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.
Si fortè in medio poſitorum abſtemius, herbis
Viuis, & vrtica: ſic viues protinus, vt te
Confeſtim liquidus fortunæ riuus inauret:
Vel quia naturam mutare pecunia neſcit:
Vel quia cuncta putas vna virtute minora.
Miramur, ſi Democriti pecus edit agellos,
Cultáq;, dũ peregrè eſt anim⁹ ſine corpore velox:
Cùm tu inter ſcabiem tantam, & contagia lucri
Nil paruum ſapias, & adhuc ſublimia cures:
Quæ mare cõpeſcãt cauſæ: quid tẽperet annum:
Stellæ ſponte ſua, iuſſæ ne vagentur, & errent:
Quid premat obſcurũ lunæ, quid proferat orbem:
Quid velit, & poſſit rerum concordia diſcors:
Empedocles an Stertinium deliret acumen.
Verùm ſeu piſceũ, ſeu porrum, & cepe trucidas:
Vtere Pompeio Groſpho: & ſi quid petet, vltrò
Defer. nil Groſphus, niſi verũ, orabit & æquum.
Vilis amicorum eſt annona, bonis vbi quid deeſt.
Ne tamen ignores, quo ſit Romana loco res:
Cantaber Agrippæ: Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit. ius imperiumq; Phraates
Cæſaris accepit genibus minor. aurea fruges
Italiæ pleno defundit copia cornu.

COMMENTATOR.

FRVCTIBVS *Agrippæ Siculis.* Ad Iccium procuratorem Agrippæ in Sicilia conſtitutum, de quo ait in Odis, Icci beatis nũc Arabum inuides gazis, &c. ſed vt illic cupiditatem eius perſtrinxit, ita hîc parcimoniam eius laudat, ſed cum mordacitate. Aliqui dicunt quòd agros illi in Sicilia donauerat Agrippa. *ſi rectè frueris.* ſi contentus fueris reditibus tuis. *querelas.* paupertatis. *rerum ſuppetit vſ.* cui nihil deeſt. *ſi ventri bene.* ſi habes cibum. *ſi lateri.* non deſunt nec veſtimenta de die, nec ſtragula dormienti. *pedibusq; tuis.* ſi tibi ſint calceamenta, & caballi. *ſi fortè in medio poſ.* ſenſus eſt, ſi verò ita viuis, vt contentus herbis, & oleribus, non egeas iis fructibus quos colligis, protinus ita diues fies vt totus fias aureus. *in medio poſ.* appoſitorum ciborum vel aliorum ſupradictorum. *abſtemius.* abſtinens, dictum ab eo quòd abſtineat temeto, id eſt, vino; ſed hic pro ſobrio poſitum eſt. *vrtica.* genus eſt herbæ. *protinus.* vbi ex his diſceſſeris. *cõfeſtim.* confeſtim, & protinus coniunxit, indulgens emphaſi celeritatis *fortunæ riuus.* id eſt, Pactolus. *inauret.* id eſt, diuitem faciat. *naturam.* tuam, auaritiæ deditã. *vna virtute.* ſola philoſophia: Ironicôs, quaſi dicat nõ putas. *ſi Democriti.* Democritus Abderites philoſophus atomorũ inuentor, & erro-

rum multorum, dum philoſophiæ intentus eſſet, neglexit agros ſuos, adeò vt vicinorum pecora ibi liberè paſcerentur; tandem dementiæ apud iudicem reus factus, obtulit libros de re phyſica à ſe conſcriptos, ob quam cauſam liberatus eſt, & præmium accepit. *cultaq́;*. rura illius. *peregre eſt animus.* aſſiduæ intentioni mentis addictus, velox eſt ad ſubtilia quæque inueſtiganda. *cùm tu.* oſtēdit Icciũ & pecuniæ ſeruire, & ſapientiæ ſtudere. *ſcabiem tantam.* inter tumultus, & curas, & fœnora. *nil paruum.* ſed magnum. *ſublimia.* phyſicam philoſophiam. *quæ mare.* exponit ſub imis. *quid temp.* quæ ſint anni temperamenta. *ſtella.* planetæ. *obſcurum.* cur Luna nunc ſit obſcura, nunc clara appareat, cur per menſes creſcat, & decreſcat. *quid velit & poſſit.* compagem mundi ſignificat, quæ concors eſt ex diuerſis partibus connexa; ex quadam enim parte diſcors eſt, vt ignis & aqua; ex quadam concors, qua mutuo colligantur, & in ſe mutuo cõmutantur, vtrum humor igne, & ignis humore paſcitur. *Empedocles.* ſup. curas ſcire. Empedocles & Stertinius nomina ſunt philoſophorum. *deliret.* nihil agat. Stertiniũ acumen, pro Stertinio, περιφραστικῶς. Empedocles Agrigētinus, multa quæ ad Pythagoricam ſectam pertinent, metro & verſibus tradidit. Stertinius philoſophus ducentos & viginti libros Stoicorum Latinè ſcripſit; hos notat, quòd verſibus ſuis obſcuriorem fecerint philoſophiam. *ſeu piſces.* hoc eſt, ſiue lautè. *ſeu porrum.* ſiue parcè viuis. *Groſpho.* Pompeius Groſphus amicus fuit Horatij, cuius meminit in odis, eques ex Sicilia oriundus. *petet.* à te. *defer.* offer. *orabit.* petet. *annona.* quaſi materies. hoc eſt, facilè poſſunt haberi amici quibus multa deſunt. *quid.* aliquid. *quo ſit Rom. loco.* qua fortuna diſponatur. *loco.* ſtatu. *Cantaber.* gens Hiſpaniæ. *Phraates.* hic Rex Perſarũ fuit, quem pulſum à ciuibus regno Cæſar reddidit: hic autem victus Tiberio ſe dedidit, & ſigna Romana quę capta cum Craſſo fuere, reſtituit. *genibus min.* deuolutus ad genua.

Crvqvivs.

FRVCTIBVS *Agrippæ Siculis*. Scribit Iccio non eſſe cur de paupertate cõqueratur, ſi collectis in Sicilia fructibus Agrippæ rectè fruitur; nam ſi ſatis eſt ei, vt genio indulgeat, corpus ornet, & equitando pedibus conſulat, quid à rege deſideret amplius? Quinimo ſi parcè viuit oleribus, & herbis contentus, eum tandem fore ditiſſimũ, eò quòd vel pecuniæ naturam mutare non poſſit, cuius eſt in vſu ſemper eſſe & fœnore, vel quòd ad vitæ magnificentiam, virtutis amore ab eo neglecta, fiet indies acceſſione maior. qua in re fuerit omnibus admirabilior Democrito, qui ruris modò relicto ſtudio philoſophabatur, cùm Iccius ipſe in ſumma etiam rerum copia, non auri, non argenti ſplēdore cupiditateq. poſſit auocari à ſublimium rerum contemplatione, cauſiſque indagandis, nec non euoluēdis ſedulo philoſophorum naturalium monumentis. Ceterùm ſiue ſplendidè vitam inſtituat, ſiue tenuiter, ei commēdat Pompeium Groſphum, vt eo familiariter vtatur, & opem ferat, ſi quid petet. de rebus autem Romanis eum certiorem facit, Cantabros ab Agrippa; Phraatem à Claudio Nerone deuictum, fortunámq; Italiæ omnia pleno cornu defundere. *fructibus.* ex agris fructuariis, paſcuis vectigalibus. *quos colligis.* coactor ab Agrippa conſtitutus in Sicilia. *non eſt cop.* ad phraſin Græcam, οὐκ ἔσθ' ὅπως, ſeu οὐκ ἔστιν ὅπως, hoc eſt, fieri nullo modo poteſt, vt maiores facultates tibi donet Iupiter. *ſuppetit.* abundat, cui ſatis eſt; animus enim hominis, non arca diues eſt appellanda. *ſi ventri bene.* non arbitror hæc dependere vel ex Epicuri, vel Metrodori ſententia, de ſana, & firma corporis conſtitutione; in qua ſummum bonum illi ſtatuebant, ſed potius ventris commoda grata ſignificare Horatium, non egere Iccium cultu ornatúque corporis, non caballis, non equis quibus ad ſplendorem magnificētiámq. vehatur ſuſpiciatúrq;: ait enim diuitias eũ à regibus non ampliores habere poſſe, quorũ pompa eſt præcipua in veſtitu, & equitatu; nec fuit Iccius Epicureus, ſed Stoicus & rerum ſublimium ſtudioſus, vt hic manifeſtum eſt, & ode 29. lib. 1. *in medio poſitorum.* in medio poſita dicuntur fortunæ bona, quibus ſine diſcrimine licet omnibus vti. *abſtemius.* ἄοινος propriè. hic autem eſt epitheton continentiæ. de maiorum ſobrietate vide Hieroglyphicon, contentus paruo, apud Pierium, lib. 57. in initio. *vrtica.* Plin. de vrtica lib. 21. ca. 15. Incipiens ipſa naſci vere, non ingrato multis, etiam religioſo in cibo eſt, ad pellendos totius anni morbos. vide Dioſcoridem lib. 4. At cùm dicit, ſi viuis herbis, ad quid ſubiicit, & vrtica, quæ herba quoque eſt, omnibus paſſim obuia, cum lactucis adhuc tenera edi quoq. ſolita? quid ſi per vrticam intelligamus piſciculum Siculum, carnis tenerrimæ, concoctúque facilem, quē Athenæus lib. 3. ἀκαλήφην nominat? ſic vt piſciculum illum herbis incoctum eſitaret? Alioqui Romanis piſces erant in deliciis, vt videre eſt in cœna Catiana, Satyr. 4. lib. 2. *ſic viues protinus.* hic in omnibus ſcriptis eſt interpunctio. quare ſenſum hunc eſſe crediderim, ſi cœperis abſtemius ſemel viuere, protinus, id eſt, deinceps ſic viues, vt liquidus fortunæ riuus te confeſtim, id

eſt, ordi-

eſt, ordine, & ſine intermiſſione inauret, & diuitem faciat. ſic enim τὸ confeſtim, apud Soſipatrum lib. 2. inſtitut. Grammat. Statilius Maximus interpretatur illud Salluſt. fecit vt nunciis confeſtim lugubribus. *fortuna riuus inauret.* videtur alludere ad Midæ fabulam, qui vt elueret auream famem cōſilio Apollinis immerſo capite Pactolum ſic inaurauit, vt arenas aureas perpetuò trahat. *vel quia naturam.* natura pecuniæ in vſu eſt, eaque non prius interit, quàm in vſu eſſe & fœnore deſiit; icirco mutare ſuam naturam neſcit, ſed maiori ſemper maior accedit, non minus quàm vnda ſuperuenit vndæ. Quare ſi pergat Iccius frugaliter viuere, quia putat cetera virtute minora, fore dicit, vt eo vel inuito & inſcio maioris continenter ex fructibus acceſſione pecuniæ, totus fiat aureus. hæc autem noſtra eſt opinio, ſine confutatione alterius, quam vnicuique liberam relinquo, nimirum vt ſupra τὸ naturam, intelligamus, tuam, quod nō fieri poteſt ſine nota auaritiæ, quam ſapientis eſt fugere in amici commendatione; vel multa ironicôs erunt accipienda. *miramur ſi Democr.* hoc eſt, quid miramur agellos Democriti philoſophantis vicinum pecus depaſci, cùm tu in ſummis opibus, in maximo pecuniæ lucro nihil quàm philoſopharis, ſublimiáq; inquiris? *pecus edit agellos.* Diogenes Laërt. in vita Democriti ſcribit eum adeò fuiſſe ſtudioſum, vt ex vicino horto ſibi cellulam ſeligeret, ibique ſeipſum includeret: & cùm aliquando pater ipſius bouem ad immolandum adduxiſſet, ibique alligaſſet, tamdiu hoc ab illo non fuiſſe cognitum, quoad hunc ille ſacrificij cauſa excitauit, ac bouis admonuit. Deinde ibidem ſcribit, cū verò lege cautū eſſet, vt qui patrimoniū conſumſerat, ſepulcro patrio non dignaretur, eo cognito, vt ait Antiſthenes, ne inuidorū: & detrahentiū calūniæ pateret, legiſſe illis conſtat magnū Diacoſmū, & quingentis talentis honoratum eſſe, & æreis imaginibus publicéq; ſepultū. *peregrè eſt.* hinc eſt in Eunucho, cū iſto milite præſens, abſens vt ſies; corpore quidē præſens, ſed abſens animo. Ariſtopha. in equitibus, ὁ νοῦς δέ σου παρὼν ἀποδημεῖ, hoc eſt, animus autē tuus præſens peregrinatur. hinc quoque eſt cū facimus attentionē, quod dicimus, adeſte animis. *velox.* cogitatione nihil velocius. *inter ſcabiem & contagia.* hoc eſt, inter ſcabiē cōtagioſam, ἀλληγορικῶς, à ſcabie corporis, ad animū, quod eſt pecuniæ ſtudiū, & amor lucri; quia eius contactus non minus ſolet inficere animos cupiditate, quàm ſcabies ſummā cutē corporis eroſione moleſta depaſcere. miratur itaque Iccium ex φιλαρέτου non fieri φιλοχρημάτου, id eſt, ex ſtudioſo virtutis, pecuniæ amantem lucriq; cupidum. *quæ mare compeſcant cauſæ.* Ariſtot. 2. lib. μετεώρων, hanc dare cauſam videtur, à natura vnicuique elemētorum datum locū, in quo & eſſe, & manere gaudet, nec cùm extra eum eſt à motu ceſſare dum eò peruenerit. Aquarū autem locum in cauo terræ, mare nominat, quò aquæ omnes, pluuiæ, fluuiales, fontanæ defluūt, ibique ſe continent naturaliter, vnde non niſi per vim expelli queunt, magis quàm cetera ſuis regionibus. *temperet annum.* Temperamentum omne calidi eſt & frigidi, quippe cùm ex his duobus natura & ſeruetur, & conſtet. Ariſtot. Problem ſectione 30. cap. 13. horum autem comites, humidum quidem frigidi, calidi autem ſiccum eſſe ſolet; hinc accretio, decretio, maturitas, & rerū acerbitas, ceteráque proueniunt. *ſtellæ ſponte ſua.* Ariſtot. de mundo: Itaque ſiderum quæ comprehendūtur, alia fixa cum vniuerſo torquētur cælo, in eiſdem recepta locis, &c. alia cùm vaga ſint, profectò nec ad motum eadem celeritate qua ſuperiora, nec inter ſe ſimilem agendum apta ſunt, &c. hūc legito. *vagentur.* qui ſeptē hinc planetæ nominantur, ἀπὸ τοῦ πλανῶμαι, id eſt, vagor, erro; πλανήτης, ſtella erratica. *obſcurum Lunæ orbem.* orbis Lunæ per ſe obſcurus à ſole illuminatur. hinc Luna lucens luce aliena. Ouid. 1. Metamorph. Nullus adhuc mūdo præbebat lumina Titan, nec noua creſcendo reparabat cornua Phœbe. *rerum concordia diſcors.* ὀξύμωρον. mundus inferior, & quæ in eo ſunt, compoſitus vnitúſque ex quatuor qualitatibus primis, frigore, calore, humido & ſicco, cum aliis quæ ex harū miſtione naſcuntur, graui, leui, molli, duro, &c. quarum concordia conſeruantur, diſcordia cuncta pereunt. *Empedocles.* de Empedocle lege Diogenem Laërtium. hic elementa quatuor ſtatuit rerū omnium principia, ignē, aquam, aërem, terram, vt teſtantur hi verſus, Ζεὺς ἀργὴς, ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' ἀϊδωνεὺς, νῆστις θ' ἣ δακρύοις ἐπικροῖ ὄμμα βρότειον, aut vt Plutarchus refert, νῆστις θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον. hoc eſt, Iupiter albus, & alma ſoror Iuno, atque potens Dis, & Neſtis lacrimis hominum quæ lumina complet; præterea amicitia cuncta copulari, & diſcordia diſſolui: ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα, ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορούμενα νείκεος ἔχθει. hoc eſt, nonnumquā connectit amor ſimul omnia, rurſus nonnūquam ſeiuncta iubet contentio ferri. *Stertiniū deliret acu.* ſic habēt omnes ſcripti lib. de Stertinio medico, Plin. lib. 29. cap. 1. Quintus verò Stertinius imputauit principibus, quòd ſeſtertiis quingenis annuis cōtentus eſſet: ſexena enim ſibi quæſta vrbis fuiſſe numeratis domibus oſtendebat. Par & fratri eius

merces à Claudio Cæſare infuſa eſt,&c. hunc autem notari opinor ab Horatio, in Empedoclis fortaſſis opinionibus aſſerendis. Stertinium acumen, id eſt, Stertinius. vt rigor ferri, id eſt, ferrum, 1. Georg. ſententia Democriti, id eſt, Democritus, apud Lucret. æris & ferri rigor, Prudent. *verùm ſeu piſceis.* reuertitur ad intermiſſum propoſitum ſuprà: ſi fortè in medio poſitorum, &c. *ſeu porrum & cepe.* trucidas, inquit, aut impropriè; habent enim quæ terra naſcuntur vitam quandam; aut in odiũ eius generis herbę, quę odore, ſapore & calore ipſi fuit execrabilis: ode Epodica 3. Parẽtis olim ſiquis impia manu ſenile guttur fregerit, edit cicutis allium nocentius, &c. trucidare, pro proterere. *vtere Pomp. Groſ.* aſſume & hoſpitẽ & amicum. *vltrò.* per aſyntheton τῦ &; vt ſit, & ſi quid petet, defer, & vltro, hoc eſt, etiam non rogatus. *niſi verum.* non orabit te quod eſt iniquum. Non temere mihi perſuaſerim Pomp. Groſphum in Sicilia vnde oriundus erat, liteis habuiſſe aut de fundis aut pecunia aliáve de cauſa; quare Iccio eius cauſam commendat Horatius ab æquitate. *vilis amicorum eſt annona.* hoc eſt, in bonis viris iuuandis paruo conſtat amicitia, quia boni viri ſi egent, nil quod iniquum eſt petunt; ita & facilè, & ſine periculo amici, eis ſubuenitur. vel parua eſt amicorũ gratia inter ſe, ſi viros bonos ſibi commendatos egere ſinunt, aut non defendunt. annonam amicorũ interpretor gratiá, beneuolentiámq; qua & fouetur & ſuſtinetur amicitia. Vile autem Horatio ferè eſt, quod eſt parui pretij: vt oſtendimus ode 20. lib. 2. & aliis in locis. hoc carmen in ſcriptis ferè habet interpunctionem poſt τὸ annona; ſic vt τὸ bonis, videatur pertinere ad verbũ, deeſt, quod in antiquiſſ. cod. Bian. ſyncopatum legitur, d'eſt, cum apoſtropho ſupra d litteram. In Mart. & Sil. & vulgatis aliquot libris, cõma ponitur poſt τὸ bonis: ob hanc cauſam indicaui etiam publicè in auditorio aliquando hic eſſe Helleniſmum, bonis amicorum, id eſt, bonis amicis, qualis bonis ſcriptoribus non rarus eſt, vti Plin. nigræ lanarum, ouorum oblonga, &c. & hoc modo ſententia ſimplex eſt, & aperta: quid enim eo eſt dilucidiùs, annona vilis eſt bonis amicis vbi quid deeſt? diſpiciat lector doctus, & bonus *ne tamen ignores.* epilogus epiſtolæ, de ſtatu Romano, quem ſcribit indies amplificari, adiectis imperio hinc Cantabris, Agrippæ virtute, quod dicit in gratiam Iccij; illinc fortitudine Claudij Neronis Auguſti priuigni, Armenio Phraate ſubiugato. *aurea.* benigna. *defundit.* ſic habent omnia ſcripta præter Mart. qui habet, diffudit. *Copia.* dea vbertatis. alludit ad copiæ cornu ipſius Herculis. vide Phornutum in Pane.

EPISTOLA XIII.

AD VINNIVM ASELLAM.

Vt proficiſcentem docui te ſæpè, diúque,
Auguſto reddes ſignata volumina Vinni:
Si validus, ſi lætus erit, ſi denique poſcet:
Ne ſtudio noſtri pecces, odiúmque libellis
Sedulus importes opera vehemente miniſter.
Si te fortè meæ grauis vret ſarcina chartæ:
Abiicito potius, quàm quò perferre iuberis,
Clitellas ferus impingas: Aſinæq́; paternum
Cognomen vertas in riſum, & fabula fias.
Viribus vtêre per cliuos, flumina, lamas.
Victor propoſiti ſimul ac perueneris illuc:
Sic poſitum ſeruabis onus, ne fortè ſub ala
Faſciculum portes librorum, vt ruſticus agnum:
Vt vinoſa glomos furtiuæ Pyrrhia lanæ:
Vt cum pileolo ſoleas conuiua tribulis:
Ne vulgò narres te ſudauiſſe ferendo
Carmina, quæ poſſunt oculos aureiſq́; morari
Cæſaris. oratus multa prece nitere porrò.
Vade, vale, caue ne titubes, mandataq́; frangas.

COMMENTATOR.

Vt *proficiſcentem docui te.* C. Vinnius Fronto ad quẽ hæc epiſtola ſcripta eſt, patrem habuit cognomine Aſinam, ád quem alludit, & hanc appellationem nominis vult eius ingenio conuenire. *vt proficiſcentem.* cùm à me proficiſcereris. *volumina.* mea. *ſi lætus erit.* ſupp. obſerua. *poſcet.* ſupp. reddes mea volumina. *pecces.* ſupp. vide. *odiumq́; lib. ſe imp.* vide ne odio incipiat habere libellos, propter nimiam tuam operam, & diligentiam. *ſedulus.* hoc eſt, velut agens ſine dolo. *opera vehemente.* hoc eſt, aſſiduo labore. *miniſter.* ſupp. quaſi. *vret.* oneri erit. *ſarcina.* figuram facit eum paterni cognominis Aſinæ. *abiicito.* ſup. à te, redde mihi. *quò.* ad Cæſarem. *iuberis.* à me. *clitellas.* ſarcinulas. *ferus impingas.* importunè feras, dimittens ob hoc meos libellos, quòd voceris Aſellus. *Aſinæq́; pater. cognom.* permanet in tranſlatione Aſelli, quia cognomen patris erat Aſina. *per cliuos.* aſcendendo. *lamas.* lacunas maiores, continentes aquam pluuiam ſeu cæleſtem, ἀπὸ τῦ λαιμῦ, id eſt, quæ ingluuies eſt & vorago viarum, ſeu foſſæ fluuiorum. hinc quoq; dictę ſunt Lamiæ puerorum voratrices. Ennius, ſiluarum ſaltus, latebras, lamáſque lutoſas. *ſimul ac.* mox vt. *illuc.* ad Auguſtum. *ſub ala.* axella. *vt ruſticus.* quaſi. *vt vinoſa.* velut ebria. *Pyrrhia.* nomen eſt ancillę in qua-

in quadam fabula Titinij, quæ furata lanæ glomos, ita geſtauit, vt deprehenſa ſit. *tribulis.* aſperè. hoc dicit ad comparationem ſtultitiæ. *glomos.* glomus eſt rotundus globus filorum. *vt cum pileol.* hæc apud antiquos conſuetudo veteranorũ erat, pileum portare cum calceis. *conuiua tribulis.* eiuſdem tribus. ſenſus eſt: néve ſic ſuffarcinatus eas vt vnus de tribu, qui ad cœnam vadens ipſe ſibi ſoleas fert cum pileolo; incertum eſt quem notet. *carmina.* mea. *oratus.* tu. *nitere.* adlabora. *caue.* antiquo more; per tertiam coniugationem.

CRVQVIVS.

MAndat Horatius Vinnio, in tradendis Auguſto ſuis libellis, vt à præſcripto ne abeat, ne eius nimio fortaſſe ſtudio ipſis pro beneuolentia conciliet odium. ſi verò exiſtimet tanto ſe oneri ferendo non fore parem, deponat id potius, quàm ſua tarditate cognomen Aſinæ paternũ ludus, & fabula fiat. at ſi cliuis tranſcenſis, ceteríſq. viæ difficultatibus ſuperatis, ad Cæſarem venerit, hoc vt onus libellorum videat, ciuiliter, candidè, & opportunè tradat Auguſto, caueátque ne vacillet immemor, & mandata frangat. *vt proficiſcentem.* Cõfirmat memoriam Vinnij repetitione monitorum. eſt autem hic ellipſis τοῦ ita, figura Horatio vſitatiſſima; vt ſenſus ſit, ita reddes Auguſto, &c. vt docui te proficiſc. hoc eſt, cum geſtum ſeruabis in reddendis meis voluminibus Auguſto, quem te diu multúmque docui, ſcùm abires à me. *ſæpè diúq.* dictio hæc Cic. familiaris eſt, diu multúmque; pro, magno ſtudio. *ſi validus.* hæc adiũcta ſunt opportunitati. *ne ſtudio noſt.* moderata ſit opera tua in nobis & libellis Auguſto tradendis. *ſi te fortè.* περικατάληψις, à pigritia, alludens ad nomen Aſina. *abiicito.* recuſato, remittito ad nos. *ferus.* rudis, ſtupidus, ἄγρειος, ironia: in aſinis quidẽ eſt ſtolida quædam contumacia, ſed ne ſcintilla quidem magni animi, qualis eſt in equis: vt poëta, frena ferox ſpumantia mandit. quidam hic legunt, feſſus, per eliſionẽ ſ litteræ, ſed hoc in nullis meis ſcriptis inueni. *impingas.* illidas, & corruas. *vertas in riſ.* efficias ridiculum. hic ex præſcripto Priſciani, impingas, vertas, fias, ponuntur per enallagen modi, pro impingito, vertito, fito, nimirum vt coniunctio, quàm, copulet ſimileis modos: dixit enim abiicito potius. At ſi Linacro Grãmatico peritiſſimo, Goſino, & Lino, eiúſque melioris notæ non paucis aliis, fidem damus, aſſentiri Priſciano non eſt neceſſe: ſunt enim illa, impingas, vertas, fias, non minus imperatiui modi (ſub terminatione ſubiunctiui) præſentis temporis, quàm abiicito: imperandi namque modus, vt apud Græcos, propria ſaltem voce, futuro caret, etiáſi doceat aliter Donatus, & eius ſequaces: ita etiam futuri temporis aduerbiis, inquit Linacer, coniungi omnibus ſuis temporibus poteſt, non etiam præteritis. nemo certè ſanæ mentis dixerit, ſcribito heri: ſed aptè, ſcribe, ſcribito, ſcribas, nunc, cras, poſtridie, &c. legito Linacrum De recta ſtructura, lib. 1. de Verb. &c. *viribus vteris.* admonitio ridicula in tantillo chartarum pondere. per cliuos videtur ſignificare Romã cliuoſam, nempe ſepticollẽ. *victor propoſiti.* poſtquàm itinere confecto, ſuperaueris & euiceris viæ difficultates tibi propoſitas, & iter confeceris. *ſic poſitum.* δεικτικῶς, hoc eſt, tu compoſitus decoro geſtu tenebis manibus libellos, ſine vlla iactãtia, aut inani geſticulatione, eos nunc oſtentãdo, nunc rogatus occulendo. *ne fortè. ὡς μὴ. ſub ala.* alludit Horatius ad id prouerbij, ὑπὸ μάλης: de re turpi quod dici ſolebat, aut clancularia, furtiuáve. præcipit itaque libellos vt geſtet decorè, ne ſuſpicio ſit eum ferre chartas infauſtas, quas ὑπὸ μάλης, hoc eſt, κρύφδην, clàm, latenter, & quaſi furtim portamus. hoc adagio Lucianus facetè vtitur in dialogo Charontis, Menippi, & Mercurij; vbi inducit Mercuriũ philoſophum quẽdam vitiis omnibus exuentem. ἓν τί, inquit Menipp. τὸ βαρύτατον ὑπὸ μάλης ἔχει. τί ὦ Μένιππε? κολακείαν ὦ Ἑρμῆ. πολλὰ ἐν τῷ βίῳ χρησιμεύσασαν αὐτῷ. hoc eſt, vnum præterea, quod omnium eſt grauiſſimum, habet ſub ala, quidnam ô Menippe? adulationem Mercuri, quæ in vita ei ad lucrum multum profuit. *vt ruſticus agnum.* quem ſurreptum ὑπὸ μάλης, id eſt, latenter ferebat. licet autem hoc referre ad ruſticum, ſeu inciuilem geſtandi modum; ſed aliud mihi probatur magis: quis enim tanquam inurbanum ridebit ruſticum, vel ei vitio dabit, ſi ſub ala geſtabit agnum, quod ei pro ſua vitæ conditione eſt honori? Quare tria hæc quaſi ἴχνια doctrinæ Horatianæ pertinere opinor ad rem turpem & clancularia m: quod indicat quoq. quod ſubdit de Pyrrhia. *glomos.* ſic habent tres Bland. cum Mart. Diuæ. & Sil. quartus Bland. habet glomus, per quartam flexionem. Tonſ. habet globos. *vt cum pileolo ſol.* portauit ὑπὸ μάλης, hoc eſt furtim. *ne vulgo narres te.* Arbitror hos verſus ſic ordinãdos: Tu oratus multa prece, ne vulgò narres te multum laboraſſe, feſtinúmque fuiſſe in tradẽdis Cæſari carminibus, quæ & illum legentem, & audiẽtem vehementer afficient. id eſt, verſus aut politè mordaceis, aut ne mali alicuius ſuſpicionem moueant: ſolet enim iter feſtinatũ viris aulicis eſſe ſuſpectũ. *nitere porrò.* adhortantis, age, da omnem operam. *titubes.* metuas, & in dictis ſis incõſtans.

EPISTOLA XIIII.
AD VILLICVM SVVM.

VILLICE ſiluarũ, & mihi me reddẽtis agelli,
Quem tu faſtidis, habitatum quinq; focis, &
Quinq; bonos ſolitũ Variam dimittere patres:
Certemus, ſpinas animó-ne ego fortius, an tu
Euellas agro: & melior ſit Horatius, an res.
Me quamuis Lamiæ pietas, & cura moretur
Fratrem mœrentis, rapto de fratre dolentis
Inſolabiliter: tamen iſtuc mens, animuſq;
Fert: & amat ſpatiis obſtantia rũpere clauſtra.
Rure ego viuentem, tu dicis in vrbe beatum.
Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.
Stultus vterque locũ immeritũ cauſatur iniquè.
In culpa eſt animus, qui ſe non effugit vnquam.
Tu mediaſtinus tacita prece rura petebas:
Nunc vrbem, & ludos, & balnea villicus optas.
Me conſtare mihi ſcis, & diſcedere triſtem
Quandocunq; trahunt inuiſa negotia Romam.
Non eadem miramur: eo diſconuenit inter
Méq;, & te. nã, quæ deſerta, & inhoſpita teſqua
Credis, amœna vocat mecum qui ſentit: & odit
Quæ tu pulchra putas: fornix tibi, & vncta popina
Incutiunt vrbis deſideriũ, video: & quòd
Angulus iſte feret piper & thus ocyus vua:
Nec vicina ſubeſt vinum præbere taberna
Quæ poßit tibi: nec meretrix tibicina, cuius
Ad ſtrepitum ſalias terræ grauis, & tamen vrges
Iampridem non tacta ligonibus arua, bouemq;
Diſiunctum curas, & ſtrictis frontibus exples.
Addit opus pigrò riuus, ſi decidit imber
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc age, quid noſtrũ concentum diuidat, audi.
Quem tenues decuere togæ nitidiq; capilli:
Quem ſcis immunem Cynaræ placuiſſe rapaci:
Quem bibulam liquidi media de luce Falerni:
Cœna breuis iuuat, et prope riuũ ſomnus in herba.
Nec luſiſſe pudet: ſed non incidere ludum.
Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam
Limat: non odio obſcuro morſuq; venenat.
Rident vicini glebas & ſaxa mouentem.
Cum ſeruis vrbana diaria rodere mauis.
Horum tu in numerum voto ruis. inuidet vſum
Lignorum & pecoris tibi calo argutus & horti:
Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Quã ſcit vterq; libens (cenſebo) exerceat artem.

COMMENTATOR.

VILLICE *ſiluarum, & mihi me.* Caſtigat villicum ſuum quòd ager ſuus ei ſordeat, quẽ quinq. tamẽ ſenatores aliquando poſſederant. *ſiluarum.* mearum. *me reddentis agelli.* quoniam cum rus ſeceſſerat vrbis tædio, ibi ſuis ſtudiis vacabat. *habitatum.* poſſeſſum à quinq; bonis patribus. *focis.* domibus ad octauum lapidem vltra Tibur in via Valeria. Valerienſeis igitur ſenatores agellum ſuum poſſediſſe ſignificat. *ſolitum.* ſupp. agrum. *Variam.* ad eam ciuitatem. Varia oppidum in Sabinis olim, nunc vicus imminens Anieni. *dimittere.* tranſmittere. *certemus.* ego & tu. *ſpinas animo.* ſenſus eſt, videamus vtrum tu agrum, an ego fortius animum colam. *euellas agro.* ſupp. ſpinas. *an res.* ſup. Horatij, id eſt, ager. *me quamuis Lam.* ſenſus eſt; etiam ſi amici cauſa in vrbe detineor, vt eum conſoler, tamen rus meditor. hic Lamia, de quo in odis, Aeli vetuſto nobilis ab Lamo, &c. fuit Formianus, vt omnes ferè Lamiæ. *moratur.* detinet Romæ. *fratrem.* ſuũ. *rapto.* erepto, mortuo. *inſolabiliter.* vt nullũ ſolatiũ admittat. *iſtuc.* in agrũ. *fert.* ducit me. *ſpatiis obſtantia.* feſtinare ſe dicit rus, & velociter difficilia omnia itineris velle tranſire. *cui placet.* hoc eſt, mihi qui volo habitare ruri, odio eſt vrbs, & tibi qui vis habitare in vrbe, rus eſt odio. *vterque.* noſtrũ. *cauſatur.* culpat. *mediaſtinus.* hoc eſt, in ciuitate, in vrbe media viuẽs. Aſtu enim dicitur ciuitas. vnde & Terẽtius, in aſtu venit, ſic intelligendũ, non vt quidã intelligunt mediaſtinũ quaſi miniſtrũ obſequij, & officij balnearũ. *nunc.* cùm es ruri. *conſtare mihi.* ſtabilem manere. *diſcedere.* rure. *inuiſa.* odioſa mihi. *non eadem miram.* non delectamur eiſdem. *eò.* ideo, propterea. *inhoſpita.* deſerta. *teſqua.* loca aditu difficilia, & inculta, lingua Sabinorum ſic nominantur: vnde quæuis loca deſerta, inuia, & completa ſentibus eo nomine vocantur. *fornix.* lupanar. *vncta pop.* redolens, & optimis cibis plena. *video.* intelligo. *ocyus.* ſenſus eſt, odiſti rus quod malè colis, nam citius, te villico, piper, quod in Italia non naſcitur, feret, quàm vinum, quo abũdare conſueuit: nam per vuã, vinũ intelligendum eſt. *vinum præbere.* quæ vinũ præbeat. & ideo rus deteſtaris. *ſalias.* ſaltes. *ſtrepitum.* iucundè, non cantum inquit, ſed ſtrepitum, vt eum meretricis auidum exprimeret. *terræ grauis.* lepidè, de inepto & pingui. *vrges.* fodis. hoc eſt, licet abomineris agrum

agrum eum, tamē aſſiduo labore premis. *iam pridem.* multo antea. *diſiunctim.* poſt laborem. *curas.* ironicôs ex ſuperioribus. *exples.* ſatias. *pigro.* tibi. *ſi decidit imber.* ſi riuus negligenter antè fuerit munitus, tibi pigro nouum addit opus. *multa mole.* ingenti labore. *docendus.* imber. Ironicôs omnia. *nunc age.* hortantis. *concentum.* ſententiā. cur non conſonemus, & in idē ſentiamus. *quē.* ſup. me. *decuere.* ornauere. *immunem.* ſine damno, ſine donis, ſine munere, quod præſtitit gratia. *bibulum.* potorem. *media de luc.* de medio die. *cœna br.* ſup. modò, quia ſenui. *nec luſiſſe pa.* dum eram iuuenis. *incidere.* finire. *iſtic.* in agro. *limat.* terit. vnde lima. *odio obſcuro.* inuidia, quod tacitum eſt odium, & occultum. *venenat.* nouè, id eſt, faſcinat. *rident.* non inuident. *vrbana.* ſup. tamen, non ruſtica. *diaria.* cibaria. *horum.* ſeruorū vrbanorum. *voto.* tua voluntate. *inuidet.* cùm videt te lignis & oleribus abūdare, & lacte. *calo.* ſeruus: vnde & calones, à ferendis lignis. *horti.* olerum. *ephippia.* ſellam; alij ſagmata; nonnulli ea quæ propter iugum equis curulibus imponuntur. & hoc verius. *quam ſcit vterque.* ſenſus eſt, vt tu ruri ſis colens agros, & artem quam cœpiſti, & ille calo tibi inuidens in vrbe maneat. *cenſebo.* iudicabo. *exerceat.* ſupp. vt.

CRVQVIVS.

VILLICE *ſiluarum & mihi me.* Non æquo fert Horatius animo Sabinum agellū quaſi ſterilē, villico ſuo nō eſſe curæ, qui tamen aliquādo quinque patrum familiis alendis fuerat ſatis, quoq. ipſe delectatur vrbe relicta, velut vnicis ſuę vitæ deliciis: à quo ſi nunc ſolito diutius abeſt, hoc dandū eſſe pietati Lamiæ mortē fratris peracerbè dolentis; interea ſe in animo habere perruptis vrbanis moleſtiis, iſtuc cōuolare, quando nihil optet magis quā ruri viuere, ibiq; beatus eſſe. Quod autē villicus cōtrà, ſe in vrbe beatiorem fore opinatur, in eo non locum ipſum, non rus, ſed animum eius inconſtātiæ notādum culpandumq. iudicat, vt qui more hominū ſuæ perta ſus, alienæ ſortis ſit appetens, qui vrbanus aliquando rura, nunc cōtrà ruſticus vrbana cogitet, ſe verò ait perpetuò in amore ruris ſibi conſtare, adeò vt eius amœnitate Roma ſibi longè ſit inferior, quā tamen tantopere miratur villicus, non ob aliud ſanè quàm quòd ruri careret vrbanis illectamentis, vncta opulentāq. popina, tabernis vinariis, tibicinis, ſaltationibus; quæ magis ei fuere cordi, quàm rura, boues, riuuli, Horatio iucundiſſimi; qui ſi iuuenis aliquando luſerit, indulgentius Cynaræ operam dederit, de medio die potauerit, nunc his valere iuſſis, ſe ait cœnā breuē, & in herba iuxta riuū ſomnū iuuare, nullo à vicinis veneficij metu, qui gaudent eū nunc glebas frangere, nūc ſaxa mouere. Quod cū villicus oderit, malitq. in vrbe cū ſeruis vrbanis aridū victū rodere; id ait ex inſtinctu aſtuti calonis alicuius eū deſiderare, qui tantā agri felicitatē inuidēs ei ſuccedere ſuadet. Quare ſi ſapiat villicus, ſua contentus ſorte, quā nouit agriculturā ſuadet vt exerceat, ſinátq. calonē in vrbe ſua ligna ferre. *mihi me reddentis.* exhilarantis, animúmq. meum reficientis, dū iſtuc ex vrbe me confero. *focis.* focus pro familia, quòd is diis laribus eſſet ſacer. *Variā dimittere pa.* ſic habēt omnes ſcripti libri quos vidi, præter Tonſ. & Diuæ. qui vulgatis cōſonant. Sed pluriū cōſenſum ſecutus ſum cū antiquis adſcriptis, vt videre in cōmenta. licet. quid ſi Vatiam legamus? Halicarnaſſeus enim antiquitatum Romanarū lib. 1. Rurſum, inquit, à Reate verſus Latinā viam euntibus, occurrit ad trigeſimū ſtadium Vatia, &c. Agellus autē Horatij quem à Mecœnate acceperat, tanta erat fecunditate vt quinque Patres in ſua familia ſingulos aleret, qui vbi tempus, & res ipſa poſtulabant, Variam ibant ad liteis diſcernendas. An autem per bonos patres Romanos Senatores intelligas, qui dū per tranquillum reipublicæ Romanæ ſtatum licebat, iis in agris paucis contenti vitam agebant tanquam præfecti cauſis Varianis diiudicandis, nihil arbitror impedire. Codex Sil. & Martinius cum euulgatis iam olim duobus, quibus Aſcenſius quoq; ſubſcribit, legunt *Varia* in ablatiuo caſu, quæ lectio verior apparet, quaſi ager ille Romam dimittere ſoleret Senatores Romanos per viatores arceſſitos, ſi quādo è republica quid ſtatuendum eſſet: Priſcis namq. Senatoribus erat volupe rura potius colere quā in vrbe otio ignauiaq. perire. hinc illud Perſ. 1. Satyr. Cùm trepida ante boues dictatorē induit vxor, & tua aratra domū lictor tulit, &c. diſpiciat lector. à Varia autē dicta eſt, vt arbitror, Plin. lib. 14. cap. 2. vua Variana in Sabino; tametſi velit is ſic nominatam quòd colorem variet. de Valeriana autem via, cuius in Cōmenta. eſt mentio, vide Strabon. lib. 5. De fecunditate autem huius agri Sabini, vbi Horatius ſuam villam habuit, Blondus Flauius in Italiæ illuſtratæ regione tertia Latina, à Strabone, inquit, de hac regione Columnenſi familiæ ante quadringentos annos, ſicut nunc eſt maiori ex parte ſubiecta, & quidem apud Præneſte, montes peritiſſimè ſunt deſcripti, ſed minora non ponit loca, qui illis in montibus ſitam Horatij Flacci poëtæ villam omiſit, vbi ſancti Ioannis in campo Horatij nunc appellant, &c. Deinde in quarta regione Vmbria, Sequitur, inquit, ad Tiberim Farfari amnis oſtium: fuitq. is fluuius priſcis temporibus Farfar, & Fabaris appellatus: nam Seruius dicit Fabarim eſſe fluuium, qui per Sabinos

noſtranſiens, & Farfarus dicitur: vnde Plautus, diſſipabo te tanquam folia Farfari. & Ouid. & amœnæ Farfaris vndę; prout certè nunc etiam ſunt amœniſſimæ: longiſſimo enim tractu poſtquam Farfarus monteis relinquit, per plana labitur culta, opacis vndique tectus arboribus: qua quidem in amœniſſima planitie monaſterium ipſi fluuio dextrorſum imminet ampliſſimum, Farfenſe appellatum, caſtella ad decem poſſidens: quorum primum Fara dictum colli impoſitum eſt monaſterio imminenti. & illi dextrorſum adiacet oppidum Poggium Curteſij, à Curteſio amne ſubtus delabente vocatum: quem quidem fluuiũ Alliam Perſico nomine dictum fuiſſe conſtat. Farfenſi etiam monaſterio dextrorſum imminet Nerula oppidum nobile. Superius ſunt Scandrilia, Tophia, mons ſanctæ Mariæ, Fraxum, Poggium donadeum, Salixanum, Poggium Maiani. hæc verò vallis, quam Farfarus interluit, tam multis habitata caſtellis, ea eſſe videtur, in qua Horatius villam habuit. hactenus Blondus, quem recenſuimus eò verboſius quòd ſit inuẽtu rarus. *certemus ſpinas.* προκατάληψις. videamus, inquit, an meritò de meis ſpinis conquereris, quibus à me te pungi doles, an ne potius ager meus apud me iure clamitet ſe ſpinis vaſtari & interire? contendamus, an ego ſpinoſior acerbiórq. ſim in caſtiganda tua pigritia quàm decet bonum patremfamilias, quando videt mera villici incuria ſuum agellum, ſitu, ſquallore, inutilibus herbis, ſpinis, rubis, & ſentibus ſiluęſcere? *ſpinas.* ſpina, metaphoricôs, cura, ſollicitudo, moleſtia, quæ cruciat animum. hic autem etiam pro dura, & aſpera oratione, verbis aculeatis, quibus obiurgando pungimus. *melior ſit Horat.* hoc eſt, ego ne ſim, an ager meus vitioſior, ſenticoſiórque. *me quamuis Lamia.* altera προκατάληψις abſentiæ per tranſlationẽ in pietatem, qua detinebatur Lamiæ conſolandi gratia, ob fratrem immatura morte ſublatum. ad Aelium Lamiam eſt ode 16. lib. 3. *pietas & cura.* pia cura debetur amico dolenti; nempe conſolationis officium. *inſolabiliter.* vox Horatiana. ἀνιάτως ἀπαραμυθήτως. *ſpatiis obſtantia clauſtra.* ſpatioſa clauſtra, loci diſtantia, & intercapedine ſeiuncta. alia namque ſunt breuia, & anguſta clauſtra, quales ſunt equorum carceres. ſic & anguſtiæ Ponti Boſporos, κλειδὶς πόντου, in epigramm. *rure ego viuentem.* τὸν χωριζόμενον. *cui placet alterius.* videto 1. Satyr. lib. 1. Qui fit Mæcenas, &c. *eſt odio ſors.* cod. Tonſ. Buſl. Sil. & vnus Bland. habẽt, eſt odio res. fortaſſis ex eo quod paullò ſuprà dixit, & melior ſit Horat. an res. ſed aliud magis placet. *ſtultus vterque.* ſtultitiã ſuo more cõmunem facit, ad libertatẽ criminationis. *immeritũ.* qui non meretur odium. *non effugit vnquam.* ſic ſuprà ad Bullatium, Cælum non animum mutãt qui trans mare currunt. *tu mediaſtinus.* Mediaſtinus ſeruus eſt qui ſtat in medio paratus omniũ miniſteriis, non in balneis tantũ, vt vult Priſcianus; ſed vbique locorum tã in vrbe quàm ruri. eſt autem dictio merè Latina: attamen Cõmentat. vult eſſe Latinogræcã, ἀπὸ τοῦ ἄστυ, aut potius Græcã per antiſtœchon d in ſ litteram, μεσάστυος, quaſi in media viuens vrbe; in qua ſignificatione hic accipi debet, ἐξ ἀντιθέτου τοῦ villicus in verſu ſequenti. *tacita prece.* id enim petere tacitè dicitur, quod quis admiratur, laudat, cõmendátque. *me conſtare mihi.* ἐξ ἀντιτύπου incõſtantiæ villici. *diſconuenit.* malè cõuenit. *teſca.* teſca ſeu teſqua, loca ſunt agreſtia, deo ſacra: hinc teſca, & tẽpla pro eodẽ augures dicebant, quod illinc tuerentur quatuor cæli plagas ad auguria peragẽda; prius tueſca, inquit Varro li. 6. de ling. Lat. à tuendo, id eſt, videndo: poſtea teſca dicta. & quoniã termini auguriorũ aut erãt excelſæ præruptæq. rupes, aut arbores, aut ſiluę longinquæ, teſca loca dicta ſunt deſerta, dura & aſpera, inacceſſaq. adiectiuè: atq. hoc modo deſcriptum deſcriptioni ſubiicitur: ſi quis enim ſciſcitetur quę ſint loca teſca, nõ ineptè reſpondebitur, ſunt loca deſerta, & inhoſpita. In antiquiſſimo Bland. cod. pro nam quę deſerta, &c. legitur, *nãquã*, & ſuprà ſcriptũ, vbi: quod lectorẽ celare nolui. *fornix tibi.* enumeratio cauſarũ, quæ & vrbis deſideriũ, & ruris iniiciũt odiũ. fornix voluptati venereæ (cuius ſubdit interpretationẽ, nec meretrix tibicina, &c) vncta popina gulę ſeruiuit cũ taberna vinaria, quę nulla ruri erat. *angulus.* agellũ Sabinũ cõtemtim nominat angulũ, dicto villici ſubſeruiẽs. *feret piper & tus.* hæc verba ſunt accipienda quaſi à villico in agrorũ ſterilitatẽ pronunciata, perinde ac ſi diceret; quis non odiſſet hos agros, qui quãta maxima diligentia coluntur, arantur, fodiuntur, citiùs piper & tus proferent; quod omnino fieri nequit, quã vinũ, cui tamen cęlum ſatis eſt benignũ: hæ ſunt odij cauſæ. *præbere.* ἐπιχώριον. *ad ſtrepitũ.* ſtrepere eſt chordarũ in cithara ſeu lyra. vide oden 3. li. 4. *terra grauis.* videtur alludere ad illud Hom. ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, telluris inutile pondus. *& tamen vrges.* hæc non ſeriò, vt interpretatur Lãbinus, ſed accipienda ſunt ἀντεγκληματικῶς, velut à villico ſcripta, aut Horatio nunciata in ſui laboris commẽdationem, & agri infecunditatem: eſtq. ironica commemoratio operũ villici, nõ referenda ad epiſtolæ principium, quẽ tu faſtidis, &c. ſed ad odij cauſam, nempe & quod angulus iſte feret, &c. *& tamen vrges.* ſupp. vt ſcribis aut nuncias. *diſiunctum.* ſic habent omnia ſcripta: non deiunctũ, vt Lambinus legit, quẽ nõ ſequor.

ſtrictis.

ſtrictis. diſtrictis. hoc eſt, diligenter paſcis, ne deſit agris colendis, ſtrigoſior factus. *pigro.* vbi nihil eſt quod præterea agas in agris fodiendis, in boue ſaturando, multo labore per agros riuos deducis, ne pluuia noceat, diruatque. *multa mole.* multo molimine diuertendus, foſſis, aggeribus. ſaxis, &c. *concentum dimidat.* quid nos efficiat diſcordeis, diſſentienteis, διαφώνους. concentus hic eſt vniſonus, ὁμοφωνία, non συμφωνία: idem dicere, idem velle. *quem tenues.* commemoratio ſtudiorum iuuenilium. *nitidiq; capilli.* vnguento delibuti, quos ep. 1. curatos capillos oſtēdimus, potius quàm curtatos, vt vulgati. *Cynaræ.* de Cynara ode 13. lib. 3. & ode 1. lib. 4. *rapaci.* auidæ qualia ſunt ſcorta. *cœna breuis iuuat.* ſupp. nunc me, quem tenues aliquando decuere togæ, &c. nam ætas mea nunc grandior, alios mores, & aliam vitam poſtulat, quàm iunior. *luſiſſe pudet.* hilariter indulſiſſe genio, Venerique dediſſe operam. *non incidere.* abrumpere, moderari. huc facit illud Iuuen. Satyr. 8. breue ſit quod turpiter audes. *obliquo.* maligno. *morſuq;.* obtrectatione, maledicentia infeſtat, malè precatur. *rident vicini.* hoc eſt, tantum abeſt vt vicini meis commodis inuideant, vt etiam gaudeant, mihique congratulentur opera ruſtica exercenti. *cum ſeruis.* ellipſis, hoc eſt, at tu mauis cum ſeruis vrbanis rodere vrbana diaria, id eſt, tenuiter viuere, & famere, quàm ruri abundare, teque explere. *horum tu in num.* mirum eſt Lambinum hic meminiſſe Porphyrion. quaſi in eo, *cum ſeruis vrbana,* &c. τὸ ſeruis poſſit eſſe verbum, vt vult Porphyr. quando τὸ horum demonſtret eſſe nomen. *inuidet vſum.* hoc eſt, hoc tibi ſuadet calo verſipellis, nimirum, vt in vrbe viuere malis, quàm ruri. quòd is inuideat tuæ felicitati in vſu lignorum, quibus abundas, nec aliūdè adferre debes, in vſu pecoris, id eſt, peculio, in vſu horti, id eſt, oleris copia, & amœnitate. *optat ephippia bos.* vide Chiliades Eraſm.

EPISTOLA XV.

AD C. NVMONIVM VAALAM.

QVÆ ſit hiems Veliæ, quod cælū Vala Salerni:
Quorum hominum regio, & qualis via: nam mihi Baias
Muſa ſuperuacuas Antonius: & tamen illis
Me facit inuiſum, gelida cùm perluor vnda
Per medium frigus. ſanè myrteta relinqui,
Dictaq; ceſſantem neruis elidere morbum
Sulfura contemni, vicus gemit inuidus agris,
Qui caput, & ſtomachum ſupponere fontibus audent
Cluſinos Gabiosq; petunt, & frigida rura.
Mutandus locus eſt: & deuerſoria nota
Præteragēdus equus. quò tendis? nō mihi Cumas
Eſt iter, aut Baias, læua ſtomachoſus habena
Dicet eques. ſed equi frenato eſt auris in ore.
Maior vtrum populum frumenti copia paſcat:
Collectóſne bibant imbreis, puteóſne perenneis
Dulcis aquæ: nam vina nihil moror illius oræ.
Rure meo poſſum quiduis perferre, patique
Ad mare cùm veni, generoſum & lene requiro:
Quod curas abigat: quod cum ſpe diuite manet
In venas animumq; meū: quod verba miniſtret:
Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ.
Tractus vter plures lepores, vter educet apros,
Vtra magis piſceis, & echinos æquora celent:
Pinguis vt inde domum poſſim Phæaxq; reuerti,
Scribere te nobis, tibi nos accredere par eſt.
Mænius, vt rebus maternis atque paternis
Fortiter abſumtis, vrbanus cœpit haberi,
Scurra vagus: non qui certum præſepe teneret:
Impranſus non qui ciuem dignoſceret hoſte:
Quælibet in quemuis opprobria fingere certus:
Pernicies & tempeſtas barathrumq; macelli:
Quicquid quæſierat, ventri donabat auaro.
Hic, vbi nequitiæ fautoribus & timidis nil,
Aut paullum abſtulerat, patinas cœnabat omaſi
Vilis & agninæ: tribus vrſis quod ſatis eſſet.
Scilicet vt ventres lamna candente nepotum
Diceret vrendos correctus Beſtius: idem
Quicquid erat nactus prædæ maioris: vbi omne
Verterat in fumū & cinerem: non hercule miror,
Aiebat, ſi qui comedunt bona, cùm ſit obeſo
Nil melius turdo, nil vulua pulchrius ampla.
Nimirū hic ego ſum. nam tuta & paruula laudo
Cùm res deficiunt: ſatis inter vilia fortis.
Verùm vbi quid melius cōtingit & vnctius, idem
Vos: ſapere, & ſolos aio bene viuere, quorum
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.

COMMENTATOR.

QVÆ *ſit hiems Veliæ.* Cōſulit Horatius Vaalam de locorum quorundam ſalubritate ad lippitudinis

tudinis ſuę curationem, quoniam Muſa Baias adire ei diſſuadebat. *quæ ſit hiems.* Hyperbaton ab hinc vſque ad eum verſum, ſcribere te nobis, tibi nos accredere par eſt. *hiems.* qualc tempus. *Veliæ.* aduerbialiter. *Salerni.* Velia, & Salernū oppida ſunt in Lucania. Salernum à ſalis copia dictu eſt. *Muſa.* Antonius Muſa ægritudine Auguſti artem ſuá illuſtrauit: nam cùm dolore arthrico laboraret, & ad ſummam maciem perductus eſſet, curāte Amilio medico, qui eum adeò calidis curabat, vt tectū cubiculi eius velleribus muniret: hic poſtea in contrarium verſis omnibus, non ſolùm perfuſionibus frigidis, ſed etiam gargariſmis, Ciceminæ aquæ, quæ eſt Atellæ in domo Cæſaris, & potionibus vſus eſt, ita vt intra breue tempus eum curaret: ob quam cauſam ab Auguſto vſque ad ſeſtertium quadringenties ex ſenatuſconſulto accepit. Hic autem Muſa Horatio iuſſit, vt lauacro frigido vteretur propter oculorum dolorem. *ſuperuacuas.* inutileis prę fame. *illis me facis inuiſum.* mirè, quaſi Baiæ hanc iniuriam ſentiant, ſi eis frigida etiam frigoribus mediis præferantur. *ſanè.* valde: vt Salluſt belli ſanè ſciens. *murteta.* non longè ab Auerno lacu ſunt calidis aquis abundantia, quę creduntur ab inferis refundi. hinc murteta, quaſi mortueta, quibuſdam dicuntur, quòd illinc animæ quoq. mortuorum inferos petant: ſed murteta propriè à myrtis frequentibus dicta ſunt aquæ ſulfureæ, atque ſalubres, ad quaſdam infirmitates depellendas, quales erant apud Baias, ad quas frequenter ex diuerſis partibus homines confluebant: ſed poſtquam ob longinquitatem itineris cœpiſſent derelinqui, & ad Cluſinos fonteis Gabioſque, vbi erāt aquæ frigidæ, intermiſſis Baiis concurrere, dicit quòd ipſe vicus Baianus contemtis ſuis aquis cœpit ingemiſcere. *dictaq;.* quæ putantur. *ceſſantem.* pigrum, & neruis inhærentem. *elidere.* per ſudorē. *ſulfura.* aquas ſulfureas. *vicus.* Baianus. ordo eſt: Vicus Baianus inuidus ægris gemit relinqui murteta. & contemni ſulfura dicta elidere morbum ceſſantem in neruis. *inuidus.* ſup. quia itur ad alia loca. *qui.* ſupp. ægri. *fontibus.* ſupp. frigidis, ſcilicet vt curentur. *Cluſinos.* Cluſinæ, & Gabinæ aquæ ſunt frigidæ; Cluſinæ in Etruria, Gabinæ, in Sabinis *mutandus.* ſupp. ergo. *eſt.* ſupp. mihi *nota.* loca familiaria. *prater.* anaſtrophe, pro præter diuerſoria nota, id eſt, præter Baias. *quò tendis?* ad equum loquitur. *Læua ſtom.* ordo eſt, eques ſtomachoſus læua habena, dicet equo ſuo, quò tendis? non eſt mihi iter Cumas aut Baias. *ſtomachoſus.* iracundus. *auris.* frenum: nam equus cùm frenatus eſt, in ore aureis habere dicitur, & frenis admonendus eſt, non verbis. *læua.* quia Baiæ, Capuam euntibus à dextra ſunt. *maior utrum pop.* ſupp. te nobis ſcribere par eſt. *collectos.* ciſterninos. *perennis.* ſemper manantcis. *nam vina ni.* oſtendit ſe nolle bibere vinum illius regionis vbi Lucanæ præſtant aquam incolis, quoniam infirmum eſt; in agro autem ſuo, qualecumque habet, ſe libenter vti, ſed ad mare veniens requirere generoſum. *nihil moror.* quia non placent. *rure meo.* ablatiuus aduerbiaſcit. *ad mare.* prope mare. *generoſum & lene.* ſuaue vinum. *quod.* quale. *cum ſpe diuite.* ebrietatis cauſa. *manet.* tranſeat per viſcera. *quod verba.* vt ſuprà, Fecundi calices quem non fecere diſertum. *quod me Luca.* quod mihi præſtet vireis ad Venerem, quod calidiorem faciat ad amplexus. *tractus vter.* Velinus, an Salerninus: tractus autē ſunt locorum ſpatia. *educet.* nutriat. *apros.* pluteis. *echinos.* marinos. *pinguis.* craſſius, & voluptuoſus. *Phæaxq;.* Phæaces enim, quorū rex fuit Alcinous, luxurioſè viuebant, vt ſcribit Homerus. *Mænius vt rebus.* quoniam de ſe velut luxurioſo locutus eſt, ſubiicit de Mænio fabulam: qui Pantolabus dictus eſt, ab eo quod quicquid offerebatur acciperet: erat autem & vrbanus & mordax. itaque in eum largi erant, & qui vrbanitate delectabantur, & qui mordacitatem eius timebant. *ſcurra.* hoc eſt, talis cœpit haberi ſcurra vt non eſſet contentus propria menſa, neque poneret diſcrimen inter ciuem & hoſtem; quin æqualiter omnes morderet. *vagus.* non vno loco conſiſtens. *certum praſ.* certam ſedem. *impranſus.* non ſaturatus. *non qui ciu.* hoc eſt, cùm eſuriret, cuilibet maledicebat, vt alij placere poſſet, à quo paſci vellet. *dignoſceret.* diſcerneret. *hoſte.* extraneo *in quemuis.* ſiue ciuē, ſiue hoſtē. *pernicies.* damnū. *barathrūq;.* vorago *quæſierat.* acquirere poterat. *auaro.* ſuo. *nequitia* ſuæ. *fautoribus.* qui ea delectabantur. *timidis.* qui eum metuebant. *nil.* de parcis *paullum.* de luxurioſis. *omaſi.* bubuli pinguioris. alij inteſtina volunt. Omaſus propriè eſt caro bubula. *agnina.* ſup. carnis. *ſcilicet.* ſup. adeò vorax erat Mæuius. *nepotum.* nebulonum. *Beſtius.* nomen parciſſimi cuiuſdam Romani. *idem* Mæuius. *verterat in fumum.* cùm omnia deuoraſſet. *bona.* ſua. *ohaſo.* craſſo. *nimirum.* ait Horatius. *hic ego.* talis ego ſum: in hoc contentio. *inter vilia.* in paupertate *fortis.* ego *quid.* aliquid. *vnctius.* opulentius *idem.* ego. *vos.* qui lauti eſtis. *quorum conſ.* allegoricôs. poteſt hoc Epicurus dicere, qui ait diuitias, vt non appetendas, ita nec fugiendas ſi contigerint.

CRVQVIVS.

QVAE *ſit hiems Velia.* Horatius ex acrioris pituitæ defluxu in oculos vehementer affectus, vt lauacris calidis ei malo mederetur, Baias profi-

proficiſci ſolebat. Antonius autem Muſa medicus ad defluxionem retundendam dixit ablutiones frigidas eſſe vtiliores; eique ſuaſit accedere Cluſinos fonteis, aut Gabios, quos expertus fortaſſis Horatius dolorem non mitigare, aut etiam quòd maritimis magis gauderet, ſcripſit Vaalæ, vt ex eius litteris cognoſceret, in primis aëris Velini & Salernini temperiem: deinde vtra regio frumenti eſſet abundantior, & aquæ bonitate præſtantior. de vino Velino, & Salernino nihil eſſe quod ſcribat; nam domi ſe quidem, & in agro ſuo poſſe ſumtu modico vitam tolerare, & quiduis perferre; ſed ad maritimos tractus vbi venerit, vinum ſe requirere quod eſt generoſiſſimum, & apparatum ciborum, eduliorumque non minus lautum cùm ad animi iucunditatem, tum ad corporis vireis cõfirmandas: quod vt fiat expeditius, poſtremũ noſſe deſiderat ex eius ſcriptis, Velinus ne ager, an Salerninus fertilius lepores alat, & apros, cum piſciũ marinorum copia, vt lætus domum beneque habitus reuerti poſſit: hoc enim vitæ genus ſibi gratum eſſe, quod Mæuio cuidam nepoti non diſplicuerat, qui ſplendidè ſeſe, & opiparè nutriebat, domi quidem dum voraret hereditaria bona; foris verò partim diuitibus ſcurrando, partim maledicendo, tantiſper dum relictus à fautoribus ſuis, viliſſimoque cibo domi coactus victitare, diceret, qui ſua bona comeſſent, eos ſe non mirari, vt qui vitæ præteritæ non immemor, delicatiſſima quæque condimentorum genera palato non ignoraret ſapidiſſima. ad eum ſanè modum dicit Horatius, domi ſe tranquillè viuere paucis contentum, ſed foris non reiicere, ſi quid contingat lautioris condimẽti ſapidiorisque: beatos eos prædicando, quibus per opulẽtiam, deliciis iis ſemper frui datum eſt. *Quæ ſit hiems V.* inſcriptio huius epiſt. in 4. Blãd. Bull. Tonſ. Sil. eſt ad Numonium Valam. In vno autem Blandin. additum eſt De lauacris frigidis; In Diu. cod. eſt ad Gualam. Lamb. ex numiſmatis Fuluij Vrſini, & Clementis Teueniui, legit *Ad C. Numonium Vaalam.* equidem ex numiſmate Lauredani vidi delineationem Huberti Goltzij, in qua legi, C N. V M O N I V S V A A L A. qui interrogatus à me variæ lectionis rationem; protinus, vt eſt antiquitatis non minus peritus quàm ſedulus obſeruator, reſpondit conſularia numiſmata, propter punctula quædam minuta tam cognitu eſſe quàm lectu difficilia: ſimul & ad oculum in ſui deſcriptione numiſmatis demonſtrauit punctum minutiſſimum inter C N. & V M O N. quod non aduertentibus ita impoſuit, vt N littera nomini appoſita legerint, N V M O N I V S. *hiems.* acrior ne, an temperatior? *Velia.* Velia oppidum in Lucania, antea Helia dicta. Vide Plin. lib. 3. cap. 5. & cap. 7. Contra Veliam, inquit, Pontia, & Iſcia, vtræq. vno nomine Oenotrides, &c. *cælum.* an purum, & ſerenum, an nubilum & pluuioſum? quale ſolet eſſe in locis paludoſis. *Salerni.* Plinius lib. 3. cap. 5. à Surrento ad Silarum amnem 30. m. paſſuum ager Picentinus fuit Iunonis Argiuæ templo ſub Iaſone condito inſignis: intus oppidum Salerni, Picentia, &c. *quorum hom.* qui mores, quæ vitæ ratio. *qualis via.* huc repete ad ſenſus perfectionem verſum 25. poſtpoſitum, Scribere te nobis, &c. *nam mihi Baias.* αἰτιολογία, cur pro conſuetudine Baiana balnea non accedat. Suadebat enim Anton. Muſa medicus Auguſti Cęſar. vt ψυχρολύτρῳ vteretur, id eſt, frigidis balneis ad depellendas τὰς τῶν ῥευμάτων ἐπιφορὰς: id eſt, humorum in oculos defluxum, qui & lippitudinem adducit, & ingentem dolorem. de cuius curatione lege Corn. Celſum De re med lib. 7. De hoc autẽ Anton. Muſa medico, Dio 53. & Sueton. Tranquillus, qui præter magnam pecuniarum vim aureorum annulorum ius, nec non ſtatuam ei patres ęre collato, iuxta ſignum Aeſculapij ſtatuiſſe auctor eſt. Erat enim, inquit Dio, Antonius Muſa libertus. Libertis enim ius annulorum proprium erat, vt idem ait: cui certè ob ingenij elegantiam, hoc ei à patrono nomen impoſitum fuiſſe credimus. ab eo Auguſtus Cæſar ſanatus fuit, & à morbo difficili liberatus anno vrb. cond. 730. auctore Sigonio. *ſuperuacuas.* non inutileis modò, ſed etiam pernicioſas, propter euacuationem, quæ & emaciat, & vireis debilitat, nec rheuma diuertit, aut ſiſtit, id præcipuè quod ſub oſſe defluit in oculos. videto Celſum lib 7 *me facit inuiſum.* hoc eſt, etiãſi vtar vnda frigida in refrigerandis capitis in oculos meatibus; tamen nihil minus ceſſat dolor, adeò vt Baias iratas credã mihi inuidere ſanationem. Hic monere lectorem peritum volui, in libris Bland. inueniſſe me, perluor, & ſuprà notatum, a iã, peruehor. an autem rideat medicum Muſam, qui non aduertat id ei malum à natura ingenitum curari non poſſe, quamuis per medias vndas vehatur, etiam brumali frigore, vſque eò vt etſi caput, & ſtomachum fontibus Cluſinis ſupponat, qui corpus ſuum quaſi peruehant, id eſt, penetrent; nihil tamen ſibi profore cenſeat. diſpiciat mecum lector. *ſanè myrteta.* cod. ſcrip. alij, myrteta, habent, alij murteta, ſine diſcrimine: nam in Satyr. alibi oſtendi, y verti ſine offenſione vlla, in u, vocalem Latinam. ſic depygis depugis: vt eleganter docuit Mekerchus noſter, doctior an humanior neſcio, in libello De recta pronũciatione linguæ Græcæ. *dictaq.* quę dicuntur & à medicis & ab ægris profligare frigidos humores in articulis corporis hærenteis, qui morbus ἀρθρῖτις, id eſt, articularis nomina-

miratur. *vicus gemis.* ἀσ⟨υ⟩μπεγραφικῶς. an non ludit Muſam, & ipſam quoque multitudinem imperitam, quæ vnius Auguſti frigida ſanati gratia, credit eam quibuſuis morbis propulſandis idoneam, auctore quoque Muſa, qui quaſi ex eodem lebete φάρμακον hauriat quibuſuis corporis malis infirmitatibuſque curandis aptum? non prius habita ratione pituita ne ſit, an bilis ægritudinis fomes, & origo prima? nam ſi contrariorum ſint effecta contraria, quis infitiabitur ex defluxu frigido natam in neruis, ſeu verius articulorum ligaminibus inflammationẽ balneis calidis aquiſq. ſulfuratis ſeu Baianis eſſe tollendam? *qui caput & ſtomach.* Corn. Celſus lib. 1. cap. 9. aqua, inquit, frigida infuſa, præterquam capiti, etiam ſtomacho prodeſt, etiã articulis, doloribúſq. qui ſunt ſine vlceribus, &c. quæ verba planè Hippocratica, ſunt intelligenda, modò dolores & affectus in corpore è bile, aut bilioſo ſanguine procedant, vt lib. 5. aphor. 23. alioqui ægrotus verſatur in ſummo vitę diſcrimine, vt non fruſtrà dicat Horat. *qui audent:* nam præter vim propè intolerabilem ea perfuſione partibus corporis malè affectis illatam, incertus eſt de virium ſuarum reparatione. *Cluſinos.* ſic habet cod. Bland. antiq. & Sil. quos ſequor, non ſine cauſa, vt lector doctus, ſi aduertat, facilè iudicabit ſic legi debere; non etiam, Cluſinis, qui caſus hic irrepſit propter τὸ fontibus. Cluſini autem fontes à Cluſio denominati ſunt, quod oppidum eſt in Etruria. ſic enim Plin. lib. 36. cap. 13. ex M. Varrone, Sepultus eſt, inquit, (Porſena rex Etruriæ) ſub vrbe Cluſio, &c. Idem lib. 3. cap. 5. ponit Cluſinos nouos, & Cluſinos veteres. *mutandus locus eſt* ne ſolus in omni multitudine videar Antonio non aſſentiri, eiuſq. de ablutione frigida præſcriptum vili pendere, ſi Baias accedam mihi familiarei. Quod autem hoc faciat plus vt Antonio gratuletur Auguſti curationem, quàm vt ſubleuetur ab oculorum doloribus, indicat victus ratio, quam captat apud Velinos aut Salerninos, vbi cum lautitiis obſoniorum, requirit vinum non dilutum vel tenue, quod facere poſſit ad lippitudinis mitigationẽ, ſed generoſum leneque, quod exhilaret animum, ſeſeque commendet amicæ Lucanæ. Sed ea Venerea diæta lenire ne poterit oculorum ex lippitudine caligationem? commodum ne fuerit eiuſmodi collyrii? *deuerſoria nota.* ſic habet Blãd. cod. antiq. reliqui omnes, diuerſoria; hoc recentioribus, illud veteribus vſitatius. *ſtomachoſus.* θυμικὸς. ὀξύθυμος. de quo Satyr. 9. lib. 1. *ſed equi fren.* hoc eſt, quid ſtomacharis verbis in equum, & iraſceris, quãdo non ignoras habena, non verbis agẽdum equum? *maior vtrum pop.* interrogationes iſtæ plúſne voluptati, quàm ſubſeruiunt curæ ſanitatis acquirendæ? τὸ vtrum, diſtributiuũ eſt, non interrogatiuum. *puteoſne perennes dulcis aquæ.* ſic habent duo cod. Mart. & Bland. antiq. reliqui omnes, iugis aquæ. diſputẽt alij, vtra lectio præualeat alteri, ego certè manum non vorterim (vt aiunt) iugis ne an dulcis legam; iugis enim aqua, id eſt, fontana iugiter promanans, perenneis gignit puteos vnde aqua hauritur, riuiq́ue perennes deducuntur, ad diſcrimen puteorum ex aqua pluuia nõ perenni, quos collectos imbreis hic nominat. *nam vina nihil.* hoc eſt, per occupationem vina Velina, & Salernina, non ignoro eſſe acerba, aquoſa, & tenuia, qualia tametſi in agro meo Sabino, frugaliq́; vita non reiicio, tamen in maritimis ciuitatibus; quæ non dubito aliundè allata, generoſa requiro, nobiliaque vina, quibus velut irrigatus animus totus hilareſcat, &c. *echinos.* de echinis vide annotata in 5. Oden Epodicam, & Satyr. 4. lib. 2. *vt inde dom.* τὸ vt, capitur τελικῶς. *Phaaxq́;* tres Bland. cod. habent Phægaxque. quid ſi Pheggax, vt veniat ἀπὸ τοῦ φέγγους, id eſt, nitidus, ſplendiduſque? *ſcribere te nobis.* hic verſus, vt oſtendimus, ad multas clauſulas reuocandus eſt. *Manius & rebus.* Fab. Mænius Pantolabus. Hoc lepidum eſt ἐπιτροχασμός, vt liberius circum præcordia ludat, aut Antonij Muſæ, aut Vmonij Vaalæ. *fortiter.* non ſegniter; fortiter, pro ſententia ſuæ fortis nepotum, laudabiliter, conſtanter. *ſcurra.* ὀφθαλμός, quod omneis intueretur, obſeruaret, aſſentaretur omnibus. *praeſepe.* nec domum, nec mẽſam ſtatam haberet. eſt autem epexegeſis τοῦ vagus. *impranſus.* famelicus. iuxta id quod fertur, fames, & mora bilem in naſum conciunt. *hoſte.* antiquo more pro peregrino. hoc eſt, dum fameret, in omneis erat æquè maledicus, amicos, inimicos, ciueis, exteros, nobileis, ignobileis, &c. *fingere certus.* promptus, paratus. ſic habent duo cod. Bland. Tonſ. & Sil. alij habent, ſæuus, cum vulgatis. *barathrumq́;* de barathro alibi apud Feſtum in τῷ barathrum, pro βαθὺς fortaſſe legendum βαρύς. *donabat.* 4. Bland. habent donarat. *nequitiæ fautor.* nequitiæ fautores, interpretor luxurioſos, ſic enim nequities accipitur ad finem Satyr. 2. lib. 2. Illum aut nequities, aut vafri inſcitia iuris poſtremò expellet. ſic & nequitia eiuſdem lib. Satyr. 3. Quincti progenies Arri par nobile fratrum nequitia & nugis, &c. Timidos autem expono auaros epitheto proprio. Itaque à ſui ſimilibus luxurioſis parum, à timidis, id eſt, auaris autem cùm nihil auferret, &c. *vilis & agnina.* ſic habent 4. Bland. Buſl. Nan. Diu. Sil. alij ſequuntur vulgatam; ſed aliam ſecutus ſum, quòd omaſum agninum tenuius ſit & tenerius, quàm quod tale barathrum compararet. *tribus vrſis.* quid ſi notet Vrſinam gentem? *ſcilicet vt ventres.* hoc eſt, eiuſ-

eiuſmodi comedones candente ferro lancinandos potius perfodiendosq́. dicebat Beſtius, quàm nutricandos, & in viuis ſeruandos. *correctus Beſtius.* hanc lectionem habent omnia quæ vidi ſcripta. vnus Blád. habet, correptus: quò magis miror alios enarratores Horatij ita ἐκ παρέργου præteriiſſe hûc locum velut indignum in quo ſe grauius torquerent, maluiſſeque nugas ſuas obtrudere, quàm vera, & antiqua lectione propoſita lectori conſulere: quæ ſatis eſt aperta diluci laque. ſed eo malo ferè laborant interpretes, in elucidatione ſcriptoris alicuius, vt longius euagari, lectoremq́ue multis aliunde ſententiis conſarcinatis delectare ſtudeát potius, multaq́ue varietate reficere, quàm ſcriptorem ipſum fortaſſis obſcuriorem illuſtrare: qua in re dum multam lectionem per communes locos digeſtam, ſeſeq́ue conantur oſtentare πολυμαθεῖς, fit vt viris doctis habeantur ὀλιγομαθεῖς. ſed ne lôgius egrediar, huius loci, vt mihi perſuadeo, hæc eſt ſententia. Cùm tanta eſſet Mænij & ſui ſimilium nepotum voracitas, & ingluuies, vt non ſua tantum ſed & aliena vorarent, neminique ob eam cauſam parcerent, non probis, non improbis, non auaris, non luxu perditis; fortè Mænius incidit in Beſtium, cuius auaritiam ſordeſq́ue ita impotenter eſt inſectatus, vt ita Beſtius accenſus eiuſcemodi ventreis dixerit lamina potius vrendos candente quàm in vita tolerandos. vide quàm nihil habet hęc lectio ſcrupuli, prę ſomniis aliorum. De Corn. autem Beſtio, ſcribit Plutarchus eum Ruſcium Imbrici ſoceri ſui filium, quem acceperat ſeruandum, dediſſe morti, vt eius auro potiretur. Meminit quoque Perſ. Beſtij Satyr. 6. *correctus.* caſtigatus à Mænio, multiſq́ue conuiciis laceratus. *quidquid omne.* pro omne quod. *verterat in fu.* alludit ad vim decoctionis. hinc decoctores dicti obligurritores, δαπανᾶται. *comedunt bona* ſic eſt in omnibus ſcriptis, nô etiam, bene. comedere autem bona, Græcis eſt δαπανᾶν τὴν οὐσίαν, λαμπρῶς ζῆν καὶ ἀναλοῦν, id eſt, ſplendidè viuere, & heluari, ſuas facultates prodigere. *turdo.* turdo inter aues datur à Martiali prima gloria. Perſ. Sat. 6. nec tenuem ſollers turdorum noſſe ſalinam. eſt autē turdus vernaculè een lyſter oft creimer. *volua.* ſic habent Blandin. vera, & antiqua lectione. Volua autem propriè de ſuilla intelligitur, olim habita in deliciis: epitheton, ampla, ſignat voluam eiecticiam, quæ ſuis primiparæ erat optima ganeonibus. Epigrâmatoph. in xeniis: Te fortaſſe magis capiet de virgine porca, me materna graui de ſue volua capit. vide Plin. lib. vndecimo, cap. 37. & 78 *pulchrius.* delicatius. *nimirum hic ego ſum.* redditio comparationis, cùm non ſuppetunt multa, contentus ſum paucis, etiam non optimis: at ſi quando lautius quid offertur, non ago Stoicum, ſed Epicureum, laudoq́ue vitam beatam. *idem vos ſapere.* probat certas diuitias, etſi modicas, ad lautè viuendum: quales ſunt antiqui cenſus in villis, agris, paſcuis, pecudibus, à parentibus relictis: alias autem quæ ſunt prodigorum, inconſtantium hominum, & auarorum, quibus cum luxu, & fœnore res eſt, laudat minimè, vt qui vel appetunt ſemper vel negligunt turpiter.

EPISTOLA XVI.

AD QVINCTIVM.

Ne percuncteris fundus meus, optime Quincti,
Aruo paſcat herum, an baccis opulentet oliuæ,
Pomíſve & pratis: an amicta vitibus vlmo:
Scribetur tibi forma loquaciter & ſitus agri.
Continui montes, niſi diſſocientur opaca
Valle: ſed vt veniens dextrum latus aſpiciat Sol:
Læuum diſcedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. quid ſi rubicunda benignè
Corna vepres, & pruna ferant? & quercus & ilex
Multa fruge pecus, multa dominũ iuuet vmbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.
Fons etiam riuo dare nomen idoneus, vt nec
Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus:
Infirmo capiti fluit vtilis, vtilis aluo.
Hæ latebræ dulces: etiam (ſi credis) amœnæ
Incolumem tibi me præſtant Septembribus horis.
Tu rectè viuis, ſi curas eſſe quod audis.
Iactamus iampridem omnis te Roma beatum:
Sed vereor ne cui de te plus quàm tibi credas:
Néve putes alium ſapiente bonoq́ beatum:
Neu, ſi te populus ſanum rectéque valentem
Dictitet, occultam febrem ſub tempus edendi
Diſſimules, donec manibus tremor incidat vnctis.
Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata mariq́;
Dicat; & his verbis vacuas permulceat aureis,
Téne magis ſaluum populus velit, an populum tu;
Seruet in ambiguo qui conſulit, & tibi, & vrbi
Iuppiter: Auguſti laudes agnoſcere poſſis.
Cùm pateris ſapiens emendatusq́; vocari,

Reſpondéſne tuo, dic ſodes, nomine? nempe
Vir bonus ac prudens dici delector ego, ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras, ſi volet, auferet: vt ſi
Detulerit faſceis indigno, detrahet idem.
Pone: meum eſt, inquit: pono: triſtiſq́ recedo.
Idem ſi clamet furem, neget eſſe pudicum:
Contendat laqueo collum preßiſſe paternum:
Mordeat opprobriis falſis, mutemq́ colores?
Falſus honor iuuat, & mendax infamia terret:
Quem niſi mendoſum & medicandum? vir bonus eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges iuraq́ ſeruat:
Quo multa magnaq́ ſecantur iudice lites:
Quo res ſponſore, & quo cauſa teſte tenentur.
Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota
Introrſum turpem ſpecioſum pelle decora.
Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat
Seruus: habes pretium: loris non vreris, aio.
Non hominem occidi. non paſces in cruce coruos.
Sum bonus & frugi. renuit, negitatq́ Sabellus.
Cautus enim metuit foueam lupus: accipiterq́
Suſpectos laqueos: & opertum miluius hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Sit ſpes fallendi: miſcebis ſacra profanis.
Nam de mille fabæ modiis cum ſurripis vnum,
Damnum eſt hoc leuius mihi, non facinus tamen. eſto.
Vir bonus, omne forum quem ſpectat, & omne tribunal,
Quandocumque deos vel porco, vel boue placat:
Iane pater, clarè, clarè cùm dixit, Apollo:
Labra mouet metuens audiri: pulchra Lauerna
Da mihi fallere: da iuſto ſanctoq́ videri:
Noctem peccatis & fraudibus obiice nubem.
Qui melior ſeruo: qui liberior ſit auarus
In triuiis fixum cùm ſe demittit ob aſſem:
Non video. nam qui cupiet, metuet quoque porrò
Qui metuens viuet, liber mihi non erit vnquam.
Perdidit arma, locum virtutis deſeruit, qui
Semper in augenda feſtinat, & obruitur re.
Vendere cùm poſſis captiuum, occidere noli.
Seruiet vtiliter: ſine paſcat durus, aretq́:
Nauiget: ac mediis hiem et mercator in vndis
Annonæ proſit: portet frumenta, penuſq́.
Vir bonus & ſapiens audebit dicere, Pentheu:
Rector Thebarum, quid me perferre patiq́
Indignum coges? adimã bona. nempe, pecus, rem,
Lectos, argentum. tollas licet. & manicis &
Compedibus ſæuo te ſub cuſtode tenebo.
Ipſe deus, ſimulatq. volam, me ſoluet: opinor:
Hoc ſentit: moriar. mors vltima linea rerum eſt.

COMMENTATOR.

N E *percũcteris fundus meus.* Alloquitur Quinctium de ſitu agri ſui in Sabinis, dicens eũ amœnitate gratiſſimum, ita vt inter duos monteis ſitus conuallia teneret, oppoſitus Soli orienti ſimul & occidenti. Et ex obliquo loquitur de æquanimitate, & temperantia, qua re contentus eſſe debeat vnuſquiſque; arguẽs quoſdam diſſimulatis vitiis, bonos potius videri velle laudarique quàm eſſe. *ne percuncteris.* ſupp. fortè, *aruo.* frugibus: aruum autem ab arando dictum eſt. ager ſegetis ferax, & præparatus frumento ſeminando. *herum.* me *opulentet.* diuitem, & opulentum me faciat. *amicta.* veſtita, maritata. *forma.* agri mei. *loquaciter.* amplè, & eloquenter, λαλιςὶ Græcè, ita vt quaſi *ipſe vis* ſine errore omnia cognoſcas. *valle.* hãc vallem in Odis vocat Vſticam. *vt veniens.* vt, extremo veniens Sol accipiebat. *latum.* latus. *diſcedens.* in occaſum vergens. *fugiente.* occidente. & ita deſcribit ſitum agri ſui ab ortu & occaſu Solis; quaſi dicat, totus ille ager meus vnus mons eſt, niſi diſſociarẽtur ipſi montes valle in medio iacente. atque ita oſtendit agrum ſuum inter duos monteis iacere medium. *temperiem.* agri mei. *laudes.* laudare potes. *corna.* poma agreſtia moris ſimilia. *vepres.* ſpineta, virgulta quæ circa ſepes ſunt. *dominum.* me. *dicas.* dicere potes. *Tarentum.* tam eſſe agrum meũ amœnum quàm eſt Tarentum. notandum Horatium in Italia nihil magis laudare, quàm Tibur & Tarentum. *fons etiam.* ſupp. eſt in agro meo cui nomen eſt Banduſius. *idoneus dare.* hoc eſt, tam magnus eſt, vt det nomen riuo qui dicitur Digentia. *Thracam.* Thraciam. *infirmo.* ægro. *hæ latebræ.* agri mei. hæc mea ſedes. *præſtant.* præſtabunt. *Septemb. horis.* Autumnali tempore quo grauiores regnant morbi. *tu rectè viuis.* ſi tam rectè viuis quàm fert opinio mea. *iactamus.* laudamus. *omnis Roma.* nos omnes Romani *beatum.* ſupp. eſſe. *ne cui.* alicui. *alium ſapiente bon.* præter ſapientem, & bonum, neminem eſſe beatum. *dictitet.* dicat. *occultam febrem.* trahit exemplum de febricitantibus, qui cupiditate gulæ prouocati ſimulant in cõ-

uiuio

uiuio febre ſe nō laborare, vt liberiùs poſſint cibis quibuſque veſci, donec ſuper ipſum cibum manus tremulæ reddantur. & ſicut is eſt ſtultus qui plus credit aliis quàm ſibi, cùm habeat febre vitiorum mentem repletam: ita non eſt ſapiens qui propter applauſum, & vulgi rumorem ſe beatum putat *ſub temp. ed.* ſtudio cibi. *unctus.* cibo. *ſi quis bella.* cenſus eſt, ſi quis laudes Auguſti Cæſaris decantet in honorem tuum, numquid aureis accommodabis illi? *dicat.* aſſignet. ordo eſt: ſi quis bella, ſcilicet Cæſaris terra marique pugnata tibi dicat, ſup. cùm poſſis laudes Auguſti agnoſcere: & his verbis permulceat aureis tuas. *te ne magis ſaluum,* &c. hic verſus eſt Vari in Panegyrico Auguſti, quo vtitur Horatius quaſi aſſentator aliquis, vt eo permulceat aureis Quinctij: & hoc exemplum eſt, ex quo quis intelligat, an verè ei dicatur, tu ſapiens es. *aureis.* tuas. *téne.* ô Cæſar. verba ſunt permulcentis aureis vacuas Quinctij. ſumta ex Panegyrico Auguſti, ſcripta à Varo. *ſeruet in ambiguo.* ordo eſt, Iupiter hoc in ambiguo ſeruet, qui & tibi & vrbi conſulit. hoc eſt, vt in incerto ſemper ſit, vtrū tua ſalute ô Cæſar, magis populus, an tu populi indigeas; & per hoc, vt cum populi ſalute tua penſanda ſit. oſtendit autem Cæſaris erga populum amorem eſſe tantum, vt ſit incertum vter alterum magis diligat. *ſeruet.* ſup. ſed. *poſſis.* ſupp. cùm. *reſpondes ne.* numquid reſpondes tuo nomine, quia ſapiēs vocaris, illi homini, qui laudes Auguſti tuas eſſe dicat, non illius? *dici delector.* ac ſi diceret etiāſi non mereamur. *qui.* ſup. populus; ita vt ſapiens dicaris. *auferet.* hoc eſt, ſi populus te falsò prædicauit, citò teſtimonium ſuum conuertet, quoniam tu id non fueris. *detulerit faſceis.* dicit non eſſe amplectendas alienas laudes, ne nos deſerant; ſed eas quas in nobis agnoſcimus ex virtute natas, quę ſolæ habent perpetuam dignitatem. *idem.* populus. *pone.* depone quod tibi dedi. *meum eſt.* mea laus eſt, inquit populus. *idem.* populus. *furem.* eſſe me. *neget.* ſupp. ſi. *contendat.* ſup. ſi. confirmet me ſtrāgulaſſe patrem. *mordear oppro. f.* ſupp. populi. quaſi dicat: cùm mordear falſis criminibus hominū, ob hoc mutém ne colorem? non vtique faciam. *falſus honor.* populi. *mendoſum.* inſanum. *vir bo. eſt quis?* interrogatiuè. *qui conſulta p.* reſponſio tota eſt per ironiam. oſtendit talem non eſſe verè bonum, ſed velle videri, & eſſe laudis ambitioſum: quia quicquid facit, hoc eum lege coactum facere. *ſecantur.* finiuntur, deciduntur. *cauſa.* forenſes. *videt.* cognoſcit. *domus.* ſua. *vicinia tota.* omnes vicini. *introrſum tur.* & ſolummodo fama bonū. *ſpecioſum pel deco.* extrinſecus ſimulatione virtutis. *nec furtum feci.* contra eos nunc loquitur, qui ſe putant honore dignos cùm nil commiſerint cur damnentur. *ſi mihi di.* ordo eſt, ſi mihi dicat ſeruus, non furtum feci, &c. *loris non vr.* non vapulas: talis ne eſt vir bonus, ſi metu pœnæ continetur à malo, vt ſeruus? *non homi.* ſeruus. *nō paſces.* dominus *ſum bonus &c.* ſeruus. *negitatque Sabellus.* dominus ſcilicet Horat. in agro ſuo Sabino exiſtens. *cautus enim.* allegoricôs. ab animalibus callidis, quæ vix decipi queunt. *in te.* contra te. *ſit ſpes.* ſupp. tibi *ſacra prof.* bona malis. *nam de mille.* cōtra Stoicos, qui dicunt omnia peccata eſſe ęqualia. hoc eſt, quando, inquit, furaris vnum modium fabę, de mille modiis, damnum eſt mihi leuius iſto pacto, nō facinus tamen; nam ſi auſus fuiſſes, totū abſtuliſſes; ac per hoc non minus fur es dicendus. ordo eſt, iſto pacto damnum eſt mihi, id eſt, apud me leuius, non facinus admiſſum. *vir bonus.* qui videtur, non verè eſt. ſed quem populus probat, conferens in eum dignitates, honores, iudicia; ironicôs. *Iane.* ô. *clarè.* clara voce. *Apollo.* ô. *labra mo.* ſilenter loquitur. *metuens aud.* ſupp. cùm dicit quod ſequitur. *pulchra Lauer.* ô. deſcribit poteſtatem deæ Lauernæ. Lauerna in via Salaria lucum habet. eſt autem dea furum, & ſimulacrum eius fures colunt, & qui conſilia ſua volunt tacita; nam preces eius cum ſilentio exercentur: ſic dicta fortaſſe à latendo, nam fures olim laterniones, & lauerniones dicebantur. *da iuſtum.* me. *videri.* populo. *nocti.* latebras. *fraudibus.* meis. *obiice.* ô Lauerna. *qui.* quo modo. *in triuiis.* in loco publico. *fixum.* latentem. *demittit.* inclinat. *non video.* nō intelligo. *porrò qui metuens.* concluſio ſyllogiſtica. *perdidit arma.* fortitudinem. *virtutis.* libertatis. *obruitur.* occupatur. *re.* pecuniis, diuitiis. *vendere cùm poſſis.* allegoricôs. nam captiuū ſeruum illum vult haberi, qui pecuniæ parandæ ſemper ſeruit. ſenſus autem eſt, talem, inquit, qui pecuniæ ſeruiet, patere vt ſeruum laborare. eſt enim eiuſmodi hominū aliquis vſus, & certè plus aliis quàm ſibi proſunt, vt mancipia. Igitur aret, inquit, ille, nauiget, & annonæ proſit: taleis enim populus probat. *ſeruiet.* populo. *paſcat.* gregem *durus.* ad laborem. *mercator.* auarus ipſe. *annonæ.* publicæ *audebit dicere.* ſup. quod liber pater dixit ad Penthea. *Pentheu.* oſtendit quòd ſolus ſapiens liber eſt, exemplo fabuloſo ſumto ex Bacchis Euripidis, in quibus inducit poëta Liberum patrem dicentem Pentheo vinctum ſe tenenti, quid eſt quod me poſſis cogere pati? adimam bona, auferas licet, te vinciam tamen; deus me ſoluet, mors liberabit. per Bacchum intellige virum bonum & ſapientem, quem neq; carcer, nec metus mortis, nec vlla vis, nec diuitiæ poſſunt efficere ſeruum; & ſic ridet minas tyranni. *adimam bona* dixit Pentheus. *nempe.* ſit ita. reſponſio Bacchi. *ſimul atque.* ſtatim vbi voluero. *hoc*

ſentit.

ſentit. ſupp. ſapiens. *mors vltima linea rerum.* *γνώμη.*

CRVQVIVS.

NE *percũcteris fundus meus.* Situm fundi ſui paucis deuincat Horatius, vt quid ferre poſſit ipſe coniectet Quinctius, nimirum eum eſſe in vmbroſa valle, ſolis ortu, & occaſu illuſtrata, temperataque, nec fonte minus amœna, quàm riuo ex eo decurrẽte tam infirmo capiti, quàm aluo ſalubri. Sed quod ibi quaſi in ſuis latebris nõ rectè viuere fortaſſis Horatio improperauerat, Quinctio reſpondet, eum rectè viuere, qui qualem ſe dici gaudet, talis reuera exiſtit, hoc dicto ſatis amarè notans Quinctium non eſſe virum bonum ſapientemque, vt qui ex ſententia, & applauſu populi exiſtimet, aut beatum ſe, aut miſerum, non etiam ex recti conſcientia, quaſi neſciat populum quouis vento leuiorem; nunc honores largiri, nũc adimere; nunc vanis laudibus aureis permulcere, nunc multis opprobriis afficere: quibus certè rebus aut delectari vehementer, aut dolere ſtultorũ eſt: qui ſe quoque bonos ſimulant, legéſque & iura ſeruare fingunt, vt ab imperita multitudine cõmendentur, quando animo ſint impuriſſimo turpiſſimoque, nec niſi, ſeruorum more, metu pœnæ quicquam boni meditentur; ſacra quidem in propatulo diis facientes, at ſi ſpes ſit, Lauerna propitia, latendi, ſuamque turpitudinem celandi, iuſti, ſanctique prætextu, fures ſunt rapaciſſimi, miſcẽtes ſacra profanis, & ad viliſſima quęque ſe demittentes, vt adimpleant habẽdi ſitim, cupidi metuq. perditi ſemper in augenda re. Quod quàm procul ſit à viro bono ſapiẽteque, docet exemplo Bacchi, qui nullis minis, ne mortis quidem metu potuit adduci, vt quid præter decorum faceret. *ne percontèris.* percontari verbum ſignat Quinctium *πολυπράγμονα τῶν ἀλλοτρίων κακῶν*, id eſt, nimis in aliena mala curioſum indagatorem, quales ferè ſunt præpotentes, qui nimia ſibi *φιλαυτίᾳ* pulchrè placentes in foro verſantur otioſi ab animo, ecquid agant, quid meditentur, quantum in bonis habeãt alij, diligenter inquirentes. *optime. εἰρωνικῶς.* vt illud Comicum, ſalue bone vir. *Quincti.* ſic ſcriptũ eſt in antiquiſſ. cod. Bland. per c litteram. *aruo paſcat.* ne. *bacis.* per c vnicum ſcriptum eſt in omnibus præter Mart. qui vulgaris conſentit. *pomiſve an pratis.* ita tres cod. Mart. Sil. & Bland. legunt; & meo iudicio vera eſt lectio: nam τὸ pomis adhærens bacis oliuæ, ſeparandum eſt à pratis, ponit enim agri tria genera, agrum, aruum, ſeu satiuum agrum conſitum oliuis, pomis, &c. & agrum paſcuum. *an amicta vit.* an vini ſit ferax. *loquaciter.* quàm reſpondet hoc aptè verbo percuncteris, loquacitas enim ſiue garrulitas percontatori eſt propria, vt vulgo fertur, Percontatorẽ fugito, nam garrulus idem eſt. neceſſe eſt itaque Horatio, vt perſonæ ſubſeruiat, eſſe loquaci. *continui montes.* deſcriptio ſitus agri. de his mõtibus in ſua Vmbria ſcribit Blondus Flauius in hunc modum: Ab ipſo autem Imelæ fluuioli ortu apud Pedelucum mõtes incipiunt, qui ſiniſtra ciuitate Reatina perpetuo in meridiem curſu continuati, ſemperque creſcentes, & quàm longè ab Apennino recedentes, Equicolorum olim nunc Talicotij montibus proximè adhærent, Tiburque feruntur, &c. Et poſt paulò: Imelę autem ſiniſtrorſum eſt propinquum villæ, nunc oppidum Vacuna appellatum; cuius meminit Horatius ad Ariſtium, Hæc tibi dictabã poſt fanum putre Vacunæ. Deinde hæc verò vallis quam Farfarus efficit tam multis habitatam caſtellis, illa eſſe videtur in qua Horatius villam habuit: monteis enim quos a Pedeluco Tibur vſque continuari oſtendimus, hac ſola valle interrumpũtur, &c. Vide præterea quę ſcripſimus epiſt. 14. in dictione Varia. *niſi diſſocientur.* modi potentialis, id eſt, diſſociari deberẽt, interrumpique. neſcio an hoc ad Quinctij ſtupiditatem docendam pertineat; quis enim monteis ignoret, niſi interiecta valle, continuari? *valle.* Comment. ait in odis nimirum 17. lib. 1. hanc vallem nominari Vſticam: crediderim potius montem villæ Horatianæ propinquum dici Vſticam, eique ex oppoſito Lucretilem imminere montem, cuius eadem quoque ode mentionem facit. *ſed vt.* per ellipſin, ita. *dextrum latus.* an non hoc argumento eſt ſuam villam non eſſe latebras, quod ei videtur improperaſſe Quinctius? *curru fugiente.* Bland. antiq. habet, curſu. *quid: ſi rubicunda.* ſic habent omnes ſcripti præter Mart. Nan. & Sil. qui habent, quod ſi. ſed lectorem celare nolui inueniſſe me hæc verba, quia montes continui diſſociantur opaca valle in medio iacente, ſecundum hanc gloſſam vbi ponitur, ſi, legendum eſt, ni. Itaque hic pro, quod ſi, legendum erit, quod ni, perinde ac Tarentina vallis non corna, pruna, glandeis, ceteraque ſilueſtria, ſed fructus meliores proferat: quod & Strabo lib. 6. ſcribit: Illa enim (Tarẽtina) tenuis quidem, ceterùm fructuum bonitate præcellens: nam & mel eius, & vellera vehementer laudantur. Non ignoro τὸ illa, apud Strabonem aliò referri poſſe; at interim tamen Tarentini ſolum fecundum coluere & paſcuum: hinc Tarentina lana veteribus commendatiſſima. Deinde Strabo paulò ſuprà, Cumque aquarum indiga eſt (Iapygia) nihilominus læta ſuppeditat paſcua, & arboribus referta ſpectatur, &c. Diſpiciat itaque lector peritus hunc locum. *benignè.* cod. Tonſ. cum duob. Bland. habet *benigni.* *ſi quercus.* aut potius, ni quercus, vt

volunt

volunt Blandinij. *fruge.* frugis propriè eſt agri ſatiui; quare aut impropriè pro glande ponitur; aut ridet Quinctium curioſum ruris alieni. *Tarentum.* ſinus autem Tarentinus inter duo promontoria eſt, Salen ab oriente, & Lacinium ab occidēte, Tarentum autem eſt in depreſſo ſolo, quæ tamen arx exædificata eſt, paullulum altius attollitur, inquit Strabo: quare non ineptè confert agri ſui ſitum, cum ſitu vrbis Tarenti. *fons etiam.* commendatio fundi ſui à fonte. *idoneus.* ἱκανὸς δ᾽ ἔτι. *infirmo capiti.* an ad ſanandum Quinctij caput? *hæ latebræ.* hoc repetere videri poteſt Horatius, quaſi antea ſibi ignominioſè obiectum à Quinctio, ipſum ſcilicet latere turpiter in agro ſuo, & cum pecudibus ſordidè viuere; ſatius eſſe Romæ eum in ſplēdore verſari, ſuáſque laudationes à populo audire. cui reſpondet Horatius, inquiens, *tu rectè viuis, ſi curas.* perinde ac ſi dicat, ego ſtudeo talis eſſe, qualem velim me loqui famam; tu ô Quincti, idem facito, omnes Romani iamdudum clamant te eſſe beatum, hoc effice, vt verè ſis beatus. hoc autem dictum, tu rectè viuis, &c. eſt Socraticum, cuius meminit Cic. 2. offic. hanc viam ad gloriam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet. *ſed verior.* arguit ambitionis Quinctium. *alium ſapiente bonoq́; beatum.* Soſipater lib. 4. inſtitutionis Grammat. ait eſſe Solœciſmum, & abſolutum pro relatiuo poni, vt inquit, néve putes alium ſapiente bonoq́ue beatum, pro beatiorem. equidem malim eſſe Græcam conſtructionem, ἄλλον τι σοφῶ κ᾽ ἀγαθῶ τι, alium à ſapiente bonoq́ue. *neu ſi te populus.* argumentum ab externo corporis morbo, ad internum animi malum. *donec manibus.* donec febris tremore manuum ſeipſam prodat. *ſtultorum.* γνώμη. ſic quoque ſtultorum eſt animi celare vitia ſub prætextu viri boni. *vacuas.* inaneis, vanæ laudis audiendæ cupidas. *téne magis.* hi duo verſus redolent Horatianum ſtylum, quare potius eos ſub tertia perſona ab ipſo ſcriptos mihi perſuaſerim, quàm vel à Varo, vt Comment. vel ab alio poëta. *cùm pateris.* ſic Virg. ſenſit medios delapſus in hoſteis, id eſt, ſe delapſum. *tuo dic ſod. nomine.* cōgruo nomine? *nempe.* aſſerentis. perinde ac ſi dicat, neminem ita à ſe alienum, vt non malit bonus dici, quàm malus; ſapiēs, quàm ſtultus: negligere enim quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti; Cic. 1. off. *qui dedit hoc.* inconſtantia populi in dandis, & eripiendis honoribus. *pone.* depone. verba populi. *triſtisq́;.* abrogato magiſtratu. *colorem.* ſic habent Tonſ. Mart. Sil. quos ſequor. *mendoſum.* vitioſum, captumq́ue vana gloria. *& medicandum.* hoc eſt, non malitioſum fraudulentumq́ue, non callidum & verſutum, ſed animi ſimplicitate ſeductū, vt qui plus aſſentatori quàm ſibi tribuat, quiq́ue non animaduerſa populi leuitate, credat eum falſò aut laudare, aut vituperare neminem: quo nomine medicandus venit, hoc eſt, monendus, inſtituendusq́. melius, & præceptis philoſophicis imbuēdus, vt quid verum ſit, quid falſum intelligat, & neſcio an alludat ad illud Homeri, ἀκεσταὶ φρένες ἐσθλῶν, id eſt, virorum bonorum mentes ſunt medicabiles, quales certè iudicarim eos qui nimia quadam facilitate, non etiam mera malitia in erroneam opinionem prolabuntur. Hanc autem lectionem habent 4. cod. Blandin. Buſl. Tonſ. & Sil. quos ſecutus ſum. iudicet lector doctus. *vir bonus eſt quis?* ἐρώτημα, per ſubiectionē vitæ vulgò probatæ; quaſi bonitas animi, ex opinione iudicioq́ue multitudinis pendere poſſit, & humana conuerſatione factisq́ue externis, quæ ferè ſimulata eſſe ſolent. Hæc itaque viri boni deſcriptio quæ ex opinione eſt, & populi fama vera eſſe nequit. *quo res ſponſore.* ſic habet cod. Bland. antiquiſſimus, & veriſſima lectio eſt hactenus ignorata doctis, qui vel inuiti tantum tribuerint Horatio, vt reſponſorem interpretarentur iuriſconſultum, præter omnem Latinitatem: fateor equidem prudentum reſponſa legum peritis eſſe notiſſima, ſed reſponſores non perinde. *tenentur.* non amittuntur; ſua cauſa, viro bono teſte, non cadunt actores. *ſed videt hunc om.* aduerſatiua, quæ domeſticorum, vicinorumq́. teſtimonio cōfutat hanc viri boni deſcriptionem, quæ potius eſt hypocritæ. *nec furtum feci.* inducit Horatius ſeruum ſecum argutantem, vt oſtendat eum non eſſe virum bonum, qui domi quidem turpis eſt, in foro verò, & populi conſpectu decorus metu pœnę, non etiam virtutis amore. *ſum bonus & frugi.* hoc eſt, ſum frugi bonę. vide Satyr. 7. lib. 2. *negitatq́; Sabellus.* ſic ſcriptum eſt in antiq. cod. Bland. quod mihi non parum placet, atque adeò pluſquam vulgata lectio, propter κακόφωνον. ſic & Plautus Bacchid. actu 4. ſcen. 10. neque placitant mores quibus, &c. & quæritare, paritare, proparare, apud eundem. *cautus enim* diluit argumentum ſerui à ſimili, lupus vitat foueam, accipiter laqueos, & miluus hamum, idcircó-ne mutata natura deſinunt eſſe rapaces? tu ô ſerue nequam, nec fur es, nec fugitiuus, nec homicida, ideó ne es frugi bonę? nulla ſit fouea, aufer laqueos, & hamū, redibúnt-ne ad prædam feræ? impunè tibi peccare liceat, aut ſpes ſit tua furta, rapinas, fraudeiſque celandi, nihil non audebis, confundes faſque nefa que. *metuit lupus.* deuitat, φυλάττεται *miluus.* ſic habent 4. Bland. cod. vt ſit triſyllabum. reliqui ſequuntur vulgatam lectionem. *oderunt peccare.* vitia omnia ſceleraq́ue habent odio, ad virtutem

vel naturæ ductu, vel recta inſtitutione propenſi. ſic Bias apud Stobæum, μὴ διὰ φόβον, ἀλλὰ διὰ τὸ δέον ἀπέχεσθαι χρεὼν ἁμαρτημάτων. id eſt, non metus, ſed decori gratia abſtinere conuenit à peccatis. *ſit ſpes fall.* à contrario. *fallendi.* celandi, λανθάνειν. *damnum eſt hoc leuius mihi.* Plato lib. 1. de Republ. ἐάν τις τι κλέπτῃ δημόσιον μέγα ἢ καὶ σμικρόν, τῆς αὐτῆς δίκης δεῖ· σμικρόν τε γὰρ ὁ κλέπτων, ἔρωτι μὲν ταὐτῷ, δυνάμει δ' ἐλάττονι κέκλοφε. id eſt, ſi quis publicum aliquid furetur, ſiue magnum, ſiue paruum, eadem pœna conſtituatur; nam & qui exiguum aliquid furatur, eodem quidem ſtudio, potentia verò minori furatus eſt. Hic verſus ab Accurſio recitatus (auctore Lambino) diuerſus à vulgata lectione, à me quoque inuentus eſt in Sil. cod. ſed paulò aliter, nimirum: *damnum eſt hoc leuius mihi, non facinus tamen eſto. Vir bonus omne forum.* reuertitur ad eum quem deſcripſit, ex opinione famaque vulgi virum bonum. *quem ſpectat.* obſeruat tamquam vitæ probatæ quoddam ἀρχέτυπον. *Iane pater.* hoc imitatus eſt Perſ. Satyr. 2. Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & vt audiat hoſpes: Illa ſibi introrſum, & ſub lingua immurmurat; ô ſi ebullet patrui præclarum funus, & ô ſi ſub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro Hercule, &c. *metuens.* nolens audiri ab aſſiſtentibus ea quæ ſecum precatur tacitè. *fallere.* effice vt alios lateant mea ſcelera. *da iuſto ſanctoq; vide.* ſic habet cod. antiquiſſ. Blandin. quem ſecutus ſum, propter τὸ mihi, reclamantibus omnibus aliis, quos tamen non improbo, ſed hæc mihi ſimplicior apparet lectio. *noctem & nubem.* hoc eſt, noctem nubiloſam, pro denſiſſimis tenebris, & ignoratione, ne quis ea peccata, eas fraudeis audire, videre, deprehendere aut cognoſcere poſſit. *qui melior ſeruo, qui lib.* qua ratione quis dicat eum bonum virum, qui fraudulentus, ſceleſtus, qui auarus eſt, meliorem ſeruo aut liberiorem, qui pecuniæ cauſa quiduis facit & patitur. Hæc lectio inuenitur in 4. cod. Blandin. Buſl. Nan. Sil. & Diu. ſed Mart. & Tonſ. habent, quô, cum vulgatis, quos non ſequor. *in triuiis fixum.* à luſu puerili, quo in viis numo fixo prætereuntes illuduntur. ad eum modum Perſ. Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum. *qui cupiet, metuet quoque.* Cic. 1. Parad. de auaris, neque ea ſolum quæ habent augendi libidine cruciantur, ſed etiam amittendi metu. *qui metuens viuet.* Syllogiſmus ex Enthymemate: Qui cupit & metuit, non eſt liber; auarus cupit, & metuit; liber itaque viuere nequit. *perdidit arma.* abiecit arma, ῥίψασπις. *locum virt. deſ.* eſt ſuæ ſtationis, & ordinis deſertor. λειποτάξιος, ἢ φυγάς. Hi in militia capite puniebantur. vnde tranſlationes hæ ſumtæ ſunt. Quin ex hypotheſi bellum ſtatuit virtutum vitiorumque, nec non auarum conſtantiæ, & liberalitatis armis abiectis, ſtationeque deſerta, ab auaritia duci captiuum; quem cùm iure belli poſſit occidere, precatur tamen auaritiam vt vendat potius quàm enecet, ſinatque ſeruire vtiliter. *occidere noli.* ſed vende, & eſſice ſeruum. *paſcat durus aretq;* enumerat opera ſeruilia, viroque bono propè indigna, qualeis arteis mechanicas ſolemus Græcè appellare βαναυσικὰς τέχνας καὶ ἰδιωτικάς. *vir bonus & ſapiens.* deſcriptio viri boni, & ſapientis ab exemplo fabuloſo Penthei Tyranni extrema quæque mala comminantis Libero patri, id eſt, viro bono, ſi non faciat imperata, eique morem gerat, quæ recti conſcientia fiſus, magno animo contemnit, ſibique tyrannum non poſſe nocere declarat, etiamſi ablatis omnibus fortunæ donis, quæ ſua non eſſe cenſet, corpus quoque multis tormentis, & cruciatibus affligat, vt qui in virtute, quæ eſt immortalis, omnia ſua collocet. *Pentheu.* de Pentheo vide Satyr. 5. lib. 1. *nempe.* ſcilicet. reſpondet vir bonus εἰρωνικῶς, quòd ſciat ea non eſſe ſua, ſed fortunæ. *pecus, rem, lect. arg.* verba Penthei, per tmeſim orationis. *tollas licet.* vir bonus ad Penthea. *in manicis.* Pentheus vincula dura comminatur. manicæ à manibus, quibus manus vinciuntur, vt compedes à pedibus dicuntur. *ipſe deus.* vir bonus à ſolo Dei nutu depēdens, eique fidens pro nihilo ducit acerbiſſimas tyranni comminationes: iccirco liberè reſpondet, Ipſe deus Iuppiter, pater meus, mox vbi volam, id eſt, precabor eum, me liberabit à vinculis; meque ad ſe arceſſet, immortalemque deum faciet. *opinor.* verba poëtæ interpretis. *opinor.* id eſt, exiſtimo in ea ſententia eſſe virum bonum, vt citius moriatur quàm turpiter ſeruiat: quam mortem qui ſubiit, nihil vltrà pati poterit; eſt enim *vltima linea rerum.* id eſt, finis malorum. vltima autem linea vel ab Arithmeticis, qui in vltima linea ſuorum numerorum collocant vnitatem; vel à Geometris, qui vltima linea figuras perficiunt, vt trigonus duabus lineis ductis, addita tertia conſtat: aut ſi linea pro delineatione capitur, vltima linea ſumitur à pictoribus; nam ſicut linea ſeu manus vltima picturam, ſic mors vitam perficit, ante quam nemo beatus verè dici poteſt. Hic omitto vitam noſtram nihil eſſe quàm breue curriculum, omneiſque ab initio vitæ tamquam prima linea per multas in rebus agendis medias ad extremam vſque decurrere, quæ & vitæ meta, & mors nominatur.

EPISTOLA XVII.

AD SCÆVAM.

QVAMVIS, *Scæua, ſatis per te tibi conſulis, & ſcis*
Quo tandem pacto deceat maioribus vti:
Diſce docendus adhuc, quid cenſet amiculus: vt ſi
Cæcus iter monſtrare velit: tamen aſpice, ſi quid
Et nos, quod cures proprium feciſſe, loquamur.
Si te grata quies & primam ſomnus in horam
Delectat: ſi te puluis ſtrepitúſque rotarum:
Si lædet Caupona: Ferentinum ire iubebo.
Nam neque diuitibus contingunt gaudia ſolis.
Nec vixit malè, qui natus, moriensq́; feſellit.
Si prodeſſe tuis, paulloq́; benignius ipſum
Te tractare voles, accedes ſiccus ad vnctum.
Si pranderet olus patienter: regibus vti
Nollet Ariſtippus. ſi ſciret regibus vti;
Faſtidiret olus: qui me notat. vtrius horum
Verba probes, & facta, doce: vel iunior audi,
Cur ſit Ariſtippi potior ſententia: namque
Mordacem Cynicum ſic illudebat, (vt aiunt:)
Scurror ego ipſe mihi: populo tu. rectius hoc, &
Splēdidius multo eſt, equus vt me portet, alat rex.
Officium facio. tu poſcis vilia: verum
Dante minor, quamuis te fers nullius egentem.
Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res:
Tentantem maiora, ferè præſentibus æquum.
Contrà: quem duplici panno patientia velat:
Mirabor, vitæ via ſi conuerſa decebit.
Alter purpureum non expectabit amictum:
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet:
Perſonamq́; feret non inconcinnus vtramque.
Alter Mileti textam cane peius & angue
Vitabit chlamydem: morietur frigore, ſi non
Rettuleris pannum: refer, & ſine viuat ineptus.
Res gerere, & captos oſtendere ciuibus hoſteis:
Attingit ſolium Iouis, & cæleſtia tentat.
Principibus placuiſſe viris, non vltima laus eſt.
Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.
Sedit qui timuit, ne non ſuccederet: eſto.
Quid? qui peruenit, fecítne viriliter? atqui
Hic eſt, aut nuſquā quod quærimus. hic onus hor-
Vt paruis animis, & paruo corpore maius. (ret,
Hic ſubit, & perfert. aut virtus nomen inane eſt:
Aut decus & pretium rectè petit experiens vir.
Coram rege ſuo de paupertate tacentes
Plus poſcente ferent. diſtat ſumás-ne pudenter;
An rapias. atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
Indotata mihi ſoror eſt, paupercula mater.
Et fundus nec vendibilis, nec paſcere firmus,
Qui dicit. clamat, victum date. ſuccinit alter:
Et mihi diuiduo findetur munere quadra.
Sed tacitus paſci ſi poſſet coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus, inuidiæq́;.
Brundiſium comes aut Surrentū ductus amœnū,
Qui queritur ſalebras, et acerbū frigus, et imbreis:
Aut ciſtā effractam, aut ſubducta viatica plorat:
Nota refert meretricis acumina: ſæpe catellam,
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis: vti mox
Nulla fides damnis, veriſq́; doloribus adſit.
Nec ſemel irriſus triuiis attollere curat
Fracto crure planum: licet illi plurima manet
Lacryma. per ſanctum iuratus dicat Oſirim:
Credite, non ludo; crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.

COMMENTATOR.

QVAMVIS *Scæua ſatis.* In initio huius epiſt. docet Scæuam quomodo potētioribus amicis obſequi debeat, dicitq́. ſi tædeat eum manere in vrbe propter ſtrepitū & clamores tabernarum, vt transferat ſe in oppidum Ferentinum deſertum, & per hoc quietum. Aliter: Pręcepta vitę ad Scęuā, equitem Romanum, an aſſectandi ſint potentiores? & laudat Ariſtippum Cyrenaicum, quòd affectauerat cū regibus viuere. *quamuis Scæua ſat.* αὐθεπώτως. *tibi conſulis.* prudēs ſis. *maioribus vti.* obſequi. maiorum, & potentiorum amicitiam tenere. *amiculus.* ego. ὑπερηφανικὸν *cæcus iter.* verecundè, quaſi ipſe imperitus alteri cæco oſtēdere velit quid ſit agendum. *proprium feciſſ.* quod tuum eſſe velis. *quies.* noctis. *puluis ſtrep.* cōcurſus diuerſorum hominū in via, ac per hoc frequentia, & ſordib. offendi tis. *Ferentinum ire.* oppidū Campaniæ; alij municipium volūt viæ Labicanæ ad 48. lapidem: alij Ferentinū quod eſt in Tuſcis. *diuitibus.* ſenſus eſt: habet & paupertas voluptates ſuas, ſi moleſtia careat in ſemotis locis. *feſellit.* latuit, vt & natus, & moriens ignoraretur, qui vixit obſcurè. Eſt autem Epicureorum hæc ſententia Græca λάθε βιώσας, id eſt, late in vita. *ſi prodeſſe tuis.* ſi vis tuis eſſe

vtilis, innoteſce, indulgentius viue. *benignius*. liberalius, ſuauius. *accedes*. ſectare. *ſiccus*. pauper, & tenuis. *ad vnctum*. opulentum, & locupletem. *ſi pranderet olus*. Diogenes ad Ariſtippum, vel, vt alij volunt, Antiſthenes ad Ariſtippum. proponit autem ex hiſtoria duos philoſophos Diogenem Cynicum, vel Antiſthenem adulationem potentiorum declinantem, & ſua paupertate contẽtum, Ariſtippum ſectæ Epicureorum fautorem. Olim Diogeni olera lauanti dixit Ariſtippus, Diogenes ſi regibus ſciret vti, faſtidiret olus. Cui Diogenes, Ariſtippus ſi nollet regibus vti, pranderet olus: & hoc modo retorſit dictum in ſuum auctorẽ. *vtrius hor*. Horatius ad Scæuam. *doce*. me ô Sçæua. *Cynicum*. Diogenem, vt poſteà. *ſcurror ego* ait Ariſtippus. hoc eſt, mihi viuo, mihi ſcurriliter obſequor. *tu*. ô Cynice populi famã ſectaris. verba Ariſtippi ad Diogenem. *equus vt me por*. Græcè. ἵππος μὲ φέρει, βασιλεὺς μὲ τρέφει. *alat rex*. ſupp. & vt. *officium facio*. officioſum me ipſum exhibeo, id eſt, humanum. *tu poſcis vilia*. ô Cynice tu poſcis olera. *verum es*. ſupp. tamen. *fers*. dicis. *nullius*. rei. *omnis Ariſt*. omnis color, id eſt, omne genus vitæ, & condicio. Laudat Ariſtippum ex ſententia Platonis, qui cùm inueniſſet eum naufragum, viliq. indutum veſtimento, laudauit eum dicens, omnis color, & ſtatus, & res decuit Ariſtippum, ea ſcientia præditum, vt æquè ſciret vti magnis ac paruis. *ſtatus*. honor publicus. *& res*. diuitiæ. *præſentibus æquum*. ferè æqualiter patientem. *maiora & minora*. id eſt, diuitias & paupertatem. *contrà*. econtra. *quem duplici*. Diogenem Cynicum notat. *duplici panno*. diploide, vili veſte, pallio. *mirabor*. mirum erit, inquit, ſi decebit ſplendor hominem ſordibus aſſuetum. *conuerſa*. mutata. *alter*. Ariſtippus. *non expect*. vitabit. *quidlibet*. quamlibet veſtẽ. *celeberrima*. publica. *vtramq*. pauperis & diuitis. *alter*. Diogenes. *Mileti*. apud Mileſios, vbi lanæ ſunt optimæ ad ornatum corporis. Virg. teſte. *cane peius*. facetè admodum in hominis Cynici ſtultitiam, qui pretioſam veſtem non deſpicere modò, ſed etiam timere videatur. *retuleris*. ſupp. dicit aliquis Ariſtippo. *pannum*. ipſi Diogeni. *refer*. redde. *ſine*. permitte. *viuat*. ſup. vt. aiunt Ariſtippum inuitato Diogene ad balneas dediſſe operã, vt omnes prius egrederẽtur, ipſum Diogenis pallium induiſſe, eiq́ue reliquiſſe purpureum; quod Diogenes induere cùm nollet, ſuum repetiit: tunc Ariſtippus increpuit Cynicum famæ ſeruientem, qui algere mallet, quàm cõſpici in veſte purpurea. *res gerere*. res geſtas oſtendere. loco accuſatiui ſtat, res gerere. tale eſt illud Perſij, Scire tuũ nihil eſt. *non cuiuis* Græcum eſt, οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς. hoc eſt, non omni homini tutum eſt Corinthum nauigare, propter Laidem Corinthiam, & alias meretrices, quæ non niſi multis talentis vnam noctem ſui copiam faciebant. Cùm autem Corinthum nauigantes, ferè Laidis amore tenerentur, Ariſtippus etiam hac fama eò perlatus eſt, & vſus Laide, non etiam eius amore deuinctus. cúmque præ ſe ferret quòd amore Laidis nõ caperetur vt ceteri, eiq́ue obiiceretur quòd meretricem habuiſſet, habui, inquit, ſed non habeor. ſic per allegoriam, ſignificat amicitias principum aut non adeundas, aut perferendas. quod cùm difficulter fieri poſſit, melius eas non adire. *ſedit*. remanſit, ceſſauit. *ſuccederet*. bene cederet, ne non contingeret. Terent. hac non ſucceſſit. *eſto*. concedo. *quid*. ſupp. dicis. *hic eſt*. in virtute, in ſapientia. *hic onus*. alius. *vt*. vtpote. *hic ſubit*. alius, puta fortis. *perfer*. onus. *virtus nomen*. ſecundum Epicureos. *experiens*. ſupp. quid ſit virtus. *coram rege ſuo*. adeò gratam verecundiam ait, vt ſæpe plus percipiant nihil petentes, quàm flagitantes. Conueniens locus principio: propoſuit enim docere quo modo maioribus vtendũ eſſet. *poſcente*. quàm is qui poſcit. *pudenter*. verecundè. *rapias*. inuerecundè expoſcendo. *rerum*. petendarum. *hic fons*. vt ſcias quemadmodum petas. *indotata mihi*. Hæc verba ſunt impudentis, & expreſſit eos qui figuratè petunt. *nec paſcere*. etiamſi vendatur patrimonium, non ſufficit mihi. *qui dicit*. hoc regi ſuo. *clamat*. non dicit, ſed mendicat. *ſuccinit*. ſuccedit alius cliens. pulchrè exprimit mendicorum cantilenas, qui ſuccinunt ſibi inuicẽ. *quadra*. quarta pars panis, id eſt, dimidium accipiet, dum impudenter petendo, etiam alium ad eandem petitionẽ accendit. *ſed tacitus paſci*. exemplum de coruo, qui ſtrepitu vocis dum alias aueis aduocat, minus habet dapis; ſimiliter qui clamosè petit, minus accipit. *ſi poſſet cor*. ſi non palam inſtaret, careret æmulo. Coruus enim repertã prædam clamore, & frequenti crocitatione, aliis auibus prodit. *Brundiſium comes*. idem, inquit, quod meretrix facit, quẽ ſimulatis damnis plorabunda ſpoliat, facit etiam regi ſuo amicus minor, cùm ſe queritur in itinere comitem ductum, aliquid perdidiſſe aut incommodum ſenſiſſe. *Brundiſium*. oppidum in Calabria. Surrentum, oppidum in Campania. *ſalebras*. itineris aſperitatem. *ſubducta*. furto ablata. *refert*. imitatur *acumina*. aſtutias, & meretricum impudentiam. ſic & Plaut. in Truculento, aut petit aurum, quòd conſciſſa pallula eſt, aut emta ancilla, aut aliquod vaſum argenteum, &c. *catellam*. alij ornamentum capitis volunt, alij colli. eſt autem catena parua. *periſcelidem*. aureum cruris vinculũ. *flentis*. κλαίοντος. *mox*. poſtea. *nulla fides*. aſſiduitas mentiendi hoc facit, vt poſteà nec vera damna

conque-

conquerenti credatur. *planum.* erronem. mendacem, qui ſolebat multos ſic fallere, in quorum vehicula volebat tolli, vt fingeret ſe crus fregiſſe, qui poſtea verè cùm fregiſſet, & idem precaretur, ei non eſt creditum. *per ſanctum.* etiamſi, vel quamuis iuret. *Oſirim.* deum Aegyptiorum. *non ludo.* nõ iocor. *claudum.* me. *peregrinum.* qui te non nouit. *vicinia.* vicini. *rauca.* vociferans ad rauim.

CRVQVIVS.

QVAMVIS *Scæua ſatis.* Pro ſenio ſuo monet Horatius Scæuam iuniorem, ne in vſu, & rerum cognitione, vitæque humanæ conuerſatione, nimium ſibi tribuat, ſed diſcat viuere, & vti maioribus, prius id quàm ſe nouiſſe iactitet. Cuius rei gratia duo vitę genera commemorat, alterum quidem otioſum, ignauum, abiectum, & tantum non omni ex parte turpe, cuius quaſi ectypon Cynicũ proponit: Alterius autem velut auctorem ſtatuit Ariſtippum benigniùs agentem, nec abhorrẽtem conſuetudinis humanioris: Scæuamque interrogat vtrius viuendi ratio ſit ei probatior: Sibi quidem potiorem videri ait Ariſtippi ſententiam, qui & regibus vti noſſet, ſibi, ſuiſque non inutilis, & ſeruire tempori, tenuiterque vitam inſtituere: Cynicus non item, vt qui regũ fugitans, ſordidè, abiectèque viueret oleribus contẽtus, & pallio, omnis ſplendoris, vitæque liberalioris impatiens, populo ad gratiam plauderet viliaque poſceret. Cui illudens Ariſtippus, nũc in equo, & purpura reges comitabatur, nunc ad tempus paratus, & amictu, & victu viliori contentus omnibus erat omnia, principibus quidem viris officioſè gratus, nec, vbi res ipſa poſcebat, non acceptus aliis. Cæterùm ſi principes viri, bene gerendis rebus, immortalibus diis proximi ſunt, quis neget iis placere, in primis eſſe laudabile? nolitq. quàm vel impudenter poſcendo more Cynico, vel aliquod infortunium mentiendo, potius agendo fortiter Ariſtippo duce, obſequendoque & tacendo pudenter à regibus accipere munera, & in ſplendore viuere: *quamuis Scæua.* exorditur ab ironica conceſſione humanæ experientiæ, maioris quàm videbatur ætas Scæuę ferre poſſe. *tibi conſulis.* tibi ſapis, & vales conſilio proprio. *deceat.* quo vſque ſit decorum, & honeſtum potentiores adire, ſalutare, ad forum ſubſequi, deducere, reducere, aliaque humanitatis officia facere, ſine turpis aſſentationis nota. *maioribus.* maiores ſtatura, maiores ætate, qui ante nos vixerunt, maiores potẽtia, diuitiis, opibus, pecunia, quos ſectari ſolent minores, id eſt, impotentiores, pauperiores, opis & patrocinij gratia. *vti. συζῆν.* viuere cum maioribus & verſari. ſic pro Cluent. Cic. vti tali matre noluit. *docendus adh.* ergo non ſatis peritus rerum, quas tibi aſſumis peritè. *amiculus.* deminutiuis vtimur, nunc cõtemtim, aliàs blandius. *vtſi.* pro etſi vel etiamſi. *cæcus iter monſt.* alludit ad ſtatuas in triuiis indices viarum cæcas, viatoribus tamen nõ inutileis, quas ἀνδ ἑρμᾶς nominamus, ſeu ἑρμαῖα. icirco ait, *tamen aſpice*: nimirũ vt iter rectè facias. *tibi proprium.* à te inuentum, tibi vni cognitum. *loquamur.* iudicemus. loquũtur enim Mercurij ſtatuæ rectam viam per typos ſeu characteres inſculptos. *ſi te grata.* diſtributio vitæ humanæ, in otioſam, & pęnè abiectam, in actiuam, & benigniorem. *primam ſomnus.* hoc otiũ eſt hominis ignaui, nulla laude dignũ, alium cenſet Homerus virum fortem eſſe debere, nimirum ſollertem, vigilantem, impigrum, prudentem, circumſpectum, &c. Ilia. 3. οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα, id eſt, indignum duce id eſt, noctẽ dormire per omnem. vide Chilia. Eraſ. *ſi te pul.* indecora viro mollities. *ſi ladet.* ſic omnes ſcripti pręter duos Bland. qui ſequuntur lectionem vulgatam. *Ferentinum.* Ferentinates Plin. lib. 3. cap. 5. in Cãpania ponit. Strabo lib. 5. Ceterùm mediterranea præter iam dictas vrbeis extant Aretium, Peruſia, Vulſinij, Sutrium: ad hęc oppidula complura, Blerati, Ferentenum, Falerij, Faliſcum, Nepita, Statonia, aliaque complura, &c. *nam neque diuitibus.* diuites, potentes, maiores ſunt hic eiuſdem notæ, quorum gaudia ſolent eſſe luxus, ambitio, ſalutationes, &c. eſt & ignauiæ, mendiciſq. ſua voluptas, otium turpe; eſt & viris fortibus, & ſtudioſis ſua, ſed ea vera eſt, & ſola voluptas, quæ cum animi trãquillitate ſecuritateque beatum facit. *nec vixit malè.* ex opinione quidem Epicureorum, qui in nihil agendo ſummum bonum collocabant, quo nomine quoque ad rempublicam nõ accedebant, ne fortaſſis aliqua gerendę rei nimia ſollicitudine implicitus animus ſeriò voluptati vacare nequiret. At ſi Stoicis operam demus, nihil eſt infelicius in vita, quàm ſibi viuere. vnde eſt illud Plat. ſibi tãtum natum eſſe neminem, ſed & patriæ, & propinquis, & amicis: εἰ γὰρ ἄγει (vt Muſonius apud Stobæum in de Senectute) ἡ ἑκάστου φύσις ἕκαστον ζῷον πρὸς τὴν ἀρετὴν τὴν ἐκείνου, καὶ τὸν ἄνθρωπον εἰκὸς οὐχ ὅταν ἐν ἡδονῇ ζῇ, τότε κατὰ φύσιν βιοῦν, ἀλλ᾽ ὅταν ἐν ἀρετῇ. hoc eſt, nam ſi cuiuſq. natura ducit vnũquodque animantium ad ſuã virtutem, certè conſentaneum eſt vero, ſecundum naturam viuere hominem, nõ cùm in voluptate, ſed cùm in virtute vitã degit. τότε γὰρ καὶ ἐπαινεῖσθαι δικαίως ὑπάρχοι ἂν αὐτῷ, καὶ μέγα φρονεῖν ἐφ᾽ αὐτῷ, εὔελπιν καὶ θαρραλέον εἶναι, οἷς εὐφροσύνην τε καὶ χαρὰν βεβαίαν ἕπεσθαι ἀναγκαῖον. hoc eſt, nam tunc demum, & laudari iure poterit, & magnificè de ſe ipſo ſentire, bonaque ſpe, ani-

ſpe, animique fiducia confirmari, quibus & honeſtam lætitiam, & gaudium ſtabile neceſſe eſt eſſe comites. Plura ſuper hoc themate legito apud Plutarch. in diſputatione. An rectè ſit dictū, λάϑε βιώσας. Videtur itaque Horatius ludendo Scæuæ hic quidem applaudere, ſed non ita vt Ariſtippi ſententiam non pluris faciat, vt videre eſt in ſequentibus. *ſi prodeſſe tuis*. aliud vitæ genus ἀπραγματικόν. hoc eſt, ſi tibi ſoli nolis, ſed etiam patriæ, & amicis eſſe vtilis. *benignius te tractare*. hoc eſt, non ita duriter viuere, & auſterè, vt ἀπανϑρωπάδιος videaris. *ſiccus*. ſobrius, aridus præ ſobrietate; vel ξηροφάγος vtens cibis aridioribus *ad vnctum*. vnctus hic, non tam delibutus vnguento eſt, quàm egregius oblonator; non tam caput, quàm guttur habens condimentis inunctum, quales ſunt potẽtes diuiteſque luxuiq. indulgentes. Cod. Bland. antiq. habet inūctum, vna voce, pro valde vnctū. *qui me notat*. ſub perſona Diogenis Horatius à Sçęua notatus, quaſi Mçcenatis, & Auguſti, principūq. virorū aſſentatorem ſub Ariſtippi perſona remordet, tãquam inconcinniorẽ ineptioremq. quàm qui regibus vti noſſet, eiſq. conuiuere. *verba probes*. profeſſionem, dictaq. laudes. *facta*. viuẽdi inſtitutū, vitam ipſam moreſq. *audi*. ab vſu rerū, & experiẽtia meritò ſibi vendicat Horatius auctoritatem docendi Sçęuam ſeiuniorẽ. *mordacem Cynicum*. mordere canis eſt, qualis ex profeſſo Diogenes erat κυνικὸς, dictus ἀπὸ τοῦ κυὼν, κυνὸς, id eſt, caninus à cane, quòd canis inſtar mordebat, id eſt, amarè reprehendebat malos: allatrabat autem ſolùm eos qui non dabãt, hoc eſt facetiis iociſq. cum eis agebat. legito eius vitã apud Diogenem Laërt. in Philoſophorum vitis, nec non & Ariſtippi. *ſic illudebat*. his verbis irridebat. *ſcurror ego ipſe*. putato Diogenẽ momordiſſe Ariſtippū, quòd ἐν τῷ συγκυρεῖν, id eſt, in aſſectãdis regibus, riſum captaſſet: ego, inquit Ariſtippus, ſcurram ago, id eſt, facetiis vrbaniſq. dictis, regibus quidẽ riſum moueo, ſed mihi, id eſt, in rem & vtilitatem meam: tu quoque populo ſcurraris, non vt hinc aliquid tibi accedat cōmodi, ſed ad gratiam, & populi plauſum. Scurra autem dictus eſt ἀπὸ τοῦ συγκυρεῖν, vt doctiſſimè notauit Ioſeph. Scaliger; aut σκυρεῖν, quod eſt ſe inſinuare, aſſectari, applaudere ad gratiã. Hinc ſcurra, duplicata r littera, qui dicitur quoque gloſſario δρακιστὺς ſeu δερκιστὺς, ἀπὸ τοῦ δρακίζειν, ſeu δερκίζειν ἢ δέρκειν, id eſt, intẽtis oculis obſeruare, quod eſt ſcurrarū, vt ſint ad nutū parati. Quin & κοπρίας olim ſcurra nominatus eſt, à vilitate dictorum perſonæq. παρὰ τοῦ κοπρίζω, id eſt, ſtercoro: hinc ἀνὴρ κόπρειος, id eſt, vilis homo, ex media plebe, ſtercorarius, κηπουρὸς, olitor; Suetonius in Claudio cap. 8. interdum ferula, flagróve velut per ludum excitabatur à copreis, vbi vulgati codices habent tropeis, ſed ineptè. Pręterea in Tiberio cap. 61. interrogatum eum (virum conſularem) ſubitò & clarè, à quodam nano aſtante mẽſę inter copreas, cur Paconius maieſtatis reus tamdiu viueret, ſtatim quidem petulantiam linguę obiurgaſſe, &c. vbi vulgò legitur Capreas. *rectius hoc*. ſibi ſcurrari, quàm populo. *ſplendidius multò eſt*. hic omnes ſcripti habent interpūctionem, perinde ac ſi hæc; *equus vt me portet, alat rex, officiū facio*, ſint eis coniungẽda: ſed neſcio an rectius iſta, *equus vt me p. a. r.* prioribus adhæreant, ad declarandū ſplẽdorem in equo & victu regio. inſuper, *officium facio*, videtur facere ad ſequentia, in hanc ſententiã: Ego mihi quidem ſcurrãdo officium meum regibus facio à, quibus tacendo pudẽter accipio munera magnifica; ſed tu ſcurrando poſcis vilia, &c. *verum dante minor*. hic locus variè legitur. 4. Bland. cod. Buſl. Nan. Sil. verum dante minor. Mart. habet rerum. Diu. rerum es dante m. vulgati habent, verum es dante m. ego certè ſubſequor cōſenſum plurium cod. ſcriptor. atque ſic ordino, Tu ô Cynice, quamuis fers te nullius nec rei nec perſonæ egentem; verumtamen, dante minor, id eſt, impotentior, & pauperior eo qui tibi dat, poſcis impudenter vilia dona, non ſplendida, nec regia: atque hoc modo docet Ariſtippus vtrumque ſcurrari dona, ſe quidem tacendo humanius, Diogenem verò poſcendo impudentius, arrogantiúſque, vt qui opulentior ceteris, potentiorque hominibus imperare ſe diceret, cùm tamen reipſa poſcendo accipiendoque ſe pauperem declararet egenumq́ue. Diſpiciat lector peritus. Lambinus ex ſcriptis legendum cenſet, vilia rerum. cui non aſſentior. Diu. cod. & Buſl. habent, tu paſcis vilia; quod non diſpliceret, pro comedis; niſi obſtaret τὸ dante. quid ſi τὸ vilia per antimeriam interpretemur viliter, eò quòd dicit, officium facio, quod ex oppoſito pugnat cum τῷ poſcis? *minor*. impotentior, pauperior, vt ſuprà τὸ maior, potentior, ditior. *omnis Ariſtippum*. laus Ariſtippi à commodis moribus, qui natus, factus, promtus fuit ad omnia: cuiuſcemodi ſolemus appellare omnium horarum homines: de quo Diogen. Laërt. ἦν δὲ ἱκανὸς ἁρμόσασθαι καὶ τόπῳ, καὶ χρόνῳ, καὶ προσώπῳ· καὶ πᾶσαν περίστασιν ἁρμονίως ὑποκρίνασθαι, id eſt, poterat autem ſeſe accommodare & loco, & tempori, & perſonæ, omnemq́ue vitæ ſtatum commodè imitari, atque exprimere. *color*. amictus, & indumentum quodcumque. *ſtatus*. condicio vitæ quæuis. *res*. pecunia, tenuitas, vt qui captans maiora, ſi ſua ſpe excideret, ſuis contentus, ſecum viuebat. *duplici panno patiens*. deſcriptio Cynici ex habitu. *duplici*. diploide, id eſt, lato pallio quod in humerū reiectum duplicatur; vel duplici pãno, hoc eſt, pallio, &

lio, & tunica, quod indumenti genus erat pauperiorum. *patientia.* Cynici ex profeſſo patientes erant & liberi. *via ſi conuerſa.* non magis quàm felem crocoton, vt fertur: nimis enim durum eſt, ex profeſſo aſſueta relinquere. *perſonam vtramq.* iuxta dictum Socratis, aptus erat Ariſtippi vitæ modus, βίος ἁρμόσων ἀλωπέκειος. *alter Mileti textam.* hoc eſt, Mileſiam chlamydem, pro veſtitu delicatiore. hinc Mileſij εὐειμονέστεροι dicti ſunt Maximo Tyrio, id eſt, in habitu molliſſimi. εὐείμονες namque dicuntur bene & eleganter veſtiti, quibus opponuntur οἱ ῥάκια ἠμφιεσμένοι, id eſt, vilibus pannis induti, vt Cynici. vide Adag. domi Mileſia. *cane peius & angue.* vide Chiliad. *chlamydem.* vide num legendum ſit *chlanidem*: erat enim χλανὶς χλανίδος veſtimentum admodum molle & delicatum, ἱμάτιον λεπτὸν Polluci. *morietur frigore.* perfacetus locus in Cynicum: frigus enim hic tam ad animum, pro ſtupore, metu, ineptiis, quàm ad corpus pertinet. *res gerere & captos.* quandoquidē ſuprà conceſſit Epicureis non omnino infeliceis eos eſſe qui latēdo vixerunt; hic ex opinione Stoicorum demonſtrat eos eſſe feliciſſimos, & ad deos accedere proximos, qui reipub. adminiſtrandæ totos ſe deuouent, fortitudineque patriam tutantur. *principibus placuiſſe viris.* hoc eſt, quia non omnibus datum eſt, ad rerum gerendarum gloriam immortalem peruenire; ſaltem eos laudare, aſſectari, eis placere & applaudere ob beneficia in Rèpubl. collata, quis neget in laude ponendum? verùm vt *non cuiuis homini conting.* &c. ita non cuiuſuis eſt principibus viris placere, non ignaui, non deſidis, non timidi, ſed agentis fortiter, & quoſuis labores ſubeuntis viriq́ue ſapientis. *non cuiuis homini.* videto Chiliad. Eraſ. *ſedit.* latuit ignauus. notat Epicureos, qui puſillanimitate potius à rebus gerendis, regibuſque probandis abſtinuerunt, quàm veris philoſophiæ præceptis. Nec non Cynicos improbitatis arguit qui reges impudenter dona poſcere potius quàm officioſè maluerunt accipere, in vitio ponentes omnem vrbanitatem. *eſto.* concedit Epicureis ſuum viuendi modum à turba remotū, ſed ea lege ne inſultēt in virtutem Stoicam, quam nomen aiebant inane. iccirco eos interrogat, quid? qui peruenit Corinthum, hoc eſt, qui aſſecutus eſt fauorē principum virorū, ſtudio, labore, cura, ſollicitudine, fortiter agendo cenſes eum nulla laude dignum, ſed vitioſum & turpem? *atqui hic eſt aut.* infert per ſubiectionē, gloriam & honorem eſſe in agendo fortiter, contra Epicureos, qui cuncta dicunt ad voluptatē referenda quę facimus. *hic onus.* timet deſperatione quadā ſubire labores cum potentioribus viuendi. *vt paruis animis.* cauſa timoris à puſillanimitate & ignauia. *aut virtus nomen.* hoc eſt, aut fruſtra ſudatur in vita humana virtuſq́ue colitur, aut vir prudens rerumq́. expertus iure laudatur, & debitis honoribus afficitur. *virtus nomen ina.* videto epiſt. 6. ad Numicium. *coram rege ſuo.* docuit vitam humanam in vſu rerum, cōuerſationeq́ue & virtutis actione, ea longè præſtātiorem eſſe quæ eſt in otio ſeceſſuq́ue & voluptate. nunc reuertitur ad id quod initio propoſuit, nimirum quopacto deceat vti potentioribus, oſtendens egenos à patronis ſuis Ariſtippi more tacēdo ſuumq́ue officium faciēdo plus accipere, multoq́, eis eſſe gratiores, quàm qui poſcunt impudenter: quod vernacula ſententia confirmat, ſchameliick gheſten tis half ghebeden. *coram rege ſuo.* hoc eſt, patrono & amico ſuo potentiore. *de pauper. tac.* nō conquerentes de ſua tenuitate, & inopia. *pudenter.* tacendo. *rapias.* dare imperes poſcendo. *atqui rerum caput.* hoc eſt, ſumma totius rei de qua agimus, quam docemus, eſt vt cum ditioribus amicis, patroniſq́ue vnde commoda multa ſperamus, decenter verſemur: quod fiet pudenter ſumendo dona, non etiam poſcendo; qua gratia Horatius à Mæcenate ſe laudatum ſcribit epiſt. 7. ſæpe verecundum laudaſti; rexq́ue paterq́ue audiſti coram, nec verbo parcius abſens, &c. *indotata mihi ſoror eſt.* prius thema poſcentis impudēter, ob inopiā, & onera propinquorū, per inſinuationem: non enim apertè poſcit, ſed egeſtatis cōmemoratio, tacita petitio eſt. *nec vendibilis.* non facilè vendi poteſt. *firmus.* propter frugū prouentum incertum, quo nō rarò fruſtrantur cultores. *qui dicit.* qui ſic queritur de ſua paupertate, perinde eſt ac ſi apertè dicat, dato alimentū. *ſuccinit alter.* alter cliens, vbi hoc intellexit ex concliente qui in ſe domini promiſſam liberalitatē miſer celare nō potuit (vt eſt eiuſmodi mēdicorum genus futile & iactabundū) protinus accurrit, oſtenſaque ſua calamitate dominoq́. moleſtus promiſſi dimidiatū impetrat. *quadra.* Torſ. cod. habet quadrās: quod nummi genus erat apud Romanos. hinc quadrans ratitus, cui ratis erat impreſſa. Alij omnes ſcripti habent, quadra. Romani autem quadras nominabāt panes quadratos. hinc vulgo dici videtur, quadra propria viuere. & illud Iuuen. Saty. 5. Vt bona ſumma putes aliena viuere quadra. Athenæ. lib. 3. de panibus: Βλωμιαίους τοὺς ἄρτους ὀνομάζεσθαι λέγει, τοὺς ἔχοντας ἐντομάς, οὓς Ῥωμαῖοι κοδράτους (vbi κοδράτους, ponitur ineptè) λέγουσι, id eſt, Blomilios panes nominari dicit, qui incidi poſſunt ſeu diuidi, quos Romani quadratos appellant. Heſiod. in Oper. & dieb. ἄρτον δειπνήσας τετράτρυφον ὀκτάβλωμον. id eſt, panem quadrifidum cœnatus morſibus octo. *ſed tacitus paſci.* hæc corui crocitatio ſuo clamore arceſſentis alios coruos ad nactam prædam, mihi perſuadet,

ſeruum

ſeruum ſeu clientem non conqueſtum domino de ſua paupertate in præſentia conſerui, ſed ſua garrulitate, ei prodidiſſe, quæ ſibi damno fuit, & inuidiæ. *Brundiſium comes.* poſterius thema poſcẽtis inuerecundè, idq́ue non ſine turpi mendacio, conquerentis itineris moleſtias, & aëris iniurias, ſurreptamq́. ſibi pecuniam ad viaticum, quo plus ſcilicet à patrono accipiat. *catellam.* catellæ, monilia ſunt muliebria, χλιδῶνες. *periſcelides.* feminalia, tibialia, virginum ornamenta cruri alligata. *veriſq́; doloribus.* ſic Perſ. verum nec nocte paratum plorabit qui me volet incuruaſſe querela. interrogatus Ariſtoteles, quid boni conſequerentur qui mentiri gaudent, vt cùm vera dixerint eis non credatur, inquit. *irriſus.* qui in triuiis illuſus fuit. *attollere.* erigere in pedes. *fracto.* læſo grauiter, mutilato. *planum.* πλάνον. eſt enim πλάνος vox merè Græca, pro impoſtore, errone, inſigni prædito verſutia, qualeis apud Athen. lib. 14. fuerunt Cephiſodorus, & Pantaleo, & Matras apud Alexandriam (vt idem teſtatur) qui huiuſmodi proponebat Aenigma, ſe feram quandam apud ſe nutrire, quæ ſemetipſam ederet. *mânet.* emânet, lacrymetur affatim. *Oſirim.* hic Herodoto lib. 2. Bacchus eſt. apud Thebęos per Oſirim iurare erat ſacroſanctum, vt & Athenienſibus Græcorum ſolis per Iſidem. *tollite claudum.* legito in Chiliad. tollat te qui non nouit.

EPISTOLA XVIII.

AD LOLLIVM. 2.

S I bene te noui, metues, liberrime Lolli
Scurrantis ſpeciem præbere profeſſus amicum.
Vt matrona meretrici diſpar erit, atque
Diſcolor: infido ſcurræ diſtabit amicus.
Eſt huic diuerſum vitio vitium propè maius:
Aſperitas agreſtis, & inconcinna grauiſq́;:
Quæ ſe commendat tonſa cute, dentibus atris,
Dum vult libertas mera dici, veraq́; virtus.
VIRTVS eſt medium vitiorum, & vtrimque reductum.
Alter in obſequium plus æquo pronus, & imi
Deriſor lecti, ſic nutum diuitis horret,
Sic iterat voces, & verba cadentia tollit,
Vt puerum ſæuo credas dictata magiſtro
Reddere: vel partes mimum tractare ſecundas.
Alter rixatur de lana ſæpe caprina
Propugnat nugis armatus: ſcilicet, vt non
Sit mihi prima fides: &, verè quod placet, vt non
Acriter elatrem: pretium ætas altera ſordet.
Ambigitur. quid enim? Caſtor ſciat an Dolichos plus.
Brundiſium Minuti melius via ducat an Appi.
Quem damnoſa Venus, quẽ præceps alea nudat:
Gloria quem ſupra vireis & veſtit, & vngit:
Quem tenet argenti ſitis importuna fameſq́;:
Quem paupertatis pudor, & fuga: diues amicus
Sæpe decem vitiis inſtructior odit, & horret.
Aut, ſi non odit, regit: ac, veluti pia mater,
Plus, quàm ſe, ſapere, & virtutibus eſſe priorem
Vult: & ait propè vera. mea, contendere noli,
Stultitiam patiuntur opes: tibi paruula res eſt.
Arcta decet ſanum comitem toga. deſine mecum
Certare. Eutrapelus cuicumque nocere volebat:
Veſtimenta dabat pretioſa: beatus enim iam
Cum pulchris tunicis ſumet noua conſilia: exſpes
Dormiet in lucem, ſcorto poſtponet honeſtum
Officium, nummos alienos paſcet: ad imum
Thrax erit, aut holitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu ſcrutaberis vllius vnquam:
Commiſſumq́; teges & vino tortus, & ira.
Nec tua laudabis ſtudia, aut aliena reprendes:
Nec, cùm venari volet ille, poëmata panges.
Gratia ſic fratrum geminorum Amphionis, atque
Zeti diſſiluit: donec ſuſpecta ſeuero
Conticuit lyra fraternis ceſſiſſe putatur
Moribus Amphion. tu cede potentis amici
Lenibus imperiis: quotieſq́; educet in agros
Aetolis onerata plagis iumenta, caneiq́;:
Surge: & inhumanæ ſenium depone camœnæ:
Cœnes vt pariter pulmenta laboribus emta:
Romanis ſollemne viris opus, vtile famæ,
Vitaq́; & membris: præſertim cùm valeas, &
Vel curſu ſuperare canem, vel viribus aprum
Poſſis. adde, virilia quòd ſpecioſius arma
Non eſt qui tractet: ſcis quo clamore coronæ
Prœlia ſuſtineas campeſtria. denique ſæuam
Militiam puer, & Cantabrica bella tuliſti
Sub duce, qui templis Parthorum ſigna refigit
Nunc: & ſi quid abeſt Italis adiudicat armis.
Ac, ne te retrahas, & inexcuſabilis abſis:
Quamuis nil extra numerum feciſſe, modumq́;
Curas: interdum nugaris rure paterno:

Partitur

Partitur lintres exercitus: Actia pugna
Te duce per pueros hoſtili more refertur:
Aduerſarius eſt frater: lacus, Adria: donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
Fautor vtroq; tuum laudabit pollice ludum.
Protinus vt moneam (ſiquid monitoris eges tu:)
Quid de quoq; viro, & cui dicas, ſæpe videto.
Percunctatorem fugito: nam garrulus idem eſt:
Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures:
Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.
Non ancilla tuum iecur vlceret vlla, puérve
Inter marmoreum venerandi limen amici:
Ne dominus pueri pulchri, caræve puellæ:
Munere te paruo beet: aut incommodus angat.
Qualem cõmendes, etiã atq; etiã aſpice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quondam non dignũ tradimus. ergo
Quem ſua culpa premet deceptus omitte tueri
Vt penitus notum: ſi tentent crimina, ſerues
Tuteríſq; tuo fidentem præſidio: qui
Dente Theonino cum circũroditur: ecquid
Ad te pòſt paullò ventura pericula ſentis?
Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet:
Et neglecta ſolent incendia ſumere vireis.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. tu, dum tua nauis in alto eſt,
Hoc age, ne mutata retrorſum te ferat aura.
Oderunt hilarem triſtes, triſtemq; iocoſi:
Sedatum celeres: agilem gnauumq; remiſſi:
Potores bibuli media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula: quamuis
Nocturnos iures te formidare tepores.
Deme ſupercilio nubem. plerumq; modeſtus
Occupat obſcuri ſpeciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges, & percunctabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter æuum:
Ne te ſemper inops agitet vexetq; cupido,
Ne pauor, & rerum mediocriter vtilium ſpes:
Virtutem doctrina paret, naturáne donet:
Quid minuat curas: quid te tibi reddat amicũ:
Quid purè tranquillet: honos, an dulce lucellum:
An ſecretum iter, & fallentis ſemita vitæ.
Me quoties reficit gelidus Digentia riuus,
Quem Mandela bibit rugoſus frigore pagus:
Quid ſentire putas? quid credis amice precari?
Sit mihi quod nunc eſt, etiam minus: & mihi viuam,
Quod ſupereſt æui, ſi quid ſupereſſe volunt dij:
Sit bona librorum, & prouiſæ frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ.
Sed ſatis eſt orare Iouem, qui donat & aufert:
Det vitam, det opes: æquum mi animum ipſe parabo.

COMMENTATOR.

SI *bene te noui metues liberr. Lolli.* Præcipitur in hac epiſtola, fugiendum eſſe vitium adulationis, & contrà, nimiæ duritiei. Quare qui adulationi non vult ſeruire, videat ne in peius vitium incidat, ſed inter vtrumq. medium tenorem ſeruet, ſcilicet, vt quiſque ſuo amico neque adulator exiſtat, neque amaritudine animi increpando eũ caſtiget. *liberrime.* ô nobiliſſime. *Lolli.* hic Lollius etiam ad conſulatum peruenit merito virtutis & beneficio Cæſaris anno vrb. 733. *ſcurrantis.* turpiter adulantis. *præbere* te. *amicum.* grauitate beniuolum dignitatéque. *vt.* quẽadmodum. *diſpar.* diſſimilis. *infido ſcurra.* ſupp. ita. hoc eſt, quanta differentia debet eſſe inter matronam nobilem & meretricem, tanta debet eſſe inter amicum, & infidũ ſcurrã, ita vt amicus ſimpliciter diligatur, & ſcurra contemnatur. *infido ſcurra.* hoc eſt, ei qui amicitiam ſimulat in proſperis, & in aduerſis deſerit. *eſt huic.* adulationi. *prope maius.* hoc eſt, aſſentatio nimia, & ſcurrilitas in amico vitioſa eſt, ſed aſperitas penè grauior eſt, & peior priore. *aſperitas agreſt.* Quidã, inquit, fugientes vitium adulationis, in peius incidunt, ſcilicet in vitium hominis inconcinni, & incompoſiti, feri, & aſperi quaſi agreſtis: ſunt enim qui quaſi virtute ſua liberrima, & pura confidentes, circa amicos ſuos ſeueri, & aſperi apparent dum eos caſtigare volunt, adeò vt ipſa cutis nimia ſeueritate ita tonſa videatur & aſpera, quaſi capillos habuerit, & atri quoq. ſint dentes. *grauis.* ſeuera & ſocialis. *tonſa cute.* quæ tam aſpera eſt vt barba tonſa, qua ſe cõmendari volunt ac ſi ſeueri eſſent. *dentibus.* ſup. &. *libertas.* ſcilicet illa aſperitas agreſtis. *mera.* pura. *veráque virtus.* veræ virtutis eſt ita in amicitia ſtare, vt neq; aduleris, neq; aſper ſis, ſed ab vtroq. ſemotus. *vtrimq;* ab vtraque parte, adulatione ſcilicet, & aſperitate in amicitia. *reductũ.* remotũ, abſolutè poſitũ. hæc eſt definitio virtutis, quæ ita debet inter cõtraria vitia eſſe poſita, vt ab vtriſque ſit re-

ſit remota : ideo amicitia nec nimium adulationi deſeruiat, nec auſteritati. *imi deriſ. lecti.* eius qui in ima parte lecti decumbit. *horret.* horrere ſe fingit. *iterat voces.* id quod leuiter dictu eſt repetens laudat. vtrum diuitē laudando verba eius repetit, an eas voces ſæpe repetit quibus eum laudat? *cadentia.* excidentia, & temere prolata ſuſcipit pro mirandis. *vel.* ſup. credas. *mimum.* hiſtrionē, ioculatorem. *ſecundas.* primæ partes ſunt dictatoris, ſecūdæ mimi, qui refert dicta priori. *alter rixatus.* aliud vitiū inducit, ſcilicet aſperi hominis, cui oſtendit definitionē virtutis non cōuenire. *de lana capr.* prouerbiū, hoc eſt, de re vili, & pæne nulla; de nihilo, quia capræ nulla eſt lana, ſed pili. ordo eſt, alter rixatus de lana caprina, ſæpe propugnat nugis armatus. *nugis.* inutilibus argumentis, λόγοις. *ſcilicet vt non ſit.* verba aſperi hominis rixantis. *elatrem.* liberè dicam. *pretium etas alt.* hoc eſt, altera vita non eſt tanti vt taceam quod cenſeo. *ſordet.* eſt deſpectui. *ambigitur.* certamen eſt. *quid enim?* qua de re? *Caſtor ſciat.* hoc eſt, agitur de gladiatoribus, aut de Pantomimis, vtri ſint ſcientiores. Caſtor & Docilis erāt illius temporis nobiles gladiatores. *melius via.* ſupp. an. de hac re certamen & contentio, an via Minutij melius ducat Brundiſium an Appij. *Appi.* pro Appij. *quem dānoſa Ven.* amor Veneris. *gloria quem ſup.* gloriæ cupidū. *ſupra vireis.* quē plus æquo delectat gloria. *pudor.* ſup. tenet, *ἀπὸ κοινοῦ. decem vit.* multis. *inſtructior.* ad peccandum. *odit.* minorē amicū. adeò aliena inuitus patitur, vt nec ſua vitia alteri indulgeat. *regit.* moderatur, caſtigat, & vult emēdare, cùm ipſe ſit peior. *pluſquam ſe.* ipſam. *virtutibus.* ſup. in. *Vult.* puerum tuum. *& ait prop.* ſup. diues amicus, ad amicū pauperem *mea (contendere noli.)* verba monentis diuitis. ordo eſt, meę opes ſtultitiam patiuntur. hoc autem contendere noli, per parentheſim eſt inſertum. *ſtultitiam pat. op.* quibus cōpenſo ſtultitiam meam. *arta decet.* modica. habebant enim antiqui patres pro qualitate opum togas, quæ erant bis ter, id eſt, ſex vlnarum, vel quinque. *ſanum comitem.* mentis compotem. *deſine mecum.* noli imitari mea vitia. *Eutrapelus.* Iterum Horatius loquitur. Eutrapelus dicitur fuiſſe illis temporibus locuples, cui hoc epitheton impoſitum dicitur, quoniam ſolebat inter vendēdum non inurbanè iocari, aut in perſonas viliū hominū, aut in ſcruta ipſa; nocebat autem liberalitate, vt refert Horatius. *beatus enim iā.* hęc cogitabat Eutrapelus, cū daret aliquid inimico, quòd ſibi beatus videretur, ſciens cum habitu, ſtultis, animū mutari. hæc autē omnia ad ſuaſionē dicuntur *& ſpes* nouas. *dormiet.* ſicut nobilis. *in lucem.* ſup. vsq;. *ſcorto poſt p. hon.* hoc eſt, ſeruum erit ei carius, quàm honeſtū officiū. *paſcet.* fœnerabitur ſic vſuris ſuis. *ad imum.* ad extremum. *Thrax erit.* hoc eſt, tā pauper erit vt Thrax. auctorabitur ſe ſuluā vēnit gladiator retiam, nō mirmillo ſecutor. *holitoris aget.* erit hortulanus. holitores dicuntur holerū venditores. *neq; tu.* ô Lolli. *commiſſumq; teges.* id eſt, ab amico tibi dicta debes celare. *vino tortus et ira.* potu ſectus, ebrij enim multa ſecreta pandunt. *aliena.* ſtudia. *nec cùm venari.* vnde eſt illud Salluſt. nā idem velle ac idem nolle, ea demū firma eſt amicitia. *poëmata p.* ſed ibis cum eo venatum. *gratia ſic. fr.* amicitia dum alteruter ſuū ſtudium ſequitur. *Amphionis atq;.* Amphion, & Zethus, Iouis, & Antiopæ filij diuerſi ſtudij fuere. Amphion enim cithara canebat, Zethus autē paſtoris fungebatur officio: propter hāc vitę diuerſitatē tā diu diſſidebant, donec Amphion diſcordiæ vitādę cauſa citharā omitteret. *ſuſpecta.* odioſa indignāti Zetho, quia ruſticus fuit, & ideo dicit ſeuero. *lyra.* Amphionis. *tu.* ô Lolli. *cede.* da locū. *educet.* venatu. *Ætolis.* Gręcis. Meleager Oenei regis Calidonię filius venādi ſtudioſus fuit, vnde Calidonius aper. ergo Aetolis, id eſt, amplis, & validis. *plagis.* laqueis, retibus. *ſurge.* progredere cum illo. *inhumana Camœna.* qua no paſcet te, quę victu non adferet. *parit. labor. emta.* quæ venādo capta ſunt. *Romanis.* venādi ſtudiū Romanis vult fuiſſe propriū. *ſollemne.* cōſuetum. *opus.* venandi. *præſertim cum val.* maximè cùm ſanus ſis. admonet autem Lollium virtutis, ſub ſpecie venationis. *&.* ſupp. cum. *ſpecioſius.* quàm tu Lolli. *ſcis.* ô Lolli. *quo clamore cor.* vide quo modo in campo Martio cum clamore circumſtantiū ludis. his autem virtutem Lollij laudare contendit. *ſuſtineas.* exerceas. *campeſtria.* in campo Martio. *Cantabrica b. tul. ſ. duce.* Auguſto Cæſare, de quo in odis, Seruit Hiſpanæ vetus hoſtis oræ Cantaber ſ. d. c. *Parthorum ſig.* ſigna Romana, quæ Craſſus amiſerat, Perſæ ad Auguſtū per Tiberium remiſerunt iam victi. *abeſt.* imperio Romano. *adiudicat.* adiūgit. *ac ne te retrahas.* ἀπὸ κοινοῦ ſubſequentis ludi in villa paterna. *te retrahas.* amicitiæ amici tui. *extra numerū.* ſapientiæ. *modumq;* menſuram *interdum.* ſup. tamē. *rure paterno.* in villa patris tui. ſenſus eſt, quāuis ſapiens ſis, & omnia moderatè, ſapientérque facias, tamen aliquoties ludus propius ſimulandus eſt, vt amico ſatisfiat, ne ſine excuſatione abſis. *partitur.* iocando ſcilicet, vel imitando verum factum, rem geſtam. *lintres.* naueis. *exercitus.* puerorum. *Actia pugna.* naualem pugnam apud Actium promontorium, quam geſſit Auguſtus cum Antonio, imitaris. *hoſtili more.* imitando rem geſtam. *refertur.* exprimitur. *aduerſarius eſt.* hęc omnia potes ioco imitari. *frater.* tuus,

tuus, vt fingit, eſt tibi. *Hadria.* mare Hadriaticũ, in quo pugnabãt Cæſar, & Antonius. *conſentire.* obſequi, vt eoru obſequi ſtudeas, aduerſu nemini. *vtroq. poll.* Synecdochicôs, manu vtráq. ſublata, paritérq. ęprius mota: hoc enim genus eſt valde laudãtiu. *quid de quoq. v.* mira ſententia. ac, vt verius dicã, magnu præceptum. *videto.* caueto *percunctatorem.* tuorum ſecretorum. *garrulus.* quia protinus prodet. *patula* ſemper patentes ad audiendum. *non ancilla.* monet quãdo in domo amici erit, ne amet puerum eius aut puellã, ne fortè captus eius amore pandat ſua ſecreta. *vlceret.* amore vrat. *intra marmoreum.* in palatio diuitis amici. *dominus.* amicus tuus diues. *munere te paruo.* dans tibi puerum aut puellam, cum deberes longè maiora accipere. aut munus paruum vocat Venerem. *angat.* cruciet, cũ non vult dare quod poſcis. aut ſi tibi nõ faciat adamatæ puellæ poteſtatem. *qualem commendes.* laudare velis. pręclarum pręceptũ, quãdo, inquit, aliquem vis alicui tradere amico, vide ne commendes temerè, ne eius peccatum te efficiat verecundũ. *aſpice.* cognoſce diligenter & cõſidera eius mores. *incutiant.* cõmoueãt. *pudorem.* verecundiã. *fallimur.* decipimur humano more. *non dignum.* indignũ laude. ſenſus eſt, quem laudaueris ſemel, & eius culpa deceptus fueris, noli illum laudare amplius. *tradimus.* cõmendamus. *deceptus.* tu. *tueri.* defendere. *vt penitus notũ.* hoc eſt, non debes aliquẽ tibi ignotum ita tueri, ſicut amicũ tibi, & familiarẽ. *tentent.* intẽtent. *tuteris.* cum amicum quẽ videris à malo homine vexari. *dente Theonino.* dente mordaci. Luthienus Theõ, libertinus, dicacitatis amaritudine, præter ceteros, ita patronũ ſuum exaſperauit, vt domo eius ſummoueretur, & quaternario legato iuberetur reſtẽ ſibi palumq; emere. per hunc ergo maledici & detractores intelliguntur. *ecquid.* nũquid. ſenſus eſt, noli ceſſare, quin defendas amicum tuũ; nam paulò pòſt idem vbi euenerit tibi, te viciſſim defendet: nã cùm proximus vicini tui paries ardet, quid reſtat, niſi vt tuus etiã incendatur? eſt autẽ honeſta allegoria demonſtrans vicinorũ periculũ noſtrum eſſe. *ſumere vireis.* vt tranſeant ad proximorũ ędificia. *dulcis.* ſup. eſt. *inexpertis.* hominibus qui nõ ſunt experti. *expertus.* aliquis potentẽ amicum. *tu dum tua.* hoc eſt, tu qui cœpiſti, vide ne amicos offendas, & ingratus fias. quo argumẽto oſtendit, aut non ſuſcipiendas potentiorũ amicitias, aut ſuſceptis obtemperandũ. *tu.* ô Loli. *dum tua nauis in alto eſt.* hoc eſt, dũ nauigas altum mare. eſt autem hic nauigare, eſſe in amicitia potentis amici, cui eſt obſequendũ. *hoc age.* perſeuera, nauiga, id eſt, obſequere. *mutata retrorſum.* ne amittas partam amicitiã, allegoricôs. nã diuites, vt aura, ſunt mutabiles. *oderunt hil.* præcepta quibus cauẽdum ne potentiores amici offendantur. *iocoſi.* lęti. *ſedatũ.* lentum, tardum *nauumq.* ſtrenuum. *remiſſi.* pigri. *oderunt.* potulenti. *negantem.* renuentem, ſumere nolentem. *tepores.* vomitus, aut tepores vini. *deme ſupercilio* hoc eſt, ô Lolli, deſine ſeuerus eſſe. *acerbi.* crudelis. *leges.* deliges, & percunctaberis ab his. *qua ratione.* quia ſæpe per ignorantiã vitioſi ſumus. *leniter.* ſine moleſtia. *cupido.* habẽdi auiditas. *num.* numquid *pauor.* amittendi *mediocriter.* cũ mediocritate, & modo. hoc eſt, nõ poteſt vllo modo fieri, vt cupido ſupra modũ habendi, & mediocritas vtilitũ rerum poſſint regnare ſimul? *virtutẽ doct.* interrogatio. hoc eſt, vtrum doctrina ſapiamus, an natura: *tibi reddat.* vt alibi, mihi me reddentis agelli. *quid purè.* quid verè te delectet, & tranquillam vitam reddat? *honos an dul.* quę vulgò animũ trãquillare creduntur. *lucellum.* ὑποκοριστικόν. paruũ lucrum. *fallentis.* λαθόντος, latentis. *ſemita.* philoſophia. *me quoties.* hoc eſt, quoties in meo agro ſum Sabino. *Digẽtia riuus.* epexegeſis. Digentia, nomen proprium riui. *Mandela bibit.* pagus eſt in Sabinis, & nõ pagus bibit, ſed qui in pago habitant. *rugoſus* quia contractos facit. *precari.* ô Lolli, quid putas me deos aliud precari, dum vino in rure meo, niſi hoc quod te hortor; videlicet, doctrinã, virtutem, imminutionem curarum, & veram delectationẽ. *quod nũc eſt.* ſatis ſit quod habeo. *ſpes bona lib.* notandum quòd ſtudio ſolito, librorũ copiam prius, quàm frugis, fructũſq. precatus eſt. *neu fluitem dub.* hoc eſt, ne animus dubia ſpe vitæ ſit inſatiabilis. *ſed ſatis eſt ora.* hæc, inquit, à Ioue petam, quæ mihi præſtare non poſſum, ſcilicet vitã, & opes. ceterùm vt æquum animũ habeam, in mea magis eſt poteſtate.

CRVQVIVS.

SI *bene te noui, metues lib. Lolli.* Eiuſdẽ ferè argumẽti eſt hęc cũ præcedẽte epiſtola, in qua Horatius dicto factóque probat Ariſtippi ſentẽtiam, deteſtãs auſteritatẽ Diogenis nimis horridã, & vt Scæuã ibi monet comitatis erga potentiores amicos humaniorísq. officij, à quibus citius obſequẽdo quiduis impetres, quàm poſcẽdo turpiter: ita hic Lollium quoq; ruſtica libertate rudẽ, quaſi dedolare ſtudet, lenioréq. ſuis efficere, vt qui ſcurræ nomine cenſeret eos omneis qui familiariùs agerẽt cũ ſuis amicis, vrbaniúſque. hoc autem vt facit commodiſſimè ex virtutis definitione, quæ ſita eſt in mediocritate, ita & ſcurras quidẽ depingit ex effectis, vt qui plus ęquo ditioribus ſint obſequioſi, ad eorum nutum iure iniuria quiduis facientes. & non præterit amicos quoque intactos, qui nimis aſpera, planéq. agreſti libertate vtuntur in inferiores amicos, adeò vt in eorum gratiam ne vel latum quidem vnguem diſcederent

Reſpondéſne tuo, dic ſodes, nomine? nempe
Vir bonus ac prudens dici delector ego, ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras, ſi volet, auferet: vt ſi
Detulerit faſceis indigno, detrahet idem.
Pone: meum eſt, inquit: pono: triſtiſq́; recedo.
Idem ſi clamet furem, neget eſſe pudicum:
Contendat laqueo collum preßiſſe paternum:
Mordear opprobriis falſis, muteḿq; colores?
Falſus honor iuuat, & mendax infamia terret:
Quem niſi mendoſum & medicandum? vir bonus eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges iuraq́; ſeruat:
Quo multa magnaq́; ſecantur iudice lites:
Quo res ſponſore, & quo cauſæ teſte tenentur.
Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota
Introrſum turpem ſpecioſum pelle decora.
Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat
Seruus: habes pretium: loris non vreris, aio.
Non hominem occidi. non paſces in cruce coruos.
Sum bonus & frugi. renuit, negitatq́; Sabellus.
Cautus enim metuit foueam lupus: accipiterq́;
Suſpectos laqueos: & opertum miluius hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Sit ſpes fallendi: miſcebis ſacra profanis.
Nam de mille fabæ modiis cum ſurripis vnum,
Damnum eſt hoc leuius mihi, non facinus tamen. eſto.
Vir bonus, omne forum quem ſpectat, & omne tribunal,
Quandocumque deos vel porco, vel boue placat:
Iane pater, clarè, clarè cùm dixit, Apollo:
Labra mouet metuens audiri: pulchra Lauerna
Da mihi fallere: da iuſto ſanctoq́; videri:
Noctem peccatis & fraudibus obiice nubem.
Qui melior ſeruo: qui liberior ſit auarus
In triuiis fixum cùm ſe demittit ob aſſem:
Non video. nam qui cupiet, metuet quoque: porrò
Qui metuens viuet, liber mihi non erit vnquam.
Perdidit arma, locum virtutis deſeruit, qui
Semper in augenda feſtinat, & obruitur re.
Vendere cùm poßis captiuum, occidere noli.
Seruiet vtiliter: ſine paſcat durus, aretq́;:
Nauiget: ac mediis hiem et mercator in vndis
Annonæ proſit: portet frumenta, penuſq́;.
Vir bonus & ſapiens audebit dicere, Pentheu:
Rector Thebarum, quid me perferre patiq́;
Indignum coges? adimã bona. nempe, pecus, rem,
Lectos, argentum. tollas licet. & manicis &
Compedibus ſæuo te ſub cuſtode tenebo.
Ipſe deus, ſimulatq. volam, me ſoluet: opinor:
Hoc ſentit: moriar. mors vltima linea rerum eſt.

COMMENTATOR.

NE *percũcteris fundus meus.* Alloquitur Quinctium de ſitu agri ſui in Sabinis, dicens eũ amœnitate grauiſſimum, ita vt inter duos monteis ſitus conuallia teneret, oppoſitus Soli orienti ſimul & occidenti. Et ex obliquo loquitur de æquanimitate, & temperantia, qua re contentus eſſe debeat vnuſquiſque; arguẽs quoſdam diſſimulatis vitiis, bonos potius videri velle laudariq́ue quàm eſſe. *ne percuncteris.* ſupp. fortè: *aruo.* frugibus: aruum autem ab arando dictum eſt. ager ſegetis ferax, & præparatus frumento ſeminando. *herum.* me *opulentet.* diuitem, & opulentum me faciat. *amicta.* veſtita, maritata. *forma.* agri mei. *loquaciter.* amplè, & eloquenter, λαλιτι Græcè, ita vt quaſi *oparis* ſine errore omnia cognoſcas. *valle.* hãc vallem in Odis vocat Vſticam. *vt veniens.* vt, extremo veniens Sol accipiebat. *lanum.* latus. *diſcedens.* in occaſum vergens. *fugiente.* occidente. & ita deſcribit ſitum agri ſui ab ortu & occaſu Solis; quaſi dicat, totus ille ager meus vnus mons eſt, niſi diſſociarẽtur ipſi montes valle in medio iacente. atque ita oſtendit agrum ſuum inter duos monteis iacere medium. *temperiem.* agri mei. *laudes.* laudare potes. *corna.* poma agreſtia moris ſimilia. *vepres.* ſpineta, virgulta quæ circa ſepes ſunt. *dominum.* me. *dicas.* dicere potes. *Tarentum.* tam eſſe agrum meũ amœnum quàm eſt Tarentum. notandum Horatium in Italia nihil magis laudare, quàm Tibur & Tarentum. *fons etiam.* ſupp. eſt in agro meo cui nomen eſt Bandulius. *idoneus dare.* hoc eſt, tam magnus eſt, vt det nomen riuo qui dicitur Digentia. *Thracam.* Thraciam. *infirmo.* ægro. *hæ latebræ.* agri mei. hæc mea ſedes. *præſtant.* præſtabunt. *Septemb. horis.* Autumnali tempore quo grauiores regnant morbi. *tu rectè viuis.* ſi tam rectè viuis quàm fert opinio mea. *iactamus.* laudamus. *omnis Roma.* nos omnes Romani *beatum.* ſupp. eſſe. *ne cui.* alicui. *alium ſapiente bon.* præter ſapientem, & bonum, neminem eſſe beatum. *dictitet.* dicat. *occultam febrem.* trahit exemplum de febricitantibus, qui cupiditate gulæ prouocati ſimulant in cõ-

uiuio

uitio febre ſe nõ laborare, vt liberiùs poſſint cibis quibuſque veſci, donec ſuper ipſum cibum manus tremulæ reddantur. & ſicut is eſt ſtultus qui plus credit aliis quàm ſibi, cùm habeat febre vitiorum mentem repletam: ita non eſt ſapiens qui propter applauſum, & vulgi rumorem ſe beatum putat. *ſub temp. ed.* ſtudio cibi. *vnctus.* cibo. *ſi quis bella.* ſenſus eſt, ſi quis laudes Auguſti Cæſaris decantet in honorem tuum, numquid aureis accommodabis illi? *dicat.* aſſignet. ordo eſt: ſi quis bella, ſcilicet Cæſaris terra mariq́ue pugnata tibi dicat, ſup. cùm poſſis laudes Auguſti agnoſcere; & his verbis permulceat aureis tuas. *te ne magis ſaluum,* &c. hic verſus eſt Vari in Panegyrico Auguſti, quo vtitur Horatius quaſi aſſentator aliquis, vt eo permulceat aureis Quinctij: & hoc exemplum eſt, ex quo quis intelligat, an verè ei dicatur, tu ſapiens es. *aureis.* tuas. *téne.* ô Cæſar. verba ſunt permulcentis aureis vacuas Quinctij. ſumta ex Panegyrico Auguſti, ſcripta à Varo. *ſeruet in ambiguo.* ordo eſt, Iupiter hoc in ambiguo ſeruet, qui & tibi & vrbi conſulit. hoc eſt, vt in incerto ſemper ſit, vtrũ tua ſalute ô Cæſar, magis populus, an tu populi indigeas; & per hoc, vt cum populi ſalute tua penſanda ſit. oſtendit autem Cæſaris erga populum amorem eſſe tantum, vt ſit incertum vter alterum magis diligat. *ſeruet.* ſup. ſed. *poſſis.* ſupp. cùm. *reſpondes ne.* numquid reſpondes tuo nomine, quia ſapiẽs vocaris, illi homini, qui laudes Auguſti tuas eſſe dicat, non illius? *dici delector.* ac ſi diceret etiãſi non mereamur. *qui.* ſup. populus; ita vt ſapiens dicaris. *auferet.* hoc eſt, ſi populus te falsò prædicauit, citò teſtimonium ſuum conuertet, quoniam tu id non fueris. *detulerit faſceis.* dicit non eſſe amplectendas alienas laudes, ne nos deſerant; ſed eas quas in nobis agnoſcimus ex virtute natas, quę ſolæ habent perpetuam dignitatem. *idem.* populus. *pone.* depone quod tibi dedi. *meum eſt.* mea laus eſt, inquit populus. *idem.* populus. *furem.* eſſe me. *neget.* ſupp. ſi. *contendat.* ſup. ſi. confirmet me ſtrãgulaſſe patrem. *mordear oppro. f.* ſupp. populi. quaſi dicat: cùm mordear falſis criminibus hominũ, ob hoc mutém ne colorem? non vtique faciam. *falſus honor.* populi. *mendoſum.* inſanum. *vir bo. eſt quis?* interrogatiuè. *qui conſulta p.* reſponſio tota eſt per ironiam. oſtendit talem non eſſe verè bonum, ſed velle videri, & eſſe laudis ambitioſum: quia quicquid facit, hoc eum lege coactum facere. *ſecantur.* finiuntur, deciduntur. *cauſæ* forenſes. *videt.* cognoſcit. *domus.* ſua. *vicinia tota.* omnes vicini. *introrſum tur.* & ſolummodo fama bonũ. *ſpecioſum pel deco.* extrinſecus ſimulatione virtutis. *nec furtum feci.* contra eos nunc loquitur, qui ſe putant honore dignos cùm nil commiſerint cur damnentur. *ſi mihi di.* ordo eſt, ſi mihi dicat ſeruus, non furtum feci, &c. *loris non vr.* non vapulas: talis ne eſt vir bonus, ſi metu pœnæ continetur à malo, vt ſeruus? *non homi.* ſeruus. *nõ paſces.* dominus *ſum bonus &c.* ſeruus. *negitatque Sabellus.* dominus ſcilicet Horat. in agro ſuo Sabino exiſtens. *cautus enim.* allegoricôs. ab animalibus callidis, quæ vix decipi queunt. *in te.* contra te. *ſit ſpes.* ſupp. tibi *ſacra prof.* bona malis. *nam de mille.* cõtra Stoicos, qui dicunt omnia peccata eſſe ęqualia. hoc eſt, quando, inquit, furaris vnum modium fabę, de mille modiis, damnum eſt mihi leuius iſto pacto, nõ facinus tamen; nam ſi auſus fuiſſes, totũ abſtuliſſes; ac per hoc non minus fur es dicendus. ordo eſt, iſto pacto damnum eſt mihi, id eſt, apud me leuius, non facinus admiſſum. *vir bonus.* qui videtur, non verè eſt. ſed quem populus probat, conferens in eum dignitates, honores iudicia; ironicôs. *Iane.* ô. *clarè.* clara voce. *Apollo.* ô. *labra mo.* ſilenter loquitur. *metuens aud.* ſupp. cùm dicit quod ſequitur. *pulchra Lauer.* ô. deſcribit poteſtatem deæ Lauernæ. Lauerna in via Salaria lucum habet. eſt autem dea furum, & ſimulacrum eius fures colunt, & qui conſilia ſua volunt tacita; nam preces eius cum ſilentio exercentur: ſic dicta fortaſſe à latendo, nam fures olim laterniones, & lauerniones dicebantur. *da iuſtum.* me. *videri.* populo. *noctẽ* latebras. *fraudibus.* meis. *obiice.* ô Lauerna. *qui.* quo modo. *in triuiis.* in loco publico. *fixum.* latentem. *demittit.* inclinat. *non video.* nõ intelligo. *porrò qui metuens.* concluſio ſyllogiſtica. *perdidit arma.* fortitudinem. *virtutis.* libertatis. *obruitur.* occupatur. *re.* pecuniis, diuitiis. *vendere cùm poſſis.* allegoricôs. nam captiuũ ſeruum illum vult haberi, qui pecuniæ parandæ ſemper ſeruit. ſenſus autem eſt, talem, inquit, qui pecuniæ ſeruiet, patere vt ſeruum laborare. eſt enim eiuſmodi hominũ aliquis vſus, & certè plus aliis quàm ſibi proſunt, vt mancipia. Igitur aret, inquit, ille, nauiget, & annonæ proſit: taleis enim populus probat. *ſeruiet.* populo. *paſcat.* gregem *durus.* ad laborem. *mercator.* auarus ipſe. *annonæ* publicæ *audebit dicere.* ſup. quod liber pater dixit ad Penthea. *Pentheu.* oſtendit quòd ſolus ſapiens liber eſt, exemplo fabuloſo ſumto ex Bacchis Euripidis, in quibus inducit poëta Liberum patrem dicentem Pentheo vinctum ſe tenenti, quid eſt quod me poſſis cogere pati? adimam bona, auferas licet, te vinciam tamen; deus me ſoluet, mors liberabit. per Bacchum intellige virum bonum & ſapientem, quem neq; carcer, nec metus mortis, nec vlla vis, nec diuitiæ poſſunt efficere ſeruum; & ſic ridet minas tyranni. *adimam bona.* dixit Pentheus. *nempe.* ſit ita. reſponſio Bacchi. *ſimul atque.* ſtatim vbi voluero. *hoc*

ſentit.

ſentit. ſupp. ſapiens. *mors vltima linea rerum*. γνώμη.

CRVQVIVS.

NE *percũcteris fundus meus*. Situm fundi ſui paucis deſineat Horatius, vt quid ferre poſſit ipſe coniectet Quinctius, nimirum cum eſſe in vmbroſa valle, ſolis ortu, & occaſu illuſtrata, temperataque, nec fonte minus amœna, quàm riuo ex eo decurrẽte tam infirmo capiti, quàm aluo ſalubri. Sed quod ibi quaſi in ſuis latebris nõ rectè viuere forſaſſis Horatio improperauerat, Quinctio reſpondet, eum rectè viuere, qui qualem ſe dici gaudet, talis reuera exiſtit, hoc dicto ſatis amarè notans Quinctium non eſſe virum bonum ſapientemque, vt qui ex ſententia, & applauſu populi exiſtimet, aut beatum ſe, aut miſerum, non etiam ex recti conſcientia, quaſi neſciat populum quouis vento leuiorem; nunc honores largiri, nũc adimere; nunc vanis laudibus aureis permulcere, nunc multis opprobriis afficere: quibus certè rebus aut delectari vehementer, aut dolere ſtultorũ eſt: qui ſe quoque bonos ſimulant, legéſque & iura ſeruare fingunt, vt ab imperita multitudine cõmendentur, quando animo ſint impuriſſimo turpiſſimoque, nec niſi, ſeruorum more, metu pœnæ quicquam boni meditentur; ſacra quidem in propatulo diis facientes, at ſi ſpes ſit, Lauerna propitia, latendi, ſuamque turpitudinem celandi, iuſti, ſanctique prætextu, fures ſunt rapaciſſimi, miſcẽtes ſacra profanis, & ad viliſſima quęque ſe demittentes, vt adimpleant habẽdi ſitim, cupidi metuq. perditi ſemper in augenda re. Quod quàm procul ſit à viro bono ſapiẽteque, docet exemplo Bacchi, qui nullis minis, ne mortis quidem metu potuit adduci, vt quid præter decorum faceret. *ne percontteris*. percontari verbum ſignat Quinctium πολυπράγμονα τῶν ἀλλοτρίων κακῶν, id eſt, nimis in aliena mala curioſum indagatorem, quales ferè ſunt præpotentes, qui nimia ſibi φιλαυτίᾳ pulchrè placentes in foro verſantur otioſi ab animo, ecquid agant, quid meditentur, quantum in bonis habeãt alij, diligenter inquirentes. *optime*. εἰρωνικῶς. vt illud Comicum, ſalue bone vir. *Quincti*. ſic ſcriptũ eſt in antiquiſſ. cod. Bland. per c litteram. *aruo paſcat*. ne. *bacis*. per e vnicum ſcriptum eſt in omnibus præter Mart. qui vulgatis conſentit. *pomiſve an pratis*. ita tres cod. Mart. Sil. & Bland. legunt: & meo iudicio vera eſt lectio: nam τὸ pomis adhærens bacis oliuæ, ſeparandum eſt à pratis, ponit enim agri tria genera, agrum, aruum, ſeu ſatiuum agrum conſitum oliuis, pomis, &c. & agrum paſcuum. *an amicta vit*. an vini ſit ferax. *loquaciter*. quàm reſpondet hoc aptè verbo percuncteris, loquacitas enim ſiue garrulitas percontatori eſt propria, vt vulgo fertur, Percontatorẽ fugito, nam garrulus idem eſt. neceſſe eſt itaque Horatio, vt perſonæ ſubſeruiat, eſſe loquaci. *continui montes*. deſcriptio ſitus agri. de his mõtibus in ſua Vmbria ſcribit Blondus Flauius in hunc modum: Ab ipſo autem Imelæ fluuioli ortu apud Pedelucum mõtes incipiunt, qui ſiniſtra ciuitate Reatina perpetuo in meridiem curſu continuati, ſemperque creſcentes, & quàm longè ab Apennino recedentes, Equicolorum olim nunc Talicotij montibus proximè adhærent, Tiburque feruntur, &c. Et poſt paullò: Imelę autem ſiniſtrorſum eſt propinquum villæ, nunc oppidum Vacuna appellatum; cuius meminit Horatius ad Ariſtium, Hæc tibi dictabã poſt fanum putre Vacunæ. Deinde hæc verò vallis quam Farfarus efficit tam multis habitatam caſtellis, illa eſſe videtur in qua Horatius villam habuit: monteis enim quos à Pedeluco Tibur vſque continuari oſtendimus, hac ſola valle interrumpũtur, &c. Vide præterea quę ſcripſimus epiſt. 14. in dictione Varia. *niſi diſſocientur*. modi potentialis, id eſt, diſſociari deberẽt, interrumpique. neſcio an hoc ad Quinctij ſtupiditatem docendam pertineat; quis enim monteis ignoret, niſi interiecta valle, continuari? *valle*. Comment. ait in odis nimirum 17. lib. 1. hanc vallem nominari Vſticam: crediderim potius montem villæ Horatianæ propinquum dici Vſticam, eique ex oppoſito Lucretilem imminere montem, cuius eadem quoque ode mentionem facit. *ſed vt*. per ellipſin, ita. *dextrum latus*. an non hoc argumento eſt ſuam villam non eſſe latebras, quod ei videtur improperaſſe Quinctius? *curru fugiente*. Bland. antiq. habet, curſu. *quid? ſi rubicunda*. ſic habent omnes ſcripti præter Mart. Nan. & Sil. qui habent, quod ſi. ſed lectorem celare nolui inueniſſe me hæc verba, quia montes continui diſſociantur opaca valle in medio iacente, ſecundum hanc gloſſam vbi ponitur, ſi, legendum eſt, ni. Itaque hic pro, quod ſi, legendum erit, quod ni, perinde ac Tarentina vallis non corna, pruna, glandeis, ceteraque ſilueſtria, ſed fructus meliores proferat: quod & Strabo lib. 6. ſcribit: Illa enim (Tarẽtina) tenuis quidem, ceterùm fructuum bonitate præcellens: nam & mel eius, & vellera vehementer laudantur. Non ignoro τὰ illa, apud Strabonem aliò referri poſſe; at interim tamen Tarentini ſolum fecundum coluere & paſcuum: hinc Tarentina lana veteribus commendatiſſima. Deinde Strabo paulò ſuprà, Cumque aquarum indiga eſt (Iapygia) nihilominus læta ſuppeditat paſcua, & arboribus referta ſpectatur, &c. Diſpiciat itaque lector peritus hunc locum. *benignè*. cod. Tonſ. cum duob. Bland. habet *benigni*. *ſi quercus*. aut potius, ni quercus, vt volunt

volunt Blandinij. *fruge.* frugis propriè eſt agri ſatiui; quare aut impropriè pro glande ponitur; aut ridet Quinctium curioſum ruris alieni. *Tarentum.* ſinus autem Tarentinus inter duo promontoria eſt, Salen ab oriente, & Lacinium ab occidēte, Tarentum autem eſt in depreſſo ſolo, quæ tamen arx exædificata eſt, paullulum altius attollitur, inquit Strabo: quare non ineptè confert agri ſui ſitum, cum ſitu vrbis Tarenti. *fons etiam.* commendatio fundi ſui à fonte. *idoneus.* *ἱκανὸς διδόναι.* *infirmo capiti.* an ad ſanandum Quinctij caput? *hæ latebræ.* hoc repetere videri poteſt Horatius, quaſi antea ſibi ignominioſè obiectum à Quinctio, ipſum ſcilicet latere turpiter in agro ſuo, & cum pecudibus ſordidè viuere; ſatius eſſe Romæ eum in ſplēdore verſari, ſuáſque laudationes à populo audire. cui reſpondet Horatius, inquiens, *tu rectè viuis, ſi curas.* perinde ac ſi dicat, ego ſtudeo talis eſſe, qualem velim me loqui famam; tu ô Quincti, idem facito, omnes Romani iamdudum clamant te eſſe beatum, hoc effice, vt verè ſis beatus. hoc autem dictum, tu rectè viuis, &c. eſt Socraticum, cuius meminit Cic. 2. offic. hanc viam ad gloriam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet. *ſed verior.* arguit ambitionis Quinctium. *alium ſapiente bonoq́; beatum.* Soſipater lib. 4. inſtitutionis Grammat. ait eſſe Solœciſmum, & abſolutum pro relatiuo poni, vt inquit, néve putes alium ſapiente bonoq́ue beatum, pro beatiorem. equidem malim eſſe Græcam conſtructionem, *ἄλλον τι σοφοῦ κ' ἀγαθοῦ τι*, alium à ſapiente bonoq́ue. *neu ſi te populus.* argumentum ab externo corporis morbo, ad internum animi malum. *donec manibus.* donec febris tremore manuum ſeipſam prodat. *ſtultorum.* *γνώμη.* ſic quoque ſtultorum eſt animi celare vitia ſub prætextu viri boni. *vacuas.* inaneis, vanæ laudis audiendæ cupidas. *téne magis.* hi duo verſus redolent Horatianum ſtylum, quare potius eos ſub tertia perſona ab ipſo ſcriptos mihi perſuaſerim, quàm vel à Varo, vt Comment. vel ab alio poëta. *cùm pateris.* ſic Virg. ſenſit medios delapſus in hoſteis, id eſt, ſe delapſum. *tuo dic ſod. nomine.* cōgruo nomine? *nempe.* aſſerentis. perinde ac ſi dicat, neminem ita à ſe alienum, vt non malit bonus dici, quàm malus; ſapiēs, quàm ſtultus: negligere enim quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti; Cic. 1. off. *qui dedit hoc.* inconſtantia populi in dandis, & eripiendis honoribus. *pone.* depone. verba populi. *triſtisq́;.* abrogato magiſtratu. *colorem.* ſic habent Tonſ. Mart. Sil. quos ſequor. *mendoſum.* vitioſum, captumq́ue vana gloria. *& medicandum.* hoc eſt, non malitioſum fraudulentumq́ue, non callidum & verſutum, ſed animi ſimplicitate ſeductū, vt qui plus aſſentatori quàm ſibi tribuat, quiq́ue non animaduerſa populi leuitate, credat eum falſò aut laudare, aut vituperare neminem: quo nomine medicandus venit, hoc eſt, monendus, inſtituendusq́. melius, & præceptis philoſophicis imbuēdus, vt quid verum ſit, quid falſum intelligat, & neſcio an alludat ad illud Homeri, *ἀκεσταὶ φρένες ἐσθλῶν*, id eſt, virorum bonorum mentes ſunt medicabiles, quales certè iudicarim eos qui nimia quadam facilitate, non etiam mera malitia in erroneam opinionem prolabuntur. Hanc autem lectionem habent 4. cod. Blandin. Buſl. Tonſ. & Sil. quos ſecutus ſum. iudicet lector doctus. *vir bonus eſt quis? ἐρώτημα*, per ſubiectionē vitæ vulgò probatæ; quaſi bonitas animi, ex opinione iudicioq́ue multitudinis pendere poſſit, & humana conuerſatione factisq́ue externis, quæ ferè ſimulata eſſe ſolent. Hæc itaque viri boni deſcriptio quæ ex opinione eſt, & populi fama vera eſſe nequit. *quo res ſponſore.* ſic habet cod. Bland. antiquiſſimus, & veriſſima lectio eſt hactenus ignorata doctis, qui vel inuiti tantum tribuerint Horatio, vt reſponſorem interpretarentur iuriſconſultum, præter omnem Latinitatem: fateor equidem prudentum reſponſa legum peritis eſſe notiſſima, ſed reſponſores non perinde. *tenentur.* non amittuntur; ſua cauſa, viro bono teſte, non cadunt actores. *ſed videt hunc om.* aduerſatiua, quæ domeſticorum, vicinorumq́. teſtimonio cōfutat hanc viri boni deſcriptionem, quæ potius eſt hypocritæ. *nec furtum feci* inducit Horatius ſeruum ſecum argutantem, vt oſtendat eum non eſſe virum bonum, qui domi quidem turpis eſt, in foro verò, & populi conſpectu decorus metu pœnę, non etiam virtutis amore. *ſum bonus & frugi.* hoc eſt, ſum frugi bonę. vide Satyr. 7. lib. 2. *negitatq́; Sabellus.* ſic ſcriptum eſt in antiq. cod. Bland. quod mihi non parum placet, atque adeò pluſquam vulgata lectio, propter *κακόφωνον.* ſic & Plautus Bacchid. actu 4. ſcen. 10. neque placitant mores quibus, &c. & quæritare, paritare, properare, apud eundem. *cautus enim* diluit argumentum ſerui à ſimili, lupus vitat foueam, accipiter laqueos, & miluus hamum, icirco-ne mutata natura deſinunt eſſe rapaces? tu ô ſerue nequam, nec fur es, nec fugitiuus, nec homicida, ideó ne es frugi bonę? nulla ſit fouea, aufer laqueos, & hamū, redibúnt-ne ad prædam feræ? impunè tibi peccare liceat, aut ſpes ſit tua furta, rapinas, fraudeiſq́ue celandi, nihil non audebis, confundes fasq́ue nefa q́ue. *metuit lupus.* deuitat, *φυλάττεται* *miluus.* ſic habent 4. Bland. cod. vt ſit triſyllabum. reliqui ſequuntur vulgatam lectionem. *oderunt peccare.* vitia omnia ſceleraq́ue habent odio, ad virtutem vel na-

vel naturæ ductu, vel recta inſtitutione propenſi. ſic Bias apud Stobæum, μὴ διὰ φόβον, ἀλλὰ διὰ τὸ δέον ἀπέχεσθαι χρεὼν ἁμαρτημάτων. id eſt, non metus, ſed decori gratia abſtinere conuenit à peccatis. *ſit ſpes fall.* à contrario. *fallendi.* celandi, λανθάνειν. *damnum eſt hoc leuius mihi.* Plato lib. 1. de Republ. ἐάν τίς τι κλέπτῃ δημόσιον μέγα ἢ καὶ σμικρὸν, τῆς αὐτῆς δίκης δεῖ· σμικρόν τε γὰρ ὁ κλέπτων, ἔρωτι μὲν ταὐτῷ, δυνάμει δὲ ἐλάττονι κέκλοφε. id eſt, ſi quis publicum aliquid furetur, ſiue magnum, ſiue paruum, eadem pœna conſtituatur; nam & qui exiguum aliquid furatur, eodem quidem ſtudio, potentia verò minori furatus eſt. Hic verſus ab Accurſio recitatus (auctore Lambino) diuerſus à vulgata lectione, à me quoque inuentus eſt in Sil. cod. ſed paulò aliter, nimirum: *damnum eſt hoc leuius mihi, non facinus tamen eſto.* *Vir bonus omne forum.* reuertitur ad eum quem deſcripſit, ex opinione famaque vulgi virum bonum. *quem ſpectat.* obſeruat tamquam vitæ probatæ quoddam ἀρχέτυπον. *Iane pater.* hoc imitatus eſt Perſ. Satyr. 2. Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & vt audiat hoſpes: Illa ſibi introrſum, & ſub lingua immurmurat; ô ſi ebullet patrui præclarum funus, & ô ſi ſub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro Hercule, &c. *metuens.* nolens audiri ab aſſiſtentibus ea quæ ſecum precatur tacitè. *fallere.* effice vt alios lateant mea ſcelera. *da iuſto ſanctoq́; vide.* ſic habet cod. antiquiſſ. Blandin. quem ſecutus ſum, propter τὸ mihi, reclamantibus omnibus aliis, quos tamen non improbo, ſed hæc mihi ſimplicior apparet lectio. *noctem & nubem.* hoc eſt, noctem nubiloſam, pro denſiſſimis tenebris, & ignoratione, ne quis ea peccata, eas fraudeis audire, videre, deprehendere aut cognoſcere poſſit. *qui melior ſeruo, qui lib.* qua ratione quis dicat eum bonum virum, qui fraudulentus, ſceleſtus, qui auarus eſt, meliorem ſeruo aut liberiorem, qui pecuniæ cauſa quiduis facit & patitur. Hæc lectio inuenitur in 4. cod. Blandin. Buſl. Nan. Sil. & Diu. ſed Mart. & Tonſ. habent, quò, cum vulgatis, quos non ſequor. *in triuiis fixum.* à luſu puerili, quo in viis numo fixo prætereuntes illuduntur. ad eum modum Perſ. Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum. *qui cupiet, metuet quoque.* Cic. 1. Parad. de auaris, neque ea ſolum quæ habent augendi libidine cruciantur, ſed etiam amittendi metu. *qui metuens viuet.* Syllogiſmus ex Enthymemate: Qui cupit & metuit, non eſt liber; auarus cupit, & metuit; liber itaque viuere nequit. *perdidit arma.* abiecit arma, ῥίψασπις. *locum virt. deſ.* eſt ſuæ ſtationis, & ordinis deſertor. λιποτάξιος, ἢ φυγάς. Hi in militia capite puniebantur. vnde tranſlationes hæ ſumtæ ſunt. Quin ex hypotheſi bellum ſtatuit virtutum vitiorumque, nec non auarum conſtantiæ, & liberalitatis armis abiectis, ſtationeque deſerta, ab auaritia duci captiuum; quem cùm iure belli poſſit occidere, precatur tamen auaritiam vt vendat potius quàm enecet, ſinatque ſeruire vtiliter. *occidere noli.* ſed vende, & effice ſeruum. *paſcat durus aretq́;* enumerat opera ſeruilia, viroque bono propè indigna, qualeis arteis mechanicas ſolemus Græcè appellare βαναυσικὰς τέχνας καὶ ἰδιωτικάς. *vir bonus & ſapiens.* deſcriptio viri boni, & ſapientis ab exemplo fabuloſo Penthei Tyranni extrema quæque mala comminantis Libero patri, id eſt, viro bono, ſi non faciat imperata, eique morem gerat, quæ recti conſcientia fiſus, magno animo contemnit, ſibique tyrannum non poſſe nocere declarat, etiamſi ablatis omnibus fortunæ donis, quæ ſua non eſſe cenſet, corpus quoque multis tormentis, & cruciatibus affligat, vt qui in virtute, quæ eſt immortalis, omnia ſua collocet. *Pentheu.* de Pentheo vide Satyr. 3. lib. 1. *nempe.* ſcilicet. reſpondet vir bonus εἰρωνικῶς, quòd ſciat ea non eſſe ſua, ſed fortunæ. *pecus, rem, lect. arg.* verba Penthei, per tmeſim orationis. *tollas licet.* vir bonus ad Penthea. *in manicis.* Pentheus vincula dura comminatur. manicæ à manibus, quibus manus vinciuntur, vt compedes à pedibus dicuntur. *ipſe deus.* vir bonus à ſolo Dei nutu depẽdens, eique fidens pro nihilo ducit acerbiſſimas tyranni comminationes: iccirco liberè reſpondet, Ipſe deus Iuppiter, pater meus, mox vbi volam, id eſt, precabor eum, me liberabit à vinculis; meque ad ſe arceſſet, immortalemque deum faciet. *opinor.* verba poëtæ interpretis. *opinor.* id eſt, exiſtimo in ea ſententia eſſe virum bonum, vt citius moriatur quàm turpiter ſeruiat: quam mortem qui ſubiit, nihil vltrà pati poterit; eſt enim *vltima linea rerum.* id eſt, finis malorum. vltima autem linea vel ab Arithmeticis, qui in vltima linea ſuorum numerorum collocant vnitatem; vel à Geometris, qui vltima linea figuras perficiunt, vt trigonus duabus lineis ductis, addita tertia conſtat: aut ſi linea pro delineatione capitur, vltima linea ſumitur à pictoribus; nam ſicut linea ſeu manus vltima picturam, ſic mors vitam perficit, ante quam nemo beatus verè dici poteſt. Hic omitto vitam noſtram nihil eſſe quàm breue curriculum, omneiſque ab initio vitæ tamquam prima linea per multas in rebus agendis medias ad extremam vſque decurrere, quæ & vitæ meta, & mors nominatur.

EPISTOLA XVII.

AD SCÆVAM.

QVAMVIS, Scæua, ſatis per te tibi conſulis, & ſcis
Quo tandem pacto deceat maioribus vti:
Diſce docendus adhuc, quid cenſet amiculus: vt ſi
Cæcus iter monſtrare velit: tamen aſpice, ſi quid
Et nos, quod cures proprium feciſſe, loquamur.
Si te grata quies & primam ſomnus in horam
Delectat: ſi te puluis ſtrepitúſque rotarum:
Si lædet Caupona: Ferentinum ire iubebo.
Nam neque diuitibus contingunt gaudia ſolis.
Nec vixit malè, qui natus, moriensq́; feſellit.
Si prodeſſe tuis, paulloq́; benignius ipſum
Te tractare voles, accedes ſiccus ad vnctum.
Si pranderet olus patienter: regibus vti
Nollet Ariſtippus. ſi ſciret regibus vti;
Faſtidiret olus: qui me notat. vtrius horum
Verba probes, & facta, doce: vel iunior audi,
Cur ſit Ariſtippi potior ſententia: namque
Mordacem Cynicum ſic illudebat, (vt aiunt:)
Scurror egoipſe mihi: populo tu. rectius hoc, &
Splēdidius multo eſt, equus vt me portet, alat rex.
Officium facio. tu poſcis vilia: verum
Dante minor, quamuis te fers nullius egentem.
Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res:
Tentantem maiora, ferè præſentibus æquum.
Contrà: quem duplici panno patientia velat:
Mirabor, vitæ via ſi conuerſa decebit.
Alter purpureum non expectabit amictum:
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet:
Perſonamq́; feret non inconcinnus vtramque.
Alter Mileti textam cane peius & angue
Vitabit chlamydem: morietur frigore, ſi non
Retuleris pannum: refer, & ſine viuat ineptus.
Res gerere, & captos oſtendere ciuibus hoſteis:
Attingit ſolium Iouis, & cæleſtia tentat.
Principibus placuiſſe viris, non vltima laus eſt.
Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.
Sedit qui timuit, ne non ſuccederet: eſto.
Quid? qui peruenit, fecítne viriliter? atqui
Hic eſt, aut nuſquā quod quærimus. hic onus hor- (ret,
Vt paruis animis, & paruo corpore maius.
Hic ſubit, & perfert. aut virtus nomen inane eſt:
Aut decus & pretium rectè petit experiens vir.
Coram rege ſuo de paupertate tacentes
Plus poſcente ferent. diſtat ſumáſ-ne pudenter;
An rapias. atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
Indotata mihi ſoror eſt, paupercula mater.
Et fundus nec vendibilis, nec paſcere firmus,
Qui dicit. clamat, victum date. ſuccinit alter:
Et mihi diuiduo findetur munere quadra.
Sed tacitus paſci ſi poſſet coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus, inuidiæq́;.
Brundiſium comes aut Surrentū ductus amœnū,
Qui queritur ſalebras, et acerbū frigus, et imbreis:
Aut ciſtā effractam, aut ſubducta viatica plorat:
Nota refert meretricis acumina: ſæpe catellam,
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis: vti mox
Nulla fides damnis, veruq́; doloribus adſit.
Nec ſemel irriſus triuiis attollere curat
Fracto crure planum: licet illi plurima mānet
Lacryma. per ſanctum iuratus dicat Oſirim:
Credite, non ludo; crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.

COMMENTATOR.

QVAMVIS *Scæua ſatis.* In initio huius epiſt. docet Scæuam quomodo potētioribus amicis obſequi debeat, dicitq́. ſi tædeat eum manere in vrbe propter ſtrepitū & clamores tabernarum, vt transferat ſe in oppidum Ferentinum deſertum, & per hoc quietum. Aliter: Pręcepta vitę ad Sęcuá, equitem Romanum, an affectandi ſint potentiores? & laudat Ariſtippum Cyrenaicum, quòd affectauerat cū regibus viuere. *quamuis Scæua ſat.* αὐθηρέτως. *tibi conſulis.* prudēs ſis. *maioribus vti.* obſequi. maiorum, & potentiorum amicitiam tenere. *amiculus.* ego. ὑφηγητικὸν *cæcus iter.* verecundè, quaſi ipſe imperitus alteri cæco oſtēdere velit quid ſit agendum. *proprium feciſſ.* quod tuum eſſe velis. *quies.* noctis. *puluis ſtrep.* cōcurſus diuerſorum hominū in via, ac per hoc frequentia, & ſordib. offendiis. *Ferentinum ire.* oppidū Campaniæ; alij municipium volūt viæ Labicanæ ad 48. lapidem: alij Ferentinū quod eſt in Tuſcis. *diuitibus.* ſenſus eſt: habet & paupertas voluptates ſuas, ſi moleſtia careat in ſemotis locis. *feſellit.* latuit, vt & natus, & moriens ignoraretur, qui vixit obſcurè. Eſt autem Epicureorum hæc ſententia Græca λάθε βιώσας, id eſt, late in vita. *ſi prodeſſe tuis.* ſi vis tuis eſſe

conquerenti credatur. *planum*. erronem. mendacem, qui ſolebat multos ſic fallere, in quorum vehicula volebat tolli, vt fingeret ſe crus fregiſſe, qui poſtea verè cùm fregiſſet, & idem precaretur, ei non eſt creditum. *per ſanctum*. etiamſi, vel quamuis iuret. *Oſirim*. deum Aegyptiorum. *non ludo*. nō iocor. *claudum*. me. *peregrinum*. qui te non nouit. *vicinia*. vicini. *rauca*. vociferans ad rauim.

CRVQVIVS.

QVAMVIS *Scæua ſatis*. Pro ſenio ſuo monet Horatius Scæuam iuniorem, ne in vſu, & rerum cognitione, vitæque humanæ conuerſatione, nimium ſibi tribuat, ſed diſcat viuere, & vti maioribus, prius id quàm ſe nouiſſe iactitet. Cuius rei gratiâ duo vitę genera commemorat, alterum quidem otioſum, ignauum, abiectum, & tantum non omni ex parte turpe, cuius quaſi ectypon Cynicū proponit: Alterius autem velut auctorem ſtatuit Ariſtippum benigniùs agentem, nec abhorrētem conſuetudinis humanioris: Scæuamque interrogat vtrius viuendi ratio ſit ei probatior: Sibi quidem potiorem videri ait Ariſtippi ſententiam, qui & regibus vti noſſet, ſibi, ſuiſque non inutilis, & ſeruire tempori, tenuiterque vitam inſtituere: Cynicus non item, vt qui regū fugitans, ſordidè, abiectéque viueret oleribus contētus, & pallio, omnis ſplendoris, vitæque liberalioris impatiens, populo ad gratiam plauderet viliaque poſceret. Cui illudens Ariſtippus, nūc in equo, & purpura reges comitabatur, nunc ad tempus paratus, & amictu, & victu viliori contentus omnibus erat omnia, principibus quidem viris officioſè gratus, nec, vbi res ipſa poſcebat, non acceptus aliis. Cæterùm ſi principes viri, bene gerendis rebus, immortalibus diis proximi ſunt. quis neget iis placere, in primis eſſe laudabile? noliſq. quàm vel impudenter poſcendo more Cynico, vel aliquod infortunium mentiendo, potius agendo fortiter Ariſtippo duce, obſequendoque & tacendo pudenter à regibus accipere munera, & in ſplendore viuere: *quamuis Scæua*. exorditur ab ironica conceſſione humanæ experientiæ, maioris quàm videbatur ætas Scæuę ferre poſſe. *tibi conſulis*. tibi ſapis, & vales conſilio proprio. *deceat*. quo vſque ſit decorum, & honeſtum potentiores adire, ſalutare, ad forum ſubſequi, deducere, reducere, aliaque humanitatis officia facere, ſine turpis aſſentationis nota. *maioribus*. maiores ſtatura, maiores ætate, qui ante nos vixerunt, maiores potētia, diuitiis, opibus, pecunia, quos ſectari ſolent minores, id eſt, impotentiores, pauperiores, opis & patrocinij gratia. *vti*. συζῆν. viuere cum maioribus & verſari. ſic pro Cluent. Cic. vti tali matre noluit. *docendus adh*. ergo non ſatis peritus rerum, quas tibi aſſumis pertē. *amiculus*. deminutiuis vtimur, nunc cōtemtim, aliàs blandius. *vtſi*. pro etſi vel etiamſi. *cæcus iter monſt*. alludit ad ſtatuas in triuiis indices viarum cæcas, viatoribus tamen nō inutileis, quas ἀνδριάντας nominamus, ſeu ἑρμαῖα. iccirco ait, *tamen aſpice*: nimirū vt iter rectè facias. *tibi proprium*. à te inuentum, tibi vni cognitum. *loquamur*. iudicemus. loquūtur enim Mercurij ſtatuæ rectam viam per typos ſeu characteres inſculptos. *ſi te grata*. diſtributio vitæ humanæ, in otioſam, & pænè abiectam, in actiuam, & benigniorem. *primam ſomnus*. hoc otiū eſt hominis ignaui, nulla laude dignū, alium cenſet Homerus virum fortem eſſe debere, nimirum ſollertem, vigilantem, impigrum, prudentem, circumſpectum, &c. Ilia. 3. οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα, id eſt, indignum duce id eſt, noctē dormire per omnem. vide Chilia. Eraſ. *ſi te pul*. indecora viro mollities. *ſi ladet*. ſic omnes ſcripti pręter duos Bland. qui ſequuntur lectionem vulgatam. *Ferentinum*. Ferentinates Plin. lib. 3. cap. 5. in Cāpania ponit. Strabo lib 5. Ceterùm mediterranea præter iam dictas vrbeis extant Aretium, Peruſia, Vulſinij, Sutrium: ad hęc oppidula complura, Blerati, Ferentenum, Falerij, Faliſcum, Nepita, Statonia, aliaque complura, &c. *nam neque diuitibus*. diuites, potentes, maiores ſunt hic eiuſdem notæ, quorum gaudia ſolent eſſe luxus, ambitio, ſalutationes, &c. eſt & ignauiæ, mendiciiſq. ſua voluptas, otium turpe; eſt & viris fortibus, & ſtudioſis ſua, ſed ea vera eſt, & ſola voluptas, quæ cum animi trāquillitate ſecuritateque beatum facit. *nec vixit malè*. ex opinione quidem Epicureorum, qui in nihil agendo ſummum bonum collocabant, quo nomine quoque ad rempublicam nō accedebant, ne fortaſſis aliqua gerendę rei nimia ſollicitudine implicitus animus ſeriò voluptati vacare nequiret. At ſi Stoicis operam demus, nihil eſt infelicius in vita, quàm ſibi viuere. vnde eſt illud Plat. ſibi tātum natum eſſe neminem, ſed & patriæ, & propinquis, & amicis: εἰ γὰρ ἄγει (vt Muſonius apud Stobæum in de Senectute) ἑκάστου φύσις ἕκαστον ζώων ἐπὶ τὴν ἀρετὴν τὴν ἐκείνου, καὶ τὸν ἄνθρωπον εἰκὸς οὐχ ὅταν ἐν ἡδονῇ ζῇ, τότε κατὰ φύσιν βιοῦν, ἀλλ᾽ ὅταν ἐν ἀρετῇ. hoc eſt, nam ſi cuiuſq. natura ducit vnūquodque animantium ad ſuā virtutem, certè conſentaneum eſt vero, ſecundum naturam viuere hominem, nō cùm in voluptate, ſed cùm in virtute vitā degit. τότε γὰρ καὶ ἐπαινεῖσθαι δικαίως ὑπάρχοι ἂν αὐτῷ, καὶ μέγα φρονεῖν ἐφ᾽ αὐτῷ, εὔελπιν καὶ θαρραλέον εἶναι, οἷς εὐφροσύνην τε καὶ χαρὰν βεβαίαν ἕπεσθαι ἀναγκαῖον. hoc eſt, nam tunc demum, & laudari iure poterit, & magnificè de ſe ipſo ſentire, bonaque

 ſpe, ani-

ſpe, animique fiducia confirmari, quibus & hone-
ſtam lætitiam, & gaudium ſtabile neceſſe eſt eſſe
comites. Plura ſuper hoc themate legito apud Plu-
tarch. in diſputatione. An rectè ſit dictū, λάθε βιώ-
σας. Videtur itaque Horatius ludendo Scæuæ hic
quidem applaudere, ſed non ita vt Ariſtippi ſen-
tentiam non pluris faciat, vt videre eſt in ſequen-
tibus. *ſi prodeſſe tuis.* aliud vitæ genus ἐνεργητικόν.
hoc eſt, ſi tibi ſoli nolis, ſed etiam patriæ, & amicis
eſſe vtilis. *benignius te tractare.* hoc eſt, non ita du-
riter viuere, & auſterè, vt ἀπαιδευτότερος videaris.
ſiccus ſobrius aridus præ ſobrietate; vel ξηροφάγος
vt eſcis aridioribus *ad vnctum.* vnctus hic, non
tam delibutus vnguento eſt, quàm egregius obſo-
nator; non tam caput, quàm guttur habens condi-
mentis inunctum, quales ſunt potētes diuiteſque
luxuiq. indulgentes. Cod. Bland. antiq. habet inū-
ctum, vna voce, pro valde vnctū. *qui me notat.* ſub
perſona Diogenis Horatius à Scæua notatus, quaſi
Mecenatis, & Auguſti, principūq. virorū aſſentā-
tor eum ſub Ariſtippi perſona remordet, tāquam
inconcinniorē ineptioremq. quàm qui regibus vti
noſſet, eiſq conuiuere. *verba probes.* profeſſionem,
dictaq. laudes. *facta.* viuēdi inſtitutū, vitam ipſam
moreſq. *audi.* ab vſu rerū, & experiētia meritò ſibi
vendicat Horatius auctoritatem docendi Scæuam
ſe iuniorē. *mordacem Cynicum.* mordere canis eſt,
qualis ex profeſſo Diogenes erat κυνικός, dictus
ἀπὸ τοῦ κυνὸς, κυνὸς, id eſt, caninus à cane, quòd canis
inſtar mordebat, id eſt, amarè reprehendebat ma-
los: allatrabat autem ſolùm eos qui non dabāt, hoc
eſt facetiis iocíſq. cum eis agebat. legito eius vitā
apud Diogenem Laërt. in Philoſophorum vitis,
nec non & Ariſtippi. *ſic illudebat.* his verbis irride-
bat. *ſcurror ego ipſe.* putato Diogenē momordiſſe
Ariſtippū, quòd ἐν τῷ συγκυρεῖν, id eſt, in aſſectādis
regibus, riſum captaſſet: ego, inquit Ariſtippus,
ſcurram ago, id eſt, facetiis vrbaniſq. dictis, regibus
quidē riſum moueo, ſed mihi, id eſt, in rem & vti-
litatem meam: tu quoque populo ſcurraris, non vt
hinc aliquid tibi accedat cōmodi, ſed ad gratiam,
& populi plauſum. Scurra autem dictus eſt ἀπὸ τοῦ
συγκυρεῖν, vt doctiſſimè notauit Ioſeph. Scaliger;
aut σκυρεῖν, quod eſt ſe inſinuare, aſſectari, applau-
dere ad gratiā. Hinc ſcurra, duplicata r littera, qui
dicitur quoque gloſſario δρακτὸς ſeu δίρκτος, ἀπὸ
τοῦ δρακίζειν, ſeu δίρκιζειν ἢ δέρκειν, id eſt, intētis ocu-
lis obſeruare, quod eſt ſcurrarū, vt ſint ad nutū pa-
rati. Quin & κοπρίας olim ſcurra nominatus eſt, à
vilitate dictorum perſonæq. παρὰ τοῦ κοπρίζω, id eſt,
ſtercoro: hinc ἀνὴρ κόπρειος, id eſt, vilis homo, ex
media plebe, ſtercorarius, κηπουρός, olitor; Sueto-
nius in Claudio cap. 8. interdum ferula, flagróve
velut per ludum excitabatur à copreis, vbi vulgati
codices habent tropeis, ſed ineptè. Prĕterea in Ti-
berio cap. 61. interrogatum eum (virum conſula-
rem) ſubitò & clarè, à quodam nano aſtante mēſę
inter copreas, cur Paconius maieſtatis reus tamdiu
viueret, ſtatim quidem petulantiam linguę obiur-
gaſſe, &c. vbi vulgò legitur Capreas. *rectius hoc.* ſi-
bi ſcurrari, quàm populo. *ſplendidius multò eſt.* hic
omnes ſcripti habent interpūctionem, perinde ac
ſi hæc; *equus vt me portet, alat rex, officiū facio,* ſint
eis coniungēda: ſed neſcio an rectius iſta, *equus vt
me p. a. r.* prioribus adhæreant, ad declarandū ſplē-
dorem in equo & victu regio. inſuper, *officium fa-
cio,* videtur facere ad ſequentia, in hanc ſententiā:
Ego mihi quidem ſcurrādo officium meum regi-
bus facio à, quibus tacendo pudēter accipio mune-
ra magnifica; ſed tu ſcurrando poſcis vilia, &c. *ve-
rum dante minor.* hic locus variè legitur. 4. Bland.
cod. Buſl. Nan. Sil. verum dante minor. Mart. ha-
bet rerum. Diu. rerum es dante m. vulgati habent,
verum es dante m. ego certè ſubſequor cōſenſum
plurium cod. ſcriptor. atque ſic ordino, Tu ô Cy-
nice, quamuis fers te nullius nec rei nec perſonæ
egentem; verumtamen, dante minor, id eſt, impo-
tentior, & pauperior eo qui tibi dat, poſcis impu-
denter vilia dona, non ſplendida, nec regia: atque
hoc modo docet Ariſtippus vtrumque ſcurrari do-
na, ſe quidem tacendo humanius, Diogenem ve-
rò poſcendo impudentius, arrogantiúſque, vt qui
opulentior ceteris, potentiorque hominibus im-
perare ſe diceret, cùm tamen reipſa poſcendo acci-
piendoque ſe pauperem declararet egenumque.
Diſpiciat lector peritus. Lambinus ex ſcriptis le-
gendum cenſet, vilia rerum. cui non aſſentior.
Diu. cod. & Buſl. habent, tu paſcis vilia; quod non
diſpliceret, pro comedis; niſi obſtaret τὸ dante.
quid ſi τὸ vilia per antimeriam interpretemur vi-
liter, eò quòd dicit, officium facio, quod ex oppo-
ſito pugnat cum τῷ poſcis? *minor.* impotentior,
pauperior, vt ſuprà τὸ maior, potentior, ditior.
omnis Ariſtippum. laus Ariſtippi à commodis mo-
ribus, qui natus, factus, promtus fuit ad omnia:
cuiuſcemodi ſolemus appellare omnium hora-
rum homines: de quo Diogen. Laërt. ἦν δὲ ἱκανὸς
ἁρμόσασθαι καὶ τόπῳ, καὶ χρόνῳ, καὶ προσώπῳ· καὶ
πᾶσαν περίστασιν ἁρμοδίως ὑποκρίνασθαι, id eſt, po-
terat autem ſeſe accommodare & loco, & tempo-
ri, & perſonæ, omnemque vitæ ſtatum commodè
imitari, atque exprimere. *color.* amictus, & indu-
mentum quodcumque. *ſtatus.* condicio vitæ quæ-
uis *res.* pecunia, tenuitas, vt qui captans maiora, ſi
ſua ſpe excideret, ſuis contentus, ſecum viuebat.
duplici panno patiens. deſcriptio Cynici ex habitu.
duplici. diploide, id eſt, lato pallio quod in humerū
reiectum duplicatur; vel duplici pāno, hoc eſt, pal-
lio, &

lio, & tunica, quod indumenti genus erat pauperiorum. *patientia.* Cynici ex profeſſo patientes erant & liberi. *via ſi conuerſa.* non magis quàm felem crocoton, vt fertur: nimis enim durum eſt, ex profeſſo aſſueta relinquere. *perſonam vtramq.* iuxta dictum Socratis, aptus erat Ariſtippi vitæ modus, βίος ἁρμόσων ἀλωπέστερος. *alter Mileti textam.* hoc eſt, Mileſiam chlamydem, pro veſtitu delicatiore. hinc Mileſij εὐειμονέστεροι dicti ſunt Maximo Tyrio, id eſt, in habitu molliſſimi. εὐείμονες namque dicuntur bene & eleganter veſtiti, quibus opponuntur οἱ ῥάκια ἀμφιεσμένοι, id eſt, vilibus pannis induti, vt Cynici. vide Adag. domi Mileſia. *cane peius & angue.* vide Chiliad. *chlamydem.* vide num legendum ſit *chlanidem*: erat enim χλανὶς χλανιδ & veſtimentum admodum molle & delicatum, ἱμάτιον λεπτὸν Polluci. *morietur frigore.* perfacetus locus in Cynicum: frigus enim hic tam ad animum, pro ſtupore, metu, ineptiis, quàm ad corpus pertinet. *res gerere & captos.* quandoquidē ſuprà conceſſit Epicureis non omnino infelicis eos eſſe qui latēdo vixerunt; hic ex opinione Stoicorum demonſtrat eos eſſe feliciſſimos, & ad deos accedere proximos, qui reipubl. adminiſtrandæ totos ſe deuouent, fortitudineque patriam tutantur. *principibus placuiſſe viris.* hoc eſt, quia non omnibus datum eſt, ad rerum gerendarum gloriam immortalem peruenire; ſaltem eos laudare, aſſectari, eis placere & applaudere ob beneficia in Rēpubl. collata, quis neget in laude ponendum? verum vt *non cuiuis homini conting.* &c. ita non cuiuſuis eſt principibus viris placere, non ignaui, non deſidis, non timidi, ſed agentis fortiter, & quoſuis labores ſubeuntis virique ſapientis. *non cuiuis homini.* videto Chiliad. Eraſ. *ſedit.* latuit ignauus. notat Epicureos, qui puſillanimitate potius à rebus gerendis, regibusque probandis abſtinuerunt, quàm veris philoſophiæ præceptis. Nec non Cynicos improbitatis arguit qui reges impudenter dona poſcere potius quàm officiosè maluerunt accipere, in vitio ponentes omnem vrbanitatem. *esto.* concedit Epicureis ſuum viuendi modum à turba remotū, ſed ea lege ne inſultēt in virtutem Stoicam, quam nomen aiebant inane. iccirco eos interrogat, quid? qui peruenit Corinthum, hoc eſt, qui aſſecutus eſt fauorē principum virorū, ſtudio, labore, cura, ſollicitudine, fortiter agendo cenſes eum nulla laude dignum, ſed vitioſum & turpem? *atqui hic eſt aut.* infert per ſubiectionē, gloriam & honorem eſſe in agendo fortiter, contra Epicureos, qui cuncta dicunt ad voluptatē referenda quę facimus. *hic onus.* timet deſperatione quadā ſubire labores cum potentioribus viuendi. *vt paruis animis.* cauſa timoris à puſillanimitate & ignauia. *aut virtus nomen.* hoc eſt, aut fruſtra ſudatur in vita humana virtusque colitur, aut vir prudens rerumq. expertus iure laudatur, & debitis honoribus afficitur. *virtus nomen ina.* videto epiſt. 6. ad Numicium. *coram rege ſuo.* docuit vitam humanam in vſu rerum, cōuerſatioñeque & virtutis actione, ea longè præſtātiorem eſſe quæ eſt in otio ſeceſſuque & voluptate. nunc reuertitur ad id quod initio propoſuit, nimirum quopacto deceat vti potentioribus, oſtendens egenos à patronis ſuis Ariſtippi more tacēdo ſuumque officium faciēdo plus accipere, multoq. eis eſſe gratiores, quàm qui poſcunt impudenter: quod vernacula ſententia confirmat, ſchameltk gheſten cn half ghebeden. *coram rege ſuo.* hoc eſt, patrono & amico ſuo potentiore. *de pauper. tac.* nō conquerentes de ſua tenuitate, & inopia. *pudenter.* tacendo. *rapias.* dare imperes poſcendo. *atqui rerum caput.* hoc eſt, ſumma totius rei de qua agimus, quam docemus, eſt vt cum ditioribus amicis, patroniſque vnde commoda multa ſperamus, decenter verſemur: quod fiet pudenter ſumendo dona, non etiam poſcendo; qua gratia Horatius à Mæcenate ſe laudatum ſcribit epiſt. 7. ſæpe verecundum laudaſti; rexque paterque audiſti coram, nec verbo parcius abſens, &c. *indotata mihi ſoror eſt.* prius thema poſcentis impudēter, ob inopiā, & onera propinquorū, per inſinuationem: non enim apertè poſcit, ſed egeſtatis cōmemoratio, tacita petitio eſt. *nec vendibilis.* non facilè vendi poteſt. *firmus.* propter frugū prouentum incertum, quo nō rarò fruſtrantur cultores. *qui dicit.* qui ſic queritur de ſua paupertate, perinde eſt ac ſi apertè dicat, dato alimentū. *ſuccinit alter.* alter cliens, vbi hoc intellexit ex concliente qui in ſe domini promiſſam liberalitatē miſer celare nō potuit (vt eſt eiuſmodi mēdicorum genus futile & iactabundū) protinus accurrit, oſtenſaque ſua calamitate dominoq. moleſtus promiſſi dimidiatū impetrat. *quadra.* Tonſ. cod. habet quadrās: quod nummi genus erat apud Romanos. hinc quadrans ratitus, cui ratis erat impreſſa. Alij omnes ſcripti habent, quadra. Romani autem quadras nominabāt panes quadratos. hinc vulgo dici videtur, quadra propria viuere. & illud Iuuen. Saty. 5. Vt bona ſumma putes aliena viuere quadra. Athenæ. lib. 3. de panibus: βλωμιαίους τε ἄρτους ὀνομάζεσθαι λέγει, τοὺς ἔχοντας ἐντομάς, οὓς ῥωμαῖοι κοδράτους (vbi κοδράτεος, ponitur ineptè) λέγουσι, id eſt, Blomilios panes nominari dicit, qui inſcidi poſſunt ſeu diuidi, quos Romani quadratos appellant. Heſiod. in Oper. & dieb. ἄρτον δειπνήσας τετράτρυφον ὀκτάβλωμον. id eſt, panem quadrifidum cœnatus morſibus octo. *ſed tacitus paſci.* hæc corui crocitatio ſuo clamore arceſſentis alios coruos ad nactam prædam, mihi perſuadet, ſeruum

ſeruum ſeu clientem non conqueſtum domino de ſua paupertate in præſentia conſerui, ſed ſua garrulitate, ei prodidiſſe, quæ ſibi damno fuit, & inuidiæ. *Brundiſium comes.* poſterius thema poſcētis inuerecundè, idque non ſine turpi mendacio, conquerentis itineris moleſtias, & aëris iniurias, ſurreptamq́. ſibi pecuniam ad viaticum, quo plus ſcilicet à patrono accipiat. *catellam.* catellæ, monilia ſunt muliebria, *χλαινίτες.* *periſcelides.* feminalia, tibialia, virginum ornamenta cruri alligata. *veruq́; doloribus.* ſic Perſ. verum nec nocte paratum plorabit qui me volet incuruaſſe querela. interrogatus Ariſtoteles, quid boni conſequerentur qui mentiri gaudent, vt cùm vera dixerint eis non credatur, inquit. *irriſus.* qui in triuiis illuſus fuit. *attollere.* erigere in pedes. *fracto.* læſo grauiter, mutilato. *planum.* πλάνον. eſt enim πλάνος vox merè Græca, pro impoſtore, errone, inſigni prædito verſutia, qualeis apud Athen. lib. 14. fuerunt Cephiſodorus, & Pantaleo, & Matras apud Alexandriam (vt idem teſtatur) qui huiuſmodi proponebat Aenigma, ſe feram quandam apud ſe nutrire, quæ ſemetipſam ederet. *mânet.* emânet, lacrymetur affatim. *Oſirim.* hic Herodoto lib. 2. Bacchus eſt. apud Thebęos per Oſirim iurare erat ſacroſanctum, vt & Athenienſibus Græcorum ſolis per Iſidem. *tollite claudum.* legito in Chiliad. tollat te qui non nouit.

EPISTOLA XVIII.

AD LOLLIVM. 2.

SI bene te noui, metues, liberrime Lolli
Scurrantis ſpeciem præbere profeſſus amicum.
Vt matrona meretrici diſpar erit, atque
Diſcolor: infido ſcurræ diſtabit amicus.
Eſt huic diuerſum vitio vitium propè maius:
Aſperitas agreſtis, & inconcinna grauisq́;:
Quæ ſe commendat tonſa cute, dentibus atris,
Dum vult libertas mera dici, veraq́; virtus.
VIRTVS eſt medium vitiorum, & vtrimque reductum.
Alter in obſequium plus æquo pronus, & imi
Deriſor lecti, ſic nutum diuitis horret,
Sic iterat voces, & verba cadentia tollit,
Vt puerum ſæuo credas dictata magiſtro
Reddere: vel partes mimum tractare ſecundas.
Alter rixatur de lana ſæpe caprina
Propugnat nugis armatus: ſcilicet, vt non
Sit mihi prima fides: &, verè quod placet, vt non
Acriter elatrem: pretium ætas altera ſordet.
Ambigitur, quid enim? Caſtor ſciat an Dolichos plus.
Brundiſium Minuti melius via ducat an Appi.
Quem damnoſa Venus, quē præceps alea nudat:
Gloria quem ſupra vireis & veſtit, & vngit:
Quem tenet argenti ſitis importuna fameſq́;:
Quem paupertatis pudor, & fuga: diues amicus
Sæpe decem vitiis inſtructior odit, & horret.
Aut, ſi non odit, regit: ac, veluti pia mater,
Plus, quàm ſe, ſapere, & virtutibus eſſe priorem
Vult: & ait propè vera. mea, contendere noli,
Stultitiam patiuntur opes: tibi paruula res eſt.
Arcta decet ſanum comitem toga. deſine mecum
Certare. Eutrapelus cuicumque nocere volebat:
Veſtimenta dabat pretioſa: beatus enim iam
Cum pulchris tunicis ſumet noua conſilia: exſpes
Dormiet in lucem, ſcorto poſtponet honeſtum
Officium, nummos alienos paſcet: ad imum
Thrax erit, aut holitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu ſcrutaberis vllius vnquam:
Commiſſumq́; teges & vino tortus, & ira.
Nec tua laudabis ſtudia, aut aliena reprendes:
Nec, cùm venari volet ille, poëmata panges.
Gratia ſic fratrum geminorum Amphionis, atque
Zeti diſſiluit: donec ſuſpecta ſeuero
Conticuit lyra fraternis ceſſiſſe putatur
Moribus Amphion. tu cede potentis amici
Lenibus imperiis: quotieſq́; educet in agros
Aetolis onerata plagis iumenta, caneiſq́;:
Surge: & inhumanæ ſenium depone camœnæ:
Cœnes vt pariter pulmenta laboribus emta:
Romanis ſollemne viris opus, vtile famæ,
Vitæq́; & membris: præſertim cùm valeas, &
Vel curſu ſuperare canem, vel viribus aprum
Poſſis. adde, virilia quòd ſpecioſius arma
Non eſt qui tractet: ſcis quo clamore coronæ
Prœlia ſuſtineas campeſtria. denique ſæuam
Militiam puer, & Cantabrica bella tuliſti
Sub duce, qui templis Parthorum ſigna refigit
Nunc: & ſi quid abeſt Italis adiudicat armis.
Ac, ne te retrahas, & inexcuſabilis abſis:
Quamuis nil extra numerum feciſſe, modumq́;
Curas: interdum nugaris rure paterno:

Partitur lintreis exercitus: Actia pugna
Te duce per pueros hoſtili more refertur:
Aduerſarius eſt frater: lacus, Adria: donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
Fautor vtroq; tuum laudabit pollice ludum.
Protinus vt moneam (ſiquid monitoris eges tu:)
Quid de quoq; viro, & cui dicas, ſæpe videto.
Percunctatorem fugito: nam garrulus idem eſt:
Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures:
Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.
Non ancilla tuum iecur vlceret vlla, puérve
Inter marmoreum venerandi limen amici:
Ne dominus pueri pulchri, caræve puellæ:
Munere te paruo beet: aut incommodus angat.
Qualem cõmendes, etiã atq; etiã aſpice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quondam non dignũ tradimus. ergo
Quem ſua culpa premet deceptus omitte tueri
Vt penitus notum: ſi tentent crimina, ſerues
Tuteríſq; tuo fidentem præſidio: qui
Dente Theonino cum circũroditur: ecquid
Ad te pòſt paullò ventura pericula ſentis?
Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet:
Et neglecta ſolent incendia ſumere vireis.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. tu, dum tua nauis in alto eſt,
Hoc age, ne mutata retrorſum te ferat aura.
Oderunt hilarem triſtes, triſtemq; iocoſi:
Sedatum celeres: agilem gnauumq; remiſſi:
Potores bibuli media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula: quamuis
Nocturnos iures te formidare tepores.
Deme ſupercilio nubem. plerumq; modeſtus
Occupat obſcuri ſpeciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges, & percunctabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter æuum:
Ne te ſemper inops agitet vexetq; cupido,
Ne pauor, & rerum mediocriter vtilium ſpes:
Virtutem doctrina paret, naturáne donet:
Quid minuat curas: quid te tibi reddat amicũ:
Quid purè tranquillet: honos, an dulce lucellum:
An ſecretum iter, & fallentis ſemita vitæ.
Me quoties reficit gelidus Digentia riuus,
Quem Mandela bibit rugoſus frigore pagus:
Quid ſentire putas? quid credis amice precari?
Sit mihi quod nunc eſt, etiam minus: & mihi viuam,
Quod ſupereſt æui, ſi quid ſupereſſe volunt dij:
Sit bona librorum, & prouiſæ frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ.
Sed ſatis eſt orare Iouem, qui donat & aufert:
Det vitam, det opes: æquum mi animum ipſe parabo.

COMMENTATOR.

S I *bene te noui metues liberr. Lolli*. Præcipitur in hac epiſtola, fugiendum eſſe vitium adulationis, & contrà, nimiæ duritiei. Quare qui adulationi non vult ſeruire, videat ne in peius vitium incidat, ſed inter vtrumq. medium tenorem ſeruet, ſcilicet, vt quiſque ſuo amico neque adulator exiſtat, neque amaritudine animi increpando eu caſtiget. *liberrime*. ô nobiliſſime. *Lolli*. hic Lollius etiam ad conſulatum peruenit merito virtutis & beneficio Cæſaris anno vrb. 731. *ſcurrantis*. turpiter adulantis. *præbere te. amicum*. grauitate beniuolum dignitatéque. *vt*. quẽadmodum *diſpar*. diſſimilis. *infido ſcurra*. ſupp. ita. hoc eſt, quanta differentia debet eſſe inter matronam nobilem & meretricem, tanta debet eſſe inter amicum, & infidũ ſcurrã, ita vt amicus ſimpliciter diligatur, & ſcurra contemnatur. *infido ſcurra*. hoc eſt, ei qui amicitiam ſimulat in proſperis, & in aduerſis deſerit. *eſt huic*. adulationi. *prope maius*. hoc eſt, aſſentatio nimia, & ſcurrilitas in amico vitioſa eſt, ſed aſperitas penè grauior eſt, & peior priore. *aſperitas agreſt*. Quidã, inquit, fugientes vitium adulationis, in peius incidunt, ſcilicet in vitium hominis inconcinni, & incompoſiti, feri, & aſperi quaſi agreſtis: ſunt enim qui quaſi virtute ſua liberrima, & pura confidentes, circa amicos ſuos ſeueri, & aſperi apparent dum eos caſtigare volunt, adeò vt ipſa cutis nimia ſeueritate ita tonſa videatur & aſpera, quaſi capillos habuerit, & atri quoq. ſint dentes. *grauis*. ſeuera & ſocialis. *tonſa cute*. quæ tam aſpera eſt vt barba tonſa, qua ſe cõmendari volunt ac ſi ſeueri eſſent. *dentibus*. ſup. &. *libertas*. ſcilicet illa aſperitas agreſtis. *mera*. pura. *veráque virtus*. veræ virtutis eſt ita in amicitia ſtare, vt neq; aduleris, neq; aſper ſis, ſed ab vtroq. ſemotus. *vtrimq;* ab vtraque parte, adulatione ſcilicet, & aſperitate in amicitia. *reductũ*. remotũ, abſolutè poſitũ. hæc eſt definitio virtutis, quæ ita debet inter cõtraria vitia eſſe poſita, vt ab vtriſque

ſit remota: ideo amicitia nec nimium adulationi deſeruiat, nec auſteritati. *imi deriſ. lecti.* eius qui in ima parte lecti decumbit. *horret.* horrere ſe fingit. *iterat voces.* id quod leniter dictu eſt repetens laudat. vtrum diuité laudando verba eius repetit, an eas voces ſæpe repetit quibus eum laudat? *cadentia.* excidentia, & temere prolata ſuſcipit pro mirandis. *vel.* ſup. credas. *mimum.* hiſtrionē, ioculatorem. *ſecundas.* primæ partes ſunt dictatoris, ſecūdæ mimi, qui refert dicta priori. *alter rixatus.* aliud vitiū inducit, ſcilicet aſperi hominis, cui oſtendit definitionē virtutis non cōuenire. *de lana capr.* prouerbiū, hoc eſt, de re vili, & pæne nulla; de nihilo, quia capræ nulla eſt lana, ſed pili. ordo eſt, alter rixatus de lana caprina, ſæpe propugnat nugis armatus. *nugis.* inutilibus argumentis, λόγοις. *ſcilicet vt non ſit.* verba aſperi hominis rixantis. *elatrem.* liberè dicam. *pretium ætas alt.* hoc eſt, altera vita non eſt tanti vt taceam quod cenſeo. *ſordet.* eſt deſpectui. *ambigitur.* certamen eſt. *quid enim?* qua de re? *Caſtor ſciat.* hoc eſt, agitur de gladiatoribus, aut de Pantomimis, vtri ſint ſcientiores. Caſtor & Docilis erāt illius temporis nobiles gladiatores. *melius via.* ſupp. an. de hac re certamen & contentio, an via Minutij melius ducat Brundiſium an Appij. *Appi.* pro Appij. *quem dānoſa Ven.* amor Veneris. *gloria quem ſup.* gloriæ cupidū. *ſupra vires.* quē plus æquo delectat gloria. *pudor.* ſup. tenet, *ἀπὸ κοινοῦ. decem vit.* multis. *inſtructior.* ad peccandum. *odit.* minorē amicū. adeò aliena inuitus patitur, vt nec ſua vitia alteri indulgeat. *regit.* moderatur, caſtigat, & vult emēdare, cùm ipſe ſit peior. *pluſquam ſe.* ipſam. *virtutibus.* ſup. in. *Vult.* puerum tuum. *& ait prop.* ſup. diues amicus, ad amicū pauperem *mea (contendere noli.)* verba monentis diuitis. ordo eſt, meq; opes ſtultitiam patiuntur. hoc autem contendere noli, per parentheſim eſt inſertum. *ſtultitiam pat. op.* quibus cōpenſo ſtultitiam meam. *arta decet.* modica. habebant enim antiqui patres pro qualitate opum togas, quæ erant bis ter, id eſt, ſex vlnarum. vel quinque. *ſanum comitem.* mentis compotem. *deſine mecum.* noli imitari mea vitia. *Eutrapelus.* Iterum Horatius loquitur. Eutrapelus dicitur fuiſſe illis temporibus locuples, cui hoc epitheton impoſitum dicitur, quoniam ſolebat inter vendēdum non inurbanè iocari, aut in perſonas vilium hominū, aut in ſcruta ipſa; nocebat autem liberalitate, vt refert Horatius. *beatus enim iā.* hęc cogitabat Eutrapelus, cū daret aliquid inimico, quòd ſibi beatus videretur, ſciens cum habitu, ſtultis animū mutari. hæc autē omnia ad ſuaſionē dicuntur *& ſpes.* nouas. *dormiet.* ſicut nobilis. *in lucem.* ſup. vſq;. *ſcorto poſtp. hon.* hoc eſt, ſcortum erit ei carius, quàm honeſtū officiū. *paſcet.* fœnerabitur ſic viuris ſuis. *ad imum.* ad extremum. *Thrax erit.* hoc eſt, tā pauper erit vt Thrax. auctorabitur ſe in ludū vēdit gladiatorietiam, nō mirm. illo ſecutor. *holitoris aget.* erit hortulanus. holitores dicuntur holeru venditores. *neq; tu.* ô Lolli. *commiſſumq; teges.* id eſt, ab amico tibi diuiti debes celare. *vino tortus et ira.* potuſectus. ebrij enim multa ſecreta pandunt. *aliena.* ſtudia. *nec cùm venari.* vnde eſt illud Saluſt. nā idem velle ac idem nolle, ea demū firma eſt amicitia. *poëmata p.* ſed abis cum eo venatum. *gratia ſic fr.* amicitia dum alteruter ſuū ſtudium ſequitur. *Amphionis atq;.* Amphion, & Zethus, Iouis, & Antiopæ filij, diuerſi ſtudij fuere. Amphion enim cithara canebat, Zethus autē paſtoris fungebatur officio: propter hāc viri diuerſitatē tā diu diſſidebant, donec Amphion diſcordiæ vitādę cauſa citharā omitteret. *ſuſpecta.* odioſa indignāti Zetho, quia ruſticus fuit, & ideo dicit ſeuero. *lyra.* Amphionis. *tu.* ô Lolli. *cede.* da locū. *educet.* venatu. *Ætolis.* Gręcis. Meleager Oenei regis Calidonię filius venādi ſtudioſus fuit, vnde Calidonius aper. ergo Aetolis, id eſt, amplis, & validis. *plagis.* laqueis, retibus. *ſurge.* progredere cum illo. *inhumanæ Camœnæ.* quæ nō paſcet te, quę victu non adferet. *parit. labor. emta.* quæ venādo capta ſunt. *Romanis.* venādi ſtudiū Romanis vult fuiſſe propriu. *ſollemne.* cōſuetum. *opus.* venandi. *præſertim cum val.* maximè cùm ſanus ſis. admonet autem Lollium virtutis, ſub ſpecie venationis. *&.* ſupp. cum. *ſpecioſius.* quàm tu Lolli. *ſcis.* ô Lolli. *quo clamore cor.* vide quo modo in campo Martio cum clamore circumſtantiū ludis. his autem virtutem Lollij laudare contendit. *ſuſtineas.* exerceas. *campeſtria.* in campo Martio. *Cantabrica b. tul. ſ. duce.* Auguſto Cæſare, de quo in odis, Seruit Hiſpanæ vetus hoſtis oræ Cantaber ſ. d. c. *Parthorum ſig.* ſigna Romana, quæ Craſſus amiſerat, Perſæ ad Auguſtū per Tiberium remiſerunt iam victi. *abeſt.* imperio Romano. *adiudicat.* adiūgit. *ac ne te retrahas.* ἐπὶ τῶν ἑπομένων ſubſequentis ludi in villa paterna. *te retrahas.* amicitiæ amici tui. *extra numerū.* ſapientiæ. *modumq;* menſuram *interdum.* ſup. tamē. *rure paterno.* in villa patris tui. ſenſus eſt, quāuis ſapiens ſis, & omnia moderatè, ſapienterque facias, tamen aliquoties ludus propius ſimulandus eſt, vt amico ſatisfiat, ne ſine excuſatione abſis. *partitur.* iocando ſcilicet, vel imitando verum factum, rem geſtam. *lintres.* naueis. *exercitus.* puerorum. *Actia pugna.* naualem pugnam apud Actium promontorium, quam geſſit Auguſtus cum Antonio, imitaris. *hoſtili more.* imitando rem geſtam. *refertur.* exprimitur. *aduerſarius eſt.* hęc omnia potes ioco imitari. *frater* tuus,

tutus, vt fingit, eſt tibi. *Hadria.* mare Hadriaticũ, in quo pugnabát Cæſar, & Antonius. *conſentire.* obſequi, vt eorũ obſequi ſtudiis, aduerſum nemini. *vtroq; poll.* Synecdochicôs, manu vtrâq; ſublata, pariterq. ęprius mota: hoc enim genus eſt valde laudãtiũ. *quid de quoq; v.* mira ſentẽtia. ac, vt verius dicã, magnũ præceptum. *videto.* caueto *percunctatorem.* tuorum ſecretorum. *garrulus.* quia protinus prodet. *patula* ſemper patentes ad audiendum. *non ancilla.* monet quãdo in domo amici erit, ne amet puerum eius aut puellã, ne fortè captus eius amore pandat ſua ſecreta. *vlceret.* amore vrat. *intra marmoreum.* in palatio diuitis amici. *dominus.* amicus tuus diues. *munere te paruo.* dans tibi puerum aut puellam, cum deberes longè maiora accipere. aut munus paruum vocat Venerem. *angat.* cruciet, cũ non vult dare quod poſcis. aut ſi tibi nõ faciat adamatæ puellæ poteſtatem. *qualem commendes.* laudare velis. pręclarum pręceptũ, quãdo, inquit, aliquem vis alicui tradere amico, vide ne commendes temerè, ne eius peccatum te efficiat verecundũ. *aſpice.* cognoſce diligenter & cõſidera eius mores. *incutiant.* cõmoueãt. *pudorem.* verecundiã. *fallimur.* decipimur humano more. *non dignum.* indignũ laude. ſenſus eſt, quem laudaueris ſemel, & eius culpa deceptus fueris, noli illum laudare amplius. *tradimus* cõmendamus. *deceptus.* tu. *tueri.* defendere. *vt penitus notũ.* hoc eſt, non debes aliquẽ tibi ignotum ita tueri, ſicut amicũ tibi, & familiarẽ. *tentent.* intẽtent. *tuteris.* eum amicum quẽ videris à malo homine vexari. *dente Theonino.* dente mordaci. Luthienus Theõ, libertinus, dicacitatis amaritudine, præter ceteros, ita patronũ ſuum exaſperauit, vt domo eius ſummoueretur, & quaternario legato iuberetur reſtẽ ſibi palumq; emere. per hunc ergo maledici & detractores intelliguntur. *ecquid.* nũquid. ſenſus eſt, noli ceſſare, quin defendas amicum tuũ; nam paullò pòſt idem vbi euenerit tibi, te viciſſim defendet: nã cùm proximus vicini tui paries ardet, quid reſtat, niſi vt tuus etiã incendatur? eſt autẽ honeſta allegoria demonſtrans vicinorũ periculũ noſtrum eſſe. *ſumere vireis.* vt tranſeant ad proximorũ ędificia. *dulcis.* ſup. eſt. *inexpertis.* hominibus qui nõ ſunt experti. *expertus.* aliquis potentẽ amicum. *tu dum tua.* hoc eſt, tu qui cœpiſti, vide ne amicos offendas, & ingratus fias. quo argumẽto oſtendit, aut non ſuſcipiendas potentiorũ amicitias, aut ſuſceptis obtemperandũ. *tu.* ô Lolli. *dum tua nauis in alto eſt.* hoc eſt, dũ nauigas altum mare. eſt autem hic nauigare, eſſe in amicitia potentis amici, cui eſt obſequendũ. *hoc age.* perſeuera, nauiga, id eſt, obſequere. *mutata retrorſum.* ne amittas partam amicitiã, allegoricôs. nã diuites, vt aura, ſunt mutabiles. *oderunt hil.* præcepta quibus cauẽdum ne potentiores amici offendantur. *iocoſi.* lęti. *ſedatũ.* lentum, tardum *nauumq;* ſtrẽnuum. *remiſſi.* pigri. *oderunt.* potulenti. *negantem.* renuentem, ſumere nolentem. *tepores.* vomitus, aut tepores vini. *deme ſupercilio* hoc eſt, ô Lolli, deſine ſeuerus eſſe. *acerbi.* crudelis. *leges.* deliges, & percunctaberis ab his. *qua ratione.* quia ſæpe per ignorantiã vitioſi ſumus. *leniter.* ſine moleſtia. *cupido.* habẽdi auiditas. *num.* numquid *pauor.* amittendi *mediocriter.* cũ mediocritate, & modo. hoc eſt, nõ poteſt vllo modo fieri, vt cupido ſupra modũ habendi, & mediocritas vtiliũ rerum poſſint regnare ſimul? *virtutẽ doct.* interrogatio hoc eſt, vtrum doctrina ſapiamus, an natura? *tibi reddat.* vt alibi, mihi me reddentis agelli. *quid purè.* quid verè te delectet, & tranquillam vitam reddat? *honos an dul.* quę vulgò animũ trãquillare creduntur. *lucellum.* ὑποκερδάλιον. paruũ lucrum. *fallentis.* λαθόντες, latentis. *ſemita.* philoſophia. *me quoties.* hoc eſt, quoties in meo agro ſum Sabino. *Digẽtia riuus.* epexegeſis. Digentia, nomen proprium riui. *Mandela bibit.* pagus eſt in Sabinis, & nõ pagus bibit, ſed qui in pago habitant. *rugoſus* quia contractos facit. *precari.* ô Lolli, quid putas me deos aliud precari, dum viuo in rure meo, niſi hoc quod te hortor; videlicet, doctrinã, virtutem, imminutionem curarum, & veram delectationẽ. *quod nũc eſt.* ſatis ſit quod habeo. *ſpes bona lib.* notandum quòd ſtudio ſolito, librorũ copiam prius, quàm frugis, fructuúmq. precatus eſt. *neu fluitem dub.* hoc eſt, ne animus dubia ſpe vitæ ſit inſatiabilis. *ſed ſatis eſt ora.* hæc, inquit, à Ioue petam, quæ mihi præſtare non poſſum, ſcilicet vitã, & opes. ceterùm vt æquum animũ habeam, in mea magis eſt poteſtate.

CRVQVIVS.

SI *bene te noui, metues lib. Lolli.* Eiuſdẽ ferè argumẽti eſt hęc cũ præcedẽte epiſtola, in qua Horatius dicto factóque probat Ariſtippi ſententiam, deteſtãs auſteritatẽ Diogenis nimis horridã, & vt Scæuã ibi monet comitatis erga potentiores amicos humanioriſq. officij, à quibus citius obſequẽdo quiduis impetres, quàm poſcẽdo turpiter: ita hic Lollium quoq; ruſtica libertate rudẽ, quaſi dedolare ſtudet, lenioreḿq. ſuis efficere, vt qui ſcurræ nomine cenſeret eos omneis qui familiariùs agerẽt cũ ſuis amicis, vrbaniúſque. hoc autem vt facit commodiſſimè ex virtutis definitione, quæ ſita eſt in mediocritate, ita & ſcurras quidẽ depingit ex effectis, vt qui plus ęquo ditioribus ſint obſequioſi, ad eorum nutum iure iniuria quiduis facientes. & non præterit amicos quoque intactos, qui nimis aſpera, planéq. agreſti libertate vtuntur in inferiores amicos, adeò vt in eorum gratiam ne vel latum quidem vnguem diſcederent

à ſemel auſteritatis opinione ſibi perſuaſa, ne ſi vita quidē morte ſit cōmutanda, quos in moribus, habitu, geſtúq. corporis vbi volunt eſſe irreprehenſibileis, ipſi vitiis infinitis inſtructiores ob diuitias ſe vulgò taleis neceſſe nec haberi poſſe credunt. Itaq. Lolliū vt liberet ab ea ſeueritatis illaudatæ ſpecie, præcepta tradit ex quibus cognoſcat, quomodo ſine vlla iuſta reprehēſione ſit cū amicis viuendū. Primùm vt fidei cōmiſſi tenax ſit. Deinde ne ſui plùs ſit quàm alieni ſtudioſus, ſed amicis ſe pro viribus accōmodet, eorū ſtudia ſectetur & approbet, nec ab iis, niſi cū eorū gratia, diſcedat lōgius aut diutius abſit: quē ſi credant ſemel ſuis animis obſequi, & cōſentire ſtudiis, futurum ait vt ipſius non ſeria modò, ſed & ludicra magno plauſu collaudent. Rurſum, ne in laudando vituperandóve ſine delectu apud quēuis ſit facilis, ſed percontatorē fugiat ob garrulitatē. prętereа ne in domo potētis amici quid amet, cuius fruendi copia, aut parui eſt, aut negata cruciat animū. Ne quem cōmendet temerè, aut tutari velit; amici quidem potentis obſequiū non graue videri inexpertis, ſed hoc formidare expertū: quare hoc iugū qui ſemel ſubiit, ſedulò curet ne excutiat temerè, ſed eius ingenio per omnia morem gerat, aut pretium feret ob ſtultitiam. Poſtremò Lollium hortatur vt ante omnia doctorum monumenta diligenter euoluat, ex quibus diſcat in vita quid ſequendum, quid fugiendum ſit ad animi tranquillitatem, vitámque beatam. *liberrime.* exorditur ab ingenio Lollij, liberi quidem; ſed ſuperlatiuus gradus plus indicat eum ad alterum vergere, quod in exceſſu eſt, extremum, quā ad eam libertatē quæ in medio virtus eſt, nimirū ad aſperitatem. *ſcurrantis.* qui gaudet alieno cibo. vide quæ notauimus epiſt. præcedente ad Scæuam. *prabere ſpeciem ſcurr.* agere ſcurram, ſuſcipere perſonam ſeu parteis turpis aſſentatoris. *profeſſus amicum.* ἐπαγγειλάμενος, id eſt, cū decreuiſti eſſe atque adeò iam factus es amicus alicui. *vt matrona.* argumentum à ſimili. de matrona vide Satyr. 2. lib. 1. *diſpar.* moribus, & ingenio. *diſcolor.* vultu, geſtúque. ἀντισθένης ἔλεγεν ὥσπερ τὰς ἑταίρας τἀγαθὰ πάντα εὔχεσθαι τοῖς ἐρασταῖς παρεῖναι πλὴν νοῦ καὶ φρονήσεως, οὕτω καὶ τοὺς κόλακας οἷς σύνεισι. id eſt, Antiſthenes (apud Stobæum) aiebat, vt meretrices bona omnia ſuis amatoribus optāt adeſſe, prętеr mentē & prudentiā, ita & adulatores, iis quibus cū agunt. *eſt huic diuerſum vit.* opponitur ex diametro ſcurrilitas aſperitati morū, vitiū vitio, extremum extremo; aſperitas enim culpat non culpanda, ſcurrilitas verò laudat non laudanda: at virtus eſt mediū vitiorū ex vtroq. extremo ad definitos gradus deſumtū, tēperamentóque certo compoſitū, quę laudat digna laude, & vituperanda reprobat: qualis eſt comitas in amicitia. *propè maius.* ſcurrari nāq. plauſibilius apparet, & aliquid prę ſe ferre humanitatis, ſed aſperū eſſe, minimè. *aſperitas agreſtis.* τραχύτης, ἢ σκληρότης ἄγροικος, in vultu, voce, alloquio, tota deniq. vita, & cōuerſatione fera quædā, & intolerabilis duritia. *quæ ſe cōmendat.* hæc ab omnibus enarratoribus referuntur ad corporis neglectū; quod mihi parū placet, nam opinor eum alludere ad illud Sophoclis in Aiace maſtigophoro, ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ: aſper enim putat ſe commendari tonſa cute. ὁ ξυρῶν ἐν χρῷ, id eſt, ad cutē vſq. radendo ſeu ad viuum reſecādo, ἀπτόμενος καὶ τῶν σαρκῶν, id eſt, etiā tangendo carnem, hoc eſt, nimis duriter amicum caſtigādo, ſic vt ab eius nomine & fama vix ſibi temperet. Sic Plaut. Captiu. Sed vtrum ſtrictim ne dicam attonſurum eſſe, an per pectinem, neſcio, verùm frugi eſt; vſque admutilabit probè. agit de hero cūcta exactius percontaturo, & velut ad cutē vſque raſuro. ad eum modū duri in amicos homines, arbitrantur ſe commendari tonſa cute, non ſua, ſed amici & dētibus atris, hoc eſt, agreſti mordacitate, & horrenda cōtentione ſæpe de re nihili, vt paullò pòſt oſtendit. ſic ode epodica 6. an ſi quis atro dente me petiuerit, inultus vt flebo puer? *virtus eſt medium vit.* ex hac virtutis deſcriptione manifeſtū eſt, neque ſcurrilitatē, nec aſperitatem ſub virtute cōtineri. *vtrimq; reductum.* tēperatis inter ſe cōtrariis extremis, vt vtri q. hinc inde decedat aliquid ad medij cōpoſitionem, qualis temperamenti ratio ad medios colores ex cōtrariis extremis, albo & nigro, peritis pictoribus ſatis eſt cognita. *imi deriſor lecti.* legito annotata Satyr. 4. lib. 1. & Sat. vlt. lib. 2. *ſic nutū diuitis.* hac de cauſa Crates τοὺς κόλακας φησὶ συγκαταπίνοντας φάγους, id eſt, adulatores nominauit coëpulones ad nutum. id enim genus hominis ad nutū diuitis paret, vt eius menſæ adſit & ſimul indulgeat genio, ſine vlla honeſti cura, omnium dictis annuens. *vel parteis mimum.* Aſconius Pedianus exponens illud Cic. in Verrem, Scilicet vt in actoribus Gręcis fieri videmus ſæpe illum qui eſt ſecundarum partiū, aut tertiarum, cùm poſſit aliquanto clarius dicere, quàm ipſe primarū, multum ſummittere, vt ille princeps quàm maximè excellat, &c. actoribus, inquit, Græcis palliatarū ſcilicet fabularum; in iis enim etiamſi Latinę ſunt, Græca omnia ſeruātur. Nam Latinę fabulæ per pauciores agebantur perſonas, vt Attellanæ togatæ, & huiuſmodi aliæ. Tū mox ſubdit, Comœdia quinque actus habet, hoc eſt, quinquies dicitur in ſcena. Eſt ergo perſona primarū partium, quæ ſæpius actu regreditur, ſecundarū & tertiarum, quæ minus, minúſq; procedit. Terent. primas parteis, inquit, qui aget, erit Phormio.

Phormio. expreſſit itaq. Horatius aſſentatoris geſtum, vocē, & horrorē, per puerū ſingultim dictata recitantē ob ſæuitiā ſui magiſtri, & mimū ſummiſſius ſubſequentē principem actorē. *alter rixatus*. locus hic in ſcriptis variè legitur, & non vno modo clauſulas habet interpunctas. Bland. antiquiſſ. ex quo Cōment. deſcripſimus habet, alter, rixatus de lana ſæpe caprina propugnat: nugis armatus ſcilicet. vbi ſupra ſcriptū eſt, nugis armatus, id eſt, inutilibus argumentis, verbis, λόγοις, lingua ſcilicet. Duo alij Bland. alter rixatur de lana ſæpe caprina propugnat nugis armatus. ſcilicet. quartus Bland. alter rixatus de lana ſæpe cap. propugnat nugis armatus. ſcilicet. Tonſ. al. rix. d. l. ſ. c. p. n. armatus ſcilicet. deligat lector peritus quā velit: mihi profectò lectio Comment. non diſplicet, etiamſi non ignorem ab eo diſſentire Lambinū, quod factum credo propter τὸ rixatus, quod nuſquā inueniſſet. *propugnat*. ϖρομάχεται, ſic propugnatorē, & velut anteſignanū in prima acie ſtatuit. *ſcilicet*. τὸ ſcilicet cū irriſione mihi videtur aptius adiungi τῷ armatus, quā ſequentibus. iudicet lector. *vt non ſit*. &c. hæc, eò vſque, *acriter elatrem*: in omnibus ferè ſcriptis cum interrogatione legūtur. *prima fi*. certa & indubitata, vt mihi ante alios omneis fides nō habeatur. *acriter elatrē*. his in verbis trāſlatitiis vide vehementiā aſperitatis agreſtis, quę optet potius nō viuere diutius, quā à ſententia diſcedere. *pretiū ætas alt*. ἐπιχειρηματικῶς. *ambigitur*. hic interpunctio eſt in Tonſ. Mart. & Sil. quæ lectio mihi vulgatæ præfertur; deinde cū interrogatione *quid enim*? ita vt τὸ enim, ſit expletiuū; quod multis in locis oſtēdi peculiare eſſe Horatio. *Caſtor ſciat*. hęc alia cōtentio eſt de re nihili. *an Dolichos plus*. ſic habēt tres codic. Mart. Tōſ. & Sil. quos ſecutus ſum. Dolichos autem fortaſſis gladiator aut pantomimus dictus eſt à ſtatura corporis procera. tres Bland. habēt, Dolicis. *Brundiſiū Minuti*. hic variāt omnes ſcripti. Diuę. Mart. Nan. cōſentiunt vulgatæ lectioni. 4. Blād. & Sil. habent Minuti. Buſl. Menuti. Tonſ. Munici. Equidē vulgatā mutaui, quia lectio Blād. codicū mihi probatur in primis. Nam ſi trigemina porta dicta quoq. ſit Minutia, à Minutij Augurini ſtatua, eius qui ad aſſem pretiū farris redegerat, vt ſcribit Plin. nō vno in loco, quid vetat viā quoq. per Sabinos Brūdiſiū Minutiā nominatā fuiſſe? nec aliter opinor Cic. epiſt. lib. 9. ad Attic. legendā, cuius exordium eſt, Natali die tuo, &c. ad Curtiū Minutia trāſiſſe, &c. ſed per t litterā, non etiā per c in vltimo. nec eſt cur Lābinus mediā longam formidet, quando doctis in vocibus eiuſmodi primæ & mediæ ſyllabæ ſint ferè cōmunes, vt omittā Siliū lib. 7. qui mediam corripit, Si factis nondū Minuti te cauta probare erudiit fortuna meis, nec ducere verba ad verum decus, ac prauis arcere valebunt, &c. verum enimuero iudicet lector doctus. *quę damnoſa Venus*. oſtēdit taſtū ditioris corruptiſſimis moribus præditi in errata pauperioris amici vel minima. *præceps alea*. quia vel momento depauperet luſorē. idcirco ait oda 1. lib. 2. periculoſæ plenum opus aleæ tractas. *gloria*. qui gloriæ cauſa ſupra quā facultates ferut, veſtiū curam, & vnguentorū gerit thymiamatūmq. *paupertatis pudor & fuga*. qui pudore paupertatis nihil nō facit, nullū diuiti officium nō præſtat, vt eā fugiat, honeſteq; viuat: qui re tenui dat omnem operā vt ea fiat amplior. *virtutibus eſſe priorē*. vult paupertatē virtute compēſari, quemadmodū dicit poſtea ſtultitiā cōpenſari opibus, ita vt opū gratia ſtultitia vulgò habeatur pro ſapientia; iuxta illud Menandri apud Stobęū, ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι θεοὺς τὸ ἀργύριον ἡμῖν, καὶ τὸ χρυσίον· ἱδρυσάμενος γὰρ τούτους εἰς τὴν οἰκίαν, εὔχου τι βούλει, πάντα σοι γενήσεται, &c. hoc eſt, ego ſanè vtileis eſſe deos arbitror argentū noſtrū, & aurum, illos enim deos in domo ſi habeas, opta quicquid voles, aſſequeris omnia. *propè vera*. veris propinqua, id eſt, veriſſima: quid enim pariūt opes niſi ſtultitiā? *mea*. ſic habent omnia quæ vidi ſcripta, nec opinor aliter legendū, ni velimus poëtam idē iterare, pòſt, deſine mecū certare. vidi autē in vno & altero vulgato cod. mihi conten. quibus nō ſubſcribo. *arta decet ſanū*. metaphoricôs, à comite viatore, ampla namque toga iter facienti moleſta eſt, vt & opes viro bono virtutē mentiſq. ſanitatē ſectanti. *Eutrapelus cuicumq*. huic concinit illud Ariſt. 2. Rhetoricorū, πολλοῖς ὁ δαίμων οὐ κατ' εὔνοιαν φέρων μεγάλα δίδωσιν εὐτυχήματα, ἀλλ' ἵνα τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας, id eſt, multis deus ipſe ingentē largitur felicitatē, nō quòd iis bene velit, ſed vt in calamitates incidant grauiores. Eutrapelus, εὐτράπελος, γελωτοποιὸς, μιμολόγος, id eſt, facetus, ridiculus, & vrbanus homo; παρὰ τὸ εὖ τρέπεσθαι τοὺς λόγους. an autē hic Volūnius ille Cic. ſit, an ad rē ficta perſona? nihil ad rē, nam & Eutrapelū tonſorē legere eſt apud Martialē. Quod autē dicit Horat. cuicumq. nocere volebat, veſtimēta dabat pretioſa, &c. hāc opinor habere ſententiā, cui vel precabatur, vel malè volebat, ob ignauiā vel otium vel aliam culpam, ei optabat multas diuitias, quibus aut magna cura & ſollicitudine cruciaretur ad amplos honores acquirendos, aut ſi excideret ſua ſpe, turpi luxu & fœnore perderetur; ſic enim crediderim τὸ dabat, id eſt, dari optabat, exponendū. vel neceſſe eſt hunc Eutrapelū fuiſſe longè ditiſſimū. *beatus*. ditatus. *noua cōſilia*. nouos mores. *& ſpes*. Tōſanus codex ſine vlla macula habet expes. quā lectionē nō temerè prætulerim vulgatæ. nam

dd 3 ſumere

ſumere noua conſilia eſt animi præclari, & magna meditantis; dormire verò in lucē, eſt ignaui otioſiq́ ad quā rem quid opus eſt iā nouis tunicis ditatum beatúmq. capere noua cōſilia, & ſperare, quādo vltrò natura talis ſibi indulgeat? verùm nouis conſiliis, & ſpe indiget, qui pauper iā diues effectus, ad honores aſpirat, & magiſtratus. quos aſſequi ſi nequit pro arbitratu ſuo, non rarò fit vt expes, id eſt, omnibus deſperatis, ſe vertat in omne luxū, & intēperantiam vitæ, nec finē faciat dū cōſumptis omnibus redigatur ad inopiā ſummam, cogatúrq́; ſi nō honeſtè, ſaltē quouis modo vitam trahere. Huic autē lectioni aſtipulatur in eodē codice annotatio tantū vetuſtate non deleta, nimirū, ſumet noua conſilia vt conſul fiat, & exſpes, id eſt, nunquā amplius ſpē habens, dormiet, &c. diſpiciat lector doctus. *paſcet.* incraſſabit fœnore, id eſt, multiplicabit. *arcanū neq;* præcepta quibus in amicitia, vitaq; cōmuni eſt opus. primū vitandam dicit φιλομάθειαν ἀλλοτρίων πραγμάτων, id eſt, ſtudium aliena res cognoſcendi. *commiſſumq;* hoc eſt, ita eſto ſecreti tenax, vt nec ebrietas, nec interna vlla paſſio id violat. talē laudat Homer. Odyſſ. φ. τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος id eſt, hinc pennis dicta carebāt, hoc eſt, in pectore cōtinebantur, nec euulgabātur. *nec tua laudabis.* nō eris φίλαυτος, id eſt, tuarū rerū nimis amans. *nec cū ven.* eris amico tuo in omnibus cōmodus. *Amphio. atq. Zethi.* Apollod. lib. 3. Antiope, inquit, Nyctei filia fuit; hāc Iupiter iniuit, eaq; quòd grauida eſſet, patre comminante, in Sicyonē ad Epopeum ex fuga ſe recepit, &c. pòſt paullò Antiopen captiuam abducit Lycus: quæ cū abduceretur ad Eleutheras Bœotiæ, geminos parit, quos expoſitos bubulcus inuenit ac educat. horúmq; alteri Zetho, alteri autem Amphioni nomen indidit: Zethus rei pecuariæ ſtudio ſeſe dedit Amphion autē quòd à Mercurio lyra donatus eſſet, citharœdicā exercuit. *inhumanæ ſeniū dec. ca.* Seniū pro odioſa conſuetudine iurgandi. ea namq; eſt inhumana camœna, quæ iurgia tenet rixáſq. eo modo in Satyris ait, hiſtoriā Rufonis enecare auditores, pro cōuiciis, & maledictis. vel ſenium. id eſt, odiū camœnę inhumanę, auaræ, aſperæ, & importunæ venatoribus, & amicis ſeueris. *Romanis ſollemne ve.* de venatione, & Latinis exercitiis vide Satyr 2. lib. 2. *valeas.* à viribus. *adde virilia* laus Lollij ab antecedentibus, quę nūc enumerantur. *Speciosius.* decētius, aptius, vel ab arte vel forma. *ſæuam.* ob bellum Cantabricum difficile. vide oden 8. lib. 2. *refigit nunc.* ſic habēt omnes libri ſcripti cū interpunctione τὸ nūc, ac τὸ &: quā lectionē confirmat τὸ adiudicat. *ac ne te retrahas.* monet Lolliū conſtantiæ, ne vlla negligat amici ſtudia vel minima, ſed omnia ſua pręſentia, dictóque & facto comprobet, nec ab iis abſit niſi legitima de cauſa. τὰ retrahas & abſis, ſunt imperādi modi. *quāuis nihil extra* vult Lābinus hic eſſe parentheſim, ſed eius notā nullam in ſcriptis offendi: equidem malim eſſe σύγκαταλῆψιν, per ἔλλειψιν τοῦ nam; & poſtea τοῦ tamen, hoc modo: nā quāuis non ignorem, te in omnibus quę facis habere rationem decori, tamen domi, & in villa paterna nonnumquā gaudes ludicris, adeò vt & poſſis cū amico gratioſè ludere. & hæc occupatio eſt quædā παρασκευὴ ad ſequentem μίμησιν, partitur lintres exercitus, &c. *extra numerum modumq;.* hoc eſt, extra numerum modulatū, per ἓν διὰ δυοῖν. hoc eſt, quod dici ſolet, παρὰ τὸ μέλος. quò alludere videtur, perinde ac ſi dicat incōcinnè, ineptè, præter decoru, perperā, importunè: nā quod numerus modulatus eſt in Muſicis ἁρμονία, hoc in vita honeſtū eſt & decorū. *partitur lintres.* μίμησις Actiacæ pugnę per digreſſiunculam. hāc autē inter aduerſarios pueros naualē pugnam fingit à Lollio inſtitui in Auguſti gratiā, cui & ipſe, & frater ſuus velut aduerſarii erant præfecti. *fronde.* quæ erat laurea. *vtroq; pollice.* pollice ad medium digitum preſſo, inq; indicē relapſo, ſignum clarum, ſonitúmq; damus, fauorémq; ſignificamus. quod ſi fiat vtrôq; pollice, maximi id fauoris eſt, vernaculè, metten duym clicken. & hoc eſt premere pollicē. conuertere vero pollicem, quod eſt non annuentis ſed vituperantis, eſt manu panſa pollicem à cōprehenſione cōtinere, in ſignum doloris, & maleuolentię; quod Politianus quidem ex Plin. lib. 28. ca. 2. ad cōfutandam Porphyr. ſententiā adducit, ſed ſine interpretatione: ſed nec alius (quod ſciam) vtriuſq; dicti dedit explicationē. iudicet lector an hæc coniectura noſtra ſit altero pollice digna. *protinus vt in.* reuertitur ad inſtitutum de præceptis dandis. præſcribit tria cauēda in humana cōuerſatione, quid dicas, cui dicas, & de quo loquaris; addítq́; inſigneis ſententias. *non ancilla tuū.* vel ob ζηλοτυπίαν, quæ ſolet in primis, amicitia diſſoluta, maximorū malorū eſſe cauſa; vel ob muneris paruitatē, quod tibi quoque ſi acceperis, oneri eſſe poterit; vel denegatū, mærori. *qualē cōmendes.* temeraria cōmendatio non dedecori modò, ſed & exitio ſæpe fuit. *deceptus omitte tueri vt penitus notū.* exiſtimo hunc locū deſiderare aliā à vulgari declarationem, qua adhuc quidē prior verſus pertinet ad eū quem commendaſti, nunc à te deſerendum ob ſuā culpam. poſterior verſus, puta, vt penitus notum, eſt ratio prioris: ſed hoc modo τὸ vt, τελικῶς, nō etiam συγκριτικῶς accipi debet; vt hæc ſit ſentētia: Tu deceptus omitte tueri quē ſua culpa premit in eum finē vt ſerues penitus notum ſi tentent crimina, pro quo

tamquam

tamquam pro aris & focis ſtare debes. quod mihi profectò non apparet vero conſentaneum. Quare cenſuerim τὸ vt, eſſe συγκριτικὸν, hosq. verſus, quē ſua culpa premit, &c. ad eu vſq; , Dulcis inexpertis cultura, &c. vni ei conuenire qui cōmendatus eſt, cu hac interpunctione, quē ſua culpa premet, deceptus omitte tueri vt penitus notum. hoc eſt, noli tueri, quē commendaſti, ſi in culpa ſit inuentus, quemadmodū defenderes penitus tibi notū. quo dicto non excludit Horatius omnimodam defenſionem, eius quem commendaſti; ſed vult inquirendum eſſe verāne ſit culpa an falſa. addit enim, *ſi tentent*, id eſt, intentent crimina maleuoli, falſóq. eum culpét. ſerues, id eſt, ſeruare debes, tutaríq. : namque is fidit, dependétq; à tuo præſidio; & hoc ipſum, circumrodi dente Theonino, quid aliud eſt, quàm improbis falſiſq; maledictis lacerari? Nam ſi, inquit, hoc non facias, innocentémq; à te cōmendatū non fueris tutatus, futurū eſt, vt hoc crimen, quo falsò grauatur cōmendatus à te, redundet in te cōmendatorem, tāquam eius mali quoque conſciū patronumq́; , eò quòd præſentia incendia, id eſt, pericula criminis intentati neglexeris. *dulcis inexpertis cultura*. ad minimas enim offenſas indignatur grauiſſimè, & plumbeas iras gerunt, auctore Plauto, gratias autem plumeas, vt non iniuria dicatur, Aulica vita ſplendida miſeria. vide annotata in Satyr. 6. lib. 2. Tale quoque eſt bellum inexpertis. vide adag. dulce bellū inexpertis. *retrorſum te ferat*. ne ob leuem offenſionē excludaris. *oderunt hilarē triſtes*. horum verſuū ſententia eſt, in amicitia morum ſimilitudinem eſſe neceſſariā. *tepores*. ſic habent omnia ſcripta noſtra. *vapores* autē, non damno in vulgatis. *deme ſupercilio nubē*. vide adagium, ponere ſupercilīū, attollere, adducere ſupercilīū. his aduerſatur, frontē exporrigere, explicare. ſic inter ſe diſſonant, nubila frons, pro vultu triſti, ſeueróq; : & ſerena frōs explicitaq́;, pro læto, & hilari vultu. *inter cuncta*: ſummū præceptū ad vitam placidè peragendam dicit ex dogmatis philoſophicis petendū. *doctos*. Cic. & optimi quiq; ſcriptorum veterū, cùm doctos nominār, ferè Stoicos intelligūt. *ne te ſemper*. Bland. 4. Tonſ. Buſl. Nan. in vtroq; verſu habent nūm. Diuæ. legit, non. Mart. Sil. cōſentiunt vulgatæ lectioni, quæ mihi non improbatur. Alij in priori verſu legunt, non; in altero, nec. deliga lector. *inops cupido*. quia auaro deſunt omnia, tàm ea quæ habet quàm quæ nō habet. *pauor*. amittendi quæ poſſides. *mediocriter*. vtcumq; vtiliū, qualia ſunt fortunæ, quæ non bona, ſed ad vitam cōmoda cenſent Stoici: an mediocriter dicit, quòd ea ſint adiaphora, an quòd non verè bona? *virtutē doctrina*. hæc quæſtio pæne ab hominū memoria, à viris doctis agitata cōtrouerſáq;, nunc iis qui veri Dei cognitionē habent certa conſtat, nimirū ab initio creationis humanæ naturæ, à deo creatore virtutes inditas; ſed, prô dolor, per inobedientiæ crimen turpiter amiſſas, reſtare quidem adhuc in natura ſopitas virtutū ſcintillulas, ſed eas nō exire in flāmas niſi labore, doctrina, & exercitatione: nec ſine virtute quiſquā beatus eſſe poteſt, vt aiunt Stoici. *quid purè tranq.* hoc eſt, vtra viā ſit melior, ἐπιεγγύλιον ne an *ignorati fallentis ſemita*. de qua vitę via actum eſt epiſt. præcedente ad Sceuā. λάθε βιώσας. *Digentia riuus*. Blondus in Vmbria ſua ad finē, Supra, inquit, eius riui fontē dextrorſum eſt Montopolis oppidū. publicā cuius aream innatum ferrei coloris, obdurum ſternit ſaxum, &c. *& mihi viuam*. ſic 4 Blād. & Sil. quod magis placet. *ſi quid ſupereſſ.* Quis ſcit an adiiciant hodiernæ craſtina ſummæ tempora dij ſuperi? lib. 4. ode 7. *ne fluitem*. omnia ſcripta habent *neu*; præter vnum Silu. qui ſequitur vulgatā lectionem. *hora*. codex Mart. habet, auræ. *ſed ſatis eſt*. ſic habent omnes lib. ſcripti quos legi. *qui donat*. omnes lib. ſcripti habent, ponit & aufert.

EPIST. XIX. AD C. CILNIVM MAECENATEM. III.

PRISCO ſi credis, Mæcenas docte, Cratino:
Nulla placere diu, nec viuere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus. vt male ſanos,
Adſcripſit Liber Satyris Fauniſq́; poëtas:
Vina ferè dulces oluerunt mane Camœnæ.
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.
Ennius ipſe pater numquā, niſi potus, ad arma
Proſiluit dicenda. forum puteálq́; Libonis
Mandabo ſiccis: adimam cantare ſeueris.
Hoc ſimul edixit: nec ceſſauere poëtæ
Nocturno certare mero: putere diurno.
Quid? ſi quis vultu toruo ferus, & pede nudo,
Exiguæq́; togæ ſimulet textore Catonem:
Virtutemne repræſentet, moréſq́; Catonis?
Rupit Iarbitam Timagenis æmula lingua:
Dum ſtudet vrbanus, tenditq́; diſertus haberi,
Decipit exemplar vitiis imitabile. quid ſi
Pallerem caſu, biberent exangue cuminum?
O imitatores, ſeruum pecus: vt mihi ſæpè
Bilem, ſæpè iocum veſtri mouere tumultus.
Libera per vacuum poſui veſtigia princeps:
Non aliena meo preſſi pede. qui ſibi fidet
Dux, reget examen: Parios ego primus Iambos
Oſtendi Latio, numeros, animóſq́; ſecutus

Archi-

Archilochi, non res & agentia verba Lycamben.
Ac ne me foliis ideò breuioribus ornes,
Quòd timui mutare modos, & carminis artem:
Temperat Archilochi Muſam pede maſcula Sappho:
Temperat Alcæus: ſed rebus & ordine diſpar:
Nec ſocerum quærit, quē verſibus oblinat atris:
Nec ſponſæ laqueum famoſo carmine nectit:
Hunc ego non alio dictum prius ore, Latinus
Vulgaui fidicen. iuuat immemorata ferentem
Ingenuis oculiſq; legi, manibuſq; teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuſcula lector
Laudet, ametq; domi: premat extra limen iniquus?
Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor
Impenſis cœnarum, & tritæ munere veſtis.
Non ego nobilium ſcriptorum auditor: & vltor
Grammaticas ambire tribus, & pulpita dignor.
Hinc illæ lacrymæ. ſpiſſis indigna theatris
Scripta pudet recitare, & nugis addere pondus
Si dixi: rides, ait: & Iouis auribus iſta
Seruas: fidis enim manare poëtica mella
Te ſolum, tibi pulcher. ad hæc ego naribus vti
Formido: & luctantis acuto ne ſecer vngue,
Diſplicet iſte locus, clamo: & diludia poſco.
Ludus enim genuit trepidum certamē, & iram:
Ira truceis inimicitias, & funebre bellum.

COMMENTATOR.

PRISCO *ſi credas.* Hanc epiſtolam ſcribit ad Mæcenatem, in qua demonſtrat πραγματείαν, id eſt, conſiderationem, & cauſam ob quam compoſuerit carmina: ſed prius vituperat imitatores Cratini, qui docuit, non aliorum carmina eſſe ſtabilia, niſi poculenti, & ebrij, trahens occaſionem ipſe Cratinus ex Homero, in cuius libro laus inuenitur vini, ſed etſi hoc laudauerint, non tamen poëtas vinolentos eſſe debere dixerunt. Cratinus autem Archearum Comœdiarum ſcriptor, tantæ vinolentiæ fuit, vt ſolitus fuerit ſupra pelleis recumbere, quas commeiere cōſueuerat. hoc etiam epigramma in monumento eius teſtatur. idem quoque in ſuis fabulis negat bonum eſſe poëtam, qui vinoſus nō fuerit, & ideo poëtas eſſe in Liberi patris tutela. fuit autem per hanc vinolentiam tantæ libidinis, vt cubiculum ſuum ſpeculis adornaret, quatenus & coire ſe ſpectare poſſet. *Cratino.* philoſopho Epicureo. *viuere.* durare. *vt.* poſtquam. *maleſ.* inſanos. *adſcripſit.* addidit, inſeruit, cōnumerauit. *Liber.* pater, qui excluſit ſuo iudicio ſanos poëtas à numero Muſarum, dicēs inſanos in numerum Faunorum, & Satyrorū deorū tranſire, quaſi veriores. vnde per Ironiam dicit, poſtquam Liber pater inſanos poëtas numero Satyrorū adſcripſit, ipſe quoq; Muſæ etiam mane ſobriæ non fuerunt, olentes vinum nocte potatum. *mane.* ſupp. etiam. *vinoſus.* quia vinum laudauit. *ipſe pater.* poëtarum Latinorum, ad imitationem Homeri. *potus.* ebrius. *ad arma.* prœlia narranda. *forum.* ſupp. dixit Ennius. *putealque Lib.* tribunal. quod autem ait Libonis, hinc ſumſit quòd is primus tribunal in foro ſtatuerit. *mandabo.* tradam. *ſiccis.* ſobriis, vt litigent. *cantare.* carmina ſcribere, poëtizare. *ſimul.* poſtquam. *nocturno p.* dies noctéſq; potare. *putere.* fœtere. *quid ſi quis.* ſi quis, inquit, veſtem, vultúmq; Catonis imitetur, numquid protinus etiam virtutibus erit Cato? Cato ſenator Romanus, vt ſeuerior appareret, intonſa barba, capilliſque prodibat in publicum, duróque calceamento & ſæpe nullo, togáque exigua. *pede nudo.* vt philoſophus. *exiguæq; toga.* μετωνυμία. *ſimulet.* imitetur. *textore.* ſup. cū. Textor hic proprium nomen eſt inuentoris exiguæ togæ. *rupit Iarbit.* Iarbita, Maurus fuit natione, qui dum Timagenem philoſophum, poſt conuiuium & inter pocula declamantem, vellet imitari, nec poſſet. *dum ſtudet vrbanus.* quia cōuiuæ paſtorem ſuum etiam diſerti libenter collaudant. vnde eſt illud Perſij, laudant cōuiuæ, nunc non è manibus illis, nunc non è tumulo, fortunatáque fauilla naſcentur violæ? *decipit.* nos. *exemplar.* maiorum. *vitiis.* non etiam virtutibus. *biberent exangue.* vt pallorem meum poſſint imitari; quoniam cuminum potatum pallidos reddit homines. *ô imitatores.* loquitur in malos poëtas, dicens, ô imitatores, ſup. aliorum in vitiis, & ô ſeruum pecus, id eſt, ſeruile. ſicut enim ſerui ad alienū præſcriptum, & imperium viuunt, ita & vos aliorum exempla in malo ſemper imitamini. *imitatores ſeruum pecus.* per epexegeſin mirè ait ſeruum pecus, quoniam negāt Stoici quemquam liberū eſſe, præter ſapientem. *vt mihi ſæpe.* quando veſtram recolo vitam, modò iocor modò iraſcor. *vt mihi.* quàm, vel quemadmodum. *ſæpe iocum.* ſupp. ita. *tumultus.* turbationes incertæ mentis. *per vacuum.* campū. *princeps.* lyricorum poëtarum, quia primus Romano ſermone ſcripſi carmina lyrica. *non aliena.* neminem ſecutus ſum. *dux reg. exa.* ſolus audet procedere. *Parios.* à Paro inſula. *numeros.* metra. *animóſque.* vehementiam. *Archilochi.* non res, inquit, & ſentētias tranſtuli ab Archilocho, ſed exēplar metri: & non eadem verba ſum imitatus, quibus eſt perſecutus Lycābem, adeò vt ſe laqueo ſuſpenderet, quòd filiam deſponſam nō traderet.

agentia.

agentia. perſequentia. *Lycamben.* ſocerū ſuum. *breuioribus.* minori corona decores ô Mæcenas. *modos.* genera metri. *temperat.* miſcet. hoc eſt, metrum Archilochi, quod nos imitamur, verſibus Alcæi & Sapphus temperamus, neque eodem ordine, neque rebus quibus ſocerū perſequitur. *maſcula.* metrica ratione virilis & fortis. *ſed rebus & ord. diſ.* quia tantum pedes ſumſerunt, non materiam. *ſocerum.* Lycamben. *quærit.* Alcæi Muſa. *verſ. at.* perſecutionibus. *ſponſæ.* filiæ Lycambes quæ ſe quoque poſt patrem ſuſpendit. *nectit.* Alcæi Muſa. *hunc.* Archilochum. *alio ore.* ore alterius poëtæ Latini. *vulgaui.* imitatus ſum. *immemorata.* à nullo antè dicta. *ferentē.* dicentē me. *ſcire.* excuſat ſe cur, cùm probetur à plurimis bene ſua carmina ſcripſiſſe, nō habeat tamē ſuos laudatores. oſtendit quòd per inuidiā quæ inimica eſt virtuti, per domos legeretur, & publicè ſibi detraheretur, quia non conducebat, aut conuiuijs, aut veſtibus fauorem vulgi, quod ſolent amatores adulationis facere. *premat.* celet, & ceteris inuideat. *iniquus.* æmulus. *ventoſæ.* mendacis. *ſuffragia.* fauorem. *venor.* emo mihi. *impenſis cœn.* cœnis. ſic Perſ. Calidum ſcis ponere ſumen, ſcis comitem horridulum trita donare lacerna. *nobil. ſcr.* meorū Romanorum, Pollionis, Virgilij, Varij &c. *auditor.* Iuuena. ſemper ego auditor tantum. *& vltor.* iudex. *Grammat tribus* multitudinem Grammaticorum, vt ferant ſuffragia meo carmini. *hinc illa.* dolores inuidorum. *ſpiſſis.* vili populorum turbę. *ſcripta.* mea. *pudet.* ſupp. me. *nugis add.* illi nugis ſuis, pondus laudum accumulari gaudent, qui carmina ſua inepta laudari cupiunt. *ſi dixi.* inuido, ait inuidus, & tantū tibi arrogas, vt putes tua carmine tantum audiri à Ioue, id eſt, Auguſto: cui vereor liberè & vrbanè reſpondere, ne eum ad iram commoueā, & naribus vti formido, & timeo eſſe faſtidioſus, & cōtemni, quare honeſtas excuſationes quæro ne recitē. *Iouis.* Auguſti, ſcilicet quę indigna theatro dicis dicta tua. *poëtica mella.* dulcia carmina. *ego naribus.* vereor liberè & vrbanè reſpondere. *luctantis.* contendentis mecum. *diſplicet.* mihi. *diludia poſco.* ſpatium emendandi carmina, & intermiſſionem, ac dilationem ludorum expoſco. Diludia autem dicuntur tempora, quæ gladiatoribus conceduntur inter dies munerum quibus pugnatur. *diludia.* dilationes ludorū. *ludus.* concio. *trepidum.* timendum *genuit.* ſæpe. *ira truces in.* hæc figura vocatur Climax.

CRVQVIVS.

PRISCO *ſi credas.* Deterret Mæcenatem ab ineptis ſui temporis Poëtis, qui Cratino, Homero, Enniòque auctoribus, non aquæ, ſed vini potatione largiore cenſebant opus eſſe ad poëſim ſcribendam poſteris plauſibilem, qua gratia ex Ennij præcepto, ſiccos, & ſobrios, ad cauſas agēdas relegantis, totos dies noctéſque poculis eos ait indulgere, homines profectò mentis non ſanæ; nam ſi vitia malunt antiquorum Poëtarum, quàm virtutes imitari, qui magis ipſi boni Poëtę, quàm Catones ſint habendi, qui corporis quidem neglectū, vultúſque ſeueritatem, Catonis inſtar, oſtentant, animi verò conſtantiam ſapientiámque pro nihilo pendunt? Sibi verò ait hoc imitationis genus, & improbari penitus, & eos non ferre qui in id incumbunt, vt qui Poëtarum Latinorum ſit imitatus neminem, imò ne Gręcorum quidem quemquam præter Archilochi modos numeróſque, nec id ſine temperamento bene conſulens ingenuis, & oculis, & auribus. Quòd autem ſua ſcripta inter parietes quidem ab inuidis, non etiā in publico laudarentur aliorum Poëtarum more, ſcribit in cauſa eſſe, primùm, vanum ſe populi plauſum, donis, aut cœnis magnificis emere nolle: dein non ambire ſe nec ſalutare Grammaticos: poſtremò ſe fugere theatra, nolléque ſua ſcripta recitari; veritum aduerſarios Poëtas æmulóſque cū quibus fortaſſis aut ludendum eſſet, aut ſuo periculo contendendum. *priſco ſi credis.* Cratinum priſcum dicit ab ἀρχαίας, id eſt, antiqua comœdia, ſeu priſca. Cratinus autē Athenienſis, Callimedis filius, vixit cum Platone Olymp. circiter 81. Euſebio teſte, annos natus 97. obijt. adeò certè vini fuit appetēs, vt pelleis in quibus potus recumbebat, non rarò permeieret, vnde iactatū vulgo eſt adagium; εἰ μή σε μισῶ, γενοίμην ἐν Κρατίνου κώδιον. id eſt, ni te odero, vnum fiam Cratini codium, id eſt, fiam vilior quàm vna Cratini pellis: pro re abiectiſſima putidiſſimáque. ſcribit Laërtius in vita Menedemi, lectulis æſtate ψιάθους, id eſt, floreas; hieme, κώδιον, id eſt, villoſam pellem ſuperponebant. *nec viuere.* annoſa fieri, metaphor. *ſcribuntur aqua pot.* in hanc Cratini ſententiam extat epigramma Niceræti, quo Poëtis vinum canit eſſe equi magni loco, nec aquæ potu laudabile carmen ſcribi poſſe. Ταῦτ' ἔλεγεν, διόνυσε, κ. ἔπνεεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ὠδώδει πίθου: hæc ò Dionyſe dicebat, ſpirabátque non vnum vtrem Cratinus, ſed vniuerſum redolens dolium. vide epigrammation lib. 1. & in Chiliad. nō eſt Dithyrambus qui potat aquā. *vt malè ſanos.* vt id eſt, poſteaquam Poëtæ furore diuino, extra ſe poſiti, à Libero patre Satyris Fauníſq; vinoſioribus ſunt annumerati, cœpere cum Muſis dies ac noctes ſic hilareſcere vino, vt anima Muſarum, die quoque poſtero manè, tota eſſet vinolenta. τὸ *vt*, interpretatur Lamb. tanquam

à quo diſſentio. *putealq́; Libonis*. de Licinij Scribonij Libonis puteali, lege Satyr.6.lib.2. hic apponendum nō inutile credidi, mihi ex fragmentis Feſti, ad dictionem ſceleratus campus, Puteal Libonis, fuiſſe ſacellum supernè apertū, vt ex eius apparet numiſmate. ibi namque apud Feſtum hęc ſunt fragmenta, *bonius*, id eſt, Scribonius, cui negotium da, id eſt, datum eſt, vt conquireret ſacella, atque illud curauit, &c. examinet lector fragmenta. *adimam cantare*. Nam vt penitus ineptum eſt, ab ebrijs actiones forenſes inſtitui, ſic non minus eſt abſurdū planè ſobrios canere. *hoc ſimul edixit*. alluſio ad edictum Prætoris, habent enim potores ſtrennui ſuos quoque magiſtratus & edicta. in τὸ edixit aſſentior veteribus, idque Ennio concedo, tùm quòd pater Latinorum Poëtarum, tùm quòd potus hoc mandauit ſiccis, omitto perſonæ decorū, cuius Horatius eſt ſeruantiſſimus. Quis enim Cratino Græco, & multò ante Libonis ætatem de vita functo (qui nō multis annis præceſſit Ennium) donet illud mandare Libonis puteal ſiccis hominibus? Quis non potius Ennio rerum Romanarum foríque perito? Bacchū autem hoc edicere, eſt miſcere ſacra profanis. Quare ſe cùm referre videtur Horatius ad Ennio poſteriores ſuíq; temporis Poëtas potulentos, quos ſeruum pecus nominat, Ennio hoc edictum tribuendum credo. Lambinus Cratinum vult edicere. diiudicet lector peritus, ſi nō mauit ſubterfugere lanam caprinam. *adimam*. vetabo; hæc enim legibus propria ſunt, iubere, vetare, permittere, punire, quò alludit Poëta. *non ceſſauere p*. hic perpendito quàm ſit in mala propenſus humanus animus, vt nō iniuria dictū ſit omneis licentia fieri deteriores. *quid?* attentio à ſimili. *ferus ἄγγελος*. *ſimulet textore Cat*. quàm ſtudioſis, & doctis omnibus malè conſuluit ſciolus aliquis, in eradenda ſyllaba prima τοῦ textore, in vno ex libris Bland. eaque ſubſtituenda quam nunc habemus, mirabiliter eſt deplorandū, deinde temeritatem ſtultus vt mutaret inſcitia deteriore, ſupraſcripſit, textúque. Codex Sil. habet terrore, ſed non ſine lituris. Quid ſi legamus, exiguáque toga ſimulet textore Catonē? metaphoricôs à lanarijs mercatoribus qui inſpecta texti margine de vniuerſo facilè coniecturam faciunt. *Hyarbitam*. codex Buſl. habet Barbutam. *Timagenis*. Timagenis Rhetoris meminit Suidas in lexico, quem Alexandrinum à Gabinio Romam adductū, Rhetoricen ait profeſſum Sophiſticenque, ſed ob nimiam vel maledicentiam, vel dicendi libertatem, eiectum Roma, in Tuſculano vitam finiuiſſe. treis autē ſcribit fuiſſe hoc nomine. hunc legito. *æmula lingua*. duo Bland. cod. habent lingua, aliâs, cœna; quam lectionem ſequitur Commentator, & vulgatus Porphyr. iudicium penes lectorem eſto. *accipit exemplar*. qui in medio populi velut exemplar vitæ morúmque poſitus eſt, ad quod ſe forment regantque cæteri, videat ne vel in minimo decedat à recto, populúmque in errorem inducat, qui dictáq; eius & facta pro oraculis amplectitur; & cùm vitia humanæ naturæ magis adlubeſcant, imitatúque ſint faciliora, fit, vt ea vulgò, in viris principibus, pro virtutibus habeantur, ignaróſque decipiant. *pallerem*. qui color & aſpectu eſt horridus, & index naturæ deterioris, vel peius affectæ, pallor enim timorem ſubſequi ſolet. *caſu*. præter ſolitum. *ô imitatores ſeruum pec*. exclamatio in Poëtas potulentos, vitiorum potius, quàm virtutis Poëticæ imitatores. non autem reprehendit generatim omneis imitatores, ſed eos qui non honeſtū, quod decet liberos, ingenuóſque, ſed omnem turpitudinem ſectantur, quod illiberalis eſt animi, planéque ſeruilis; quo nomine quoque taleis pecora nuncupat, qui potando, comiſſando, ludendóque ventri potius obediant, quàm pręclaris ſtudijs excolant animum. *princeps*. τὸ princeps, non modò denotat Horatium primum auctorē fuiſſe Latinis lyrici carminis, ſed maius aliquid & excellentius: videtur enim ad Græcum τὸ ἄρχειν, qui & primus eſt & primas, moderator, dux, & magiſter. tale eſt illud Cæſaris belli Gallici lib.1. Quæ pars ciuitatis Heluetiæ inſignem calamitatem populo Romano intulerat, ea princeps pœnas perſoluit. *non aliena meo*. hæc eſt ἐπεξήγησις illius, libera per vacuum &c. ἀλλοτρίοις ἴχνεσιν, premere veſtigia aliena, & comitari & ſubſequi præeuntē. hic antē eſt imitari ſcribendo poëſin alterius. quod ſi doctè fiat, laudabile eſt. ſic namque Virg. Homerum, Cicero Demoſthenem ſecutus eſt. *qui ſibi fidet, dux reget ex*. ſic habet Bland. antiquiſſ. cum Diu. & Sil. reliqui tres Bland. habēt, fidit, regit; vtrumque æquè rectè. alij legunt, fidit, reget; quod non probo. *reget examen*. metaphor. ab apibus. *animóſque*. τὸν θυμόν. *Lycamben* de Archilocho & Lycambe, vide Epodon 6. *folijs breuioribus*. folia breuiora non videntur accipi pro minori laude, vt volunt alij, ſed videtur alludere ad coronam tonſilem ſeu depexam, cuius erant breuiora folia. vide oden 7. lib.1. *quod timui*. nolui modulationē mutare Archilochi, & eius artificium Poëticū. *rebus & ord*. ſentētijs & diſpoſitione diſſimilis. *oblinat*. modi potentialis, poſſit oblinere, notare, perſequi verſibus atris, id eſt, maledicis. *ſponſa*. Neobulæ. *hunc ego*. Archilochum. mauult Glareanus intelligere Alcæum: cui non aſſentior. *Latinus*. ſic legitur in ſcriptis cod. omnibus, præter Mart. qui habet, Latinis, cum vulgatis quibuſdam. mihi placet magis Latin⁹ fidicē. *immemorata*. Latino carmine.

ingenuis. ingenuis, ait ad diſcrimẽ Archilochi Græci, cuius odioſa maledicentia ab ingenuis, & honeſtis viris erat indigna legi. ingenuis, habent omnes ſcripti cod. *ſcire velis*. προκατάληψις, cùm nõ ſcribat carmen maledicum, cur in publico non laudetur nec populi manibus teratur. *ingratus*. maleuolus ſua commendatione, nullam meis laboribus reponens gratiam. *non ego vento*. enumeratio cauſarum ob quas vulgò nõ laudetur. *ventoſæ*. inconſtantis & immutabilis, inſtar venti. *trita mun*. ſic 1. Epiſt. ſuprà, dixit ſubuculam tritam. Perſ. tritam lacernam. quare veſtis trita aut vilis eſt, aut nõ noua. *auditor*. cod. Bland. duo habent, auditor, aliâs adiutor. ſed omnes ad vnum ſcripti mei habent vltor, ſed cũ diuerſa expoſitione. antiquiſſ. Bland. habet vltor, id eſt, laudator; alius vltor, ſup. iniuriarum. τὸ actor autem, quod adfert in mediũ Canterus, in ſcriptis non inueni. *Grammaticas trib*. Grammaticorum turbam. *pulpita*. vnde recitentur à Grammaticis mea carmina. *hinc illa lac*. Terent. dictum. vide Chiliad. *ſi dixi*. ſic ordinato, ſi dixi, pudet me recitare ſcripta indigna ſpiſſis theatris, & addere pondus nugis meis, ait, ſupp. inuidus, rides &c. *ſibi pulcher*. vide Adagium, ſuum cuique pulchrum. *ad hæc*. nimirum, verba mihi exprobrantia ſuperbiam faſtumque. *naribus vti*. ſubſannare. de naribus vide annotata in 3. Satyr. lib. 1. *vngui*. vngueis in odis alibi diximus eſſe arma muliebria. *diludia poſco*. ſic Appianus li. 5. bell. ciuilium, vbi habet, vt in gymnicis certaminibus, hi qui à labore aliquantulum reſpirant, facere conſueuerunt.

EPISTOLA XX.

AD LIBRVM SVVM.

VERTVMNVM, Ianúmque, liber ſpectare videris:
Scilicet vt proſtes Soſiorum pumice mundus.
Odiſti claueis, & grata ſigilla pudico:
Paucis oſtendi gemis, & communia laudas.
Non ita nutritus. fuge, quò diſcedere geſtis.
Non erit emiſſo reditus tibi. quid miſer egi?
Quid volui? dices, vbi quis te læſerit. & ſcis
In breue te cogi cùm plenus languet amator.
Quòd ſi non odio peccantis deſipit augur:
Carus eris Romæ donec te deſerit ætas.
Contrectatus vbi manibus ſordeſcere vulgi
Cœperis: aut tineas paſces taciturnus inerteis:
Aut fugies Vticam: aut vinctus mitteris Ilerdã.
Ridebit monitor non exauditus: vt ille
Qui malè parentem in rupeis detruſit aſellum
Iratus. quis enim inuitum ſeruare laboret?
Hoc quoq; te manet, vt pueros elemẽta docentem
Occupet extremis in vicis balba ſenectus.
Cùm tibi ſol tepidus plureis admouerit aureis;
Me libertino natum patre, & in tenui re
Maiores pennas nido extendiſſe loquêris:
Vt, quantum generi demas, virtutibus addas.
Me primis vrbis belli placuiſſe, domíque:
Corporis exigui, præcanum, ſolibus aptum,
Iraſci celerem, tamen vt placabilis eſſem.
Fortè meum ſiquis te percunctabitur æuum:
Me quater vndenos ſciat impleuiſſe Decembreis,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

COMMENTATOR.

VERTVMNVM *Ianúmque liber*. Hac Epiſtola alloquitur metaphoricôs librum ſuum, quaſi rem animatam, puerúmque proſtituendum, ſignificans eum in publicum quidem velle procedere, ſe verò prohibere. *Vertumnum Ianúmque*. Vertumnus & Ianus dij ſunt, qui præſunt negotijs rebúſque vertendis, emendis, vendendis, ante quorum templa in roſtris erant loca, in quibus cum ceteris rebus etiam libri venales erant. itaque per Deos, μετωνυμικῶς, loca ſignificantur. ſic & alibi, hæc Ianus ſummus ab imo prodocet. *proſtes*. proponaris venalis. *pumice*. cura, & opera Soſiorum, qui fratres fuere βιβλιοπῶλαι, id eſt, librorum venditores, pumice polientes, concinnantéſque libros ſuos venaleis. *mundus*. nitidus, ornatus. *odiſti claueis*. odiſti, inquit, clauibus includi, & ſub ſigillo eſſe, quod pudicis gratum eſſe conſueuit, qui fugiunt conſpectum publicum. *paucis oſtendi g*. doles paucis lectoribus te oſtendi, à paucis euolui. *communia laudas*. conuentus publicos. *non ita nut*. vt publicè edaris, vt in publicum, me inuito, prodeas. *fuge*. deuita conſpectum hominum, ne redeas deterior. *geſtis*. gaudes. *non erit emiſſo*. poſtquam prodieris in publicum, non poteris corrigi. *quid miſer egi*. ſic Poëta, Eheu quid volui miſero mihi. *vbi quid te læſ*. poſtquam te aliquis reprehenderit. *in breue te cogi*. ſcis te complicari. *cùm plenus*. ebrius, an ſatiatus. *languet*. pigreſcit lector. *deſipit augur*. ego qui hæc auguror. ſenſus eſt: Quòd ſi ego augur tuus, id eſt, diuinus tibi peccanti futura prædico, nõ odio tui, tam diu Romæ carus eris, quã diu noui libri pulchritudinem

retinueris; ſed cùm factis factus ſordidior, nemo te ornabit, neque deſcribet, ſed aut carie conſumeris, aut fient ex te opiſthographa. *deſerat ætas.* prodat, & ingratū faciat vetuſtas, hoc eſt, quam diu nouus eris. *contrectatus vbi.* ſeruat metaphoram, quaſi de ſcorto loquens. *taciturnus.* latens, repoſitus, abſconditus. *Vticam.* Vtica ciuitas eſt Africę, vnde Cato dictus Vticenſis. *mitteris.* tranſmitteris. *Ilerdam.* quæ ciuitas eſt Hiſpaniæ, per quam notat exercitum Romanum eſſe in Hiſpania. *monitor.* ego, qui te monui. *vt ille.* ſicut ille, ſuppleidet. *malè parentem.* ſibi non obtemperantem. *inuitum.* te. *elementa.* litteras. *docentem.* ita loquitur, quaſi ipſe liber pueros elementa docturus ſit. *occupet.* te, hoc eſt, vt ſeneſcas balbutientiū meditatione. *ſol tepidus plureis.* cùm plures cœperint te legere, & audire, ſecundū morem librariorum, magiſtrorumque loquitur, qui circa quartam vel quintam horam, dictata pueris præbere conſueuerunt, quo tempore ſunt tractabiliores. *in tenui re.* parua hæreditate. *maiores pennas.* vltra dignitatem meorum natalium, amicitiā Cæſaris acquiſiuiſſe, & principum virorum. Cauſam exponit, cur non verecundetur humilem ſuā progeniem profiteri; nimirum ſcientia & eruditione ſe acquiſiuiſſe, quod non erat relictum à parentibus. *primis.* principibus. tale eſt illud Terent. cùm illis placet, qui vobis vniuerſis, & populo placent, quorum opera in bello, in otio, in negotio &c. *belli domiq.* in bello, & pace. *corporis exigui.* hæc deſcriptio characteriſmus appellatur, id eſt, imago formæ hominis. dicit autem ſe præcanum, id eſt, præproperam canitiem habere, & ante annos albeſcere. *præcanum.* ante tempus canum. *ſolibus aptum.* quia ſenes ſole gaudent. *placabilis.* purgat quòd dixit ſe pronum eſſe ad iram. *Lepidum.* proprium nomen. *anno.* hoc eſt, eo anno compleui quadraginta quatuor annos, quo Lollius conſul, ſortitus eſt ſocium Lepidum in conſulatu.

CRVQVIVS.

VERTVMNVM *Ianumq. liber &c.* Proſopographicôs deſcribit affectus ſui libri, qui quaſi tædio ſolitudinis domeſticæ, cupit emitti, operáque Soſiorū fratrum bibliopolarum politus in manibus eſſe & oculis omnium. Quod ei diſſuadere conatur Horatius, à reprehenſionis contemtúſque periculis imminentibus: eum quidem recenter ornatum, tantiſper vulgo fore gratum, donec vſu manuúmque frequenti cōtrectatione ſordidus effectus, iaceat, aut veſtiendis aptus aromatis, aut paſcendis tineis. Deinde prædicit eū iam ſenem ad tantam miſeriam redactum iri, vt balbutiendo cogatur elementa litterarum prima vicatim docere pueros. hoc autem ſi cōtinget, ei dat in mandatis, vt in auditorum frequentia, dicat nataleis obſcuriores, remque tenuem præclaris cum ſtudijs, amicitiáque virorum principum nobilitaſſe ditaſſeque: eū puſillo eſſe corpore, canis ante tempus capillis, & bilioſum quidem, ſed facilè placabilem: poſtremò annos eum natum 44. Lollio, Lepidóque conſulibus. *Vertumnum.* de Vertumno deo vide Satyr. 7. lib. 2. *Ianúmque.* de Iano vide Satyr. 3. & 6. lib. 2. *ſpectare.* aſpectare; frequenter, fixéque intueri. videtur alludere ad auguralia. librumque ſuum ſpectare hos rerū commutandarum Deos, Vertumnum Ianúmque; vt ipſis quaſi propitijs feliciter exiret in lucem: cui Horatius, tanquam ius omne auſpiciorum habēs, obnunciando pericula, ſtudet apud ſe retinere. *proſtes.* vt ſis venalis, vt pretio vendi poſſis, vt ſis in oculis mercatorum, à quibus emi, contrectari, & legi poſſis. aliud autem eſt, extare, ſupereſſe, nō intercidiſſe; multa extant, quæ non proſtant. *pumice.* pumex lapis cauernoſus, quo quæ maculoſa rudiaque ſunt, raduntur, læuigantur, complanantúrque. Mart. lib. 8. nondum murice cultus, aſperóque morſu pumicis aridi politus. vide adagium, aquam è pumice poſtulare. *grata ſigilla.* per epexegeſin, claueis ſigilla, quaſi noluerit amplius liber cōſignari, & ad amicos certos ſub ſigillo mitti, paucíſq; oſtendi: hoc enim eſt odiſſe claueis; nam ſigna ſeu ſigilla, epiſtolis, libris aliíſque rebus ſunt claues per obſignationem. *non ita nutritus.* non imbutus à me tam ſtulta temeritate, vt egredi vulgaríque periculosè, quàm tutò malis apud me & amicos manere. *deſcendere geſtis.* ſic habent omnes ad vnum quos vidi, libri ſcripti, quos ſecutus ſum, nec temerè, vt opinor; nam Thuſcus vicus, vbi ſtabat Vertumnus Deus Etruriæ princeps, Varrone teſte, erat in valle, & plano montis Cælij, apud Velabrum, ad Aequimelium, vbi erant opificum multæ tabernæ, laneæ in primis, & bibliopolarum: de quibus Martialis, Argiletanas (apud Aequimelium) mauis habitare tabernas, cùm tibi paruæ liber ſcrinia noſtra vacent. itaque qui eò ibant, eis opus erat ex propinquis collibus deſcendere. *emiſſo.* poſtquam emiſſus, & vulgatus fueris. *quid miſer egi, μίμνης πυθεσκὴ.* *in breue.* colligi, plicari, in manibus inuolui, & tantum non eſſe contemtui. *plenus.* ſatiatus legendo. *amator.* φίλος. tui videndi legendíque antea cupidus. *odio peccantis.* in eo quod bene monenti morem non geris, ſed ſtultè per te ſapere tibi videris, malíſque in manus multorum venire, quàm apud me manere, & à paucis legi. *ætas.* iuuentus cunctis grata ob venuſtatem. *contrectatus vbi manibus.* Sic Iuuenalis.

Iuuenalis Satyr. 7. dummodo non pereat totidem olfeciſſe lucernas, quot ſtabant pueri, cùm totus decolor eſſet Flaccus, & hęreret nigro fuligo Maroni. *paſces.* tineis & blattis in eſcam iacebis neglectus. *fugies Vticam.* metu ciuilis tumultus. *vinctus.* hic locus variè legitur. vulgati quidam habent, vnctus Bland. habent, vinctus: aliàs, victus. reliqui legunt, vinctus. ſi vnctus legamus, pertinebit ad aromata vnguentaque obuincienda, peregréque tranſmittenda: qualis eſt Plinio charta emporeutica. ſi vinctus, ὀπισθόδετος, ad opiſthographa; de quibus legito diſputationem non parùm doctam, in Lexico Græco-Latino R. Conſtantini. ſi, victus, ſubeat in memoriam fugę Pompeij cum ſenatoribus, quo tempore C. Iulius in Ilerda obſedit oppugnauítque Pompeij legatos, Petreium & Afranium; niſi mauis referre ad bellum Cantabricum, maximum, difficilimumque, quo confecto in Hiſpanijs relictus eſt miles præſidiarius. *in rupeis protruſit aſell.* præcipitem dedit, deturbauit. in rupeis protrudere, non caret adagij forma, auctore Eraſmo, quod in eos quadrare poteſt, qui malo genio nati, nec per ſe ſapiunt, nec bene monenti credere volũt. *protruſit.* habent omnia ſcripta protruſit; præter vnũ Bland. qui habet protrudit. *te manet.* tibi futurũ, & euenturũ eſt, vt iam balbus ſenex effectus, doceas paſſim pueros elementa litterarum, & in ijs ſordibus totus vileſcas. *aureis.* auditores. peropportuna occaſio recenſendæ genealogię Horatianæ, qua librum ſuum doctorem futurum auguratur. Solent enim doctores ad docilitatem attentionémq; ſuis auditoribus non paruis efferre præconijs, quem profitentur auctorem à genere, inſtitutione, educatione, virtutibus, ſtudiis, forma corporis, naturæ propenſione &c. quod hic ab Horatio tanto fit artificio, vt ſua virtus, & amicitia principum, generis illuſtret humilitatem, cui non minùs lepidè ſubijcitur, puſillitas corporis, cum naturæ propenſione ad iram, compenſata magnitudine animi, & placabilitate. *maiores pennas.* vide in Chilia. l. pennas nido maiores extendere. *generi.* natalibus. *primis vrbis.* vrbis Romæ primatibus Auguſto, Mæcenati, Pollioni &c. *ſolibus aptum.* ſole gaudentem ait Commentator. quid ſi alludat ad Floralia, quibus feſtis meretrices nudatæ veſtibus in publico ſaltabant: vnde Perſio Satyr. 5. dicti ſunt aprici ſenes? *iraſci celerem.* ὀξύχολον. vide Satyr. 3. lib. 1. cur in amicorum v. &c & Satyr. 9. lib. 1. ô te Bòllane &c. *tamen vt.* vt, ὥστε ἀποσεπικὸν, per ἔλλειψιν τοῦ ita. *placabilis eſſem.* quales ferè ſunt omnes χολερικοί. hinc χολὴ, pro ira ſæpe ponitur, quòd χολὴ ξανθὴ ſit iræ cauſa. *æuum.* τὸν αἰῶνα, ætatem, annos vitæ. *Decembreis.* συνεκδοχικῶς id eſt, 44. annos. *collegam Lepidum.* anno ab vrbe condita 732. M. Lollius conſulatũ ſolus iniuit, at tandem collegam habuit Q. Aemilium Lepidum, poſt multam contentionem, cum L. Siluano, Auguſto in Sicilia exiſtente, cui locus alter ſeruabatur. legito Dionem. Natus autem eſt Horatius ab V. condita 688. Lucio Aurelio Cotta, & L. Manlio Torquato Conſulibus. vide Sigonium in Faſt. Conſſ. *duxit.* hoc verbum non arbitror otioſe prætereundum, quantum licet colligere ex Dione, qui ipſum Lollium ſcribit ducem & auctorem fuiſſe conſulatus ipſi Lepido cum Lucio Siluano contendenti.

EPISTOLARVM LIBER SECVNDVS

AD AVGVSTVM.

CVM tot ſuſtineas, & tanta negotia ſolus:
Res Italas armis tuteris: moribus ornes:
Legibus emendes: in commoda publica peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora Cæſar.
Romulus & Liber pater & cum Caſtore Pollux,
Poſt ingentia facta, deorum in templa recepti,
Dii terras, hominumq; colunt genus; aſpera bella
Componunt; agros aſſignant; oppida condunt:
Plorauere ſuis non reſpondere fauorem
Speratum meritis. diram qui contudit hydram;
Notáque fatali portenta labore ſubegit:
Comperit inuidiam ſupremo fine domari.
Vrit enim fulgore ſuo, qui pergrauat arteis

Infra ſe poſitas: extinctus amabitur idem.
Præſenti tibi maturos largimur honores:
Iurandáſque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum aliàs, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus ſapiens, & iuſtus in vno,
Te noſtris ducibus, te Graiis anteferendo,
Cætera nequaquam ſimili ratione, modóque
Aeſtimat: & niſi quæ terris ſemota, ſuíſque
Temporibus defuncta videt: faſtidit, & odit.
Sic fautor veterũ, vt tabulas peccare vetanteis,
Quas bis quinque viri ſanxerunt fœdera regũ,
Vel Gabijs, vel cum rigidis æquata Sabinis:
Pontificum libros annoſa volumina vatum,
Dictitet Albano Muſas in monte locutas.
Si, quia Græcorum ſunt antiquiſſima quæq;
Scripta vel optima: Romani penſantur eadem
Scriptores trutina: nõ eſt quòd multa loquamur:
Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.
Venimus ad ſummum fortunæ. pingimus, atque
Pſallimus, & luctamur Achiuis doctius vnctis.
Si meliora dies, vt vina, poëmata reddit:
Scire velim chartis pretiũ quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos, veteréſque referri debet, an inter
Vileis atque nouos? excludat iurgia finis.
Eſt vetus, atque probus, centũ qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor vno menſe vel anno:
Inter quos referendus erit? veterés-ne Poëtas,
An quos & præſens & poſtera reſpuet ætas?
Iſte quidem veteres interponetur honeſtè,
Qui vel menſe breui, vel toto eſt iunior anno.
Vtor permiſſo, caudæq; pilos vt equinæ
Paullatim vello: & demo vnum. demo etiã vnũ:
Dum cadat eluſus ratione ruentis acerui,
Qui redit ad faſtos, & virtutem æſtimat annis:
Miratúrque nihil, niſi quod Libitina ſacrauit.
Ennius & ſapiens, & fortis, & alter Homerus,
Vt critici dicunt, leuiter curare videtur,
Quo promiſſa cadant, & ſomnia Pythagoréa.
Næuius in manibus non eſt: & mentibus hæret
Pœna recens: adeò ſanctũ eſt vetus omne poëma.
Ambigitur quoties vter vtro ſit prior: aufert
Pacuuius docti famam ſenis: Accius alti:
Dicitur Afrani toga conueniſſe Menandro:
Plautus ad exẽplar Siculi properare Epicharmi:
Vincere Cæcilius grauitate: Terentius arte.
Hos ediſcit: & hos arto ſtipata theatro
Spectat Roma potens: habet hos, numerátque poëtas
Ad noſtrum tempus Liui ſcriptoris ab æuo.
Interdum vulgus rectum videt: eſt vbi peccat.
Si veteres ita miratur, laudatq; poëtas,
Vt nihil anteferat, nihil illis comparet: errat.
Si quædam nimis antiquè, ſi pleraq; durè
Dicere credit eos, ignauè multa fatetur:
Et ſapit, & mecum facit, & Ioue iudicat æquo.
Non equidẽ inſector, delendáque carmina Liui
Eſſe reor: memini quæ plagoſum mihi paruo
Orbilium dictare: ſed emendata videri,
Pulchraq;, & exactis minimum diſtantia, miror.
Inter quæ verbum emicuit ſi fortè decorum: &
Si verſus paullo concinnior vnus, & alter:
Iniuſte totum ducit venditq; poëma.
Indignor quicquam reprehendi, non quia craſſe
Compoſitum, illepidéue putetur: ſed quia nuper:
Nec veniã antiquis, ſed honorẽ & præmia poſci.
Rectè nécne crocum floréſque perambulat Attæ:
Fabula ſi dubitem: clament periiſſe pudorem
Cuncti pene patres. ea cùm reprehendere coner,
Quæ grauis Aeſopus, quæ doctus Roſcius egit:
Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducũt:
Vel quia turpe putant parêre minoribus: & quæ
Imberbi didicere, ſenes perdenda fateri.
Iam Saliare Numæ carmen qui laudat, & illud,
Quod mecum ignorat, ſolus vult ſcire videri:
Ingeniis non ille fauet, plauditq; ſepultis:
Noſtra ſed impugnat: nos noſtráque liuidus odit.
Quòd ſi tam Græcis nouitas inuiſa fuiſſet,
Quàm nobis: quid nunc eſſet vetus? aut quid haberet
Quod legeret, tererétque viritim publicus vſus?
Vt primùm poſitis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortuna labier æqua:
Nunc athletarum ſtudiis, nunc arſit equorum:
Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amauit:
Suſpendit picta vultum, mentemq; tabella:
Nunc tibicinibus, nunc eſt gauiſa tragœdis:
Sub nutrice puella velut ſi luderet infans:

Quod

Quod cupidè petiit, maturè plena relinquit.
Quid placet, aut odio eſt, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonæ, ventiq́; ſecundi.
Romæ dulce diu fuit, & ſollemne recluſa
Manè domo vigilare, clienti promere iura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos,
Maiores audire, minori dicere, per quæ
Creſcere res poſſet, minui damnoſa libido.
Mutauit mentem populus leuis: & calet vno
Scribendi ſtudio. puerique patréſque ſeueri
Fronde comas vincti cœnãt, & carmina dictant.
Ipſe ego qui nullos me affirmo ſcribere verſus:
Inuenior Parthis mendacior: & prius orto
Sole, vigil calamũ, & chartas, & ſcrinia poſco.
Nauẽ agere ignarus nauis timet. abrotonũ ægro
Non audet, niſi qui didicit, dare. quod medicorum eſt
Promittunt medici: tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctíque poëmata paſſim.
Hic error tamen, & leuis hæc inſania quantas
Virtutes habeat, ſic collige. vatis auarus
Non temerè eſt animus: verſus amat: hoc ſtudet vnum:
Detrimenta, fugas ſeruorum, incendia ridet:
Non fraudem ſocio, pueróve incogitat vllam
Pupillo: viuit ſiliquis, & pane ſecundo:
Militiæ quamquam piger & malus: vtilis vrbi.
Si das hoc paruis quoque rebus magna iuuari:
Os tenerum pueri, balbumq́; Poëta figurat:
Torquet ab obſcenis iam nunc ſermonibus aurẽ:
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Aſperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ.
Rectè facta refert: orientia tempora notis
Inſtruit exemplis: inopem ſolatur & ægrum.
Caſtis cum pueris ignara puella mariti
Diſceret vnde preces, vatem niſi Muſa dediſſet?
Poſcit opem chorus, & præſentia numina ſentit,
Cæleſtes implorat aquas docta prece blandus:
Auertit morbos: metuenda pericula pellit:
Impetrat & pacem; & locupletẽ frugibus annũ.
Carmine dij ſuperi placantur: carmine manes.
Agricolæ priſci, fortes, paruoq́; beati,
Condita poſt frumenta leuantes tempore feſto
Corpus & ipſum animum ſpe finis dura ferentẽ
Cum ſocijs operum & pueris & coniuge fida
Tellurem porco, Siluanum lacte piabant;
Floribus, & vino Genium memorem breuis æui.
Feſcennina per hunc inuenta licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit:
Libertáſque recurrenteis accepta per annos
Luſit amabiliter, donec iam ſæuus apertam
In rabiem cœpit verti iocus, & per honeſtas
Ire minax impunè domos. doluere cruento
Dente laceſſiti. fuit intactis quoque cura
Conditione ſuper communi. quin etiam lex,
Pœnaq́; lata, malo quæ nollet carmine quemquã
Deſcribi. vertêre modum formidine fuſtis
Ad benedicendum delectandumq́; redacti.
Græcia capta ferum victorem cepit: & arteis
Intulit agreſti Latio. ſic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, & graue virus
Munditiæ pepulere. ſed in longum tamen æuum
Manſerunt, hodieq́; manent veſtigia ruris.
Serus enim Græcis admouit acumina chartis:
Et poſt Punica bella quietus, quærere cœpit, (rẽt.
Quid Sophocles & Theſpis, & Aeſchylus vtile fer-
Tentauit quoque rem, ſi dignè vertere poſſet:
Et placuit ſibi natura ſublimis, & acer.
Nam ſpirat tragicum ſatis: & feliciter audet,
Sed turpem putat in ſcriptis metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arceſſit, habere
Sudoris minimum: ſed habet comœdia tanto
Plus oneris, quanto veniæ minus. aſpice, Plautus
Quo pacto parteis tutetur amantis ephebi:
Vt patris attenti, lenonis vt inſidioſi:
Quantus ſit Doſſennus edacibus in paraſitis.
Quàm non aſtricto percurrat pulpita ſocco.
Geſtit enim nummũ in loculos dimittere: poſt hoc
Securus cadat, an recto ſtet fabula talo.
Quem tulit ad ſcenam ventoſo gloria curru,
Exanimat lentus ſpectator: ſedulus inflat.
Sic leue: ſic paruũ eſt, animũ quod laudis auarũ
Subruit, aut reficit. valeat res ludicra ſi me
Palma negata macrum, donata reducit opimũ.
Sæpe etiam audacem fugat hoc, terretq́; poetã,
Quòd numero plures, virtute & honore minores,
Indocti ſtolidíque & depugnare parati,

Si diſcordet

Si diſcordet eques, media inter carmina poſcunt
Aut vrſum aut pugiles. his nam plebecula gaudet.
Verùm equitis quoque iam migrauit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos, & gaudia vana.
Quatuor aut plureis aulæa premuntur in horas,
Dum fugiunt equitū turmæ, peditumq; cateruæ.
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.
Eſſeda feſtinant, pilenta, petorita, naues.
Captiuum portatur ebur, captiua Corinthus.
Si foret in terris rideret Democritus, ſeu
Diuerſum confuſa genus panthera camelo,
Siue elephas albus vulgi conuerteret ora.
Spectaret populum ludis attentius ipſis,
Vt ſibi præbentem mimo ſpectacula plura.
Scriptores autem narrare putaret aſello
Fabellam ſurdo. nam quæ peruincere voces
Eualuere ſonum, referunt quem noſtra theatra?
Garganū mugire putes nemus, aut mare Tuſcū:
Tanto cum ſtrepitu ludi ſpectantur, & artes,
Diuitiæq; peregrinæ: quibus oblitus actor
Cùm ſtetit in ſcena, concurrit dextera læua.
Dixit adhuc aliquid? nil ſanè. quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne fortè putes, me, quæ facere ipſe recuſem,
Quæ rectè tractent alij, laudare malignè:
Ille per extentum funem mihi poſſe videtur
Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falſis terroribus implet,
Vt magus: & modò me Thebis, modò ponit Athenis.
Verùm age, & his qui ſe lectori credere malunt,
Quàm ſpectatoris faſtidia ferre ſuperbi;
Curam redde breuem: ſi munus Apolline dignum
Vis complere libris, & vatibus addere calcar:
Vt ſtudio maiore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala ſæpè Poëtæ:
(Vt vineta egomet cædam mea) cùm tibi librum
Sollicito damus, aut feſſo: cùm lædimur, vnum
Si quis amicorum eſt auſus reprehendere verſum:
Cùm loca iam recitata reuoluimus irreuocati:
Cùm lamentamur non apparere labores
Noſtros, & tenui deducta poëmata filo:
Cùm ſperamus eò rem venturam, vt ſimul atque
Carmina reſcieris nos fingere, commodus vltrò
Arceſſas, & egere vetes, & ſcribere cogas.
Sed tamen eſt operæpretium cognoſcere, quales
Aedituos habeat belli ſpectata, domique
Virtus, indigno non committenda poëtæ.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui verſibus & malè natis
Rettulit acceptos regale numiſma Philippos.
Sed veluti tractata notam, labemq; remittunt
Atramenta, ferè ſcriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt. idem Rex ille, poëma
Qui tam ridiculum, tam carè prodigus emit:
Edicto vetuit, ne quis ſe, præter Apellem,
Pingeret; aut alius Lyſippo duceret æra,
Fortis Alexandri vultum ſimulantia. quòd ſi
Iudicium ſubtile videndis artibus illud
Ad libros & ad hæc Muſarum dona vocares:
Bœotum in craſſo iurares aëre natum.
At neque dedecorant tua de ſe iudicia, atque
Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius Variúſque poëtæ:
Nec magis expreſſi vultus per aënea ſigna,
Quàm per vatis opus mores, animíque virorum
Clarorum apparent. nec ſermones ego mallem
Repentes per humū, quàm res componere geſtas:
Terrarúmque ſitus, & flumina dicere, & arces
Montibus impoſitas, & barbara regna, tuiſque
Auſpicijs totum confecta duella per orbem,
Clauſtráque cuſtodem pacis cohibentia Ianum,
Et formidatam Parthis, te principe, Romam:
Si, quantū cuperē, poſſem quoq;: ſed neq; paruū
Carmen maieſtas recipit tua: nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recuſent.
Sedulitas autem, ſtultè quem diligit, vrget:
Præcipuè cùm ſe numeris commendat, & arte.
Diſcit enim citius, meminitq; libentius illud,
Quod quis deridet, quā quod probat & veneratur.
Nil moror officiū, quod me grauat: ac neq; ficto
In peius vultu proponi cereus vſquam,
Nec prauè factis decorari verſibus opto:
Ne rubeam pingui donatus munere: & vnà
Cum ſcriptore meo capſa porrectus operta,
Deferar in vicum vendentem tus, & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

COMMENTATOR.

CVM *tot ſuſtineas & tanta negotia ſ.* Auguſto increpanti Horatium quòd non ad ſe quoque plurima ſcriberet, vt Suetonius auctor eſt, in primis cum laude Cæſaris ſeſe excuſat, ne ipſum in republica occupatũ, ſuis ſcriptis detineret. deinde paulatim eò delabitur, vt iudiciũ ſui tẽporis damnet, quo antiqui Poëtæ laudantur quidem propter vetuſtatem, ſed noui contemnuntur, etiamſi veteribus ſint meliores. *ſolus.* mirè ſolus. apparet enim deuicto Antonio, & mortuo iã Lepido, qui triumuiri cũ Auguſto fuerant, hanc epiſtolam ad Cæſarem ſcriptã. *tuteris.* protegas. *moribus.* ſuis. *legibus.* tuis. *in publica* in reipublicæ vtilitatẽ delinquam. *longo ſermone.* lõgis & prolixis ſcriptis. *morer.* tardẽ, occupẽ. *tua tẽpora.* quibus occupatus es: aut tempora regni tui. *Romulus.* laudat virtutẽ Cæſaris, qua dicit ei ſoli contigiſſe, vt inuidiam viuus ſuperaret. *& cũ Caſtore Pol.* fratres fuere filij Ledæ. *poſt ingentia.* poſt finẽ vitæ. *deorũ in temp.* diuinis honoribus conſecrati. *hominumq́; col. g.* du excolunt, & ad meliorem ſtatũ perducunt. *componunt.* ſedant, finiũt. Virg. ante diem clauſo cõponet veſper Olympo. *agros aſſignãt;* dũ diſtribuunt colonias, id eſt, cùm vacuas hominibus ciuitates aliunde adductis habitatoribus implent, & agros eis adiacenteis diuidũt. *oppida condunt.* iucundè. dum ea, inquit, faciunt quæ tu, & tamen nõ fuerunt tam grata. *plorauere.* ſupp. dum hæc omnia fecere. *fauorem.* laudem. *ſperatum.* à populo. *qui contudit.* Herculem ſignificat; qui inter duodecim nota portenta Hydrã quoque peremit: qui licet tantæ fortitudinis eſſet, non caruit tamen inuidia donec mortuus eſſet. *fatali.* mirè fatali: ita namq. hic labor ſemper exercuit Herculem, vt fatalis crederetur. vt Poëta, vt duros mille labores rege ſub Euryſtheo fatis Iunonis iniquæ pertulerit. aut fatali, id eſt, capitali. vt fatalis inceſtúſque iudex. *comperit.* cognouit. *domari.* compeſci poſt mortem. ſic alibi, virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis quęrimus inuidi. *vrit enim.* inuidiæ labore ſtimulat, inuidos facit. *fulgore.* ſapientia ſua, *pragrauat.* auget. *extinctus.* mortuus, ſup. tamen. *præſenti.* viuenti. *maturos.* opportunos, ante conſecrationem. *honores.* deorum. *iurandas.* ad quas iurare debemus per nomen tuum. Exequitur dicere quorſum iſta tendant: & eſt ſenſus, aliis quidem poſt mortem impendimus honores ædificando templa, conſecrando altaria, ſupra quæ iuramentum perſoluatur, ſed id tibi viuo impendimus. *nil.* nullum talem. *aliâs.* alio tempore. *nil ortum t.* adhuc, qualis tu es. *ſed tuus hic pop.* ſenſus eſt: tuus populus Romanus hoc tantum bene iudicat, quòd te omnibus præfert, ſed in aliis errat, quæ nõ ſimili ratione ponderat, dum omnia noua faſtidit, etiam ea quæ à Poëtis ſcribuntur nouis, adeò delectatus veteribus, vt leges 12. tabularum, & fœdera cũ antiquis regibus facta, cum Sabinis & libros annaleis, ita veritati habeant conſona, quaſi Muſæ ea cecinerint in Albano monte. *in vno.* in vna re. *ducibus.* regibus. *æſtimat.* diiudicat. *ſemota.* abſtracta, ac per hoc defuncta, completa. *faſtidit.* ille populus. *ſic.* adeò. *bis q. viri.* id eſt, decemuiri: nam poſtea duæ tabulæ ſunt additæ. *ſanxerunt.* confirmarunt. *æquas a.* conſociata. *Sabinus.* cum quibus æquabãt cõditiones. *pontificum lib.* quos Numa ſcriptos reliquit. *annoſa volumina.* Epexegeſis veterum Poëtarum & Sibyllarum futura prædicentium. *Muſas in mont. lo.* quia Egeria Nympha dicitur cũ Numa Pompilio in Albano monte fuiſſe locuta. *ſi quia Græcor.* ſenſus eſt: ſi Romanus populus ideò negat nouellos Poëtas bonos eſſe, quia non ſunt antiqui, nihil reſtat, niſi vt denegemus ea quæ ſunt naturalia: ita vt os oleæ non ſit durum, nec teſta nucis: quod eſt contrarium. *trutina.* eodem examine quo Græci. *quòd multa loq.* contra eorum iudicium eamus. *nil.* ſupp. eſt duci. *venimus.* ergo perfecti ſumus, nõ habet amplius fortuna felicitatis quicquã quod nobis præſtet. *pingimus.* nos Romani. *dies.* proceſſus temporis. *arroget.* afferat. id eſt, ſi vetuſtas, inquit, & honeſtas in carmine tamquam in vino per tempus inquirenda eſt, velim ſcire quotus annus laudabile carmen efficiat: vtrũ illud quod retro centũ annis compoſitũ eſt, an illud quod nuper. *ab hinc.* retrò. *decidit.* mortuus eſt. *perfectos.* ideo perfectos, quia veteres. *referri.* computari. *vileis.* ideo vileis, quia nouos. *finis.* annorum definitio. *eſt vetus.* annorũ determinatio. *probus.* laudabilis ille Poëta. *quid? qui dep.* defunctus eſt? interrogatiuè. *minor.* iunior. id eſt, quid de illo Poëta dicemus, qui poſt illum qui ante centũ annos mortuus eſt, deficit vno tantùm anno vel menſe poſterior? *an quos.* an inter eos ſcilicet nouos. *reſpuat.* non quia indoctos, ſed quia nouos. *iſte quidem.* reſponſio. *anno.* de centum annis. *vtor permiſſo.* Horatius. *paullatim.* ſicut, inquit, paullatim carpitur cauda equi quouſque tota ſit extracta, ita & ego paullatim euellam numerum centum annorum, donec ſubducto aceruo numeri decipiatur ille qui per vetuſtatem temporis laudat Poëtas, & æſtimat virtutem carminis numero annorũ. *ruentis acerui.* hic aceruus eſt Sorites, qui prædominans eſt, cùm falſitatem veritate confirmat: vt ſi quis dicat, Dico me mentiri & mentior, verum igitur dico. eſt etiam Sorites cùm vltra modum capacitatis aſſenſionem audientis breui adiectione producit, dicendo, vnum, & vnum. vt hic Horatius facit. *faſtus.* annaleis.

virtutem. ſup. carminis. *miratúrque.* probat. *Libitina.* facetè dictum: quaſi à feretro laudationem Poëta defunctus accipere debeat. *Libitina.* feretrū, id eſt, mors. *Ennius & ſap.* Philoſophus; nam vidit in ſomnis animam Pythagoræ in ſuum corpus deueniſſe. *& fortis.* bellicoſus, propter animam Euphorbi quæ tranſierat in Homerum. *& alter Hom.* quia ſe eius animam habere dicebat. *critici dic.* κρίσις, id eſt, iudicium: κριτικὸς, id eſt, iudex ſingularum rerum: itaque ſecundum criticorum ſententiam Ennius ſecundus fuit ab Homero. per hos ergo Poëtas qui ſequuntur, oſtendit ſapientiores eſſe nouellos quàm veteres; quia quanto iuniores, tanto perſpicaciores. *leuiter curat.* non curat. *quo promiſſa.* quem ſucceſſum habeant, vtrùm ea ſit nec ne: id eſt, an Pythagoræ μετεμψύχωσις vera ſit an falſa, hoc eſt, animæ tranſmigratio ex vno corpore in aliud corpus. *Næuius.* iunior Poëta. *in manibus.* in vita. *&.* ſupp. tamē. *mentibus.* ſupp. legentium. *ſanctum.* venerabile. *ambigitur.* dubitatur. *vter vtro.* vter de duobus dicitur; quis de pluribus. *prior.* melior. *ſenis.* Sophoclis. *alti.* Euripidis. Actius iunior poëta ſuo ingenio præcelluit Euripidem, qui fuit altus & ingenio ſublimis. *Afrani toga.* Afranius togatam Comœdiam ſcripſit, id eſt, Latinam; nam Græcæ Palliatæ dicebantur. Afranius in Comœdia ſecutus eſt ſtylum Menandri, & ideo toga dicitur illi conueniſſe, id eſt, ſtylus. *properare.* appropinquare laudi Epicharmi, qui fuit antiquus Comicus Sicilienſis. *vincere.* ſupp. dicitur alios Comicos. *grauitate.* verborum. *Terent. arte.* proprietate verborum & diſpoſitione, vnde principatum inter omneis Comicos habere dicitur. *hos ediſcit.* antiquiores, Næuium, Pacuuiū, Actium, Afranium &c. memoria tenent Romani & admirantur in theatris, deſpicientes iuniores licet præcellant. *ſtipata.* circumdata. *ſpectat.* admiratur. *hos.* veteres. *ad noſtrum.* ſupp. vſque. *Liui.* pro Liuij. Liuius Andronicus antiquiſſimus Poëta primus Comœdias ſcripſit. *eſt.* ſupp. aliquid in quo peccat. *miratur.* vulgus. *anteferat.* præponat illis. *comparet.* coæquet. *errat.* ſupp. meo iudicio. *credit.* affirmat. *ignauè.* humiliter & ruſticè. ordo eſt, etſi fatetur eos multa ignauè dicere. *mecum facit.* mecum ſentit. *æquo.* ſibi propitio. *inſector.* detraho. expurgat ſe dicens, quòd non per inuidiam talia loquatur de veteribus Poëtis: non cenſeo, inquit, delenda carmina Liuij, quę quondam mihi dictauit ſęuus Orbilius magiſter, ſed indignor & miror aliis ea præferri tamquam emendata, nihílque diſtantia à perfectis carminibus, cùm adhuc ſint mendoſa. *plagoſum.* plagas inferre gaudentem. *Orbilium.* doctorem meum. per tranſitum carpit & ludit Orbilium ludimagiſtrum. *exactis.* perfectis. *inter quæ.* carmina Liuij. *enituit.* ex inſperato apparuit. *concinnior.* ſonorior. *venditq;.* laudatione cōmendat & pro honeſto computat quod vile eſt. *reprehendi.* in recentioribus. *craſſè.* ruſticè. *illepidéque.* indecenter. *ſed.* ſup. indignor ob hoc reprehendi quod nuper compoſitum eſt. *nec veniam.* ſup. indignor poſci antiquis, ſed eis deferri præmia & honores. *Attæ.* antiqui Poëtæ. *fabula peram.* quę inſcribitur Matertera, rectè necne perambulet crocum floréſque, id eſt, in ſcenam recepta ſit, quæ floribus & croco ſpargitur. *ſi dubitem.* quid ergo fore credes ſi reprehendam? *patres.* ſenes, aut ſenatores. *grauis.* compoſitus. *doctus.* peritus actionis. Aeſopus autem & Roſcius fuere nobiliſſimi hiſtriones. *egit.* in ſcena recitauit. *ducunt.* quibus ſola placet antiquitas. *parere.* culpari à minoribus. *imberbi.* in ſua pueritia. *perdenda.* amittenda, obliuioni tradenda. *fateri.* ſup. turpe putant. *Saliare Numæ c.* quod ſacerdotes Salij cantabant; qui Salij dicebantur, quia circū aras ſaliendo canebant. carmen autē Numę erat hymnus quem fecit cantari à xij. ſacerdotibus Martis miniſtris, in celebritatem illius diei qua ancile de cælo cecidit. fuerat enim fatatum, quod quàm diu illud haberet Romanum imperium, nō pateretur detrimentum aut periculū alicuius deſtructionis. *quod mecum.* qui dicit me neſcire quod ipſe neſcit. *ingeniis.* maiorum, quibus non tam fauet quàm nos odit. *ſepultis.* defunctis. *noſtra.* ſcripta nouorum Poëtarum. *nouitas.* noui Poëtæ. *tereretque.* in vſum conuerteret. *viritim.* per ſingulos viros. *vt primum.* poſtquam. *poſitis.* depoſitis. *nugari.* ludere & otia ſectari. *in vitium.* deliciarum propter proſperitatem fortunæ. *nunc.* aliquando. *athletarum.* certaminum. *arſit.* cupidè deſiderauit. *marmoris.* ſup. nunc, id eſt, aliquando. *fabros.* artifices. *amauit.* cupidè petiit. *ſuſpendit.* ſup. nunc. id eſt, habuit vultum ſuſpenſum, id eſt, dependentem à tabulis pictis, id eſt, admirata eſt picturas. *tibicinibus.* tibia canentibus & fiſtula. *tragœdis.* actionibus Tragicis. *ſub nutrice.* hoc eſt, ita laſciuiebat, inquit, populus per diuerſos ludos, ſicut puella ſub nutrice ſolet laſciuire. *cupidè pet.* ſup. Græcia. *maturè.* celeriter. *plena.* id eſt, ſatiata, vt alibi, & amata relinquere pernix. *aut odio.* alicui oſtendit nil nos amare vel odiſſe, quod tandem ſatietate non mutetur. *hoc paces h.* vt diuerſis ſtudiis animi paſcerentur. *ventique ſec.* proſpera Roma. *Roma.* ſup. quondam. tranſit à Græcorum ſtudiis ad veterum Romanorū conſuetudinem, quæ à poſteris fuit mutata leuitate populi, verſáque in ſtudium poëtriæ. *ſollemne.* conſuetudine vſitatum. *recluſa.* aperta. *clienti.* amico minori.

promere iura. de iure reſpondere. *cautos num.* ſub chirographo datos. *nominibus.* idoneis debitoribus. an rectis, honeſtis & legitimis, non etiã illicitis? *maiores.* ſenes. *minori.* iuniori. *dicere.* ſup. ſtudia. *creſcere res.* augeri bona. *damnoſa.* proprium epitheton libidinis. *mutauit men.* hoc eſt, omnibus dictis ſtudiis poſtpoſitis poëticen ſolam complectitur. *calet.* feruet, accenditur, incitatur. *pueri pat.* omnis ætas. *ſeueri.* proprium Epithetõ. *fronde.* edera, quæ eſt Poëtarum. *ipſe ego.* Satyricè; nam ſibi quoque nõ pepercit. *Parthis.* qui perfidi ſæpe fuere ducibus Romanis; nam Craſſo datis induciis, rupto fœdere ſubito eũ adorti ſunt & peremerunt. *mendacior.* dicit tanto ſe ſtudio Poëtices teneri, vt in publico quidẽ mentiretur ſe verſus ſcribere; at domum tamen reuerſum ante ſolis ortum tabellam arripere. *prius orto ſ.* ante ortum ſolem. *nauem ag.* ducere, gubernare. hæc exempla faciunt contra Poëtas, qui audent ſcribere verſus, cùm tamen ſint ignari poëticę. quando in aliis ſtudiis nemo ſit tam temerarius, qui audeat aliquid niſi antea perdoctus. *ignarus nauis.* Perſ. nauem ſibi ſi poſcat peronatus arator luciferi rudis exclamet Melicerta periiſſe frontem de rebus. *abrotanum a.* Perſ. Diluis elleborum certo compeſcere puncto ignarus, vetat hoc natura. *didicit.* medicandi artem. *promittunt.* profitentur. *fabrilia.* opera. *ſcribimus.* nos Romani *indocti d.* ſic in arte poëtica: qui neſcit verſus, tamen audet fingere. *hic error.* quo docti indoctíque ſcribimus. *error.* paruus. *leuis.* leuitatis plena. *virtutes* vtilitates. *collige.* argumentare. docet quomodo poſſet diſcerni bonus Poëta à falſo, ſeruans bonũ ordinem ſecundũ artis præcepta, dum oſtendit quibus malis carere debeat, & quæ in ſe habere bona. *detrimenta.* damna. *ridet.* pro nihilo deputat. *ſocio.* ſuo. *incogitat.* intendit, molitur, non cogitat. *ſiliquis.* leguminibus. *pane ſecundo.* non ſiligineo, nõ primo, non poſtremo, ſed diſpenſatorio. *piger.* malus, imbellis, ῥᾴθυμος, ſegnis. *vtilis.* ſup. tamen eſt. *ſi das hoc.* ſi permittis ô Cæſar. *paruis quoque.* id eſt, vt magnæ res iuuentur paruis. oſtẽdit non paruam vtilitatem ſuis carminibus poëtas afferre vrbi; nam pueris & puellis patrimis & matrimis ea decantantibus irati dij placari creduntur: quale eſt ipſius carmen ſæculare in Capitolio ſic cantatum. hoc autem antiquitus ita inſtitutũ fuit pro fœlici ſtatu reipubl. vt ætas innocentior carmine Deos placaret. *figurat.* cõponit docendo: poëticis lectionibus os infantis adhuc debile balbúmque corrigitur. Perſ. & tenero ſupplantat verba palato. *iam nunc.* à puero. *ſermonibus.* vitioſis & turpibus. *mox etiam.* deinde *pectus.* pueri. *format.* informat. *amicus.* vtilibus & honeſtis ſententijs. *corrector.* monitor & caſtigator. *refert.* laudat. *orientia tem.* futuræ ætatis. *notis* præteritis rebus geſtis. *ſolatur.* præceptis Philoſophicis. *ignara puell mar.* virgo. *preces.* hymnos verſibus compoſitos, dithyrambos, pæanas, odas, proſodias &c. *chorus.* puerorum ac virginum. *præſentia.* propitia. *implorat.* ipſe chorus. *docta pra.* doctè compoſita, vel quam didicit. *auertit.* carmine. vt Maro de morbis, Timidi damæ morbique fugaces nunc interque canes & circum tecta vagantur. *pacem* deorum & finem belli. *fortes.* ad laborem. *paruóque bea.* paucis contenti. *condita poſt.* poſt meſſem. *leuantes.* releuantes. *tempore.* die. *corpus.* ſuum à laboribus. *finis.* ipſius laboris. *pueris.* filiis, vt ne pueri ne tanta animis. aut pueris, id eſt, vernis. *Tellurem.* Cererẽ. *porco.* ſue vel porca. *Genium.* deum naturæ. *aui.* vitæ. *Feſcennina.* iocularia carmina, probroſáque: ſic dicta à loco vnde primùm proceſſerunt. *licentia.* petulantia, propter laſciua & proterua verba. *morem.* conſuetudinem cantandi, & mutua opprobria obiectandi. *libertáſque.* Feſcennini carminis. *accepta.* cõfirmata. *annos rec.* ſingulos. *luſit amabil* quia tam diu luſus, comœdiæ, & carmina Feſcennina fuerunt amabilia, donec ipſa libertas verteretur in vitium maledicentiæ publicæ, nominatim vitia carpendo: Quare indignati non ſolùm illi qui detractionibus contumeliiſque laceſſebantur, verùm etiam quibus ingratũ erat nobilibus perſonis contumeliam inferri, lege conſtituerunt, vt nemo nominatim carperet aliquem niſi fuſtibus cædi vellet. *apert. in rab.* in aperta conuicia. *ire domos.* familias nobileis. *minax.* terribilis. *dente cruento.* morſu detractionis. *laceſſiti.* nobiles. hæc ad Comœdiam archæam, id eſt, antiquam ſunt referenda, quæ mordax fuit ſub Polemone Comico apud Athenienſeis, quæ poſtea ad Romanos tranſiit. *fuit intactis.* licet non carperentur, tamẽ alios carpi dolebant, timenteis ſe quoque aliquando lædi poſſe. *quin etiam l.* qua cautum eſt ne quis carmẽ maledicum ſcriberet. *vertere mod.* rationem ſcribendi. *formidine fuſt.* propter ſupplicium fuſtuarium cõſtitutum in auctorem carminis maledici. *ad benedic.* non lacerandum aliquem aut vituperandum. *victorem.* Romanum principem. *cepit.* gratia litterarũ. *agreſti.* adhuc indocto, quia ante cognitionem artium ruſtici erant & rudes. *ſic.* per tranſlationem liberalium artium. *horridus.* incompoſitus. *defluxit.* mollius cœpit fluere, aut deſiit. *numerus Satur.* id eſt, vetus carmen Italiæ: Saturnia enim Italia dicta eſt. *graue virus.* morũ ruſticitas & carminum id eſt, poëſis quæ erat Saturni temporibus. *munditia.* artes liberales aſſiduo ſtudio excultæ. *anum.* ſæculum. *veſtigia rur.*

ruſticitatis ſimplicitatiſque in Romanis Poëtis. *ferus*. Romanus. *acumina*. oculorum, ſenſuum, ing. nij. *quietus*. fugato Annibale. oſtendit poſt deuictam Africam Romanos cœpiſſe poëticę operam dare. *quid Sophocles?* omnes Græci Poëtæ. *ferrent*. dicerent. *tentauit* populus Romanus. *rem*. poëma Græcum. *vertere*. transferre in ſermonem Latinũ. *placuit ſibi*. populus Romanus. *natura*. ingenio naturali *Tragicũ*. ſublimem materiá aggreditur. *feliciter*. ſup. quod incipit. *metuitq; lit.* timet emẽdari quod ſcripſit: & hæc cauſa eſt cur ingenia Latinorum non perueniunt ad perfectionem, quòd ſtultè erubeſcant. *ex medio* ex vulgo. *quia res arceſſit*. quia vulgareis res ſcribit. eſt autẽ hyperbaton. ordo eſt, Comœdia creditur habere minimũ ſudoris, quia arceſſit res ex medio, id eſt, quia de communibus rebus loquitur: vt in arte poëtica, ex noto carmen fictum ſequar. *oneris*. in ſcribendo. *aſpice Plau.* hortatur lectorem vt ſtudioſè conſideret, quomodo Plautus diſcurrat per Comœdiam, pueris, ephebis, patribus, ſeruis, ſingulis perſonis ſuas parteis tribuẽdo. *parteis tut.* ſenem vt ſenem, puerum vt puerum deſcribendo, &c. *attenti*. auari, ſeueri. *inſidioſi*. loculis inſidiantes. *quantus*. ſup. aſpice. *Doſſennus*. Attellanarum ſcriptor. *edacibus*. guloſis adulatoribus. *non aſtricto*. ſed amplo. *ſocco*. eloquio. metaphor. notat loquacitatem ipſius: modeſtus enim & parcus in ſermone dicitur habere quaſi aſtrictum ſoccum. *geſtit*. gaudet Doſſennus magis lucrum quàm laudem adipiſci. *poſt hæc*. poſt lucrum perceptum. *cadat an r. ſt.* placeat an explodatur. *quem tulit*. tranſit ad glorioſum Poëtam, qui ſi nõ laudetur & animum & artem abiicit, triſtatúrque: cõtrà, laudari ſe videns fit temerarius ac tumeſcit. *quem*. ſup. poëtam adduxit. *gloria*. vana. *lentus*. piger & negligens. *ſedulus*. diligens, attentus. *inflat*. ſupp. gaudio, ſuperbire facit. *ſic leue*. ita breuis & parua eſt laus ſubtracta vel adhibita *valeat*. abeat, pereat. *ludicra* iocularis, Comœdia. *palma*. laus. *macrum*. triſtem. *opimum*. reddat lætũ. *audacem*. bonum & fortem. digreſſio. *quòd*. ſupp. ſint. *plures*. ſup. quàm docti. *ſi diſcordet eq.* equeſtris dignitas. hoc eſt, ſi equeſtris dignitas obmurmurando ſtudium populi ſibi diſplicere oſtendat, ſtatim ad arma conclamat populus, carminaq; remouenda, & alios ludos producendos. *media int. car.* quæ recitantur. *aut pugil.* Terent. pugilum gloria, funambuli eodem acceſſit expectatio. *his*. ludis. *gaudet*. hos ludos præfert carminibus. *iam migrauit*. à nobilium virorum auribus receſſit delectatio audiendorum carminum, qui tamẽ verus iudex eſſe ſolebat. *voluptas* carminũ. *ad incertos oc.* ad incerta ludorũ ſpectacula. *premuntur*. impediuntur, ſeu diu preſſa quieſcunt. *aulæa*. apparatus prætextatæ. *dum fug.* id eſt, dum Pyrrhicha populus delectatur. *trahitur*. ſup. dum. *manibus reg. for.* id eſt, reges captiui trahuntur: videtur Iugurtha cum duobus ſuis filiis vinctus repręſentari ad illuſionẽ. *eſſeda feſt.* hæc vehicula ſunt captiuorum: ſunt autem Gallica. *pilenta*. vehicula matronarum, ſicut petorrita famularũ. & hæc omnia ad ſpectaculum adducebantur. *naues*. aut in pictura, aut dum trahuntur per Tiberim, qui nõ aberat procul à theatro. *portatur*. in ſpectaculum. *captiua Corint.* opes Corinthi, vaſa Corinthia, & ipſa vrbs depicta. ſenſus autem eſt, dum Poëtæ recitarent in ſcena ſua carmina, vel dum ageretur Comœdia, populus ad treis vel quatuor horas cõuertit ſuos oculos ad alia ſpectacula, quæ in theatro exhibebantur: deinde exorabat beſtiarum magiſtros, vt adducerent in theatrum Camelopardalim, aut Elephantum album: quo etiam ſe conuertebant nobiliores aliqui, qui præcipiebant ceſſare recitationem carminum, aut Comœdiam intermitti. quæ res non parùm turbabat poëtas. *ſi foret*. ſi viueret. *rideret*. ſtultitiam hominũ. *panthera cam.* dicitur enim Camelopardalis naſci ex panthera & camelo. *ſiue elep alb.* qui inuentu rarus eſt. *ſpectaret*. Democritus, & rideret. *ſibi*. Democrito. *præbentem*. populum. *mimo*. quàm mimus, hiſtrio. *ſcriptores*. poëtas. *putaret*. Democritus. *Garganũ*. Garganus mons eſt Apuliæ. *artes*. mimorum. *diuitiæ per.* in veſtitu actoris &c. *quibus*. diuitiis peregrinis, vario cultu. *oblitus*. indutus, quaſi circumlitus & commaculatus. *concurrit dex l.* plauſus datur, priuſquam aliquid dicatur. *dixit adhuc*. interrogatiuè legendũ. loquitur ex perſona eorum qui recedentes à pulpito ad ludos ierant, iterúmq; iterúmq; requirũt, vtrũ actor aliquid boni vel noui dixerit. *nihil ſanè*. reſpondet ille. *quid placet*. ſup. populo. *lana Tarent.* id eſt, ſola veſtis actoris. *lana*. ſup. tincta. *veneno*. fuco. *ne fortè p.* ô Auguſte. ſenſus eſt, ne ô Cæſar fortaſſe cogites me vituperare, quod alij faciunt Comœdi & Tragœdi, dicã tibi, ille Poëta videtur mihi bonus eſſe, & rem difficilẽ aggredi poſſe, & quaſi funambulus per funem diſcurrere, qui & vi carminis de inani re moderatur affectus animi mei, vt aliquid ſcribens nunc conſtringat animum ad dolorem, nunc prouocet ad fortia, mulceat iterum, nunc terreat, & quaſi magus promittat ſe agere magna: videlicet vt deſcribens locum Thebanum vel Athenarũ, mihi videatur eò me ſtatim transferre. *alij*. Comœdi vel Tragœdi. *per extentum f.* metapho. id eſt, iter rectè ſcribendi ingredi. *meum*. id eſt, cuiuſlibet. *inaniter*. re inani. *vt magus*. qui ſic immutat ſenſus humanos, vt credãt id eſſe verum

quod

quod non eſt. *verùm age.* ô Auguſte. *& his.* ſup. poëtis. *ſpectatoris.* alicuius è vulgo. *faſtidia.* qui nolunt ſe deſpici à populo Rom. *curam redde b.* ſup. attentè audiendo. *Apolline.* vt, quique pij vates, & Phœbo digna locuti. hortatur Auguſtum, vt videat diligẽter qui poëtæ ſint digni reponi in ſua bibliotheca, quos negligentiores vult excitari laude & muneribus. *vatibus.* ſup. negligentioribus. *calcar.* ſtimulum & irritamentum ſcribendi carminis. *multa quidem.* Satyricè non parcit ſibi, dicens ſe facere quod culpat in alijs. *vt vineta ego.* vt de me ipſo loquar, vt mihi non parcam. Prouerbiũ in eos dicitur, qui ſibi volentes nocent. *cadam.* reſecem. *cùm tibi libr.* enumerat culpas, ob quas poëtarum carmina licet bona habeantur tamẽ vilia, quarũ hæc eſt prima, importunitas oblationis. *vnum ſi quis ami.* ſecunda culpa, impotentia correctionis amicæ. *cum loca.* tertia, iteratio recitationis ſine iuſſu auditoris. *irreuocati.* iniuſſi, quæ nemo petit vt repetamus *cùm lamentamur.* quarta, querela ingratitudinis lectoris, qui nec laudat nec munera donat. *non apparere.* non vulgari, non laudari. *& tenui filo.* ſubtili artificio. *deducta poë.* ſup. non apparere. *cùm ſperamus.* quinta, ſpes magnificæ remunerationis à principibus viris. *vt ſimul.* mox. *commodus.* tu largus, vtilis. *arceſſat.* voces, adeſſe iubeas. inter accerſo & arceſſo hoc intereſt: accerſo, id eſt, voco, & venit à verbo accio accis, quod eſt quartæ coniugationis: arceſſo autẽ idem ſignificat quod & primitiuum eius à quo deriuatur, id eſt, arceo. Secundum Priſcianum arceſſo venit ab arcio, quod nunc dicimus adcio: & eſt cõpoſitum ex ar præpoſitione, & cio verbo, quod eſt voco, quia antiqui dicebant ar, pro ad. *ſed tamẽ eſt opera.* hoc eſt, dignum eſt vt cognoſcamus quis poëtarum dignus ſit ſcribere tua facta, quę nõ ſunt committenda inepto poëtæ. *æditnos.* æditui ſunt templorum cuſtodes & ſacerdotes, dicti ab æde & ſacris tuendis. hic poëtæ ſunt & vates, qui decantẽt virtutem Cæſaris pro meritis. *virtus.* ſup. tua, id eſt, tu Cæſar. *indigno.* indocto. *gratus Alexan.* notat Alexandrũ Magnũ, qui ſine iudicio poëtam Chœrilum dilexerit. *malè natis.* malè compoſitis, nõ ingenioſis. *regale numiſma P.* epexegeſis. *Philippos.* ordo eſt, qui Philippos regale numiſma retulit acceptos verſibus incultis, & malè natis. Philippi nummi Byzantini erant ſignati vultu Philippi regis patris Alexandri. *ſed veluti.* à ſimili. *tractata.* contrectata, contactu maculant & polluũt. *ferè.* ſup. ſic. *linunt.* obſcurant, perdunt, deturpãt. *idem.* Alexander. *tam carò.* caro pretio. *alius Lyſippo.* hoc eſt, alius quàm Lyſippus. noua locutio. Lyſippus inſignis fuit ſtatuarius. *duceret.* formaret, funderet. *ſimulantia.* exprimentia, reddentia. *voltum.* ora. *iudicium.* Alexandri, ô Cæſar. *vocares.* referres. *Bœotum.* durum ingenio. Bœoti hebetes ſunt habiti, quaſi βοῶν ὦτα ἔχοντες. Bœotus autem aliquis ex Bœotia. *craſſo aëre.* dicunt enim Philoſophi, quòd qui natus eſt, & viuit in craſſo aëre, non ſit ſubtilis ingenij. *natum.* Alexandrum. *at neque dedecor.* ordo eſt: at dilecti tibi Virgilius Variuſque poëtę, non dedecorant tua de ſe iudicia &c. *multa dantis.* tui, ô Auguſte. *tulerunt.* acceperunt, quia iam his ſingulis donauerat Auguſtus decies ſeſtertiũ. *nec magis exp.* per hęc Alexandro præfert Auguſtum. *per ahenea ſ.* ſup. apparent per fuſionem. *ſermones.* intelligit Horatius opus ſuum Satyrarum. *repentes per h.* humili ſtylo ſcriptos. *geſtas.* quæ tua virtus geſſit. *montibus impoſ.* quæ licet montibus eſſent impoſitæ, tamen à te captæ ſunt. *auſpicijs.* tuo ductu. *confecta.* finita. *Ianum.* templum Iani poſt deuictos hoſteis, totumque terrarum orbem pacatum clauſit Auguſtus. Virg. Claudentur belli portæ. *te principe.* exiſtente. *ſi quantum cup.* iuxta Ariſtarchum, qui dicebat ſe non poſſe ſcribere quod vellet, nec velle quod poſſet. *ſedulitas autem.* aſſiduitas autem in laudandis amicis. ſenſus eſt: imperitus laudator, dum nimium ſtudioſè laudat, magis vulnerat, & atterit amici gloriã, ſi malis verſibus id agat, quàm commendat: citius enim quis memoria complectitur quod ridiculum eſt, quàm quod eſt admiratione dignum; vt malus pictor magis deformat quàm ornat nimis curioſè pingendo. *vrget.* laudat. *nil moror.* nolo aggredi quod nequeo. *proponi cereus.* in publico poni fictus ex cera. *decorari.* laudari. *prauè factis.* prauis verſibus. *cum ſcriptore m.* in eodem enim libro eſt ſcriptoris nomen, & eius qui deſcribitur; vt in Virgilio Aeneas: in Homero Vlyſſes. *amicitur.* inuoluitur.

CRVQVIVS.

CVm *tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus.* Quod ex heroibus viriſque principibus factum erat antea nemini, in hoc Romanos nõ parum collaudat, qui viuo præſentíque Cæſari dicatis aris honores diuinos exhiberent, vt qui iudicarent ob res terra maríque geſtas ab eo, beneficiáq; in rempubl maxima nihil habere vetuſtatem cum Cæſare conferendum. Verùm eam iudicij rectitudinem non habere eos in ceteris, quaſi communi ſenſu deſtitutos, vehementer exprobrat, vt qui præſentibus neglectis, ſola ea cenſerent optima quæ eſſent antiquiſſima. Sed nec ferre poteſt eos aut poëtas viuos, aut recens eorũ ſcripta nulla nec lectione nec laude dignari. quod quàm ſit ab omni ſenſu alienũ, multis nec id leuibus, argumentis

demonſtrat: in primis Chryſippeis ſyllogiſmis per detractionem vnius anni & alterius tertijque à centenario, quo anno definita erant à Criticis antiquitatis laus & auctoritas: quam detractionem tantiſper fieri poſſe ait, dum centenarius ferè totus corruat, illudatúrque Criticum iudicium. Deinde veteres Poëtas cum recentioribus, & eorum inter ſe ſcripta committi cupit, vt eos vel ad mentem redire compellat, cognitis antiquorum non paucioribus, & fortaſſe craſſioribus quàm recentiorum vitijs: aut eos philautia doceat vel faſtu, vel odio præſenteis poëtas impugnare; quando certum ſit eos hoc facere, non quòd illepidè ineptéque, verùm quòd nuper ſcripſerint. id autem peruerſi iudicij de nouitate vitium non fuiſſe apud Græcos, teſtantur, inquit, monumenta veterum ſcriptorũ, quæ præſentium manibus teruntur: qui non minus bellis inter ſe, tumultibúſque finitis laſciuire, athletica exercere, marmora picturáſque admirari, ludos exhibere & carmina ſcribere pulchrum æſtimauerunt, quàm nunc Romani rebus omnibus terra maríque compoſitis: quos maiorum ſuorum ſeueris ſtudiis, inſtitutíſque vitæ, morumque præceptis longũ valere iuſſis, quid aliud ait quàm conuiuari, comiſſari, ludere, carmina conſcribere doctos indoctóſque, ſenes iuuenéſque? Quod certè ſcribendi ſtudium, inquit, etiamſi leui quædam ſit inſania; tamen quàm ſit vtile reipublicæ, vel hinc conijcere licet, quòd maior pars non agantur habendi cupidine turpique auaritia; ſed paucis contenti vitam degant penitus innocentem. & ſuo carmine fortunæ ludicra rideant, quæ miſeros ſollicitant, & animos hominum à curis perturbationibúſque liberare ſtudent. inſuper ſi paruis magna iuuari poſſunt, os pueri tenerum bene formatum, balbutire poëta dedocet, probíſque moribus ſermonibúſque iam aſſuefactum docet omnem pietatem, prauitatis omnis caſtigator & recti præcipit, & ventura prædicit: pia doctáque carmina decantare, deos iratos placare, & ab ijs fauſta omnia impetrare præſcribit. Sic agricolę primi cum coniuge liberíſque & vernis ruris labores ſolati cantionibus fabulíſque diis ſacra faciebant, luſeruntque amabiliter inter ſe, donec nimia licentia exiret in apertam maledicentiam; quæ tandem lege in auctores lata, pœnáque fuſtuaria coërcita eſt. Atqui ruditas illa ruſticitáſque antiqui carminis, tum demum Græcis artibus expoliri cœpta eſt, quando poſt bella Punica Sophocles, Theſpis, Aeſchylus & id genus ſcriptores Græci in manibus eſſe, eos Latinè vertere Romani ſcribendóq; imitari cœpere, ſatis quidem feliciter, ſatíſque Tragicè pro Romani animi ſublimitate; ſed quòd hunc deterreret auditoris exſibilatio; illi pro voto non reſponderet applauſus; alij odioſa eſſet populi leuitas, ab inſtituto à multis deſitum eſt, qui maluere à doctis, principibúſque viris ſua ſcripta legi, quàm inconſtanti ſuperbóq; populo recitari. Cuiuſmodi ſanè Poëtas ſimul & hortatur Horatius Auguſtum, vt ad ſcribendum muneribus extimulet; & eum non minimis laudibus effert; qui non ad Alexandri morem Chœrilũ aliquem ineptum ad præclara ſua geſta, factáque fortia deſcribenda, ſed magnifica, ſeq. principe digna largitione Poëtas excellentiſſimos, Virgilium Variumque inuitauerit deſtinaueritque. *Cùm tot ſuſt.* Exorditur à deprecatione breuitatis epiſtolæ, captans Auguſti beneuolentiam à negotiorũ magnitudine, quæ non patitur eum prolixis ſcriptis legendis operam dare. *res Italas.* illuſtratio negotiorum. *res Italas.* imperium & dignitatem Romanam. ſic Ode 14. lib. 4 ô tutela præſens Italiæ dominæque Romæ. *moribus ornes.* ſic Ode 15 lib. 4. Et ordinem rectum & vaganti frena licentiæ iniecit, amouítque culpas, & veteres reuocauit arteis. *legibus emendes.* eadem Ode 15 Non qui profundum Danubium bibunt edicta rumpent Iulia. *Romulus & Lib.* diuini honores Auguſto viuo publicè decreti à populo Romano, quod antea nec Romulo nec alicui ex heroibus contigerat per comparationem commendant Auguſto rempubl. Romanam. *Liber pater* cur Bacchus dictus ſit Liber pater, alibi à nobis dictum eſt. *in templa* an in cælos, qui templa ſunt deorum, ſanis in terra eis dicatis poſt mortem, ad denotandam ἀποθέωσιν. *dum terras h.* typus hic eſt optimi principis erga ſubditos. *oppida cond.* Tonſ. cod habet, ſirmant. *plorauere.* alludit ad τὸ οἰμώζειν ἀντὶ τοῦ πικραίνεσθαι, quod eſt indignãtis: hoc eſt, indignantes vlti ſunt ingratitudinẽ hominũ, quibus bene fecerant. *hydram.* hæc, inquit Apollodorus lib. 2. lernæa intra paludem Lernam enutrita plana omnia & campeſtria eruptione facta diſperdebat, in pecora & agros ſæuiebat &c. hunc legito. ſed huius fabulæ interpretationem videto apud Palæphatum De nõ credendis fabuloſis narrationibus. vide adagium, Hydram ſecas. *inuidiam ſup.* huius apud antiquos erat Hydra ſymbolum: eſt enim inuidia monſtrum inexpugnabile, innumeríſque capitibus armatum, quorum vno reciſo, protinus duo vel plura ſuccreſcunt. *vrit enim.* vrũt oculos omnia ſplendida διὰ τὰ ὀπτικά, non ſine dolore, dein hebetant & caligare faciunt: ita metaphoricôs, qui virtutes rebus geſtis reddunt graueis aliis & inimitabileis, nominis ſui ſplendore & gloria vrunt inuidos. Prægrauare arteis infra ſe poſitas, eſt virorum bonorum, fortium & artificũ, qui bene, fortiter, & ſapienter agendo, ſibi arteis virtutéſque quaſi ſubijciunt moderanturque, &

alijs

aliis propè inimitabileis præbent. *præſenti tibi.* ad Auguſtum, redditio comparationis à diſſimili. *per nomen pon.* Bland. vetuſtiſ. habet, numen. hoc autem iudicium populi Romani de aris viuo Cæſari ſacratis, etiamſi collaudet Horatius in gratiam Cæſaris, aſſentatorium tamen magis eſt, quàm ex dicto Solonis vero conſentaneum, qui neminem beatum cenſendum dixit dum in viuis eſſet. *cetera nequaquam.* aduerſatiua: nam quem iam iam laudauit a ano iudicio populum, nunc contrà reprobat qui ſibi parum conſtans; vti veteribus ducibus prætulit vnum Cæſarem ſuperſtitem, non ita nunc, præſentia cetera ex æquo præteritis anteferat. *temporibus defunct.* quæ deſierunt eſſe in tempore: effecta pro cauſis efficientibus. *ſic fautor.* expolitio. *veterum.* eorum quæ à veteribus ſcripto tradita ſunt. *ſanxerunt.* partim ex Solonis & Athenienſiũ legibus, partim ex moribus Spartanis inſtitutíſque. *rigidis.* duris, pertinacibus, propter longa cum eis difficiliáque bella geſta. *pontificum lib.* ius pontificale de ſacrificiis, ἀρχιερέων ὑπομνήματα dicta Halicarnaſſeo, ſi rectè memini. *annoſa volum.* id eſt, antiqua, in quibus iam inde à Numa deſcripta erant oracula & vaticinia Romani imperij & rerum gerendarum. huc facit illud Plinij lib. 7. cap. 33. diuinitas & quædam cælitũ ſocietas nobiliſſima ex feminis in Sibylla fuit, ex viris in Melampode apud Græcos, apud Romanos in Martio: quæ Martij carmina ſunt apud Tit. Liuium lib. 5. *ſi quia Græcorum.* hæc hypotheſis vel ex æquo Romanis & Græcis ſcriptoribus conuenit, vel naturæ, inquit, diſſentanea loquimur. Tale quid apud Stobæum diſſerit de peregrinis & domeſticis Poëtis ipſe Eupolis, ὅτι μὲν θεῶντες τοὺς ξένους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφούς· ἢν δέ τις τῶν ἐνθάδ' αὐτῶν, μηδὲν ἐν χεῖρον φρονῶν, ἐπιθῆται τῇ ποιήσει πάνυ δοκεῖ κακῶς φρονεῖν μαίνεσθαί τε καὶ παραφρονεῖ τῶν φρενῶν τῷ σῷ λόγῳ, id eſt, vbi peregrinos quidem Poëtas audiuiſtis, eos ſapienteis dicitis: ſi verò ex noſtratibus aliquis illis non inſipientior, ad poëſin ſe applicat, omnino videtur deſipere; quin & inſanire & mente non conſtare cenſetis. Bland. cod. antiquiſſ. habet Graiorum. *penſantur ead.* metaphoricôs. *nõ eſt quòd multa.* τὸ quòd, pro cur. ſic Virg. ſi ad vitulam ſpectes, nihil eſt quòd pocula laudes. ſenſus autem eſt, fruſtrà cum id genus hominibus contendimus; nam dicere nihil eſſe doctum, nec laude dignum niſi quod eſt antiquum, hoc perinde eſt acſi cum ratione inſanias; quis enim ſanæ mentis nucis corticem neget eſſe duram? & oleam intus lapillum habere durum? vide adagium, nil intra eſt oleam &c. Tonſ. cod. habet, durũ. *pſallimus.* vide oden 3 lib. 4. dulcem quæ ſtrepitum &c. *vnctis.* ἀλείψας ἀθλητάς. Plutarchus in Themiſtocle, ἐπὶ τοὺς ἀγῶνας ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἤλειφε. id eſt, ad obeunda certamina pro patria ſe vnxit. *ſi meliora d.* ironica conceſſio: quia ad iudicium poëmatis ais temporis vnius habendam rationem, velim id tẽpus definiri, vt certi quid ea de re cognoſcamus, ne perpetuò ſit litigandum. *pretium chart.* cod. Bland. antiq. & Tonſ. habent, chartis pretium, idq́; mollius meo iudicio. *perficit.* Buſl. & Nan. codices habent proſpicit. *quid: qui deperiit.* ἐρωτήματα Chryſippea ad concludendum Soriten. *reſpuat.* ſic Bland. antiquiſſ. Sil. & Mart. quos ſequor; reliqui, reſpuit; vulgati habent reſpuet. *iſte quide vet.* permiſſio Critici eius qui redit ad faſtos &c. *vtor permiſſo.* quod mihi permittitur, ſed datur ab eo qui redit ad faſtos &c. *caudæq; pilos.* vide adag. caudæ equinæ pilos vellere. & Plutarch. in vita Sertorij. *ruentis acer.* Aceruus, hic eſt Chryſippeus ſyllogiſmus, à Chryſippo Philoſopho auctore & inuentore, vt videre licet apud Diogenẽ Laërtium in vita Chryſippi. hi autem valde ſunt captioſi & fallaces ex amphibolia, compoſitione, diuiſione, aliiſque elenchis: vt ſi quis dicat, dico me mentiri & mentior, verum igitur dico & non mendacium. Tale eſt illud Lucretij, Deniq; nil ſciri ſi quis putat, id quoque neſcit an ſciri poſſit, quo ſe nil ſcire fatetur. Sorites autem Pſeudonymus eſt captioſum interrogandi genus, cùm aliquid particulatim vel additur vel demitur; quale eſt hoc Horatij, an centum anni reddant laude dignum Poëtá? Centum. quid ſi menſis deſideretur, deſinet eſſe lectione dignus? non. Quid ſi annus? non. Quid ſi duo, tres, quatuor? nõ. ergo nõ ex annis æſtimanda eſt ſcripti dignitas, adeò vt nec antiquiſſima ſcripta ſint optima. Hac autem conſecutione vtitur Horatius inducens argumentum à ſimili, nimirum equinæ caudæ vellendæ, inquiens, vtor permiſſo, id eſt, conceſſo, putà, non vnũ, alterum, tertium annos demere vel addere auctoritatẽ Poëtæ, quare nec centũm id poſſe: quos aceruum hic nominat alluſione ad Soritæ ſignificationem. *faſtos.* conſulareis, libros annaleis. Quidam lib. ſcripti habent, faſtus. *Libitina.* vide Satyr. 6. lib. 2. *Ennius & ſap.* enumerat antiquos Poëtas lectione laudéque dignos Criticorum iudicio, propter antiquitatem. Ennius autem natus eſt, auctore Agellio, C. Mamilio Turrino (ſic legit Sigonius in faſtis, non, vt Agellius, Manilio, nec, vt Glareanus, Manlio Lucrino, & Q. Valerio Falcone conſſ. (nõ Flacco, vt Glareanus) anno Vrb. cõd. 514. *ſapiens.* quòd autem Ennius & didicerit ſapientiæ præcepta, & ſapiens fuerit, teſtantur eius hi verſus artificioſè à Scaligero Fil. in ordinem apud Feſtum redacti: Nec quiſquam ſophiã, ſapientia quæ perhibetur, in ſomnis vidit priuſquam ſam diſcere cœpit.

cœpit. ſam, pro ipſam. *critici dic.* Grammatici ſcriptorum cenſores, qualis fuit Mecius Tarpa in arte Poëtica. *Næuius in mani.* Cn. Næuius Poëta Campanus fabulas tùm primũ docuiſſe dicitur, anno Vr. cond. 523. cùm Spurius Carbilius Maximus Ruga cognomento cum vxore fecit diuortiũ. fuit itaque Næuius Ennio ſenior. *adeò ſanct.* ἐπιφώνημα εἰρωνικόν. *Pacuuius.* M. Pacuuius Brundiſinus fuit, ex Ennij ſorore genitus, vt ſcribit Plin. vel, vt Euſebius, ex filia Nepos: Tarenti propè nonagenarius diẽ obiit anno Vr. con. 600. auctore Sigonio, Q. Fuluio Nobiliore, Tito Annio Fuſio Conſſ. L. Actio ſenior. nam Cic. teſte ſimul fabulas docuere Pacuuius octogenarius, Actius tricenarius. Quintil. autem lib. 10. Tragœdiæ, inquit, ſcriptores Actius & Pacuuius clariſſimi, grauitate ſententiarum verborumq́ue pondere & auctoritate perſonarum: ceterùm nitor & ſumma in excolendis operibus manus, magis videri poteſt temporibus quàm ipſis defuiſſe: virium tamen Actio plus tribuitur, Pacuuium videri doctiorẽ qui eſſe docti affectant. hæc Fabius. *docti ſenis.* Commentator per doctũ ſenem interpretatur Sophoclem, cuius famam vult obſcurare Pacuuium. Sophocles enim ſupra quintum & nonageſimũ annũ agens extinctus eſt. Deinde per altum, quem vult Actiũ ſuperare, intelligit Euripidem, qui reuera & altus & ſuperbus fuit, & μισογύνης dictus. cùm enim fabulam recitaret, à populo rogatus vt ſententiam quandam immutaret, reſpondit ſe in publicum progreſſum vt populum doceret, non vt ab eo diſceret: Ceterùm, vt nõ improbẽ Commentatorẽ; nam & Afranius Menandro, & cum Epicharmo Plautus hic confertur; ita liberum relinquo lectori ſuum iudicium, adeo vt aut Quintiliani ſuprà ſententiam, aut Commentatorem probet, ſed non ſine ironia. *dicitur Afrani.* hoc eſt, L. Afranius in togata, cũ Menandro conuenit in Comœdia eius palliata. fuit & Attellanarum ſcriptor; ex cuius fabula Agellius, quæ Sella inſcribitur, hos verſus recitat, Me genuit vſus, mater peperit memoria, me Sophiam vocant Graij, vos ſapientiam. *Plautus ad exemplar.* M. Actius Plautus aliquo tempore vixit cum Næuio: de quo Feſtus, Poëta Attius qui Vmber Sarcinas erat, à pedum planitie initio Plotus, poſtea Plautus eſt dictus. *properare.* non laborioſè nec grauiter, ſed humili ſtylo, iocoſo nugacique ſcribere ſuas Comœdias. vide Adag. Siculæ gerræ, nugæ. deinde Plautus, inquit Feſtus, non Atticiſſat, ſed Siculiſſat, id eſt, Siculè loquitur. *Epicharmi.* Epicharmus Syracuſius, auctore Suida, vixit anno Vrb. cond. 484. cum Hierone Syracuſano. At Neanthes in libro De viris illuſtribus & Stephanus eum Craſtinum fuiſſe ſcribunt, à Craſto vrbe Sicilienſi. *Cæcilius.* Cæcilius Statius natione Gallus, Mediolanenſis, Crinito auctore, cõtubernalis Ennij Poëtæ, eodem anno quo ille vita defunctus, iuxtáque Ianiculum ſepultus, floruit anno Vrb. cond. circiter 573. vt ſcribit Euſebius. *Terentius.* Publ. Terentius Afer Carthaginienſis, auctore Donato, vixit cum P. Scipione Africano, Aemiliano & C. Lælio, quibus vſus eſt familiariter, anno Vrb. cond. 607. natus ſub finem ſecundi belli Punici, mortuúſque ante initium tertij, vt ſcribit Donatus. *Liui ſcriptoris.* Liuius Andronicus Romæ primus fabulam exhibuit C. Claudio Centhone Appij Cęci filio, & M. Sempronio Tuditano conſſ. anno ipſo ante natum Ennium anno Vrb cond. 513. auctore Sigonio. vide Feſtum in voce Scribas. *rectum videt.* non ſemper errat in iudicio. an quia ſuprà probauit eius iudicium in honoribus Auguſto decretis? *eſt vbi.* quando, id eſt, aliquando rectum non videt. *antiquè.* obſoletè, antiquo more. *Ioue iudicat æquo.* huic aduerſatur iratis diis. Satyr. 3. lib. 2. vide adagium, Genius malus. *delendaq́.* cod. Tonſ. Diuxi, Sil. Bland. antiquiſſ. legunt, delendáue. *minimum.* Tonſ. Mar. Sil. legunt, nimium. *Orbilium.* doctorem Grammaticum, qui poſt militiam iam quinquagenarius rediit ad intermiſſa litterarũ ſtudia, Romæq́ue docuit, maiore certè fama propter acerbitatem in antiſophiſtas & diſcipulos, auctore Suetonio, quàm emolumento. Ciceronis ætate vixit, atque ad annos propè centum peruenit, amiſſa rerum omnium memoria. hinc Bibaculus Poëta: Orbilius vbinam eſt litterarum obliuio? *floréſque per.* hoc eſt, ſcenam croco & floribus inſperſam, theatráque. *Atta.* Titus Quintius Atta ſic dictus, teſte Feſto, quòd propter vitium crurum aut pedis, plantis inſiſtens potius attingere terram quàm ambulare videbatur, Attellanarum & Togatarum ſcriptor, Romę mortuus eſt C. Mario & M. Aquilio conſſ. anno vrb. cond. 652. Iſidorus huius carmen recitat, Vertamus vomerem in ceram, mucronéq; aremus oſſeo. quod ſignificat poſt ſtylum ferreum Romanos ſcripſiſſe ſtylo oſſeo. *vel quia nil.* à philautia. *vel quia turpe.* à nimio faſtu. *ſenes perdenda.* adeò difficile eſt aſſueta relinquere, vt non temere Diogenem dixiſſe ferant, νεκρὸν ἰατρεύειν, καὶ γέροντα νουθετεῖν, ταὐτὸν εἶναι, id eſt, mortuum curare, & admonere ſenem, perinde eſt. *iam Saliare Numæ c.* Feſtus, redamtruare dicitur in Saliorum exultationibus, cùm pręſul amtruauit, quod eſt, motus edidit, & referuntur inuicem ijdem motus. Lucilius, Præſul vt amtruat, inde & volgu' redamtruat olli. vide Dionyſiũ Halicarnaſſ. lib. 2. de Saliis; & oden 36. lib. 1. *ſolus vult ſcir. v.* quia ignorantia confidentiam parit: & vulgò

& vulgò quod laudat quis, id intelligere creditur. *quod ſi tùm Gra.* confutat iudicium Romanorum in recens ſcripta peruerſum, ab æquitate Græcorum, ſtudióque in nouos ſuos Poëtas, qui iam nulli eſſent, niſi tunc recepti fuiſſent in auctoritatem. *vt primum poſ.* huic ferè conſentit illud Publiani, Fortuna nimium quem fouet ſtultum facit: animi namque mortalium proſperis & ex ſententia ſuccedentibus rebus omnibus, opinionéque & ſpe duraturę in perpetuum proſperitatis ac beatitudinis elati geſtiunt, laſciuiunt & luxuriantur. τίκτει γὰρ τοι κόρος ὕβριν, id eſt, ſatietas enim parit proteruiam & faſtum. *nunc athletarũ.* Pollux athletarum nomine gymnicos omneis intelligit, παλαιστὰς, δρομεῖς, πυκτὰς, δισκοβόλους, καὶ ἁλτικοὺς, id eſt, luctatores, curſores, pugileis, diſcu iacienteis & curſu contendenteis. *ſtudijs equor.* ἱππηγεσίᾳ, ἱπποκρατίᾳ &c. *nunc tibicinibus.* apud Athenienſeis tanti fuere tibicines, ludíque ceteri, vt ex publico curatores haberent, qui ἀστυνόμοι dicebantur, quaſi ædiles vel tribuni plebis, οἷς ἔμελλε, inquit Suidas, περί τε τῶν αὐλητρίδων καὶ ψαλτριῶν καὶ κοπρολόγων, i. quibus cura erat de tibicinibus, fidicinis & copriis ſeu ſcurris &c. quorum decem, in Piræeo erant quinque, & in vrbe totidẽ. *velut ſi luderet.* εἰκὼν, id eſt, vera & expreſſa ſimilitudo quæ rem totam perfectè quaſi ob oculos ponit. ita Cic. Romanum populũ mari confert, quod ſua natura tranquillum ventorum vi procellíſq; agitari turbaríque ſolet. *quid placet.* ἐπιφώνημα. cui concinit Mimus, Iucundũ nihil eſt, niſi quod reficit varietas. *ſollemne.* ex more Athenienſi, vt arbitror: apud Athenas enim à legum latione θεσμοθέται dicti, ætate, & vſu docti, domi iura dabant, querelas criminationéſque cognoſcebant, æquo examine de cauſis decernebant. Aut etiam pertinere poteſt ad prudenteis, qui de iure conſulti reſponſa dabãt. Omnes lib. ſcripti habent ſollemne per ll duo & plures per m, quàm per duo n. *nominibus rectis.* id eſt, hoc eſt, dare pecuniam credito, non cuiuis è vulgo, ſed amicis viris bonis & fidis, quorum probitate pecuniæ cautum erat. τὸ rectis, in omnibus ſcriptis inueni ſine vlla macula aut litura, quæ & vidi & adhuc apud me habeo: qua gratia cum ijs ſentio. At ſi tamen quis malit cum Lambino legere certis, non repugno. verùm ne quis me credat, τὸ rectis, ſeruare temerè: in primis opinor hoc vitæ genus Horatium Romanis laudi vertere, ſine vlla turpitudinis nota: quod tamen non omnino fiet, ſi τὸ certis, legamus; eò quòd vox ipſa, nominibus certis, neſcio quid taciti fœnoris redolere poſſit, quod nemini vnquã laudi datũ fuit; quantò minus Romanis viris initiò fortibus & incorruptis, quos ait docuiſſe minores, id eſt, iuniores & impotentiores, quibus artibus amplificarent rem & familiam, minueréntque damnoſam libidinẽ, hoc eſt, execrabilem auaritiam, quæ fons eſt & origo fœnoris omniumque vitiorum. Non ignoro damnoſam libidinem alijs enarratoribus eſſe Venerem; quibus equidem non refragor, ſed alia ſententia mihi probatur magis, cùm ob cauſam dictã, tum quòd habendi libidine in republica nihil ſit damnoſius. *mutauit mentem.* morum ſeueritas in lenitatem cõuerſa prima fuit occaſio vitæ mollioris: cœpere omnes ludere, carmina ſcribere, ſertis redimiti capita cantare, cœnare, ſcenicis operam dare, animóque indulgere. *ipſe ego qui null.* quo firmius colligat inſtitutum, à ſua perſona dicit ei non habendam fidem qui ſe negat affici carminis ſcribẽdi ſtudio. *Parthis menda.* quibus nulla fides erat, niſi quantũ expediebat, vt quibus vtilitas ſemper erat fide ſanctior: at tandem fidẽ ſeruare didicere vnà cum Arabibus, adeò vt humanam ſocietatem cum fide tolli crederent: aut Parthis mendacior, quòd tùm pugnabãt maximè, cùm fugam ſimulabant maximè. vide adag. Cretenſis mare. *nauem agere.* cetera ſtudia vt nec ab omnibus, nec paſſim tractari, quod & ærumnoſa & laborioſa ſint, ita dicit numeros modóſque ſcribere omneis indoctos doctóſque, eò quòd ea vitæ ratio cùm iucundiſſima, tùm naturæ maximè ſit conſona. *abrotonum agro.* abrotonũ herba Fland. auxrone, eſt duorum generum, ἀβρότονον ἄρρεν, id eſt, mas; & ἀβρότονον θῆλυ, id eſt, femina. de quibus cõſule Dioſcoridem. abrotonum, ſcriptum eſt in omnibus lib. antiquis, non abrotanum, vt vulgò. *hic error.* ἀπάτη: naſcitur enim carminis amor ex propenſione quadã naturæ erronea, qua ferimur magis ad id omnes quod delectat quàm quod rectum eſt. hinc Cebes in ſua tabula Poëtas quoq; ſtatuit inter τοὺς ψευδοπαιδείας ἐραστὰς, id eſt, falſæ diſciplinæ amatores. *non temerè.* non citò, non facilè. ſic Cariſius Inſtit. Grammat. lib. 2. interpretatur illud Plauti in Bacchid. Rapidus fluuius eſt hic, nõ hac temerè tranſiri poteſt. *verſus amat.* quibus ridet auarorum ſtudia, fraudeis, dolos, viuit innocens, paucis cõtentus, qui poterit ergo eſſe auarus? *pueróue incogitat.* ſic habent omnes ſcripti quos legi. *pane ſecundo.* videtur alludere ad τὸν ἄρτον ἐλαμμίδεον δίτρυφον, hoc eſt, veſcum, bifidum, qui dabatur ſeruis honoratioribus in duas parteis diuiſus. vide Athen. lib. 3. *ſi das hoc.* ſi pueros à primis annis rectè formari, educari, & liberaliter inſtitui, concedis ad prçclaram politiam aliquid conferre. Quod quàm nõ modò ſit vtile, ſed etiã omnino neceſſarium, videre licet quaſi in tabulis depictum, quæ peſtes Chriſtianis hominibus ſuboriantur ex adoleſcentia indulgẽter habita, qui viri facti planè barbari, nulla ęquitate, moribus probis, iure, lege nulla, nec vlla Dei formidine, quem nõ didicerunt,

d.dicerunt,niſi multis monſtroſiſque vt credant ſignis & portentiſque a ſe propellere, per vim, direptiones,rerum ſacrarum,profanarumq; per cædes inhumanas, violata fide, inuadunt rerum gubernacula. *os tenerum pueri.* collegit iam nunc ex inſtituto vitæ moribusque poëtam eſſe virum bonum & honeſtum .hic ex officio docet eundē eſſe vtilem vrbi. *rectè facta refert.* rectè facta maiorū commemorat,eaque iam cognita certáque proponit exempla pueris ad imitationem, réſque ab eis poſt fortiter gerendas. *caſtis cum pueris.* hæc ad carmina ſæcularia pertinent, ludis ſæcularibus à patrimis & matrimis pueris puellíſque cani ſolita. *auertit morbos.* hinc σίχον ἀποτροπαῖον,id eſt, carmen propulſatorium dictum. *locupletem f. annū.* vberem frugum prouentum, εὐστοχίαν,εὐκαρπίαν, εὐθηνίαν, ad hilarem vitam ſine egeſtate degendā. *agricolæ priſci.* tranſit ab vrbanis ad agricolas priſci temporis,qui & ruris labores carmine ſolabantur, & nunc perceptis frugibus læti, immemoréſque laborum præteritorum,ludendo,canendo,comiſſandóque diis ſacra faciebant . hæc autē digreſſio pertinet ad originem deducendam antiquæ comœdiæ. *fortes.* conſtantes in opere ruſtico patientéſque. ſic ad finem lib. 2. Satyr. 2. Orbilium dicit fortem mercede colonum. *tellurem porco.* Porcus auctore Varrone Græcum eſt, vocabulum antiquum,ſed obſcuratum: ei ſucceſſit χοῖρος,tam pro femina quàm mare. Ioſephus Scaliger id ſe legiſſe ſcribit apud vnicum Lycophronem in Alexandra, ὄπποια πόρκος ἰσχνὸς τετρασκελὴς ἀστῷ μονήρης, &c. hunc ſequitur in Varronem de re ruſtica. Hic item vide ὄπποια πόρκος, in feminino genere, vt nō dubitem communis antiquitus fuiſſe. ſic & M. Cato de re ruſtica, priuſquam porcum feminam immolabis &c. ita namque legendam arbitror ,non etiā porcam feminā, vt habet Aldus; ad quid enim appoſuiſſet feminam, ſi ſexum diſtinguere noluiſſet? *Genium memor.* qui facit homines vitæ breuitatis memores. ſic ode 13. lib. 1. impreſſit memorē dente labris notā. *Feſcennina licent.* Feſcennini verſus, ait Feſtus, qui canebantur in nuptiis , ex vrbe Feſcennina dicuntur allati; ſiue ideo dicti, quia faſcinum putabantur arcere. *verſibus alter.* ἀμοιβαδὶς. *ſanus iocus.* periphraſis τῆς λοιδορίας: vnde nata eſt ἀρχαία κωμῳδία. *Græcia capta.* initiū expolitionis Latinæ linguæ. *numerus Satur.* Feſtus in voce Saturno, verſus quoque, inquit, antiquiſſimi, quibus Faunus fata cecinisſe hominibus dicitur Saturnij appellantur; quibus & à Næuio bellum Punicum ſcriptū eſt, & à multis aliis plura cōpoſita ſunt: qui deus in Saliaribus Saturnus nominatur, videlicet à ſaltationibus. talis numerus eſt, Dabunt malum Metelli Næuio poëtæ , Iambicus hypercatal. *defluxit.* paullatim euanuit, & in vſu eſſe deſiit. *graue virus.* doctas aureis enecat oratio barbara. *longum æuum.* ad bellum vſq; Punicum ferè tertium , quando omnes mixtim Itala, Græca, Oſca, Phrygia lingua vtebantur, inter quos optimi Poëtæ & oratores ſemigræci erant ; & antiquiſſimi Liuius & Ennius, auctore Suetonio; quos Latina & Græca lingua domi foríſque docuiſſe adnotū, & ſi nihil amplius quàm Græcè interpretabantur, adeò vt Romani ab omnibus paſſim Graij vocitarentur. Quod indignè ferēs Cato exclamauit in ſenatu, ſe nō amplius tolerare Græcanicā vrbē. Idē teſtantur Varro & Dionyſius Halicar. extremo li. 1. nimirū Romanorū linguā Græcam fuiſſe. indicio quoque eſt Delphica illa tabula, cuius meminit Plin. lib. 7. cap. 58. NAVCIKRATES TICAMENOU. AθENAEOC. KOPAI. KAI. AθENAI. ANEθEKEN. *& poſt Punica.* alluſit fortaſſis ad hos verſus Portij Licinij, quos recitat Agellius, Punico bello ſecundo Muſa pennato gradu intulit ſeſe bellicoſam in Romuli gentem feram. *quid Sophocles.* cœpit applicare ingeniū legendis Tragœdis antiquis, iíſque optimis, ex quibus Theſpis intercidit totus, nec niſi nomen, nobis eſt reliquum ; cuius ad Piſones quoque meminit : Aeſchyli verò pauca ſuperſunt, eáque interpolata. *tentauit quoque rem.* poſt longam multam'que lectionē Græcorū Tragicorum Romanus ſua[illegible] vitium ſcribendo quoq. periculum fecit, ſed [illegible] vel diffideret, vel parùm placeret, litu[illegible] publicæ metuens deſiit ab inſtituto. *ſublimis.* magno animo præditus, θυμοειδής. *ſpirat trag.* πνεῖ θυμὸν, μέγα πνεῖ, ἐκτραγῳδίζει. vide adagiu, Tragicè loqui, & μέγα πνεῖν. *in ſcriptis.* ſic legunt cod. Diu. Sil. Mart. & Blad. antiquiſſ. ſed hic habet ſupra ſcriptū, inſcitię, quomodo quoque Tonſ. legit. quod quidē fieri nequit niſi per craſin. alij tres Bland. habent, inſcitē. iudicet lector. ego certè τὸ in ſcriptis, probarim. *creditur ex medio.* Confutatio vulgaris opinionis de facilitate ſcribendæ Comœdiæ. *quia res arceſſit.* ſic habent tres cod. Bland. cum Tonſ. ſed antiquiſſimus Bland. habet acceſſit, cum Mart. Diu. Sil. nec me hercule video vtra ſit alteri multū præferenda. quid enim patitur abſurdi, ſi dicam ſcriptori Comico è medio rem, id eſt, argumentum accedere, id eſt, offerri, eíque eſſe obuium ex communi conuerſatione? vt omittā in multis Horatianū dicēdi modū. Rurſum, quid habet exquiſiti Comœdiam arceſſere res ex medio, vt hac delecta lectione alteram penitus damnandam cenſeam? Quin exiſtimarim potius ſuo more Horatiū ad Græcum τὸ πρᾶγμα alludere ἰταλικῶς , quàm vulgarē lectionē & ſcriptis antiquiſſimis, nec ijs paucis, ſtabilitam reiectare. iudicet interim lector peritus. *quanto veniæ minus.* quia vulgus quæ ſua ſunt citius

diiudicare ſe poſſe confidit, & vt bellua eſt multorũ capitũ, ita in iudicio variũ, & in minimis erratis cenſor rigidiſſimus. *aſpice Plautus.* dubitant hic viri quidã docti Plautũ ne laudet Horatius, an cõtrà, reprehendat, quaſi minus in Comœdia ſedulũ & acutè falſum. Equidẽ vt nolim cum aliquo contendere, ita crediderim Horatij dictionẽ plus hic habere laudis quàm vituperationis, Plautumq́ue commendare, ſi nõ in omnibus, ſaltẽ in delineandis exprimendiſq; perſonis adoleſcentum, patrum & lenonũ. Quod autem ad Piſones, neſcio quid de Plautinis ſalibus minus rectè ſentire videatur, id aliam rationẽ poſtulat, vt ibi, vita ſuperſtite, dicemus. Quin & Doſſennus in decoro paraſitorum ſeruãdo hic Horatio mirus cenſeri videtur, etiamſi in alijs perſonis minus ſit curioſus. an nõ id quoq; primæ notę pictoribus vſu venire legimus, ſtatuariiſque, quorũ alij alijs in corporis partibus delineandis excelluere, ſi nõ in toto corpore ponendo? Quid, quod alij de induſtria capite viuis lineamẽtis expreſſo, cetera membra ne attingunt quidem, ídque vt illudant alijs? ſed de his plus ſatis. legito 35. lib. Plin. *vt patris.* cod. Diu. habet, & patris attenti, lenonis & inſidioſi; quod non diſplicet. *Doſſennus.* ſic habent omnia ſcripta quæ legi; nõ Dorſennus. ſic Feſtus in dictione temetũ. ſed alij ſunt illi Doſſenni, quàm cuius hic meminit; nam hic eſt Fabius Doſſennus Comicus, cuius eſt mẽtio apud Plinium li. 14. ca. 13. cuius hos verſus refert, Mittebant vinũ pulchrum Murinam. & in Achariſtione, panẽ & polentam, vinũ Murinã. *quã nõ aſtricto.* id eſt, quàm diſſolutus & incurius eſt in aliis perſonis exhibendis, hoc agens ſolum vt in paraſitis plauſum populi mercatur, & hinc lucrum capiat. *poſt hoc ſecurus.* hoc eſt, pro nihilo ducens, an poſt primã actionem intercidat fabula, an *ſtet recto talo,* hoc eſt, an iterum ſæpiúſque exhibita placeat. ſtare recto talo, eſt poſſe firmo corpore, nõ vacillare in hanc aut illam partem, ruinamq́; ſeu caſum minari; metaphoricôs, non eſſe in errore & reprehenſionis metu. huic contrariũ eſt, ἀναθέσθαι τὸν πεττὸν, id eſt, reponere talum, id eſt, quod minùs eſt rectũ, minúſue cõſentit expectationi, póſt corrigere atque emendare. quod facit is qui factis melioribus, vitæ prioris vitia ſtudet emendare. *geſtit enim num.* arguit Doſſennum in ſcribendis Attellanis plus lucri fuiſſe quàm gloriæ cupidum: in ludis enim publicis Aediles ſæpe ingenti pecunia Comœdias à Poëtis redimebãt. *demittere.* ſic omnia ſcripta præter Diu. & Mart. cod. qui ſequuntur vulgatam lectionem. *quem tulit ad.* qui ad ſcribẽdum ducitur glorię ſtudio, non minùs vanus eſt quàm qui lucrũ ſpectat. *ſic leue, ſic p.* epiphonema in deteſtationem vani poëtæ. *valeat res lud.* ἐξορχήσεις: ait enim hoc genus ſcribendę Comœdiæ ſibi minimè placere. *ſæpe etiam audac.* ob inconſtantiam populi & nouitatis ſtudiu, qui vel inuitos equites meliores doctioréſque ſed pauciores ſibi cõpellerent aſſentiri, ſi conatibus eius renitterentur ad exhibenda ſpectacula, aut multos egregios Poëtas à ſcribendo deterreri. *indocti ſtol.* partes ex populo indocti, pauciores vero meliores viri auditores. *aut vrſum aut.* vide prologum Hecyræ Terentianæ. *gaudet.* ſic habet cod. Bland. antiquiſſ. cum Mart. Diu. Sil. tres reliqui Bland. habẽt, plaudet; vnicus autẽ Tonſ. habet plaudit, ſine vlla litura, quod mihi placet in primis. *verũ equit.* πάθος ab indigniori; nam equites honeſtiores doctioréſq; qui populo prę irent ad meliora, ij quoq; ſuos oculos cum populo conuertunt ad ſpectacula vaniora, voluptate aurium valere iuſſa. *ad incertos oculos.* nihil hîc Poëtæ rei eſt cum Academicis de viſus incertitudine: nõ falluntur enim oculi niſi ob certas cauſas naturalibus ſatis perſpectas. in his autẽ ſpectaculis quæ corã exhibentur, qui poſſunt oculi decipi? ſed incerti oculi ſunt varia & incerta ſpectacula, ad quæ nunc huc nunc illuc indefeſsè interruptéque intuenda flectuntur: quare viſus pro re viſa, oculi pro rebus oculo perceptis ponuntur, quæ variæ, multæ & incertæ offeruntur, eáſq; perſpectas cognitáſq; fideliter ſeruant, vt nõ fruſtrà dicat ad Piſones, Segnius irritant animos demiſſa per aurem, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus &c. *dum fugiunt eq. tur.* videto adagium, Pyrrhichen oculis præ te ferens. *retortis.* à tergo reuinctis. *petorrita.* petorritũ, ait Feſtus, Gallicũ vehiculum eſt. in omnibus ſcriptis inuenitur duobus rr. *Democritus.* Democritus Philoſophus Abderites, nihil quàm mortaliũ ſtudia tamquã vana ridebat. contrà, Heraclitus Epheſius nihil quàm deplorabat humanã miſeriã. *diuerſum confuſa.* periphraſis camelopardalis, qui figura quidẽ camelus eſt, ſed panthera maculis: de quo Plin. li. 8. ca. 18. Gaza in Ariſt. pantherã vertit lupũ ceruariũ. vide miſcella. Politiani li. 2. *præbentem mimo.* Diu. Tonſ. Mart. Sil. cod. habent, mimũ. quæ lectio videtur anteponenda vulgatæ. Bland. antiquiſſ. legit, nimio. quod nec diſplicet. ſed diſpiciat lector peritus. reliqui lib. ſcripti ſequũtur vulgatã lectionẽ. *fabellam ſurdo.* vide adag. ſurdo canis, ſurdo fabulam narras. *nam quæ peruinc.* per interrogationem. perinde acſi dicat, nullũ in agendo tam vocalẽ hiſtrionẽ, qui vel cõtentiſſima voce ſuperaret populi clamorem ſtrepitumq́; propter reflexã Echo. *mare Tuſcum.* Tyrrhenũ, quando cõuolutas vndas illidit in ſcopulos cauáſq; rupeis. *artes diuitiæq́; per.* id eſt, habitus diues, artificioſus, & exoticus ipſius actoris. *violas imitata.* Pli. li. 21. ca. 6. violis honos proximus. earũ plurima genera, purpureæ, luteæ, albæ &c. deinde paullo póſt, ſolæq́ue (purpureæ)

Gręco nomine à ceteris diſcernuntur, appellata ἴα; vt ab his iánthina veſtis &c. i. veſtis violacei coloris. *Ac ne forte p.* περιγραφὰ ληψις ad Auguſtū adimendæ ex eius animo ſuſpicionis inuidentiæ gratia. *ille per exten.* legito Adagiū, Ire per extentum funem. *inaniter.* argumento inani fictitióq. me totum ita immutat, afficit, perturbat, vt verū eſſe credā. *falſis terror.* δεισιδαιμονία, vano deorū metu. *vt magus.* γόης, præſtigiator, incantator, cuius ars omnibus & diuinis & humanis legib⁹ execrabilis, γοητεία. Cic. φενακισμὸς dicitur, impoſtura, ludificatio. aliâs Magus Perſicū vocabulū ſapientem denotat, qui Gallis olim δρυίς, ἴδος, Latinis vates erat. *verùm age & his.* nunc primū incipit huius epiſtolæ ſcopū collimare, hortaríq; Auguſtū, ne Chœrilū aliquē velit ſua geſta decantare, ſed è multis deligat optimos quoſq; ex ijs qui ſcribendo lectori placere malūt, quàm è pulpitis recitando faſtum populi ferre. *his qui ſe lect.* id eſt, vatibus egregiis; vt vult Iuuena. Sat. 7. Sed vatem egregiū cui non ſit publica vena &c. *curam redde breuem.* facilē & expeditā, vnîq; poëſi addictā, non etiā familiæ parandæ, quæ præclaris obeſt ingenijs. Quis locus ingenio? niſi cùm ſe carmine ſolo vexāt & dominis Cyrrhæ Nyſæq; feruntur pectora noſtra, duas non admittentia curas, id eſt, poëſeos ſimul & rei familiaris. itaq. breuis cura eſt vnica. Quare monet Horatius Auguſtum, vt ditet quos cupit cantare ſub antro Pierio, & thyrſum contingere, id eſt, coronā mereri, teſte Iuuen. 7. Satyr. hunc legito. *munus Apolline dignū.* bibliothecam te auctore ædificatā, atque Apollini Palatino conſecratā. *vatibus.* quos delegeris. *ſtudio maiore* vt maiore alacrioréq; animi contentione Muſas colant, ſtylumq; exerceant: ferè namq; fit dum in dubio eſt animus, nihil præclari vt meditetur & faciat. quare Cæſarem monet, vt animos poëtarū liberet à curis & inedia, ſi quid eos laude dignū ſcribere deſideret. *Helicona.* Strabo lib. 8. è ſummo, inquit, cacumine (Acrocorinthi) in Aquilone Parnaſſus aſpicitur, & Helicō montes excelſi atq; niuales, Criſſæúſq; ſinus vtrique ſuppoſitus &c. deinde lib. 10. Quiq; Muſis Helicona conſecrarunt, Thraces fuere, Bœotię accolę &c. hunc legito. *multa quidē nobis.* nos ſæpe nobis auctores ſumus multorū malorum, quæ & ſcripta noſtra & nos ipſos vileſcere faciunt. *vt egomet vineta.* vide in Chil. Propria vineta cædere. *ſollicito.* de rebus bene gerendis. *feſſo.* per adminiſtrationem. *reprehendere.* ſic in omnibus ſcrip. legitur. *deducta te.* metaphoricôs à mulieribus lanam carminantibus nentibúſq;. ſic Satyr. 4. li. 2. Vt pote res tenueis tenui ſermone peractas. vide ibi adnotata, & Adag. tenui filo. *commodus.* humanus, liberalis. *ſed tamen eſt opera.* ἐπανόρθωσις dictorū per deliberationē de Poëta deligendo ad virtutem Cæſaris pro merito decantandā. *aedituos.* æditūus propriè rerum ſacrarū conſeruator, inſtaurator, & cuſtos: hinc in quibuſdā numiſmatis Iulij Cæſaris, δὶς νεωκόρος, τρὶς νεωκόρος, à ſacris purgandis & inſtaurandis, politiáq; ordinanda. hic autē accipitur pro vate, qui ſuo carmine virtutem Cęſaris donet immortalitate. *gratus Alexand.* notat Alexandrū ſtupiditatis, qui Chœrilo ineptiſſimo Poëtę nō modò crediderit ſua geſta poſteritati tradenda, ſed etiā poëma ipſius curauit ingenti pecunia redimendū. floruit autē hic Chœrilus circa Olympiadē cēteſimā decimā tertiā; anno Vr. cō. 423. alius autē fuit Chœrilus Tragicus Olympiade 64. ab vrbe cōdita 229. tempore Cambyſis regis Perſarū. *malè natis.* inuita Minerua, Muſis iratis & malèpropitijs. ſic ſuprà, Iratis natus paries dijs atq; poëtis. *atramenta.* atramentū olim infamiæ ſymbolum de ijs dicebatur, qui magna polliciti nihil præter riſum mouebant. *carmine fœdo.* tacita antitheſis. *duc. æra.* Plin. li. 7. ca. 37. Edixit Alexander ne quis ipſum alius quàm Apelles pingeret, quā Pyrgoteles ſculperet, quàm Lyſippus ex ęre duceret. *artibus illis.* γραφικῇ, πλαστικῇ, καὶ χαλκουργικῇ &c. *Bœotū in craſſo.* videto adag. Bœoticū ingeniū. *at neq. dedecorant.* ex antitypo commendat Auguſti iudicium, qui iam ſuis rebus domi belliq; geſtis deſcribendis deſignauerit optimos doctiſſimóſq; poëtas Virgiliū Variumq. *munera quæ multa.* laus liberalitatis Auguſti in Virgiliū & Variū. ſingulis enim, inquit Cōmēt. iam largitus fuerat decies ſeſtertiūm. i. 7. m. 292 lib. groſſorū præter 40. ſtuferos. *Variuſq.* Blād. antiquiſſ. cum Mart. Buſl. Tonſ. Diu. Sil. habent Varúſque: reliqui conſonant vulgatis. *per aënea.* ſine aſpiratione in medio. *nec ſerm. eg.* per præteritionem ſe purgat Horatius Auguſto de viribus & ingenij ſui tenuitate, quæ tractandis humilibus quidem apta videri poſſit, non etiā heroicis. *rep. per h.* humilia argumēta. tres enim ſcriptoribus ſunt χαρακτῆρες, ſublimis, humilis, & mediocris. *terrarūq. ſit.* quod ad topographiæ partē ſpectat. *clauſtraq. cuſtodem.* hoc eſt, res à te geſtas tam domi. i. tempore pacis, quàm belli. *Parthis.* de ſignis militaribus ademtis Craſſo, Parthico bello, eiſq; remiſſis Auguſto in ſocietatis ſignū, ſæpius notatū eſt. *ſi quantum cup.* verecunda profectò & honeſta tarditatis ingenij exilitatiſq; cōfeſſio. *vires ferre rec.* ſic Satyr. 1. li. 2. cupidū pater optime vires deficiunt &c. *ſedulitas aut.* Qui in laudes alicuius iuſto plus eſt effuſior, pro beneficio reponit maleficiū: quem enim prædicare ſtudet, eū vulgo fabulā facit. certū eſt enim plus officere famæ & nomini alicuius quàm prodeſſe ineptū, inſulſumq; pręconem. vide adag. Intempeſtiua beneuolentia nihil à ſimultate differt. Sedulus Poëta, & pluſquā ſatis officioſus in amici laudibus decantandis, dum nihil omittit, ſed ſine

delectu

delectu dicenda tacendáq; congerit, præſertim vbi ſe numeris artificioſis, ſuumq; conatur officium amico probare, & ſe & amicũ deridendũ propinat. *vrget.* laudat, inquit Cõment. ex antiquis ſcriptis: at in ea ſignificatione iungi debet τῷ ſtultè; aliâs vrget, id eſt, moleſtia & odio pro laudibus afficit. *numeris & arte.* id eſt, numeris artificioſis. i. verſibus. *diſcit enim.* ἀπολογία, à natura in riſum propenſa reprehenſionemque. antiquiſſ. Bland. legit diſcet enim. *grauat.* à ſua perſona; perinde acſi dicat, tantũ abeſt, ô Auguſte, vt inepti Poëtę ineptá tui prædicationẽ feras, vt cui malè ſi palpere, recalcitres vndiq. tutus, vt ne ego quidẽ id tolerẽ officij, quod oneri mihi ſit potius quàm honori, adeò vt nec πλαστικὸν, nec ποιητικὸν admittã, quæ me vulgò ludum iocumq; faciat. *ping. donat. mun.* craſſo inſulſóq; deſcriptus carmine. *vẽdentẽ tus.* in vicũ turariũ, qui Tuſcus erat, in cuius extremo Vertumnus erat, emendis vendendíſq; mercibus præſes deus. tus autem ſine aſpiratione, in ſcriptis eſt antiquis. *ineptis.* Sil. cod. habet inemtis. quam lectionem videtur ſequi Landinus; ſed non placet.

EPISTOLA II.

AD IVLIVM FLORVM.

FLORE, bono, claroq; fidelis amice Neroni,
Si quis fortè velit puerum tibi vendere, natum
Tibure vel Gabijs; & tecum ſic agat: hic &
Candidus, & talos à vertice pulcher ad imos:
Fiet, eritque tuus, nummorum milibus octo,
Verna miniſteriis ad nutus aptus herileis:
Litterulis Græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet, argilla quiduis imitaberis vda.
Quin etiam canet indoctum, ſed dulce bibenti.
Multa fidem promiſſa leuant, vbi plenius æquo
Laudat, venaleis qui vult extrudere merceis:
Res vrget me nulla: meo ſum pauper in ære,
Nemo hoc mangonũ faceret tibi: nõ temerè à me
Quiuis ferret idem. ſemel hic ceſſauit: &, vt fit,
In ſcalis latuit metuens pendentis habenæ.
Des nummos, excepta nihil te ſi fuga lædat.
Ille feret pretium, pœnæ ſecurus opinor.
Prudens emiſti vitioſum: dicta tibi eſt lex.
Inſequeris tamen hunc, & lite moraris iniqua.
Dixi me pigrum proficiſcenti tibi: dixi
Talibus officijs propè mancum: ne mea ſæuus
Iurgares: ad te quòd epiſtola nulla veniret.
Quid tunc profeci, mecum facientia iura
Si tamen attentas? quereris ſuper hoc etiã, quòd
Expectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis
Aerumnis, laſſus dum noctu ſtertit, ad aſſem
Perdiderat: poſt hoc vehemens lupus, & ſibi, &
Iratus pariter, ieiunis dentibus acer.
Præſidium regale loco deiecit (vt aiunt) hoſti
Summè munito, & multarum diuite rerum.
Clarus ob id factum, donis ornatur honeſtis:
Accipit & bis dena ſuper, ſeſtertia nummûm.
Fortè ſub hoc tempus caſtellum euertere prætor
Neſcio quod cupiens, hortari cœpit eundem
Verbis, quæ timido quoque poſſent addere mentẽ.
I bone, quò virtus tua te vocat: i pede fauſto,
Grandia laturus meritorum præmia. quid ſtas?
Poſt hæc ille catus, Quantumuis ruſticus, ibit,
Ibit eò, quò vis, qui zonam perdidit, inquit.
Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri,
Iratus Graiis quantum nocuiſſet Achilles.
Adiecere bonæ paullo plus artis Athenæ:
Scilicet vt poſſem curuo dignoſcere rectum:
Atque inter ſiluas Academi quærere verum.
Dura ſed emouere loco me tempora grato:
Ciuiliſque rudem belli tulit æſtus in arma,
Cæſaris Auguſti non reſponſura lacertis.
Vnde ſimul primùm me dimiſere Philippi
Deciſis humilem pennis, inopémque paterni
Et laris, & fundi: paupertas impulit audax
Vt verſus facerem. ſed quod nõ deſit, habentem,
Quæ poterunt vnquam ſatis expurgare cicutæ,
Ni melius dormire putem, quàm ſcribere verſus?
Singula de nobis anni prædantur euntes:
Eripuere iocos, Venerem, conuiuia, ludum:
Tendunt extorquere poëmata. quid faciam vis?
Denique nõ omnes eadem mirantur, amántque:
Carmine tu gaudes: hic delectatur iambis,
Ille Bioneïs ſermonibus, & ſale nigro.
Tres mihi conuiuæ propè diſſentire videntur,
Poſcentes vario multùm diuerſa palato.
Quid dẽ? quid nõ dẽ? renuis tu, quod iubet alter.
Quod petis, id ſanè eſt inuiſum, acidúq; duobus.
Præter cætera, me Romæ ne poëmata cenſes
Scribere poſſe, inter tot curas, totq; labores?
Hic ſponſum vocat: hic auditum ſcripta, relictis

Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Auentino: viſendus vterque.
Interualla vides humanè commoda: verum
Puræ ſunt plateæ: nihil hic meditantibus obſit.
Feſtinat calidus mulis, geruliſque redemptor:
Torquet nunc lapidē, nūc ingens machina tignū:
Triſtia robuſtis luctantur funera plauſtris:
Hac rabioſa fugit canis, hac lutulenta ruit ſus.
I nunc, & verſus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbeis
Rite cliens Bacchi, ſomno gaudentis & vmbra:
Tu me inter ſtrepitus nocturnos, atque diurnos
Vis canere, & contacta ſequi veſtigia vatum?
Ingeniū, ſibi quod vacuas deſumpſit Athenas,
Et ſtudijs annos ſeptem dedit, inſenuitq;
Libris & curis, ſtatua taciturnius exit
Plerumq;, & riſu populū quatit. hic ego rerum
Fluctibus in medijs, & tempeſtatibus vrbis
Verba lyræ motura ſonum connectere digner?
Frater erat Romæ conſulti rhetor: vt alter
Alterius ſermone meros audiret honores:
Gracchus vt hic illi foret, hic vt Mucius illi.
Qui minus argutos vexat furor iſte poëtas?
Carmina compono, hic elegos: mirabile viſu,
Celatúmque nouem Muſis opus. aſpice primùm,
Quanto cum faſtu, quanto molimine Circum
Spectemus, vacuam Romanis vatibus ædem.
Mox etiam, ſi fortè vacas, ſequere, & procul audi
Quid ferat: & quare ſibi nectat vterq; coronam.
Cædimur: & totidem plagis conſumimus hoſtē,
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Diſcedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis, niſi Callimachus? ſi plus apposcere viſus,
Fit Mimnermus, & optiuo cognomine creſcit.
Multa fero, vt placem genus irritabile vatum,
Cùm ſcribo, & ſupplex populi ſuffragia capto.
Idem, finitis ſtudiis, & mente recepta,
Obturem patulas impunè legentibus aureis.
Ridentur mala qui componunt carmina: verùm
Gaudent ſcribentes, & ſe venerantur, & vltrò,
Si taceas, laudant quicquid ſcripſere, beati.
At qui legitimum cupiet feciſſe poëma,
Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti:
Audebit quæcunq; parum ſplendoris habebunt,
Et ſine pondere erunt, & honore indigna ferētur,
Verba mouere loco, quamuis inuita recedant,
Et verſentur adhuc intra penetralia Veſtæ.
Obſcurata diu populo, bonus eruet, atque
Proferet in lucem ſpecioſa vocabula rerum:
Quæ priſcis memorata Catonibus atq; Cethegis,
Nunc ſitus informis premit, & deſerta vetuſtas.
Aſciſcet noua, quæ genitor produxerit vſus
Vehemens, & liquidus, puróq; ſimillimus amni:
Fundet opes, Latiúmque beabit diuite lingua:
Luxuriantia compeſcet, nimis aſpera ſano
Leuabit cultu, virtute carentia tollet:
Ludentis ſpeciem dabit, & torquebitur: vt qui
Nunc Satyrū, nunc agreſtem Cyclopa mouetur.
Prætulerim ſcriptor delirus, inérſque videri,
Dum mea delectent mala me, vel deniq; fallant;
Quàm ſapere, & ringi. fuit haud ignobilis Argis,
Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus ſeſſor, plauſorq; theatro:
Cætera qui vitæ ſeruaret munia recto
More: bonus ſanè vicinus, amabilis hoſpes,
Comis in vxorem, poſſet qui ignoſcere ſeruis,
Et ſigno læſo non inſanire lagenæ:
Poſſet qui rupem, & puteum vitare patentem.
Hic, vbi cognatorum opibus, curiſque refectus,
Expulit helleboro morbum, bilémque meraco,
Et redit ad ſeſe; pol me occidiſtis amici,
Non ſeruaſtis, ait: cui ſic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratiſſimus error.
Nimirum ſapere eſt abiectis vtile nugis,
Et tempeſtiuum pueris concedere ludum:
Ac non verba ſequi fidibus modulanda Latinis:
Sed veræ numeróſque, modóſque ediſcere vitæ.
Quo circa mecum loquor hæc, tacitúſq; recordor:
Si tibi nulla ſitim finiret copia lymphæ,
Narrares medicis: quòd quanto plura paraſti,
Tanto plura cupis, nulli-ne faterier audes?
Si vulnus tibi, monſtrata radice, vel herba
Non fieret leuius: fugeres radice, vel herba
Proficiente nihil curarier. audieras, cui
Rem dij donarent, illi decedere prauam
Stultitiam: &, cùm ſis nihilo ſapientior, ex quo
Plenior es, tamen vteris monitoribus iiſdem?

At ſi

At ſi diuitiæ prudentem reddere poſſent,
Si timidũ, cupidũmq; minus te: nempe ruberes,
Viueret in terris te ſi quis auarior vno.
Si propriũ eſt quod quis libra mercatus, & ære eſt,
Quædam (ſi credis conſultis) mancipat vſus:
Qui te paſcit ager, tuus eſt: & villicus Orbi,
Cùm ſegetes occat, tibi mox frumenta daturas,
Te dominum ſentit. das nummos; accipis vuam,
Pullos, oua, cadum temeti: nempe modo iſto
Paulatim mercaris agrum, fortaſſe trecentis,
Aut etiam ſuprà nummorum millibus emtum.
Quid refert, viuas numerato nuper, an olim?
Emtor Aricini quoniam Veientis & arui,
Emtum cœnat olus, quamuis aliter putat: emtis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahënum.
Sed vocat vſque ſuum, qua populus aſſita certis
Limitibus vicina refugit iurgia, tanquam
Sit proprium quicquã, puncto quod mobilis hora
Nũc prece, nũc pretio, nũc vi, nũc ſorte ſuprema,
Permutet dominos, & cedat in altera iura.
Sic quia perpetuus nulli datur vſus, & hæres
Hæredem alterius, velut vnda ſuperuenit vndã:
Quid vici proſunt, aut horrea? quid-ve Calabris
Saltibus adiecti Lucani, ſi metit Orcus
Grandia cum paruis, non exorabilis auro?
Gẽmas, marmor, ebur, Tyrrhena ſigilla, tabellas,
Argentum, veſtes Gætulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant, eſt qui non curat habere.
Cur alter fratrum ceſſare, & ludere, & vngi
Præferat Herodis palmetis pinguibus: alter
Diues, & importunus, ad vmbrã lucis ab ortu,
Silueſtrem flammis, & ferro mitiget agrum:
Scit Genius, natale comes qui temperat aſtrũ,
Naturæ deus humanæ, mortalis in vnum-
quodque caput, vultu mutabilis, albus, & ater.
Vtar, & ex modico, quantum res poſcet, aceruo
Tollam: nec metuam quid de me iudicet hæres,
Quòd non plura datis inuenerit. & tamẽ idem
Scire volam, quantum ſimplex hilariſque nepoti
Diſcrepet, & quantum diſcordet parcus auaro.
Diſtat enim, ſpargas tua prodigus, an neq; ſumtũ
Inuitus facias, neque plura parare labores.
Ac potius, puer vt feſtis quinquatribus, olim
Exiguo gratóque fruaris tempore raptim.
Pauperies immũda procul procul abſit. ego vtrũ
Naue ferar magna, an parua, ferar vnus, & idẽ.
Non agimur tumidis velis Aquilone ſecundo:
Non tamen aduerſis ætatem ducimus Auſtris.
Viribus, ingenio, ſpecie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis vſque priores.
Non es auarus? abi. quid cetera? iam ſimul iſto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione: caret mortis formidine, & ira:
Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,
Nocturnos lemures, portentáque Theſſala rides,
Natalis gratè numeras, ignoſcis amicis,
Lenior, & melior fis accedente ſenecta.
Quid? te exemta leuat ſpinis de pluribus vna?
Viuere ſi rectè neſcis, decede peritis.
Luſiſti ſatis, ediſti ſatis, atque bibiſti:
Tempus abire tibi eſt: ne potum largius æquo
Rideat, & pulſet laſciua decentius ætas.

COMMENTATOR.

FLORE *bono claroq; fidelis.* Florus iraſcebatur Horatio, quòd eius nõ acciperet epiſtolã: excuſat autẽ ſe apud eũ Horatius, quoniã nõ promiſerit: & ait iniuſtè eũ iraſci qui exigat nõ promiſſa: carmina autẽ ideo ſe non mittere, quia philoſophari cœperat, iam ſcilicet ditatus: prius quidẽ ſe ſcripſiſſe, ſed penuria coactũ rei familiaris. *Neroni.* Tiberio Claudio, in cuius erat comitatu. *ſi quis f.* à ſimili. *ſic agat.* his verbis tecũ contracter. *hic & cand.* verba venditoris. *idoneus.* aptus ad erudiẽdũ. *quiduis imitaberis.* quidã imitabitur, legunt, quod eſt à puero alienũ. melius ergo legimus imitaberis, vt eſt in vetoribus exemplaribus, vt ſentẽtia ſit; puer talis eſt ingenij, vt flectas eũ quò velis tamquam argillã vdã. *quinetiã.* inſuper. *indoctũ.* intea non auditũ. *bibenti.* conniuanti. *leuant.* minuunt, leuiorem faciunt. *extrud mer.* vt venditor qui inhiat lucro. *res vrg.* venditor. *meo ſum p. in.* nihil alicui quicquam debeo. *faceret.* tam viũ venderet. *ceſſauit.* morã fecit. vt, ceſſas nugator. *in ſcalis lat.* nõ latuit in ſcalis, ſed ordo eſt, metuẽs habenę pendentis in ſcalis, latuit: ſecundũ morẽ Romanũ, qui ſeruos ſuos ad gradus habenis. i. loris ligatos flagellabant, ideirco in media domo à gradibus ad cinq; gem ſeruis incutiendũ habenæ pendebãt. fugitiuũ autẽ ſimpliciter & leuiſſimè confitetur. *des.* dare poteris, ait mango. *fuga.* ſerui. *pœna ſecur.* quoniã fugitiuũ eſſe confeſſus eſt. *dicta tibi eſt l.* condicio expreſſa, eſt enim fugitiuus. *dixi me pig.* adaptat ſimilitudinẽ, nempe, ſic dixi tibi proficiſcenti me eſſe pigrũ & ceſſatorẽ. *tal. offic.* ſcribendi. *propè mancum.*

m ancum. manibus carentem & inutilē. *quòd.* ſup. eo. *quid tùm prof.* dū me tibi purgarē. *mecū faciēt.* in eo mihi conſentientia, quòd iuſtam haberē cauſam excuſationis. *Luculli miles.* trāſit ad aliud exēplū iocoſum, quo ſe oſtendit primū pęnuria rei familiaris coactū, pòſt inuitatū donis ad ſcribendū. *ad aſſem.* ſup. vſq. i. tota viatica. hoc autē accidit eo bello quod geſſit Lucullus cū Mithridate rege Pōti; cuius milites primùm neceſſitate compulſi cœperunt prædari & viatica parare, ſed ea, nocte quadā dormientes laſſi, omnia perdiderūt; quare velut furibundi expugnarunt quoddā præſidium vbi erāt theſauri Mithridatis. *vehemēs lup.* hoc eſt, nec ſibi, nec hoſti parſurus. vt Maro, lupi ceu raptores a. i. n. *ſibi.* propter ſuā negligentiam. *hoſti.* propter rapinā. *ſummè.* valdè. *donis ornatur.* militaribus ornamentis, & nihilo minus pecunia. *ſuper.* inſuper. *prætor.* pro imperatore: ſignificat autē Lucullum. *i bone quò.* verba Luculli ad milites. *fauſto.* felici. *ille.* miles *catus.* doctus, expertus, & prudens: vt, cōfidens, catus &c. *quantūuis ruſt.* hæc eſt reſpōſio militis Luculli, qui iacturā rerū ſuarum dolet, vt ei reſtituātur, aut vt prædā nanciſcatur, ibit quocūq; voles. huic ſe cōparat Horatius qui iam diues lucri cauſa nolit carmina ſcribere, etiam ſi pauper antea hoc fecerat. *qui zonā per.* ex Gręca fabula hoc fictū eſt de athleta qui follem perdiderat. *Romæ nutriri.* Horat. de ſe nunc loquitur, qui Venuſinus aut Apulus puer Romę eruditus & doctus eſt Iliada Homeri: vbi didicit quantū Achilles iratus, propter ereptam ſibi ab Agamemnone Briſeida, nocuiſſet Græcis, quòd pugnare contra Troianos nollet. Poſtea verò profectus eſt Athenas, vbi ἠθικὴν. i. moralem philoſophiā didicit, euoluens Platonis libros: vnde euocatus à Bruto, eius parteis ſecutus eſt; quo ab Auguſto deuicto cū aliis proſcriptus, ac neceſſitate cōpulſus contulit ſe ad priſtinū ſtudiū & per amicos Auguſto reconciliatus eſt. *vt poſſem.* verecundè. *ſiluas Academi.* Academus Athenięſis porticum conſtruxit apud Athenas, à quo porticus Academia eſt dicta, & ab ea Academici: quos iucundè dicit in ſilua quærere verū, qui ita quærunt, vt id negent inueniri poſſe: cùm Stoicorū tamen & Peripateticorū & Epicureorū veri ſtabilis ſit aſſeueratio. *rudem.* tironē & belli imperitum. Athenis enim euocatus eſt à Bruto, qui tunc Achaiā & Athenas tenebat, Bruto cognitus à ſtudiis philoſophiæ in qua tunc erat celebri nomine. *æſtus.* bene dicit æſtus, quia vis, nō voluntas eum cōpulit ad arma. *ſimul.* mox vt. *Philippi.* campi Theſſalici, vbi contra Brutū pugnauit Auguſtus. *deciſis humilem p.* i. amiſſa dignitate & opibus, quibus antea ſublimis ferebar. *quod nō deſit.* quod ſatis eſt. *habentem.* ſup. me. ſenſus autem eſt, ſed cùm iam non egeo, inſaniā, ſi verſus facio, & cicuta curandus, ſi otiū nō præfero poëtriæ. *cicutæ.* medicamēta valida: cicuta valet ad capitis purgationē. *anni præd.* excuſatio cur nō ſcribat, ab ętate. Virg. Omnia fert ætas, animū quoq;. *extorquere poëm.* i. facilitatem ſcribendi, vel comitatē extorquere contendūt. *non omnes ead.* excuſat à varietate ingeniorum. *Bioneis.* Satyricis, liuidis, amaris, carmine maledico. Bion autē Sophiſtes cognominatus mordaciſſimis verſibus eſt vſus, quib' ita omneis lacerauit, vt ne Homero quidē parceret. *ſale nigro.* maledicentia. *palato.* guſtu, ſenſu. *præter cetera.* alia cauſa cur non ſcribat. *ſponſum.* ad ſpondendum. *cubat hic.* ægrotat: vt ſuperius, trans Tiberim longè cubat. *interualla vides.* ironicôs. *humanè.* probè. *cōmoda.* breuia. ſed contrà oſtendit quòd magna ſint. *verū puræ ſunt plat.* ironicè *calidus.* ſtudioſus. *geruliq;.* ſagmariis: geruli qui portant neceſſaria ad fabricā. *tignū.* lignum aut aliā materiā. *hac lutulenta.* hęc ſunt impedimenta in plateis, quæ incedentē per eas Poëtā nō ſinunt aliquid ſecum meditari quod ſcribat: atq; ita κατ᾽ ἐπιτροχὴν dicit carmina Romę non poſſe ſcribi. *i nunc & v.* ironicôs. *nemus.* ſolitudinē. *cliens Bacchi.* poëta. *contacta.* hoc eſt, vis me aliena dicere; nam contacta pro detritis & diuulgatis dixit: & ita vis me ſcribere, vt ad vates antiquos accedam proximè. *vacuas.* otioſas, quietas. *deſumſit.* valdè ſumſit *inſenuitq;.* impalluit, quaſi ſenex effectus. *ſtatua tacitur.* vt ſtatua Curij, quātumuis annoſa, muta manet, licet ea ſit ænea vel plumbea in vrbe Roma loquaciſſima. *riſu populumq;.* eſt populo riſui *connectere digner.* dignū arbitrer me ſcribere carmina ad lyram cantāda? *conſulti rhet.* iuriſconſulti. *meros.* puros. *honores.* laudes; nam ſe laudabant inuicem. *Graccus.* eximius orator. *hic.* alter, & alter. *Mucius.* Scæuola iuriſcōſultus. inducit cauſam duorū fratrū ſe mutuò ſpecioſis nominibus appellantium, ita vt hic Graccus, & alter ei Mucius eſſet, ſed nimis ridiculè. *qui minùs.* quomodo. *argutos.* loquaces. *furor.* laudandi ſe mutuò. *carmina comp.* iam ponit verba Poëtarum ſe inuicem laudantium. *carmina.* heroica. *mirabile viſu.* aſſentatoriè. *celatumq; nouem.* omni genere poëſeos quaſi ad viuum expreſſum. *aſpice primum.* Horatius ex ſua perſona. *faſtu.* arrogātia. *molimine.* conamine. *circum ſpectemus.* tmeſis, nos ſcilicet poëtæ. *vacuā ædem.* vt negemus in templo Apollinis vllos Poëtas Romanos habere aut recitare ſua carmina. alludit ad Athenæum vbi Græci Poëtæ recitabāt ſua carmina. *vacas.* nihil eſt quod agas. *feras.* dicat. *vterque.* poëta. *coronā.* pro laude. hoc eſt, audi ob quod meritum ſe laudent inuicem, & dignos corona poëtica iudicent. *totidem plagis.* verberibus. i. falſis laudibus nos deludimus,

& odioſè

& odioſè fallimus, mala carmina prædicantes, in quo quaſi cum hoſtibus Samnitibus (vt olim Romani) pugnamus vſque ad noctem, nóſque conſumimus. Ennius, bellum, inquit, æquis manibus nox intempeſta diremit. *Samnites*. Sabini. *lento duello*. diuturno bello. *ad lumina pr*. vſque ad faces nocturnas, id eſt, vſq. ad noctem. *diſcedo*. dicor. *Alcæus*. poëta is fuit apud Græcos lyricus. *puncto*. iudicio, ſuffragio. iuxta legem tabellariam. vt alibi, omne tulit punctũ. *ille meo*. ſup. puncto. *Callimachus*. hic elegos ſcripſit. *viſus*. ſup. ſit, id eſt, ſi hoc ei non ſit ſatis ad laudem vt dicatur Callimachus. quo argumento oſtendit eos ſe laudare non pro merito, ſed pro ſuo arbitrio. *fit Mimnermus*. Mimnermum laudat tanquam primum in elegis verſibus ſcribendis. *optiuo*. quaſi adoptiuo, aſcititicio, vel quòd optauit. *fero*. ſuffero. *irritabile*. quod facilè ad iram prouocatur. *ſuffragia*. laudes. *mente recepta*. ad me rediens, quia vates dum ſcribũt carmina, inſanire feruntur. *obturem*. claudam. non ſolum, inquit, non laudabo aliorum carmina, vt antè feci, vt laudarẽt mea, verùm obturabo aureis meas cera, ne quem audiam recitãtem. tractum eſt hoc à ſacerdotibus Martis, qui dum ſacra celèbrarent, cera obturabant aureis, ne aliquo ſono mens eorum inquietaretur. *impunè*. quoniã nocere mihi non poterunt poſtquã ſcribere deſiero. *gaudent*. delectãtur ſuis verſibus. *venerantur*. ſe admirantur. *beati*. vt ſibi vidẽtur. *at qui legitimum*. lex poëmatis. deinceps deſcribit bonum & diligentem poëtam, qui dum ſcribit animum ſuum accommodat iudicẽ, vt diligenter quæ ſcribit examinet. *feciſſe*. pro facere. *cum tabulis*. in quibus ſcribere deſtinat. *audebit*. ſibi imperabit vt loco moueat. ſic Virg. aude hoſpes cõtemnere opes. *mouere loco*. delere, eximere. metaphor. excludere vel ab exercitu vel à cenſura: nam Cenſores quos notabant loco mouebant, id eſt, ſuo ordine. *& verſentur*. ſup. quamuis. *intra penetralia Veſtæ*. nulli nota niſi ſibi, ſicut nulli videre licuit penetralia Veſtę niſi ſacerdoti, nec eius ſimulacrũ. hoc eſt, quãuis ſacroſancta ſcriptori videantur, & Pontificũ libris tantũ digna, tamen ſuo loco mouere audebit *bonus*. poëta. *proferet in lucẽ*. verba, inquit, antiqua ſi modò ſplẽdida ſint & bona, rurſus in vſum reducet. *memorata*. ſup. ſunt priſcis tẽporibus. *informis*. turpis, quę deformitatẽ inducit. *vetuſtas*. Virg. Sed te victa ſitu. &c. *adſciſcet*. producet poëta. *genitor*. pulchrè dictũ genitor vſus. *produxerit*. pro produxerat antiquorũ tẽporibus. *vehemens*. fortis. *liquidus*. purus *beabit*. ille poëta. *luxuriantia*. ſuperflua, redundantia. *compeſcet*. reprimet. *leuabit cultu*. nitida & plana efficiet. *virtute cal*. in vſu poſita. *tollet*. temperabit, perferet, mitigabit. *ludentis ſpec*. quamuis ludere videatur, tamen laborem oſtendet. *torquebitur*. aſſimilabitur, permutabitur, rotabitur, fatigabitur vt Pantomimus, qui nunc tonſus Satyri, nunc Polyphemi ſaltantis conatur exprimere perſonam. *Cyclopa mouetur*. figurata locutio, ſicut frangor pedem. *nunc Satyrum*. Perſ. Treis tantum ad numeros Satyri mouere Batilli. *mouetur*. ſaltat. *pratulerim*. elegerim, maluerim. ridendo hoc dicit. *delectent*. mihi placeãt. *fallant*. lateãt, ſic vt mala eſſe neſciam. *ſapere*. ſapientis eſſe, id eſt, curis & perturbationibus conſtringi. *& ringi*. ringi propriè canum eſt, vt ridere hominum: ſed hic ringi eſt ficto riſu lætitiam ſimulare. *ignobilis Argis*. hic Lycas dictus eſt. hoc exemplo oſtendit, quàm ſecurum ſit, nihil curis & animi moleſtiis angi. *cetera qui vita*. qui in domeſticis rebus & familiaribus erat placidus. *ignoſcere*. non ſæuus in ſeruos ſi quid peccaſſent. *ſigno læſo*. Perſ. & ſignum in vapida naſo tetigiſſe lagena. *meraco*. vehementi. *redit ad ſeſe*. ſanus factus eſt, redit ad mentem. *pol me occidiſ*. expoſtulat cum amicis de iniuria ſibi facta, adeò ſecurius ait dementem eſſe quàm mẽtem habere præſentem. *ſapere*. philoſophiæ operam dare. *nugis*. verſibus. *tempeſtiuum*. conuenientem. *ludum* carminis ſcribendi ſtudium. *ſed verè*. ſupp. eſt ſapere. *ſi tibi nulla ſit*. hæc verba ſunt Horatij ſecum loquentis. *ſi tibi nulla*. ſi laborares hydropico morbo. vt alibi, creſcit indulgens ſibi dirus hydrops. *leuius*. ſanius. ſenſus eſt, ſi herba tibi monſtrata aut radix non ſit vtilis curando vulneri, eam deſpicis & fugis, cur diuitias & opes ſimiliter non fugis, quando eas ſentis non modò nõ pellere, ſed etiam augmentare curas animi, nihilque conferre ad benè & beatè viuendum? *curarier*. ad curandum. *audieras cui dij*. interrogatiuè, audiuiſti, inquit, per pecuniam alicui ademtam ſtultitiam, & factum ſapientem. *prauam ſtultitiam*. auaritiam. *nihilo ſapere*. in nullo. *monitoribus*. rationibus. *prudentem*. ſapientem; prudentia autem dicta eſt, quòd porro videret, & futura diiudicaret. vnde Cic. iure amatoribus. *rubereſ*. erubeſceres. *ſi proprium*. ordo eſt, ſi proprium eſt quod quis libra mercatus eſt & ære, etiã quædam mancipat vſus, ſi modò credis iuriſconſultis, quia non ſolum per emtionem, inquit, proprietas acquiritur, ſed etiã per vſurpationem: vt ager qui te paſcit, quãuis alterius ſit proprietas, tamen tuus eſt, quia eo vteris, & fructus percipis. *conſultis*. iuriſperitis. *mancipat*. mancipio accipit: nec ſolũ per mancipationẽ, ſed etiam per vſucapionẽ proprietas acquiritur. *Orbi*. Orbius proprium nomen eſt. *occat*. occulit, occultat, quaſi occecat. *te dominum ſen*. tu cũ emis fruges aut poma,

ma, videris fundum vſucapere, cuius bonis vteris licet emtis, ergo puta eum tuum eſſe proprium à cuius fructibus non es alienus. *temeti.* vini, vnde temulentus. *ſupra* id eſt, plus. *numerando nuper.* per parteis. *an olim* ex toto emto & ſimul numerato pretio. *emtor Aricini.* ordo eſt, quoniã emtor Aricini arui & Veientis. *quamuis aliter p.* id eſt, ſe non emtum exiſtimare olim, quod iã proprium eſt. *ſuum.* agrum. *qua populus.* arbor. vſque ad eum locum vbi populus arbor ſita, &c. Virg. vſque ad aquam, & veteris iã fracta cacumina fagi. *nũc preces.* enumerat quot modis dominia permutãtur. *in altera iura.* in alterius dominium. *ſi qua perp.* ſenſus eſt, quid prodeſt emtio, quid vſucapio ad aliud quàm ad vſum fructũ, quandoquidẽ perpetua rerũ poſſeſſio nemini eſſe poteſt, non diuiti, nõ pauperi, quia Pluto metit omnia grandia cum paruis, id eſt, omnia neceſſe eſt interire. *Lucani.* ſaltus. *metit.* aufert, metapho. *grandia cũ p.* diuites cum pauperibus. *Tyrrhena ſigilla.* Tuſcana: nam Italorum Tuſci primi in marmore ſigilla fecerunt. *Gætulo.* Afro. ſignificat autẽ purpuram Girgitanam. *ceſſare.* otiari, & iucundè viuere. *Herodis.* regis Iudæorũ. Perſ. aut cùm Herodis venere dies. *palmetis.* palmetũ vbi palmæ creſcunt; ſicut oliuetum, vbi oliuæ: & palmeta pro amplis diuitiis ponuntur. *pinguibus.* feracibus. *diues & imp.* pro aſſiduo dixit. *ad vmbram.* ad noctẽ vſque. *mitiget.* colat & edomet. ordo eſt, cur, ſeu qui fit vt alter fratrum ceſſare & ludere præferat pinguibus palmetis Herodis, alter diues ſilueſtrẽ agrum ferro & flammis mitiget, ſcit genius Deus humanæ naturæ mortalis, &c. ſcit cur diuerſi ſint mores hominũ, & cur alter ſit nimis prodigus & alter nimis tenax. *albus et ater.* bonus & malus, liberalis & ſordidus. *quid de me.* hoc eſt, ſi, inquit, hæredipetam cõtemnam, vt mediũ teneã, id eſt, non luxurioſè viuam. *ſimplex hilar.* non tenax ac parcus. *nepoti.* luxurioſo *ac potius puer.* hoc eſt, vt pueri incerti ludo hilariter & iucundè his feriis vtũtur, & paruũ hoc eis ad ludendum ſpatiũ videtur; ita tu ad ſatietatem voluptatibus fruere per omne tẽpus vitę, quod ſatis breue datur per moleſtias & ſeniũ quod inſtat. *feſtis quinquatribus.* quinquatres dies feſti in honorẽ Mineruę, dicti ab eo quòd Galli hoſtes quinque dies Romã tenuerunt: Mineruæ ideo dicati, quia ingenio vſi ſunt Romani, nam clauis ornati ſenatores ante domos ſuas ſederunt: & quinquatres dicti quaſi quinque atri dies. *olim.* quondam. *raptim.* mirè raptim; nam ſi diutius, eſſet luxuria. *pauperies immunda.* aut auaritiã dicit, aut, vt Maro, turpis egeſtas *naue ferar magna.* allegoria. hoc eſt, verũ ex magnis reditibus viuã an paruis, quia in vtroq; ſum mutabilis. *non tamen ad.* hoc eſt, nõ ſumus feliciſſimi, nec tamen miſerrimi. *aquilone ſec.* nimia felicitate. *viribus, ingenio, ſpecie.* pereleganter dicit ſua ſe mediocritate contentũ viuere. *abi.* hic dialogũ ponit. abi, felix es, beatus es. *quid cetera.* vitia. *ſagas.* maleficas. *nocturnos lemur.* vmbras terribiles, θεοθάνατα. *natalei.* dies. *numeras.* celebras. *ignoſcis.* iucundè, pro indulges vt Maro, nec turpi ignoſce ſenectæ. *quid te ex.* per admirationem hæc proferenda ſunt; vt ſenſus ſit, quantũ prodeſt tibi de multis vitiis vno carere. *decede.* da locum præſtantioribus & doctioribus. *potum.* ebrium. *rideat.* laceret & carpat rhythmis aut numeris. *laſciua.* petulans; quam laſciuia & voluptas magis decent quàm te, qui iam penitus es effetus ſenex.

CRVQVIVS.

FLORE *bono claroq́; fidelis amice Neroni.* Expoſtulauerat cum Horatio Iulius Florus, quòd abeunti fidem de epiſtolis ſibi mittendis datam non liberaſſet: cui reſpondet Horatius ei diſcedenti ſe nihil tale promiſiſſe: verùm de hoc ſcribendi officio ſe purgaſſe à tarditate & pigritia: nec ei plus eſſe iuris ad actionem debiti poſtulandi quàm ſi cum mangone agat lege redhibitoria de emto puero, cuius ante emtionem vitia ei lege comprehenſa declaraſſet. Quòd autem queratur de verſibus ab eo non miſſis, eúmque mendacij reum faciat, exemplo militis Luculli fortis neceſſitate quidem compulſi, ſed in rerum copia prorſus deſidis, ait Horatius, bello ciuili in campis Philippicis, pro Bruto contra Cæſarem, rebus omnibus exutum, ſe quidem pauperem ſcribendis carminibus patronos & amicos paraſſe, vitæ vtcumque tolerandæ gratia: verùm nunc quando ad bene viuendum ſatis eſt, ait non ita inſanire ſe, vt otio ſomnoque præferat eiuſmodi ſcribendi carminis negotium, quod neque ætatem decet iam grandiorem, neque ſibi commodum ſit, cùm propter ingeniorum diuerſitatem, tùm propter officia amicis præſtanda, & vrbis ſtrepitum diurnum nocturnúmque, niſi ipſe ſatis ſibi eſſe iudicet ab ineptis poëtis commendari, cúmque eis mala componere carmina: Nam ad legitimum poëma laudéq; dignum conſcribendum, non turbam ait, ſed ſolitudinem requiri, animóque præſenti, eóque cenſorio opus eſſe, verſuſque caſtigari debere, non etiam ſtultorum more poëtarum, ſui ſtudio, aut vitiis delectari, aut ea videre nolle, quod non eſt ſapere, ſed in errore verſari ad inſtar Argiui, qui ſe vel emendari nollet ſanaríque, vel id moleſtè ferret. A quo ſanè malo non multum vult diſſentire videri ſe

iam ſe-

iam ſenem nugari; carmina fidibus modulanda (qui ludus pueros decet) adaptare; iocos, Venerémque tractare, neglectis veræ beatæque vitæ perfectis numeris, modiſque. Quo errore quoq; ait turpiter agitari eos qui diuitias accumulare laborant: Quæ, tantum abeſt, vt ad ſapientiam tranquillitatémque quid valeant conferre, vt etiam quantò fuerint ampliores congeſtæ, tantò magis ſtultescere faciant, animumque perturbent: non ſunt enim perpetuæ, ſed caducæ; non propriæ, ſed alienæ, vt quæ transeant in alterius manus, alienentúrque. Dicit itaq. Horatius non eo ſe teneri ſtudio, ſed pro rerum ſuarum ſtatu viuere modicè, nulla hæredis cura, quantum res poſcit, ex aceruo tollere, eóque vti iucundè, non profusè, non auarè: quo vitio qui caret, ait eum rectè viuere poſſe. *Flore bono.* locus beneuolentię, à fidelitate. *Neroni.* vide Epiſtol. 3. lib. 1. *Tibure vel.* externum, tibi incognitum. *candidus & tal.* commendatio ſerui venalis à colore, ſano & integro, nec deformi corpore. *talos.* de talis quibus in animantibus inueniantur, diximus alibi. *nummorum mil. oct.* octo milia nummûm ſeu ſeſtertiûm ſunt 58. libræ, 6. ſolidi & octo groſſi Flandrici. *verna.* quaſi verua, id eſt, quaſi ſeruus ex ancilla tua natus. *litterulis Græcis.* eruditione. Solebant enim vernę, quò vendibiliores eſſent, liberaliter inſtitui, vt ingenui: nec non vt heris ſuis in litteris eſſent ἀναγνωσταί. *imitaberis.* ſic habent omnes Bland. Buſl. Diuæ. Sil. atque ita legendum cenſeo. *canet ind.* à muſica naturali. Indoctum quod non didicit. vt in Epiſt. pręcedente, docta prece. ſic ode 6. lib. 4. redditi carmē docilis modorum vatis Horati. Carmen indoctum, quale ruſtici canere ſolent, natura duce, non arte periti: poculis aptius & ebrietati, quàm ſuis numeris abſolutius. *multa fidem.* προκατάληψις vanitatis, ad fidem emtori faciendam. huic concinit quod dici ſolet; vino vendibili non opus eſt ſuſpenſa hedera. &, proba merx facilè emtorem reppetit. *extrudere.* 4. Bland. Ton. Mart. Sil. habent, excludere: quod mihi magis apparet vendendis mercibus idoneum: excluduntur enim, quæ clauſtris exemta venui proponuntur. Extrudere autem videtur, neſcio quid, in rebus diſtrahendis habere vilitatis & contemtus. diiudicet lector. *res vrget* non pænuria rei familiaris, non creditor, quia in ære meo ſum, non alieno, pauper quidem, ſed bonæ fidei, non impoſtor: hæc omnia venditoris verba fidei faciendæ ſeruiunt. *mangonum.* mango qui liberum hominem aut etiam ſeruum emit, aut rapit & vendit, ἀνδραποδιστής. ſunt & mangones equorum. *ceſſauit.* piguit enim mandata facere, & contumax fuit reſponſatórque, vt ſolent ceſſatores ſerui pigri & ad imperata tardi. *in ſcalis latuit.* in τῷ latuit notanda eſt ἐλλείψεως figura, ad minuendum ſeu mitigandum fugæ vitium. latuit, id eſt, fugit. patitur autem locus hic σύγχυσιν, hoc modo ordinandus: hic ſemel ceſſauit, id eſt, aliquando tardior fuit, &, vt fit, latuit, id eſt, fugit metuens habenæ pendentis in ſcalis, id eſt, metuens verberari. Quod autem Petrus Victorius vir de Latinis litteris optimè meritus ſcripſit hunc locum ſic ordinandum, idem ante eum habuit Acron vulgatus, vt patet in Commentat. ex antiquis ſcripti. Blandiniis. *excepta.* hoc eſt, à me expreſſa, non etiam tacita, propter legem redhibitoriam. *lædat.* cod. Bland. antiquiſſ. habet, lædit. *ille ferat.* mango, inquit Horatius, ſecurus pœnæ, id eſt de pœna emtori præſtanda ex edicto ædilitio, accipere poteſt ab emtore nummos. *prudens.* Horatius ad Florum quaſi mancipij emtorem. *dicta tibi.* videtur alludere ad Græciſmum, εἰπεῖν νόμον, quod eſt ſancire legem. *lite morar. iniqua.* iniquè litigas cum mágone. *propè mancum.* ſe in ſcribendo mancum eſſe, comparat Horatius vitio fugæ, ne teneatur euictionis pœna. *epiſtola.* antiquiſſ. Bland. habet epiſtula. *veniret.* 4. Bland. Tonſ. Mart. habent, rediret. iudicet lector *ſi tamen attentas.* videtur eſſe ὕστερον πρότερον, & hoc modo diſponendum; ſi tamen attentas mecum facientia iura, quid tum profeci? perinde acſi dicat, ſi non admittas meam purgationem, quid ſupereſt aliud, quàm vt iniquè mecū litiges? *ſuper hoc.* ἐπὶ τούτῳ, inſuper, præterea. *Luculli miles.* vtitur à rebus geſtis exemplo militari, vt oſtendat nunc ſibi non eſſe opus ſcribere carmina, vt olim, quando premeretur inopia rerum, bello quoque perditarum, ſibique (vt militi Luculli) ereptarum, dum quieti Athenis operam dediſſet à Bruto euocatus infeliciter. *ad aſſem.* hoc eſt, ita vt vix ei quicquam eſſet reliquum. as autem Flandricè 17. miten of dact outrent. *hoſti.* Mithridatico. *ieiunis dent. ac.* dici namque ſolet, quòd fames & mora bilem in nareis conciunt. *præſidium regale.* videtur ſignificare Tigranocertam, de qua ſic Appianus in Mithridaticis: Ita Tigranocerta capta ingenti præda ditauit exercitum, vtpote vrbs recens condita ambitiosè contractis vndique incolis, &c. hanc autem Dio lib. 35. ad finem nominat Niſibin (Beda lib. de rerum natura Niniuen) inquiens, ſuper hæc omnia in exercitu quoque Luculli ſeditio erat; nam Valeriani milites (quos hic militem ſingulariter exprimit) qui

militia liberati prius, iterum ſtipendia faciebant, iam ante ad Niſibin tumultuati fuerant, victoria quieteque & rerum copia luxuriantes, id hæc abſenti Lucullo degentes, &c. hunc legito. *honeſtis*. Bland. antiquiſſ. habet opimis. *bis dena ſuper*. ſeſtertius ſeu nummus ſunt duo aſſes & ſemis, Flād. ſeuen ſeskins. Seſtertium autem generis neutri, id eſt, duæ libræ Romanæ & ſelibra argenti, ſeuen ponden grooten & 35. ſtuferi. libra autem Romana ſeu mina aut pondo, 3. pond. grooten Vlaemſch min 10. ſtuuers. Itaque bis dena ſeſtertia, id eſt, viginti milia ſeſtertiûm nummûm ſunt centum quadraginta ſex ff groſſ. præter viginti ſtuferos. *eundem*. militem Luculli, quippe Valerianum. *mentem*. Bland. antiquiſſ. habet mēteis, & fortaſsè rectius, pro animis. *i bone*. imperatoris ad militē προτροπή. *ibit eò quò vis*. Dio ad finem lib. 35. ita factum eſt, inquit, vt quamdiu ex ſententia ſuccederent, prædáſque laboribus pareis adipiſcerentur milites, Lucullo dicto audientes eſſent: poſteaquàm aduerſas res experti, pro ſpe metum ſibi propoſitum viderent, eius auctoritatem defugerunt. *Romæ nutriri*. vide quanto artificio ſuum à primis annis, non in militia, ſed liberalibus litteris ſtudium Romæ cœptum commemoret, deinde Athenas profectum philoſophiæ dediſſe operam, vt ſuam innocentiam Cæſari, nihilque ex propoſito factum demonſtret in caſtris Brutianis, nec immeritò Cæſarem ei remiſiſſe culpam. *adiecere bonæ*. laus Athenarum ab artibus & diſciplinis bonis, qualis omnis eſt rationalis diſciplina, quæ verum & rectum dignoſcere docet à falſo & curuo, quæque agit de inquiſitione veri ſeu ſummi boni. *emouere lo*. ſic ad vnum omnes habent ſcripti cod. quos legi & habeo. *rudem*. nimirum philoſophiæ, non armorum ſtudioſum. *lacertis*. fortitudini & viribus militum Cæſarianorum. *humilem*. abiectum. *& laris & fundi*. totius patrimonij, per proſcriptionem. *vt verſus facer*. ad acquirendam gratiam virorum principum, Mæcenatis in primis, vt eius præſidio cōciliaretur Auguſto. *paupertas impul*. huic ſubſeruit Mimus, hominē experiri multa paupertas iubet. vide Adag. paupertas ſapientiam ſortita eſt. *ſed quod non deſit habentem*. ordo eſt, ſed quæ cicutæ poterunt vnquam ſatis expurgare habentem me quod non deſit, id eſt, non poſſit deeſſe ad rectè viuendum, ſeu id quod ſatis eſt ad vitam tranquillam, μὴ οὐδαμῶς πράττοντα, μὴ οὐδαμῶς ἔχοντα, id eſt, non tenuiter agentem, non egenum. vide num huic conueniat ille mimus, Inopiæ pauca deſunt, auaritiæ omnia. *expurgare cicutæ*. ſic habent omnia ſcripta quæ legi, ſine vlla litura: quare mihi religio fuerit τὸ cicutæ, ſuo loco mouere, quod tamen à Lambino factum eſt, quo alio conſilio non video, niſi ad id faciendum eum inductū credam, quòd cicuta, præter herbam, etiam cucurbitulam ventoſam denotet, quæ Gallis nominatur *cigue*. cuius vocis analogia fortaſſe ſibi effinxerit legendū eſſe σικύαν ſeu σικῦαν, pro cucurbitula medicinali inſtrumento; præſertim ob eam cauſam quòd cicuta purgando cerebro non tantum ſit inutilis, verum etiam ſumentibus mortifera: verùm quid hoc mali vel abſurdi eſt τὸ cicutam ſuo loco ſeruare, quando id ſentire videtur Horatius, nulla cicuta ſe (non enim cerebrum inducit) ita expurgari poſſe, hoc eſt, validiſſimo medicamento, quin credat ſe prius emori poſſe quàm cenſere, verſus ſcribere melius eſſe quàm dormire & quieſcere? vt omittam in vno cod. Bland. inueniſſe me, cicutæ, id eſt, medicinæ vehemētiſſimæ: deinde in Siluio, cicuta hic eſt ſpecies hellebori. Quod ab Auicenna non diſſentit, qui, vt notant aliqui, dicit hellebori nigri nomine cicutam quoque appellari. *prædantur*. ſcientibus prudentibus eripiunt iocos, Venerem, id eſt, ætatis vigorem, oblectamenta, naturæ vireis, &c. *poëmata*. ſcribendi fingendiq; carminis propenſionem. *Bioneis*. nō arbitror hūc Bionem Ariſtophanis patrem fuiſſe, vt habet Porphyrio vulgatus, & ex eo alij, ſed malim Cōmentatori & Acroni vulgato ſubſcribere, Bionémque hunc fuiſſe Boryſtheniten ſophiſtam, non in homines tantùm, ſed etiam in deos impium: vt quos in vlciſcendis hominibus irriſerit, Plutarcho teſte, de vindicta numinis; eóſque nihil eſſe dixerit, vt habet Diog. Laërtius. Alij malunt hunc Bionem fuiſſe Tragicum ex his qui Tharſici dicti ſunt, quem Laërtius inter Biones nonum ſtatuit. *propè diſſentire*. hic propè generatim capitur ſeu vniuerſaliter, id eſt, omnes tres. *præter cætera*. præterea, ἐπὶ τούτοις. *me Romæ ne poëm*. ſic in omnibus ſcriptis, & multo molliùs legitur quàm in vulgatis, Romæ me ne, &c. *hic auditum ſcripta*. ſic poſteà, multa fero, vt placem genus irritabile vatum: fuit enim Horatius ex criticis vnus, vt in Epiſt. ad Piſones, ſi quid tamē olim ſcripſeris in Meti deſcēdat iudicis aureis & patris & noſtras, &c. *humanè*. tres Blād. habebant humanæ, per æ diphthongū, ſed in duobus nota diphthongi ſubſcripta manifeſtè cernitur eraſa. alij omnes habent humanè, ſine diphthongo. Soſipater inſtit. Grammat. lib. 1. humaniter quidem, inquit, ſignificat φιλανθρώπως, humanè autem ἀνθρωπίνως, quod eſt, humano more: perinde ac ſi dicat, vides quàm ſunt hæc interualla inter Quirinalem & Auentinum monteis, euntibus cōmoda, ἡρωικῶς, imo potius quàm incommoda ſint humanè, id eſt, humano more, vt ſunt humana omnia, in quibus plus eſt mali quá boni,

boni, plus fellis quàm mellis: aut ἱερατικῶς humanè, ἀνθρωπίνως, τοῦτ' ἐστι, συμμέτρως, ἰατρικῶς. vt apud Ariſtoph. in Ranis. *rerum puræ ſunt plateæ.* ſic legitur in Bland. vno & Toniano codice, & genuina eſt lectio, vt lector doctus facilè animaduertit: plateę ſunt puræ rerum, id eſt, impedimentorum, ἱερατικῶς, perinde ac ſi dicat, plateas qua itur ad mõtem Quirinalem & Auentinũ, eſſe moleſtiſſimas, propter ea quæ viatoribus & deambulantibus paſſim obſunt: forum enim Romanum, tẽplum Iouis Feretrij, Palatium, Capitolium, loca inter hos monteis media erant frequentiſſima, vt hic oſtendit Horatius. *puræ.* ſic habent omnes præter Mart. cod. qui ſequitur vulgatam lectionem: puræ autem rerum, talis eſt ſtructura, qualis ode 22. lib. 1. Integer vitæ, ſceleríſque purus, &c. *obſit.* ſic Tonſ. & Sil. quos ſequor ſine vllo periculo; & aptior eſt lectio, vt mihi apparet, quàm obſtet, quam tamen non reiecto. *feſtinat calidus.* hæc enumeratio eſt impedimentorum, quæ declarat eum nunc ironicôs eſſe locutũ. *mulis.* ſarcinariis ſeu ſagmariis, σαγμάρια, inquit Suidas, τὰ βαστάζοντα τὴν ἀποσκευὴν καὶ τὴν μετακομιδὴν τῶν ἐπιτηδείων, id eſt, quæ ferunt ſupellectilem & apparatum rerum neceſſariarum, vt muli clitellarij, geruli, &c. *redemtor.* vide oden 1. lib. 3. *torquet.* ſucula, inſtrumento fabrili. *machina.* hinc machinarius, fabricator operum quæ manu ſimul & ingenio conficiuntur, robuſtus, ſollers. *funera.* ad ſepulturam elata. *plauſtris.* onerariis. Columellæ plauſtrum eſt quo fimus conuehitur. *luctantur.* occurrẽdo cõtendunt. *i nunc &c.* ironia cũ χλευασμῷ. *ſomno gaudent.* otio & quiete. *vis canere.* lyrica ſcribere. *contacta.* ſic habent tres Blãd. Diuæ. Tonſ. Mart. Buſl. Sil. quos ſecutus ſum. Bland. antiquiſſ. legit cantata, quod mihi in primis placet cum hac adnotatione, ab aliis prius dicta. Nann. codex habet cunctata. diiudicet lector. *ingenium ſibi quod.* argumentum à maiori, διαλεκτικῶς. In ſummo otio & quiete qui iam multos annos Athenis verſantur ſi hoc non pręſtiterint, egó-ne id Romæ poſſim in ſummo ſtrepitu? *annos ſeptem.* finitum pro infinito. *inſenuit.* quaſi ſua moroſitate ante tempus ſenium contraxiſſe videtur. *ſtatua taciturnius.* σατυρικῶς in id genus hominum, qui poſt multos annos ſtudiis philoſophicis impenſos, vbi ad politicam vitam neceſſe eſt accedere & familiariter viuere, ita vana quadam ſcientiæ opinione planéque ſcholaſtica, vel grauitate philoſophica elati miniméque vrbana, ceteros velut è ſublimi deſpiciunt, vt eos obuios ne ſalutatione quidẽ dignentur, tantum abeſt vt blandius eos alloquantur. hinc ait, *& riſu populum quatit,* quod non tam ad carminis ſcribendi quàm pertinet ad ineptitudinem morũ vitæq. cõmunis. *digner.* velim, ἀξιώσαιμι. *frater erat Ro.* hæc de ineptis accipienda ſunt, qui neglecti à populo præconis ſibi mutuis applaudebant: quo exemplo mirabiliter ait eos inter ſe poëtas ſibi placere ipſis, qui relictis Athenis vel inſcitia, vel taciturnitate, cùm populo eſſent riſui, ſuarũ inter ſe laudum præcones erant. *cælatumq.* artificioſiſſimum, ſummum poëma. *molimine.* quibus artibus. *circum* maximum, id eſt, eos qui in circo & exercent ſe & ſpectant: aut circum συνεκδοχικῶς, id eſt, theatrum. Cõmentator & alij per tmeſin verbi, circumſpiciunt, hæc interpretantur. equidem malim eſſe aſyntheton, hoc modo, ſpectemus circum, & vacuam Romanis vatibus ædem. diſpiciat lector. *ſpectemus.* non excludit ſe numero eorum poëtarum, quò rideat liberiùs. *ſi fortè vacas.* omnes lib. ſcripti ſic habent, nõ vacat, vt vulgati quidam. *procul audi.* ne propius accedas, ſed quaſi ex inſidiis ſectare, vt aliud agere te cogitent, ποιητικῶς. *Samnites.* Samnites erant gladiatores, ſic ab armatura Samnitũ dicti, ſiue Sauniis: nã Saunia genus erat haſtarũ, Græcis, inquit Verrius, appellatum. Lucilius, Samnis ſpurcus homo, id eſt, gladiator. *lumina prima.* duo Bland. apertè habent, prona, ſed antiquiſſ. per lituram, lumina prima, id eſt, prima luce, vt volunt aliqui, ſed non aptè, vt mihi videtur: alij pro lucernis nocturnis. ſic Tacitus in Nerone, vrebantur Chriſtiani in vſum nocturni luminis. alij pro ſtellis ſub noctem emicantibus. *lento duello.* alij lentum duellum interpretantur, non gladiatorũ; ſed Samnitũ cum Romanis propter Sabinas raptas. *diſcedo Alcæus.* inquit Horatius. *ſi plus adpoſcere.* cod. Tonſ. habet, ſe attollere. *irritabile.* ὀξύχολοι. quibus ira cõmotis, ſi repugnes, magis prouoces, neque ſine magno tuo malo diſceſſeris. *obturem.* modi potentialis, obturare poſſim ſine periculo. *legentibus.* ſua ſcripta recitantibus. *ridentur mala.* clauſula per trãſitionem. *vltrò ſi tac. laudant.* poëtarum philautia. *inuita.* ipſo ſcribẽte inuito & renitente. *vehemẽs.* ad inuentionẽ. Vehemens per craſin, metri cauſa. ſic alibi, nihilo deterius. *beabit.* amplificabit, ditabit. *virtute carentia.* 4. Bland. habent calentia, quos Cõment. ex antiquis illis ſcriptis ſequitur. videat lector. *ſatyrum.* agilem. *agreſtem.* tardum. *prætulerim ſcript.* reuertitur ad id quod ſuprà dixit, gaudẽt ſcribentes & ſe venerantur, &c. qui ſui fetus ſcriptique carminis ſtudio ſic delectantur, vt vel conſultò ſua vitia prętereant, vel ea pro virtutibus habeãt, ſecuri vulgò de ſe dictorum: quos non minùs mẽte captos, planéque deſipere dicit, quã Argiuum quendã nobilẽ: Qui licet iſtorum more ad humanã conuerſationẽ ſatis eſſet aptus,

tamen nõ eſſe apud ſe dum in vacuo theatro plauderet, & ſe crederet audire tragœdos, doleretque amicorum opera ſe ab ea mentis voluptate liberatū, ſicut ringuntur hi poëtæ ſua vitia corrigi. *& ringi.* ringi hic iraſci eſt ſtomacharique, quòd res ex voto non ſuccedat, ſed ſine externa & aperta ſignificatione. *Argis.* ex Ariſtotele de mirabilibus auſcultationibus initio habemus, tale quid Abydi contigiſſe: ſed hoc nihil vetat quo minus Argis quoque tale quid vſu venerit. Quid ſi Argis, metonymicôs, pro Argiuis poni credamus, vt alibi Mauris, pro Mauritanis: vt ſenſus ſit, fuit non ignobilis a quis ex Argiuis? &c. *in vacuo latus ſeſſor.* tale argumentū tractatur à Sophocle in Aiace flagellifero, vbi Euryſacen puerum beatum dicit, quòd expers ſit ſenſus malorum, neque ſciat quibus rebus aut lætandum ſit aut dolendū, quod eſt intelligentiæ malū quidem detrimentum, ſed ex eorum numero quæ non habent dolorem. ſic & Medici φάρμακα quædā nominant ἀνώδυνα, quæ cruciatum nullum faciunt. *poſſet qui rupem.* vt cui ſenſus exterior non penitus eſſet fuliginoſus. *bilémque.* bilis atra ſi ex humore cerebri frigido feculentóque generatur, terroris, triſtitiæ pertinaciúmq. & ſæpe ridicularū imaginationū plenam melancholiā adfert; ſin ex calido eſt & retorrido, θηριώδης, immaniſq; & omnino delira phreneticáq. generatur affectio capitis. *pol me occidiſtis.* expoſtulatio ab iniquo, vt videbatur Argiuo. *per vim.* purgatiuam. *mentis gratiſſ. err.* ſenſu carere grata res eſt in malis, In Oedipo Sophocles. vide Adag. in nihil ſapiendo iucundiſſima vita. *nimirum ſapere.* hæc tacita eſt προκατάληψις: dixit enim eos non ſapere, qui ſuis malis delectantur; nunc contrà, ait ſapere eſſe, non nugari, & carmina pueris, id eſt, iunioribus relinquenda, ſcribere, ſed veræ, id eſt, beatæ tranquillæq; vitæ cognoſcere modos. *ediſcere.* μανθάνειν, cognoſcere, exercere. *quo circa mecum loquor.* ἐνδιάθετος λόγος. ſic ait ſecū cogitare in diuitiis aceruandis nihil eſſe ſapiētiæ: hoc ex obliquo inducens ſub ſua perſona ad deterrēdum Florum fortuitis bonis addictiorem, vt ſuprà epiſt. 3. lib. 1. prima feres ederæ victricis præmia, quòd ſi frigida curarum fomenta relinquere poſſes, &c. *narrares medico.* hoc eſt, adires medicum ſciſcitaturus remedium. argumentum ab interno & propè incurabili morbo. *ſi vulnus tibi.* ab externo in corpore & oculis obiecto malo. *ſi cupidum.* id eſt, ſi te tranquillarent. *mercatus & ære eſt.* ſic cod. antiquiſſ. Bland. alij tres, quicquid libra mercamur & ære. Alij ſequuntur lectionem vulgatam. indicat autē nihil quicquā vel emtione vel vſucapione cuiquam eſſe propriū; & proinde nos in eo plus æquo ſtulteſcere, quando nobis id proprium ducimus, quod alienari & alterius eſſe poteſt. *libra mercatus.* de emtione per æs & librā Boëthius in Topic. Cicer. & Budæus in Pādect. ſimul & de mancipatione vſucapionéque. *villicus Orbi.* per apocopen pro Orbij. à teſtimonio & cōfeſſione villici, qui alterius ager eſt emtione, docet eum quoque eſſe tuū, ex cuius fructibus numerata pecunia vitā ſuſtines, & nihil eſſe vel mācipatione vel vſucapione opus vt viuas iucundè. *occat.* fractis glebis tegit. Verrius, auctore Feſto, ab occædēdo deducit, quòd cædat grandeis globos terræ: Cicero ab occæcando fruges ſatas; ſed malim deriuari ab occa quod eſt raſtrum Iſidoro. *daturas.* ſic habent 4 Bland. Tonſ. Sil. & genuina eſt lectio, vt non difficulter lector peritus cognoſcet. *te dominū* ei pecunia de rebus emtis iam numerata, etſi ſit Orbij villicus. *mercaris ag.* tuum facis. *trecentis milib.* id eſt, mille quadringentis quinquaginta nouem ff. Fland præter decem ſolidos groſſ. qui erat cenſus equeſtris ſub Iulio. *emtum.* olim ab Orbio. *numerato.* id eſt, iam & nuper villico numerata pro fructibus emtis pecunia. *an olim.* vt Orbius. perinde ac ſi dicat, vter felicior, túne qui viuis iucundè ex emtis fructibus, an Orbius, qui fortaſſis à villico recondit acceptam pecuniam, miſereque ac ſordidè victitat? *Aricini quoniam Veientis.* quoniam, habent omnes ſcrip. libri quos vidi præter Mart. qui vulgata ſequitur. ſed alterum conuenientius apparet: oſtendit enim cauſam cur nihil interſit inter eum qui iam olim agrū emit, quādo ei neceſſe eſt eius fructus redimere ad vſum vitæ; & eum qui numerata quotidie pecunia fundū paullatim ſuum facit. at aliam tamen lectionē non damno. *Veientis & arui.* cod. Tōſanus habet Veientis auiti. diſpiciat lector. *ſit proprium quicquam* ſic habēt omnia ſcripta. quid autem ſit propriū, vide Satyr. 6. lib. 2. *nunc prece.* Cariſſimum eſt quod precibus emitur; nam beneficium accipere, libertatem vendere eſt, inquit Mimus. *nunc vi.* à potentioribus illata, & quod iure belli (vt aiunt) poſſidetur. *ſorte ſuprema.* legitima ſucceſſione & legato. *perpetuus nulli d.* imo, homo ipſe vitæ cōmodatus, non donatus eſt. *Tyrrhena ſigilla.* fortaſſe notat agalmata. *ſunt qui non.* εἰσὶ οἱ helleniſ. *Herodis palmetis.* Strabo lib. 16 Hiericus eſt campus à mōtana quadam circumdatus, quæ in theatri ſpeciem ad ipſum declinat: hoc in loco eſt palmetum, cui immixta eſt etiam alia materies domeſtica & ferax, palmis abundans, ſpatio ſtadiorum centum, & totum irriguum & habitationibus plenum, vbi & regia eſt (Herodis) & balſami viridarium, &c. hûc legito. & paullò pòſt: Pompeius circumciſis quibuſdā quæ Iudæi violenter ſibi aſciuerant, Herodem face-

ſacerdotio præfecit, &c. *ſcit Genius natale.* vt à poëtis fingitur Genius deus humanæ naturæ, quaſi is ſit hominũ conſeruator, ita ab eiſdem quædã Iuno deſcribitur humanæ naturæ dea tutelaris: quaſi virorum quidem ſint Genij, mulierum autẽ Iunones. hinc apud Petronium iurat meretricula, Iunonem meã mihi iratam habeã. & apud Iuuenalem de domino molli & muliebria patiente, Et per Iunonem domini iurante miniſtro. Genij autem iidem cum angelis, quos ethnici putabant cuiuſq. geniture præfecta numina, ſimul & naſci & interire cũ homine; quæ (vt Ammianus ait) editis in lucem hominibus, velut eorum actus rectura, ſalua fatali firmitate credebant; *δαίμονες μυσταγωγοὶ τοῦ βίου*, Menandro. lege Feſtum. *temperat aſtrũ.* aſpectu aſtrorum felicem facit, & ſidus natalitium quod *ὡροσκόπον* nominant *ἀστρολόγοι*. *vultu mutabilis.* alius atque alius. *albus & ater.* proſper & aduerſus. *vtar & ex modico.* a ſua perſona Floro cõmendat vſum bonorum moderatum, quem in omnibus ſuis ſcripti habet quàm cõmendatiſſimum. *quantum res poſt.* quantum fuerit vtile & honeſtum. *nec metuam.* non erit mihi curæ, non cauebo, *οὐ φυλάξομαι*. *non plura datis.* an datis ab hærede futuro: non placet, niſi iudicemus Mæcenatẽ fuiſſe hæredipetam, quando ei daret munera, fundos & agros. an datis à patre? nec hoc gratũ eſt; patrimonium namq; bello ciuili amiſerat, vt paulò ſuprà. itaque datis, id eſt, relictis à me, iiſq; ab hærede acceptis. *ſcire volam.* experiar viuendo. *quantum ſimplex.* id eſt, quantũ ſimplex & hilaris apparatus differt a luxurioſo ſollicitóque. *diſcordet parcus auaro.* id eſt, quid interſit inter frugalẽ victũ & ſordidum. *diſtat enim.* hoc eſt, tua prodigere, ſumtum iucundè liberaliterq; facere, & auarè ſemper plura quærere, nec frui præſentibus, multùm inter ſe diſcrepant. *quinquatribus.* quinquatres, *παναθήναια*, inquit Soſipat. lib. 1. inſt. Gram. item eodem, Quinquatrus pluraliter, non quinquatria: nõ enim dictæ ſunt quinq; dies atri, ſed quod quinquatrus antiqui dicebant à quinquando, id eſt, luſtrando, quòd eo die arma ancilia luſtrari ſint ſolita. Comment. hic Soſipatro aduerſatur de quinq. atris diebus ex ſcriptis Bland. vbi lacuna ingens antiquitatẽ omnem obſorbſit: habet enim: & Mineruæ ideo dicati quia ingenio vſi ſunt Romani. *τὸ* ingenio, in vno ex iis Bland. habetur, ingenua; in alio, ingenita: antiquiſſimus autem totus ad finem huius epiſtolæ, partim oblitteratus eſt, partim lacer. *ego vtrum.* totus hic locus allegoricôs exponendus, pro eo quod eſt, animum ſuũ neque ſplendore neque tenuitate mutari, ſed ad omnem euentum eſſe conſtantẽ & imperturbatũ. *non tamen aduerſis.* Buſl. habet, auerſis. *non es auarus? abi quid cetera?* locus hic variè legitur. præter duos Bland. omnes quos legi ſcripti habent, nõ es auarus? cum interrogationis nota. abi. quid cetera? cum interrogatione. *iam ſimul iſto cum vitio fuge rite caret*, &c. ſine interrogationis nota eò vſque, *quid te exemta*, &c. Sed nec vna in omnibus eſt interpũctio; nam duo Bland. Buſl. Nan. Tonſ. habent, non es auarus? abi. quid cetera? iam ſimul iſto cum vitio fuge: rite caret, &c. aſſertiuè. Diuæ. & Mart. non es auarus? abi. quid? cetera iã ſimul iſto cum vitio fuge, &c. duo Bland. quod cetera iam ſimul iſto cum vitio fuge. vulgati nuper habent, non es auarus, ſine interrogationis nota. abi. quid cetera? iã ſimul iſto cum vitio fugere? caret tibi pectus inani ambitione? &c. ſingula cum interrogatione, vſque ad eum verſum, *viuere ſi rectè neſcis*, &c. deligat ex his lector peritus quę ſibi videbitur commodiſſima: mihi certè vulgata nuper non improbatur, ſed ſine interrogatione, ex hoc loco, iam ſimul iſto cum v. &c. vſque ad, quid te exemta iuuat, &c. Verùm quia omnia ſcripta habent, fuge rite caret, &c. non libenter ab iis diſſentirem, ita vt ſenſus ſit, ſi non es auarus, iam vide vt cetera vitia ritè, bene, & peritè fugias; ad quæ deuitanda, magnum iam tibi ſubſidium paratum eſt; vnà enim cum auaritia valere iuſſa caret pectus inani ambitione, mortis formidine, ira, dolore, &c. quibus auarus cruciari ſolet; vehementérque concuti. *Theſſala.* Colchica. *natales.* Mart. & Sil. habent, fatalcis. *quid? te exemta leuat ſpinis de pluribus vna?* ſic habent cod. Bland. tres per interrogationis notam; quaſi dicat, vna ſpina de pluribus exemta, nimirum auaritia, me leuat minimè: iccircò ſubiungit, *viuere ſi rectè neſcis.* hoc eſt, ſi ademta auaritia, vita tibi præterea iniucunda eſt, nec te componere vales vt tranquillè viuas, morere, ne diutius ſis miſer, & ſinito viuere te peritiores. *luſiſti ſatis.* hæc ſumta ſunt ex Odyſſ. ο, *τῶν δ' ἔφαγον τ' ἔπιον τε, καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα*, id eſt, *ἀφροδίσιος ἔδωκα, τοῦτ' ἔστι, ἀφροδισιάζον*, id eſt, Veneri operam dedi. eadem verba Latinè vertit Liuius Andronicus vel reclamante Euſtathio Homeri enarratore. *& pulſet.* cod. vnus Bland. habet adnotatum, alij legunt, plaudat; quod aptius apparet, pro explodat.

EPISTOLA TERTIA LIBRI SECVNDI AD PISONES DE ARTE POETICA.

AD PISONES.

HVMANO capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſupernè:
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?
Credite Piſones, iſti tabulæ fore librum
Perſimilem, cuius, velut ægri ſomnia, vanæ
Fingentur ſpecies, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ. PICTORIBVS atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.
Scimus, & hanc veniam petimusq́; damusq́; viciſsim:
Sed non vt placidis coëant immitia, non vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis grauibus plerumque, & magna profeſsis
Purpureus, latè qui ſplendeat, vnus, & alter
Aſſuitur pannus, cùm lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumē Rhenū, aut pluuius deſcribitur arcus.
Sed nunc nō erat his locus: & fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare. quid hoc, ſi fractis enatat exſpes
Nauibus, ære dato qui pingitur? amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur vrceus exit?
Deniq; ſit, quod vis, ſimplex dūtaxat, & vnum.
Maxima pars vatum, pater, & iuuenes patre digni,
Decipimur ſpecie recti. breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio. ſectantem leuia, nerui
Deficiunt, animiq́;: profeſſus grandia, turget:
Serpit humi tutus nimium, timidusq́; procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter vnam,
Delphinum ſiluis appingit, fluctibus aprum.
IN vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.
Aemilium circa ludum faber imus & vngueis
Exprimet, & molleis imitabitur ære capillos.
Infelix operis ſumma, quia ponere totum
Neſciet. hunc ego me, ſi quid componere curem,
Non magis eſſe velim, quam prauo viuere naſo,
Spectandum nigris oculis, nigroq́; capillo.
SVMITE materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeāt humeri. cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc ſpernat promiſsi carminis auctor.
In verbis etiam tenuis, cautúſque ſerendis,
Dixeris egregiè, notum ſi callida verbum
Reddiderit iunctura nouum. ſi fortè neceſſe eſt
Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum:
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabitúrque licentia ſumta pudenter.
Et noua, fictáque nuper habebunt verba fidem. ſi
Græco fonte cadant, parcè detorta. quid autem
Cæcilio, Plautoq́; dabit Romanus, ademtum
Virgilio, Varióque? ego cur acquirere pauca
Si poſſum inuideor, cùm lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit? licuit, ſemperq́; licebit,
Signatum præſente nota producere nomen.
Vt ſilua foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modò nata, vigentq́;.
DEBEMVR morti nos, noſtráque. ſiue receptus
Terra Neptunus, claſſeis Aquilonibus arcet,
Regis opus, ſterilíſve diu palus, aptáque remis
Vicinas vrbeis alit, & graue ſentit aratrum:
Seu curſum mutauit iniquum frugibus amnis,

Doctus iter melius: MORTALIA facta peribunt:
Ne dum ſermonum ſtet honos, & gratia viuax.
Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentq́;
Quæ nũc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus:
Quem penes arbitrium eſt, & ius, & norma loquendi.
Res geſtæ regumq́;, ducumq́;, & triſtia bella,
Quo ſcribi poſſent numero, mõſtrauit Homerus.
Verſibus impariter iunctis querimonia primùm,
Pòſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.
Archilochum proprio rabies armauit iambo.
Hunc ſocci cepere pedem, grandesq́; cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & populareis
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.
Muſa dedit fidibus Diuos, puerόſque Deorum,
Et pugilem victorem, & equũ certamine primũ,
Et iuuenum curas, & libera vina referre.
Deſcriptas ſeruare vices, operúmque colores,
Cur ego, ſi nequeo, ignoróque, poëta ſalutor?
Cur neſcire, pudens prauè, quàm diſcere malo?
Verſibus exponi tragicis res comica non vult.
Indignatur item priuatis, ac propè ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.
Singula quæque locum teneant ſortita decenter.
Interdum tamen & vocem comœdia tollit,
Iratusq́; Chremes tumido delitigat ore:
Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.
Telephus, & Peleùs, cùm pauper, & exul vterq́;,
Proiicit ampullas, & ſeſquipedalia verba;
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela.
Non ſatis eſt pulcra eſſe poëmata: dulcia ſunto,
Et quocunque volent, animum auditoris agunto.
Vt ridentibus arrident, ita flentibus adſunt
Humani vultus. SI vis me flere, dolendum eſt
Primùm ipſi tibi: tunc tua me infortunia lædent.
Telephe, vel Peleû, malè ſi mandata loquêris,
Aut dormitabo, aut ridebo. TRISTIA mæſtum
Vultum verba decent: iratum, plena minarum:
Ludentem, laſciua: ſeuerum, ſeria dictu.
Format enim natura priùs nos intus ad omnem
Fortunarũ habitum: iuuat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit:
Pòſt effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites, peditéſque cachinnum.
Intererit multum diuúſne loquatur, an heros:
Maturúſne ſenex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus: an matrona potens, an ſedula nutrix:
Mercatórne vagus, cultórne virentis agelli:
Colchus, an Aſſyrius: Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge
Scriptor. honoratum ſi fortè reponis Achillem:
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer:
Iura neget ſibi nata: nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictáq́;: flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.
Si quid inexpertum ſcenæ committis, & audes
Perſonam formare nouam: ſeruetur ad imum
Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.
Difficile eſt propriè communia dicere: tuq́;
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quàm ſi proferres ignota, indictáque primus.
Publica materies priuati iuris erit, ſi
Nec circa vilem, patulúmq́; moraberis orbem:
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres: nec deſilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.
Nec ſic incipies, vt ſcriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
PARTVRIENT montes: naſcetur ridiculus mus.
Quantò rectiùs hic, qui nil molitur ineptè!
Dic mihi Muſa virum, captæ pòſt tẽpora Troiæ,
Qui mores hominum multorũ vidit, & vrbeis.
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat; vt ſpecioſa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllámq́;, & cum Cyclope Charybdim:
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum feſtinat; & in medias res,
Non ſecus ac notas, auditorem rapit: &, quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.
Atque ita mentitur: ſic veris falſa remiſcet,
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.

Tu, quid ego, & populus meum deſideret, audi.
Si plauſoris eges aulæa manentis, & vſque
Seſſuri, donec cantor, vos plaudite, dicat:
Aetatis cuiuſq; notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſq; decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſq;, & aprici gramine cãpi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſq;, & amata relinquere pernix.
Conuerſis ſtudiis, ætas, animúſque virilis
Quærit opes, & amicitias, inſeruit honori:
Commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.
Multa ſenem circumueniunt incõmoda: vel quòd
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti:
Vel quòd res omneis timidè, gelidèq; miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners auidúſque futuri:
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatórque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda ſecum:
Multa recedentes adimunt. ne fortè ſeniles
Mandentur iuueni partes, pueróq; viriles,
Semper in adiunctis, æuóq; morabimur aptis.
Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur.
Segniùs irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator. non tamen intus
Digna geri, promes in ſcenam; multáq; tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palã coquat exſta nefarius Atreùs:
Aut in auẽ Procne vertatur, Cadmus in anguẽ.
Quodcumque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.
Neue minor, neu ſit quincto productior actu
Fabula, quæ poſci vult, & ſpectata reponi.
Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui perſona laboret.
Actoris parteis chorus, officiumq; virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat, & hæreat aptè.
Ille bonis faueatq;, & conſilietur amicis,
Et regat iratos, & amet peccare timenteis.
Ille dapes laudet menſæ breuis: ille ſalubrem
Iuſtitiam, legeſq;, & apertis otia portis.
Ille tegat commiſſa, Deóſque precetur, & oret,
Vt redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.
Tibia non, vt nunc, orichalco vincta, tubæq;
Aemula, ſed tenuis, ſimplexq;, foramine pauco
Adſpirare, & adeſſe choris erat vtilis, atq;
Non dum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu.
Quò ſanè populus numerabilis, vtpote paruus,
Et frugi, caſtuſq;, verecundúſq; coibat.
Poſtquàm cœpit agros extẽdere victor, & vrbem
Latior amplecti murus, vinóque diurno
Placari Genius feſtis impunè diebus:
Acceſſit numeriſque, modiſque licentia maior.
Indoctus quid enim ſaperet, liberque laborum,
Ruſticus, vrbano confuſus, turpis honeſto?
Sic priſcæ motúmque, & luxuriam addidit arti
Tibicen, traxítque vagus per pulpita veſtem.
Sic etiam fidibus voces creuere ſeueris,
Et tulit eloquium inſolitum facundia præceps,
Vtiliumq; ſagax rerum, & diuina futuri
Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum,
Mox etiam agreſteis Satyros nudauit, & aſper
Incolumi grauitate iocum tentauit: eo quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functuſq; ſacris, & potus, & exlex.
Verùm ita riſores, ita commendare dicaces
Conueniet Satyros, ita vertere ſeria ludo:
Ne, quicũq; Deus, quicumq; adhibebitur heros,
Regali conſpectus in auro nuper & oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas,
Aut, dum vitat humũ, nubes, & inania captet.
Effutire leueis indigna tragœdia verſus:
Vt feſtis matrona moueri iuſſa diebus,
Intererit Satyris paullùm pudibunda proteruis.
Non ego inornata, & dominãtia nomina ſolùm,
Verbáque, Piſones, Satyrorum ſcriptor amabo:
Nec ſic enitar tragico differre colori,
Vt nihil interſit, Dauúſne loquatur, & audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum:
An cuſtos, famuluſq; Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen ſequar; vt ſibi quiuis

Speres

Speret idem: ſudet multùm, fruſtráque laboret
Auſus idem. tantum ſeries, iuncturáq; pollet:
Tantum de medio ſumtis accedit honoris.
Siluis deducti caueant, me iudice, Fauni,
Ne, velut innati triuiis, ac penè forenſes,
Aut nimiùm teneris iuuenentur verſibus vmquam,
Aut immunda crepent, ignominioſáq; dicta.
Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res:
Nec, ſi quid fricti ciceris probat, & nucis emtor,
Aequis accipiunt animis, donántue corona.
Syllaba longa breui ſubiecta, vocatur iambus,
Pes citus: vnde etiam trimetris accreſcere iuſſit
Nomen Iambeis, cùm ſenos redderet ictus,
Primus ad extremum ſimilis ſibi. nõ ita pridem,
Tardior vt paullò, grauiórq; veniret ad aureis,
Spondeos ſtabileis in iura paterna recepit
Commodus, & patiens: non vt de ſede ſecunda
Cederet, aut quarta ſocialiter. hic & in Accî
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Ennî.
In ſcenam miſſos magno cum pondere verſus,
Aut operæ celeris nimium, curáq; carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quiuis videt immodulata poëmata iudex,
Et data Romanis venia eſt indigna poëtis.
Iccircóne vager, ſcribamq; licenter? an omneis
Viſuros peccata putem mea, tutus, & intra
Spem veniæ cautus? vitaui denique culpam,
Non laudem merui. vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.
At noſtri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere ſales: nimiùm patienter vtrumque,
Ne dicam ſtultè, mirati: ſi modò ego, & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumq; ſonum digitis callemus, & aure.
Ignotum tragicæ genus inueniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis:
Quæ canerent, agerémque peruncti fecibus ora.
Poſt hunc perſonæ, palláq; repertor honeſtæ
Aeſchylus, & modicis inſtrauit pulpita tignis,
Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.
Succeſſit vetus his comœdia, non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. lex eſt accepta, chorúſq;
Turpiter obticuit, ſublato iure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquere poëtæ:
Nec minimum meruere decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta:
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clarisve potentius armis,
Quàm lingua, Latium; ſi non offenderet vnum
quemque poëtarum limæ labor, & mora. vos ô
Pompilius ſanguis carmẽ reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem.
Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credit, & excludit ſanos Helicone poëtas
Democritus: bona pars nõ vngueis ponere curat,
Non barbam: ſecreta petit loca, balnea vitat.
Nanciſcetur enim pretium, nomenq; poëtæ,
Si tribus Anticyris caput inſanabile numquàm
Tonſori Licino commiſerit. ô ego læuus,
Qui purgor bilem ſub verni temporis horam.
Non alius faceret meliora poëmata: verùm
Nil tanti eſt. ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.
Munus, & officium, nil ſcribens ipſe, docebo:
Vnde parentur opes: quid alat, formetq; poëtam:
Quid deceat, quid nõ: quò virtus, quò ferat error.
Scribendi rectè, ſapere eſt & principiũ, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ:
Verbáque prouiſam rem non inuita ſequentur.
Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis:
Quo ſit amore parens, quo frater amandus, & hoſpes:
Quod ſit conſcripti, quod iudicis officium: quæ
Partes in bellum miſſi ducis: ille profectò
Reddere perſonæ ſcit conuenientia cuique.
Reſpicere exemplar vitæ, morumq; iubebo
Doctum imitatorẽ, & viuas hinc ducere voces.
Interdum ſpecioſa locis, morataq; rectè
Fabula, nullius Veneris, ſine pondere, & arte,
Valdiùs oblectat populum, meliúſque moratur,
Quàm verſus inopes rerum, nugæq; canoræ.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem, nullius auaris.
Romani pueri longis rationibus aſſem

Diſcunt in parteis centum diducere. dicat
Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Vncia, quid ſuperat? poteras dixiſſe, triens. eu,
Rem poteris ſeruare tuam. redit vncia: quid fit?
Semis. ad hæc animos ærugo, & cura peculi
Cùm ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & leui ſeruanda cupreſſo?
Aut prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ,
Aut ſimul & iucunda, & idonea dicere vitæ.
QVIDQVID *præcipies, eſto breuis: vt citò dicta*
Percipiant animi dociles, teneantq́; fideles.
OMNE *ſuperuacuum pleno de pectore manat.*
Ficta voluptatis cauſſa, ſint proxima veris.
Nec quodcumque volet, poſcat ſibi fabula credi:
Neu pranſæ Lamiæ viuum puerū extrahat aluo.
Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis:
Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes.
OMNE *tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci,*
Lectorem delectando, paritérque monendo.
Hic meret æra liber Soſiis: hic & mare tranſit,
Et longum noto ſcriptori prorogat æuum.
Sunt delicta tamen, quibus ignouiſſe velimus.
Nam neque chorda ſonum reddit, quem vult manus, & mens,
Poſcentiq́; grauem perſæpe remittit acutum:
Nec ſemper feriet, quodcumq; minabitur, arcus.
Verùm vbi plura nitent in carmine, nō ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura. quid ergo?
Vt ſcriptor ſi peccat idem librarius vſque,
Quāuis eſt monitus, venia caret: & citharœdus
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum ceſſat, fit Chœrilus ille,
Quem bis, terq́; bonum, cum riſu miror; & idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verùm opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.
Vt pictura, poëſis. erit quæ, ſi propiùs ſtes,
Te capiat magis: & quædam, ſi longiùs abſtes.
Hæc amat obſcurum: volet hæc ſub luce videri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit ſemel: hæc decies repetita placebit.
O maior iuuenum, quamuis & voce paterna
Fingeris ad rectū, & per te ſapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium & tolerabile rebus
Rectè concedi. conſultus iuris, & actor
Cauſſarum mediocris, abeſt virtute diſerti
Meſſallæ, nec ſcit quantum Caſſellius Aulus:
Sed tamen in pretio eſt. MEDIOCRIBVS *eſſe poëtis*
Non homines, non Dij, non conceſſere columnæ.
Vt gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
Et craſſum vnguentū, et Sardo cū melle papauer
Offendunt, poterat duci quia cœna ſine iſtis:
Sic animis natum, inuentúmque poëma iuuādis,
Si paullùm à ſummo diſceſſit, vergit ad imum.
Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis:
Indoctúſque pilæ, diſciue, trochive quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum tollant impunè coronæ.
Qui neſcit, verſus tamen audet fingere. quid ni?
Liber, & ingenuus, præſertim cenſus equeſtrem
Summā nummorum, vitióq; remotus ab omni.
TV *nihil inuita dices, faciéſve Minerua:*
Id tibi iudicium eſt, ea mens. ſi quid tamen olim
Scripſeris, in Meci deſcendat iudicis aureis,
Et patris, & noſtras; nonūq; prematur in annū.
Membranis intus poſitis, delere licebit,
Quod non edideris: NESCIT *vox miſſa reuerti.*
Silueſtreis homines ſacer interpréſque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigreis, rapidóſque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. fuit hæc ſapientia quondam:
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis:
Concubitu prohibere vago: dare iura maritis:
Oppida moliri: leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit. poſt hos inſignis Homerus,
Tyrtæúſque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit. dictæ per carmina ſortes,
Et vitæ monſtrata via eſt, & gratia regum
Pieriis tentata modis: ludúſque repertus,
Et longorum operum finis: ne fortè pudori
Sit tibi Muſa lyræ ſollers, & cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. ego nec ſtudium ſine diuite vena,
Nec rude quid proſit video ingeniū. alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

QVI ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecítque puer: ſudauit, & alſit:
Abſtinuit Venere, & vino. qui Pythia cantat
Tibicen, didicit priùs, extimuítque magiſtrum.
Nunc ſatis eſt dixiſſe, Ego mira poëmata pango.
Occupet extremũ ſcabies: mihi turpe relinqui
Et, quod non didici, ſanè neſcire fateri.
Vt præco, ad merceis turbam qui cogit emendas, (eſt,
Aſſentatores iubet ad lucrum ire poëta,
Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis.
Si verò eſt vnctum qui rectè ponere poſſit,
Et ſpondere leui pro paupere, & eripere atris
Litibus implicitum: mirabor, ſi ſciet inter-
noſcere mendacem, verúmque beatus amicum.
Tu ſeu donaris, ſeu quid donare voles cui,
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ. clamabit enim, Pulcrè, bene, rectè.
Palleſcet ſuper his: etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem: ſaliet, tundet pede terram.
Vt, qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo: ſic
Deriſor vero plus laudatore mouetur.
Reges dicuntur multis vrgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent
An ſit amicitia dignus. ſi carmina condes,
Numquam te fallant animi ſub vulpe latentes.
Quinctilio ſi quid recitares, corrige, ſodes,
Hoc, aiebat, & hoc. meliùs te poſſe negares,
Bis, térque expertum fruſtra: delere iubebat,
Et malè tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quàm vertere, malles:
Nullũ vltrà verbum, aut operam ſumebat inanẽ,
Quin ſine riuali téque, & tua ſolus amares.
Vir bonus, & prudens verſus reprehẽdet inerteis:
Culpabit duros: incomtis allinet atrum
Tranſuerſo calamo ſignum: ambitioſa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget:
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit:
Fiet Ariſtarchus. nec dicet, Cur ego amicum
Offendam in nugis? hæ nugæ ſeria ducent
In mala, deriſum ſemel, exceptúmq; ſiniſtrè.
Vt, mala quem ſcabies, aut morbus regius vrget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana,
Veſanum tetigiſſe timent, fugiúntque poëtam,
Qui ſapiunt: agitant pueri, incautíque ſequũtur.
Hic, dum ſublimeis verſus ructatur, & errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foueámve: licet, ſuccurrite, longum
Clamet, iò ciues, non ſit qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & demittere funem:
Qui ſcis, an prudens huc ſe deiecerit, atque
Seruari nolit? dicam, Siculíque poëtæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Inſiluit. ſit ius, liceátque perire poëtis.
INVITVM qui ſeruat, idem facit occidenti.
Nec ſemel hoc fecit: nec, ſi retractus erit, iam
Fiet homo, & ponet famoſæ mortis amorem.
Nec ſatis appáret, cur verſus factitet: vtrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Mouerit inceſtus. certè furit, ac velut vrſus,
Obiectos caueæ valuit ſi frangere clathros,
Indoctum, doctúmque fugat recitator acerbus.
Quem verò arripuit, tenet, occiditq; legendo,
Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, hirudo.

COMMENTATOR.

HVMANO *capiti ceruicem pictor equinam.* Agit de operis inæqualitate; datque præcepta ſcribendi poëma. Primũ autem præceptum eſt de diſpoſitione & conuenientia carminis. Scribit ad Piſones viros nobileis diſertóſque patrem & filios, vel, vt alij volunt, ad Piſones fratres. Poëma autem quod eſt ſine vlla œconomia comparat eiuſmodi picturæ, quæ caput habet humanum cum ceruice equina & diuerſorum animalium membris, quæ plumis exornata deſinit in piſcem. *inducere.* penicillo adiungere plumas variis coloribus, quaſi natura floridas: vel varias, id eſt, diuerſarum auium colores. *vndique collatis.* ex diuerſis ſcilicet animalibus & multis, coniunctis ſuperiori formæ. *turpiter.* fœdè. *atrum.* magnum. *in piſcem.* belluam marinam, id eſt, Piſtricem. *supernè.* vt capite & facie formoſa mulier, inferius monſtroſè deturpetur. *ſpectatum.* ad ſpectandum tale monſtrum pictum. *teneatis.* ô amici Piſones poſſetis tenere riſum? *tabulæ.* imagini pictæ. *perſimilem.* omnino ſimilem. *cuius velut ægri.* ordo eſt, cuius ita vanæ fingentur ſpecies, velut ægri ſomnia. *vt nec p.* ſup, ita. *pes.* finis. *caput.* princi-

 pium,

pium.id eſt, vt neque finis neq. principiũ conueniat vni corpori. *pictoribus atque* obiectio. *aqua.* æqualis. *ſcimus.* reſponſio. *hanc veniam.* hoc eſt, vt nos aliis ſcribendi licentiam concedimus, ita nobis quoq. licere petimus; ſed petimus quidem vt poëtæ, damus autem vt critici. *ſed non.* ſup. ita. *vt placidis.* hoc eſt, fingẽdi poteſtas debet eſſe artificioſa, non etiam immoderata. *geminentur.* ſocientur, iungantur. Ea, inquit, quæ ſpecie, natura, & qualitate differunt, non debent aut in pictura, aut poëmate coaptari in vna eademq. forma: ſicut tigris & agnus, piſcis & vrſus; ſed tigris & leo coniungi poſſunt: quia eandem habẽt qualitatem, vterque enim ferus eſt. *inceptis grauibus.* aliud præceptũ de ſeruando themate. Peſſimam autem dicit eos habere conſuetudinẽ, qui modum in deſcribendo excedunt: ſcilicet, qui relicto themate quod inchoarunt, tranſeunt ad aliud, interponentes verba quidem comta, ſed ſenſui non apta, orationéſq; incongruas. *magna profeſſis.* qui conantur aliquid magni ſcribere, & leuiter finiunt, reprehẽdendi ſunt. reſpicit ad ingeniũ quorundam poëtarum, qui grandia quidem incipiunt, ſed ridiculè exeunt in locos communeis; quos notat per purpureum pannum: in magno namq. poëmate, exceſſus debemus aſpergere ad aureis reficiendas, ſed aptè & conuenienter. *ſplendeat.* placeat. ordo eſt, vnus & alter pannus purpureus, qui latè ſplendeat, aſſuitur. per pannum purpureũ intellige flores, & ſplendidam orationis particulã, quam ſolent poëtæ interſerere ſuo carmini, vt ſit ſplendidius: ſed hoc reprehendit quando fit extra materiam quæ cœpta eſt. *cùm lucus & a. D.* ſup. quãdo hoc fit? cùm lucus &, &c. *ara Dianæ.* Zeugma ab inferiori, ſupp. deſcribitur. *lucus.* Aricinum nemus. *ara Dianæ.* ara Dianæ fuit apud Scythopolitas in Taurica regione, vbi aduenæ immolabãtur; ſed ea tranſlata fuit Ariciam. *ambitus aqua.* pro riuo ponitur ambiente agros amœnos. *flumen Rhenum.* notandũ flumen Rhenum neutro genere. Salluſt. in hiſtoriis: noménq. Danubium habet. Eſt & maſculini. Virg. Rhenúſq. bicornis. is autem Germaniam à Gallia diuidit. *pluuius.* pluuialis. qui pluuiam concitat. *his locus.* talibus pannis congruens. docet non eſſe indulgendum eloquentiæ niſi opportunè, ne pro gloria quis incidat in opinionem inepti & incauti. *cupreſſum ſcis ſim.* irriſio pictoris inepti, qui vix aliud nouerat quàm depingere cupreſſum: à quo cùm naufragus quidã peteret, vt vultum ſuũ & naufragium exprimeret, interrogauit, num ex cupreſſo vellet aliquid adpingi. hoc Græcis epiſodium dicitur. Naufragi enim ad miſericordiam commouendam, caſus ſuos in tabula depingi faciebant. Iuuenal. Vim rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur. *ſimulare.* imitari, pingere. *quid hoc ſi fr.* Quid hoc ad naufragium pertinet, vt ad aliud oſtendendum pingatur cupreſſus: quod non deſiderat aliud, quàm parteis laceræ nauis, & ipſum naufragum miſerè iactari procellis marinis. *ære dato* data pecunia ab eo qui pingi cupit. *amphora cœp. in.* res magna incepit formari & tractari. *currente rota.* procedente carmine. tranſlatio à figulis, à quibus cùm rota voluitur, vaſa finguntur. *cur vrceus?* cur incipis magnificè, & turpiter ad vilia laberis, cur vile fit opus tuum? *vrceus exit.* Orca genus eſt vaſis, à quo vrceus dicitur & vrceolus. *denique ſcit.* hoc eſt, quãcumque materiam vis, aſſume; ita tamen vt continuũ carmen componas, nec intermiſceas res diuerſas, ſed ſimplex ſit carmen; id eſt, cœptæ materiæ, & nondum finitæ non debes aliam iungere per compilationem, ſed tenorem cœptum ſine interruptione ſeruare. *maxima pars vat.* Quidam dicunt hoc aliud eſſe præceptum: alij de œconomia adhuc volunt eum loqui, & eſt apoſtropha ad Piſones. ordo eſt, ô pater & iuuenes patre digni, nos maxima pars vatum decipimur ſpecie recti, id eſt, dum conamur ſeruare rectitudinem carminis, plerumque labimur in vitium, decepti ſpecie, id eſt, imagine rectitudinis, quam putamus conuenire ſuperiori materiæ. *breuis eſſe laboro.* ſupp. dum. ſe autem ponit pro quouis alio. laus eſt breuiter aliquid narrare, ſed omnis breuitas obſcuritati patet. *ſectantem leuia.* plana, aperta, ſplendida. vt, Pars leues ocreas lento ducunt argento. *nerui.* robur. *deficiunt.* derelinquunt, deſerunt. vt, noctis non deficit humor. *animiq.* prudentia, vehementia; ſæpe eneruatos verſus ſcribit, qui dat operam vt ſcribat delicatos. *grandia.* inuentiones ſublimeis. *turget.* inflatur, excedit modum. *ſerpit.* repit, id eſt, qui nimis metuit aggredi celſa, fit plerumque vt nimis vilia ſectetur. *tutus.* qui ſibi vult eſſe tutum. *procellæ.* difficultatis. *variare cupit.* qui vult opus varium ſcribere, ſæpe ſcribit inepta. *prodigialiter.* mirabiliter, monſtroſè. *delphinum.* piſcem: quod eſt contra naturam. *culpæ fuga.* qui vult fugere culpam, ſæpè cadit in vitium. vt alibi, Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. fuga autem eſt nominatiui caſus. *Æmilium circa l.* Aemilius ludus dicebatur locus non procul à circo, vbi Aemilius quidam gladiatores ſuos habuit, circa quem erat ſtatuarius, qui vngueis & capillos bene expreſſit, cetera imperfecta relinquens, vnde multum deriſus eſt. *faber.* ſtatuarius. *imus.* imus autem dictus eſt, id eſt, vltimus, quòd in ima parte circi tabernam ſuam locaſſet. *ære.* in ære. *felix.* indoctus. *ſumma.* perfectione. *ponere.* fingere. *totum.* opus: integram

integram ſtatuam neſciat perfectè formare. hoc exemplo docet nihil oportere deeſſe poëtæ. *componere.* conſcribere. ſignificat etiam comparare. vt, ſic paruis componere magna ſolebam. *non magis.* hunc eſſe ſimilis in ſcribendo poëmate, cui ad perfectionem aliquid deeſt: non magis opto, quàm parte aliqua corporis me eſſe fœdiſſimum, & reliquis ſplendidum. *prauo.* torto. *ſpectandum.* cernendum, videndum. *ſumite materiam.* iam incipit dare generalia præcepta, dicens, vnumquemque eam materiam ſcribendam debere eligere, quæ vireis ingenij non excedit. Cato. Metiri ſe quemque decet, propriiſque iuuari laudibus. & iterum: Quod eſt, eo vti decet, & quod agas, agere pro viribus. *ſumite mater.* hoc eſt, antequam incipias ſcribere, vide, ſi materiam, quam aggrederis, poſſis implere. *humeri.* tranſlatio, pro ingenio: humeros ſupponimus ad onera geſtãda. *cui lecta.* delecta. *potenter.* pro ſua potentia, quantũ poſſit ferre. *res.* materia ſcribendi. *nec lucidus ordo.* diſpoſitio, quia reuera ordo manifeſtat omne quod dicitur. *lucidus.* aptum epitheton, quia ordo facit orationem lucidam perſpicuamq́ue. *ordinis hæc.* oſtendit quo ordine componendus ſit ſenſus, videlicet, vt ex iis quæ primò dicenda ſunt, quædam dicat, quædam differat pro præſenti, vt ea poſtea per repetitionem commemoret. vt Virgilius primùm deſcribit qualiter Aeneas ad Didonem venit, & prętermittit ſuos caſus, & excidium Troiæ: quod poſtea tamen ſatis declarat. *virtus.* ars, diſpoſitio, perfectio. *Venus.* venuſtas, gratia. *aut ego fallor.* aut ego fallor, aut iſta eſt ars diſpoſitionis quam docturus ſum. *iam nunc deb.* quæ debent dici, ſine vlla dilatione dicantur, quædam dicenda pro tempore differat. vt Virgilius in nono libro, in Italia iam exiſtente Aenea narrat quomodo fabricatæ ſint naues, quibus ex Ilio nauigauit, cùm in tertio non dicat. *hoc amet.* eligat. *ſpernat.* ſupp. dicere: vt non omnia dicat ſimul quæ ſibi in mentem veniunt. *promiſſi.* id eſt, magni. vt poëta, Sergeſtum Aeneas promiſſo munere donat. Aliter: promiſſi carminis, id eſt, qui vult auctor fieri magni carminis: aut certè auctor, id eſt, optimus poëta. *in verbis.* ſupp. eſto. *tenuis.* ſubtilis. *cautusq́ue.* prudens. *ſerendis.* propagandis, ordinandis, ponendis, inſerendis: hoc eſt, ſi facienda ſunt tibi noua verba, obſerua vt ea dicas quæ placeant, & habeant auctoritatem: ne videlicet verborum geminatio faſtidium generet & carmen dehoneſtet. *dixeris.* pro dices. *egregiè.* cum laude. *notum.* vulgare. *callida.* perita. *iunctura.* compoſitio, ſtructura partium. Exponit de veteribus verbis & nouis, quomodo poëtica licentia fiant: Nam aliqua licet vulgaria ſint, dicit ea per compoſitionem peritam poſſe ſplendeſcere: hoc eſt, ſi non ſint aſpera in compoſitione, quæ eget artificio. *callida.* elegans & noua elocutio, vel cohærens ſermo: optimũ enim dicendi genus eſt, ſi noua verba opportunè & propriè ponantur. *indiciis.* id eſt, verbis: nam verba ſunt ſigna rerum, vt philoſophus ait, ἔλεγχον τῶν τρόπων εἶναι τὸν λόγον. Mirè dixit indicia, nam oratio indicat animum. *abdita rerũ.* nouas res. ſic qui Ariſtotelis libros tranſtulit cùm laboraret in τὸ ὄν, vertendo, finxit, ens, & laudem acquiſiuit. *cinctutis.* antiquè dixit, id eſt, militaribus viris, & ad militiam paratis: vnde per contrarium dixit poëta, diſcinctos Celtiber Afros, id eſt, imbelleis ad militiam. cinctuti autem dicti ſunt propter ſtrictas tunicas pectoribus ſuis aptatas ſine cingulis: qualeis adhuc Scoti geſtant. *non exaudita.* non antè audita & comperta, non cognita. *Cethegis.* antiquis. Cethegi Romanorum ſunt antiquiſſimi. *continget.* hoc eſt, ſi neceſſitas tibi fuerit vti verbis recentibus, quæ non audiuerunt Cethegi antiqui, licet tibi vti quidem, ſed moderatè; aliàs rideberis. *ſumta.* excogitata. *pudenter.* verecundè, non ſine cauſa. *fidem.* grata erunt. *noua.* nuper ficta verba probabuntur, ſi de Græcis verbis tranſlata fuerint non abſurdè: vt verbi gratia κύλικα dicunt Græci, nos calicem. *cadent.* orientur. *parcè.* moderatè, modeſtè. *detorta.* deriuata *quid autẽ Cæcilio.* Quare negarent Romani Virgilio Varióque quod conceſſerunt antiquis poëtis? ſcilicet, noua verba facere. *Cæcilio Plautoq́ue.* Comici fuerunt antiqui multo tempore ante Virgiliũ & Varium. *ademtum.* quod adimit nobis poëtis, aut negat. *acquirere.* noua verba facere, & ſermonem Latinum amplificare. *inuideor.* prohibeor. vel inuidetur mihi. Mirè, dum de fingendis verbis loquitur, Græco more loquitur, φθονοῦμαι, id eſt, inuidiã patior: inuideor enim non videtur ſatis Latinè dici poſſe. *Catonis &.* M. Porcius Cato, qui & Cenſorius dictus eſt. *patrium.* Romanum, Latinũ. *ditauerit.* locupletauerit, auxerit nouis verbis. oſtendit Latinam linguam initio admodũ fuiſſe anguſtam, & in ęternis anguſtiis eam manere debuiſſe, niſi à Catone, Ennio, Andronico dilatata fuiſſet deriuatis verbis è Græco fonte. *ſignatũ.* demonſtratum. *præſente nota.* præſentis temporis charactere. tracta metaphora eſt à nũmis, quia nummi in noua fuſura iuuãt inopiã. *producere.* in notitiam hominũ deducere. *vt ſiluæ foliis.* ne aſpernẽtur noua verba cõparatione nouorũ foliorum, docet ea poſſe placere. *pronos.* procliuos, citò labẽteis, inſtabileis, volubileis. *prima.* folia. *vetus interit ætas.* ſuprà dixit verba vetera nouari, & contrà: modò autem ſubdit, quòd non tantùm verba hominũ intereant, ſed & homines & om-

& omnia eorum facta. Quod tribus continuis approbat exemplis: Primum de portu Oſtienſi. nã apud Oſtiã ciuitatem Auguſtus mare irrumpens intercluſit, & aggere terræ & lapidibus obſtruxit, portúmque ibi fecit. Secundum de Pomtinis paludibus, quas Auguſtus exſiccauit, & habitabileis reddidit, iniecto ſimiliter aggere lapidũ & terræ. Tertium de Tiberi fluuio, quem Agrippa de proprio deriuauit alueo ad eum per quẽ modò fluit. Dicit ergo, ſicut iſta quæ naturalia fuerũt, potuerunt ab hominibus permutari, ita & illa quæ artificialiter ab hominibus ſunt inuenta & facta, poterunt facilè perire: Nam vt corpus mortale eſt, ita & omnia eius facta; ſiquidem etiam natura ipſa mutatur: & ſicut anima hominis eſt immortalis, ita quoque animæ facta ſunt perpetua. *iuuenũ.* foliorum. *debemur morti.* & nos morimur & opera noſtra. *ſiue.* pro veluti. *terra.* intra terram. *Neptunum.* mare, quod intra terram recipitur quando portus componitur. ſignificat portũ Lucrinum & alios ab Auguſto manu factos. *claſſeis Aquil. ar.* hypallage, pro eo quod eſt, arcet Aquilones à claſſibus, id eſt, defendit, tuetur, & prohibet tempeſtatem. *regis opus.* regiũ opus. opera regia ſunt quæ nemo niſi reges facere poſſunt. *ſteriliſq;.* ſine fatis. Diuus Auguſtus duas res diuinas fecit, vt Pomtinam paludem exſiccaret, & ad mare meatum habere cogeret, vt pòſt & arari poſſet. deinde portũ Lucrinum muniuit. de quo Maro, Lucrinóque addita clauſtra, atque indignatum magnis ſtridoribus æquor, Iulia qua Ponto longè ſonat vnda refuſo. *alit.* paſcit. *graue ſentit arat.* aratur. *ſeu.* veluti. *iniquum.* non aptum. *amnis.* Tiberim intelligit, hunc enim deriuauit Auguſtus quà nunc fluit, antè enim per Velabrum fluebat, vnde Velabrũ dictum quòd velis tranſiretur; cùm enim decurreret per priorem alueum, frugibus agrorum nocebat & templo Veſtæ. *doctus iter mel.* ſuppeditare, ne ſcilicet noceat, Agrippa enim diuertit in alueum alium. *mortalia facta.* id eſt, mortalium opera, quanto magis verba, quæ citius pereunt. *honos.* pulchritudo. *viuax.* perpetua. hoc eſt, ſi hæc omnia quæ memorata ſunt abſque dubio mutantur & tranſeunt, verborum gratia perennis quomodo manere poteſt? *multa vocabula renaſ.* in vſum redibunt. *quæ iam cecid.* ab vſu receſſerunt & ſublata ſunt. *in honore.* in vſu & conſuetudine: quæ vincunt rationem; vſus enim facit auctoritatem: & conſuetudo vincit aliquando regulam: vt modiûm, liberûm, nummûm, pro modiorũ, liberorum, nummorum, apud Cic. & alios. *quem penes.* conuerſio, id eſt, penes quem, apud quem. *arbitrium.* iudicium. *ius.* dominium, poteſtas: hoc eſt, in poteſtate vſus eſt & ſermo & ius loquendi. *norma.* ſtatus ordo. *res geſta.* incipit nunc loqui de diuerſis metrorum generibus, eorúmq. inuentoribus, oſtendens Homerum eſſe auctorem Heroici. qui primum dicitur ſtuduiſſe res geſtas ſcribere metro Elegiaco; ſed dum cerneret tali metro detruncato non conuenire fortia facta bellorum, reperit Hexametros, quos æqualiter coniunxit currenteis, & hoc metrum vocauit Heroicum; quod & Delphicum & Pythium dicitur, ab Apolline, cuius oracula hoc metro continentur: vocatur quoque Theologicum, à Muſæo auctore Orpheóque, qui ſcripſerunt cecinerúntque Theologica, id eſt, diuina carmina. Elegiaci autem dicit auctorem adhuc in dubio eſſe: & docet quo modo ſingulæ res quibus metris ſcribendæ ſint. *res geſta.* hiſtoriæ. *triſtia bella.* epitheton proprium. *numero.* metro, ſcilicet Heroico: vt, numeros memini, ſi verba tenerem. *monſtrauit.* docuit. *verſibus impar.* metrum impar dicitur, dum ſecundus verſus non eſt par primo, quale eſt elegiacum, in quo prior eſt hexameter verſus, alter pentameter. *querimonia.* miſeria & calamitas; ἔλεγος enim luctus eſt & lamentatio. *incluſa eſt.* comprehenſa, compoſita: nam primum metro elegiaco res triſtes & lugubres, pòſt etiam lætæ & proſperæ cœperunt deſcribi. *exiguos.* hoc dicit ad comparationem Hexametri, quia Elegiacum metrum minus habet ſyllabarum quàm Heroicus verſus, nam conſtat ex pentemimere, id eſt, duobus dactylis & ſyllaba. *certant.* contendunt. *ſub iudice.* necdum finita. *Archilochum proprio.* à ſe reperto. *rabies.* furor, iracundia. *armauit.* inſtruxit. hoc enim metro à ſe inuento Archilochus primus vſus eſt in Lycamben ſocerum ſuum: & iambica ſcripſit plena maledictionis in eum & detractionis, quòd ei Neobulen filiam iam deſponſatam denegaret, adeò vt Lycambes quo iambos vitaret ad laqueum confugeret: & ἰαμβίζειν Græcè eſt detrahere, conuiciis laceſſere. *hunc ſocci cepere ped.* hoc eſt, hoc pede ſcribuntur etiam comœdiæ & tragœdiæ. *ſocci.* comœdi. *grandes.* altiſoni. *cothurni.* tragœdi. Soccus eſt calceamenti genus, quo vtebantur in comœdiis agendis comœdi, vt Terent. Plaut. Cothurnus etiam calceamentum eſt, ſed vtrique pedi aptum, quo propriè vtebantur tragœdi. *alternis ap. ſer.* hoc eſt, interrogationibus & reſponſionibus. Quod dicit propter diuerſas perſonas, quæ introducuntur in tragœdiis & comœdiis. *ſtrepitus.* clamores populi, id eſt, clariùs reſonantem in ſcena quàm tumultus popularis reſonet: taleis ſtrepitus excitat iſte pes. *natum.* inuentum. *rebus agendis.* ſcribendis

comœdiis

comœdiis & tragœdiis. *fidibus*. Lyricis verſibus deos laudare, & heroas & olympicos, & vt diuina diceremus. *pueróſque*. pueros dixit filios deorum more Græco; vel pueros appellat heroas. qui etiam per ἀποθέωσιν dij facti ſunt. *pugilem vict*. dedit referre olympicos agones, ὀλυμπιονίκην. *victorem*. vincentem, Pindarum dicit & Amphionē. *equum cert. pri*. Pollucem qui ante omneis ad palmam venit. *certamine*. curru. *iuuenum curas*. amores, quòd cor vrāt. *libera vina*. conuiuia diuorum. *libera*: quia vina liberiùs faciūt homines loqui, vnde Bacchus Liber dictus eſt; facit enim liberos & ſecuros ſibi videri etiam ſeruos & pauperes per ebrietatem. hinc Iuuenal. Tunc pauper cornua ſumit. *deſcriptas*. ſuſceptas, diſtributas, diuiſas, expoſitas. *vices*. varietates. *operumq; color*. οἰκονομίαν, ordinem propoſitum meditationis & ſcriptionis. *ſi nequeo*. per naturam. *ignoroq;*. per artem quam non didici. id eſt, ſi non valeo & ignoro ſcribere poëma, cur ſalutor poëta, & libenter audio χαῖρε ποιητά? vices autem verſuum ſpecies ſunt, quibus colores operum, id eſt, ea quæ prius in animo deſtinata ſunt, deſcribi debent, ita vt quot ſint colores, tot ſint varietates & ſpecies carminis; vt amatoria & ludicra, deorum laudes, heroum & olympicorum, odis & lyræ conueniant; heroico metro, bella; iambico, comœdia, tragœdia. *cur neſcire pud*. ordo eſt, cur prauè pudens malo neſcire, quàm diſcere? *pudens prauè*. præpoſterè verecundus & erubeſcens; Quare potius nolo diſcere quàm turpiter ignorare? ſi neſcis, non turpiter diſcis, ſi interrogas; ſed turpiter neſcis, ſi tacueris, nec interrogaueris: quare ille eſt pudens prauè, qui erubeſcit diſcere, quod ei eſt vtile & honeſtum ſcire. *verſibus exponi trag*. hic exequitur quod ſuperius præſcripſit, deſcriptas ſeruare vices, &c. Res, inquit, comica non eſt altiſono ſenſu & ſermone ſcribenda, neque tragica tenui & humili: ſed contrà, Comœdia humili ſermone ſcribi, & ſuppreſſa voce recitari; Tragœdia ſtylo altiſſimo ſcribi, & excelſa voce proferri debet. *indignatur item*. iterum, ſimiliter. *priuatis*. humilibus, comicis, communibus, iacentibus: quia priuata ſunt iacentia verba & vulgaria, quibus familiariter vtimur. *propè ſocco*. comico ſtylo. *narrari*. exponi. *cœna Thyeſtæ*. tragœdia de Thyeſte ſcripta. Nota autem eſt fabula Tantali, quomodo appoſuerit diis filium ſuum Pelopem epulandum; à quo dum omnes abſtinuiſſent, ſola Ceres eius humerum comedit, pro quo iam rediuiuo reſtituit ei eburneum: Tantalus autem ad inferos deiectus eſt, ibiq. religatus. At Pelops genuit Atreum & Thyeſten, quorū Thyeſtes vxorem fratris violauit: Atreus autem filium fratris de eadem ſua vxore natum interfectum, epulandum patri appoſuit: propter quod ſcelus dicitur Sol abſcondiſſe radios ſuos apud Mycenas Græciæ ciuitatem. Quod ideò fingitur, quia ibi fertur Thyeſtes reperiſſe rationem deliquii Solis, & quare eclipſis contingat: quo frater comperto, inde receſſit. Atreus autem genuit Agamemnonem patrem Oreſtis, qui interfecta matre Clytemneſtra furuit. Omnes autem de Tantali progenie fuere; quapropter de ſceleribus eorum variæ tragœdiæ ſcriptæ ſunt. *ſingula*. comœdia & tragœdia. *locum*. ſtylum. *ſortita*. ex natura electa quaſi ſorte. *interdum tamen*. etiamſi humili ſermone ſcribatur. *tollit*. grandioribus verbis vtitur. vt Terent. ô cælum, ô terra, ô maria Neptuni! Item; prô ſumme Iuppiter! *Chremes*. perſona eſt comica. *tumido*. digno tragœdia. *delitigat*. valde litigat. *tragicus*. ſcriptor tragœdiarum. *dolet*. dolores ſcribit & exponit. *pedeſtri*. humili, communi. *Telephus*. fabula Telephi: hic ab Achille & vulneratus & curatus eſt. *Peleus*. fabula de Peleo. hi ambo reges fuerunt, qui amiſſis regnis ad tantam inopiam deuenerunt, vt exules facti, mendicando ſibi vndecumq. victum conquirerent, omiſſis verbis grandibus & regiis; ideo dixit, & tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri, id eſt, humili. *proiicit ampullas*. id eſt, irata verba, inflata, grandia omittit, & orationem tumidam arrogātemque. Cùm enim reges fuiſſent, & in nimia iam ærumna verſarentur, altè loqui nō poterant, nunc ſummis calamitatibus merſi. *ampullas*. faſtuoſa, pompatica. metaph. ab ampullis, quæ vaſa ſunt ventricoſa. vterque autem talia verba proiicit & vtitur communibus vt exul. *ſi curat*. ſi curam habet. *ſpectantis*. ſpectatoris. *tetigiſſe*. pro tangere, id eſt, mouere ad miſericordiam & flectere; quod fit, quando idonea verba cum dolore proferimus. *non ſatis eſt pul*. ſunt quædā poëmata quæ habēt œconomiā & diſerta probataq. verba, ſed interdū carēt venuſtate & dulcedine, quib. etiā opus eſt ad mouendū ſpectatoris animū. *dulcia*. ethica. *ſunto*. ſint. *agunto*. agent. *adſunt*. præſto ſunt & ipſi flent: quia rerū ſpecies ſunt à natura in animis noſtris formatæ. vnde Cic. Ardeat orator, ſi vult iudicē incēdere. *humani vultus*. in vultu præcipuè animi voluntas cognoſcitur, & ex affectu loquētis poëtæ concipit auditor in animo, & format aut lætitiā aut dolorem. *ſi vis me flere*. hoc ex Demoſthene ſumtum eſt, à quo, cùm pauper flagellatus cauſam ſuam defendi vellet, ei confidenter narranti credere noluit, donec fleret ira permotus. *lædent*. tuæ calamitates, tui dolores, & fletus me flectent. *infortunia*. ἀτυχήματα. *mandata*. non tua, ſed quæ tibi dolor aut lætitia mandat, pro eius perſona quam agis. *aut dormitabo* alterutrum faciunt auditores, ſi ſine affectu ſit dictio. *triſtia mæſtum ver*. hoc

eſt, primũ debet in animo cõcipere poëta vel triſtẽ vel lætam perſonã, deinde verbis idoneis vti ſecũdum fortunę qualitatẽ; nam vnicuiq. perſonæ debet ſeruari quod eſt eius propriũ. *plena*. ſup. verba. *laſciua*. delicata, mollia, amatoria. *ſeria*. honeſta, matura, leuitate carẽtia, grauia, neceſſaria, aſpera: ſed & in familiarib. ſunt ſeria. Virg. Poſthabui tamen illorũ mea ſeria ludo. *prius*. antequã proferamus *intus*. in animo. nã affectus omneis habemus in animis noſtris à natura, & ſinguli mouentur, cũ imagines ſuas viderint in aliis: quare poëta debet formare intra ſe perſonam aptam ſuis verbis. *habitum*. qualitatem. *iuuat aut*. natura lætamur, iraſcimur, delectamur, miſeremur, modò deducit ad humanitatẽ, modò extollit ad iracũdiam. *deducit*. valde affligit ſpectatorẽ & humiliat. *pòſt effert*. extollit. & eſt ſenſus, natura quæ me deiecit rerũ miſeratione, extollit proſperitate. *interprete ling*. quæ interpretatur motũ & affectũ animi: verba enim ſunt ſigna rerũ in animo conceptarũ. *ſi dicentis er*. hoc eſt, ſi rem triſtẽ lęto blandoq. ſermone dixeris, vel lętam triſtibus verbis protuleris, ſubſannaberis ab omnibus: & ſi non conueniunt verba loquentis fortunę, ridebũt Romani. *abſona*. diſcrepãtia. *equites, pedit*. nobiles & plebeii. *tollent cach*. effusè ridebunt. Cachinnus ex ὀνοματοποιΐας fictũ à ſono. *intererit mult*. dat prętereà præcepta poëmatis, & docet bonum poëtã debere ſeruare proprietatem & diſcretionem cuiuſq. perſonæ loquentis, ſenis, iuuenis, pauperis, diuitis: in ſenibus enim eſt ſummiſſa locutio: in iuuenibus turgida; ſic & in reliquis proprietas eſt ſeruãda; & nõ ſolũ ad perſonarũ dignitatẽ, ſed etiã ad cõdicionem ętatemq. aptãda ſunt verba. *intererit*. intereſſe debet, pręceptum de formandis perſonis. *diuosne loquat. an heros*. heros qui per apotheoſin inter diuos eſt trãſlatus. *maturúſne ſenex*. ætatis plenus. *feruidus*. iuuenis, adoleſcens. *ſedula nut*. officioſa, diligens in infantib. nutricãdis. *mercator ne vag*. qui paſſim nauigat vt in epiſt. 1. Impiger extremos curris mercator ad Indos, &c. *virẽtis*. fertilis, feracis. *Colchus*. ſæuus. Inhoſpitalis inducendus eſt: hinc Medea Colchica meretrix, quæ filios ſuos ex Iaſone cũ patre perdidit, vt eſt in tragœdia. *an Aſſyrius*. aſtutus, callidus, diuitiis affluens. *Thebis*. qui erant imperiti & infelices. *Argis*. Argiui audaces, felices, victores. *aut famã ſeq*. aliud pręceptũ de themate, id eſt, aut notam hiſtoriã ſcribe, aut veriſimilia finge. Hortatur bonũ poëtam, vt aut rei veritatem carmine cõplectatur & rem geſtam narret, vt fecit Lucanus: aut ſi mentiri volet, aliquid cõuenienter fingat vt non ſit incredibile; ſicut fecit Virg. Omnis ergo poëta aut certã hiſtoriã dicit, aut fingit: ſi certam ſcribit, famam ſequatur; ſi fingit, habeat artem. figmentũ & ſimilitudinẽ veri. *honoratum*. illuſtrem, honoris plenũ. *reponis*. ſcribis. Iuuen. Semper ego auditor tantum, nunquam ne reponam? aut reponis, id eſt, ſcriptis tuis quaſi reducis ac reddis viuum: aut reponis ad imitationẽ Homeri deſcribis: aut reponi, id eſt, in theatrũ reducis. Apud Commentatorem inueni relatum: Cùm primùm ſcriptores comœdiarum aut tragœdiarũ in ſcenam prodirent, fauorabiliter excipiebantur, etiamſi malè agerẽt; & prætore cogente totã neceſſe erat peragi fabulã: Si verò poſtea iterum eandẽ fabulã reponerent, id eſt, iterũ, ſed malè agerent, tunc planè explodebãtur. *impiger*. ſup. ſit, qualis ab Homero deſcribitur. *inexorabilis*. durus, ſuperbus *acer*. fortis, δεινός. *iura neget*. ſit contemtor legum. *nihil non*. omnia. *arroget arm*. iactet. eſt enim arrogare ſe iactare, ſibi adſcribere, vindicare. cõtrà, derogare eſt vituperare, negare, detrahere: ſenſus eſt, nihil ſit, quod non ſperet, ſe per vim & arma perpetrare poſſe. *Medea*. ſup. cùm deſcribitur *ferox*. peruicax. Medea fuit veneficarum maxima, vxor Iaſonis, qua ducatum præbente, Colchis vellus aureum abſtulit: quę veneficiis mẽteis hominũ commutabat, atq. inuicta manebat: venit autem ad tantũ ſcelus, vt filios ſuos trucidaret, ad iniuriam ſibi illatã ab Iaſone marito vlciſcendam. *inuicta*. freta arte magica. *Ino*. Ino vxor Athamantis fuit, quę furorem mariti fugiẽs, præcipitauit ſe in mare cum filio, & dicta eſt Leucothea, & filius eius Palemon, qui Melicertes antea dicebatur, qui etiam Inous à matre dictus eſt. *Ixion*. Moris erat apud antiquos, vt ante ductas vxores nuptialia munera vltrò ſoceris darẽt generi: Ixion ergo cùm filiam Eponei accepiſſet vxorẽ, & dotẽ daret inuitus, ſcrobem fecit ingentem, ſub ipſo introitu domus occultam, quã igne repleuit, ac ſummam leuiter cõtexit paleis. In hanc ſocerũ quem ſimulans ad cœnam inuitauerat, merſit, ac ſic paſſus eſt illũ viuum exuri: Quare perfidus dictus eſt, quia per fidẽ pactæ pecuniæ ſuum ſocerũ necauit. Alius fuit Ixion gigas, qui cum Iunone voluit concũbere, eiq. nubes in ſpeciẽ Iunonis oppoſita eſt, de qua nati dicuntur Centauri. *Io vaga*. quę œſtro exagitata & in vaccam mutata peruenit in Aegyptũ, factaq. eſt Iſis dea Aegypti. *triſtis Oreſtes*. quia matrem demens interfecit. *ſi quid inex*. aliud pręceptũ. *inexpert*. nouum, hoc eſt, ſi nouum poëma ſcribis, & fingis nouã perſonam, vide vt ſit conſtans vſq. ad extremũ, ita vt, quam perſonã vel fabulam ceperis, nõ mutes antequam illam finias. *ſcena cõm*. tradis vt in ſcena recitetur. *formare*. inſtituere *nouam*. fabulam. *ad imum*. vſq. ad finem. *ſibi conſt*. vndiq. conſonet, eandem rationẽ ſeruet. *comunia dicer*. materiam ab aliis deſcriptã ita propriè explicare tãquam tua ſit. *cõmunia*. i. intacta ab aliis:

aliis: nam quod ab aliquo prius dictũ eſt, hoc fit ei proprium. Item cõmunia, id eſt, nõ antè dicta à quoquam, quæ patēt omnibus: quemadmodũ domus aut ager ſine domino, cõmunis eſt; occupatus verò iam proprius fit, ita & res à nullo dicta cõmunis. *propriè* rectè. *deducis in.* aliquid ab Homer. ſcriptũ deducis in actus ſup. tuos, hoc eſt, melius ex vſitatis quàm ignotis & à nemine tactis ſcribis fabulã aut tragœdiã. *actus.* pro fabula. ab agēdo. *ignota indict.* materiã nõ auditã, non dictã ab aliis. *publica mat.* docet quomodo aggrediatur aliquis carmē ab alio ſcriptum & iam publicatũ ſenſus eſt: Materia iam vulgata & edita, vt bellum Troianũ, erit quaſi incognita & grata, & habebitur tua, & quaſi à te inuēta. *ſi non circa v.* hoc eſt, ſi eam fueris artificioſè imitatus, nec ſingula cõmuni fide ſecutus, ita vt ferè & verbis & eiſdē ſentētiis vtaris, quib. ea ab aliis ſcripta eſt, ne magis interpres quã nouus ſcriptor videaris, ſi nõ totũ poëma alterius, quod tibi patet ab initio ad finē, nihil addēdo, nihil demēdo tuum facere velis. *orbē.* κύκλον dicũt Græci. hinc κυκλόω, id eſt, in orbē duco, circũeo. *nec verbũ v.* id eſt, non verba, nõ ſenſus eoſdē debes ſeruare, nihil prætermittēs. *nec deſilies.* id eſt, nõ ita fideliter debes imitari, nec in eas anguſtias deſcendere obſcuritatis difficultatiſq. vnde te explicare nõ poſſis, ſine pudore reprehēſioneq. aut etiã vlterius progredi: nã pudor vetat nos inchoata deſerere, & lex operis inbet aut penitùs nõ incipere, aut incepta perficere. *nec ſic incipies.* aliud præceptum. nõli, inquit, nimis elatis verbis incipere, nam poëma debet paullatim creſcere. *cyclicus.* poëta qui carmina ſua circumfert quaſi circulatoraneus. aut nomen eſt datũ Antimacho, qui bellũ Troianũ ſcripturus ſic incepit: *Fortunã Priami.* Cyclici poëtæ etiã dicũtur qui circũeunt ciuitates recitãtes ſua ſcripta. Et artes quædã Cyclicæ dicũtur, quę nimia profunditate obſcuritateq. quodãmodo in gyrum vertũtur, propter nimias verborũ ambages. *fortunã.* infelicitatē. Perſonã ignari poëtæ hic ſumit promittentis magna, ſed nihil perficiētis. ſimul eos ex obliquo reprehēdit, qui in præfationibus ſe plus æquo effundũt, & in proceſſu minus docti deficiũt. *hiatu.* dignũ tãto procemio, tanto ore, tãto cothurno. *parturiēt mõt.* quia grãditer incipit, & poſtea vileſcit; & eſt Græcũ prouerbiũ, ὤδινεν ὄρος, εἶτα μῦν ἀπέτεκεν, eis obijciendũ, qui maxima quęq. incõſultè promittũt, nę minima quidē opere cõplexuri. eſt autē Apologus Aeſopicus: Montem quendã ſonitus horrificos & rugitus quaſi tonitrua emiſiſſe, adeò vt & homines & animalia fugerent: tandē autē propius accedētes, vt mõtis fragores audirēt & viderēt, eis autē aſpicientibus, è pede mõtis egreſſus eſt mus, vnde prouerbiũ natũ eſt. *quanto rect.* ſup. egit, cœpit. *hic.* Homerus. *molitur.* aggreditur, conatur ſcribere ineptè. *virũ.* Vlyſſem. *vidit.* inſpexit, cognouit. *vrbeis.* mores & fortunas vrbium. *fumũ.* ſenſum obſcurũ *fulgore.* fulgorē & lucem, i. ac rationē ſplendidã. Dicit ergo bonũ poëtã res difficiles & obſcuras aperire ſuo carmine, nõ etiam apertã materiã obſcurare circũlocutione ſuperflua, quod cõtrà faciũt ignari poëtæ. *vt ſpecioſa deh.* vt in proceſſu mira dicat & auditu delectabilia. *Antiphatem.* notat Læſtrygones ad quos delatus fuit Vlyſſes, qui humana carne veſcebantur, ex quibus fuit Antiphates Lami filius, qui Formianũ oppidum condidit. *Scyllamq.* mõſtrum marinũ. *Cyclope.* Polyphemo. *Charybdin.* voraginē marinã. *Meleagri.* Meleager & Tydeus fratres fuere. Ex obliquo autē taxatur Antimachus Cyclicus, qui reditũ Diomedis principis Græcorũ a Troia in Græciã narrans, eum incepit ab interitu Meleagri patrui; quod prooemiũ nimis è longinquo petitum reprehēdit: quod vitiũ declinãs Maro ait, vix è cõſpectu Siculę telluris in altũ vela dabant læti, &c. *nec gemino bellũ* qui bellũ Troianũ narrat, vitioſè ex eo tempore incipit, quo Iuppiter ſub ſpecie cygni cũ Leda matre Helenæ concubuit: cùm potius à raptu Helenæ ſit ordiendum. Gemino ouo dicit reſpiciens ad cygnũ: duo enim oua peperiſſe dicitur Leda, alterum ex Ioue ſub ſpecie cygni, ex quo nati ſunt Pollux & Helenæ: alterũ ex Tyndaro, ex quo Caſtor & Clytæmneſtra. *orditur.* inchoat, incipit. *ſemper.* ſupp. ſed *ad euentũ.* ad finem rei, ad exitũ, ad id vnde ordiēdum eſt, quod Græci dicunt ἐπὶ τὸ προκείμενον, & odit longa proœmia. *feſtinat.* properat bonus poëta; & ita apertè principia dicit, vt ex his facilè media noſcantur. *non ſecus.* nõ aliter. *ac.* quàm. *notas.* planas & apertas. *auditorem rap.* bonus poëta ita media narrat, quaſi principia eorũ nota ſint. ſic Ilias Homeri à precibus Chryſę ſacerdotis. & Odyſ. à deorum cõcilio. *tractata.* deſcripta, dicta. *niteſcere.* clareſcere. *relinquit.* hoc eſt, obſcuritatē fugit, & præterit ea quæ tractata, aut non placere poſſunt, aut ſunt obſcuriora, quã ut valeant intelligi ab auditoribus. *atq. ita mentitur.* docet quomodo falſa confingat. *ſic veris fal.* vt omnia cõgrua videantur. *remiſcet.* pro cõmiſcet, mutatione præpoſitionis. vt, vtroq; recuſſo, pro concuſſo. & apud Poëtã, ſi non veris falſa remiſces. *audi.* ô poëta qui ſcribis aliquid. *plauſoris.* fautoris, laudis, ſi vis laudari *aulæa ma.* i. expectãtis donec tollãtur aulæa, quæ dimittũtur premũturq. poëtis in ſcena recitãtib. ſua ſcripta: etſi vis detinere populũ vſq; ad finē fabulę tuę, donec dicat actor, vos valete & plaudite, mores in perſonis cuiuſq. ętatis ſerua. *ſeſſuri.* quieſcētis. *cantor.* recitator, actor, mim*. *mobilibúſq.* docet ea quę cuiq. ętati ſunt ꝓpria. *mob.* currẽtib. Omnis natura

ſemper eſt in motu; nam omne viuens corpus ſemper aut creſcit aut decreſcit aut mutatur: anni quoque ſemper labuntur. *decor.* ſua proprietas, τὸ πρέπον. *naturis.* aliud enim puerum decet, aliud adoleſcentem, aliud maturum ſenem. *annis.* ætati. *reddere.* reſpondere & fari poteſt. vt Maro: aut veras audire & reddere voces. *pede certo.* rectè incedit. *ſignat.* firmat incedendo greſſum, non titubat. *geſtit par. coll.* gaudet ſociis æqualibus. *colligit iram.* iraſcitur. *ponit temerè.* deſinit iraſci. *temerè.* ſtultè, leuiter, inordinatè. *imberbus.* imberbus & imberbis, ſicut inermus & inermis. *cuſtode remoto.* pædagogo, poſt annos 15. *gaudet equis.* ſic Terent. aut equos alere, aut canes ad venandum. *aprici.* amœni, patẽtis & Sole calidi, vbi equos exerceãt. *cereus.* mollis, vt cera: nam ſicut cera dum calida eſt, pollice fictoris facilè vertitur in varias figuras; ita citò flecti poteſt adoleſcens in vitiũ: nam facillimè quemlibet vel ad bonum vel ad malum hæc ætas imitatur. *monitoribus aſper.* odit monitores, renitens, contemtor pædagogorum. *vtilium tard.* tardè videt vtilia, quæ ſibi prodeſſe poſſunt. *prodigus.* profuſus, ſumtuoſus. *ſublimis.* ſuperbus, erectus. *cupidusq;.* ardens ad omnia. *pernix.* velox ad faſtidienda quæ cupiuerat; leuis, inconſtans, citò quæ antea amauerat, contemnit. *conuerſis ſtud.* mutatis in contrarium, iam vir factus, non eſt æris prodigus, ſed reponendi cupidus. *honori.* ſuo. ambitioſus efficitur, dat operam vt honorem accipiat. *commiſiſſe ca.* cauet pœnitenda facere, id eſt, ea quæ poſtea laborabit mutare. *multa ſen.* incommoda ſenectutis ſunt quærere multa & quæſita non tangere. *circumueniunt.* decipiunt, opprimunt. *quærit.* habere plura. *inuentis.* iam acquiſitis. *vti.* frui. vnum pendet ex alio. Ideo enim timet, quia frigidus, & quia gelidus, ideo timet; nam ſenes phlegmatici ſunt & naturæ frigidæ. *timidè.* pigrè, eneruatè: quia omnes conatus ſenum imbecilliores ſunt; ideoque parata non tangunt. *gelidè.* pigrè, ſegniter. *miniſtrat.* agit, gubernat. *dilator.* procraſtinator. *ſpe longus.* cùm proximus ſit morti; ea tamen ſperat, quæ ſunt longè poſita: nam timor mortis deſiderium eſt vitæ. *iners.* piger. *auidus.* cupidus. *futuri.* vt meſſis, vindemiæ. *difficilis.* intractabilis, durus ad præſtandum promiſſa. *querulus.* iracundus. *laudator t. act.* laudat priſtina tempora, præſentiaque vituperat. *ſe puero.* cùm eſſet puer. *caſtigator.* increpator, obiurgator. *cenſorq;.* corrector. *ferunt.* adferunt: aliquando ferre eſt auferre. Maro: omnia fert ætas; animum quoque. *venientes.* in iuuenibus enim plurimùm memoria, prudentia, & robur feruent, quæ ſicut ſenſim creſcunt vſque ad iuuentam plenam, ita ſenſim deficiunt iuuentute recedẽte. Anni autem venire dicũtur ad quadrageſimum ſextum vſque annum; inde abire iam accedente ſenectute, deficienteq. paullatim & corpore & animo. *recedentes.* poſt mediã ætatem. *ne forte ſenil.* ſubau. hæc ideo dico & exprimo decorem omnium ætatum, ne fortè turbetur ordo, ita vt quod vni proprium eſt, alteri tribuatur. *mandentur.* committantur. *in adiunctis.* partibus conuenientibus ætati & ordo eſt, ſemper in adiunctis & aptis æuo morabitur, ita vt puero adiuncta ſit leuitas, adoleſcenti feruor, ſeni maturitas. *aut agitur res.* vt in Andria de puero: aut in Eunucho de Thaide. Dorias iraſcitur in ſcena ante populum: Medea ingreſſa occidit filios ſuos; quod poſtea refertur ad populum: non poteſt enim parricidium præſens exhiberi propter atrocitatem. *ſegnius irrit.* prouocant, excitant, delectant tardiùs difficiliùs: ſed citiùs intelliguntur ea quæ geſtu corporis exprimi videntur, quàm quæ verbis ſolummodò referuntur: nam ex ſolo geſtu corporis rem ipſam aliquãdo animaduertere poſſumus: Idcirco poëtæ aliquando cùm recitarent in ſcena, mimos adhibebant, qui geſticulatione corporis exprimebant ea quæ ipſi referebant. *fidelibus.* quia viſus rarò fallit, ſed celerior eſt certiorq. quàm auditus. *ſibi tradit.* ſup. viſu, quia ego ipſe mihi trado quæ video; ſed alter mihi tradit quæ narrat. *promes in ſcenam.* in obtutum populi. *multaq; tolles.* ſpectantium, ſcilicet, quæ aut turpia aut crudelia ſunt; ſicut in cœna Thyeſtę, Atreus quidẽ filium eius epulandum appoſuit; non ideò tamen poterit tale quid in ſcena exhiberi. *narret ilico.* narrare poterit. *præſens.* aperta ipſius actoris ſeu recitatoris. *ne pueros.* filios ſuos, more Græco, quorum nomina ſunt hæc, Medus & Mermerus. *humana.* ſui filij. *in auem.* hirundinem. *Cathmus in an.* Cathmus maritus Hermionæ filiæ Martis & Veneris, dicitur in anguem conuerſus propter occiſum draconem qui erat Marti conſecratus; ex cuius dentibus ſeminatis dicitur acies armatorum ſurrexiſſe. Aliter Fenix & Cathmus fratres fuerũt. Cathmus verò Mercurio fuit infeſtus, quare Mercurius cum ſuo caduceo tactum vertit in ſerpentem. Talia quidem legi tantum poſſunt in ſcena, non etiam oſtendi, quoniam ſunt enormia. *quodcumque.* quod eſt inhumanum. *ſic.* palam, ante conſpectum meum. *incredulus.* non credens ſic debere aut poſſe fieri. *néve minor.* nunc agit de actibus in comœdiis & tragœdiis. Fabula, inquit, quæ vult poſci à populo, & reponi ſpectanda in ſcenis, non plureis debet habere perſonas agẽteis, id eſt, à quibus fabula agitur, nec pauciores quàm quinque; loquẽteis verò palàm non plureis quàm treis: licet aliter reperiatur in comœdiis & tragœdiis. *neu ſit quinto p. ac.* quinta parte. *quæ poſci.* à populo.

populo, vt iterum agatur; quæ vult placere. *ſpectata*. probata. *reponi* denuo recitari, & in auctoritatem venire. *nec deus interſit*. fabulæ: hoc eſt, nõ debes deum inducere in ſcenam, niſi cauſa ſubueniendi vel puniendi; ſeu cùm digna res interuentu eius exprimitur: vt cùm filius patrem, aut pater filium occidit: item tum præſentia numinis debet interſeri, quotiens adeò difficilis res eſt, vt non niſi interuẽtu eius explicari poſſit: vt habemus apud poëtam ingreſſum fuiſſe Turnum caſtra Troiana, illicq́ue multas cædes impunè feciſſe: incredibile autem eſt cum ſolum hæc omnia facere potuiſſe: vidit hoc poëta nimis arduum; quare ſubiunxit, Huic Iuno vireis animumq́ue miniſtrat. Item non debet deus inuocari, niſi fortaſſis incurrãt quęſtiones difficiles, in quibus explicandis opus eſt deorũ adiutorio. *vindice*. explanatore, qui rem difficilem ſibi vindicat explicandam. *nec quarta l.* loquentes verò, id eſt, qui ipſam fabulam narrent, non plures ſint quàm tres: dicit ergo, nec quarta lo. per. labo. ſcilicet, quò ſit aptior actio: ſed quarta perſona cùm inducitur, debet aut omnino non loqui, vel admodum pauca: inducitur enim aut vt annuat, aut vt aliquid ei imperetur. *actoris par.* recitatoris, eius qui agit fabulam. Quando vir agit, virorum chorus debet induci: Chorus, inquit, non multarũ perſonarum parteis ſuſcipit, quia in choro multi ſunt; ſed virilem partẽ tueatur & agat, id eſt, vnius viri. eſt autem ordo, chorus defendat parteis actoris & officium virile: & licet mulierum chorus ſit, eodem viri nomine appellatur: nec intereſt aliquid, mulierum chorus ſit an virorũ. *defendat*. fungatur partibus actoris. *intercinat*. interueniat: id eſt, conueniãt ea quæ dicuntur à choro dictis actoris; & ne quid chorus diſcrepet ab argumento, aut abſurdè canat. *propoſito*. inceptæ rei. *conducat*. proſit. *hæreat apt.* aptum ſit. *ille*. chorus. *conſilietur*. cõſilium det. *amicè*. benignè. *regat*. compeſcat, mitiget ſua modeſtia. *timenteis*. iuſtos & innocenteis. docet vtiliter & breuiter officiũ chori. *menſa breuis*. frugalis, epulas moderatas. *ſalubrem iuſt.* quia ibi ſemper incolumis ſalus eſt, vbi iuſtitia locum habet. *otia*. pacem: quia in pace portæ patent: vt, panduntur portæ: & contrà, bello clauduntur. vt, qua mœnia clauſis ferrum acuunt portis. *tegat*. celet, id eſt, non faciat palam credita conſilia, vel ſua vel aliorum. *redeat*. fortuna bona & proſpera. *tibia non vt nunc*. tranſit ad aliud, & dicit, Quando Romana res pauper eſſet olim, non erant tam ingentes tibiæ ſicut nunc; nec ita ornatæ, nec tam multis foraminibus; nunc tubarum æmulæ in ornatu & foraminibus. Oſtendit autem luxuriam recentem & ambitioſam natam eſſe cum dilatata dignitate reipublicæ maieſtateque; antiquitatem autem ſeueram eſſe: nam prius tibia non erat ambitioſa. vt Varro in tertio diſciplinarũ ad Marcellum de lingua Latina, quattuor foraminum fuiſſe tibias apud antiquos ait: & ſeipſum in Marſiæ templo eas vidiſſe refert. *orichalco*. ὄρος Græcè, mons eſt Latinè: χάλκον, æs; ὀρειχάλκον dictum æs montanum, quod in montibus colligitur: vel aurichalcũ, quaſi æs auri. *vincta*. ligata vel iuncta. *æmula*. imitatrix. *tenuis*. ſubtilis. *ſimplexq́;*. non ambitioſa, non vincta orichalco. *aſpirare*. conuenire. *choris*. publicis conuentibus; quia ad ſonitum tibiarum conueniebat populus. *vtilis*. idonea. *ſpiſſa*. denſa. *ſedilia*: populi; qui paucus erat. *quò*. ad quę ſedilia, ſpectacula; theatrum, ad ſonitum tibiarum ſcilicet. *numerabilis*. exiguus, pauci. *paruus*. ἰπιξήγνοις. *frugi*. parcus. *caſtusq́;*. religioſus. *verecundusq́;*. modeſtus. *coibat*. conueniebat. *extendere*. limites dilatare. *victor*. populus. *vinoq́; diurno*. quod cœnis magis conuenit. per vinum diurnum intellige conuiuia, & epulas intempeſtiuas. *placari genius*. voluptas propria. *impunè*. ſine metu alicuius, & reuerẽtia. hoc eſt, poſtquam cœperunt homines ita epulari velut in feſtis diebus, & impunè vti conuiuiis, quaſi ſacris cœnis, creuit luxuria. *numeris*. metris. *modisq́;*. muſicis, id eſt, docti & indocti carminib. s vacabant & modulationibus. *indoctus*. rerum imperitus populus & deſidioſus. *confuſus*. immixtus poſt operam finitam. cauſam ponit per quam creuit licentia, ſcilicet, propter imperitiam: & quia nulla erat differẽtia inter bonos & malos. *ſic*. quia indoctus erat populus. *motumq́;*. geſtum corporis ſaltando. *luxuriem*. ſuperfluitatem foraminum & ornatum. *vagus*: propter geſtum: quia non vno loco, neque iam vno modo tibicen, ſed variè huc atque illuc ſe circumfert. *per pulpita*. per tabulas ſcenæ: erant autem gradus per quos aſcendebatur in ſcenam. dicit itaque quod cùm antea tibicines breuibus veſtibus contenti eſſent, laſciuiæ cauſa cœperunt prolixiores inducere, ita vt aſcendentes in ſcenam pallij cauda pulpita verrerent. *fidibus*: antea lyra treis chordas habuit, poſtea inuenta eſt cithara monochordos. *voces*. ſoni inſolentiores. *ſeueris*. probatis, ad ſacra neceſſariis; nam quæ ſacris adhibebantur, non erant fluxo & molli, vt nunc ſunt, ſono, ſed auſtero atque ſimplici. *tulit*. extulit, vel protulit. *inſolitum*. nouam eloquentiam inflatam & impropriam. *præceps*. velox ad inuentionẽ. *ſagax*. prouida, perſpicax, inuentrix: *diuina futuri*: prudentiam dicit ſiue philoſophiam intuitiſſe ſtudio, quæ ita futura præuidet ſicut diuinatio. *ſortilegis*: ſorteis dantibus, per quas futura noſcuntur; ſorte enim oracula captabant antiqui. *non diſcrepuit*. non diſcordauit. *ſententia*. eloquẽtia quoque, quæ antea moderata erat & vtilis ad futurorum

prouiſionem, cœpit furibundæ ac delphicæ ſimilis eſſe. *Delphis.* Apollineis, Delphicis. *carmine qui tragico.* docet quomodo commutata eſt diſciplina poëtarum; nam primus Theſpis tragœdiam ſcripſit. *hircum.* hircus fuit præmium tragœdo, vnde dicta eſt tragœdia τράγος enim Græcè, hircus Latinè dicitur. *agreſteis.* graueis, aſperos. *nudauit.* reuelauit, inuenit. Oſtendit Satyram ex tragœdiis natam eſſe. Nudauit autem dicit, quòd liberius in ea pleraq. & dicantur & fiant. *aſper.* mordax. *incolumi graui.* hoc eſt, ita admiſcuit iocum tragœdiæ, vt ſeueritatem honeſtatemq. ſeruaret integram & intactam. *iocum.* maiorem. *eò quòd.* ideo tragœdiæ admiſcuit Satyros, vt illiceret ſpectatorem: antea namque nō voluptatis cauſâ ludi ſunt inuenti, ſed religionis: & poſt ſacrificia ſpectator nūc pranſus, nunc potus erat in officio grata nouitate tenendus, & riſu & ioco. *grata.* admiranda. *functusq. ſa.* poſt ſacra & epulas. *potus.* ebrius. *exlex.* ſecurus, ſine lege omnia negligēter faciens, ſeriatus. *verùm ita r.* reuertitur ad præcepta poëmatis. *riſores.* hoc eſt, ita debet admiſceri Satyra tragœdiæ, vt perſonis ſuum decus ſeruetur. riſores Satyri, quia mouendo riſum, res humanas rident & vitia *commendare.* deſcribere, inſinuare, inducere. *dicaces.* liberos in dicendo. *vertere.* adiungere, immiſcere. *ſeria.* tragœdorum res vtileis & honeſtas, res triſteis & tragicas. *ludo.* rebus ludicris & ſatyricis, id eſt, ita tragœdiæ immiſcere Satyram. *adhibebitur.* in tragœdia introducetur. *regali conſ.* in habitu tragico, qualis decet regem, id eſt, qui prius tragicè locutus eſt. *migret in ob.* ne vileſcat humiliter loquendo: qualis ſermo eſt tabernarius & plebeius: hæc autem dicit vt conſonantia ſit in tragœdia & Satyra. *tabernas.* taberna eſt officina Mercurialis, in qua res ſunt venales: hic autem pro caſa ponitur & humili cubili. *vitat humum* dum facis heroëm vitare humilitatem, ne facias eum inter nubeis & cælum verſari, id eſt, captare magna ſupra vireis, ne euaneſcat ſicut nubes. Debet ergo Satyricus in quodam quaſi meditullio mediocritatis ſe continere ita vt neque nimis humilis vileſcat, neque nimis alta petat. *effutire leueis.* tragœdia non debet habere leueis verſus ſicut Satyra, quia plena debet eſſe doloris & grauitatis; vnde & Ori dicuntur carmina in tragœdiis, ab altitudine ſoni. *effutire.* futil erat genus vaſis ſacris aptum præcipuè Cereris, in quibus cùm nihil poſt ſacra ſupereſſe liceret, ab eius ſacerdotib. tale vas inuentum dicitur, quod cùm ad terram poneretur, mox labebatur cum his quæ continebat propter infernam acutiem & oris amplitudinem: hinc futio & effutio, id eſt, inaniter effundo & emitto; & hinc effutire eſt ineptè loqui. Itaque tragœdia non debet eſſe futilis nec leuis, ſed temperatè debet Satyrorum procacitati ſatisfacere, vt matrona feſtis diebus ſaltare iuſſa cum quadam verecundia ſe mouere iubetur. ordo eſt, tragœdia indigna effutire leueis verſus, paullum pudibunda intererit Satyris proteruis, vt matrona iuſſa moueri feſtis diebus. *leueis* vileis. *vt feſtis.* ſunt enim quædam ſacra in quibus ſaltant matronæ, ſicut in ſacrificiis matris deûm. Aliter: vt matronis eſt ingreſſus in ſacris ſine motu, ita expedit Satyram moratam eſſe in tragœdiis. *matrona.* ornata & compoſita. *moueri.* ſaltare. *intererit.* intereſſe debet. *pudibunda.* tragœdia, propter petulantiam Satyrorum. *proteruis.* inuerecundis, à pudore alienis. *non ego cum.* id eſt, non tantummodo ruſtica & propria verba quæro in Satyris, ſed etiam decus perſonarum. ordo eſt, Ego Horatius Satyrorum ſcriptor non amabo ſolum inornata & dominantia nomina. *inornata.* abſoluta & ſimplicia, ruſtica, incondita, vſurpata auctoritate: quæ & dominantia ſunt, nempe propria ſine circuitione, aut figura rem aliquam exprimentia, vt baſiare, mentula, cunnus, &c. paullo ſordidiora, & ipſis Satyris congrua; quæ dominantia dicuntur, quia nouitate elationis aſſumta ſua auctoritate nituntur. *nec ſic enit.* conabor differre & diſtare à tragica qualitate & ſtylo, vt in morib. nulla ſit differentia, ſed vt in tragœdia obſeruatur perſonarum decus, ita & in Satyra fieri neceſſe eſt. *Dauus.* perſona ſerui apud Terent. *audax.* temeraria. *Pythias.* perſona comica in Comœdia Lucilij: quæ inducitur per aſtutias accipere argentum à Simone domino ſuo in dotem ſuæ filiæ. *emuncto.* decepto, deluſo; vt, emunxi lenes argento. *an cuſtos.* ſupp. loquatur. *famulusq.* miniſter. *dei alumni.* Liberi, quoniam ipſe eum nutriuit. *ex noto.* ex nota materia. *fictum carm.* Satyricum. *ſequar.* ſcriptor Satyrographus. *ſequar.* deſcribam. *ſperet idem.* ſe facturum vt me imitetur. *fruſtràque lab.* ſi cœperit idē facere & inchoatus fuerit, nam virtutis eſt ita ſcribere, vt in imitatione facile videatur & difficile in executione. *tantum ſeries.* lucidus ordo rerum, diuiſio operis, ordo verborum, œconomia, compoſitio verborum: id eſt, tantum valent ordo & diſpoſitio, vt difficile ſit imitari. *de medio.* id eſt, de publica & vulgata materia, & rebus quæ ſunt aptæ Satyris. *Fauni.* dei ſiluarum, Satyri. *ne velut innati.* aliud præceptum, id eſt, Satyri non debent iocari in poëmate, vt nati videantur aut in triuiis aut in foro, id eſt, iocus eorum non ſit vrbanus & delicatus, ſed habeat ruſticitatem. *innati triuiis.* paſſim ſeu vulgò nati. *forenſes.* populares homines. *teneris.* leuibus. *iuuenentur.* luxurientur, ne proterui ſint & laſciui. *immunda.* propria, ignominioſa.

uioſa, id eſt, infamia crepent, id eſt, reſonent, loquātur obſcena, turpia & nimis apta magis quàm Satyris. *quibus eſt eq.* i. equites. *& pater.* ſenatores, qui patres dicebantur. *& res.* diuites & potentes. ſenſus eſt, Romani nobiles, qui ſunt equites & patres Senatores & diuites, ſi aliquid turpe vel inhoneſtum coram eis fuerit prolatum. Nec æqualiter accipiunt aut laudāt populus & nobiles quod audiunt, quia plebs laudat quod audit & intelligit, quantumuis inhoneſtè fuerit prolatum: Nobiles autem & viri graues ſtudioſè diſcernunt ea quæ audiunt, nec ſine cauſa aliquem remunerant *nec ſi quid.* hoc eſt, ſi non offenduntur populares & indocti, offenduntur nobiles & ſapientes, nec id probant ſtatim quod vulgò laudatur. *fricti.* nouelli; frictum enim vel frixum cicer dicitur recens. *æquis acc. a.* probant. *donántve co.* remunerant. *ſyllaba long.* aliud præceptum de pedibus metrorum. *breui ſub.* breuem ſyllabam ſubſequens. *iambus.* Iambus pes eſt, inquit, quando ſyllaba longa ſequitur breuem: dictus ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, id eſt, à detrahendo ſeu maledicendo: vel ab Iambe filia regis Celei, quæ Cereri apud patrem hoſpitanti huius pedis carmine mouit gratiſſimum riſum. *pes citus.* velox, vtpotè à breui incipiens, præ cuius nimia velocitate duæ menſuræ computantur pro vna, vt iambicus trimeter, nō hexameter vocetur, licet ſex iambis conſtet: non enim à numero pedum, ſed menſurarum nomen habet. *trimetris.* id eſt, ex ſex iambis tres diiambi facti ſunt. ſenſus eſt: Iambus citus voluit verſum ſex pedibus trimetrum vocari, non enim vnus pes iambus metrum facit, vt alij pedes, ſed duo propter volubilitatē. *Iambeis.* iambicis. *ictus.* id eſt, cùm haberet ſex pedes. *primus.* pes *ad extremum.* pedem: ordo, primus ſimilis ſibi ad extremum, id eſt, ſextum. *non ita pridem.* id eſt, nunc. ſenſus eſt, iambicus trimeter nullum pedem olim admiſit alium præter iambum, ſed non ita pridē, id eſt, non diu eſt, quòd notos pedes, vt ſpondeum & alios receperit, ſed iis legibus, vt ſecundū, quartum & ſextū locos ſibi proprios ſeruaret, primum, tertium & quintum locum concedens aliis. *ſpon. ſtabileis.* tardos. *in iura pater.* in proprium ius & ſuum metrum. Metaph. *commodus.* bonus, benignus. *patiens.* ad recipiendum, nō renitens aliis pedibus. *ſede.* ſecundo loco. *cederet.* recederet iambus. *aut quarta.* quarto loco *ſocialiter* pariter, concorditer. *hic & in act.* hic iambus. *nobilibus trime.* optimis poëmatis. ironicōs. *magno cum pond.* faſtu & pompa verborum. *aut operæ ni.* ſtudij nimiæ celeritatis. *curaq.* diligētia. *premit.* obſcurat, arguit, reprehēdit iudex populus. Dicit duas ob cauſas poëtas imperitos facere verſus; ſcilicet, aut quia nimis accelerent illos, nec limâ reformant examinationis & retractant, aut quia artem ignorant in intermiſcendis pedibus, ita vt iambi plures, verſus fabulæ celeriores, vel ſpondei multi, tardiores efficiant. *non quiuis.* non quiuis facilè poteſt reprehēdere poëma, & ideò data eſt quodāmodo poëtis licentia ſcribendi quęcunq. velint, dum non eſt qui eorū ſcripta peritè examinet. *videt.* diſcernat. *immodulata.* nō bene modulata. *venia indig.* quę quēuis facit pronū ad ſcribendū peccandumq́. *vager.* per illicita non ſeruata lege carminis. *licenter.* non limato carmine, ſine ordine. *peccata.* vitia mei carminis: id eſt, an cùm putauero omneis viſuros mea vitia, ero tutus & ſecurus data venia? *cautus.* hoc eſt, nūquid ideo audacter ſcribam quia certus ſum quòd mihi indulgebitur ſi errem, ſicut aliis? nō vtique; quia licet mihi nō imputetur culpa, tamen laudari non mereor: pro minimo ducit, ſi nō imputetur ſibi culpa quam meretur; pro maximo verò ſi laudatur. *ſpem veniæ.* hoc eſt, quod mihi nō imputabitur licet culpā merear, quòd ſperē mihi quoſdā ignoturos. *non laudē m.* quia nō ſatis rectè ſcripſi. *vos ô.* ad Piſones: Græci optimè & cautè ſcripſerūt, eos legite, & ipſos ſequimini; nā Latini ſunt immodulati. *nocturna ma.* ſtudioſè. *at veſtri proaui.* veſtri maiores. eſt anthypophora, qua ab antiquis ait Plaut. fruſtra probatū, cùm ſales & metri ſciētia deſunt. *numeros.* metra *ſales.* iocos & venuſtatem. *patienter.* nimis negligenter. *vtrumque.* numeros & ſales. *ſtultè.* temerè. *ſcimus.* nouimus quid ſit inurbanè dictum, quid lepidè, quid doctè, quid indoctè. *ſeponere.* ſeparare. *digitis call. & aur.* duob modis metrū aſſequimur, digitis & aure; digitis autē pro arte rhythmica & numeris. vt, Lesbiū ſeruate pedē, meique carminis ictū. Aure ſanè, quia ex ſtrepitu pollicis ſonos metri percipimus: vnde & dactyli pedes quidā dicti ſunt, & ipſimet pedes appellati; tum quòd iis menſuramus verſus, tum quòd ſonū metrorum pulſu pedis noſtri adiuuamus. *ignotū tra.* hic agit de inuētione tragœdiæ. Theſpis fuit Atheniēſis, qui primus tragœdias inuenit, ad quas recitādas circa vicos plauſtro quoq. vehebatur ante inuentionē ſcenæ. *quæ canerent.* ad chorū refert. *agerentq́.* ad actores. *peruncti fec.* deliburi: nōdum enim vſus perſonarum inuētus erat, ſed actores fece vini faciem perungebāt, vaſis fece tenus epotatis: vnde tragœdia quaſi trygœdia; & tragœdi quaſi trygœdi dicti ſunt: τρὺξ enim Græcè, fex dicitur Latinè. *poſt hunc.* Theſpin. *perſonæ.* laruæ. *pallæq.* veſtis tragœdorū, quæ & ſyrma nuncupatur; vnde ſyrmata pro tragœdiis plerumq. ponuntur. Laruas enim capiti imponebāt, & induebant actores ſyrmata, id eſt, veſtimenta prolixa: vnde & longaria ſcriptura ſyrma dicitur ab illius veſtis prolixitate: σύρμα ἀπὸ τοῦ σύρω, id eſt, traho,

πάλλα ἀπὸ τοῦ πάλλω, id eſt, ſalio, moueo, &c. *honeſta.* decoræ, pulchræ. *Æſchylus.* poëta Græcus inuenit habitum tragœdorum. *pulpita.* pulpita erant gradus ſcenæ quæ ex tignulis fiebant. hic ponuntur pro ſcenis, quæ initio non erant grandes, ſed ex pauculis tignis. *magnumq́; lo.* magna verba ſonare, tragicè loqui. *nitiq́;.* incedere. *cothurno.* calciamento tragœdorum. *ſucceſſit vet.* ἀρχαία, quæ antiquis in vſu fuit. *his.* ſcilicet Satyræ & tragœdiæ, vel Theſpi & Aeſchylo. *laude.* applauſu, propter modeſtiam. *ſed in vitium.* ὑπονομάζετ' ἐκλεγομένη, id eſt, nominata eſt electa, ſeu noua: vetus enim laudabilis fuit, quia vitia carperet; ſed cùm inciperent nominatim lacerare, vitiaque in ſcenis publicè recitare nemini parcendo, cœpit vileſcere, non leniter id ferentibus nobilibus, eamque petulantiam execrantibus: quare lex lata eſt, vt nemo nominatim alterius vitium publicè notaret, & ita chorus comœdorum ſtatim obticuit. *in vitium.* vituperationis. *libertas.* carpendi. *excidit.* erupit, lapſa eſt. *& vim.* inſolentiam, maledicentiam. *lege regi.* refrenari lege & edicto publico. *accepta.* à comœdis. *chorusq́;.* grex actorum & comœdorum Liberi patris. *turpiter.* quia prohibitus eſt lege. *iure noc.* poteſtate alicui derogandi, lacerandi, quia ſublata eſt actoribus libertas loquendi. *nil intentatum.* omnia tentarunt, ſecuti ſunt: id eſt, Latini quoque iſtiuſmodi comœdias ſcripſerunt maledicas. *nec minimum* maximum. *veſtigia Græ.* cùm recederent à Græcis exemplaribus, & domeſtica facta, id eſt, Romana tractarent, inuentisque Græcorum adderent. *prætextas.* prætextatas Prætextata tragœdia fuit à prætexta veſte, qua vtebantur nobiles pueri ſub diſciplina ad annum vſque decimum quintum: Togata verò comœdia fuit à toga veſte Romana, qua omnis ſexus omniſque conditio vtebatur apud Romanos; vnde eſt dicta gens togata. Togata autem comœdia differt à palliata, quòd palliata dicta ſit à pallio Græco indumento. Prætextatas & Togatas ſcripſerũt Elius Lamia, Antonius Rufus, Cn. Meliſſus, Afranius, Africanus, Pomponius. Fabularum autem Romanarum genera quinque; Stataria, Motoria, Prætextata, Tabernaria, Togata. *nec virtute.* hoc ad ingenium pertinet. *potentius armis* ad vireis ſpectat. id eſt, non minorem fuiſſent Latini conſecuti gloriam ex eloquentia, quàm ex armis, ſi in corrigendis carminibus laborare vellent & ea ſtudioſè elimare. *limæ.* expolitionis & emendationis. lima enim nitidius facit & planius quod erat ſcabrum: hic autem metaph. pro correctione ponitur. *labor.* ſtudium in poliendo carmine. *Pompilius ſang.* id eſt, Piſones: ab ipſo enim Numa Pompilio originem trahebant: Calpur enim filius Numæ, à quo Calpurnij Piſones. *multa litura:* frequens emendatio, elimatio. *coërcuit.* probauit. *perfectum.* finitum. *decies.* ſæpius. *caſtigauit.* elimauit, verſauit. *ad vng.* hoc eſt, tractum à marmorariis, qui æqualeis lapidum iuncturas vngue pollicis probant. alibi, ad vnguem factus homo. *ingenium.* naturale. *miſera.* quæ non niſi multis miſeriis acquiſita, vix tandem alit artificem. *fortunatius.* multò melius ſecundum Democritum, qui dicit non fieri arte, ſed natura naſci poëtam. Miſera itaque eſt ars, ſi quidem non meretur nomen poëtæ accipere; qui habet artem, niſi habuerit ingenium. *excludit.* ſupp. ſuo iudicio, repellit à poëtarum numero. id eſt, negat eſſe poëtas qui non inſaniunt. *ſanos.* ſanos appellat poëtas artem edoctos. *Democritus.* Democritus philoſophus Epicureus fuit dictus ſophiſta, deriſor poëtarum. *bona.* magna. *pars.* poëtarum. *ponere.* deponere, demere. *balnea.* nil corpori indulget. ordo eſt: bona pars poëtarum non curat deponere vngueis, nec barbam, petit ſecreta loca, balnea vitat: & hoc propterea quòd Democritus excludat ſuo iudicio ſanos poëtas ab Helicone monte Muſarum, id eſt, à numero poëtarum; & credit fortunatius eſſe ingenium naturale quàm artem ſtudio acquiſitam: affirmat eos veriores eſſe poëtas qui inſaniũt: quæ inſania in hoc quoque accipitur, quòd à conuerſatione & vſu hominum ſe ſubtrahunt, ſingularem ducentes vitam. Notat autem hoc imperitos, qui putant poëtas eos eſſe qui ſunt demiſſo capillo & barba prolixa. *nanciſcetur.* adipiſcetur, obtinebit. *pretium.* dignitatem. *tribus Anticyris.* tribus purgationibus. id eſt, tunc vocabitur poëta ſi inſano ſimilis fuerit. Anticyra eſt inſula, in qua multum naſcitur ellebori: cuius duo ſunt genera, album & nigrum, quod etiam vocatur ab aliquibus cicuta; & curationi capitis eſt aptius quàm album, quod magis eſt nociuum. Anticyra itaque accipitur pro elleboro. tribus Anticyris, id eſt, multo elleboro, quod purgat melancholicum humorem, qui abundans inſanos reddit. *inſanabile.* hoc eſt, qui ita inſanit, vt etiam multo elleboro accepto curari minimè poſſit. *Licino.* nomen tonſoris famati, qui poſtea dicitur factus ſenator à Cæſare, quòd odiſſet Pompeium, de quo hoc ſcriptum eſt epitaphium: Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo, Pompeius paruo; quis putet eſſe deos? *commiſerit.* ſup. tondendum. ponitur autem Licinus pro quouis tonſore. *ò ego lauus.* ſtultus, dignus culpa, indignus nomine poëtæ, ſiniſter, qui non facio ea quæ cenſet Democritus. *qui purgor bilis*, id eſt, qui curem vt mihi bilis purgetur, vt caput tondeatur, vt barba radatur, qui καθαρτικὸν φάρμακον accipiam ad bilem purgandam, qui curo ſanus eſſe

cùm

cùm ſciam à Democrito eos veros poëtas iudicari qui ſunt inſani. *bili.* bilis propriè eſt fellis virus: hic autem pro cholera & melancholia ponitur quæ eſt in ventriculo. *verni temporis h.* paullò ante tempus vernum: ſolent enim omnes verno tempore purgationes ſumere, quòd tempus illud purgationi eſt aptum propter humorum incremẽtum. *meliora poëmata.* ſup. quàm ego ſi inſanirem. nemo poëta magis eſſet in opinione, ſi eſſem demiſſo capillo. *nil tanti eſt.* ſupp. apud me. id eſt, nil tanti eſt apud me momenti, vt ſim demiſſo capillo, & ſalute corporis neglecta, non purgem corpus meum tempore veris. Dicitur enim Horatius fuiſſe melancholicus. *vice cotis.* comparat ſe coti, extenuans ſcientiam ſuam: nam ſicut cos exacuit ferrum, quo omnia ſecantur, ipſa tamen nihil ſecat; ita ipſe dabit præcepta componẽdorum carminũ, etiamſi nõ ſcribat. *exors ipſa* aliena, à natura non habens ſortem, id eſt, munus ſecandi. vt, exortem ducere honores. *munus.* poëtarum. *opes.* materiæ ad carmina ſcribenda acquiri poëtæ poſſunt. *alat.* amplieet. *formetq́.* inſtruat. *quid deceat.* ſit decorum ſcribere & vtile. Diuus Auguſtinus in libro De doctrina Chriſtiana dicit hic in primis legendum eſſe hunc poëtam. *virtus.* ars; affectatè dixit virtus pro arte, quæ ἀρετὴ dicitur. *error.* vitium, artis ignoratio. *ſapere eſt.* ſcire quid ſcribas, contra eos qui dicunt poëtam inſanire debere. ait itaque, vt poſſis rectè ſcribere, primum opus eſt ſapere. *rem.* ſapientiam, præcepta, materiam. docet autem poëtam non debere eſſe expertem philoſophiæ. *charta.* libri philoſophorum, in quibus multa reperies de quibus ſcribere poteris, & ne confide ingenio, vt Democritus cenſuit. *verbaq́.* poëma conſtat ex re & oratione, res ex philoſophia originẽ trahit & præcepta continet: verba autem & oratio ſubſequuntur non difficulter inuentum. *non inuita.* hoc eſt, tunc verba non deſunt, cùm habueris quod dicas, & Pollio idem dixit: Malè herclè eueniat verbis, niſi rem ſequantur. *ſequentur.* ſcilicet poſt rem inuentam & ſapienter præcogitatam. Menander cùm fabulam diſpoſuiſſet, etiamſi nondum verſibus adornaſſet, dicebat tamen ſe iam compleſſe. *patriæ.* ſcilicet defenſionem, laudem & honorem ei debere impendi. lege libros veterum philoſophorum περὶ καθήκοντος, id eſt, de officiis. *quid amicis.* fidem. *conſcripti.* ſenatoris. Senatores conſcripti dicebantur curiæ iudices, qui in foro liteis dirimebant. Aliter: Cõſcripti vocabantur centum & viginti ſeniores, quòd nomina eorum in tabulis æreis conſcripta erant, qui quotidie in curiam veniebant de ſtatu reipublicę tractaturi. *iudicis.* illius iudicis qui in foro litium cauſas diiudicabat. *partes.* officia. *reſpicere exemp.* bonus, inquit, poëta debet imitari mores & vitam hominum cuiuſq. ætatis. *exemplar.* exemplar ἀρχέτυπον. exemplum παράδειγμα. Conſuetudinem vitæ iubet eum aſpicere, qui vult aliquem rectè imitari: vt cùm inducit adoleſcentem loquentem, debet ſcire vitam & rationem viuendi adoleſcentum. Quid enim eſt comœdia aliud quàm imago vitæ humanæ? *iubebo.* docebo. *doctum imitatorem.* id eſt, eum qui vult bonus eſſe poëta comicus; quia comœdia eſt imago vitæ. *viuas.* veras, validas. *hinc.* à vita familiari, à moribus communibus. *ſpecioſa locis.* ſenſus eſt, ſi opportunæ fuerint inductæ perſonæ, & argumẽtis locisq́ue communibus non abſurdè munitæ, cum conſideratione conſuetudinis & expreſſione morum, quamuis ſit ſine arte, ſine venuſtate & eloquentia, plus placet, quàm verſus quidã bene ſonantes, ſed obſeruatione morum carentes: quia res ſine ornatu, quã ornata verba ſine rebus, magis delectare poſſunt. *morataq́ rectè.* bene inſtituta. Morata autem fabula dicitur, in qua mores ſingularum perſonarum optimè exprimuntur. Aliud eſt moroſum, aliud moratum; moroſus eſt, qui difficilibus & malis moribus eſt præditus, moratus eſt modeſtus & bonis moribus ornatus, moderatus. *nullius Veneris* nullius venuſtatis, nullius ornatus, ſine lepore, ſine verborum pulchritudine. *ſine pondere.* eloquentia, gratia, ſine grauitate verborum *valdiùs* pro validiùs. vt alibi, nouit me valdiùs ipſo. *mel. moratur.* fortius retinet auditorem. *inopes.* ſup. ſenſus, inutiles, inanes: in quibus nulla res, nulla ſententia, qui ſola arte boni ſunt. *nugæq́ can.* verba ſonantia ſine ſententia, nullius momenti. *ingenium.* naturale. *rotundo.* turgido, tumido, ornato, polito, erudito, perfecto. *nullius.* ſupp. rei, id eſt, ſolius laudis cupidis: qui ideo ſcribebant vt gloriam, non vt pecuniam acquirerent. *pueri.* pueros vocat propter inertiam & cupiditatẽ. Pueri Romani à prima ætate calculum diſcebant, id eſt, computationibus operam dabant, immoderatæ auaritię deſeruientes. *longis ration.* longo circuitu, multis modis, longa computatione. *aſſem.* totum patrimonium. as, vel aſſis id eſt, libra, quæ diuiditur in duodecim vncias. cuius partes ſunt hæ, deunx, dodrans, labus ſeu dextans, biſſe ſeu beſſis, ſeptunx, ſemis, quincunx, triens, quadrans, biens, vncia. Ponitur etiam aſſis pro vno, vt viginti & as. *centum.* multas. *diducere.* diuidere, partiri. *filius Albini.* nomen fœneratoris cuiuſdam auari. *quincunce.* quinque vnciis. *ſuperat* ſupereſt, remanet *poteras* quia doctus es hanc artem. *eu.* rectè, bene, pro euge. hoc dixit is qui rogatus fuerat. *redit vncia.* ſup. ad quincuncem, id eſt, quincunci additur vncia: ad alias quinque additur vna vncia. *ſemis.* dimidia pars libræ. *animos.* puerorum. *ærugo.*

ærugo propriè eſt vitium metallorum, quod æs demolitur: ponitur hic pro auaritia, quæ in animis puerorum eſt macula pernicioſa. ſenſus eſt, Cùm auaritia occupauerit à prima infantia animos Romanorum, ſperandum ne eſt eos poſſe ſcribere carmina recipienda in auctoritatem? *cura peculi.* cupiditas pecuniæ. *imbuerit.* initiauerit. *fingi* ab eis. *cedro.* reſina cedri. Cedrus eſt arboris ſpecies, cuius reſina nigri coloris eſt, qua quicquid fuerit oblitum, nunquam putreſcit: vnde nobilium poëtarum chartæ hac oblinebantur, ne corrumperentur à tineis: hac etiam vidimus particulas ſanctæ crucis oblitas. quarum color velut Indicus apparebat. cupreſſus autem eſt cedri ſpecies, vnde confici ſolent capſulæ in quibus reponebãtur ſcripta poëtarum contra tineas. *leui.* plano. *cupreſſo.* arca ario bene compoſito in tabulis ligneis. Linenda autem cedro & conſeruanda leui cupreſſo dixit: vt hæc carmina in perpetuum maneant vnctis in circuitu chartis reſina cedri; vtrumque enim odore ſuo ſummouet tineas. *aut prodeſſe v.* debent velle prodeſſe. proſunt Georgica. *delectare.* delectant fabulæ. *idonea.* vtilia. *quicquid prae.* aliud præceptum de breuitate in dicendo. *teneántque.* vt ſeruent quod intelligunt, nec effluat quod audiunt. *omne ſuper.* ſupp. quia. *pleno.* faſtidiente. *manat.* effluit. *ficta,* id eſt, ea quæ finxeris delectationis cauſa, ita finge vt non multùm recedant à ſimilitudine veri. *ne quodcumq.* hoc eſt, non eſt congendus auditor, vt cuncta credat quæ fabula recitant. ordo eſt, ne fabula credi ſibi poſcat quodcumque volet. *neu pranſa.* ſaturatæ. Lamia monſtrum eſt ſuperius habens ſpeciem mulieris, infernè verò deſinit in pedes aſininos: hoc eſt, caueto ne dicas quòd Lamia deuorauerit filium, qui de vtero eius poſtea viuus extractus eſt. *extrahat.* ipſa fabula extrahat, id eſt, eximat. *centuria ſenior.* ſenatores, conuentus ſeniorum. *agitant.* reſpuunt, oderunt. *expertia frug.* aliena ab vtilitate, inutilia, maturitate carentia. id eſt, ſenes non probant poëmata quæ ſunt leuia, ſed grauitate carminis & dictionis pondere delectantur. Centuriæ autem duæ erant, maior & minor; minor habuit centenarios decem & centum decanos: maior verò, centum centenarios & mille decanos: deinde ſingulæ tribus habebant ſuas centurias ſeniorum & iuniorum. *celſi.* ſuperbi, elati. *prætereunt.* ſpernunt, audire nolunt. *auſtera.* aſpera grauia. *Rhamnes.* Romani nobiles. Rhamnes autẽ fuit quidam nobilis ex ſociis Turni quem Euryalus interfecit, à quo familia Rhamnetum. Virg. Nec minor in caſtris luctus Rhamnete reperto ex angui. hoc autem loco eſt centuriæ iuniorum nomen. Tres autem fuere Romanæ tribus, vel, vt verius dicã, Equites: Rhãnes, Luceres, Tatienſes. Sed ſi ſenes non ament poëmata leuia, & iuniores non delectentur grauibus; quid faciendum poëtæ? *omne tulit punctum.* id eſt, debet poëma temperare ita vt & voluptati ſeruiat iuniorum, & ſeueritati ſatisfaciat ſeniorũ. *omne tulit punctum.* omnium ſuffragia & iudicia meritus eſt, qui & dulcis eſt in poëmate & vtilis. Puncta ſunt populi ſuffragia. Vſus eſt etiam hoc nomine Cic. in Fundaniana. Hoc ergo dicit, omne tulit punctum, &c. id eſt, omnium meruit fauorẽ, iuxta legem tabellariam, quæ cauerat non voce, ſed puncto debere ferri ſuffragia. *delectando* dulci poëmate. *monendo.* grauitate & vtilitate. *hic.* talis liber qui continet dulce & vtile. *liber.* pro poëmate. *meret.* acquirit, dignus eſt emi. Huiuſmodi librũ Soſij facilè vendituri ſunt, quia recipietur in auctoritatem. *meret.* mereo, es, mercedem accipio & milito. *Soſiis.* Soſij duo fratres fuere librarij, & bibliopolæ nobiliſſimi. *mare tr.* defertur ad longinquas regiones. *& longum au.* æternam memoriam. *noto ſcrip.* nobili poëtæ. *ſunt delicta e.* ſup. in metro. ſenſus eſt, ſi poëta multa rectè ſcribat, & in paucis delinquat, indulgendum eſt ei; quia non ſemper idem impetus agitat poëtas, ita vt ſemper occurrant quæcumque ſcribere velint. Ponit autem duas comparationes, vnam citharœdi, & alteram ſagittarij, inquiens, Sicut chorda citharæ non ſemper reddit eum ſonum quem manus tangẽtis deſiderat, & ſicut ſagitta non ſemper ferit ad quod intenditur; ita & poëtæ non ſemper occurrit dicẽdi facultas fingendíque quidlibet. *velimus ign.* pro ignoſcere volumus. *nam neq.* ſi citharœdus errat, multò magis venia danda eſt poëtis, ſi in aliquibus errauerint. *manus.* tangentis chordam. *poſcenti.* citharœdo. *remittit.* reddit acutum ſonum. *minabitur.* deſtinabit, volet. *arcus.* ſagittarius. *nitent.* pulchra ſunt. *ego.* pro quolibet critico. *maculis.* vitiis, culpis, delictis. *incuria.* negligentia. nam duobus modis fit, vt aliqua vitia ſint in poëmate, aut negligentia, quod emendare neglexit: aut natura; quia hominum natura fragilis eſt, ita vt non rarò decipiatur. *fudit.* effudit. *parum cauit.* minus proſpexit aut intellexit. *natura.* ingenium. *quid ergo eſt.* ſup. quod moneo. *ſcriptor.* librarius, bibliopola, vt veteres dicebant, quod & Tranquillus affirmat. *ſi peccat idem.* idem in neutro genere propriè dixit, quaſi dicat, in eodem errat. *vſq.* multum vel ſemper. *quamuis eſt.* pro quamuis ſit, propter cacemphaton. vt Maro, quamuis ſit ruſtica muſa. *ſemper oberrat.* tangẽdo ſemper vnam eandemque chordam. *qui multum.* malus poëta multum ceſſat, qui multa malè ſcribit, pauca bene; vt Chœrilus, qui geſta Alexandri deſcribens, ſeptem tantum verſus laudabileis fecit. *Chœrilus ille.* Chœrilus fuit poëta

ineptus,

ineptus, qui Alexandrum magnum ſecutus, eius bella deſcripſit: cui Alexander fertur dixiſſe, malle ſe Therſiten Homeri eſſe, quàm huius Achillem. Alexander autem pactus cum eo, vt ſi bonum faceret verſum, aureo numiſmate, id eſt, nummo Byzantino donaretur; ſi malum, colapho feriretur: qui ſæpius malè ſcribendo, colaphis necatus eſt. *verùm operi longo.* hoc eſt, excuſationem poteſt habere Homerus, ſi in tam lõgo opere aliquid offendit; quia qui tam multa ſcribit, nõ poteſt fieri vt non obrepat eius ſcriptis aliquando ſomnus, id eſt, negligentia latenter ſubintret, erret, in peccatum incidat. *vt pictura poë.* comparat picturæ à longè diſtanti, ſonoros verſus, & verborum elegantia comtos, ſed ſenſu materiæ & grauitate carenteis: & ideo obiter legendos: picturæ verò de propè delectanti, bonos verſus pondus materiæ perfectæ habenteis: & ideo elimatè diligenterque legendos: eò namque amplius delectant, quò plus fuerint examinati. *poëſis erit.* erit pro eſt, ponitur. *ſi propius ſtes.* è propinquo inſpicias. *capiat.* delectet. *longius abſtes.* ſi è longinquo contempleris: & ea mala eſt, quia fuco magis & coloribus placet quàm arte. *hæc.* pictura. *amat obſcurum.* amat celari. *videri.* exhiberi. *argutum.* ſubtile & velox. *acumen.* ingenium, examinationem. *hæc.* obſcura *decies repetita.* finitum pro infinito. *ô maior.* Piſo. maiorem fratrum Piſonem alloquitur. *fingeris.* formaris, erudiris. *rectum.* bonum poëma. *tolle.* audi ſententiam meam, & eius eſto memor. *certis.* artibus & ſcientiis. *medium.* mediocritatem. quaſi diceret, in aliquibus rebus & diſciplinis tolerabilis eſt mediocritas: vt ſi iuriſperitus nõ fuerit aliquis tam diſertus quàm Meſſalla aut Caſcellius, tamen fertur ſi fuerit mediocris, & non eſt vituperandus. *abeſt.* diſtat *diſerti.* eloquentis. *neſcit.* ſup. tantum. *Caſcellius Aulus.* ſup. ſciuit. Meſſalla orator: Caſcellius iuriſperitus fuit, & ſapiens, vt Agellius teſtatur, qui libros noctium Atticarum ſcripſit: non eſt autem aliquis æqualis Meſſallæ aut Aulo Caſcellio; non eſt tamen vituperandus, ſicut poëta mediocris. *ſed.* ſupp. tamen. *in pretio eſt.* in honore. Plaut. in Aſinaria, tu primus ſentis, nos tamen in pretio ſumus. *columnæ.* ὑπερβολικῶς. nec ſaxa concedũt aliquid poëtis de mediocritate. Columnas autem dicit, vbi poëtæ ponebant πιττάκια, indicantes quo die recitaturi eſſent. *vt gratas inter menſ.* vtitur tribus aptiſſimis cõparationibus: ſicut ſymphonia diſcors potiùs diſplicet quàm recreat conuiuanteis; nam melius eſt tacere quàm imperitè canere. rurſus ſicut vnguentum malum plus offendit quemlibet, quàm delectat, licet enim ſine vnguento lauari: poſtremò, vt mel cum papauere mixtum in placenta ſæpe offendit conuiuas: ita natum & inuentũ poëma ad delectandos animos, ſi à perfectione diſceſſerit, pro nihilo habebitur. *ſymphonia.* dicitur conſonantia; ſicut contrà, διαφωνία, diſſonantia. *craſſum.* mali odoris: nam vt lene dicimus quod ſuaue eſt, à leniendo: ita craſſum ingratum nominamus. *Sardo.* amaro. Sardinia regio eſt, vbi mel amariſſimum apes conficiunt, propter taxum ibi abundantem. *duci.* agitari, protrahi. *ſine iſtis.* ſine diſcordi ſymphonia, craſſo vnguento, papauere. *iuuandis.* delectandis. *paullùm ſummo.* ſi modicum à perfectione receſſeris. *vergit ad imum.* perit, ridetur. *ludere qui neſcit.* qui needum exercuit ſe ludis in campo ad palum, non eſt idoneus prœliis in campo Martio tractandis. *pilæ.* agitandæ. *diſciue.* diſcum iacere, ſimiliter genus eſt ludi. *trochiue.* trochus dicitur turben qui flagello percutitur, & in vertiginem rotatur, vnde à volubilitate nomen habet: aut eſt rota, quam currendo pueri virga regunt, & τρόχος Græcè dicitur, qui eſt vel τετράκνημος, id eſt, quaternarius, id eſt, conſtans quaternis radiis, vel ἑξάκνημος, vel ὀκτάκνημος: turbo autem turbinis, eſt impetus vẽti; Turbo, onis, proprium militis. *quieſcit.* ceſſat. ſenſus autem eſt, quilibet imperitus magis verecundus eſt quàm poëta, qui etiam audet ſcribere licet ſit indoctus. *ne ſpiſſæ riſum.* ne rideat cœtus ſpectantium, quo in ſimilitudinem coronæ circũdatur. *impunè.* merito, ſine prohibitione. *quid neſcit fing.* ad quid aliud quàm vt derideatur. *quid ni?* ἀνθυποφορά, cum ſtomacho pronuncianda. *cenſus equeſtrem ſ. num.* ἀπογραφικῶς. Lege Roſcia certa ſumma patrimonij equitibus Romanis fuerat attributa, ſcilicet quadringẽta ſeſtertia: non enim licebat antè equitem Romanum fieri, niſi haberet eam ſummam, *vitioq́; remotus.* ab omni culpa, non infamis. *tu.* ô Piſo, nihil conaberis componere, niſi ſtudium & ingenij ſollertia vireis tibi ſubminiſtrauerint. *inuita Miner.* ingenio repugnante: quod ſummæ eſt ſtultitiæ. Minerua dea inter ceteras arteis etiam poëſi præeſt. *id.* tale. *iudicium.* vt nihil inconſultò incipias. *ea mens.* mens pro conſilio ponitur. vt alibi, Vt tamen id fieri poſſit, noſtram accipe mentem. *olim.* aliquãdo; ſcripſit enim Piſo tragœdias. *Meti.* pro Metij. Spurius Metius Tarpa iis tẽporibus criticus ſummus fuit, doctus & ſeuerus auditor carminũ æſtimatorque. dicit ergo carmina in publicum proferenda, prius iudicio criticorum debere examinari, longaque lima poliri, membranis in ſecreto cubiculi ſeruatis, vt deleatur quod delẽdum eſt; quoniam poſtquam ſemel diuulgatum fuerit, & damnatum, numquam poſtea laudabile habebitur. *prematur.* abſcondatur, coërceatur, emendetur, poliatur: vt Cinna ſuam Smyrnam apud Catullum,

lum, quam nouem annos ſuppreſſit. *intus.* in ſecreto. *licebit.* ſup. per tantū ſpatium. *edideris.* euulgaueris. aliud eſt edere, aliud componere: nam componere eſt rem primò deſcribere; edere autem eſt, aut vulgare, aut corrigere. hinc Seruius dicit Virgilium libros Aeneid. ineditos, id eſt, incorrectos reliquiſſe atque incendi iuſſiſſe. *neſcit vox.* ſic alibi, Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum. *ſilueſtreis homines.* quo libentius maior Piſonum verſus ſcribat, dicit ad quam dignitatem poëtæ perueniant. *ſilueſtreis.* ferino more viuenteis in ſiluis. *ſacer.* Theologus, diuinorum carminum ſcriptor, ſacerdos. vt poëta, Nec non Threïcius longa cum veſte ſacerdos. *cædibus.* à mutuis rixis, ne ſe mutuò trucidarent. *fœdo victu.* inſtar ferarum. *deterruit.* prohibuit. *dictus ob hoc.* allegoricôs exponit fabulam Orphei, quare dicatur tactu citharæ dulciſſimo prouocaſſe ſiluas vt ſequerentur: leones quoq. & tigres conuertiſſe in manſuetudinem: quia videlicet ſapientiſſimus fuit, & ſua prudentia ſilueſtreis hominum mores, vitam ferinam, turpemque eorum victum conuertit ad ciuilem conuerſationem, & victum ex frugibus compoſitum, vbi prius humanis carnibus veſcerētur. *dictus.* ſup. eſt *tigreis.* aſperos. *Amphion Theb.* Cadmus condidit Thebas, quas Amphion muro cinxit. Amphion & Zethus duo fratres fuere, ſed Zethus ruſticus quidem, Amphion autem ſapientiſſimus fuit, qui dictus eſt cantu lyræ ſaxa mouiſſe, & duxiſſe quò vellet: quia ruſticos & feros homines rectè viuere docuit. *ſaxa mouere.* rigidas hominum mēteis. *prece blanda.* oratione & alloquio ſuaui, id eſt, blando carmine. *fuit hæc ſapient.* id eſt, aliquando fuit hæc ſapientia, hoc olim fuit ſapere: & philoſophi ſtatuerunt hanc vitæ rationem, vt publica eſſent à priuatis ſeparata, vt priuati quidem viuerent, ſed rerum publicarum curam haberent, &c. *priuatis.* propriis. *vago.* meretricio, adulterino. *iura maritis.* præcepta; vt retinerent fœdus coniugij. *moliri.* extruere. *leges incidere ligno.* ante vſum pergameni, ea quæ ſeruanda erant, ligno incidebantur, quia æneę tabulæ nondum erāt in vſu. *ſic honos.* propter præcepta, propter ſapientiam, cùm hæc monerent poëtæ. *diuinis vatibus.* ſacerdotibus adæquauit poëtas. ſic etiam Maro, Quique ſacerdotes caſti dum vita manebat, quique pij vates & Phœbo digna locuti. *poſt hos.* Orpheum & Amphionem. *mares.* forteis, virileis. *Tirtæuſq; mar.* Homerus & Tirtæus carminibus ſuis virileis animos ad prœlia exacuere: Homerus videlicet nobile bellum Græcorū & Troianorum narrando: Tirtæus verò tam carmina componendo quàm conſilium dando. nam cùm Lacedæmones ab Eſſeniis impugnarentur, & ducem non haberent, petierunt ab Athenienſibus ſibi dari, qui ſemper eis inuidentes, ad contumeliam ipſorum dederunt eis Tirtæum poëtam luſcum & claudum, ſapientem tamen: illi æquanimiter eum ſuſcipientes, perrexerunt contra Eſſenios, ducatum præbente Tirtæo, qui, vſu tubarum reperto, fecit vt in ipſo congreſſu Lacedæmones tubis concreparent, quarum ſonitu inaudito perterriti Eſſenij, omnes in fugam verſi ſunt. Aliter: Lacedæmoniis diu aduerſus Eſſenios certantibus, oracula reſponderunt, non aliter eos victoriam adepturos, niſi Athenienſem ducem haberent. Miſſi legati qui hoc ab Athenienſibus poſtularent; Athenienſes in contumeliam ipſis Tirtæum miſerunt claudum & deformem, dicentes iuxta ignauiam ipſorum hunc ducem eis poſſe ſatis eſſe; ſed oracula quæ promiſerant, eos non ſunt fruſtrata: nam Tirtæus licet corpore eſſet debilis, ſcripſit tamen Heroicum carmen, quo accenſi Lacedæmonij in aciem proceſſerunt & victoriam conſecuti ſunt. *dicta per car.* aliæ commoditates carminum; nam Apollo carmine reſponſa dedit. *vita monſtrata v.* correctio morum. id eſt, etiam philoſophia ſcripta eſt verſibus. *via.* ratio. *& gratia regum.* quam poëtæ ſunt adepti. *Pieriis ten. mo.* verſibus. *ludúſque rep.* ſupp. carminibus. *longorum oper. f.* κατὰ τὸ αὐτὸ, ludus & finis longorum operum: nam ad laborem ſolandum, & iucundè ad finem perducendum, lyra & carminibus vtendum eſt. *operum.* laborum. *longorum.* moleſtorum. *ne fortè.* hoc eſt, ideo hæc omnia enumeraui, ne erubeſcas referri in numerum poëtarum, ne tibi ô Piſo poëma ſordidum videatur, ne tibi ſit verecundiæ ſcribere carmina. *lyræ ſollers.* perita, ingenioſa, efficax. Sollers autem propriè dicitur qui habet peritiam rerum inueniendarum. *cantor Apollo.* inuentor citharæ. qui cùm nouem Muſis præſit, ipſe decimus cithara cum decachordo pingitur. *natura fier.* diu quæſitum eſt, vtrum naſcatur poëta, an fieret? *ego nec ſtud.* ego vtrumq. dico debere habere poëtam, artem & ingenium; nec ſtudium ſine arte, nec ars ſine ſtudio prodeſt. *ſtudium.* peritiam. *diuite vena.* naturali ingenio. *rude.* non exercitatum per ſtudium, & imperitum. *alterius ſic.* ita Salluſt. alterum alterius auxilio eget. *coniurat.* conuenit, conſentit, congruit. *amicè.* amicabiliter, ſupp. vt ſimul ſint ingenium cum ſtudio, & ſtudium cum ingenio. *Qui ſtudet opt.* proponit exemplum poëtis, vt ſi velint aptum carmen ſcribere, debent exemplo athletarum à puero exerceri in ſcholis. *qui ſtudet opt.* ἀγωνοθέται. *metam.* gloriam acquirere. *multa tulit.* pertulit, paſſus eſt, abſtinentia, exercitio. *ſudauit.* æſtum tulit. *alſit.* frixit gymnici more. *Venerè.*

nere & vi. libi ſine & luxuria. Athletæ qui ad curule certamen inſtruebantur, non edebant carnes elixas, ſed aſſas igni tantùm. Ante Pythagoram ficis vtebantur athletæ, ſed ille panes ἀζύμους & aſſas carnes eos comedere docuit, quæ κατάξηρα vocabantur. Abſtinebant à Venere; & ne fortè per ſomnium noctu ludificarentur, laminas plumbeas renibus appendebant. Itaque ſenſus eſt: qui ſtudet ad gloriam peruenire, multa perferre debet & facere, ſudare, algere, vigilare, vino & turpi libidine luxuriaque abſtinere, &c. Optatam ergo metam dixit gloriam, quia finis iſtiuſmodi vitæ parit gloriam ſempiternam. *Pythia cantat.* carmina in laudem Apollinis. Python autem ſerpens fuit ab Apolline interfectus, vnde dictus eſt Apollo Pythius. *tibicen.* citharœdus. *didicit.* artem. *extimuitq.* di cendo. *ſatis eſt dixiſſe.* ſatis eſt noſtris poëtis vt dicant. *ego mira poë.p.* verba indocti poëtæ. *pango.* compono, facio. pango, gis, pegi facit præteritum. *occupet extre. ſca.* me extremum poëtam eſſe mihi turpe eſt. eſt autem imprecatio tracta à ludo puerili. qui enim præeſt currentibus ad metam pueris, dicere ſolet, qui primus ad metam venerit, is vicerit eumque in vlnas meas accipiam: qui verò erit vltimus, occupet eum ſcabies, cum reſpuam vt ſcabioſum. *mihi turpe rel.* loquitur ex perſona mali poëtæ, qui cùm non didicerit artem, vult in numero poëtarum poni, atque ei turpe eſt dicere quod ignoret id quod non didicit. *vt præco qui cog.* quemadmodum præco congregat ſua voce populum ad emendas merceis & res proſcriptas; ita & poëta diues hortatur donis multos ſibi aſſentari. *aſſentator.* ſupp. ſic. Aſſentatores fautores ſunt blandi & falſi auditores. *ad lucrum.* ad dona. *in fœnore.* in lucro: Fœnus autem aucta pecunia. *ſi verò eſt.* ſupp. aliquis qui bene paſcat & cœnam lautam præbeat, &c. numquam poterit is amicum falſum à vero dignoſcere. vnctum autem, id eſt, lautum conuiuium & terſum. vt alibi: accedes ſiccus ad vnctum. Perſ. calidum ſcis ponere ſumen. Vncti quoque d cebantur antiquitus crapuloſi & luxurioſi. *ſpondere.* ſponſionem facere, interuenire, fidem dare, vadem fieri. *leui.* vili. promittere pecuniam ſe daturum quam debet vilis pauper & humilis. *eripere.* ſuis diuitiis aut potentia. *atris.* noxiis, triſtibus, ſeueris, malis. ſic & apud Græcos, τὸ μέλαν, pro malo, quod propriè eſt nigrum. *litibus.* forenſibus cauſis. *implicitum.* irretitum. *internoſcere.* diiudicare: tmeſis. *beatus.* diues ipſe. *tu.* ô Piſo. ſi quid donaſti alicui, aut donaturus es. Hortatur Piſonem, vt quando carmina facit, ne deferat ea ad adulatores, ſed potius ad eos qui ea emendent ſi quid reprehenſionis inuenerint: quia melius eſt vt à ſeuero & bono poëta reprehendaris, quàm ab adulatore lauderis & decipiaris. *ad verſus tibi f.* id eſt, ad carmina à te facta. *plenum lætitia.* ſcilicet accepto dono, gaudentẽ donis tuis, id eſt, hominem fautorem & adulatorem, ne tuo munere lætus fictas tibi laudes perſoluat. *palleſcet.* pallidus fiet cum admiratione. *ſuper his.* præterea. *ſtillabit rorem.* lacrymabit, lacrymas fundet. *amicis.* aſſentatoribus, amicabilibus. *ſaliet.* præ licto gaudio. *vt qui conducti.* θρηνῳδοὶ: θρῆνοι enim dicuntur lamentationes θρηνῳδοὶ, qui θρήνους, id eſt, lamentationes mortuorum conducti celebrant. Ponit itaque exemplum hoc modo; Sicut qui cõducuntur pretio, vt in exequiis alicuius plorent, plus ex oculis lacrymarum plerumque effundunt, quàm qui reuerà dolent; ita & falſi adulatores plus laudant carmina ſibi oſtenſa, quàm veri veritatis aſſertores. Quin & apud antiquos erant mulieres quæ dicebantur præficæ, quæ mortuos quoq. pretio conductæ plorabãt. *mouetur.* ad laudem, id eſt, plus laudat. *reges dicuntur.* ab exemplo regum docet multa cura & multo ſtudio explorãdos animos hominum priuſquam in amicitiã recipiãtur. Regum autem conſuetudo eſt, vt quem volunt in intimam amicitiam adſumere, prius probent, vtrum nã alicuius ſecreti proditor ſit: & quia vbi ebrietas regnat, ibi nullũ eſt ſecretũ, inebriantes illum, requirunt ab eo ſecreta cõſcientiæ ſuæ: & ſi non deprehẽderint ſui eſſe proditorẽ, dignũ putant regia gratia: ita poëta debet eũ experiri, cui ſua carmina credat. *vrgere.* moleſtare. *culullis.* calicibus, poculis. Cululli erant vaſcula vinaria, propriè ſacrificiis apta. vt alibi, aureis mercator exſiccet vina culullis. *torquere.* examinare, explorare. *perſpexiſſe.* perſpicere, diligẽter cognoſcere. *amicitia.* ſua *condes.* cõpones. vt, ſeu cõdis amabile carmẽ. *ſub volpe.* ſub doloſa fraude, ſub aſtutia impoſturis, & dolis adulantiũ. volpes enim eſt doloſum animal: vide ergo ne te fallãt animi aſtuti, vafri & ſubdoli, innocentẽ vultũ præferẽtes, vt vulpes in Aeſopi fabula oſtendebat ſe coruo ſimplicem. *Quintilio ſi q.* hic erat Quintilius Varus, poëta Cremonẽſis, patronus & amicus Virg. *& hoc.* ſup. ſi *negares.* te poſſe ſcribere *iubebat.* Quintil. *malè tornatos.* malè factos. *incudi reddere.* hoc à fabris ferrariis tractũ eſt, qui ad incudẽ reuocãt ferramẽta malè formata ſeu cuſa. *vertere.* corrigere, mutare. *vltra verbũ.* faciebat, dicebat. *operã ſum.in.* ſtudiũ monẽdi, quo nihil proficeret. *riuali.* ſine riuali amãtur carmina, quãdo ab eo ſolo amãtur qui ea fecit. Riualẽ pro æmulo poſuit; tractũ ab antiquis, quib. riuales dicebãtur, qui in agris riuũ cõmunem habebant. *inerteis.* ſine arte & grauitate factos. *duros.* malè ſonanteis. *incomtis.* inornatis. *allinet atrum.* virgulam nigrã per mediũ

verſum ducet. *tranſuerſo*. calamo in tranſuerſum ducto. *ambitioſa*. ſuperfluos & elatos ornatus amputabit. *parum claris*. obſcuris claritatem dare. *arguet ambig*. vituperabit amphibolias. *notabit*. ſigno calami. *fiet Ariſtarchus*. ſimilis Ariſtarcho grammatico critico, qui in Homero notauit eos verſus quos eius non eſſe iudicauit. *non dicet*. ſupp. tibi, ſicut adulatores. *in nugis*. in carmine, in re leui & nugatoria *in ſeria mala*. in publicam & apertam reprehenſionem & magnam, ſi non fuerit emendatus. *deriſum*. deriſio laudatorum vitiorum etiam in aliis maioribus eum errare faciet. *ſiniſtrè*. peruersè, irriſoriè, malè laudatum. *mala ſcabies*. lepra incurabilis. *morbus regius*. quem alij arquatum alij ἴκτερον, alij auruginem à fellis ſuffuſione nominant, quibus oculi virides ſunt. *vrget*. vexat, opprimit. *fanaticus error*. amentia. hoc eſt, ſicut lunaticum aut morboſum, ita inſanum poëtam fugiunt ſapientes. Fanatici dicuntur qui lymphatico ſpiritu agitantur, & phreneſin patiuntur, dementes, quibus dij irati eam amentiam immiſerunt, quòd fanum ſuum violauerint: qui & Dæmoniaci vocantur. *iracunda Diana*. læſa, offenſa, quę ſuos miniſtros plerumque in dementiam vertebat. *veſanum*. nolentem emendare ſua carmina. *tetigiſſe*. pro tangere. *timent*. ſup. ita. *agitant pueri*. perſequuntur, deluditur à pueris prætereuntibus. *incautiq́;*. indocti. *hic*. malus poëta. *ſublimis*. ſuperbus. *ructatur*. pro ructat. vt Cic. eructant ſermonibus cædem. *merulis*. auiculis. comparatio; ſicut, inquit, auceps intentus auiculis capiendis ſurſum aſpicit, & foueam ſibi proximam non attendens, incidit in eam; ita malus poëta dum ſuperbit & nimis laudari appetit, incidit in foueam reprehenſionis publicæ. *longum*. diu, valde. *io ciues*. vox eſt inclamantium. *ſi curet*. velit. licet, inquit, vellet aliquis eum eripere è fouea, tamen quia neſciet, an volens mori eò ſe deiecerit, omittet eum liberare. *dimittere ſun*. vt eum è fouea extrahat. id eſt, ſi quis vellet eius verſus emendare. *qui ſcis an*. quaſi alius hunc verſum dicat, qui poëtæ prohibeat ſubueniri. *prudens*. ſciens. *huc*. in foueam, id eſt, in errorem verſuum. *ſeruari nolit*. extrahi, hoc eſt, à ſuo errore liberari. *Siculiq́; poëta*. ad coërcendam ſuperbiam ſtultorum poëtarum, de Empedocle Sicilienſi poëta dat exemplum, qui carmine conſcripſit phyſica; & credens ſe immortalem fore dignitate carminis, volenſque ſuam immortalitatem probare, deiecit ſe in flammam Aetnæ montis ardentis: ſed eius crepidæ quas flamma eructauit, erant enim æreæ, prodiderunt eum. Erat autem Empedocles Agrigentinus, Pythagoricus, qui dicebat tarda ingenia frigido circa præcordia ſanguine impediri. *frigidus* ſtultus. *liceatq́;*. poëtis inſanis, qui ſe nolunt corrigi. *inuitumq́;*. loquitur allegoricôs, dicens, ſi quis mori ſecum deliberauerit, & velit ſeipſum interficere, & alius eum retrahat à nece ſui, is qui morte illum ſubduxit perire volentem, non liberauit à morte, ſed quaſi occidit, & βιοθάνατον fecit: quia quod ſemel deſtinauit, ſtatim perficiet vbi poterit, & ideo ſemel mortuus eſt, dum occidere ſe voluit, & non licuit: & iterum moritur dum ſe iugulat: ergo qui talem liberat à morte, homicidij reus eſt. Ad hunc igitur modum, qui vitioſi poëtæ carmina corrigere cupit, quaſi ſemel eum perdet, nimirum ille non audiet eum, donec ad omnium notitiam perducatur, & ſic publicè deriſus, cum opere ſuo iterum peribit. *idem facit occi*. ſimile, in eodem eſt delicto cum homicida, ſimilis eſt homicidæ. *nec ſemel*. non ſemel voluit perire. *retractus erit*. de puteo, id eſt, ab errore ſuo. *fiet homo*. non poterit eſſe ſapiens, deſinet velle glorioſè mori. *verſus*. malos. Neſcio, inquit, quare malus poëta tanto amore agatur ad ſcribenda carmina, an quia ſcelus aliquod perpetrauerit propter quod puniri debeat, & ideo inſaniat ſcribendo? *minxerit in pat*. ac per hoc amens factus eſt. ſenſus eſt, an violauerit ſepulchrum patris? Erat enim antiquitus intolerabile nefas, ſi quis aliquid inhoneſtatis in ſepulchra patrum peregiſſet. *bidental*. bidētal eſt locus fulminis, qui propter ipſum fulmen conſtituitur, à bidentibus dictus: nam reliquias fulminis pontifices cum ſacrificio ſepeliebant: quod triſte dicitur, quia triſteis homines faciat. *mouerit*. concitauerit contra ſe. *inceſtus*. pollutus, quod flagitium commiſerit, aut in ſororem, aut ſacerdotem, aut affinem. *clathros*. clathri ſunt robuſti poſtes & rotundi, repagula, quibus obfirmatur cauea. Sicut vrſus, inquit, commotus ab aliquo, ſi valeat è cauea egredi, nec cognitum nec incognitum obſeruat, ſed æqualiter in omneis ſæuit, & quē inuenerit eum arripit; ita facit quoq. malus poëta. *acerbus*, odioſus, malus. *arripuit*. nactus eſt. *tenet*. ad audiendum. *occiditq́;*. cruciat, enecat. *non miſſura*. non dimiſſura cutem quando comprehendit corpus, id eſt, ſic inhæret, vt hirudo. *hirudo* ſanguiſuga. Inter arundinem, hirundinem & hirudinem multum intereſt: arundo eſt canna; hirundo, auicula; hirudo eſt ſanguiſuga. Per hirudinem malus intelligēdus eſt poëta: ſicut enim ſanguiſuga cuti appoſita non ante illam dimittit, quàm vbi ſanguine plena deciderit; ita & malus poëta, ſi quem arripuerit ad audienda carmina ſua, difficilè eum dimittit, nec priuſquam multo tædio faſtidioque eum affecerit.

IACOBVS CRVQVIVS Cornelio Cruquio filio εὖ πράττειν.

PVTAVI nihil hic opus eſſe vel argumento vel ecphraſi: quando iam olim Terentio Scauro teſte apud Chariſium hæc epigraphe ſit huic epiſtolæ attributa, nimirum, Libellus de arte poëtica. Quæ cùm ſit ipſiſſimum libelli argumentum, non fuit neceſſe id dilatando doctis ingeniis faſtidium parere. Deinde, quando tam multi nec de peiore nota viri docti, in hac arte tam à maculis vindicanda, quàm clariùs elucidanda non ſegniter elaborarint, ſtatui apud me, ne actum, quod dicitur, agerem in primis notare variam lectionem ſcriptorum codicum, tum adiicere Commentariis antiquis quędam ſcholia velut appendicem meorum laborum; iis inquam, quæ ex ſcriptis præcipuè Blandiniis collegi atque coadunaui. quæ profectò me ſic exercuerunt ſuis barbariei telis occultis, & numquam non ex alto puluere, quaſi in nebulam iam condenſato, hoſtiliter emicantibus, vt non raró reiectis armis deſperarim de victoria. atque adeò ad id pugnæ genus certum erat amplius non regredi, niſi impuliſſet nos operis incepti ſumma, quæ mutila nimis erubuit apparere lectoribus. Quod ne fieret, ab initio operum Horatianorum, quicquid in antiquis ſcriptis & Blandiniis & alii offendimus lectu ſcituque vtcumq. dignum, ad finem vſque deſcripſimus. qua in re nobis nihil adſcribimus præter immenſos, diurnos nocturnoſque labores, & integram fidem. Verùm deierare non dubitem, ſi eiuſcemodi ſcripta vetuſta nactus fuiſſet plagiarius aliquis, quin iam pridẽ multa eſſent euulgata eius nomine. Quod genus hominũ quãto mihi ſit odio, nõ ſemel teſtatus ſum, nec iniuria, vel omnium bonorum iudicio: Nam ſi furari aliena, ſi rapere quod eſt momentaneum, ſit impunè nemini, labores alienos, & ex iis immortale nomen ſibi vendicare, fuerit ne impunè alicui? Sed ad te redeo mi fili, ne dum fortaſſe plus æquo perſequor, quod hoc tempore laudi, nedum vituperio datur, mihi malum quæram; quando eius farinæ hominibus non pauci velint eſſe patrocinio quod dici ſolet, nihil iam dici poſſe quod non ſit dictum prius. Tu verò Cruqui boni conſulito quicquid à nobis in vſum meliorũ litterarum deſudatum legeris, & quemadmodum gnauiter operam patri dediſti in deſcribendis his Comment. tam antiquis quàm noſtris, ita patris quoque nomen atque adeò tuum, quãtum potes, ab iniuria defendito.

HVMANO *capiti ceruicem pictor equinam.* Appoſitiſſima pictoris hæc eſt & ſcriptoris inter ſe commiſſio; vtriq. enim ex æquo conuenit in id incumbere vt in operis ſui perfectione decorum debitumq́ue commenſum ſeruent, hic quidem in rerum ſuę poëſeos ſententiarumq́ue & verborum idonea conſecutione, ille verò in imaginis depictę numero, quantitate & collocatione partium inter ſe, & earundem ad vniuerſam figuræ ſpeciem. hinc illud eſt Simonidis, Poëticen eſſe picturam loquentem; & contrà, picturam tacentem poëſin. *teneatis.* tenere poſſitis, modi potentialis. *agri.* ſebrientis καθ' ἐξοχὴν. vnus cod. Bland. habet ægris, ſed arbitror s litteram ei adrepſiſſe à τῷ ſomnia proximè ſequenti; non enim videtur ei aptanda. reliqui lib. ſcripti ſequuntur lectionem vulgatam. *lucus.* λοῦκος Plutarcho in Romulo, id eſt, ſacrum nemus, nempe Aricinum: hinc nemorenſis Diana, quæ & Aricina, & rex nemorenſis eius ſacerdos. vide τὸ Manius apud Feſtum, & caſtigationes Scaligeri, & adnotata in Saty. 5. lib. 1. Virg. lucoq. ſub alta cõſulit Albunea. Interpres Homeri, πᾶς τόπος, inquit, σύνδενδρος ἄλσος καλεῖται ὕδωρ ἔχων καὶ θεοῖς ἀφιερωμένος, id eſt omnis locus cõſitus arboribus, aquam habens, diisq́. ſacer, alſos vocatur, id eſt, lucus, vt vult Plutarchus; qualis hic ab Horatio denotatur. *& ara Dianæ.* ἀρτεμίσιον, ἢ ἀφίδρυμα τῆς ταυροπόλου, id eſt, templum vel ſtatua Dianæ eius quæ ex Taurica aduecta fuit Ariciam. hoc autem templum ſeu ſtatuam ſilua circumdat, cui lacus inſtar pelagi fluctuans adiacet, circumcirca montanum imminet ſupercilium cõtinenter, vnumq́ue præaltum: caua inde regio templum aquamq́ue excipit: fonteis ſpectare licet è quibus lacus expletus, &c. hæc Strabo lib. 5. in voce Aricia, quem legito. *properantis aq. per am. ambitus.* alludit ad ſcaturigines fontium hinc inde decurrentium per agros ex quibus lacus expletur. Notat aliquem nimis his in locis deliniendis curioſum. *aut flumen Rhenum.* fortaſſe notat C. Gallum in deſcriptione Rheni, cuius meminimus Satyr. 10. lib. 1. *cupreſſum ſcis ſimulare.* eſt quidem cupreſſus arbor luctuoſa, ſed feralis, nec niſi funeribus affigi ad cuſpidq. ſolita, vt quæ Diti patri ſacra, defunctos diis manibus commendare credatur. eſt quoque naufragium triſte & omni miſeratione dignum. ſed quid naufrago ex vndis ſeruato viuoq́ue rei eſt cum cupreſſo, quæ non viuo, ſed funerato conuenit? Non videtur itaque ſimulare cupreſſum, hic eſſe epiſodium, vt quod ſit aptum luctui; verùm quòd naufragus adhuc ſit in viuis, qui ſemet ære dato depingi curat. arguit pictorem, licet peritiſſimum, aberrare iudicio, qui non videt cuiuis luctui quęuis luctuoſa cõgruere.

Præterea

Prçterea non videtur hoc habere adagionis ſpeciē, tametſi ex Acrone vulgato ſumtū retulerit Eraſmus inter adagia: non enim cupreſſus à naufrago lugubri ſic eſt aliena, vt pictorem damnet omnimodæ ſtupiditatis qui id peccauit tantùm quod naufragū non aduertit & adhuc ſupereſſe, & æs ſibi dare. *cur vrceus exit.* hos verſus inuertit D. Hieronymus ad Monicā. Pæne delapſus ſum, inquit, ad aliam materiam, & currente rota dum vrceum inſtituo, amphoram manus format. *decipimur ſpecie.* ſic Virgilius quoq. Quo ſæpè ſolemus paſtores ouium teneros depellere fœtus: nec eſt in eiuſmodi verbo ſiue ſubſiſtendi ſiue vocādi Solœciſmus; etiā ſi hoc opinetur Apollonius & cum eo Priſcianus. *nerui deſi. animiq́.* hoc eſt, nerui animoſi, valentes & viridi, τὸ θυμοειδὲς. *turget.* Perſ. Satyr. 1. hoc & ſpumoſum eſt dicendi genus, & pingui cortice. *prodigialiter.* hic ſynchyſis eſt; nam τὸ prodigialiter debetur poſteriori ſenſui, apponendum τῷ appingit, vt ordo ſit: qui vult variare rem vnam, is prodigialiter appingit delphinum ſiluis, &c. *potenter.* δυνατῶς κατὰ δύναμιν pro virili. *ordinis hæc v.* artificialis, putà, eſt enim alius naturalis, quæ rem narrat vt geſta eſt. *ſi callida v. r.* callida iunctura, id eſt, artificioſa. alludit enim ad τὸ τέχνη. quod & artem & aſtutiam notat; quo modo quoq. cautus hic accipiendum eſt. *rerum &c.* ſic habent omnes ſcripti cod. *cinctutis.* opinor antiquo more τὸ tu, per epentheſin eſſe interiectū, vt induperator; endo procinctu, pro in procinctu, apud Feſtū nimirū ad vrbis ferè primam originem deſignandā; quando Cethegi milites diſtincto ab aliis amictu, exertoque brachio incedebāt. *& noua fictaq́ nuper.* per epexegeſin; eadem enim ſunt noua & ficta, quæ Ciceroni in Oratore ad Brutum facta dicūtur πεποιημένα. quem legito ibidem de ornatu verborū. *Græco fonte cadent.* ſi deſinent & exibunt in caſum ſeu finem Latinum, ſi caſus Græcus fiet Latinus, vt χαρακτὴρ χαρακτῆρος. character characteris, &c. Omnes Bland. cum Buſl. & Sil. habent, cadent, ſed Tonſ. & Mart. cadunt. Diu. cadant. *parcè detorta.* paullulū flexa & mutata. *Cæcilio Plautoq́.* vide lib. 2. epiſt. 1. ad Auguſtū. *dabit.* ſic omnes lib. ſcripti. ſed Bland. habent dabit, pro dedit, adnotatum. *inuideor.* ſic Plin. nónne ſi inuideris, maior es eo qui inuidet? *producere.* ſic eſt in omnibus ſcript. non etiam procudere, vt aliqui ſe inueniſſe aiunt. *pronos mutant. in ann.* perpetuum epitheton; cælum enim ſempiterno motu voluitur. ſic Virgil. In ſe ſua per veſtigia voluitur annus. *nedum ſerm.* nedū hîc pro non ponitur: nam vbi τὸ nedum, non refertur ad verbum præcedēs, ei deeſt negatiua particula, & ſuumq. habet verbum, & ſemper in potentiali modo. vt, nedum ſtet honos, id eſt, & non ſtet. vide Linacrum De emendata ſtructura, lib. 6. *renaſcentur.* metaph. reuiuiſcent, redibunt in priſtinum ſtatum & honorem. *vſus.* vſus, conſuetudo optima eſt loquendi magiſtra; ſtamus enim nō ratione, ſed auctoritate. *& ius.* ſic omnes ſcrip. lib. non autem vis, vt vulgati aliqui *impariter.* in hac dictione Soſipater Cariſ. lib. 2. Inſt. Gramm. Terentius, inquit, Scaurus in Comment. in art. poët. lib. 10. aduerbiū Horatius figurauit. *Archilochum prop.* ex hoc carmine & illo Ouidij, Vtq. repertori nocuit pugnacis iambi, ſic ſit in exitiū lingua proterua tuum, &c. nonnulli opinātur Archilochum eſſe carminis iambici inuentorem, ſed falluntur, ſi Ariſtoteli & Attilio fides ſit habenda; nam & Homerum multò antè eo carmine vſum ſcribunt in Margite. *ſortita decenter.* Bland. antiquiſſ. cum alio habet decentem. *proicit ampullas.* ampullæ metaphoricôs, magnifica ſunt & turgida verba ſeu grādiloqua. Græci non diſſimili ratione dicunt φυσήματα, pro inani hominū futiliū garrulitate: nā φῦσαι propriè follis dicitur, hinc accipitur pro flatu, vnde φύσαν ἐκκρίνειν apud Alexād. Aphrod. lib. 1. probl. pro eo quod eſt flatum ventris emittere, pedere. hinc φύσημα, ἀλαζονία, arrogantia: Ciceroni verborum inanitas. *ſeſquipedalia verba.* φλεγμαίνοντα ὀνόματα. grandia verba Iuuenali. Syneſius in epiſt. ἴδει γάρ μοι καὶ φλεγμαινόντων ὀνομάτων, ἵνα μὴ τὰ μεγάλα κακὰ σμικρότερ' ἐπιστρέφω διηγήσωμαι. id eſt, opus enim mihi eſt etiam magnificis inflatiſq. verbis; ne tam magna mala minus quàm decet, enarrem *ſpectantis.* συναγωγὴ partis, pro ſpectatoris. *dulcia ſunto.* grata, accommodaque ad affectus mouendos. talis eſt in rhetoricis apud Ariſtot. ἠθικὸς λόγος, id eſt, moderata morataque oratio: & apud eundem in poëtica, ἠθικὸν ποίημα, τὸ δ' ἠθοῦν τῇ προαιρέσει. *& quocumq. volent.* eſt enim mouēdum ſpectatoribus τὸ ἦθος, id eſt, affectus mitior in actionibus præſertim Comicis, & τὸ πάθος, id eſt, motus animi perturbatior; qualis eſt actio tragica. *animum aud. agunto.* quā ſit hoc difficile, perpulchrè docet Horatius epiſt. 1. lib. 2. ad Auguſt. ille, inquiens, per extentum funem mihi poſſe videtur ire poëta meum qui pectus inaniter angit, irritat, mulcet, falſis terroribus implet vt magus, & modò me Thebis, modò ponit Athenis. *animū agunto.* animum agere, dixit Cicero voluntates hominum impellere quò velis, vnde autem velis abducere. *triſtia mæſtum.* opus eſt enim θεατρικὰς ἠθολόγας eſſe καὶ ἠθοποιούς. *equites pedites q́.* vniuerſus populus. Nobilitas enim Romana in equo, plebs pedibus ſtipendia faciebat. *diuóſne loquatur, an heros.* hic verſiculus variè legitur, vt videre eſt apud Glareanum, & Lambinū, & alios: mihi certè probantur codices Bland. ex quibus duo habent,

diuóſne

Dauóſne (o pro u, vt ſæpius in ſcriptis antiquis) loquatur an heros; tertius, diuúſne loquatur an heros. Sed non celabo lectorem, me ante annos non paucos, in bibliotheca Tõſana offendiſſe codicem ſcriptum, cui titulus erat Alphabetatũ ex ſcriptis Horatij, Catonis & Theodoli, præter alias nugas; qui ſatis videbatur antiquus, vbi legi hunc de quo agimus verſum ſic ſcriptum apertè: Intererit multum Dauúſne loquatur an hęres. Diſpiciat lector, hęres ne pro herili filio poſitus credi poſſit, cui ſeruus erat Dauus. *virentis agelli.* vnus Bland. habet vigentis. *aut famam ſequere.* hoc eſt, ſi ex alijs ſcriptoribus quid ſumſeris deſcribendum, eos ſequere: eorum ſcripta ſint tibi pro fama, à quibus vel latum vnguem ne diſcedito. *inexorabilis.* Ode 6. lib. 1. Pelidę ſtomachum cedere neſcij. *ſibi conſtet.* ſibi conſtare eſt conſentanea dicere: conſtare mẽte eſt animo eſſe præſenti. *in actus.* actus hic propriè tragœdia dici poteſt: quoniam Ilias Homeri ferè nihil quàm graueis perſonas cõtinet. Actus autem in fabulis, pars eſt pleno ſenſu perfectoque, qua finita proſcenium vacuum relinquitur, modique interponuntur. Actus aliquando pro ipſa actione ponitur. Acta in hiſtoriis quidem res geſtæ dicuntur: in iure autem ciuili monumenta rerum publicarum. *publica materies.* hoc eſt, argumentum tractatum ab alijs, tibi mancipabitur, & quaſi priuatum fiet vſu: tuumq́. putabitur, ſi argumenti tantùm ſpeciem referas, non etiam ſingula minutatim proſequaris: hoc enim eſſet poëtam ipſum reddere, & interpretem agere, non autem imitatorem; qui de ſuo quoq. aliquid addere, nec omnia ab alio ſumere debet, niſi vileſcere velit & in orbe patulo ſemper oberrare, id eſt, longè lateq́. patẽte: quale eſt poëma κυκλικὸν, quem vilem orbem hic nominat: vt ſi quis ab ouo gemino Troianum bellum ordiatur: vt is qui bellum Argonauticum eſt exorſus ab abiegna trabe Pelij nemoris. κύκλον itaque hic orbem vertit. *nec verbum verbo.* hic verſiculus multos in errorem & quandam κακοζηλίαν induxit: perinde ac ſi liceret interpreti impunè vagari. Non enim hic docet Horatius interpretem, ſed poëtam format, quem non interpretem eſſe in imitatione decet, ſed egregium poëtam. Quare hic verſus ſic accipi debet: quòd qui publicam materiam ſtudet ſuam facere, non debeat is verbũ verbo reddere, quaſi fidus interpres, ſed verborum vim appendere, nec à ſententia longius abire, & interpretis fidem, non etiam religionem præſtare: hæc enim tria fidi ſunt interpretis; religio, quæ eſt, vt verbo verbum, quoad fieri poteſt, reddatur: fides, vt ſententia ſententiæ reſpondeat: indoles quæ in maieſtate eſt, coloribus, nitoribus, affectibus, &c. Religioni diligentia conuenit: fidei ſapientia; ad indolem ſpectat eloquentia. *ſcriptor cyclicus.* vilis, plebeius, triuialis, orbicus dictus Iuuenali & Martiali, quòd in conuenticulis in orbem coactis auditoribus ſuos verſus obtrudant. hunc autem alij Antimachũ, alij Callimachũ eſſe dicũt. hinc fortaſſe dictum Cyclicum ſcriptorem, quòd dithyrambis ſcribendis antea maiorem dediſſet operã: Chori namq. Liberi patris Cyclici erãt: hinc κυκλιοδιδάσκαλος, διθυραμβοποιὸς poëta dictus eſt. *non fumum ex ful.* fumus fulgorẽ ſubſequi prouerbialiter dici poteſt, quãdo ex magnificis promiſſis abiecta prodeunt. lux autem ſequitur fumum, quando ex humilibus & abiectis præclara procedunt. *ſemper ad euentum feſtinat.* πρὸς τὸ προκείμενον, ad propoſitũ ſcopum. *deſperat tractare.* hoc enim eſt Deo & naturę repugnare, tractare ea velle quæ effici nequeunt. *ita mentitur.* prouerbio fertur; mendacem memorem eſſe oportere: facillimè namq. excidũt ea quæ fingimus. *ſi plauſoris.* Bland. vetuſt. habet plo ſoris. *reddere qui voces.* pueri voces reddere dicuntur cùm planè & articulatè ſingula eloquuntur: antea nihil quàm mammant, tatant, pappãt. *paribus collud.* Cic. pareis nominat æqualeis, quos interpretamur eiuſdem ferè ętatis homines, quibus cum vnà viximus. *iram colligit.* pueri pro leuibus noxis iras gerunt: quapropter quia eos qui gubernat animus infirmum gerunt; Terent. in Hecyra. *imberbus iuuenis.* ſic habet cod. Bland. antiq. quem ſecutus ſum ex auctoritate Soſipat. Cariſij lib. 1. inſtit. Gramm. Imberbi autem dicuntur, inquit, non imberbes: ſic enim & Varro De actionibus ſcenicis 5. Imberbi iuuenes. ſic & Cicero imberbum protulit, non imberbem. Ex Kalendis Ianuariis de lege agraria, imberba iuuentute. Titus hiſtoriarum 18. imberbes vulgariter. hæc Cariſ. *tandem cuſt.* hoc ad animos pueriles referendum eſt, qui tametſi maturè liberentur à ſuis præceptoribus, ſeculum tamen ſub illis fuiſſe ſibi videntur. *aprici campi.* licet hoc de cãpo Martio intelligere, vbi palæſtra, lucta, curſu & natatu adoleſcentes exercebãtur. ſic Ode 8. lib. 1. cur apricum oderit campum patiens pulueris atq. ſolis. *amata relinquere.* non enim minori inconſtantia parta contemnit deſeritq́ue, quàm temerè appetiuerit. *cupidusq́.* i. præcipiti affectu: hoc enim veteribus in malã ferè partẽ ſemper accipitur. vnde Cato in re ruſtica, ne cupidè emas. *inſeruit honori.* aptiſſimum verbum, ad cognoſcendum abiectos animos & planè ſeruileis eorũ qui tam multa inepta faciunt patiunturq́. in ambiendis honorib. *circumueniunt.* premũt grauant. *incommoda.* more Stoico pro malis abſolutis. *gelidéq́, miniſt.* animos enim cum corporibus, ait L. Furius (apud Titum Liu. in oratione qua Camillum apud exercitum

accuſat) vigere & deflorescere. *ſpe longus.* nõ facilè deſperat propter varias rerum vices. *caſtigatorq́; minor.* exẽplo eſt Menedemus in principio Heautontim. Terent. *parteis.* perelegans dictio pro officio. *morabimur.* morari in re aliqua eſt eam tenere, in ea hærere mentemq́. defigere. *facundia præſens.* ſcribit Horatius quomodo viſis audita ferè paria faciamus; nimirùm; ſi eloquentiæ genere efficaciſſimo vtamur per ὑποτύπωσιν, εἰκόνα, eiuſque modi ſchemata, quæ rem quaſi præſentẽ referunt. ſic Virgil. 2. Aeneid. in euerſione Troiæ. *præſens.* præſens facũdia eſt oratio diſerta & dilucida: præſens animus promtus & paratus ad dimicandum: præſens venenũ exitiale: præſens mors, ante oculos poſita. *nec deus interſit.* nimis enim vile eſt, ne turpe dicam, Deo negotium dare, neque naturæ eius conuenit, vt gubernare cœleſtia, ita & muſcas captare. vide Adagium, Deus ex improuiſo apparẽs. *niſi dignus vindice nod.* exemplum eſt in Philocteta Sophoclis: Nam Herculi ad finẽ numine opus erat, quo moueretur Philoctetis animus. Apud Homerũ in contentione Agamemnonis & Achillis *nodus.* in plantis arboribúſq. nodus durum calloſumq́. tuber eſt, vernaculè een warre. Hic autem metaphoricôs eſt res ardua, implicitumq́. negotiũ. Iuuenal. veniet de plebe togata qui iuris nodos & legum ænigmata ſoluat *nec quarta loqui.* hoc autẽ eſt in diuerbio, in quo tres tantùm perſonę verſantur; ſi contingat autem adeſſe quartam, ea aut ſecũ loquitur, aut tacet: hinc ſumtum eſt adagiũ κωφὸν πρόσωπον. id eſt, muta perſona. Mart. Comœdi tres ſunt, ſed amat tua Paulla Luperce quatuor, & κωφὸν Paulla πρόσωπον amat. *actoris parteis chorus.* hoc eſt, chorus ex quocumq. ſexu aut virorum aut mulierum cõſtet, cuiuſcumq. etiam ætatis, ſenum, iuuenum, anuum, virginum, agat parteis viri, ſuadendo, diſſuadendo, regendo, corrigendo, laudando, vituperando, deos fauſta omnia precando, &c. Nec temerè hoc dicit, chorum, putà, debere ſubire parteis actoris, ſeu, quod cum hoc conuenit, officiũ virile: ne, ſi ex mulieribus chorus conſtans ſuadere velit, &c. quis eum putet præter decorum facere: ſuadere namque & diſſuadere, mouere, &c. vt mulierem nõ decet, ita poëtæ hoc vitio verti poſſet, quaſi in ſcribenda fabula eius rei ignaro, quod ita non eſt. Ceterùm, in primis hoc, inquit, poëta curet, Quicquid chorus inter medios actus, aut canit, aut loquitur, hoc accommodet actioni proximè peractæ, pendeatq́. totus ex diuerbiorum perſonis: ne dicat quid alienum ab argumento; idque ferè ſemper dè virtute & eius partibus. Omnes quos vidi codices ſcriptos, habent, actoris parteis: à quibus nõ diſceſſi, certò perſuaſus de lectionis veritate. Laërtius enim ſcribit priſcis temporibus totam fabulam egiſſe chorum, donec Theſpis hiſtrionem vnum adderet in chori ſubleuamen: cui Aeſchylus adhibuit alterum, vt poſtea ſcribit Horatius; qui & ab Ariſtotele dictus eſt δευτεραγωνιστής. Sophocles autem adinuenit tertiũ, vnde eius tragœdia à quibuſdam vocitata eſt τριταγωνιστοῦ. *conſilietur amicè.* ſic legitur per ſ litteram in omnibus ſcriptis, quæ ſecutus ſum. *peccare timent.* codex Buſl. habet, pacare. quæ genuina mihi videtur lectio, vt ei reſpondeat, & regat iratos, pro eo quod eſt, ſtudeat dolenteis perturbatóſq. placare, ſolari. *apertis otia portis.* perbreuis nec minùs elegans ſignificatio ſecuritatis tranquillitatiſq. hominum & vrbium tempore pacis. *tegat commiſſa.* omnes hic cõmiſſa exponunt ſecreta. quod vt nolim vituperare, ita malim commiſſa ſignare ſcelera & flagitia principum virorum, quæ tegi vult à choro, id eſt, non prodi, ne auctori ſuo ſint exitio, vel aliis malo exemplo: atq. ideò ſubiicit, *deoſq́; precetur & oret.* ne ſcilicet ea principum delicta & intemperantes ſint exitio reipublicę miſeroq́. populo. *ſuperbis.* ſuperbia mali omnis eſt initium. *vincta.* variãt hic cod. ſcripti: duo Bland. habent cum Dic. & Tonſ. iuncta. Bland. antiq. cum aliis omnibus, legũt, vincta. quibus aſſentior: nã & Plutarch. in de ira cohiben. ὡς ὁ Θάμυρις χρυσοδέτῳ κέρας. hoc eſt, vt Thamyris compacto auro vinctum cornu. Theophraſt. lib. 4. de hiſtor. ſtirp. c. 12. πρότερον μὲν ἁπλᾶς ηὔλουν [illegible], ſimplici muſica vtebãtur. inde ἐπεὶ δ' εἰς τὰ [illegible]. id eſt, poſtquam varietas acceſſit, interprete Plin. lib. 16. c. 36. & cantus quoque luxuria. non ſimplex, vt antea, ſed orichalco vincta tibia in honore eſſe cœpit, internodiorumq́. facta ſunt coniugia. Legito Plin. lib. 16. cap. 17. De tibia. *pauco.* Blandin. duo habent paruo. *aſpirare & adeſſe.* aſpirando ſeu canendo iuuare choros. *agros extendere.* imperiũ propagare, terminos promouere & imperij limites, amplificare potentiam. *impunè.* erat enim cenſorum vitæ turpitudinem, luxum, mollitiemq́. notare, vt teſtãtur leges ſumtuariæ. *numeriq́;.* numerus autem qui ῥυθμὸς Græcè dicitur, eſt ſonorum menſura. *modiq́;.* modi ſunt τόνοι, quę productiones ſunt & exceptiones ſonorum legitimæ in muſica. vide Martianum Capellam in 2. ſub finem. Nihil certè tam mouet animos hominum, quàm oratio modulata. quare Plato ſcribit referre plurimum qualis muſica ſit in ciuitate; nam mutato cantu, mores quoq. ciuiũ mutari ſolere. *ruſticus vrbano conf.* ad quingenteſimum annum, Liuio teſte, promiſcuè ludos populus Rom. ſpectabat: poſtea plebs à ſenatu & equitibus ſubſelliis diſcreta fuit: P. autem Cornelius Africanus ſecundùm conſul, poſt ſecundum bellum Punicum anno ſeptimo, eius auctor fuit,

non

non ſine ingẽti inuidia. *ſic.* vnus cod. Bland. in hoc & ſequenti verſu, pro ſic, habet, hic. *motumq.* geſtũ corporis & ſaltationem. *veſtem.* videtur alludere ad ornatum Perſicum de ſyrmate & luxuria veſtiũ qua vtebantur Scenici, quæ tandem vel regibus erat intolerabilis, auctore Liuio. *ſic etiã fidib.* poſtquam populus luxuriari cœpit, non tibicen modò ſed & fidicen citharœdusq. cœperunt veteres ſimplicesq. modos etiam negligere, ſonósq. & chordas multiplicare. *& tulit eloquiũ.* eloquẽtia quoq. ſimplex & moderata facta eſt inſana phanaticaq. & oraculis Delphicis non multùm abſimilis, ita vt non amplius ἐναργὴς, vt anteà, ſed frequẽtibus parabolis & amphibolijs tota eſſet αἰνιγματώδης *carmine qui tragico.* Euſebius in Chronicis, quadrageſima ſecunda, inquit, Olympiade in agone certantium τράγος præmio datus eſt, vnde Tragœdi nuncupati: at poſt paullò ab inuentore Theſpi, poſteà dicit ἀπὸ τῆς τρυγὸς: id eſt, fece venire trygœdiam, quòd actores haberent ora peruncta fece, vt vel riſum mouerent ſpectatoribus, vel ne agnoſcerẽtur. Athenæus autem lib. 2. τὴν τρύγα muſtum interpretatur: ait enim ille poſt ebrietatem homines excogitaſſe comœdias & tragœdias, eosque muſto plenos, muſti fece habuiſſe fœdatam faciem. Cuiuſmodi actiones plurimum exhibebantur protinus peracta vindemia, quæ Græcè τρύγητος nominatur. Præterea qui ab hirco tragœdiã deflectunt, non hircum animal, ſed vtrem hirci muſto refertũ præmium fuiſſe contẽdunt; eoq. alluſiſſe Virgiliũ, Mollibus in pratis vnctos ſaliere per vtreis; nimirũ exhauſtos vino vtreis poſtea inflaſſe, atque per eos ſaltitaſſe Athenis in feſtis Bacchi quæ ἀσκώλια dicebantur; hinc ἀσκωλιάζειν. id eſt, per vtreis altero pede ſalto. Iſaacius autem τραγῳδίαν dictam vult quaſi τρυγῳδίαν, quòd τρυγωδίας, vt idem ait, conſtituta eſt: vel, eodem auctore, τραγῳδία nominata eſt, quòd τραχείας ᾠδὰς. id eſt, aſperos habeat cantus. Ea autem definitur à Theophraſto ἡρωικῆς τύχης περίστασις. id eſt, Heroicæ fortunæ calamitas ſeu afflictio: cui proprium eſt lugere. hinc noluit Euripides Archelao regi petenti tragœdiam ſcribere, quòd ei meliùs ominaretur, quàm vt miſer & infortunatus fieret. *illecebris & grata noui.* religio primũ adegit homines ad ſacras aras hoſtiasq. diis mactandas: deinde ad comiſſationes ab omnibus itum eſt & pocula: inter quæ ne Lapitharum more potu ſe perderent, à viris cordatioribus, primùm apud Græcos, pòſt, apud Latinos inuentæ ſunt fabulæ & actiones ludicræ, ad continendos omneis in officio, quantũ fieri poſſet, humano, ne ſine lege tamquam feræ agerentur in quęuis vitia. hinc itaque ſatis eſt dilucidum, non voluptatis, ſed religionis ergò ludos à maioribus fuiſſe inſtitutos.

quod ex Liuio, Valerio & D. Auguſtino non vno in loco in cõfeſſo eſt. *grata nouitate.* proprium epitheton: Natura namq. hominum eſt nouitatis auida, teſte Plinio. *morandus.* in attentione beneuolẽtiaq. retinendus. *intereris.* intereſſe hic non eſt differre, vt volunt aliqui, ſed verſari. Hic locus ſatis indicat molliuſculam ſaltationem apud Romanos probro & infamiæ dari ſolitam, quando pudicæ feminæ non niſi coactę feſtis diebus modicè ſaltarent: vnde Salluſt. de Fuluia, cantare & ſaltare magis quàm neceſſe eſt probæ. Sed & matronas ſpectatæ pudicitiæ in ludis Megalẽſibus pſaliere, memoriæ proditũ eſt. *Dauus ne loquat. & audax Py.* ſic legitur in cod. Bland. antiq. & altero, vbi manifeſtè τὸ &, eraſum eſt ſupraq. poſitum, an. *emuncto.* lepida metaphorà à quadrupedib. quibus lac ſubtractum eſt. *talentum.* talentum per ſe ferè à ſcriptoribus ponitur pro talẽto Attico minore, quod erat 60. minarum. id eſt, 175. lib. groſſor. *ex noto f.* notũ eſt aut fama celebratũ, quale eſt tragicum, aut ſenſui obiectũ, vt potare, obſonari, amare, qualia ſunt comica. *ſiluis deducti.* hic neceſſe eſt cognoſcere tria fuiſſe ſcenarũ genera; vnũ Tragicum, columnis ſuffultum, faſtigiis ſignisq. & regalibus rebus ornatũ, vt habet Vitruuius. Alterum Comicum, quod formam habebat ædificiorum priuatorum mœnianorumq. proſpectusq. feneſtris diſpoſitos. Tertium autẽ Satyricum, diſtinctum ornatumq. arboribus, ſpeluncis, montibus, reliquisq. ſilueſtribus in topiarij modum exſtructum. vnde ſatis manifeſtũ eſt; cur dicat hiſtriones Satyros è ſiluis deductos; è proſcenio ſcilicet nemoroſo ſilueſtriq. in ſcenam ciuilem, ne ita ſuas parteis agant, quaſi eſſent in vrbe triuiisq. nati, ſed contra ſe habeant tãquã in ſiluis natos educatosque. Ad eundẽ quoq. modum ſuperiùs dixit, migret in obſcuras humili ſermone tabernas. *Fauni.* Latinis Fauni ſunt quorum princeps eſt Pan, qui Græcis Satyri dicuntur, ἀπὸ τοῦ σαίρω. id eſt, ridendo labia diduco, narisque inſtar canum cõtraho. *innati triuiis* hyſterologia, pro nati in triuiis: ſic Tyriam qui adueneris vrbẽ. id eſt, ad Tyriam vrbem. *iuuenentur verſ.* iuuenari propriè olim erat iuuenum more inſoleſcere, νεανίζειν. Hic autem eſt vigere, verſibusq. nimis politis excultiſq. laſciuire, vt ſolent vrbani iuuenes, à quibus vult abhorrere Satyros, ſed ſapere ſimplicitatem ruſticanam, vrbanis deliciis miſſis, ne indoli ſuæ non reſpondeant. vide adagium, Iuuenari. *crepent.* id eſt, cum quadam oſtentatione ſemper in ore habeant. *ignominioſaq. d.* quæ nomen lędãt & exiſtimationem alicuius, ſicut iniurioſa, quæ fortunam & res noſtras, & contumelioſa, quæ dignitatem turbãt. vult autem Satyros coram patribus agere, nec vrbanius, nec ruſticius, obſceniuſq.

fricti ciceris. ſic in omnibus ſcriptis, non autem fracti, vt habent vulgata. vide adagium, Ciceris emtor. *tardior vt p.* vox incitata citius quidem ferit aureis, ſed minus afficit: at tardior ad mouendos animos aptior eſt ſua mora, tametſi percipiatur ſegniùs. *opera nimium cel.* huic concinit quod dici ſolet, Canis feſtinãs cæcos edit catulos. *indigna.* ἀτιμητὶν. indignè, abſurdè, ſecus ac poſtulat verſus dignitas, ἀναξίως: vel eſt hypallage pro indignis venia. *tutus & intra ſpem veniæ cautus*. miror Lãbinum contra omnium ſcriptorum atq. adeò vulgatorum codicum conſenſum legere, extra ſpem veniæ: cùm nihil velit Horatius aliud quàm non ita ſe ſcripturum inſipienter, vt erroris veniam poſcat, ſed tutiùs ſcribat, artíſq. præcepta ſeruet diligẽti ſtudio: nam intra ſpem veniæ eſſe, eſt ad ſpem veniæ non peruenire, nec quicquam velle ſcribere venia dignum: quod faciunt indocti ſtultiq. poëtę, qui potius quàm non ſcribant, venia dignos ſe haberi malunt. hoc autem eſt quod notat Horatius, artis quidem peritiam hoc præſtare ſolùm poſſe, vt venia non ſit opus, ſed eam per ſe non mereri laudem, quam natura maior, mentíſque diuinior quidam inſtinctus parit perficitque, teſte Platone. De hoc autem loquendi genere, intra ſpem veniæ cautus, lege Agellium lib. 12. cap. 13. *vitaui deniq. laudem*. Plautus in Trinum. non videor meruiſſe laudem, culpa caruiſſe arbitror. *at veſtri proaui*. ſic habent ſcripta quæ legi omnia, non etiam noſtri, vt eſt in vulgatis olim. *Plautinos & numeros*. non damnat Horatius proauos Piſonum, id eſt, Romanos veteres ſtultitiæ in legendo Plauto, eoq. laudando: ſed ęgrè fert eos ſaleis eius & numeros tantopere admiratos, in quibus Siculiſſare Feſtus eũ ſcribit, vt epiſt. 1. lib. 2 ad Auguſtum notatum eſt. Tria autem in Plauto ſub reprehenſionem cadere Donato videntur, nimirum, ſales nimis aliquãdo frigidi, ſcurriléſq. & minimè ſalſi; numeri difficiles, propter peregrinos pedé q. Siculos. Et popularitas, qua ſeſe oſtendit ab hiſtrione parum differre. Verba certè Plautina obſoleta nonnulla vetuſtaq. non ei, ſed barbaro, quo ſcripſit, ſeculo vitio dari debent. *inurbanum*. inciuile, ſcurrile. *ſeponere*. non eſt hic recondere & coaceruare, ſed poſtponere, poſthabere. *digitis callemus*. digitis quidẽ digerendo verſus in pedes; aure verò, audiẽdo an ſit verſus ἔῤῥυθμος, an ἄῤῥυθμος. Legito copioſam ſuper hac re nec minus ſedulam diſputationẽ in Lexico Roberti Conſtantini in dictione ῥυθμὸς, vbi huius quoq. loci meminit. *genus inueniſſe*. initia tragœdiæ nota eſſe ſcribit Ariſtot. non comœdiæ. *fæcibus ora*. vini fæcibus, vel amurca. Alex. Alexand. lib. 6. cap. 4. Lacedæmonij Scythicen & Milichium vocitarunt Bacchum, inquit, cuius faciem muſto intingere & focis ornare vetus mos erat. *honeſta*. quod ad imos vſque pedes eſſet demiſſa, quæ Latina dicebatur. vide Ouid. lib. 15. Metamorph. Alia erat palla Gallica breuior, cuius Martialis meminit. *pulpita*. ſcenã ſtabilem in editiore loco: λογεῖον Polluci & Vitruuio. *in vitium excidit*. vide adagiũ, De plauſtro loqui. *chorusq; turp. obt.* à noua differebat vetus comœdia, tẽpore, argumento, apparatu, & metro. vetus fuit belli Peloponeſiaci tempore: noua exorta eſt extincta populi libertate, cùm iam Philippus & poſt eum Alexander rerum potirentur. In veteri, magiſtratus, duces, philoſophi, atq. adeò dij ipſi proſcindebantur; vt videre eſt in Ariſtoph. In noua nihil inuenies præter parentum ſuſpiciones, amores adoleſcentum, ſeruorum calliditates, impuritates lenonum, &c. Vetus aſſurgit ad tragicum ſtylum heroicumque: noua popularis eſt. In veteri omnia propè ſunt metrorum genera: in noua ſemper iambicũ genus obuium eſt, admixtis paucis aliis. in veteri mirus erat apparatus & chori luxuries: in noua nullà eſt. In veteri perſonæ effingebantur ad viuum, adeò vt ex eorũ inſpectu cognoſceretur de quo ageretur in comœdia: noua nihil habuit tale. *turpiter obticuit*. Hyſterologia. ſic enim ordinari debet, chorus obticuit ſublato iure turpiter nocendi. *prætextas vel docuere tog.* docuere, more Græco, διδάσκειν τὴν κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν, ἢ δρᾶμα, id eſt, comœdiam & tragœdiam agere, ſeu δραματουργεῖν, id eſt, curare agẽdam. Fabula autem fuit, aut togata & palliata, ab habitu hîc Græco, illic Latino: aut tabernaria & prætextata, ab argumenti genere: aut motoria & ſtataria, à turba & actionis quiete. Tabernariç Latinæ reſpondet comœdia noua Grçcorum. Prætextata cum tragœdia Græca conſentit: in hoc tamẽ ab ea diſſentit, quòd illic Romani duces, in tragœdia heroës introducantur: veteri comœdiæ nihil apud Romanos reſpondet, præter Satyram in mordacitate. Satyra Græca fuit Attellana Latina. Planipes autẽ Latina reſpõdet Grçco mimo. Afranius & Titinnius togatarum ſcriptores fuere. Ennius, Pacuuius, & Actius prætextatas docuerunt. Toga autẽ populi eſt; hinc togata argumentũ populare tractauit. Prętexta magiſtratuũ fuit & principũ virorũ, quibus cothurno non etiam ſocco fuit opus; hinc prętextata nomẽ habet: à qua diſtinguitur hîc togata, accepta ſpeciatim pro tabernaria: aliquãdo namq. generaliter cõplectitur omneis Latinas fabulas, tantùm à Palliata diſtincta: cuius rei cauſa, lata eſt dictionis toga ſignificatio, quę primũ ſeiungit Romanos à Græco pallio, deinde à femina virum, poſtremò plebeiũ à patricio. *præſectum*. ſic legunt duo cod. Bland. vnus cum antiq *barbam ponere*. philoſophis olim ad grauitatẽ licebat alere barbam.

barbam, ſed in aliis erat inſaniæ ſpecies *purgor bili.* hanc lectionem repoſui ex tribus Commentariis ſcriptis Bland. in quibus expreſsè legitur, purgor bilem: aliter, purgor bilibus, τὸ bilibus vertendo, bili. *ſub verni temporis h.* hoc eſt, in vere, vt τὸ ſub, pro in, capiatur: quale eſt illud Virg. Namque ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo: & illud, Et ſimulacra modis pallentia miris viſa ſub obſcurum noctis, id eſt, per, vel in obſcura nocte. ſic, ſub noctem cura recurſat. vide Cariſium. Horæ autem propriè ſunt quatuor anni partes, & ver potiſſimũ propter amœnitatem. *fungar vice cotis.* hoc autem in bonam partem hîc accipitur: aliquando verò in malam, vt cùm dicimus, Sciunt Athenienſes quæ recta ſunt, ſed facere nolũt. *quo ferat error.* artis & virtutis ignoratio. *verbaq; prouiſam rem.* rerũ enim copia, verborum copiam gignit. Cic. de orat. 3. *viuas hinc ducere.* deſumere orationẽ. viuas legitur in omnibus ſcriptis, non veras: quæ ſecutus ſum. *ſpecioſa locis.* ſic 4. Bland. ſed Buſlid. ſpecioſa iocis memorataque rectè. reliqui, ſpecioſa iocis. *nugæq; canoræ.* quas Horatius nugas canoras nominat, Perſ. Satyr. 5. bullatas appellat, id eſt, inanem perſtrepentium vocum congeriem, in quibus nõ plus eſt ſententiæ ſolidioris, quàm aquæ in bulla, quæ vt repentè apparet, ita repentè quoque euaneſcit. *longis rationibus.* addendo, diuidendo, deminuẽdo, componendo, ſubtrahendo, quæ partes ſunt arithmeticæ. Iuuenal. quoque: hoc diſcunt, inquit, omnes ante Alpha & Beta puellæ neglectis melioribus. Magnum certè diuitiarum ſtudium facilè virtutem bonóſq; mores ducit in cõtemtum: quo nomine Græcos Romanis præponit qui vnius gloriæ tenebantur amore. *eu.* ſic Buſl. & Bland. 4. nõ hem vel heus. *an hæc ærugo.* ſic Blãd. vetuſt. cum duobus aliis, in quib. n littera eraſa, & t poſita. *aut prodeſſe volunt, aut.* delectant Elegiographi, Epigrammatarii: docent Didaſcalici, Empedocles, Theognis, Manilius: docent & delectant Heſiodus, Homerus, Virg. Eratoſthenes omneis poëtas nõ tam docendi quàm delectandi cauſa dixit omnia conie-ctare, fabularique. At Strabo contrà, magno antiquorum cõſenſu docet primam illam poëticæ rationem, non paruam eſſe philoſophiæ partem, quæ nos quaſi infanteis ad vitam introducat, moréſq; & vitæ actiones doceat, magna cum voluptate & affectionibus moderetur: nam ſi Pythagorici & ipſe Ariſtoxenes veluti muſicos eſſe humanæ vitæ correctores, moderatoréſque & magiſtros, quid aliud feciſſe olim dixerit aliquis ipſos poëtas Muſicos, qui dicendo canẽdóq; homines à ſilueſtri vita & planè ferina reduxerint ad humanam? Quare non immeritò ab Homero Sophroniſtæ nominantur & Muſici & Poëtæ. *percipiant animi dociles.* Bland. vnus habet, percipiant animo dociles. *ficta voluptatis.* apud Macrobium Virg. cauillis obnoxius eſt, quòd naueis in deas mutauerit: Homerus autẽ quòd Achillis equo ſermonem tribuit. In Orpheo reprehẽditur quòd nauem diſertam finxerit & loquacem *pranſæ Lamiæ.* de Lamia Diodor. Siculus lib. 20. hiſtor. Suidas ex Doridis libris. Vult autem Horatius mendacia carere improbitate: in primis enim docere eſſe Lamias nõ parui negotij eſt, maioris autẽ eas vorare infanteis, maximi verò pueros aluo viuos eximi. *liber Soſis.* ſic 4. Blãd. per ſyncopen pro Soſiis. *ſunt delicta.* quia nihil eſt ab omni parte beatum perfectũque: nec eſt tam naturale quicquam quàm errare hominem; ſed eum nõ reſipiſcere, pecuinum eſt. *perſæpe remittit acutum.* ſic ſcriptum eſt in vno Bland. Tonſa. Siluioq. codicibus, quam vt genuinam dictionẽ repoſui, pro eo quod Græcè dicitur ἀνατρίζειν, pipire, voce à pullis ficta, ſtridere. *quodcumque minab.* Tonſ. lib. habet quocumque. *quid ergo eſt.* ſic eſt in omnibus ſcriptis; iccirco τὸ eſt, omittere nolui. *miror.* miramur propriè quæ cum virtute coniuncta ſunt laudéque digna: hic autem cum riſu eſt. *verùm operi longo.* ſic ſcripta omnia. non damno tamen vulgarẽ lectionem. *vt pictura poëſ.* in picturis certè maximum ſemper momentum lucis habet & vmbrarũ ratio, quæ viſu facilius à peritis percipi, quàm ſermone poteſt explicari. De inuentione picturæ, incremento & dignitate, lege Plinium. *te capiat.* ſic Blãd. codices. *argutum.* limatum & politum. Aliâs eſt canorum. *decies repet.* vide adagium, bis ac ter, quod pulchrum eſt. *per te ſapis.* cùm hoc facit quod dicitur, natare ſine cortice. *nec ſcit.* ſic Bland antiq. cum alio, ſed reliqui cum duobus aliis Bland. habent, neſcit. deligat lector. *mediocribus eſſe poëtis.* datiuus, accuſatiui loco: vt docti facilè vidẽt. *craſſum vng.* craſſum vnguentum: quale eſt, non defæcatum, vulnerarium: contrà, liquidos odores pro vnguento odorato ponit Horatius in ode 5. lib. 1. *ſummo deceſſit.* ſic Bland. decedere à ſummo & ad imum vergere, eſt vix vllo eſſe numero. *trochíve.* inductus trochi, ἄπειρος τροχοῦ. *quid ni?* πῶς γὰρ οὔ; quaſi dicat, maximè. ſed πῶς γὰρ ἄν; poſtulat negationem. *dices faciéſve.* ſic ſcripta omnia: non etiam faciesque, vt vulgata quædam. *liber & inge.* alluſit Horatius ad libertatis vim, quæ iuriſconſultis eſt naturalis poteſtas eius quod cuiq. facere lubet, niſi quod vi aut iure prohibetur. Lege titulum quartũ & quintũ De ingenuis & libertinis lib. 1. Inſt. iuris ciuil. *Minerua.* vide adag. inuita Minerua. *nonũq; prem.* monet ipſum maturi in ſcribendo iudicij; ne quid præcipitet aliorum more poëtarum: nam ferè fit vt celeriter nata, celeriter intereant: iccirco nõ vult ipſum αὐτοσχεδιάζειν. *rabidoſq; leon.* ſic habent

omnes lib. ſcripti, non rapidos, vt vulgati. *conditor vrbis*. ſic habent omnia ſcripta, à quibus diſſentire nolui, tametſi non improbem lectioné vulgatam. at ipſæ Thebæ miſerabiliter conqueruntur ſe per tibiam dirutas ab Alexãdro propter defectionem, quæ ab Amphione prius ædificatę per citharam in flore & gloria ſteterant, in hoc Honeſti Corinthij epigram. ἔστην ἐν φόρμιγξι, κατηρείφθην δὲ σὺν αὐλῷ Θήβη φεῦ μούσης ἔμπαλιν ἁρμονίης. κωφὰ δὲ καὶ κεῖται λυροθελγία λείψανα πύργων πέτραις μυσοδόμοις πίχεσι αὐτομόλοις, τῆς χορὸς Ἀμφίων ἄπονος χέρας. ἑπτάπυλον γὰρ πάτρην, ἑπταμίτῳ τείχεσας ἐν κιθάρῃ. quod ſic Latinè reddidi: Erectam cithara Theben nũc tibia fregit, quam malè Muſarum cõcinit harmonia. Mœnia ſurda iacẽt lyra quæ mulcere ſolebat, Muſaq. quam erexit transfuga, petra ſilet. Septi ô Amphion periit tua gloria portis Thebes, quam ſtruxit ſeptifidis cithara. *leges incidere ligno*. ius naturæ fuit & vireis ſuas habuit aureo ſeculo, quando tabulis non erat opus. At vbi gentes inciperent ſe ſuaque inuadere deprædarique, natum eſt ius gentium, vt ſua cuiq. maneret, eſſetque tranquilla poſſeſſio: quod ſub ſe continebat omneis contractus, obligationes, actiones, &c. Id autem in ligno incidi cœptum eſt ſub argenteo ſeculo. hinc ſunt Athenienſium axones, quæ erant tabulæ quadratæ publicæ; in quibus & leges & variæ deſcribebantur delinquentium multæ, teſte Xenodoto. & Cyrbes, tabulæ trilateræ, vt 8. ὀνομαστ. teſtatur Pollux, quæ erant priuatorum. habet enim Suidas ex Plutarchi Solone, κύρβεις αἱ τὰς τῶν θεῶν ἑορτὰς ἔχουσαι. hinc quoque tabulæ ligneæ apud Romanos, quæ ære muniebantur, certè non ſine præſagio peioris ſeculi; nam poſteà Senatuſconſultum (quod legis habebat vigorem) decreuit, vt leges in æs inciderentur. *Tyrtæusq.* Tyrtæi verſus plurimi ſunt apud Stobæũ De bello & audacia. *ego nec ſtudium*. tale eſt Simyli apud Stobæum. οὔτε φύσις ἱκανὴ γίνεται τέχνης ἄτερ, πρὸς οὐδὲν ἐπιτήδευμα παράπαν οὐδὲ αὖ, οὔτε πᾶν τέχνη μὴ φύσιν κεκτημένη. τούτων ὁμοίως τοῖν δυοῖν συνηγμένων εἰς ταυτὸν, ἔτι δεῖ προσλαβεῖν χορηγίαν ἔρωτα, μελέτην, καιρὸν εὐφυῆ, χρόνον, κριτὴν, τὸ ῥηθὲν δυνάμενον συναρπάσαι, &c. id eſt, neque natura ſine arte ſatis eſt cuiquam omnino quocumque in ſtudio, nec ars per ſe ſine præſidio naturę. Quod ſi iſta duo ſimiliter conueniant vnà, adhuc deſiderantur ſumtus, amor, exercitium, opportunitas, tempus, iudicium, quod dicta ſtatim arripiat & intelligat, &c. *didicit prius*. notat προγυμνάσματα, quam priùs fieri neceſſe eſt, quàm in certaminibus Pythicis ars ipſa iactetur: olim namque Pythici ludi tantùm habebant certamina citharœdorum. *ſatis eſt dixiſſe*. reprehendit Horatius, quòd præmaturè nimis & temerè certatim ab omnibus itetur ad poëticen rem planè diuinã. *aſſentatores*. quàm turpe ſit applauſu captare muneribus; quod Laërtius quidam primus inueniſſe dicitur, notat Perſ. Sat. 1. Mart. ad Põpon. & Plin. ſecũdus epiſt. lib. 2. *rectè qui*. ſic cod. Buſl. *voles cui*. Bland. antiq. habet quoi, antiquo more. *ſuper his*. ἐπὶ τούτοις. hæc perelegãs eſt διασύρμους aſſentatoris. *ſtillabit amicis*. fletus periphraſis. vide adag. Crocodili lacrymæ. *ſaliet*. hinc eſt, exilire gaudio. *tundet pede*. præ admiratione ſimulata. aliquando quoque ſignificat indignationem. *prope plura*. quia neceſſe eſt ad perſuaſionem omne mẽdacium eſſe artificioſum; ſed contrà, veritas per ſe ſimplex eſt & aperta. *torquere mero*. ſic alibi, & vino tortus & ira. *incudi reddere*. reformare, atq. in alium mutare habitum. *ſine riuali*. vide adag. ſine riuali diligere. *tranſuerſo cal. ſig.* vide adag. notari vngui. *aut fanaticus error*. morbus fanaticus. Fanatici quoque μεψαύχενες dicuntur; quòd præter oris ſpumam, & caput & ceruicem iactarent. Plutarch. hos μανιώδεις nominat. vide Vlp. lib. 1. §. apud Viuianum De ædilit. edict. Fanatici autem dicti ſunt, quòd in fanis verſarentur ad ſtipem corradẽdam, multa ſuo malo adfingentes mendacia, vt ſuperſtitioſæ turbæ imponerent. tales erant Galli ſacerdotes magnę matris: talis & illa vates apud Virgil. 6. Aen. Luca lib. 1. crinemq. rotantes ſanguinei populi cecinerũt triſtia Galli. *et iracũda Diana*. hic morbus, qui à Luna, quæ & Diana, σεληνιακὸς, i. lunaticus dicitur & ſonticus, caducúſq. & ſacer morbus; non multũ diſſimilis à fanatico. *hic dum ſublimis*. ſic legitur in ſcriptis noſtris omnibus, nõ autem ſublimeis, vt in vulgatis. *idem facit occid.* ad phraſin Græcam πειθὼν ἀπείργει. *non miſſura cut.* vide adag. hirudo niſi plena.

FINIS.

APPROBATIO.

Commentarium doctum, & prælo dignum eſſe, cenſui, ad diem XIX. Nouembr. 1577.

Io. Molanus, cenſor.

AD LECTOREM

BENEVOLVM.

VT EST hominis ingenui, candide Lector, de omnibus bene mereri: ita quoq; virum bonum decet ab aliis acceptum beneficium libenter agnoſcere, nec non apud alios id facere maximè; & eò amplius id fieri conuenit quò intereſt plurium, priuata quidem non parua ingratitudinis nota taceri, ſed publica non niſi maximo communitatis malo vel inuidè ſupprimi vel perversè alienari poſſunt. qualia ſunt inprimis virorum doctorum inuenta, dicta, ſcripta, lucubrationes, conatus litterarij poſteris traditi. Quę in re quam turpiter peccatum ſit à pleriſque vanis hominibus, argumento nobis ea ſunt quę annis iam retrò non paucis illi nobis animo malo vel inuidere, vel non intellecta corrupère, vel impudenter nouo quodam commento in ſe tranſtulère homines quibuſuis fucis nocentiores, qui pręclaros quidem labores aliorum depaſti, non otioſam modò vitam degere, ſed ne auctoribus quidem ipſis parcere contenti, funditus omnia ſubuerterunt, vt ipſi ſoli quaſi cęcorum duces luſcioſis homuncionibus appareant bene oculati omnia peruidere & noſſe, qui tamen ſunt vel ipſa cęcitate cęciores, vt qui vix quę ante pedes ſunt intuentes; nulla poſteritatis cura miſerè deſipiant. Quod ſanè nutu quodam diuino fieri neceſſe eſt. Nam ſi naturę latisq; legibus id decretum eſt, in alios non eſſe ſtatuendum quod tibi fieri nolis, merito ſuo tales à poſteris vapulant vulgoq; fabula fiunt, quando plagio ſemel detecto nudi, & ad Æſopicę corniculę modum planè ridiculi apparent. Quod, hercule, ſcelus impium furiis omnibus iure vindicandum, vt in antiquis in Horatium Commentariis magnopere ſemper deteſtor, noloq; omnino id eſſe meum quod eſt alterius, ita ab aliis deprauata corrigo, interpolata reſarcio, lacunas expleo, quantum id fieri poteſt; non enim paucis in lamis ſic limoſa ſunt omnia, vt opera nulla poſſint exſiccari: Qualis ea eſt in Horatij vita in Blādiniis manuſcriptis ad ea verba, manſuraq́. perpetuò, primum quęrite regnum Dei, & hęc omnia adiicientur vobis, ad marginem pagellę ſcripta, quę certò ſignificat reiectos Gręcos characteres. O ignorantia religioſa τῆς ἀπάτης γεννήτειρα! O plagiarij digni plagis bene ſanguinolentis, qui pręclariſſimos Grammaticos Seruium, Donatum, Porphyr. Acronem, &c. aut indoctiùs corrupiſtis, aut vaniùs fruſtulatim tam violenter diſcerpſiſtis, quàm nulli vmquam ſpes vlla poſſit eſſe eorum fruſta rectè colligendi, nedum reſtituendi laceros: ea tamen in re à tineis & blattis vindicanda, decuſſoq; puluere vtcumque elucidanda poſt annos aliquot quàm cœpi dare operam, ſi non aſſequar quod velim, dabit lector beneuolus noſtris veniam conatibus; in ſtudioſorum namque gratiam ſudatur à nobis. Ceterùm Horatij vitam non vno modo deſcriptam hîc ex codicibus Blādiniis appoſuimus vnà cum modis Odarum diuerſis & numeris Horatianis, qui crediti ſunt adhuc ab Aldo & Perotto diſpoſiti; quos in Blandiniis iam ante annos ſeptingentos aut circiter ſcriptis, Romaq; Gandauum perlatis, inueni, cum fabula Paſiphaes à doctiſſimo quodam ad numeros Horatianos numeroſè conſcripta. his quoque ſubdidi Gręcos illos Odarum titulos, ſeu mauis epitheta, & neſcio an Eclogas non ineptè nominaueris, quibus quaſi notis ſingularibus in ſuas veluti claſſeis odę diſponi videntur, ſed voces ipſas Gręcas ad originem ſuam reuocare fuit ipſo labore laborioſius: ita ſcripto, characteribus & interpretationibus turbata offendi omnia, vt ne nunc quidem per omnia mihi ſana ſint & integra. Verùm vt preſſius aliquantò de Eclogis agamus, de quibus nunc non

omni-

omnino ſic, vt olim, ſenſi in enarratione Satyræ 1. lib. 1. vbi ex antiquis ſcriptis non Satyræ ſingulis poëmatiis, ſed Eclogæ nomen inſcribendum indicaui, à qua etiamnum ſententia video non abhorrere Fuluium Vrſinum virum in primis doctum in Virgilio ſuo illuſtrato. At qui quando viros doctiſſimos id nominis non minus odis quàm Satyris donare noui, de ſententia mea parùm ſecurus animi ad ſcripta redeo quæ adhuc penes me ſunt, & ſingula ſolito diligentiùs perſcrutatus offendi (vt coniectura eſt) qua cauſa Satyris τὸ Ecloga ſit in ſcriptis præfixum, nimirùm, vt ſit quædam quaſi notatio poëmatiorum inter ſe: in qua denotatione Virgilio quoque in Bucolicis ſunt Tityrus, Alexis, Pollio, Silenus, &c. ex Theocrito. ad eum certè modum reppert in ſcriptis Tantalus, Cupiennius, Tigellius, &c. & hæc in pleriſque non per ſe, ſed cum interpretatione, Tantalus, id eſt, habendi cupidus. Tigellius, id eſt, ſibi placens. Cupiennius, id eſt, adulter. Item lib. 2. Hortus, id eſt, quies agreſtis. Vlyſſes, id eſt, hæreditatis captator. Dauus, id eſt, libertas ſeruilis, &c. In Epiſtolis autem nihil tale deprehendi, ea fortaſſe de cauſa quòd Epiſtolæ quidem ſingulares, Satyrarum verò commune ſit omnibus argumentum. At non infitior tamen in Horatij vita lib. 2. epiſtolam 1. nuncupari Eclogam, ſed hoc demus errori alicuius ſcioli. Ob hanc certè cauſam mihi perſuadeo viros doctos enarratores Horatij Sermonibus Eclogas potius adſcripſiſſe quàm Odis. At ſi tamen cum Auſonio, Sidonio Apollinari & antiquis Commentariis Odas quoque Eclogas eſſe concedamus, non ineptiemus, opinor: nam in vetuſtiſſimo Blandinio ad Oden primam lib. 1. hæc adſcripta legi, Ecloga hic non eſt vt apud Virgilium; nam Virgilij Ecloga Bucolicorum eſt: verum non hoc auſim meo periculo cuiquam eſſe perſuaſum ſine eiuſmodi nota, Pragmatice, allegorice, ethice, &c. nam cùm non paucæ ſint Odæ eiuſdem argumenti, fortaſſis has voces excogitarunt Grammatici ad Odas digerendas, inuentionis variæ diſcernendæ gratia. Sed quid ſi (quod adhuc controuerſum eſt, ideo ἐπῳδὰς, quas non inuenio ſub his vocibus comprehenſas) dictas credamus, vt quemadmodum librorum quatuor Odæ aliæ pragmaticæ, aliæ allegoricæ, &c. ita hæ inſcribantur odæ epodicæ 1. 2. 3.? &c. vt alibi à me ſignificatum eſt. Hoc autem ſi cui non probabitur, quaſi nouum commentum, ei per me fuerit integrum de his vocibus aliter ſentire, & τὸ Ecloga Odis aliter atq. Satyris applicare. Poſtremò Henric. Steph. vir eruditiſſimus non fert in Odis vllam ſtrophen; cui vt ſuffrager Tragicam hic eſſe nullam ex deſcriptione veterum quibus ἡ ϛροφὴ ἐϛὶ τῶν κώλων σύϛημα, tamen eas dictiones, Diſtrophon; triſtrophon, tetraſtrophon, in antiquiſſimis ſcriptis inuentas omittere nolui, quòd exiſtimem ἀναλογικῶς hoc à veteribus eſſe factum, ad verſuum in Odis diſtinctionem; vt taceam apud Diomedem non infimæ notæ Grammaticum lib. 3. me legiſſe hæc verba. Item diuerſis verſibus & metris à tertio verſu vel quarto Strophen reuocat, vt cùm Alcaica metra vel Aſclepiadeum & Glyconicum & Pherecratium coniuncta videmus. Hæc te monitum volui, Lector candide. Vale & noſtris laboribus benignè & liberaliter fruere.

Q. HORATII FLACCI
VITA È VETVSTO CODICE
BLAND. DESCRIPTA.

QVINTVS Horatius Flaccus Venuſinus patre, vt ipſe quidem tradit, libertino & exactionum coactore, vt verò creditum eſt, ſalſamentario, cùm illi quidam exprobraſſet in altercatione, Quoties ego vidi patrem tuum brachio ſe emungentem? Bello Philippenſi excitus à M. Bruto imperatore, tribunus militum meruit, victiſque partibus venia impetrata, ſcriptum Quæſtorium comparauit, ac primò Mæcenati, mox Auguſto in gratiam inſinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Mæcenas quantopere eum dilexerit, ſatis demonſtratur illo epigrammate,

Ni te viſceribus meis Horati
Plus iam diligo, tu tuum ſodalem
Hinno me videas ſtrigoſiorem.

Sed multò magis extremis Eſquiliis tali ad Auguſtum elogio,

Horatij Flacci, vt mei, eſto memor.

Auguſtus epiſtolarum quoque ei officium obtulit, vt hoc ad Mæcenatem ſcripto ſignificat. Antè ipſe ſufficiebam ſcribendis epiſtolis amicorum, nunc occupatiſſimus & infirmus Horatium noſtrum te cupio adducere. veniet igitur ab iſta paraſitica menſa ad hanc regiam, & nos in epiſtolis ſcribendis adiuuabit. Ac ne recuſanti quidem aut ſuccenſuit quicquam, aut amicitiam ſuam ſuggerere deſiit. Extant epiſtolæ è quibus argumenti gratia, pauca ſubieci. Sume tibi aliquid iuris apud me, tamquam ſi conuictor mihi fueris, rectè enim & non temerè feceris, quoniam id vſus mihi tecum eſſe volui, ſi per valetudinem tuam fieri poſſit. Et rurſus: Tui qualem habeo memoriam, poteris ex Septimio quoque noſtro audire, nam incidit vt illo coram fieret à me tui mentio, neq. enim ſi tu ſuperbus amicitiam noſtram ſpreuiſti, ideò nos quoq. ἀνθυπερηφανοῦμεν. Preterea ſæpe eum inter alios iocos puriſſimũ penem, & homuncionẽ lepidiſſimũ appellat, vnaq. & altera liberalitate locupletauit. Scripta quidem eius vſqueadeò probauit, manſuráque perpetuò .... vt non modò ſeculare carmen componendum iniunxerit, ſed & Vindelicam victoriam Tiberij Druſique priuignorum ſuorum, cumque coëgerit propter hoc tribus carminum libris ex longo interuallo quartum addere. Poſt Sermones verò lectos quoſdam nullam ſui mentionem habitam ita ſit queſtus: Iraſci me tibi ſcito, quòd nõ in pleriſque eiuſmodi ſcriptis mecum potiſſimùm loquaris: An vereris ne apud poſteros infame tibi ſit, quòd videaris familiaris nobis eſſe? Expreſſitq. Eclogam cuius initium eſt,

Cùm tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora Cæſar.

Habitu corporis breuis fuit atque obeſus, qualis & à ſemetipſo in Satyris deſcribitur, & ab Auguſto hac epiſtola: Pertulit ad me Dionyſius libellum tuum, quem ego (ne accuſem breuitatem) quantuluſcumque eſt, boni conſulo; vereri autem mihi videris ne maiores libelli tui ſint quàm ipſe es, ſed ſi tibi ſtatura deeſt, corpuſculum nõ deeſt. Itaque licebit in ſextariolo ſcribas, cùm circuitus voluminis tui ſit ὀγκωδέστατον, ſicut eſt vẽtriculi tui. Ad res venereas intemperãtior traditur; nam ſpeculato cubiculo ſcorta dicitur habuiſſe diſpoſita, vt quocumque reſpexiſſet, ibi ei imago coitus referretur. Vixit plurimùm in ſeceſſu ruris ſui Sabini aut Tiburtini; domúſque eius oſtenditur circa Tiburni luculum. Venerunt in manus meas & elegi ſub eius titulo, & epiſtola proſa oratione quaſi commendantis ſe Mæcenati; ſed vtraque falſa puto: nam elegi vulgares, epiſtola obſcura, quo vitio minimè tenebatur. Natus eſt VI. Id. Decembreis, L. Cotta & L. Torquato Conſulibus. Deceſſit V Kal. Decemb. C. Mario Cenſorino & C. Aſinio Gallo Conſſ. poſt nonum & quinquageſ. annum, hærede Auguſto palam nuncupato, cùm vrgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas teſtamenti tabulas. Humatus & conditus eſt extremis Eſquiliis iuxta Mæcenatis tumulum.

EIVSDEM HORATII VITA
IN EODEM CODICE ALITER DESCRIPTA.

Q. HORATIVS Flaccus libertino patre natus in Apulia, cum parente in Sabinos commigrauit. quem cùm pater puerum Romam miſiſſet in ludum litterarium, parciſſimis eruditus impenſis anguſtias patris vicit ingenio, coluitque adoleſcens Brutum, ſub quo tribunus militum ciuili bello militauit, captúſque à Cæſare poſt multum tempus beneficio Mæcenatis non ſolùm ſeruatus, ſed etiam in amicitiam receptus

eſt, quapropter Mæcenati & Auguſto in omnibus ſcriptis ſuis venerabiliter aſſurgit. Scripſit autem Carminum lib. IIII. Epodon I. Carmen ſeculare. Sermonũ lib. II. Epiſtolarũ II. de Arte poëtica I. Cõmentati ſunt in illum Porphyrion, Modeſtus, Helenius Acron, omnium autem optimè Acron.

EIVSDEM VITA IN TRIB. CODIC. BLAND. ALITER DESCRIPTA.

Q. HORATIVS Flaccus præcone patre natus, libertinæ condicionis Venuſinus fuit, quæ ciuitas Apuliæ eſt, non tamen aut opibus vilis aut ſtudio, nam litteris liberalibus eruditus, pro ingenij dexteritate intantum iam à puero eminebat, vt vltra meritum natalium talibus diſciplinis faceret ſe aptum videri. Hic poſt ſtudia Romana philoſophiæ cauſa Athenas profectus inter Epicureos primum locum tenuit. Familiaritatem etiã M. Bruti adeptus eſt eius qui cum Auguſto dimicauit, nam & tribunus militum eius fuit: poſt victoriam verò ciuilis belli interuentu Mæcenatis Horatio Cæſar indulſit. Fuit autem idem Horatius ſtatura breuis, lippus, obeſo corpore, iracundus, obſcenis moribus, ita vt cubiculo ſpeculato vteretur, quò ſe congredientem videret. Natus VI. Id. Decemb. Cotta & Torquato conſulibus. Septuageſimo ſeptimo ætatis anno periit hærede Auguſto, ſepultus in Eſquiliis iuxta tumulũ Mæcenatis. In opere ſuo Alcæum imitatus eſt & Sapphonem. In Satyra Lucilium. Decem autem & nouem Odas variis metrorum generibus texuit, quarum decem in primo lib. in tribus reliquis ſingula. In Epodon ſex repperi compoſita. Primum itaque genus eſt monocolon, id eſt, vnimembre, vt Ode prima lib. I. Nam verſus qui Aſclepiadeus dicitur, conſtat pedibus Spondeo, duobus Choriambis & Pyrrhichio ſiue Iambo: vſusq; eſt hoc metri genere in tribus Odis, quorum primordia hic ſubnotaui,

Lib. I. Od. I. *Mæcenas atauis edite regibus.*

Lib. 3. Od. 31. *Exegi monumentum ære perennius.*

Lib. 4 Od. 8. *Donarem pateras grataq; commodus.*

Secundum genus, vt Ode ſecunda, quæ eſt Dicolos tetraſtrophos, id eſt, duobus metri generibus compoſita, à quarto verſu facta repetitione, habet enim treis verſus ſimileis, quibus nomen eſt Sapphicis, & conſtant trocheo, ſpondeo, dactylo, duobus trochæis. Quartus verò qui Adonius dicitur, dactylo & ſpondeo terminatur. vtiturque hoc metri genere in ſex & viginti Odis:

Li. I. od. 2. *Iam ſatis terris niuis atque diræ.*

I. 10. *Mercuri facunde nepos Atlantis.*

I. 12. *Quem virum aut heroa lyra vel acri.*

I. 20. *Vile potabis modicis Sabinum.*

I. 22. *Integer vitæ ſcelerisq; purus.*

I. 25. *Parcius iunctas quatiunt feneſtras.*

I. 30. *O Venus regina Cnidi Paphiq.*

I. 32. *Poſcimur ſi quid vacui ſub vmbra.*

I. 38. *Perſicos odi puer apparatus.*

2. 2. *Nullus argento color eſt auaris.*

2. 4. *Ne ſit ancillæ tibi amor pudori.*

2. 6. *Septimi Gades aditure mecum.*

2. 8. *Vlla ſi iuris tibi peierati.*

2. 10. *Rectius viues Licini, neque altum.*

2. 16. *Otium diuos rogat in patenti.*

3. 8. *Martiis cælebs quid agam Kalendis.*

3. 11. *Mercuri nam te docilis magiſtro.*

3. 14. *Herculis ritu modò dictus ô plebs.*

3. 18. *Faune nympharum fugientum amator.*

3. 20. *Non vides quanto moueas periclo.*

3. 22. *Montium cuſtos nemorumq; virgo.*

3. 27. *Impios parræ recinentis omen.*

4. 2. *Pindarum quiſquis ſtudet æmulari.*

4. 6. *Diue, quem proles Niobæa magnæ.*

4. 11. *Eſt mihi nonum ſuperantis annum.*

5. 18. *Phœbe ſiluarumq; potens Diana.*

Tertium genus eſt vt Ode tertia, quæ eſt dicolos diſtrophos, id eſt, bimembris, à ſecundo verſu facta repetitione, nam prior verſus cui glyconius datur nomen, conſtat ſpondeo, choriambo, & pyrrhichio ſiue iambo; ſecundus verò aſclepiadeus, cuius iam in prima ode rationem dedimus. vſusq; eſt hac metri compoſitione in duodecim odis; vt ſubiecta monſtrant.

I. 3. *Sic te Diua potens Cypri.*

I. 13. *Cùm tu Lydia Telephi.*

I. 13. *Mater ſæua cupidinum.*

I. 16. *Et ture & fidibus iuuat.*

3. 9. *Donec gratus eram tibi.*

3. 15. *Vxor pauperis Ibyci.*

3. 19. *Quantum diſtet ab Inacho.*

3. 24. *Intactis opulentior.*

3. 25. *Quò me Bacche rapis tui.*

3. 28. *Feſto quid potius die.*

4. I. *Intermiſſa Venus diu.*

4. 3. *Quem tu Melpomene ſemel.*

Quartum genus vt ode quarta, quæ eſt dicolos diſtrophos vt ſuprà, conſtans archilochiis, prior ex tetrametro heroico & tribus trocheis, poſterior ex iambica penthemimeri & tribus trochæis. vſusq. eſt hac metri ſtructura vna tantùm ode.

I. 4. *Soluitur acris hiems grata vice veris et Fauoni.*

Quintum genus, vt ode quinta, quæ eſt tricolos tetraſtrophos, id eſt, trimembris, à quarto verſu facta repetitione: nam primi duo verſus ſunt aſclepiadei, tertius pherecratius, qui conſtat ſpondeo, dactylo, ſpondeo; quartus glyconius: cuius generis ſunt odæ ſeptem:

I. 5. *Quis multa gracilis te puer in roſa.*

I. 14. *O nauis referent in mare te noui.*

I. 21. *Dianam teneræ dicite virgines.*

I. 23. *Vitas hinnuleo me ſimilis Chloë.*

3. 7. *Quid fles Aſterie quem tibi candidi.*

3. 13. *O fons Banduſiæ ſplendidior vitro.*

4. 13. *Audiuere Lyce dij mea vota, dij.*

Sextum

Sextum genus, vt ode ſexta, quæ eſt dicolos tetraſtrophos; primi enim verſus tres aſclepiadei ſunt, quartus glyconius: ſuntque huius generis odæ nouem.

1. 6. *Scriberis Vario fortis & hoſtium.*
1. 15. *Paſtor cùm traheret per freta nauibus.*
1. 24. *Quis deſiderio ſit pudor aut modus.*
1. 33. *Albi ne doleas plus nimio memor.*
2. 12. *Nolis longa feræ bella Numantiæ.*
3. 10. *Extremum Tanaim ſi biberes Lyce.*
4. 5. *Diuis orte bonis optime Romule.*
3. 16. *Incluſam Danaen turris aenea.*
4. 12. *Iam veris comites quæ mare temperant.*

Septimum genus vt ode ſeptima, quæ dicolos eſt diſtrophos, nam prior verſus Heroicus eſt ſex pedibus conſtans, dactylo & ſpondeo indifferenter. poſterior eſt Heroici verſus tetrapodia poſterior. qua compoſitione ter tantùm vtitur, ſcilicet,

1. 7. *Laudabũt alij claram Rhodon aut Mitylenen.*
1. 28. *Te maris & terræ numeroq; carentis arenæ.*
5. 12. *Quid tibi vis mulier nigris digniſſima barris.*

Octauum genus, vt ode octaua, quæ eſt dicolos diſtrophos. prior verſus eſt Ariſtophanius dimeter ex choriambo & bacchio ſiue amphimacro: poſterior eſt choriambicus Alcaicus tetrameter, conſtans ex epitrito ſecundo, duobus choriambis & bacchio ſiue amphimacro. huius generis eſt ode vnica,

1. 8. *Lydia dic per omneis.*

Nonum genus eſt vt ode nona, & eſt tricolos tetraſtrophos. Primi duo verſus qui Alcaici vocantur, conſtant penthemimeri iambica & dactylis duobus. Tertius dimeter eſt iambicus hypercatalectus. Quartus eſt dactylicus Alcaicus ex duobus dactylis & duobus trochæis; qui prioribus eſt ſuccinendus. vtitur hoc genere tricies ſexies,

1. 9. *Vides vt alta ſtet niue candidum.*
1. 16. *O matre pulchra filia pulchrior.*
1. 17. *Velox amœnum ſæpe Lucretilem.*
1. 26. *Muſis amicus triſtitiam & metus.*
1. 27. *Natis in vſum lætitiæ ſcyphis.*
1. 29. *Icci beatis nunc Arabum inuides.*
1. 31. *Quid dedicatum poſcit Apollinem.*
1. 34. *Parcus deorum cultor & infrequens.*
1. 35. *O diua gratum quæ regis Antium.*
1. 37. *Nunc eſt bibendum, nunc pede libero.*
2. 1. *Motum ex Metello conſule ciuicum.*
2. 3. *Aequam memento rebus in arduis.*
2. 5. *Nondum ſubacta ferre iugum valet.*
2. 7. *O ſæpe mecum tempus in vltimum.*
2. 9. *Non ſemper imbres nubibus hiſpidos.*
2. 11. *Quid bellicoſus Cantaber aut Scythes.*
2. 13. *Ille & nefaſto te poſuit die.*
2. 14. *Eheu fugaces Poſtume, Poſtume.*
2. 15. *Iam pauca aratro iugera regiæ.*
2. 17. *Cur me querelis exanimas tuis.*
2. 19. *Bacchum in remotis carmina rupibus.*
2. 20. *Non vſitata nec tenui ferar.*
3. 1. *Odi profanum vulgus & arceo.*
3. 2. *Anguſtam, amici, pauperiem pati.*
3. 3. *Iuſtum & tenacem propoſiti virum.*
3. 4. *Deſcende cælo, & dic age, tibia.*
3. 5. *Cælo tonantem credidimus Iouem.*
3. 6. *Delicta maiorum immeritus lues.*
3. 17. *Aeli vetuſto nobilis ab Lamo.*
3. 21. *O nata mecum conſule Manlio.*
3. 23. *Cælo ſupinas ſi tuleris manus.*
3. 26. *Vixi puellis nuper idoneus.*
3. 29. *Tyrrhena regum progenies tibi.*
4. 4. *Qualem miniſtrum fulminis alitem.*
4. 9. *Ne fortè credas interitura quæ.*
4. 14. *Quæ cura patrum, quæue Quiritium.*
4. 15. *Phœbus volentem prælia me loqui.*

Decimum genus vt ode decima, quæ eſt monocolos conſtans ex ſpondeo, tribus choriambis & pyrrhichio: & vocãtur verſus choriambici Alcaici, cuius generis odæ ſunt tres,

1. 11. *Tu ne quæſieris ſcire nefas quem mihi quem tibi.*
1. 18. *Nullam Vare ſacra vite prius ſeueris arborem.*
4. 10. *O crudelis adhuc & Veneris muneribus potens.*

Vndecimum genus vt ode decima octaua lib. ſecundi, quę eſt dicolos diſtrophos; nam prior verſus conſtat ex tribus trochæis & ſyllaba, alter eſt trimeter iambicus Archilochius catalecticus. Iambicus autem verſus non ſolùm Iambum, ſed & Heroicum requirit pedem cum ſolutionibus ſuis, locis ſcilicet imparibus, & tribrachum cunctis. vſus eſt autem hac metri conſtitutione vna tantũ ode,

2. 18. *Non ebur neque aureum.*

Duodecimum genus vt ode duodecima lib. tertij, quæ eſt tricolos tetraſtrophos, conſtans ex duobus prioribus Sapphicis trimetris acatalectis, tertio Anacreontio dimetro catalectico; quarto Adonio. eius generis eſt ode vnica,

3. 12. *Miſerarum eſt, nec amori dare ludum.*

Decimumtertium vt ode ſeptima lib. quarti, quæ eſt dicolos diſtrophos. prior verſus eſt Heroicus hexameter, alter habet eius penthemimerim dactylicam. & hoc genere tantùm ſemel vſus eſt,

4. 7. *Diffugere niues, redeunt iam gramina campis.*

Decimumquartum, vt ode epodica prima, quæ eſt dicolos diſtrophos, cõſtans ex Iambico trimetro, priore & altero Iambico dimetro. & ſunt huius generis odæ decem,

5. 1. *Ibis Liburnis inter alta nauium.*
5. 2. *Beatus ille qui procul negotiis.*
5. 3. *Parentis olim ſi quis impia manu.*
5. 4. *Lupis & agnis quanta ſortito obtigit.*
5. 5. *At ò deorum quicquid in cælo regit.*
5. 6. *Quid immerentes hoſpites vexas canis.*
5. 7. *Quò quò ſceleſti ruitis, aut cur dextris.*
5. 8. *Rogare longo putidam te ſeculo.*
5. 9. *Quando repoſtum Cæcubum ad feſtas dapes.*
5. 10. *Mala ſoluta nauis exit alite.*

Decimumquintum genus, vt ode vndecima Epodica, quæ eſt dicolos diſtrophos. prior verſus eſt Iambus trimeter integer, & ſequens conſtat ex

penthemimeri Heroica & dimetro Iambico: & eſt vnius generis.

ſ. 11. *Petti nihil me ſicut antea iuuat.*

Decimumſextum, vt ode epodica decimatertia, quæ eſt dicolos diſtrophos, conſtans verſu priore Heroico hexametro & poſteriore Iambico dimetro & Heroica penthemimeri: & eſt ode vnica.

ſ. 13. *Horrida tempeſtas cælum contraxit & imbres.*

Decimumſeptimum genus vt ode epodica decima quarta, quæ eſt dicolos diſtrophos: prior verſus eſt Heroicus integer, alter eſt Iambicus dimeter. eius generis ſunt odæ duæ,

ſ. 5. *Mollis inertia cur tantam diffuderit imis.*

ſ. 6. *Nox erat, & cælo fulgebat Luna ſereno.*

Decimumoctauum genus vt ode epod. decima ſexta, quæ eſt dicolos diſtrophos: cuius verſus prior eſt Heroicus hexameter, ſequēs eſt trimeter Iambicus: cuius generis eſt ode vnica,

ſ. 16. *Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas.*

Decimumnonum genus vt ode decimaſept. quæ eſt monocolos, conſtans Iambico trimetro iugi: quo genere ſemel vſus eſt,

ſ. 17. *Iam iam efficaci do manus ſcientiæ.*

His itaq. metris ſcripti ſunt quatuor odarū libri, epodôn & carmē ſeculare. Sermonū autem & epiſtolarum Heroico hexametro iugiter continētur.

Eſt autem Adonius dimeter ſeu dipodia, conſtans ex dactylo & ſpondeo vel trochæo. vt,

Tērrŭīt ūrbēm.

Dactylicus Archilochius dimeter hypercatal. conſtat duobus dactylis.

Lībĕră Hīppŏlўtūm.

Pherecratius Heroicus trimeter acatalect. conſtat ſpond. dact. ſpond.

Grātō Pȳrrhă ſūb āntrō.

Choriambicus Glyconius trimeter acatal. conſtat ſpond. choriamb. & pyrrhichio. vt,

Sīc tē dīuă pŏtēns Cȳprī.

Heroicus acephalus, vel dactylicus Alcmanius tetrameter catalect. habet vltimos pedes quatuor verſus Heroici.

Aūt ĕphĕſūm bĭmărīſuē Cŏrĭnthī.

Heroicus hexameter catal cōſtat ſex pedib. dact. & ſpond. indifferenter.

Lāudābūnt ălĭī clārām Rhŏdŏn aūt Mĭtȳlēnēn.

Iambicus trimet. trochaic. catal. cōſtat trib. troch. & ſyllaba.

Nōn ĕbūr nĕqu' āurĕūm.

Iambicus Archil. trimet. catal. conſtat quinque Iambis & ſyllaba.

Mĕā rĕnīdĕt īn dŏmō lăcūnăr.

Iambicus Archil. dimet catal. cōſtat quatuor Iābis.

Ămīcĕ prōpūgnācŭlă.

Iambicus dimet. hypercat. Archilochius conſtat paribus iambis & imparibus iambo vel ſpondeo & ſyllaba.

Sīluæ lăbōrāntēs gĕlūquĕ.

Iambicus Hipponactius trimet. acatal. cōſtat ſex iambis.

Ībīs Lĭbūrnīs īntĕr āltă nāuĭūm.

Choriambicus Aſclep. tetram. acatal. cōſtat ſpōd. duob. choriamb. & pyrrhich.

Mæcēnās ătăuīs ēdĭtĕ rēgĭbŭs.

Sapphicus pentam. acatal. conſtat trochæo, ſpond. dact. & duob. trochæis.

Iām ſătīs tērrīs nĭuĭs ātquĕ dīræ.

Dactylicus Alcaic. acatal. conſtat penthemimeri iambica & duobus dactylis.

Vīdēs ŭt āltă ſtēt nĭuĕ cāndĭdūm.

Logœdicus ſeu dactylicus Alcaicus acatal. dimetro conſtat Heroico, & dimetro trochaico, id eſt, ex duobus dactylis & duob. trochæis.

Flūmĭnă cōnſtĭtĕrīnt ăcūtō.

Choriambicus Alcaic. acatal. conſtat ſpond. trib. choriamb. & pyrrhich.

Tū nē quæſīĕrīs ſcīrĕ nĕfās quēm mĭhĭ quēm tĭbī.

Ariſtophanius dimet. acat. conſtat choriambo & bacchio ſeu amphimacro.

Lȳdĭă dīc pĕr ŏmnēs.

Choriamb. Alcaic. tetram. acatal. conſtat epitrito ſecundo, duobus choriambis & bacchio ſeu amphimacro.

Tē dĕōs ōrō Sȳbărīm cūr prŏpĕrās ămāndō.

Sapphicus trimet. acatal. conſtat tribus ionicis à minori.

Mĭſĕrārūm eſt nĕquĕ ămōrī dărĕ lūdūm.

Dactylicus Archil. acat. ſynartetôs cōſtat tettram. heroico & tribus trochæis.

Sōlŭĭtŭr ācrĭs hĭēms grātā vĭcĕ vērĭs ĕt Făuōnī.

Sapphicus ſynartetôs conſtat ex penthemimeri heroica & dimetro iambico, id eſt, duobus dactylis & ſyllaba, deinde quatuor iambis.

Scrībĕrĕ vērſĭcŭlōs ămōrĕ pērcūlſūm grăuī.

Iambicus Archil. ſynartetôs conſtat iambico dimetro & penthemimeri heroica.

Nĭuĕſquĕ dēdūcūnt Iŏuēm nūnc mărĕ nūnc ſĭlŭæ.

His ordine metris ſcripta eſt Paſiphaës fabula:

Filia ſolis
Aeſtuat igne nouo, &
Perpetrata iuuencum
Mentem perdita quæritat.
Non illam thalami pudor arcet,
Non regalis honor, non magni cura mariti.
Optat in formam bouis
Conuerti et vultus ſuos:
Et Prœtides dicit beatas,
Ióque laudat non quòd Iſis alta eſt;
Sed quod iuuencæ cor nihil fortè leuat,
Si quando miſera copia ſuppetit.
Brachiis ambit fera colla tauri,
Flore q; vernos cornibus illigat,
Oráq; iungere quærit ori.
Audaces animos efficiunt tela Cupidinis,

Illici-

Illicitisq; gaudet:
Corpus includit ſtabulis efficiens iuuencam;
Et amoris pudibundi maleſuadis
Obſequitur votis & procreat, heu nefas bimembrem,
Cecropides iuuenis, quem perculit fractum manu
Filo reſoluens Gnoſia veſtigia tecti domus.

ODARVM TITVLI GRAECI.

Q. Horatius Flaccus libros carminum variis & metris & figuris illuſtrauit, ſed quia tituli quibus poëta ſtuduit odarum concordiam illuſtrare, quibuſdam viſi ſunt tenebras creare; putauimus operæ pretium his ire ſuccurſum per interpretationem titulorum qui ſunt Græci.

Ἀλληγορική.	λεχητική.
Ἀνταποδοτική.	μεμπτική.
Ἀποτελεστική.	παθητική.
Διασταλτική.	παλινῳδητική.
δικανική.	πραγματική.
ἐγκωμιαστική.	παραινετική.
ἐνθουσιαστική.	προσευκτική.
ἐρωτική.	προσαγορευτική.
ἐρωτηματική.	προσφωνητική.
εὐκτική.	συλλογιστική.
εὐχαριστική.	συμβουλευτική.
θρηνητική.	ὑποθετική.

Ἀλληγορική, id eſt, inuerſiua. ab ἀλληγορέω, id eſt, inuerto, intelligo. qualis eſt ode 14. lib. 1. ode 20. lib. 2.

Ἀνταποδοτική, id eſt, redditiua ſeu reſponſiua. ab ἀνταποδίδωμι, id eſt, retribuo, reddo, compenſo. vt ode nona lib. 3.

Ἀποτελεστική, id eſt, finalis, perfectiua. ab ἀποτελέω, id eſt, finio, perficio. cuiuſmodi ſunt odæ quatuor, lib. 1. odæ 38. lib. 2. od. 20. lib. 3. od. 30. lib. 4. ode 15.

διασταλτική id eſt, diſtinctiua, diſcretiua. à διαστέλλω, id eſt, diſtinguo, ſeparo. & ſunt tres; lib. 1. od. 1. & 34. lib. 3. od. 19.

δικανική, id eſt, iudicatiua, diſceptatiua. à δικάω τὸ δικάζω, id eſt, iudico, diſcepto. & ſunt duæ; lib. 2. ode 2. lib. 3. ode 19.

ἐγκωμιαστική, id eſt, laudatiua, demonſtratiua. ab ἐγκωμιάζω. id eſt, laudo, honoro. & ſunt odę quinq. lib. 4. ode 2. 4. 8. 14. 15.

ἐνθουσιαστική, id eſt, diuina. ab ἐνθουσιάζω, id eſt, agitor diuino numine, inſanio, furore concitor. & eſt ode vna; lib. 2. od. 19.

ἐρωτική, id eſt, amatoria, laſciua. ab ἐράω, id eſt, amo, appeto. eius generis ſunt odæ octo; lib. 1. od. 8. 13. 19. lib. 2. od. 5. lib. 3. od. 15. lib. 4. od. 1. 10. 11.

ἐρωτηματική, id eſt, interrogatoria. ab ἐρωτάω, id eſt, interrogo, peto eius generis eſt ode 8. lib. 3.

εὐκτική, id eſt, optatiua, votiua. ab εὔχω, id eſt, opto, precor, voueo. huius ſunt odæ ſex lib. 1. od. 7. 27. 30. 31. lib. 3. ode 2. lib. 4. od 1.

εὐχαριστική, id eſt, ad gratias agendum. ab εὐχαριστέω, id eſt, gratus ſum, ago gratias, laudo. & huius formæ ſunt odæ ſeptem, lib. 1. ode 10. 21. 26. 36. lib. 3. ode 3. 22. lib 4. ode 9.

θρηνητική, id eſt, flebilis, luctuoſa, querula. à θρηνέω, id eſt, lamentor, lugeo, queror. huius ſunt odæ duæ; lib. 1. ode 15. 24.

λεχητική, id eſt, inuectiua. à λέχη, id eſt, contumelia. huius ſunt odæ tres; lib. 1. ode 23. 29. lib. ode 14.

μεμπτική, id eſt, accuſatoria, expoſtulatoria. à μέμφω, id eſt, accuſo, queror, expoſtulo. & ſunt quinq. lib. 1. od. 25. lib. 2. od. 13. 15. lib. 3. od. 15.

παθητική, id eſt, affectuoſa, paſſionis motiua. à πάσχω, id eſt, patior. qualis eſt ode 14. lib. 2.

παλινῳδητική, id eſt, recantatoria à παλινῳδέω, id eſt, recanto. talis eſt ode 16. lib. 1.

πραγματική, id eſt, negotialis, actiua. à πράττω, id eſt, facio, ago. huius generis ſunt odæ octo; lib. 1. ode 1. 11. 18. 20. lib. 2. ode 1. 3. 7. lib. 3. ode 1.

παραινετική, id eſt, exhortatiua. à παραινέω, id eſt, exhortor. huius notæ ſunt vna & viginti. lib. 1. ode 4. 7. 9. 14. 17. 18. 33. lib 2 ode 3. 9. 17. 18. lib. 3. ode 5. 12. 14. 17. 21. 28. 29. lib. 4. ode 7. 12. 13.

προσευκτική, id eſt, deprecatoria. à προσεύχω, id eſt, deprecor. & ſunt odæ duodecim; lib. 1. ode 3. 35. lib. 2. od. 12. lib. 3. ode 6. 3. 18. 23. 26. lib. quarti ode 3. 15. 6.

προσαγορευτική, id eſt, ſalutatoria. à προσαγορεύω, i. ſaluto, alloquor, compello. talis eſt ode 8. lib. 2.

προσφωνητική, id eſt, allocutoria, appellatiua. à προσφωνέω, id eſt, alloquor, appello. & ſunt octodecim; lib. 1. ode 5. 12. 20. 22. 32. 37. 38. lib. 2. ode 2. 4. 6. 10. 14. 20. lib. 3. od. 4. 11. 27. 29. lib. 4. od. 4.

συλλογιστική, id eſt, ratiocinatiua, collectiua. à συλλογίζω, συλλογίζω, id eſt, congrego, concludo, ratiocinor. tales ſunt quatuor; lib. 1. ode 28. lib. 3. ode 5. 24. 28.

συμβουλευτική, id eſt, conſultoria, ſuaſoria. à συμβουλεύω, id eſt, conſilio, do conſilium, ſuadeo. huius formæ ſunt odæ quinque; lib. 1. ode 3. 11. 17. lib. 3. ode 7. 20.

ὑποθετική, id eſt, condicionalis, ſuppoſitiua. ab ὑποτίθημι, id eſt, ſuppono, fingo. huius ſunt quinque; lib. 1. ode 5. 15. lib. 2. ode 16. 18. lib. 3. ode 16.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM,

OBSERVATIONE DIGNIORVM, QVÆ his Commentariis continentur: cuius numerus prior paginam, alter columnam indicat.

ABYDVS & Seſtus. 526. 1. & 2.
Abrotonum 601. 2.
Academus. 605. 1.
Acaſtus. 164. 1.
Accerſo. 547. 1. 601. 2.
Acerra. 166. 1.
Aceruus Chryſippeus. 536. 1.
Aceti dulcis compoſitio. 585. 2.
Achæmenia. 284. 1.
Achæmenes. 111. 2.
Achæmenidæ. 139. 2. 142. 1.
Acherontia. 152. 1.
Achilles. 125. 1.
Achilles Lycomedi commendatus. 27. 1
Acinus 484. 1.
Acipenſer. 423. 1.
Acrimonia. 284. 1.
Acriſius pater Danaës. 181. 1.
ἀκρόαμα. 418. 2.
Acroceraunia. 11. 1.
Actius. 594. 1. 600. 1.
Actoris partes chorus defendat. 629. 1. 642. 1.
Actus in fabulis. 641. 1.
Addictus iurare. 509. 2.
Adimere. 4. 2. 605. 1.
Adytum. 45. 1.
Adorea. 222. 2. 223. 2.
Ador. 490. 1.
Adraſtia. 267. 2.
Adria. 11. 2.
Adriæ fluctus. 128. 2.
Aduertat lector olim vulgatam non eſſe Porphyr. 443. 1.
Adulterium. 153. 2.
Æacus. 114. 1. 115. 2.
Ædes Veſtæ. 9. 1.
Æditui. 597. 1.
Ægæum mare. 122. 1.
Ægeria. 320. 1.
Ægis. 42. 1.
Ægrimonia. 284. 1.
Æliorum familia. 184. 2.
Æmilius lu lus. 622. 2.
Æmilius Paullus. 54. 1.
Æquabilitas animi. 140. 1.
Æquator. 150. 1.
Æquus virtut. 411. 1.
Ærarium Pop. Rom. 198. 1.
Ærugo. 356. 1. 634. 1.
Æſopi pera. 438. 1.
Æſopus luxurioſus. 436. 2.
Æſulæ. 209. 1.
Æternare. 245. 1.
Ætas. 104. 2.
Affectiones animi tria temperant. 157. 1.
Afra auis. 245. 2.
Afranius. 594. 1.
Africæ diuitiæ. 3. 2.
ἀγάλματα. 341. 2.
Agaſo. 503. 2.
Agaue. 438. 1. 456. 2.
hoc Age. 446. 2.
Agere animum. 640. 2.
ἀγαθῇ μεσιτεύειν. 140. 1.
Agylleus. 229. 1.
Agna tempeſtati immolatur. 277. 2.
Argonautæ. 157. 2.
Agrigentini & Megarenſes. 130. 2.
Agrippa. 127. 1.
Aiacis fabula. 436. 1.
Aiax Oilei 42. 2.
ſub Ala. 557. 2.
Alabaſtrites. 241. 2.
Albunia nympha. 24. 2.
Albor. 421. 2.
Alcæus. 68. 1. & 2. 114. 1. 115. 2. 234. 2. 236. 2.
Alea. 85. 2.
Alea fallit. 478. 2.
Alec. 471. 1.
ἀλείφοντες. 51. 1.
Ales mala. 176. 2. 177. 2.
Alfinus. 327. 1.
Alga. 184. 2.
Algidus. 52. 2. 361. 1.
ἄλιμα. 68. 2.
Alyattes. 184. 2.
Alliſanum. 502. 2.
Allium 257. 2. 258. 2.
Allobroges. 289. 1.
Alumnus 184. 2.
Alumen durum mollientia. 465. 1.
Amantium auguria. 437. 2.
Ambitio. 444. 1. 486. 1.
Ambubaiarum collegia. 320. 2.
Ames. 254. 2.
Amethyſtus. 78. 2.
Amici dolentes. 77. 1.
Amicitia tribus modis conſeruatur. 340. 1.
Amicorum anima vna. 227. 1.
Amicus liber. 357. 1. & 2.
ἄμουσος. 78. 2. 79. 1.
ἀμουσίζειν. 79. 1.
Amor cæcus. 48. 1.
Amoris fructus. 37. 2.
Amphiaraus. 181. 1.
Amphion. 572. 2. 578. 2. 582. 2. 636. 1.
Amphora. 167. 2.
Ampullæ. 625. 2.
Anacreon Teius. 136. 1.
Anathemata. 512. 2.
Ancilia. 157. 1. 159. 2.
Ancilla. 325. 1.
Anchora ſacra 127. 1.
ἀνδριάντες. 575. 2.
Andromeda. 209. 1.
ἄνευ... 240. 2.
ἄνευ μολπῶν. 59. 2.
Animæ Thraciæ. 241. 1. & 2.
Animus hominis diues. 89. 1. & 2.
Animi partes tres. 524. 1.
Anio. 14. 2.
Anytus & Melitus. 458. 2.
Annebergum 88. 1.
Anni fugaces. 118. 1.
Anni venientes. 628. 1.
Annona amicorum. 556. 1.
Anſeres in deliciis. 507. 2.
Anteſtari. 391. 2. 396. 2.
Anticyra. 434. 2. 632. 2.
Antiphates. 627. 2.
Antiqui coronati epulabantur. 82. 2.
Antiqui terra aſpirant. 43. 1.
M. Antiſtius Labeo. 334. 1.
Antium. 74. 1. 75. 1.
Antonius Muſa medicus. 562. 2. 563. 2.
ἀνθρωπίνως. 612. 2.
Anuli ferrei geſtatio. 496. 1.
Anulius medicus. 562. 1.
Anulorum multitudo vitioſa. 492. 2.
Anulum geſtare 496. 1.
Anxur. 362. 1. 365. 2.
ἀπάτη. 601. 2.
Apella. 363. 2.
Apella vnde. 371. 1.
Apenninus mons. 289. 2. 292. 2.
Aper Laurens 367. 1.
Aper Vmber. 467. 1.
Apex. 73. 1.
ἀφυαί. 340. 1.

Aphro-

Aphrodiſium iuramentum.303.1.
Aphrodite.200.2.
Apium 138.1.& 2.
Apium viuax.79.1.
Apollinis ſtatua in Delo.215.2.
Apollo.302.1.
Apollo crinitus.287.1.& 2.
Apollo Tilphoſius.479.1.
Apollo Palatinus.525.2.
Apollo pharetratus.104.2.
ἀπ.ορρᾶσι ἡμέραι.184.2.
Apotheca.476.2.
Apothecæ 242.2.
ἀποθέωσις humana.149.2.
Apparatus veneficarum.389.1.
Apparatus Perſici 82.2.
Appuleij transformatio.287.1.
Aprilis 237.2.239.2.
Apulia ſabuloſa.154.2.
Aqua iugis.564.2.
Aquila.331.1.
Aquila auium regina.221.2.
Aquila Iouis ales 221.2.223.1.
Aquilones Eteſiæ.209.2.
Aquilones prodromi.209.1.
Aquinum.547.2.
Ara Dianæ.621.1.639.2.
Arabia triplex.66.1.
Aratro ſignabantur & delebantur olim vrbes.44.2.45.1.
Arbiter.15.1.
Arbiter bibendi.100.1.
Arbuſcula mima.318.1.400.1.
Arceo.343.1.
Arceſſo.597.1.
Archilochus 624.1.
Arcticus circulus.150.1.
Arcturus.141.2.
Arcus Cydonius.235.1.
Area.3.2.
ἀρίσκευμα.323.2.
Argentarij.375.1.
Argentum abditum.87.1.
Argo.290.2.
Ariadnes corona.132.1.
Aricia.361.2.364.1.
Ariſtarchi dictum.597.2.
Ariſtippus 435.1.445.1.510.1.
Armenia.104.1.105.1.
Arpi.277.1.
Arripere manum.393.1.
Arrogare.626.2.
Artes vitæ virtutes.248.1.& 2.
Artium gratarum facies.244.1.
Aruum.187.2.
ἀσώτοι.89.1.
Aſylum.45.1.
Aſphaltum.264.1.
Affectari.393.2.
Ad aſſem.611.1.
Aſſis partes.633.2.
Aſtydamea.165.2.
Aſtutus.474.1.
Atellani.203.1.
Atabulus.363.1.
Ataunt.3.1.
Athenæ.22.2.
Athenæum.608.2.
Atys.176.1.
Athletarum cibus.637.1.
Athletæ gymnici omnes.601.1.
Atlas.72.1.
Atramentum.604.2.
Atræ bilis effectus.38.1.
Atreus & Thyeſtes.44.1.
Atrix.86.1.
Tit.Quint.Atta.600.2.
Attagena 255.2.
Attagen Ionicus.255.2.
Attalus.2.1.129.2.
Attenta auris.410.1.
Attia mater Auguſti.9.1.
Attica virgo 502.1.505.1.
Attilius Regulus.157.1.
Attius.399.2.
Attollere digitum.505.2.
Auarus ſemper eget.523.2.
Auaritia.515.1.
Auctorati.493.1.498.2.
Auctoramenti gladiatorij condicio-nes.498.1.
Audacia ſcelerum mater.89.1.
Audita ſegnius irritant animos.628.2.
Auena longa.490.1.
Auernus.255.1.
Auerſus.91.1.
Auerta.375.1.
Aues augurales.42.1.
Aues quinq. volatu auſpicia facientes.213.1.
Aues mactatæ quomodo tenereſcãt.463.1.
Aufidus.224.2.306.1.312.1.
Auguſti dictum.633.1.
Auguſti liberalitas in ſuos poëtas.604.1.
Auguſti nummus.127.2.
Auguſti opera.624.1.
Auguſti priuigni.525.1.526.1.
Auidienus.424.2.
Auis diuina.202.2.
Aula.167.2.
Aulæa.103.1.503.1.
Aulidis portus 42.1.
Aulon.97.1.98.2.
Aulus Trebatius 40.1.
Auratus 46.2.
Aurem ſubſtringere.480.1.
Aureis obturare.609.1.
Auricula infima mollior.477.1.
Auris purgata.512.2.
Auris rimoſa.118.2.
Auſter.148.2.
Aurum coronarium.246.1.
αὐτάρκεια 484.1.
Autumnare.95.1.

B.

BACAR.271.1.
Bacchus cur Liber.35.2.
Bacchus cornutus.132.2.155.2.
Bacchus pacis auctor & belli.135.2.
Bacchus ab inferis redit.135.2.
Bacchus cur tigribus vehitur.149.1.
Bacchus ſiluas incolit.199.2.
Bacchi comites.199.2.
Bacchicæ diſciplinæ auditores.133.2.
Balanus.107.2.109.1.
Balatrones.316.1.321.1.
Balneatrix quadrantaria.547.2.
Βασιλεύς ἢ τύχη.570.2.
Βατίς.119.1.
Barathones.317.1.
Barathrum.448.2.
Barbiton.281.2.
Barbiton tendere.5.2.
Barbitus.2.2.
Barium ciuitas.363.2.
Barrire.181.2.
Barri.281.2.383.1.
Barrus 373.1.378.1.
Barus.370.2.
Baſſareus 48.1.49.1.
Baſtarnæ.167.2.
Βαβαί.578.2.
Bathyllus.285.2.
Bauia.152.1.
Belides.118.2.
Bellerophon.140.1.
Bellua centiceps 114.2.
Beneuentum.370.1.
Benignus.521.2.
Berecyntius.48.1.
Corn.Beſtius.565.1.
Bethrum.100.2.
Bibere fumum.167.1.
Bibienus.314.2.
Bidental.638.2.
Bidentes.194.1.& 2.
Bilis.635.1.
Bilis atra.614.1.
Bion.608.2.612.2.
Biſtonides.132.1.
Cum Bitho Bacchius.383.2.385.2.
Bitumen.264.1.267.2.
Bithynia.533.1.536.1.
Blaterare.491.1.
Blaterones.317.1.
Blatta.415.1.
Βλῆκες.220.2.
Bœoti.597.2.
Bolanus.393.2.
Bona comportata 523.2.
Boſporus.113.2.115.2.& 2.
Boues albi.302.2.
Βουλιμία.357.1.
Βολῶται.557.1.
Βραχύτητι.29.2.
Braſidas.411.1.
Braſſica capitata.463.1.
Breuitatis partes.401.2.
Breuni 245.1.246.2.
Briareus.126.1.
Britannia 77.1.
Brundiſium.363.1.370.2.371.1.

Bruma.

Bruma.487.2.
Brutius.401.1.
Budini.137.2.
Bupalus.268.2.269.1.
Byrebiſtas.78.1.

C.

CABALLVS Satureianus.379.2.
καχεξία.416.1.
κακόχυμα.426.1.
κακόθυμος.65.1.
κακοῦργος.515.2.
Caduca.155.2.
Cadmus.374.1.
Cæcilius Statius.610.2.
Q. Cæcilius Metellus.409.1.
Cæcubum.276.1.
Cæli caſus.158.2.
Cæmenta.141.2.197.1.
Cæruleus color.271.2.
Calabria æſtuoſa.67.2.
Calami ſpicula.42.2.
Calamitas.141.2.
Calceus pede maior.550.1.
Calenum vinum.242.1.
Calix.67.2.68.1.242.1.
Caliendrum.387.2.390.2.
Calones.318.1.
καλόπους.445.1.
Calpar.226.2.
Calpur.632.1.
Camelopardalis.603.2.
Camœnæ.413.2.
M. Fur. Camillus.34.1.
Campeſtre.551.2.
Campus.443.1.
κανηφόρος.532.2.
Canes in templo Vulcani.17.2.
Canicula.176.1.
Canis infelix.18.1.
Caniſtrum.490.1.
Canities.110.1.
Cantaber.108.2.
Cantabri.92.1.167.1.
Cantharus.51.2.
Cantu mutato ciuium mores mutantur.642.2.
Canuſium.363.1.370.2.399.1.
Capilli nigri.19.1.
Capita operiri quando.442.2.
Capitis minor.158.2.160.1.
Cappadox.536.1.
Capra olida.531.2.
Capreæ.467.2.
Caprificus.262.2.
Capua.188.2.
Caput carum.56.2.
Caput ſalutis ſymbolum.103.1.
Caput ſcabere.405.1.
Caput vacuum.48.1.
Aſſaracus Capys dis pater.284.1.
Cardiacus.447.1.
καρδιαλγία.441.2.
καρδιωγμός.441.2.
Carinæ.540.1.542.2.
Carma.39.2.
Carmen indoctum.611.2.
Carmen ſeculare.198.2.
Carmina Feſcennina.595.2.602.1.
Caro ſuilla delicatiſſima.448.2.
Carpathus.226.1.
Carpathium mare.74.1.
Carthago impia.232.2.
Caſcellius.635.1.
Caſſandra è templo rapta.91.2.& 92.2.
Caſſius Nomentanus Nepos.386.2.
L. Caſſius Nomentanus.307.1.
Caſſius Parmenſis.527.2.
Caſſius Seuerus.268.2.
Caſſius Seuerus Parmenſis.404.2.
Caſtalia.153.2.
καταπάσματα.323.1.
Catella.572.2.578.2.
Cathmus.628.2.
Catia.319.2.
Catienus hiſtrio.434.1.
Catinus.344.1.
Cato.34.1.584.2.
Cato intonſus.121.1.
Cato vino incaluit.192.1.
Caucaſus.53.1.& 2.250.1.252.1.
Caudæ equinæ pilos vellere.599.2.
Caudam trahere.434.1.442.2.
Caules.290.1.
Caulis.459.1.462.2.
Cauſa perturbatæ mentis.450.2.
Cauum.542.1.
Cea.236.1.
Ceæ camœnæ.215.2.
Cecropidæ.248.1.
Cedere.21.1.
Cedrus.634.1.
κεμάδες δενδρότροφοι.55.1.
κῆμος.378.1.
κενοδοξία.515.2.
Cenſus antiquus.448.2.
Cenſus equeſtris.416.1.
Cenſus equeſtris ſub Iulio.614.2.
Cenſus priuatus.121.2.
Centauri.48.2.
Centuriæ duæ.634.2.
κεφαλαία.441.2.
κεφαλαλγία.441.2.
Cercola.115.2.
Cerdones.433.2.
Cere.534.1.
Cereris ſacra.143.1.
Ceres.302.1.
Ceres, quaſi geres.118.1.
Cerinthus ſcortum.319.1.
Ceriti.453.2.
κέρωμα.25.1.
κηρώματα.440.1.
Certabitur.477.2.
Ceruius.412.1.468.2.
Ceruſſa.182.1.
Ceſpes fortuitus.128.2.
Ceſpes viuus.166.1.
Cetaria.474.2.478.1.
Cethegi.623.2.
χαλαζοσκοπία.141.2.
χάλκανθος.556.1.
χαρὰ.481.1.
Charta emporetica.589.1.
Charta virginea.439.2.
Charybdis.63.1.
Chimæra.60.1.126.1.127.2.
Chiron Centaurus.284.1.
χηνίς, ίδος.575.1.
Chryſa.95.2.
Chryſippus.520.1.
Chium vinum.599.1.
Choerilus.604.2.634.2.
χοῖ.589.2.
Cibilla.344.1.
Ciboria.100.2.
Ciborium.101.2.
Cibyra.513.2.536.1.
Cicer & faba ſpargebantur in floralibus.415.2.449.1.
Cicer frictum.631.1.
Cichorea.67.2.
Cicuta.257.1.
Cicuta fenerator.434.1.444.2.
Cinctuti.623.2.640.2.
Ciniflones.319.2.327.2.
Cippus.386.2.
Circe.520.1.
Circæum.250.2.
Circius ventus.487.2.
Circuli cæleſtes.54.1.
Circumagi.191.2.
Citari.332.2.
Cithara imbellis.42.2.
Citrus.224.1.
Clades.163.1.
Clamor.277.1.
Clarare.129.2.
Claſſicum.254.2.
Claſſis.254.1.
Claſſis procincta.444.1.
Clathri.638.2.
Claudij taberna.362.2.
Claui adamantini.197.1.
Claui trabales.76.1.
Clauſtra ſpatioſa.560.2.
Clauſulæ.249.1.
Clauus latus.162.1.367.2.378.2.
Clazomenæ.383.2.
Cleo Athenienſis.377.2.
Cleopatra monſtrum.80.2.
Clientæ.129.1.130.1.
Clientela.130.1.
Clio.55.1.
Clitellæ.362.2.
Cluſini fontes.564.2.
Clytius.156.1.
Cnidus.66.2.
Coa veſtis.319.2.327.2.
Coactores.375.1.
Coæ purpureæ.243.2.
Cochlea.469.2.
Cocytus.118.2.
Codrus.187.2.188.2.
Cœlum non animum mutant.553.1.

Cœna

Cœna dubia. 418.1. 426.1.
Cœna Thyeſtæ.625.1.
Cœnæ adipales. 119.1.
Cœnæ Deûm.488.1.
Cœnæ pater. 502.1.
Cognitor.478.1.
Cohors prætoria. 385.2.
Colchus.137.2.
κολάκεια.637.1.
Colligere puluerem. 3.1.
Collyrion.367.1.
Colobion. 362.1. 367.2.
Colophon.551.1.
Color rauus.592.2.
Columen familiæ. 127.1.
Columnæ.75.2.
Colurnus. 486.1.
Comes pro comitatu.76.2.
Comis 355.2.
Comiſſari. 114.1.
Commodus.235.1.
κομμωτικ.347.1.
Comœdia, imago vitæ humanæ. 633.2.
Comœdiæ origo. 153.1.
Comœdiarum differentiæ tres.153.1.
Commoditates victus tenuis. 418.1.
κῶμοι 79.1.
Compedes gratæ.71.1.
Compernes.402.1.
Compita. 433.2. 510.2.
Concani.151.2. 155.1.
Concha. 465. 2.
Concha ſalis puri. 337.2.
Conchæ capaces.191.2.
Confidens.383.1.
Conſuetudo mala. 339.1.
Conſulares comites.385.2.
Conſultor. 305.1.
Condere.513.1.
Condita inutilia.433.1.
Congreges viri. 81.1.
Coniurare & conſpirare. 41.1.
Conopœum 172.2.
Conſiliare.146.2.
Conſtare ſibi. 641.2.
Conſultus.305.1.
Contagium.190.2.
Contendere oculo. 515.1.
Conuiuales quæſtiones in menſa ruſtica Horatij. 489.1.
Conuiuandi mos.188.1.
κωφὸν πρόσωπον.643.1.
Copia narium.119.2.
κοπρίας. 574.1.
κορδακισμόν.550.2.
Corde dolemus.213.1.
Cordis palpitatio.133.2.
Corinthus bimaris.12.2. 23.2.
non cuiuis contingit Corinthum appellere. 572.2.
Corna. 566.1.
C. Cornelius Gallus.403.1.
Cornicula Æſopica.525.2.
Corona graminea.230.2.
Corona ciuica. 101.1.
Corona ex hedera. 5.1.
Corona myrtea.82.1.
Coronarum genera.17.2.
Coronari in ſecundis menſis.17.1.
Cornua magna.379.1.
Corpus ſine pectore.48.1. 528.1.
Cortex. 169.2.
Corui. 475.1.
Corybantes.44.1.45.1.
Coryceius.460.2.
Cos amoris cruenta.103.2.
Cothurnus.624.2.
Cotiſon.166.2.167.2.
Cotyto, ſeu Cotys.297.1.
Crantor. 520.1.
Craſſus à Parthis captus.159.2.
Craterus. 435.1.
Cratinus. 553.1. 584.1. 585.2.
κρατῖνον κώδων.585.2.
Crepare.48.2.
Creſſa nota.78.2.79.1.
Creta.283.1.
Creta notare.555.1.
Creterra.471.2.
Criſpinus.497.1.
Criſpinus ἀρεταλόγος. 307.1.
Critici iudices quinque.579.2.
Crocodilea.282.1.
Crudus.172.1.
Crumena.527.1.
Cruſtula.305.1. 311.2.
κρομμυ 28.2.
Cubitale.437.1. 455.1.
in Cubitum ſe reponere.467.1.
Cucullus. 38.2. 385.2.
Culina. 562.1.
Culpa bibendi magiſtra.419.1.428.1
ſub Cultro linquere.396.2.
Cululli 67.1. 637.2.
Cumera. 306.1.539.2.
Cumq. σου περιττόν. 70.1.
Cunina Dea.271.1.
Cupido.70.1.
Cupido ferus.103.2.
Cupidines multi. 50.1.
Cupidinis iacula varia.103.2.
Cupiennius Libo.318.1.
Cupreſſus.118.2. 634.1. 639.2.
Curæ edaces. 110.1.
Curæ mordaces.8.1. 47.1.
Curam reddere breuem.604.1.
M. Curius. 34.1.
Curius Dentatus.510.2.
Curres hydropicus.520.2.
Cutis.522.1.
κυαθίζειν. 181.2.
Cyathus.381.2.
Cyclades. 40.1. & 2.
Cyclicæ artes.627.1.
Cyclici poetæ. 627.1.
κύκλιος.627.1.
Cyclopæa.369.2.
Cyclopes.17.1.
Cygnea cantio.137.1.
Cyniſcus mordax.574.1.
Cynthius intonſus.52.2.
Cynthus.206.2.
Cyphus.60.2.
Cyrbes.646.1.

D.

DACVS. 74. 1.
Dacus Scytha.162.1. 167.2.
Damnatus laboris.117.2.
Damnum.305.2.
Danaës tabula.182.1.
Danai puellæ. 172.1.
Danaides. 118.2.
Danaus. 117.2.
διαπατᾶν. 119.1.
Dare manus.293.1.
Daulia.141.1.
Daunia.53.1.& 54.1.
Daunus.211.1.
Decorum mori pro patria. 143.2. 144.2.
Decedere.98.2.
Decempeda.120.1.
Defendere 46.1.
Deiicere ſaxo.378.1.
Deiphobus.135.1.
δεισιδαιμονία. 456.2.
Delaſſare. 305.1.
Delius hiſtoricus.369.1.
Delos.153.2.
Delphi. 13.2.
Deme ſupercilio nubem.583.1.
Demenſum diurnum. 370.1.
Demenſum menſtruum.370. 1.
Demere. 4.2.
Demetrij 20. 402.1.
M. Demetrius.398.1.
Demiſſio. 341.2.
Demiſſus homo. 341.1.
Demittere auriculas.391.2. 594.1.
Democritus.603.2.
Democritus Abderites. 553.2.555.1.
Denormari.485.2.
Deproperare.100.1.
Deſignator.139.1. 541.1.
Deſpicere.165.1.
Deteſtatio.264.2.
Deucales.247.1.
Deucalion. 6.2.8.1.
Deuius. 109.1.110.2.
Deus non interſit fabulæ. 629.1.
Dextrè fortuna vti.395.1.
Diana.52.1.
Diana quaſi Deuiana.193.1.
Diana triuia.193.1.
Dianæ trina poteſtas.192.2.
διάπασμα.19.1.
διαπάσματα.323.1.
διαφωνία. 655.2.
διάπλασμα. 19.1.
διαπλάσματα. 323.1.
Dibapha. 282.2.
Dicenda tacenda.543.1.
Dictum iuuenum Tarentinorum. 401.2.

Dictionis varietas.401.1.
Did.re 425.2.
Diducere rictum. 398.2.
Dies die trudìtur.130.1.
Dies profeſti.419.1.
Dies nefaſti 114.2.
Dies ſolidus. 4.2.
Dieſpiter. 141.2.
Differentia inter nouam & veterem Comœdiam. 644.2.
Diffindere.409.1.414.1.
Diffingas reculum. 77.2.
Digni cerite cera. 537.2.
Diiouis.72.2.
Dilecta.94.1.
Diludia.185.1.
Dindymene.44.1.
Diomedis comites in aueis conuerſi. 154.2.
Diomedis & Glauci permutatio. 485.1.
Diophantes Lacedæmonius.448.1.
Dioſcuri. 68.69.1.
Diota.28.1.29.1.
Dirce.116.2.217.1.
Dirus.7.2.89.1.
διὰ πασῶν.604.2.
Diſcus.420.1.
Diffidens plebi.87.2.
Diſſimilitudo inter virtutem & fortunæ bona.374.1.
Diſploſus. 387.1.
Dithyrambus 216.2.217.2.
Diui pro Græcis ſtantes.149.2.
Diui pro Troia ſtantes.149.2.
Diuidere carmina.41.2.
Diuitiæ operoſiores. 140.1.141.1.
Diuúſne loquatur an heros. 640.2.
Docere aſinum currere. 507.1.
Docimia vicus. 142.2.
Dolia Iouis duo. 71.1.
Dolichos. 581.2.
Domi Mileſia. 574.1.
δωμάζει. 110.2.
Doſſennus.603.1.
δραστικὸς. 564.2.
Dryas.134.2.
Ducere funem. 550.1.
Ducere ruinam.127.1.
Duces tres veri inquirendi. 513.2.
Duellona, Bellona.521.2.
Duellum. 520.1.

E.

EBVR Indicum. 67.2.
Ecbatana. 9.1.
Εὔμαρος.
Echinus.263.1.375.2.381.2.466.1.
Echinus piſcis.265.2.
Echini inluti.506.2.
Ecloga.407.1.
Edera laſciuior.79.1.
Edera antipharmacon ebrietatis. 239.1.
Edoni.134.2.135.1.
Effaſcinantium familiæ.271.1.
Efflutire 630.1.
Egeria nympha 593.2.
Egnatia. 370.2.
εἰκαστικαί.248.2.
εἴρων. 540.2.
Eiulatio.277.1.
Elegi miſerabiles. 70.2.
ἐλεγεῖα. 624.2.
ἐλλείπειν.503.1.
Eloquentia veterum ſimplex. 643.1.
Eloquentiæ virtus 398.2.
Elyſij campi.115.1.
Emancipare.274.2.
Emancipati. 174.2.
ἐμβαίνοντα.341.2.
Empedocles.638.1.554.1.
Emtio per æs & libram.614.2.
ἐνδιαθέτου λόγου. 614.1.
Endoiacito.597.1.
Ennius quando natus. 599.2.
Epheſus. 23.2.
Ephialtes.156.1.
Ephippia.559.1.
Epicharmus. 600.1.
Epicurei.147.1.
Epicurus Menicoco.514.2.
Epidaurus. 333.1.338.2.
Epimetheus.12.1.
Epiſtula. 611.2.
ἐπωδός.249.2.
Equis albis præcurrere.383.1.
Equoſutium. 363.1.
Equus Durateus 228.2.
Equus Troianus.229.1.
Ἔρανος. 243.1.
Eratoſthenis & Strabonis diſſenſio. 645.1.
Erigone.294.2.
Erinnyes.116.2.
Eriphile.181.1.182.2.
Erro.500.2.
Erycina.10.1.
Erycina Venus.7.1.
Erymanthus.52.2.
Eſquiliæ.267.1.483.2.
Eſquilina regio.386.2.388.1.
Eſquilinus mons. 264.2.295.1.2.
Eſſe in votis.435.1.
Eteſiæ, venti.241.2.
ἠθικὸς λόγος.640.2.
Etruſci. 376.1.
Euander cælator.334.2.
Eumenides 116.2.
Eupolis.355.1.
Euripides. 600.1.
Euritus. 156.1.
Europa. 104.2.
Eutrapelus. 578.1.581.2.
Exarare terminos. 130.1.
Excandeſcentia. 524.1.
Exemplar. 522.1.
Exercitator. 195.2.
ἐξεσωχίζειν.367.2.
Expleo, infundo. 105.2.
Explicare frontem. 109.2.
Expurgare cicutæ 612.1.
Extrudere merceis.631.1.
Exul. 125.1.
ἐνεργεῖα.426.1.
ἐν γάμοις.9.1.
ἐῶσι. 109.1.110.1.
ἐκζωμα.503.1.

F.

C. FABRICIVS. 34.1.
Fabula togata aut palliata 644.2.
Fabula morata 613.2.
Fabularum Romanarum genera quinque.632.1.
Facundia prætiens.648.1.
Falernum. 61.1.
Falernum vinum.319.2.
Falernus mons. 260.1.
Fanatici.638.2.646.2.
Fannius. 350.1.354.2.405.2.
Farfarus.46.1.
Fartor. 436.2.
Faſciolæ. 437.1.
Faſcinum.271.1.
Faſcinus Deus. 271.1.
Faſti.245.1.246.1.345.2.
Fauere linguis. 140.1.& 2.
Faunus.126.2.128.1.
Faunalia.185.2.
Fauno hœdus & agna ſacra .17.2.
Fauonius.15.2.
Fecula.504.1.
Felle iraſcimur.283.1.
Femur.270.1.
Fercula 484.2.
Ferentum. 112.1.2.
Feriæ Latinæ. 543.1.
Ferinæ partus vicinæ vtiles.506.2.
Feronia.361.2.365.2.
Ferox.21.1.
Ferre furcam.499.1.
Ferula.346.2.
Feſta compitalia. 455.1.
Feſtinare.517.2.
Fex 471.1.
Ficulnus.386.2.
Ficus dicatus mollitiei.387.2.
Fidelitas.144.2.
Fidenæ.151.1.
Fidens.383.1.
Fides rara 74.2.76.2.
Fides Teia. 46.1.
Filius albæ fortunæ.488.1.
Fimbria.147.2.
Firmum caſtellum.64.2.
Flaccus vnde.287.1.
Fluuij corniger.245.2.
Focalia. 437.1.453.1.
Fœnum in cornu.350.1.355.2.
Fons ſacer 4.1.
Folia breuiora. 186.1.
Fomenta. 107.1.
Foris ſingulariter. 318.2.

Formiæ

Foeminæ.184.2. 185.1.2.
Fornix.323.1.
Fors. 29.2.
Forte epos acer.403.2. 404.2.
Fortis pro diuite 479.1.
Fortunæ præconium.75.2.
Forum.254.1.
Forum Appij.361.2. 364.1.
Forum veſpertinum.375.2.
Fratres Helenæ.12 2.
Fraudem committere. 65. 1.
Fraxinus. 2?0. 1.
Fregellæ.368.1.
Frigus acre. 16.1.
Frons tenuis.71.1.
Fructus & pomis. 517.1.
Fucus.182.1. 319.1.
Fuga deorum.312.2.
Fugax. 143.1.
Fulguris generatio.72.2.
Fulmina bruta. 72.2.
Fulminis generatio.72.2.
Fuluus color. 203.2.
Fumos vendere.209.1.
Fumus pro ambitione.209.1.
Fumus ex fulgore. 64 .2.
Fundanius. 399.2. 403.2.
Fundi.362.1. 367.1.
Fundus mendax.141.2.
Funeris curandi mos antiquus.480.2.
Funes Iberici.259.2.
Fungi campiniones. 463.2.
Fungi qui boni, qui mali. 463.2.
Furere. 442.2.
Furiare. 58.1.
Furnius.400.2.
Furnus.551.2.
Fuſcus Ariſtius.392.1. 400.2.
Futil 630.1.
Fuſius viuaculus.478.1.

G.

GABII. 551.1.
Gades. 87.1. 89.1. 97.1.
Gaditanum mare.147.2.
Gætulia. 116.2.
Garum.88.1.
Galeſus.92.1.
Gallinæ.476.2.
Gallonius præco. 417.2. 423.2.
Garganus. 124.2. 596.2.
Gargilius. 537.2.
Garrire aniles fabulas.490.1.
Garrulitas noxia.145.1.
Gauſape. 502.1.
Gaza.65.2.
Geloni.105.2. 137.2. 152.1. 155.1.
Genæ.58.1.
Genauni.245.1. 246.2.
Generoſus. 376.1.
Genius naturæ Deus.615.1.
Genua.184.1.
γεραιά.182.1.
Geryon 178.1.
Geſtire.140.1.

Gigas.156.1.
Gigantes vnde.135.1.
Glacies iners. 104.1.
Gladiatores petituri rudem. 509.2.
Glareani error.98.1.
Glaucus. 383.2.
Glomus.557.1.
Glycon 510.1.
Gnatia. 363.2.
γνῶθι [illegible] 121.2.
Gorgo Lacæna. 24.1.
Gracilis puer.19 1.
Gradus voluptatis in conuiuiis.101.2
Græcari.42?.2.
Græco more bibere. 189.1. 226.2.
Græcorum mos in vino miſcendo. 502.2.
Græcoſtaſis. 382.1.
Gragus. 52.1.
Gramioſus.338.2.
Grando.141.2.
Graſſari.480.1.
Gratiæ nudæ.66.1.
Gratiæ tres.230.2.
Guttus. 375.2.
Gyas.127.2.
Gyges.95.1. 96.1.

H.

HABERE manum in ſinu.448.2.
Hac viget lupus.417.2. 425.1.
Hædi.141.2.
Hæduli.46.1. & 2. 47.1.
Hæmonia. 81.1.
Halmyris.463.1.
Hamo præroſo fugere. 477.1.
Harpyia.423.1.
Hebrus. 199.2. 525.1.
Helicon.604.1.
Helleborus. 434.2.
Helleniſmus nominatiui pro accuſatiuo. 10.2.
Hemus.33.1.
Hera. 427.1.
ἥρα.4.2.
Heraclitus.603.2.
Hercules hydram contudit. 593.1. 598.2.
Hercules incubo.482.2. 485.2.
Herculis deſcenſus ad inferos. 14.2.
Heres ignotus. 129.2.
Hermogenes.398.2.
Hermus.287.1.
Herodis palmeta.614.2.
Heroes inducti in ſcenam vitioſi.418.2
Heſperia.78.1.
ἑοβχῳ ποδί. 145.2.
Hexametri varia nomina.614.2.
Hierobotane.139.1.
Hilla. 460.1. 470.1.
ἱππομανὲς. 156.1.
Hipponax.268.2. 269.1.
Hircus.282.1.
Hirudo. 638.2.
Hiſtoria pedeſtris.112.2.

Homerus auctor carminis heroici. 614. 2.
ὁμοφωνία.561.1.
Honores tergemini. 2.1. 3.2.
Horæ.3..2.
Horatius [illegible]. 101.1.
Horatius ſcriba. 483. 2.
Horatius tribunus militum ſub Bruto. 100. & 101.1.
Horatij odæ alia lectio. 16.1.
Horna vina.255.1.
Horrea.242.2. 306.1.
Hortari. 526.1.
Hortus. 4?5.1.
Hoſpitalitas.115.1.
Hyades.13.1.
Hybridæ canes. 383.1. 384.1.
Hydaſpes. 53.1.& 2.
ὑδ[illegible]. 464.2.
Hydrops. 87.1. 89.1.
Hydra Lernæa 224.1.2.
Hyleus centaurus.221.1. 222.2.
Hymettia mella. 421.1.
Hymettus.97.2. 98.2. 129.1.
Hymnorum plures ſpecies. 217.2.
ὕμνος 480.2.
Hyperborei. 136.2. 137.2.
Hypermneſtra. 173.1.
ὑποσάρκα.89.1.
Hypſa amnis. 238.1.

I.

IACTARE.9.1.
Iaculus. 203.2.
Ialemon. 238.1.
Iambe. 631.1.
Iambi celeres. 44. 2.
Iambicus triplex. 249.2. 258.2.
ἰαμβίζειν.614.2.
Ianigenæ. 134.2.
Ianua in limine.56.2.
Ianus ſummus. 516.1.
Ianus medius. 433.1.
Ianus biceps.433.1.
Ianus Deus mercatorum.441.1.
Ianus temporum Deus 483.1.
Ianuſdieſpiter.486.2.
Ianus Ganus.486.2.
Ianus feneratorum platea. 510.1.
Iapeti genus.13.2.
Iapyx.11.2. 203.2.
Iarbita. 584.2.
Iaſonis fabula.257.2.
Icarus.1.1. 216.2.
Ictus ſolis. 121.1.
Idem iugum trahere.77.2.
Idulia 112.1.
Idulia ſacra.393.1.
Idus Ioui ſacræ. 166.2.
Iecur amoris, fel iræ, ſplen riſus ſedes. 166.1.
Iecore amamus. 213.1.
Ignem gladio ne fodito.453.2.
Ilerda 588.1.
Ilia 7.1. 169.1. 320.1.
Iliona.434.1.

Ilithyia.265.1. 301.2.
Illacrymabilis.117.1.
Illidere dentem fragili.413.2.
Imagines triumphales.271.1.
Imaginaria venditio.475.2. 481.2.
Imi lecti conuiuæ.506.1.
Imminere.17.1.
Impedire.17.1.
Impotens ſperare.81.1.
Importunus.244.1.
Improbus.547.2.
Inachus.50.2. 187.1. 188.2.
Incerniculum.471.2.
Inceſtus.146.2. 148.2.
Incogitare.595.1.
Increbeſcere.48.1.
Incudi reddere.637.2.
Indignatio aut libera, aut tacita.259.2.
Indoles.122.1. 223.2.
Indulgere.89.1.
Ineptus.340.2.
Inexorabilis.117.2.
Infidus & perfidus.77.1.
Inflare buccas.505.1.
Inflare vtrem.480.2.
Ingenuus.376.2.
Ingluuies.317.1. 322.1.
Inimicare.248.1.
Inimicitia vel à natura vel volunta-
te.259.2.
In luto hæſitare.497.1.
Ino.626.2.
Inominata.290.1.
Inſitio.189.1.
Inſtita.317.1. 323.1.2.
Inſtitor.163.2.
Inſtitores.294.1. 296.2.
Intacta ceruix.95.2.
Intactæ boues.275.1.
Intactum.197.1.
Intaminati.143.1.
Integer.127.1.
Intentata.19.1.
Interlunium.58.1.
Interpretis fiditria.641.1.
Inteſtabilis.435.2.
Intubus.321.1.
Intus procurrere.385.1.
Inuenior.471.2.
Inuerecundus Deus.279.2.
Inuidentia.524.1.
Inuidere.97.2.
Inuidia.524.1.
Inuidia maior.136.2.
Inuitum ſeruare.638.2.
Inula.423.2.
Io.626.2.
Iobus.141.2.
Iocus.311.1.
Iocus ſæuus.71.1.
Iolchos.265.1.
Iones auctores vnguentorum.160.2.
ab Ionibus vnguenta.91.2.
Ionica verba.163.2.
Ionici motus.161.2.
Ionicus riſus.163.1.
Ira.574.1.
Ira Dei lenta eſt.141.1.
Ire per extentum funem.603.2.
Irrito.209.2.
Iſter.247.1.
Iſthmicum certamen.218.1.
Italum acetum.385.2.
Itys.142.1.
Iudæi curti.392.2.
Iugurtha.374.1.
C. Iulius Cæſar.120.2.
Iunices.118.2.
Iuno Matrona.156.1.
Iuppiter fulminator.14.2.
Iuppiter opt. max.35.2.
Iurare per cineres matrum.103.2.
Ius operarum in ſeruis.369.2.
Ius peieratum.102.2.
Iuris componēdi ratio duplex.470.2.
Iuris propria.586.1.
Iuſiurandum conceptis verbis.286.2.
Iuſtitia.127.2.
Iuſtum & æquum quid differant.
335.1.
Iuuenari.643.2.
Iuuenes imberbi.641.2.
Iuuenes telluris.112.1.
Iuuenta, iuuentas, iuuentus.67.1.
Ixion.626.2.

K.

KALENDAE Iunoni ſacræ.166.2.
ad Kalendas Græcas.344.1.

L.

D. LABERIVS.401.1.
Labrorum tres ordines.506.2.
Lacænæ puellæ.110.2.
Lacedæmon patiens.21.2.
Lacerna.497.2. 498.1.
Laceſſo.129.1.
Lachanus.381.2.
Laconici canes.269.2.
Lactucæ ſumtio.469.2.
Lædere.187.2.
Lælius.409.1.
Læſtrygones.185.1.
Lagana.375.2.
Lagois.416.1. 421.2.
λαλεῖ.566.2.
Lamæ.556.2.
L. Ælius Lamia.59.2.
Lamia.634.1.
Lamina.87.1. 88.2.
λαμπαδοῦχοι.354.1.
Lamus.185.1.
de Lana caprina.584.1.
Lanea effigies.589.2.
Lanitondium.254.1.
Lapathus ἀρτυματώδης.465.1. & 2.
Lapathum.255.2.
Lapis parius.49.2.
Lapithæ.48.2.
Laquearia.121.2. 124.1.
Lararium.67.1.
Lardum.488.2.
Lares proprij.488.2.
Lares grundules.448.1.
Lariſſa.14.1. 21.2. 228.2.
Laſanum.375.2.
Laſciui pueri.347.2.
Laſciuiæ verba.58.1.
Lateribus parcendum.101.2.
λαθικήδεας.571.2.
Latrare pellem ceruinam.524.2.
Latrones.554.2.
Lauerna.567.2.
Lauere pro lauare.174.1. 176.1.
Laurus cuſtodiæ ſymbolum.101.2.
Laurea.121.1.
Laurea ſola non icitur fulmine.121.2.
Laureatæ litteræ.178.1.
Laxo ſinu ferre.448.2.
Leæna.190.1.
Lebedus.551.1. 552.2.
Lecti archaici.530.1.
Lectica.317.1.
Lectus genialis.517.2.
Leges incidere ligno.646.1.
Leges inſanæ.484.1. 489.1.
Legiones magnæ & paruæ.376.2.
Lentiſſima brachia.396.1.
Lenum.200.1.
Leporis fecunditas.461.2.
Leporis armi.467.2.
Lepos archimimus.484.1.
Lesbium vinum.47.1.
λήθαργοι.442.1.
λήθαργος.442.1.
Lethargus.433.2. 435.1.
Lex adulterij.493.2.
Lex Satyra 407.1.
Lex marita.299.2. 301.2.
Lex tabellaria.414.2.
Lex theatralis.510.2.
Lex tabellaria.634.1.
λευκόπεζα.110.1.
Libare.489.1.
Libandi varius modus.176.1.
Liber quis.500.1.
Liberia vallis.88.1.
Libertas Saturnaliorum.492.2.
Libertatis vis.643.2.
Libertina.324.2.
Libertini ſine gente.474.1.
Libertinus.414.1.
Libido damnoſa.601.2.
Libitina.485.1. 486.1. 594.1.
Libonis puteal.586.1.
Libum.543.2.
Liburna 249.2. 251.2.
Liburni ſerui.81.2.
λιβυκὸν θηρίον.54.2.
Licentia indomita.597.1.
Licinus.632.2.
Licoris.400.2.
Licoris mima.318.2.
Lictor.122.2. 124.1.
Lignum inutile.388.1.
Ligurrire.545.1.

Lingua.

Lingua magna.228.1.
Lino. 51.1.
Lipatis.175.1.
λιπαρῶς γηράσκειν.426.2.
Lippis & tonſoribus notum.384.2.
Lippus.338.1.
Liris. 67.2. 184.2.
Littus pro campo. 152.2.
Littus iniquum.104.2.
Lituus.2.1.
Lixæ.318.1.
Liuius Andronicus.594.1. 600.2.
Loculi.510.2.
Locus apricus. 389.1.
λῃστρικὸν.644.2.
Loligo.351.2. 355.2.
Lolium.490.1.
Loqui eſt artis.345.2.
Lorica.15.1.
Luceria.179.1. 180.1.
Lucilius.409.2. 411.1. 413.2.
Lucina.261.1. 265.1.
Lucretilis.46.1.& 2.
Lucrinus. 255.2.
Lucrinus ſinus. 120.2. 459.2.
Luctus inanis turpis. 136. 2.
Luculentus. 350.1.
L.Lucullus.76.1.
Luculli chlamydes. 536.2.
Lucus, ἄλσος. 639.2.
Ludi publici religionis ergò inſtituti. 643.1.
Ludi ſeculares.298.2.
Ludicra.543.1.
Ludus.361.2.
Lumina prima.613.2.
Luna noctiluca. 229.2.
Lupata. 26.2. 27.1.
Lupi Apuli.70.2.
Lupus an λάβραξ.422.2.
Lupus Martialis.46.6.
Lupus Tiberinus.422.1.
Luridi 241.1.
Luſtra.380.1.
Luſtra mala.374.2.
Luteus color. 278.1.
Luthienus Theon. 579.1.
Lutulentus. 350.1. 404.2.
Luxuria.479.2.
Lyæus. 25.1.
Lycambes. 268.2.
Lycas.609.2.
Lyceus.46.2.
Lycurgus.132.1. 134.2. 188.2.
Lycus.69.1.
Lycymnia.111.2. 112.2.
Lydi.206.1.
Lydus.376.2.
Lynceus. 319.2.
Lynceo perſpicacior.515.2.
Lynx.116.2.
Lyra imbellis.21.2.
Lyræ & citharæ differentia. 31.1.
Lyrici carminis materia.2.2.
Lyrici quinque dialectos habêt.219.2.
Lyrici Græci. 5.2.
Lyrici poëtæ Græci.217.2.
Lyſippus.597.1.

M.

MACELLVM.452. 1.
Machinæ.16.2.
Mæcenas.1.2. 3.1.
Mæcenas eques.51.1.
C.Mæcenas Cilnius.405.2.
Mæcenatis origo.3.1.
Mænius.132.2. 338.1.
Mæonia.255.2.
Mæuius.276. 2.
Magganum.28.1. 29.1.
Magna Græcia. 399.2.
Magnella.164.1.
Magus. 604.1.
Maia.10.1.
Maiores.573.2.
Mala omina.177.1.
Mala initium bellariorum. 331.2.
Malaber.105.2.
Malè parta malè dilabuntur.196.2.
Malignus.364.2.
Mallius Pantolabus ſcurra. 386.2.
Malobathrum.99.2. 100.2.
Malthinus.317.2.
Maluæ leues.67.2. 68.2.
Mamurra.362.1. 367.2.
Mancipare. 274.2.
Mancipia. 275.1.
Mancipium vitale.495.2.
Mandela.579.2.
Mandronis ficulna nauis. 261.2.
Manes. 15.2. 17.2.
Mango.611.1.
Mania 447.2.
Manicæ.570.2.
Manni.260.1.
Mannus.101.1.
Mantile.531.2.
Manubiæ deorum.6.2. 7.2.
Mappa.531.2.
C. Marcellus.54.2. 56.2.
Mare Barbarum.132.2. 155.1.
Mare Circæum. 459.2.
Mare Miſenum.459.2.
Mare Siculum.112.1.
Mareotis. 80 1. 81.1.&.2.
Marica. 184.2. 185.2.
Maritare viteis.254.1.
Mariti ſubiugi.71.1.
Marmor Thebaicum.129.1.
Marſi.264.2. 291.2. 296.2.
Marſia.375.2.
Marſyas.382.1.
Martis comites. 10.1.
Martius campus ad Tiberim. 27.1.
C.Martius Turius. 408.2.
Maſſagetæ.75.1. 77.2.
Maſſicus mons 2.1.
Mater pudenda.94.1.
Matini campi. 151.1.
Matertera comœdia Attæ.594.2.
Matinus. 62.2. 64.1.
Matinus mons. 269.2. 292.2.
Matrona.325.1.
Matronæ togatæ. 318.2.
Matronalia feſta.166.2.
Mazonomus.503.2.
Meare.17.2.
Spur.Mecius Tarpa. 635.2.
Mecius Tarpa.399.2.
Medea.626.2.
Mediaſtinus.560.2.
Medicata fuco.159.1.
Medus.105.2.
Medico neceſſaria. 435.1.
μεγαλοτροφία. 228.1.
μεγαλόψυχος. 522.1.
Metere in patrio cinctu.638.2.
Mel Sardum.421.1.
Meleager. 578.2.
μετ' ἐμφάσεως.459.2.
Melimela. 471.2. 477.1.
Mellameſſio. 254.1.
Melpomene.56.2.
Membrana.439.2.
Memphis.100.2.
Menandri dictum.633.2.
Mendici.311.1.
Mendici vocabulum.179.2.
Menelaus. 540.1.
Menenia gens.455.2.
Menenius.438.1.
Mens.146.2.
Mens iniqua.394.1.
Menſa.114.2.
Menſa tripatina.504.1.
Menſa tripes.337.2.
Menſæ primæ.2.3. 428.1.
Menta Plutonis pellex.389.1.
Mentis error. 614.1.
Mercurius.116.2.
Mercurius ἀλεξίκακος.
Mereo.634.2.
Meretricia tria.498.2.
Meretricum iactantia.93.2.
Meriaba. 66.1.
Meritorij coma. 96.2.
Merum. 554.1.
Merum molle.25.1.
Meſſalla Coruinus.399.1.
μετὰ μονοῦ. 59.2.
Metata. 120 1.
Metaurus.121.1.
Ateius Metellus.182.2.
μετεμψύχωσις. 94.1.
Methymna.503.1.
μέτρον.42.2.
Metrum impar. 614.2.
μικρόψυχοι. 464.2.
Midas.133.2.
Miles turpis.159.2.
Milites cincti.529.2.
Militari.150.2. 252.2.
Militia à mollitia 310.2.
Mille talenta rotundentur.536.2.
Milo Crotoniates. 510 2.

Milonius 408.1.
Minias.116.1.
Minium.321.1.
μιμεῖσθαι.401.1.
Mimi primæ partes.578.3.
Minans.433.2.
Minerua abnormis.420.1.
Minimo digito prouocare. 350.2. 354.1.
Minos 62.1.
μινύρεσθαι.336.2.
Minturnæ 185.2. 529.1.
Minutius.531.1.
Mirmillones.488.1.
Mirum quantum.61.1.
Miſcere vinum aqua. 189.1.
Miſere.593.2.
Mitulus.459.2. 465.1.
Mitylene.23.2.
eſt Modus in rebus.307.2.
Modus agri.485.1.
Modi Muſici ſeptem.272.1. 273.2.
Fab. Mœnius Pantolabus.564.2.
Moles in altum iactæ.139.2.
Moles regiæ 119.2. 120.1. & 2.
Moloſſa.484.2.
Monæſes.161.1. 162.2.
Monere. 526.2.
Monitor Horatij. 513.1.
Monſtra.8.2.
Montes trifariam diuiduntur.150.1.
Monumentum. 211.2.
Mora poſt cibum noxia.464.2.
Morbus regius.638.2.
Morbus acutus. 447.1.
Moretus.55.1.
Moroſus.635.1.
Mors vltima linea rerum.570.2.
Mortis gradus tres.11.2.
Mos antiquorum in epulis.101.1.
Moſchus. 529.2.
Motus ciuilis Roman. initium. 84.2.
Μυκτηρίζειν.139.1.
Mulctrum.290.1.
Mullus.422.2.
Mulſum.459.2.
L. Mummius.75.2.
Munditiæ cœnarum ſollemnium. 505.1.
Munditiis menſæ grata.471.2.
Mundus Dei prouidentia regitur. 142.1.
Munero, muneror. 254.2.
Munus larium.447.2.
Murcia.550.2.
Muræna.342.2.
Muræna patinaria.506.1.
Muria 460.1.
Muriæ tria genera.506.2.
Murices.281.2.
Murus aeneus.516.2.
Muſcus. 547.1.
Muſæ 55.2.
Muſæ cæleſtes.153.2.
Muſarum delubra in ſiluis.154.2.
Muſonij dictum.449.2.
Muto, 318.2. 325.1.
Mutonium. 325.1.
Mygdonia. 184.1.
Myrteta 562.1.
Myrti genera tria. 17.1.
Myrti ramus.82.2.
Myrtilus.2.1.
Myrtoum mare.2.1.
Myſtes.105.1.

N.

NAEVIVS. 307.1.
Cn. Næuius poëta.600.1.
M. Pacuuius.600.1.
Naphtha.267.1.
Nardum.267.1.
Nare ſine cortice.351.1. 356.2.
Naris emunctæ.349.2. 353.2.
Naſidius.504.2.
Natiui.576.2.
Natta 375.2. 382.1.
Natura ſemper eſt in motu. 628.1.
Natura pecuniæ. 55.2.
Naturæ vis duplex. 301.1.
Naturæ conſeruandæ 4. neceſſaria. 345.2.
intra Naturæ fineis viuere. 305.2.
Naturam expellere furca. 549.2.
Naues turritæ.251.1.
Naufragi tabulæ. 18.2. 19.2.
Nauſeare. 511.1.
Ne.313.2
Neapolis otioſa. 263.2.
Nebulo. 307.1.
Nebulones 317.1. 520.2.
Neceſſitas. 197.1.
Necromantia.262.1.
Nemeſis vltrix magniloquentiæ. 317.2.
Nemeus ludus.218.1.
Neniæ.84.2.
Nepos.354.1.
Nepos Græcum an Latinum.388.2.
Nepos vnde.250.2. 252.2.
Nequitia.179.2.
Nequities.419.1.
Nerei vaticinium 41.1.
Nereides.206.2.
Nerius. 434.1.
Nerones priuigni Augusti.222.1.
Neſſus.258.1.
Neſſus centaurus.294.2. 296.1.
νεωτερίζειν. 382.2.
νεωτέρας 499.1.
Nidor.456.2.
Nidore naſum ſupinari.493.2.497.2.
Nili origo. 247.1.
Nimiæ.611.2.
Niobe. 227.1.
Niphates. 104.2. 105.2.
Nireus. 190.1.
Niſi pro quàm.40.1.
Niſibis.611.2.
Nitor.416.2.
Nodus.642.1.
Nodus vipereus.135.1.
Nomina 322.1.
Nomina recta.601.1.
Noricus enſis. 44.1.
Norma 119.2. 120.1. 482.2.
ὁ νοῦς ἀποδημεῖ. 555.1.
Notus.11.2. 13.2. 46.2.
Notus albus.22.1. 24.1.
Notus comes Orionis.64.2.
Noua incus.77.1.
Nouus homo.574.2.
Numa Pompilius. 34.1.
Numantia fera.112.1. 112.1.
Numerus Saturnius. 595.2. 602.1.
Nummos metiri.313.2.
Nunc tempus erat.8.1.
Nux caſſa.478.1.
Nymphæ diſcentes.131.1.
Nympharum genera 66.1.
Nymphæ ſimplices.102.1. 103.2.
νυμφόληπτος.134.1.

O.

OBESVS. 281.2. 283.1.
Oblimare.318.2.
Obſoleo.104.2.
Obſoletus.104.2.
Obſonia. 423.1.
Obſtipus. 475.2.
Obſtinatus. 173.1.
Occa.614.2.
Occare 614.2.
Occidere & concidere. 55.2.
Occupet extremum ſcabies. 657.1.
ὄχλος. 426.2.
Octauius.405.2.
Octuſſis.446.2.
Oculi incerti.603.2.
Oculus irretortus.89.2.
ὄκνος.500.1.
Odium. 522.1.
Oenophorum.375.2.
Ofellus. 417.2. 420.1.
Ohe.365.1.
οἰνάριον. 51.1.
οἰνομέλι.464.2.
Olea oliua.460.2.
Oleum camino addere.457.2.
Oleum oliuum.460.2.
Oliuam decerptam fronti præponere.24.1.
Olympias.1.2.
Olympicum certamen.218.1.
Omaſum. 474.2. 478.1.
Omaſus. 561.2.
ὄναρ.480.2.
Onyx.141.1. 142.1.
Opella forenſis. 541.1.
Opera regia.614.1.
Operari pro ſacrificare.177.1.
Opigena.165.1.
Opimius pauper 435.1.
Opimus ab ope. 68.1.

Oppe-

Oppedere. 396. 1.
Oppidum vnde. 349. 2.
ὀμφαλόεις. 398. 2. 401. 2.
ὀψοφαγία. 311. 1.
Opus, untis. 60. 1.
Opulento. 566. 2.
Orbilius. 594. 1. 600. 1.
Orbis vilis. 627. 1.
Orbius. 609. 2.
Orca. 460. 2. 470. 2.
Orcus. 478. 2.
Ordinare annos affluenteis. 239. 2.
Ordo lucidus. 623. 1.
Ori. 610. 1.
Orichalcon. 639. 2.
Oricum. 165. 1.
Origo. 400. 1.
Origo mima. 318. 2.
Orion. 114. 2. 116. 2. 153. 2. 202. 2. 204. 1.
Orni gaudent ſaxoſis locis. 205. 1.
Orphei fabula expoſita. 636. 1.
Orpheus. 33. 2. 35. 1. 55. 2.
Orci. 362. 1.
Oſcines. 202. 2. 204. 1.
ὀσφρανόδερμα. 465. 2.
Oſtreum. 209. 1. 550. 1.
Oſtrogothi. 75. 1.
Oſtrum. 209. 1. 550. 1.
Otium. 123. 2.
Otium amoris occaſio. 204. 2.
Otium veneris ingratum. 41. 1.
Otto Roſcius. 510. 2.
Oua vilia. 413. 2.
Oua longa. 419. 1. 462. 1.
Oues pellitæ. 98. 1.
Oues Altinates. 114. 1.
Oui albumen in vino clarificando. 469. 1.
Ouium duo genera. 98. 1.
Ouum cœnæ initium. 332. 2.
Ouum geminum. 627. 2.
ὀξυλάπαθον. 465. 2.

P.

PACTOLVS. 287. 1.
Padus. 139. 1.
Pænula. 551. 2.
Pætus. 333. 2. 540. 1.
Pagus. 187. 1.
παιπάλη. 336. 2.
παῖς. 364. 2.
Palæpaphus. 67. 1.
Palæſtra decora. 30. & 31. 1.
Palinurus. 153. 2.
πάλλα. 632. 1.
Palla. 319. 2.
Palma. 472. 1.
Palmetum. 610. 1.
Palpor, palpo. 407. 2.
Pan παντοτρόφος. 47. 1.
Panætius. 66. 1.
Panis cum ſale. 421. 1.
Panis ſecundus. 595. 1. 601. 2.
Pantilius. 400. 1. 405. 2.
Paphos. 206. 2.
Paphus. 66. 2.
Par pari coëat. 531. 2.
παρὰ τὸ μέρος. 581. 2.
Parcæ. 127. 2.
Parcæ veraces. 299. 2.
Parcus cultor. 72. 1.
Parthenium. 81. 2.
Parentes clariſſimi. 129. 2.
Parnaſſus. 33. 2.
Parochi. 362. 2. 368. 1. 2.
Parra. 202. 1. 203. 2.
Parrhaſius. 232. 1. 233. 2.
παῤῥησιαστής. 340. 2.
Parthini. 86. 1.
Parthis mendacior. 595. 1. 601. 2.
Parturient montes. 627. 1.
Parum locuples. 130. 2.
Paruum parua decent. 542. 2.
Paſtillus. 323. 1.
Patara. 155. 2.
Patera. 233. 1.
Patres. 246. 1.
Patronus. 478. 1.
Patrua lingua. 174. 1. 175. 1.
ne ſis Patruus mihi. 434. 1. 444. 2.
Pauimentum. 117. 2. 119. 1.
Pauperes in cœnaculis habitabant. 547. 1.
Pauperies. 4. 1. 198. 1. 417. 1. 423. 2.
Pauperies anguſta. 142. 2. 144. 1.
Pauperis vocat ulum. 173. 2.
Paullas. 494. 1.
Pectines. 459. 2. 466. 2.
Pecus. 6. 1.
Pedana regio. 517. 1.
ſuo ſe Pede metiri. 543. 2.
Pedem ſtruere. 397. 1.
Pediatius. 387. 2.
Pedibus nudis ſacrificandum. 389. 2.
Pedius Publicola. 399. 1.
Pegaſus. 60. 1.
Peierare. 103. 1.
πέλαγος. 107. 1.
πελάτης. 110. 1.
Peleus. 164. 1. 625. 2.
Peligni. 189. 1.
Pelliculam curare. 478. 1.
Peloris Lucrina. 466. 1.
Penelopa. 479. 2.
ſponſi Penelopæ. 510. 2.
Penis. 182. 1.
Pennas nido maiores extendere. 589. 2.
Penteus. 438. 1.
Pentheus. 134. 2.
περιανθίδιον. 317. 1.
Permolere. 318. 1. 323. 2.
Periſcelides. 576. 1.
Perna. 427. 2. 470. 1.
Perſæ. 9. 2.
Perſæ infidi. 248. 1.
Perſica arma. 51. 2.
Perſoluere penſum. 205. 1.
Peruicaces. 294. 1.
Peſtis comes eſt famis. 52. 2.
Petaſo. 470. 1.
Petilius Capitolinus. 351. 2.
Petorrita. 375. 1. 596. 2.
Phæaces. 561. 2.
Phalanga. 16. 2.
Phalanthus. 97. 2. 98. 1.
φιλολογία. 354. 1.
Pharmacopolæ. 321. 1.
Phaſelus. 1. 3. 2.
φιλαθρώπως. 612. 2.
φιλαυτία duplex. 49. 1.
Philippi. 9. 2.
Philippi Macedonis dictum. 183. 2.
Philippi nummi. 597. 1.
L. Philippus. 541. 2.
Philomela. 241. 2.
Philoſophia expiatio vitiorum. 510. 2.
Philyra. 82. 1.
Phocæa ciuitas. 189. 2.
Phraates. 8. 2. 89. 2. 554. 1.
φραδμοσύνη. 213. 2.
Phroneſis. 433. 2.
Phryges. 93. 2.
Phrygius lapis. 142. 1.
Phryne. 285. 1.
Phthia. 218. 1. 2.
φθίσις. 194. 2.
φυγάς. 570. 2.
Phymus. 493. 1. 496. 2.
φυτάλματα. 640. 2.
Piaculo. 61. 1.
Picus Martius. 204. 1.
πίειν ἄμυστι. 47. 1.
Pieria. 155. 2.
Pietas. 118. 1.
Pila. 355. 2. 368. 2.
Pilenta. 596. 2.
Pilius Neſtor. 43. 2.
Pimpla. 59. 2.
Pimpleides Muſæ. 58. 2.
Pindus. 33. 2.
Pinguedo prægrauat. 335. 1.
Piper album. 471. 2.
Pirithous. 156. 1.
πιθοίγια. 402. 1.
πιττάκια. 655. 1.
πιτύη. 51. 2.
Placea Hypſæa. 319. 2.
Plagæ. 4. 2. 158. 1. 254. 2.
πλανήτης. 555. 2.
Planus. 578. 1.
Platonis dictum. 441. 1.
Platanus cælebs. 120. 2.
M. Act. Plautus. 600. 1. 603. 1. 644. 1.
Plebeius. 449. 1.
Plotinus. 380. 2.
πλευρίτις. 447. 2.
Ploſtellum. 437. 1.
Plutonis domus. 17. 2.
Plutonis regia. 130. 1.
ποδάγρα. 79. 1.
πολυτέλεια. 417. 2.
poëma κυκλικόν. 641. 1.
Pœna periurij. 163. 1.
Pœnitere. 279. 1.

Pœna

Poëtæ in quibus culpantur. 597.1.
Poetæ & pictoris commiſſio inter ſe. 639.1.
ποιητικὴ ἀναφορά. 442.2.
ἐκ τρίγωνος. 442.2.
Polemon. 437.1.
vtroque Pollice. 582.2.
Pollio. 399.2.
Pollio conſul. 86.1.
πῶνος. 437.1.
Polydorus. 445.1.
Polymneia. 5.1.
Polypus. 182.1. 283.1. 335.2.
Poma aurea. 215.1.
Pompeius Grosphus. 554.1.
Sextus Pompeius Neptunius. 272.2.
Ponere ſub nudo pede. 190.2.
Ponere in fenore. 257.1.
Ponere modum. 44.1.
Pons Fabricius. 433.2.
Popino. 493.2.
Populea corona. 25.1.
Populus alba. 90.1.
Porcius Cato. 84.1.
Porcus Græcum. 602.1.
Porcus pro homine ſacratus. 448.1.
Porphyrion. 116.1.
Porrigo. 435.1. 445.2.
Porrum trucidare. 556.1.
Porſena. 288.2.
Porticus 120.1.
Poſinactum. 26.2.
Poſita in medio. 554.2.
Præbere ſpeciem ſcurrantis. 580.1.
Præcones. 375.1.
Præfectus conuiuij. 18.1.
Præficæ 637.2.
Prægeſtire. 96.1.
Prægrauare arteis. 598.2.
Præmia frontis vrbanæ. 546.1.
Præpetere. 204.1.
Præpetes. 202.2. 204.1.
Præs. 310.2.
Præſidium. 3.1.
Prætexta & bulla inſignia filiorum patriciorum. 265.1.
Prætorius Alcllius. 424.1.
Prenſare manus. 396.1.
Priamus. 31.1.
Priamus à Mercurio ad Achillem deductus. 296.2.
Priapus. 388.1.
Priapus δρεπανοφόρος. 388.2.
Prima cera 474.2. 478.1.
Primitiæ laribus ſacræ. 474.1. 477.1.
Principibus viris placere. 575.1.
Principium dimidium totius. 523.1.
πρίσμα. 460.2.
Priuum. 474.1.
Procari. 489.1.
προσαπαίτησις. 646.2.
Procul. 156.1.
Proculeius. 87.1.
Procurator. 478.1.
Procyon. 176.1. 208.1. 209.2.
Prodigalitatis damnum & dedecus. 418.2.
Prodromi. 241.2.
Prœlia virginum. 21.2.
Profani. 139.1.
Profeſtæ luces. 248.1.
Progne. 240.2. 241.2.
Prohibendo. 322.2.
Promethei fabula. 44.1. 45.1.
Prometheus. 32.1. 114.1. 116.1.
Prometheus calidus. 131.1.
Promus. 416.2.
πρόμος. 249.2.
Propago. 254.1.
Properare. 517.2.
in Propria pelle quieſcere. 577.2.
Propria vineta cædere. 604.1.
Proſcribere 384.1.
Proſequi. 393.2.
Proſerpina furua. 115.2.
Proſerpina Hecate. 390.1.
Proſeuchæ Iudæorum. 358.1.
Proſtare. 588.2.
Proteruitas grata. 49.2. 50.1.
Proteruus. 173.1.
Proteus. 434.1.
Ptiſana. 446.1.
Pubes. 58.1. & 2.
Publicani. 517.1.
Publicani in licitando. 502.2.
Pudens praue. 625.1.
Pudere. 279.1.
Pudor malus. 442.2.
Pueri. 364.2.
Pueritiæ. 79.1.
Pugiles. 219.2.
Pulpita. 629.2. 632.1.
ſine Puluere. 228.2. 516.2.
Puluis Olympicus. 3.1.
Puluillus. 271.1.
Puluinaria. 20.1.
Pumex. 32.2. 588.2.
Puppius. 510.2.
Pupulæ intabeſcentes. 266.1.
Purpura Laconica. 130.2.
Purpurei tyranni. 75.2.
Purpureum. 95.1.
Pus. 383.1. 384.1.
Puteal. 483.2. 487.2.
Puteſcere 449.2.
Puticolæ. 267.2.
Puticuli. 386.2. 388.2.
Pyga. 319.2.
Pyramides. 211.1. & 2.
Pyrrha. 6.2. 8.1.
Pythagoræ transformatio. 287.1.
Pythagoras. 61.1. 64.2. 458.1.
Pythagoras à fabis abſtinuit. 484.1.
Pythagoricum dogma. 380.2.
Pythia 637.1.
Pythicum certamen. 228.1.
Pythius. 10.1. 44.1.
Pythius incola. 45.1.

Q.

QVADRA. 575.2.
Quadra propria viuere. 575.2.
Quadrans. 347.2.
Quadrans ratitus. 4.1.
Quadruplator. 322.2.
Quatenus. 196.1.
Quatinus. 196.1.
Quid diſtent æra lupinis. 542.1.
Quieſcere in propria pelle. 573.2.
Quinas centeſimas exſecare. 322.1.
Quinquatres. 610.1. 615.2.
Quot homines, tot ſententiæ. 408.1. 410.1.
Quum pro quamuis. 25.1.

R.

RABIES canis. 549.1.
Rapulum. 417.1.
Rates. 4.1.
Ratio diſcumbendi veterum. 505.2.
Ratitus quadrans. 347.2.
tu Recte viuis, ſi curas eſſe quod audis. 569.1.
Recantare carmina. 44.2. 45.2.
Redamtruare. 600.2.
Redemtor. 141.1.
Redonare. 99.2. 100.2.
Reges. 319.1.
Reges ἄκευσαι. 133.2.
Regnauit populorum. 212.2.
Regnata. 97.2.
Regnum triſte. 145.2.
Reguli ſupplicia. 160.1.
Regulus exſul egregius. 160.1.
M. Regulus. 34.1.
Regum mores in explorandis animis. 637.2.
in Religione pius Deorum cultus. 396.2.
Relino. 51.1.
Remiſcere. 627.2.
Reparatus pro emtus. 68.1.
Reponere. 626.2.
Repotia. 417.2. 424.2.
Repulſam pati. 141.1.
Rerum puræ ſunt plateæ. 613.1.
Reſcribere. 434.1. & 2.
Reſponſare. 510.1.
Retia. 254.2.
Reticulum. 312.1.
Rex eris. 516.2.
Rhæti Vindelici. 222.1.
Rhamnes. 634.1.
Rheeus. 132.2. 135.1. & 2.
Rhodos. 23.2.
ῥιζόσπαγμα. 19.1.
ῥοδουντία λευκή. 19.1.
Rhombus. 255.2. 320.2.
ῥωποπωλεῖα. 549.1.
Rictus. 398.2.
Rictus lupi. 390.1.
Ridiculum. 401.2.
Ringi. 609.2. 614.1.
Riſus. 401.2.

Riſus lentus. 123.1. 125.1.
Rituales libri Etruſcorum. 223.2.
Ritus ſacrificandi veterum. 450.1.
Ritualis. 607.2.
Rixa Centaurea. 48.1.
Romana militia. 420.2.
Romanæ iuuentutis exercitia. 215.2.
Romuli ſepulcrum. 289.1.
Romulus. 34.1.
L. Roſcij Ottonis lex theatralis. 260.1
Roſmarinus. 194.2.
Roſtra. 160.1.
Rubus. 54.1.
Rudiæ. 370.2.
Rudis. 509.1. 512.1.
Ruris honores. 47.1.
P. Rutilius Lupus. 409.1.
Rutrum. 477.2.

S.

SABA. 66.1.
Sacerdotes Auguſtales. 417.2.
Sacra via. 170.1. 593.1.
Sacramentum perfidum. 127.1.
Sacrum ſilentium. 12.1.
Sacculanj. 372.2.
Saga. 60.1. 61.2.
Sagana. 387.1.
σαγμάτια. 613.1.
Sagum lugubre. 273.1. 275.1.2.
Sagi duo genera eadem.
Salamin. 23.1.
Salamis ambigua. 23.1. 25.2.
Sale defricare. 398.1. 401.1.
Salem lingere. 337.2.
Salernum. 562.1. 565.2.
Saliare carmen Numæ. 194.2.
Saliares cœnæ. 79.2. 80.1.
Salij. 215.2.
Salij ſacerdotes. 78.2. 79.1.
Salinum. 122.2.
Saltationis tria genera. 550.2.
Samnites. 613.2.
Sanctum. 226.1.
Sanna. 373.1.
Sapientia inſaniens. 71.2. 72.2.
Sappho Æolis. 234.2.
Sappho tribas. 115.2.
Sapphus puellæ. 115.2.
Sarculus. 2.1.
Sardinia. 68.1. 633.2.
Sardinienſis. 332.1.
Sardis. 551.1.
Sardus. 335.1. 336.1.2.
Sarmadaci. 375.2. 381.2.
Sarmentus ſcurra. 369.1.
Satelles orci. 111.1.
Saturiani fundi. 374.2.
Saturnalia feſta. 495.2.
Saturni ſidus. 128.1.
Satyræ origo. 109.2.
Satyri vnde dicti. 643.2.
Satyri capripedes. 131.1. 133.2.
Satyri riſores. 630.1.
Satyri veloces. 46.1.
Satyrorum tenta. 133.2.
Scæua luxurioſus. 408.2. 412.2.
Scalæ Gemoniæ. 178.1.
in Scalis latuit. 608.2. 611.2.
Scalprum. 425.1.
Scamander. 284.1.
Scari. 255.2.
Scarus. 421.2.
Scaurus. 333.2. 340.1.
Sceleſtus. 270.1.
Scelus. 270.1.
Scelus turpe. 77.2.
Scenarum tria genera. 643.2.
Schnebergum. 88.1.
σχοινοβάται. 199.1.
Sciomantia. 262.1.
Scipio maior Linterni ſepultus. 173.1
Scobis, ſcobes. 460.2.
Scopas. 252.1.2.
Scorpius. 126.2. 127.2.
Scortum. 109.1.
Scrinia. 307.2.
Scribæ recocti. 474.2. 478.2.
Scribere. 20.1. 434.1.
Scriptor cyclicus. 641.2.
Scruta. 543.1.
Scriptores. 20.2.
Scurra vnde. 374.1.
Scurra infidus. 577.2.
Scutica. 335.1.
Scyphus. 61.2.
Scythæ. 195.2. 302.2.
Scythæ profugi. 74.2. 75.2.
Scythes. 108.2.
Secula diſtincta metallis. 291.1.
Sedes Orci. 130.1.
Seges. 183.2.
Segnitia. 286.1.
Sehnum. 358.2.
Sella curulis. 533.2.
Semele. 49.1.
Aſinius Sempronius Rufus. 47.2.
Senatores. 245.1.
Senatores conſcripti. 633.1.
Senatuſconſultum de fenore.
de Sene guſtare. 479.2.
Senectus cruda. 411.2.
Senes parci. 102.2.
Senium camœnæ. 181.1.
Senum amicitia vtilis. 476.2.
Titius Septimius. 521.2.
Sepulcrorum loca. 389.1.
Seſtertius. 612.1.
Q. Serenus Sammonicus. 89.1.
Seres. 65.2. 209.1.
C. Sergius Orata. 120.1.
Seris. 121.1.
Sermo duplex. 552.2. 557.2.
Seruia neceſſitas. 76.1.
Seruire ſcenæ. 513.2.
Seruius Galba. 118.1.
Seruius Oppidius. 435.2.
Seruius Rullus. 404.2.
Seruius Tullius Rex Rom. 373.1.
Sibi deeſſe. 407.2.
Sibylla. 301.2.
Sica. 349.2.
Sicarij. 349.2.
Siccare calices inæquales. 489.1.
Siccus omnia dura. 48.2.
σικύαι. 612.2.
Sidera certa. 122.2.
Sidon. 550.1.
Signa militaria. 25.1.
Sileni Alcibiadis. 499.2.
Silenus Virg. 133.2.
Silurus. 424.1.
Simplex. 334.2. 341.2.
Simplicia apparent ebriis multiplicia. 410.2.
Sincerum vas incruſtare. 334.2. 341.2.
Singultim. 374.1.
Sinueſſa. 362.2. 368.2.
Sinus Gaditanus. 252.2.
σιωπῶ. 140.2.
Sirenes. 520.1.
Sirij. 46.1.
Siſenna. 183.1.
Siler. 502.1. 504.2.
Siſyphus. 61.2. 117.2. 118.2. 433.2. 441.1.
Siſyphus Antonij. 533.2.
Siticines. 379.1.
Smyrna. 551.1.
Soccus. 624.2.
Socratis dictum. 416.2. 419.2. 421.2.
Solcis depoſitis cœnabant maiores. 507.1.
Sollers. 235.2. 636.1.
Solona. 84.1. 86.1.
σόλοι. 521.1.
Soluentur riſu tabulæ. 409.2.
Solum nite. 48.2.
Solus ſapiens liber. 567.1. 570.2.
Somni conciliandi cauſæ tres. 410.1.
Somnus facilis. 109.1. 110.1.
Somnus leuis. 141.1.
Somnus lethæus. 286.1.
Sophocles. 600.1.
Sophoclis dictum. 455.2.
Soracte. 28.1. & 2.
Sorbillare. 79.1.
Sorites. 593.2.
Sorites prædominans. 593.2.
Sorites pſeudonymus. 599.2.
Sors. 501.1.
Spartacum bellum. 178.2.
Spartacus gladiator. 177.2.
Spartacus. 289.1.
Spartani vnde. 68.2.
Spartanica. 68.2.
Spelei. 132.1.
σπήλαιον. 537.1.
intra Spem veniæ cautus. 640.1.
Spernere ceſpitem. 120.2.
Sphæra recta. 54.1.
σφινδάμνος. 502.1.
Spina. 560.1.
Splendor ſalini. 124.1.

Sponda extrema cubare. 259. 2.
Spondæ, noxa præſto eſt. 487. 2.
Sponſio. 144. 1.
Sponſio quomodo fieri ſolita. 487. 2.
Squilla commodè allatur. 459. 1.
Squillæ. 460. 1.
Staberius. 434. 2. 444. 2.
Stare 28. 2.
Stare recto talo. 603. 1.
Statua taciturnior. 613. 1.
Stertinius. 433. 2. 454. 1. 555. 2.
Steſichorus. 224. 295. 1. 297. 2.
Steſichorus Himerenſis. 236. 1.
Stoica axiomata. 183. 3.
Strabus. 333. 2. 340. 1.
Stragula. 435. 1.
Stramenta. 435. 1.
Strigil. 494. 2.
Stringere. 322. 1.
Strix. 262. 2.
Stuprum. 553. 2.
Sturio. 424. 1.
Styx. 73. 1. 118. 1.
Subacta. 95. 2.
Subare. 281. 1.
Suber picatum. 166. 1.
Subius Virius. 291. 2.
Suboles. 220. 1.
Subſidium. 3. 1.
Subucula. 511. 2.
Subura. 263. 2. 266. 2. 385. 2.
Suburanæ canes. 263. 2.
ad Summam ſapiens 518. 2.
Supernè peccare. 498. 1.
in Superſtitione timor deorum inanis 396. 2.
Supplicium fuſtuarium. 595. 2.
Supremus. 529. 1.
Suſpirium. 179. 2.
Sycambri. 218. 2.
σύμμετος θεός 388. 1.
Syllogiſmus Chryſippeius. 599. 2.
Symphonia morum. 140. 1.
Synada. 139. 1.
Synadicus lapis. 142. 1.
συναποθνήσκειν. 81. 2.
Syramerx. 68. 1.
σύρμα. 611. 2.
Syrtes. 53. 1. & 2. 276. 1.

T.

TABERNA. 347. 2. 630. 1.
Tabernæ. 17. 2.
Tabula Cebetis. 108. 1.
Tabula votiua. 408. 1.
Tænari. 72. 1.
Tænarus 73. 1.
Tali quatuor. 18. 1.
Talentum. 643. 2.
Tanais. 169. 2. 170. 2. 307. 2.
Tantali genus. 20. 2. 23. 1.
Tantalus. 62. 2. 64. 1.
Tarentinus ſinus. 569. 1.
Tarentum. 65. 1. 98. 2.
Tarentum molle. 459. 2. 466. 2.
Tares. 459. 2.
Tarquinius Priſcus. 34. 2.
Tecmeſſa. 93. 2.
Tegere commiſſa. 642. 2.
Telamon. 25. 1.
Telephus. 294. 1. 296. 1.
Tellinæ. 465. 1.
Tellus bruta. 72. 1. & 2.
Tembul. 100. 2.
Temerè pro cito. 601. 2.
Tempe. 22. 2. 2 . 2. 52. 1.
Temperamentum omne eſt calidi & frigidi. 555. 2.
M. Terentius Varro. 34. 1.
P. Terentius Afer. 600. 2.
τερετίζειν 337. 1.
τερετίσματα. 317. 1.
Tereus. 241. 2.
Terminalia. 255. 2.
Termites. 290. 1. 292. 2.
Terra ſoluta. 55. 2.
Terra maris arbiter. 553. 2.
Terræ auaræ. 87. 1.
Teſca 558. 2. 560. 2.
Teſſeræ tres. 18. 1.
Teſta imbuta. 524. 2.
Teſta marina. 470. 2.
Teſta Græca. 51. 2.
Teſtamentum anus alicuius. 475. 1. 480. 1.
τετράκωμον. 79. 1.
τετράχορδον. 437. 1.
τετραίδιαι. 455. 1.
Tetrachordon. 332. 2.
Tetrarchæ. 332. 2.
Teucer. 23. 1. 25. 1.
Teucer Telamonius. 235. 1.
θαλίαρχος. 29. 1.
ὁ θάνατος ἀλγεινός. 481. 2.
Theanum Sidicinum. 511. 1. 517. 2.
Thebæ. 23. 2.
Thebæ Echioniæ. 223. 2.
Theſaurus. 475. 2.
Theſpis. 84. 1. 632. 2.
Theſſalia. 263. 2.
Thetis mater Achillis. 27. 2.
Thrax gallina. 497. 1.
θρυπτόμενοι. 637. 2.
Thunni maiores & minores. 478. 2.
Thurium. 168. 2.
Thyades. 132. 1. 134. 1.
θυμέλικοι. 165. 1.
θύμος, θυμός. 369. 2.
Thymus. 218. 2.
Thyone. 46. 2. 47. 1.
Thyrſus grauis. 132. 2. 134. 1.
Thyrſi. 99. 1.
Tiberij dictum de vino Surrentino. 468. 2.
Tibicen vagus. 629. 2.
Tibicines quanti Athenienſibus. 601. 1.
Tibia Berecyntia. 233. 1.
Tibia Phrygia 248. 2.
Tibia non ambitioſa. 639. 2.
Tibiæ vſus. 5. 2.
Tiburnus. 22. 2.
M. Tigellius Hermogenes. 317. 2.
Tigranocerta. 611. 2.
Tigris rapidus. 247. 2.
Timagenes. 586. 1.
Timor verus. 81. 2.
Tireſiæ ſepulcrum. 476. 1.
Tiriæus vates. 636. 1.
Tiſiphone. 390. 1.
Tithonus. 62. 2. 64. 1. 125. 1. 125. 2.
Tityon. 118. 1.
Tobias ſenior. 109. 2.
Toga craſſa. 338. 1.
Toga prætexta. 367. 2.
Togata. 325. 1.
Togata comœdia. 632. 1.
Toralia. 460. 2. 472. 2.
Totus in illis. 393. 1.
Trabes Hymettiæ. 129. 1.
Tradere Cadmo 378. 1.
Tradere venus. 59. 1.
Tragicè loqui. 602. 2.
Tragœdia vnde dicta. 643. 1.
Tragœdia prætextata. 632. 2.
Tragœdiæ admixti Satyri. 630. 1.
Trauius. 418. 2.
Trepido. 144. 1.
Tria pronunciandi genera, apud antiquos. 454. 2.
Tribus Romanæ tres. 634. 1.
Tributim. 413. 1.
Triceſima Sabbata. 396. 1.
Triclinium. 45 . 2.
Trinacria. 483. 2.
Tripodum duo genera. 233. 2.
Trium viri capitales. 259. 2.
Trochus. 6 . 5. 2.
Trolly ſorores. 105. 2.
Troilus. 104. 2.
Trophæa. 05. 2.
Trophæum. 185. 1.
Trulla 435. 1. 446. 2.
Truncus. 388. 1.
Trutina. 43. 1.
τρύξ. 631. 2.
Tuba. 2. 2.
Tuber. 314. 1.
Tumulandi mos antiquis. 194. 2.
Turba Tuſci vici. 452. 1.
Turbo. 294. 1. 417. 1.
Turbo gladiator. 438. 2.
Turdus. 476. 2.
Turgere. 176. 1.
Tuſculum. 250. 2.
Tuſcus vicus. 436. 2.
Tuſſis mala. 481. 1.
Tutor agnatus. 436. 2.
Tydides. 21. 2.
Tympanites. 80. 1.
Tyndaridæ. 232. 2.
Typhœus. 196. 1.
Tyndates. 58. 1. 59. 1.
Tyrrhenus. 376. 1. 2.
τύλη. 448. 1.

VA G.

V.

VACCAE Siculæ. 215. 2.
Vacuna. 547. 2.
Vadatus. 591. 2.
Vades. 305. 1. 310. 1.
Vadimonium. 394. 2.
Vagitus. 277. 1.
Valerius Læuinus. 573. 2.
Titus Valgius. 405. 2.
Vappa. 307. 1.
Varius. 199. 2.
Varia placent. 71. 1.
Varro Attacinus. 399. 2. 404. 1.
Varus. 513. 2.
Vaticanus mons. 51. 1.
Vatillum. 362. 1.
Vecticularia vita. 201. 1.
Vectis. 201. 1.
Veianius. 509. 2. 512. 2.
Veientum. 435. 1.
Velabrum. 436. 2. 452. 1.
Velia. 563. 1.
Vena. 110. 1.
Vena benigna. 130. 2.
Venæ. 89. 1.
Venafrum. 97. 2. 98. 2. 158. 2. 503. 1.
Venationis duo genera. 4. 2.
Venena Colchica. 114. 1.
Venereum iuramentum. 71. 1.
Veneris comites 10. 1.
Veneris aſſeclæ. 19. 2.
Veneris tactus. 100. 1. 101. 2.
Vennucula. 460. 2.
P. Ventidius. 75. 1.
Ventorum pater. 12. 2.
Venus Cypria. 12. 2.
Venus felix. 18. 1.
Venus venuſtas. 66. 1.
Venus ales. 213. 1.
Venus non placatur ſanguine. 90. 2.
Venus vehitur cygnis. 206. 1.
Venuſia. 63. 1.
Venuſium. 408. 1.
Vepallida. 320. 1.
Verba rerum notæ. 545. 2.
Verba dominantia. 630. 2.
Verba inornata. 630. 2.
Verba prætoris. 523. 2.
Verbena. 49. 1.
Verbenæ. 237. 2. 238. 1.
Verbenaca. 239. 1.
Verborum paucitas ſapientiæ ſignum. 379. 2.
Verbum verbo reddere. 642. 1.
Vernæ. 483. 1.
Vernæ inſtitui ſoliti. 613. 1.
Vernilitas 491. 1.
Verſari cum Muſis. 155. 2.
Vertere ſtylum. 405. 1.
Vertere in fumum. 465. 1.
Vertumnus. 495. 1. 496. 1. 587. 1. 588. 2.
Veſigothi. 75. 1.
Veſpertus. 105. 2.
Veſtis vitilis. 322. 2.
Veſta. 8. 2.
Veternus. 442. 1.
Viæ dux Brundiſio Romam. 369. 1.
Vices operum. 625. 1.
Victima. 9. 1. 128. 1.
Victa membra. 282. 1.
Vilis. 51. 1.
Vindelici. 245. 1. 246. 2.
Vindicare. 355. 2.
Vindicta. 434. 1.
Vina ad lunam excoquenda. 46. 1.
Vini indulgentia quid obſit bonæ menti. 439. 2.
Vinum antiquum. 4. 1.
Vinum interioris notæ. 90. 1.
Vinum diuturnum. 629. 2.
Violaria. 120. 2.
Violarum genera. 605. 1.
Virga Mercurij. 30. 2.
Vires ferre recuſant. 604. 2.
Virtus, ἡ ἀρετὴ. 340. 1.
Virtus in actione. 148. 2.
Virtus eſt medium vitiorum. 577. 2. 580. 1.
Virtus pro arte. 633. 1.
quæ tua virtus. 395. 2.
Virtutem incolumem odimus. 593. 1.
Viſci fratres. 400. 1.
Vita beata in paupertate. 122. 2.
Vita ſollicita. 488. 2.
Vitæ humanæ diſtributio. 573. 2.
Vitæ partes duæ. 496. 1.
Vitæ ruſticæ commoda. 488. 2.
Vitale. 412. 2.
Vitare vitia, recta ad virtutem via eſt. 515. 1.
Vitellus. 459. 1.
Vitia vel natura vel conſuetudine inſunt. 333. 2.
Vitium. 336. 1.
conuenienter naturæ Viuere. 548. 2.
Vindius. 223. 1.
Vlmus. 120. 2.
Vlubris. 555. 2.
Vlulare. 589. 2.
Vlyſſes 534. 1.
Vlyſſis curſus duplices. 21. 1.
ad Vmbilicum adducere. 265. 2.
Vmbilicus. 285. 2.
Vmbræ 505. 1. 519. 2. 531. 1.
Vmbrenus miles. 412. 1.
Vnctum ponere. 637. 1.
Vncus. 74. 1.
Vncus ſecurus. 76. 1.
Vnda fugax. 91. 2.
ad Vnguem. 632. 2.
Vnguentum foliatum. 100. 2.
Vnguentum ſpicatum. 100. 2.
Vnguis odoratus. 242. 2.
Vocalis. 13. 2.
Volpes. 203. 2.
Volua. 165. 1.
Voluptas vera. 573. 2.
Voluptas emta dolore 515. 2.
Volumina annoſa. 599. 1.
Voranus. 487. 1.
Vragus. 92. 1.
Vrbanus. 401. 2.
Vrbs vnde. 545. 2.
Vrceus ab orca venit. 612. 2.
Vrna ſortium triplex. 482. 2.
Vrna pro ſorte. 90. 1.
Vſtica. 46. 2.
Vſus dicendi magiſter. 640. 1.
Vtica. 588. 1.
Vua pro vino. 51. 1.
Vuæ allatæ & penſiles. 471. 1.
Vulgus humeris denſum. 116. 1.
Vultur mons. 158. 2.
Vultus. 440. 1.
Vultus diſpoſitio in morte. 10. 1.
Vxor beata. 123. 1.
Vxoris dux ſormæ. 324. 2. 325. 1.
Vxorius. 7. 1. 9. 1.

X.

XANTHVS. 129. 1.
Xenocratis caſeolus. 417. 1.
Xenocratis continentia. 417. 1.
ξυρῶν ἐν χρῷ. 580. 2.

Z.

ZAREIVS mons. 105. 2.
Zephyrus. 230. 2.
Zethus. 578. 2.
ζωάδε 503. 1.
Zonam perdidit. 608. 2.
Zonam ſoluere. 205. 2.

FINIS.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 2. col. 1. lin. 52. pene litore.
8. 1. 7. lege in litto. & l. 11. lege indicant.
9. 1. 50. leg Perſia. & c. 2. l. 30. literen.
13. 1. 31. leg. Rataletus
17. 1. 4. poſt τὸ marcis, adde officinas. & c. 2. l. 14. poſt τὸ Gallus, adde vulgo.
19. 1. 38. hæc deſt, Quid ſi ad προσωπίου ... eum alludere dicamus? vide Athen. li. 8.
20. 2. 54. leg Epici.
21. 2. 38. poſt τὸ duris, & adde multùm. & l. 42 poſt τὸ muliebria, adde aut ſectis, id eſt, acutis & ad repugnandum paratis.
24. 2. 16. leg. Tiburni & l. 24. Tiburnum.
25. 1. 17. leg. videro. & l. 53. leg. ſollicitudine. & c. 2. l. 26. poſt τὸ ſententia. adde eſt.
29. 2. 29. poſt τὸ ætatis, adde eſt. & l. 17. poſt τὸ Gallus. adde, vt circumfertur.
31. 2. 32. leg. ſeruili.
32. 2. 8. poſt τὸ breuitate. adde, quę.
36. 2. 21. leg. antiquitus.
46. 1. 19. leg. hæduliæ.
54. 2. 15. & per totam columnam & ſequentem leg. Inuleo. Inuleus, &c.
64. 2. 10. leg. nam pro non. & l. 40. leg. denſerique. & l. 42. denſeriet.
65. 1. 38. ante τὸ fraudem. adde hoc eſt, Fenoris hic pœnas viuus dabit, illius autem fenora poſt nati liberi iniqua luent.
71. 2. 18. leg. mutatæ.
77. 2. 3. leg. heti.
81. 2. 14. leg. viuámq. in ter.
91. 2. 5. leg. licet & abeſſe.
93. 1. 48. leg. celerè.
96. 1. 35. leg. indicem.
103 1. 22. leg. τὸ ſe abundat.
121. 1. 16. leg. vinea.
130. 1. 15. leg. Laconias.
135. 2. 30. leg. ſuperuacuos honores.
147. 2. 14. leg. diuites.
150. 2. 38. leg. haberent.
156. 1. 7. leg. Typhoeus.
175. 2. 13. leg. in e vocal.
178. 11. 14. le. quoſuis. c. 2. l. 17. le. vinū.
179. 1. 4. leg. tenueret. & l. 5. le. primo. & l. 16. leg. ... & l. 20 leg. ſenium. c. 2. l. 9. leg. obſcenæ.
182. 1. 29. leg. gignit. & l. 30. leg. auo. & l. 31 leg. putreſcens. c. 2. l. 1. leg. Argos. & l. 6. leg. Apollodori. & l. 19. leg. delineabo. & l. 42. leg. leuiro.
183. 1. 15. leg. biberat. & l vlt. le. Eia. c. 2. l. 15. le. bona. & l. 17. leg. auferri. & l. 46. leg. conualle.
184. 1. 44. leg. Macedonicæ.
205. 1. 9. leg. abominantis.
210. 2. 17. poſt τὸ tranſcere. adde. Aut ſic interpretare. Qui peregrinis mercibus ſtudent onuſta naui domum reuerti; in magnis aliquando fluctibus Ægæis deos obſecrant, vt ſaluis mercibus maris euadant vndas: At ego qui nudus vehor nulla diuitiarum cura grauatus, nihil metuo, nec deos precor quid eiuſmodi, etiamſi in Ægæis procellis ferat biremi ſcapha, ſubnixus mea virtute, quæ ſcapham non grauat, ſed aurę leuem pręſtat, diiſque marinis gratam. Quid ſi per ſcapham, allegoricôs, intelligamus paupertatem, quæ medius in fluctibus, id eſt, motu ciuili duobus acta remis, virtute & innocétia, tuta fuerit aura felici & gemino Polluce. i. fauore & ſtudio virorum principum Auguſto & Mecenate.
215. 1. 14. leg. Citria Citreáue.
214. 2. 9. leg. qua.
216. 2. 11. leg. exceſſerit.
217. 2. 50. pro Pindarus, le. Horatius.
221. 2. 36. leg. puer.
222. 1. 23. leg. priuignos.
231. 1. 38. pro non, leg. nam.
245. 1. 39. leg. turreis.
252. 1. 41. leg. τέρμενος.
255. 2. 20. leg. vocant.
259. 2. 38. leg. nimis.
275. 2. 18. leg. quod fieri.
281. 1. 21. ante τὸ laudaueram, adde: Aut licet interpretari propriè; diuidere fomenta in ventos, id eſt, eiuſmodi verba miſſa facere & obliuiſci.
285. 2. 6. leg. increpatus.
288 2. 35. leg. Cæſaris.
290. 1. 53. leg. decidant.
300. 2. 49. leg. ſis felix.
320. 2. 11. leg. cogar.
340. 2. 4. leg. amicius. & l. 31. opera.
394. 1. 1. leg. aſſectator. l. 2. leg. ſuo. l. 3. leg. demitto. l. 4 le. dicitur. l. 5. leg. vnt autem.
400. 1. 25. leg. detereret.
409. 2. 39. poſt τὸ poëmatia quæ, adde vel ipſe, vel, &c.
426. 2. 29. leg. ἀρχιτεκτονεῖν.
428. 1. 25. leg. cupa.
438. 2. 45. leg. didiciſſet.
521. 2. 39. poſt τὸ poſſe cogi, adde, nō.
523. 2. 30. poſt τὸ vitiatoq. adde, vbi.
524. 1. 25. leg. efferueat.
525. 1. 22. poſt τὸ inultum, id eſt, abundat.
526. 1. 35. leg. inutiles. & c. 2. l. 28. poſt τὸ ſuauitate, leg. imitari.
530. 2. 35. leg. Lirim flu. & l. 38. leg. vtrimq. adſt. & l. 49 leg. dici ſolet.
535. 1. 1. leg. Æneſidemus. & l. 48. leg. ἐν δεξιῷ.
541. 2. 18. poſt τὸ pericula, adde & contractum, id eſt, parcū in legendo ſcribendóq.
543. 2. 19. leg. antiquitamus.
544. 1. 1. leg. hae epiſt.
546. 2. 27. leg. potantia.
555. 2. 53. leg. queſtu.
558. 1 3. le. vanis. & l. 28. le. frondib.
560. 2. 8. leg. antiſtichon.
565. 1. 8. leg. Quid? ſi tub.
566. 2. 38. leg. colorem.
569. 1. 6. leg. quâ tamen.
574. 1. 46. leg. ... ſeu ...
578. 1. 23. leg. Caſtor & Dolichos. & l. 53. pro & ſpes nouas. leg. exſpes. ſine ſpe. & c. 2. l. 4 pro etiam, le. tertium.
580. 2. 4. leg. τραχύτατε.
582. 2. 24. leg. huic pennis. & l. 41. pro tenet, leg. continet. col. 2. l. 14. leg. ... & l. 30. leg à compreſſione continere.
584. 2. 27. poſt τὸ nec poſſet, adde inuidia quodammodo ruptus eſt.
585. 1. 35. leg. carmina. & eadem, poſt τὸ audiri, adde digna. & l. 19. pro ſcilicet, leg. ſicut.
586. 1. 43. leg. textoq. Caton.

Svmma privilegii.

Regis *priuilegio cautum eſt, ne quis hunc librum cui titulus eſt,* Q. Horatius Flaccus, ex antiquiſſimis xi. lib. m. s. & ſchedis aliquot emendatus, & plurimis locis cum Commentariis antiquis expurgatus & editus, opera Iacobi Cruquij Meſſenij, &c. *citra Chriſtophori Plantini voluntatem, à die cuiuſque noua editionis abſoluta intra decennium imprimat, aut alibi impreſſum importet, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, confiſcationis librorum, & quinquaginta florenorum pœna, fiſco regio exſoluenda, mulctabitur: vt latius in regio diplomate expreſſum eſt, Dato Bruxellis* xxi. *Iunij.* M. D. LXXVI.

Signat.

Iac. Blyleuen.

Privilegivm cæsarevm.

Maximilianvs II. Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ,&c. Rex; Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & VVirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium vniuerſis, inter alia maiorum noſtrorum conſilia, illud haud poſtremum fuiſſe comperimus, vt ad Imperij Romani decus & dignitatem plurimum facere arbitrarentur, non minus rem litterariam, quàm militarem diſciplinam propagare: quòd litterarum monumentis quidquid fortiter & præclarè geſtum eſſet, illuſtrari cognoſcerent, & æternæ memoriæ conſecratum ad poſteros ita tranſmitti, vt tam exteris quàm domeſticis populis, exemplo ad virtutem eſſe poſſet: quodque optimarum artium ſtudia, & quidquid ad humanæ vitæ cultum atque vtilitatem in quaque arte fuiſſet excogitatum, litteris & contineri & conſeruari optimè didiciſſent. Illorum nos laudatis veſtigiis inſiſtere ſummo ſtudio cupientes, dignum in primis duximus prudenter & accuratè cauere, vt ſi quis ad eam rem quidquam vel induſtria vel laboribus & impenſis ſuis contulerit, ne huic fraudi beneficium publicum ſit. Cvm itaque ſincerè nobis dilectus Chriſtophorus Plantinus ciuis & typographus Antuerpienſis nobis humiliter exponi curarit; ſe veteres nonnullos auctores, vel numquam antea viſos & raros, vel emendatiores, aliaque opera magni momenti, in primis verò Biblia Hebraica, Nouum teſtamentum, Eunapium de vitis Philoſophorum, Illuſtrium de poëtis, Nonium Marcellum, Petronium Arbitrum, omnes veteres poëtas correctos vel commentariis illuſtratos, Emblemata Sambuci, Dictionarium Hebraicum, Dictionarium Græcum, & ſiqua huius generis alia vel antea non edita vel emendatiora, locupletiora, auctiora, & illuſtriora facta ſunt, quacumque in lingua imprimere conſtituiſſe: vereri autem, ne quod ſæpenumero vſu venire conſueuerit, alij nonnulli, qui alieno labore & induſtria partis, fucorum more, inhiare, & frui ſoleant, ea quæ ille magnis ſumptibus & impenſis collegerit, & typis procuderit, mox ad ſuum compendium, minore ſumptu & labore, imitentur, atque effingant, illique labor omnis, ſum-

ptus & impenſæ, omne quoque lucrum & laboris præmium, atque adeò (quod dici ſolet) oleum & opera pereat: ideoque ſuppliciter à nobis petierit, vt contra huiuſmodi improbos quorundam lucri cupidorum conatus, fraudem & iniurias, Priuilegij noſtri prærogatiua munire illum dignaremur: Nos huiuſmodi illius precibus æquis & iuſtis benignè annuentes, & prædicti Chriſtophori Plantini honeſtos conatus promouere, atque indemnitati illius quammaximè conſultum cupientes, hoc publico edicto cautum volumus, & ſancimus, nequis cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, aut condicionis fuerit, quacumque ſacri Romani imperij & ditionis noſtræ fines patent, deinceps prædicta, aut alia quæcumque probatorum auctorum opera, quotquot vel hactenus nondum impreſſa, vel ab aliis quidem impreſſa, nouis autem deinceps ſcholiis, annotationibus, aut commentariis aucta & illuſtrata præfatus Plantinus primus typis procuderit, intra proximum ſexennium à prima cuiuſque operis aut voluminis editione vllo pacto eiuſdem vel diuerſi characteris forma excudat, aut excuſa ab aliis intra noſtros & Imperij fines vendenda importet, ſeu quouis modo diſtrahat manifeſtè vel occultè ſub pœna decem Marcharū auri puri, quarum dimidia fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici, reſidua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum, ſicut præmittitur, ad imitationem impreſſorum amiſſionem, quos idem Plantinus vbicumque locorum nactus fuerit, per ſe, vel ſuos, adiumento Magiſtratus loci, vel citra, propria auctoritate ſibi vendicare inque ſuam poteſtatem redigere poteſt. In cuius rei fidem præſenti edicto manu noſtra ſubſcripſimus & ſigillum noſtrum apponi iuſſimus. Datum in ciuitate noſtra Vienna Auſtrię, die vigeſima prima menſis Februarij, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto: Regnorum noſtrorum, Romani, tertio; Hungarici, ſecundo: Bohemici verò, decimo ſeptimo.

Maximilianus.

Ad mandatum ſacræ
Cæſ. M. proprium,

Haller.



ANTVERPIÆ EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS, ARCHITYPOGRAPHVS REGIVS, ANNO DOMINI M. D. LXXVIII. VI. IDVS OCTOB.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google